
IOANNIS MEDINÆ
SS. THEOLOGIAE DOCTORIS,
ET IN COMPLVTENSI ACADEMIA PROFESSORIS CELEBERRIMI

DE
Pœnitentia, Restitutione, & Contractibus,

PRÆCLARVM ET ABSOLVTVM OPVS, IN DVOS DIVISVM TOMOS: NON MODO THEOLOGIÆ, SED & Iurisprudentiæ Professoribus ac Studiosis omnibus quàm vtilissimum:

ANTEA QVIDEM IN HISPANIA, NVNC VERO PRIMVM IN GERMANIA EDITVM; ET NON AB innumeris solùm, quibus anteà scatebat, mendis repurgatum; verùm nouis insuper ac vtilißimis ANNOTATIONIBVS *in margine appositis; luculentißimoq; etiam tam Quæstionum, quàm rerum & sententiarum* INDICE *locupletatum.*

Præcipua totius operis capita mox altera huius paginæ facies indicabit.



INGOLSTADII
Ex Officina Typographica DAVIDIS SARTORII.

Anno M. D. LXXXI.
Cum gratia & priuilegio Cæsareæ Maiestatis.

TITVLI SEV PRÆCIPVA CAPITA PRIORIS TOMI.

PRAECIPVA CAPITA POSTERIORIS TOMI.

REVERENDISSIMO ET ILLVSTRISSIMO PRINCIPI AC DOMINO, DOMINO ERNESTO, CONFIRMATO HILDESHEIMENSIS ET FRISINGENSIS, NVPER ETIAM electo Leodienſis Eccleſiarum Epiſcopo, Comiti Palatino Rheni, Bauariæ vtriuſque, & Bullonenſi Duci, Marchioni Francimontano, & Comiti Loſſenſi, poſtulato Adminiſtratori & Domino in Stabel & Malmaria. &c.

ALBERTVS HVNGERVS PROFESSOR THEOLOGVS ET PROCANCELLARIVS IN ACADEMIA Ingolſtadiana, Salutem in CHRISTO IESV plurimam.

OPVS hoc bipartitum IOANNIS MEDINÆ, præſtantis Theologi, Reuerendiſſime & Illuſtriſſime Princeps ERNESTE, iampridem in Hiſpania typis procuſum, à noſtręaute nationis hominibus, ob nimiam locorũ diſtantiam, fruſtrà hactenus deſideratũ, en tãdem etiam fœlicibus auſpiciis recuſum exhibet Typographus noſter Sartorius; indubitata ſpe fretus, hac ſua opera ſe nõ ſolùm operępretium eſſe facturum, ſed etiã optatam gratiam inituram apud omnes, quotquot rerum maximè neceſſariarum, & in vita cõmuni penè quotidianarum accuratas explicationes non prorſus faſtidire conſueuerunt. Dedit quidem Hiſpania nobis non modò hunc IOANNEM MEDINAM, ſed & Michaëlem Medinam, & Bartholomęum Medinam, excellẽtes ſanè Theologos omnes. At cùm iuxta D. Gregorij Nazianzeni, aliorumq; veterum Theologorum imò & ipſius ſacræ Scripturæ veriſſimum axioma, actio ſpeculationis initium & fundamentum quoddam ſit; cùm etiã haud paulò plura ac maiora ſint illorum quàm huius opera; cùm denique ante illos hic floruerit; neſcio profectò, quiſnam ex his omnibus conuenientiùs & vtiliùs, quàm hic ipſe IOANNES MEDINA primò recudi apud nos potuiſſet. Quam verò Chriſtianam morum & negotiorum humanorum rationem doceat & explanet hic noſter MEDINA, vel ipſa ſtatim prima huius Operis pagina ſatis commonſtrat; quanta porrò

Gregor. Nazianz. orat. in ſancta lumina: Et ipſius Scholiaſtes doctiſſ. Nicetas ſuper orat. 2. in Paſcha. Sapient. 1. Pſalm. 110.

ſit ipſius paſſim in eruenda veritate perſpicacitas & dexteritas, quanta in componendis aliorum ſententiis facilitas, quanta in explicandis etiam difficilimis & obſcuriſſimis quæſtionibus perſpicuitas, tùm ipſa operis lectio cuiuis æquo lectori abundè probabit, tùm luculenter teſtabuntur, quæ paſſim apud illuſtres vtriuſq; cenſuræ Doctores occurrent de hoc Authore perquàm honorifica iudicia & præconia. Doctorem enim egregium eum vocat laudatiſsimus ille Theologus Dominicus Sotus, [a] Clariſſimum Doctorem & Magiſtrum ſuum Antonius de Corduba, breuis ſed accuratus ſcriptor, [b] Virum doctiſſimum Malleus ille hæreticorum Alphonſus à Caſtro, [c] magni nominis Theologum, & in Complutenſi Gymnaſio de profeſsione Theologica pręclarè meritum Didacus Couarruuias, ſupremi Conſilij Regij apud Hiſpanos Præſes & Iureconſultus celeberrimus, [d] doctiſſimum, perſpicaciſq; ingenij virum ille vrbi & orbi notiſsimus Canoniſta Martinus Nauarrus, [e] vt iam alia aliorum plena laudis teſtimonia breuitatis ſtudio prætermittamus. Talē & tantum Autorem, quorumuis etiam Magnatum, præſertim verò Eccleſiaſticorum amore, ac fauore digniſsimum, R^me. & Ill^me. Princeps, nihil dubitauimus ego & Typographus, quin T^æ. R^mæ. & Ill^mæ. Celſitudini, quatenus ille iā noſter eſt, ex noſtra nimirum Typographia & Academia nouum habitum, ornatumq; editionis ſortitus, rectè totum poſſemus nuncupare: ſiquidem vel ſingulas eius partes ſeorſim haud indignas iam olim iudicatas animaduertimus, quę ſingulis ſeorſim Archiepiſcopis & primatibus Hiſpaniæ dedicarentur. Excitauit etiam nos ad hanc cogitationem ſiue audaciam R^mæ. & Ill^mæ. Celſitudinis T^æ. ſingularis illa humanitas, quam proximo menſe Septembri perſpeximus, quando hâc ad Eccleſiam ſuam Hildesheimenſem proficiſcenti, ego & aliquot alij Profeſſores totius Academię nomine fœlicem aduentum gratulabamur & proſpera omnia ominantes, nos & Vniuerſitatem tanquam patrio cuidam numini, reuerenter ac humiliter commendabamus. Non ſolùm enim tunc latina nobis oratione prudenti iuxtà & ornata R^ma. & Ill^ma.

Celſit.

[a] Libro 4. de iuſtitia et iure, quæſt. 7. art. 1.

[b] In libello de detractione et reſtitutione famæ, & de ratiōe tegendi ac detegēdi ſecretum.

[c] Lib. 2. de poteſtate legis pœnalis ca. 8.

[d] In epitome ſup. quartū Decretal. 2. par. cap. 8.

[e] In Man. ca. 1. num. 10.

Celsit. T^a. ex tempore respondit; sed etiam perquàm clementer suæ nos mensæ adhibuit, eaq́; nobiscum dignata est miscere colloquia, quę animũ nostri & Academię nostrę amantissimum ac studiosissimum apertissimè declararent: Pręclarè imitans Maiorum, & fratrum suorum, præsertim Serenissimi Principis nostri GVILHELMI exemplum; quibus etiam studia & studiosi magno in honore & amore semper fuêre, & hæc Ingolstadiensis Academia semper tam antiqua & tam chara, vt vix quicquam aliud hactenus in vtraque sua Bauaria antiquius, chariúsue sibi esse voluerint. Iam vbi huc rumor ille omnibus lætissimus allatus est, T^æ. R^mæ. & Ill^mæ. Celsitudini magno consensu amplissimum Leodiensis Ecclesiæ Episcopatum oblatum esse, dici non potest, quanto gaudio nobis animus noster perfusus fuerit, quantumq́; gestierit quacunque ratione debitum approbare gratulationis lœtissimæ & deuotissimæ officium. Accidit ergò percommodè, vt sub ipsum auspicatissimę electionis tuę tempus hoc Opus cuderetur. Quod tum ex aliis, tum maximè ex adductis causis T^æ. potissimùm R^mæ. & Ill^mæ. Celsit. ego & typographus gratulabundi consecramus: nihil dubitantes, quin hoc eidem R^mæ. ac Ill^mæ Celsitudini T^æ. vti longè magis decorum, ita etiã multò gratius sit futurum, quàm in hac publica lætitia & congratulatione quorumuis lituorum cantus, aut tormentorũ ęneorum tonitrua, aut inconditæ tumultuantis multitudinis acclamationes. Quàm parum de nostro hîc offeramus, iam suprà ingenuè ꝓfessi sumus: nec recusamus, quò minùs omnis gratia, & laus tota penes MEDINAM sit, modò quamplurimum vtilitatis hinc ad quamplurimos dimanet. Illud satis sit, librum vtilissimum, quem venalem nec superior nec inferior habebat Germania, recudisse, & quidem nitidiùs atque emendatiùs quàm excusus fuerat vnquam anteà. Quòd si autem tantò acceptior cuiusque Doctoris sermo est, tantoque attentiores facit discentes, quantò maior ipsius Doctoris authoritas est, vt verissimè scribit Basilius Magnus, planum est, in T^a. R^ma. & Ill^ma. Celsitudine, aliisq́ue eiusdem præstantiæ principibus viris, hoc est, in iis, quorum raræ & eximiæ animi *D. Basilius in princip. Prouerb.*

dotes cum ſumma generis nobilitate coniunctæ excelſum aliquem & præcipuum locum in Eccleſia Dei obtinent, ſitum eſſe, vt Author hic haud paulò facilius pleniuſque ſeſe ſtudioſis omnibus inſinuet, & apud omnes, præſertim verò apud Germanos noſtros tantæ authoritatis tuæ condecoratus auctario authoritatis & ipſe multò maioris euadat.

Accipe igitur, Princeps ampliſſimè & Patrone benigniſſime, argumentum noſtri erga te animi, Opus vtroque nomine, & Autoris & materiæ (vti ſpero) Tæ. Rmæ. & Illmæ. Celſitudini gratum futurum; ſtudioſis certè omnibus vel propterea quòd ſub tui ſplendore nominis recuſum prodit, futurum gratiſſimum. Sic tuo huic nouo honoris ac dignitatis faſtigio adſpiret Dominus IESVS paſtorum princeps, eamq́; largiatur gratiam, quæ ſubditorum animos ad cœleſtium bonorum amorem inflammet, quæ omnia iſthîc ſectarum & ſchiſmatum diſsidia diſcutiat, quæ denique tumultus illos, heu nimium diutinos, & ferè ſemper in peius gliſcentes cōponere feliciter iuuet. Ingolſtadij, pridie Calend. Aprilis, Anno M. D. LXXXI.

INDEX

INDEX.
OMNIVM QVÆSTIONVM,
QVÆ IN HOC PRIMO D. IOANNIS MEDINÆ TOMO FVSE ET ACCVratè explicantur.

TRACTATVS PRIMVS.
De Pœnitentia.

TRACTATVS SECVNDVS.
De Confessione.

QVAE-

TRA-

TRACTATVS TERTIVS.

De Satisfactione pro peccatis.

TRACTATVS QVARTVS.

Codex de Ieiunio.

TRACTA-

TRACTATVS QVINTVS.

Codex de Eleemosyna.

TRACTATVS SEXTVS.

Codex de Oratione.

Finis quæstionum primi Tomi.

D. IOAN-

A D. IOHANNIS MEDINÆ, IN TITVLVM DE POENITENTIA EIVSQVE partibus commentarij.

DE POENITENTIA tractat Magister Sententiarum dist. 14. in quarto, & Doctores ibidem. Vbi nonnulla prædicata, quæ de pœnitentia dicuntur, proponit: in quo etiam cum baptismo conueniat: in quo itidem ab eodem differat, ostendit. Conueniunt quidem: quia sicut baptismus est prima tabula post naufragium, ita & pœnitentia est secunda, vt tradit Hieronymus super Danielem: & habetur de pœnitentia, dist. 1. c. Secunda. Est autem hæc locutio metaphorica, ex similitudine, quam baptismus & pœnitentia cum tabulis nauis in mari B fractæ habent: per quas homo nititur ab illo naufragio liberari: quandoquidem homini nauiganti, si oborta tempestate & concutientibus fluctibus nauis frangitur, hoc vnicum remedium superest, scilicet tabulas nauis fractæ arripere, & eisdem rimari & inniti, vt saluari possit. Qui nauigat, homo est: nauis, quam primò ingressus est, & in qua primò nauigare cœpit, status fuit innocentiæ, & rectitudo, atque integritas vitæ, in qua homo conditus fuit: fracta est nauis, quando vita hominis per inobedientiam, & præuarica tionem corrupta fuit: fluctus maris nauem concutientes, tentationes sunt vitæ præsentis, quæ magno impetu in hominem irruunt: mare autem in quo nauigatur, hic mundus est. Tabulæ autem, quibus à procella huius pelagi homo liberari potest, baptismus, & pœnitentia sunt: è quibus cùm prior sit baptismus, qui ianua aliorum sacramentorum esse dicitur: ideo prima tabula nuncupatur, pœnitentia autem secunda: his enim sacramentis nobis in peccatum lapsis rimandum est, si volumus peccati periculum, & damnum, quod affert, incolumes euadere.

Baptismus & pœnitentia duæ post naufragiũ tabulæ.

DIFFERVNT autem, quia pœnitentia potest frequenter cum spirituali fructu iterari, baptismus autem non nisi semel suscipi potest. Primum satis significat Christus, qui Petro de peccatis fratri remittendis, interroganti: Quoties peccabit in me frater, & dimittam ei? an septies? &c. respondit: Non dico tibi septies, sed septuagies septies. Vbi numerus determinatus pro indeterminato ponitur: ac si dixisset, quoties peccauerit in te, si pœnituerit dimitte illi. Secundum etiam Paulus docet ad Hebræos 6. vt colligunt C communiter doctores, cùm ait: Impossibile est eos, qui semel illuminati sunt, gustaueruntque bonum verbum, & Spiritum sanctum scilicet per baptismum susceperunt, si prolabantur, rursus renouari &c. Quod de renouatione baptismali solet intelligi. Est enim sacramentum regenerationis &c.

Pœnitentiam iterari posse: Baptismum non item. *Matth. 18.*

DIFFERVNT præterea, quia pœnitentia duplex est scilicet interior, & exterior. Baptismus autem vnicus est in exteriore opere consistens. De interiori pœnitentia dixit Dauid: Sacrificium Deo spiritus contribulatus: cor contritum & humiliatum Deus non despicies. Exteriorem verò pœnitentiam, quam sacerdotes pœnitentibus & confessis iniungunt, Christus nobis significauit, quando curatos à se leprosos misit ad sacerdotes, vt se illis præsentarent, ab eisdem iudicandi. & eandem instituit, quando ad sacerdotes loquens dixit, quorum remiseritis peccata, remittentur eis &c.

Pœnitentia interior & exterior. *Psal. 50.* *Lucæ 17.* *Ioan. 20.*

CONVENIVNT præterea, quia pœnitentia peccatoribus necessaria est, sicut & baptismus. Nam Ioannis prædicatio à pœnitentia cœpit, cùm dixit: Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorum. Et Petrus etiam eandem prędicauit, vt ex Actibus constat: dixit enim: Pœnitentiam agite, & baptizetur vnusquisque vestrûm. Ex quibus apparet vtilitas simul & necessitas pœnitentiæ.

Pœnitentiæ vtilitas & necessitas. *Matth. 3.* *Act. 2.*

CONVENIT tamen hæc particulariùs tractare, & distinctiùs procedere, ne æquiuocatio confusionem, confusio verò ignorantiam pariat. Accipitur enim pœnitentia ad præsens dupliciter: vno modo pro ea, quæ in corde est: alio verò pro ea, quæ in opere

Accuratior pœnitẽtiæ diuisio.

exteriori consistit. Et hæc rursus est multiplex: quædam est sacramentalis, & in absolu- D
tione consistit, qua confessor pœnitentem, & priùs confessum à peccatis absoluit. Quædam verò est pœnitentia ab eodem sacerdote iniuncta: quæ iterum triplex est, scilicet solennis, publica, & occulta. Quædam autem est pœnitentia voluntariè ab ipso peccatore assumpta: & hoc est, quod communiter à doctoribus traditum est, scilicet, tres esse pœnitentiæ partes, puta contritionem, confesionem, & satisfactionem: cuius satisfactionis totidem similiter partes esse dicuntur: hæ autem sunt oratio, ieiunium, & eleemosyna, de quibus omnibus nonnulla in præsenti Codice tractanda sunt: inprimis tamen de contritione, seu generaliùs de cordis pœnitentia agendum est. Hæc autem est duplex: quædam vera pœnitentia, quæ ad salutem valet, & bonorum est: alia verò, quæ ad salutem non valet, & malorum est: talem habuit Iudas, quando doluit quòd Christum tradidisset, qui non sicut debuit, pœnituit: talem habuit Antiochus, de quo, cùm de commisis sceleribus pœniteret & Dominum deprecaretur, scriptum est: Orabat scelestus Dominum, à quo non erat misericordiam consequuturus. Et de Esau similiter inquit Paulus, quòd non inuenit pœnitentiæ locum, etiamsi cum lachrymis inquisiuisset eam &c. Talem etiam habent damnati, de quibus legitur Sapientiæ 5. Dicent intra se pœnitentiam agentes &c.

Matth. 27. *2. Macch. 9.* *Ad Hebr. 12.*

Pœnitentia vera quid sit.

Est autem pœnitentia vera, dolor voluntarius de peccato propter Dei offensam cum emendationis proposito in futurum. Et hoc est, quod ait Augustinus, pœni- E
tentiam definiens in libro de pœnitentia: Pœnitentia inquit est, quædam dolentis vindicta puniens in se, quod dolet commisisse. Vnde & Gregorius ait: Pœnitentia est antè acta mala deflere, & flenda iterum non committere. Et Ambrosius: Pœnitentia, est præterita mala plangere, & plangenda iterum non committere &c. Itaque illum dicimus pœnitere, cui displicent & molesta sunt quæ fecit flagitia, quatenus offensiua Dei sunt &c.

De pœnitentia distinct. 3. ca. & pœnitent. cum aliis.

Quatenus dolor voluntarius esse & dici possit.

Sed dubitaret hîc aliquis, quomodo potest esse, vt sit dolor voluntarius: si enim dolor est, pœna est, & cruciat animum: pœna aũt non est, nisi inuoluntaria sit. Quod enim nullatenus est inuoluntarium, non cruciat, nec punit. Quòd autem pœnitentia pœna sit, ex vocabulo ipso patet. Pœnitentia enim pœnæ tenentiam sonat, & (vt ait Augustinus) à puniendo dicitur. Respondetur: Id facilè soluitur, si in homine duplicem affectionem attendamus: scilicet iusti, & commodi. Per primam homo appetit quod iustum, & rectum, & honestum est: per secundam verò quod vtile, delectabile, & commodum est. Bene igitur stat, quòd id quod secundùm affectionem commodi est inuoluntarium, sit secundùm affectionem iusti voluntarium. Ad quod multa possemus afferre exempla, nisi res de se satis nota esset. Aut dicatur, non esse necessarium, pœnam inuoluntariam esse, vt cruciet: satis est id inuoluntarium esse, de quo ipsa pœna habetur: sicut in proposito inuoluntarium est homini pœnitenti se Deum offendisse &c.

Nota tamen dolorem huiusmodi non dici voluntarium in se, cùm sit pasio natura- F
liter consequens actum voluntatis: est tamen voluntarius causaliter, seu antecedenter: pro quanto ex libera voluntate ipsius pœnitentis procedit. Peccator enim considerans se Deum perperam offendisse, dignumque esse, qui pro peccato puniatur, voluntatem elicit, qua vult in se punire, quod commisit: inde voluntariè elicit actum detestationis, quo displicet sibi commissum: hunc sequitur naturaliter tristitia de commisso: deinde tristitiam sentiens, eam voluntariè acceptat, & sustinet: inde facilè patet, quo pacto dolor de commisis voluntarius sit &c.

De cordis ergo pœnitentia nonnullas conuenit quæstiones tractare, in quibus viros doctos constat contraria sensisse: & vt à facilioribus incipiamus, de qualitate pœnitentiæ cordis libuit tractatum inchoare.

QVÆSTIO PRIMA.

An pœnitentia sit virt⁹, & qualis virtus.

Non videtur homo de commisis pœnitere posse.

I. Argumẽtum.

SOlet de huiusmodi pœnitentia quæri, an sit virtus, & qualis virtus. Et arguitur primò contra id quod supponitur, quòd scilicet homo posit de commisis pœnitere. Contra quod arguitur: quia si pœnitentia est dolor de peccatis commisis, necesse est quòd procedat ex actu voluntatis, quo homo vult se non peccasse, aut non vult se peccasse: cùm secundũ Augustinum tristitia sit de his, quæ nobis nolentibus accidunt: hominem

A hominem autem non peccasse, si ita est quod peccauit, est iam imposſibile: quod autem imposſibile est, homo id ſciens velle non poteſt: non enim efficaciter volumus niſi quæ poſsibilia eſſe putamus: vnde homo efficaciter volens aliquid obtinere, quamprimum ſcit illud eſſe ſibi impoſsibile, ceſſat à volitione efficaci eiuſdem, vt experientia docet.

SECVNDO, demus quòd ſit homini poſsibile velle ſe non peccaſſe, quamuis factum ſit iam impoſsibile: attamen talis voluntas non videtur licita, ſed illicita, & deordinata: eò quòd recedit à ſua regula. Quandoquidem humana voluntas in actionibus ſuis debet diuinam voluntatem pro regula tenere, & ſe illi per omnia conformare: Dei autem voluntas non eſt, vt non præceſſerit, quod actu præceſsit: eſt enim illud impoſsibile etiam ipſi Deo. De quo Ariſtot. in Ethi. Hoc ſolo priuatur Deus, ingenita facere, quæ genita ſunt. Et Hieronymus virginitatem ſemel amiſſam reparari non poſſe affirmat &c. Quòd autem Deus id, quod impoſsibile eſt, non velit, nec velle poſsit, hinc patet: Quia tantum poteſt, quantum vult. Omnia enim quæcunque voluit, fecit. Si enim poſſet velle aliquid, quod facere non poſſet, eius voluntas caſſaretur: & ex hac parte finita redderetur, & impotens. II. *Pſal. 113.*

TERTIO admiſſo quòd pœnitentia cordis poſsibilis ſit homini, & eidem licita: non tamen videtur virtus eſſe: quia virtus omnis eſt per ſe, & ſecundùm ſe expetibilis: pœnitentia autem non eſt huiuſmodi: quia illud nō eſt per ſe, & ſecundùm ſe expetibile, quod
B ſine peccato haberi non poteſt: pœnitentia autem cordis ſine peccato ſaltem præuio haberi non poteſt, vt conſtat. *Pœnitentia nō videtur eſſe virtus.* I.

DEINDE ſi pœnitentia eſſet virtus, illa fuiſſet in Chriſto, qui plenus donis & virtutibus fuit: in Chriſto autem nunquam fuit pœnitentia, qui peccatum non fecit, nec inuentus eſt dolus in ore eius. II. *Iſaiæ 53.*

PRAETEREA virtus eſt habitus electiuus, & per conſequens eſt de obiecto cadente ſub electione: pœnitentia autem nō habetur de eo, quod ſub electione cadit, cùm ſit de eo, quod impoſsibile eſt non fuiſſe ſcilicet de hoc, quod eſt nos peccaſſe, quod nobis impoſsibile eſt non feciſſe, vt patet ex dictis: electio autem non niſi de poſsibilibus eſt, quæ in noſtra ſita ſunt voluntate. III.

QVARTO, eſto pœnitentia ſit virtus, vel ergo eſt communis, vel particularis: & videtur quòd ſit communis, & non particularis: quia dolere de peccato commiſſo, commune eſt omni virtuti: omnis enim virtus inclinat ad amorem boni ſui, & ad odium mali ſibi oppoſiti: & ſi tale malum contingat, inclinat ad diſplicentiam, & dolorem de eodem: non igitur virtus particularis eſt, ſed generalis. IIII.

QVINTO, quia ſi pœnitentia cordis virtus eſſet, aut igitur moralis, aut theologalis, quorum neutrum videtur: theologalis enim non eſt, cùm nec charitas ſit, nec fides, nec ſpes: moralis etiam non eſt, cùm nec ad prudentiam, nec ad temperantiam, nec iuſtitiam, nec ad fortitudinem reducatur: quandoquidem huiuſmodi morales virtutes viris bonis & iuſtis competunt, ſeu competere poſſunt: pœnitentia autem non niſi peccatoribus &c. V.
C

RESPONDEO. His non obſtantibus tenendum eſt, pœnitentiam cordis, ſi habitus ſit, virtutem eſſe: ille enim habitus virtus eſt, cuius actus eſt bonus, & laudabilis: talis eſt actus pœnitentiæ. Probatur hoc, primò: quia actus humanus, qui poteſt ex electione & deliberatione fieri, qui etiam cadit ſuper materiam ipſi actui conuenientem, & propter bonum finem cum honeſtis circumſtantiis, eſt bonus, & laudabilis: ſed talis eſt actus pœnitendi: quia habetur ex electione & deliberatione, qua peccator deliberat & concludit, eſſe de commiſsis pœnitendum, & cadit ſuper materiam ſibi conuenientem, puta ſuper peccatum commiſſum, quod quidem odio & deteſtationi conuenit. Sicut enim bonum amabile eſt, ita malum eſt deteſtabile, & odibile: elicitur etiam huiuſmodi actus pœnitentiæ propter Deum, vt ſuppono, cum bonis circumſtantiis alios bonos fines reſpicientibus, puta, vt ſcilicet peccator Deo ſatisfaciat, & ab eodem veniam obtineat: igitur erit vndique actus bonus. *Concluſio: Pœnitentiam eſſe virtutem. Ratio I.*

SECVNDO actus pœnitendi, & pœnitentia ipſa tenet mediocritatem inter duo extrema vitioſa, igitur eſt virtus ex doctrina Ariſt. & communi. Antecedens patet, quia hominem gaudere de omnibus operibus à ſe factis, tam de bonis quàm de malis, extremum vitioſum eſt: dolere etiam de omnibus operibus à ſe factis, tam de malis quàm de bonis, extremum eſt etiam vitioſum. Inter hæc autem mediat dolere de malis tantùm II.

à se commissis eo modo, quo dolendum est, & hoc est pœnitere: igitur pœnitentia est virtus. D

III. Tertio quod Deus in lege sua iubet, & ab hominibus exigit, bonum est & laudabile: quod si fiat, quemadmodum fieri debet, ipsi Deo gratum & acceptum est, cui nil nisi bonum gratum esse potest: sed ipse Deus frequenter in lege sua tam veteri quàm noua iubet, & exigit pœnitentiam, quod certum esse suppono: igitur non solùm erit bonum & laudabile pœnitere, sed & apud Deum erit valde meritorium &c.

Occurritur obiectioni. Nec obstat quod habetur Eccles.30. Tristitiam longè expelle à te. & subditur causa: multos enim occidit tristitia, & non est vtilitas in illa. Et hoc idem expressè dicit Aristot.7.Ethi.& 10. Nam Ecclesiasticus loquitur de tristitia sæculi, quæ de rebus aliis mundanis haberi solet: non de ea, quæ de peccatis est. Aristoteles autem loquitur de dolore, qui solet esse excessiuus, quo quidem moderatè vtendum est ad finem, ad quem assumitur: non autem de displicentia de peccatis commissis &c.

Ad argumenta superius facta respondetur. Ad I. Quatenus volũtas sit impossibilium. Ad rationes autem superiùs in oppositum factas, dicendum: Ad primum, in quo id queritur, an scilicet humana volũtas possit velle aliquid impossibile sibi scitum, esse tale, distinguendum breuiter est de volũtate. Quia est voluntas desiderij, & est voluntas efficax ipsum desideratum obtinendi. De voluntate desiderij, aut simplicis appetitus, non dubitatur, quin possit de impossibili haberi: voluntas enim impossibilium est, vt ait Aristoteles. Sic enim dicitur angelus malus impossibile appetiuisse, quando cupiuit Deo æqualis esse, & eidem assimilari: sic etiam damnati in inferno existentes desiderant mori, scientes id ipsis de lege impossibile esse, de quibus scriptum est: Desiderabunt mori, & mors fugiet ab eis. Sic etiam cæci desiderant videre, cùm sciant id illis per naturã impossibile esse. De voluntate tamen efficaci (qua scilicet quis de mediis inquirit, & ea eligit, & opere exequitur ad finem obtinendi quod cupit) verum est quòd haberi non potest de impossibili cognito: quandoquidem electio non nisi possibilium est, ex eodem Aristot. E *Isaia 14.*

Nolitio, qua quis nollet se peccasse, an absoluta vel conditionata. Verum dubitaretur, qualis sit illa nolitio, qua quis nollet se peccasse, cùm id sciat sibi esse impossibile, an absoluta, an conditionata? Et dixerunt aliqui, quòd non potest conditionata esse: quia nemo potest velle aliquid sub aliqua conditione, quando scit illã conditionem nõ existere: & huiusmodi conditionales scilicet vellem aliquid sub tali vel tali conditione, aut nollem aliquid sub tali conditione, nõ important actum voluntatis, quando scitur conditiones non subsistere. Secùs si creditur, vel saltem dubitatur eas subsistere: vt si credam, vel saltem dubitem, Petrum esse pauperem, possum actum voluntatis habere, quo velim dare Petro eleemosynam, si sit pauper. Attamẽ quamprimum sciuero Petrum non esse pauperem, cessat in me talis volitio, & adhuc manet hæc conditionalis vera, vellem dare Petro eleemosynam si esset pauper: & ita conditionalis est vera sine actu voluntatis. Id videtur posse confirmari: quia hæc conditionalis est vera in eodem casu, ego darem Petro eleemosynam, si esset pauper, cum quo stat quòd non dem: ego legerem si mihi daretur aliquid, cum quo stat quòd non legam: ita igitur stat quòd ego vellem aliquid facere, si mihi aliquid daretur, & tamen quòd illud non velim: sicut enim qui daret non dat, qui legeret non legit, ita qui vellet nõ vult: ac proinde huiusmodi conditionales nõ dicunt aliquem actum positiuũ voluntatis, maximè quando scitur, conditiones non subsistere: & ita illa nolitio, qua nollet quis se peccasse, non potest esse conditionalis, q̃a maximè sub conditione possibilitatis, scilicet si fieri posset, se nõ peccasse: sed constat in casu conditionem illam non posse subsistere, ideo illa conditionalis nullũ actũ ponit in voluntate: & per consequens si actus voluntatis est, oportet sit nolitio absoluta. F

Sed hæc positio nõ videtur vera: quia si conditionalis huiusmodi non ponit actum voluntatis, quando scitur conditionẽ non subsistere, etiã non poneret actum voluntatis quãdo dubitatur, seu creditur posse subsistere: patet ex ratione suprà facta, qua dicebatur diuersum quid esse, legerem, & lego: darem, & do: vellem, & volo: per quod æquè probaretur, nullum actum voluntatis haberi per illas conditionales subsistente conditione sicut ea non subsistente, vt constat. Deinde sequitur quòd Christus non fuit tristatus de morte: quia vel tristitia sequente nolitionẽ mortis absolutam: & hoc non, quia absolutè voluit mori: vel conditionatam: & si sic, habeo intentum quòd conditionalis illa ponit actum voluntatis: nam sine actu voluntatis non potest tristitia in aliquo causari, actum autem conditionalem causatiuum tristitiæ videtur Christus significasse quando dixit: Pater si possibile est, transeat à me calix hic, cũ tamen sciret conditionem non subsistere. *Luca 22.*

Denique

A Deniq; posse dari actus voluntatis conditionales vbi scitur conditionem non subsistere, imò nec subsistere posse, apparet si tribus hominibus proponatur aliqua conditio impossibilis: puta si vobis darentur alæ naturales, aut si conuerteremini in aues volantes, & quæratur sub eadem conditione, quô vnusquisque eorum ire eligeret, Romam scilicet, Hierusalem, aut Insulas? vnus diceret, ego si auis essem, Insulas irem: alter diceret, ego si auis essem, in Hierusalem me conferrem: alter verò diceret, ego si auis essem, nec huc, nec illuc abirem: sed in patria propria permanerem. Re vera hi homines scientes conditionem esse impossibilem, diuersos habent affectus, per quos non volunt absolutè ea, quibus afficiuntur: sed ea vellent efficaciter, si staret conditio, ac proinde huiusmodi velleitates actum important voluntatis: de his tamen alibi latiùs.

Ad propositum igitur redeundo videtur, quòd peccator potest actu absoluto desiderij velle se non peccasse absque vlla conditione, aut absolutè nolle se peccasse: potest etiam hoc ipsum velle sub conditione aliqua, etiamsi sciat conditionis non subsistentiam, seu impossibilitatem. Quæ autem nolitio est quæ tristitiam causare sufficit, absoluta scilicet an conditionata? crederem id de absoluta, non tamen de sola conditionata verificari, vt alibi deduximus, cùm de tristitia Christi ageremus.

Ad secundum, in quo arguebatur actum pœnitentię illicitum & deordinatum esse, quia dissonat à diuina voluntate, dicendum ad id, quod ratio supponit scilicet teneri nos B voluntatem nostram diuinæ voluntati conformare, id non esse vniuersaliter verum: cùm enim multiplex dicatur esse Dei voluntas, permissiua, præceptiua, & complacentię, soli præceptiuæ tenemur de necessitate nostram voluntatem conformare: in aliis, etsi à diuina voluntate discrepemus, non erit illicitum, imò sæpe accidit esse bonum. Sic enim ait Augustinus: Aliquando bonus filius vult patrem suum viuere, quem tamen Deus vult mori. Abraham etiam voluntatem habuit immolandi filium suum, cuius tamen oppositum Deus voluit. Et si videamus domum proximi comburi, scientes id fieri non posse nisi Deo volente, possumus tamen licitè, imò meritoriè occurrere, & domus combustionem, si possumus, impedire. Tenemur itaque nos diuinæ voluntati conformare, non volendo id quod Deus vult, sed volendo id quod Deus vult nos velle: ac proinde cùm Deus velit quòd de commissis doleamus, & id à nobis exigat, dolẽdo de commissis, nos suæ voluntati conformamus. Est etiam diuina voluntas regula humanæ voluntatis: non quidem qualiscunque Dei voluntas, sed voluntas qua vult nos aliqua velle aut nolle: quæ quidem Dei voluntas nobis intimatur tam in lege naturali quàm in lege diuina scripta, interdum etiam per specialem reuelationem. An autem Deus velit, aut velle possit, præteritum non fuisse, vel aliud impossibile, idque voluntate absoluta aut conditionata, alterius est negotij.

Ad II. Quatenus voluntas nostra diuinæ conformari debeat.

Genes. 22.

Ad Primvm, quo arguebatur pœnitentiam non esse virtutem, dicendum, ad primum, quòd omnis virtus est secundùm se expetibilis in eo in quo est virtus, actus etiam C virtutis est secundùm se expetibilis in eo, in quo est talis: ideo & pœnitere in eo in quo est actus virtutis, est secundùm se expetibilis ob sui bonitatem & honestatem, etiamsi inde non esset alia vtilitas euentura. Et quando arguitur, illud non est secundùm se expetibile, quod non potest sine peccato haberi, verum est si haberi non potest sine peccato concomitante, vel sine peccato committendo: secùs si haberi non potest sine peccato iam commisso: cuius exemplum est clarum de actu iustitiæ punitiuæ: qui cùm actus virtutis sit, sine peccato tamen ab eo qui punitur commisso exerceri non potest.

Respondetur ad argumẽta, quibus probabatur pœnitentiã non esse virtutem. Ad I.

Ad Secvndvm dicendum, falsum esse quòd Christus habuit omnes virtutes saltem in speciali: nam fidem de credendis, vt communiter dicitur, non habuit, cùm omnia clarè in verbo videret: iustitiam commutatiuam, aut vsum eius non habuit, qui nulla bona temporalia habuit, quæ commutare valeret: nec iustas negotiationes, siue contractus exercuit: castitatem item coniugalem, aut vidualem non habuit, qui semper virgo permansit: nec bellicam fortitudinem, qui nec arma vnquam sumpsit, nec armis, aut vi inuadentibus restitit: sed tanquam ouis, quę non aperuit os suum, ad occisionem est ductus: ideo non mirum, si pœnitentiam non habuerit, qui nil admisit, de quo sibi dolendum foret: habuit tamen virtutes omnes in genere, seu principiatiuè, cùm summum habuerit amorem honesti.

Ad II. Quatenus pœnitentia, cæteræq; omnes virtutes in Christo fuerint.

Isaia 53.

Ad Tertivm dicendum, quòd licet non sit in potestate peccatoris quòd non peccauerit post à se commissum peccatum, est tamen in eius potestate pœnitere commissi:

Ad III. Quomodo pœnitentia sit habitus electiuus.

missi:& hoc quod est pœnitere, eligibile est conformiter ad rectam rationem deliberantem, an conueniat pœnitere, & concludentem quòd sic: nec tamen ita pœnitet, vt det operam quòd non peccauerit. Hoc enim imprudentiæ esset non discretionis: sed pœnitet odiendo & detestando, quod malè perpetrauit:& quamuis hoc, quod est hominem non peccasse, non sit eligibile, quia impossibile: de commisso tamen peccato pœnitere eligibile est sicut & possibile: & medium quoddam est ad finem satisfaciendi Deo, & eum placandi, & ex consequenti veniam ab ipso Deo offenso impetrandi &c. D

Ad IIII. Quomodo pœnitentia sit virtus generalis & specialis.

AD QVARTVM, quo querebatur, an pœnitentia sit virtus generalis an specialis, dicendum, quòd potest generalis virtus dici dupliciter: vno modo, quòd non sit dabilis habitus proprius, ad dolendum de commissis inclinans: sed dantur habitus aliarum virtutum, quibus peccata contrariantur, per quos habitus homo inclinatur ad odiendum omnia peccata commissa, cuiuscunq; generis sint. Et hoc videtur falsum: quia sicut dabilis est habitus vnus generaliter inclinans ad amorem honesti in communi, ita est dabilis habitus vnus inclinans indistinctè ad odiendum inhonestum, & vitium, quodcunq; illud sit: ita similiter potest dari vnus habitus, qui similiter indistinctè inclinet ad odiendum omne vitium ab homine commissum, quodcunque illud sit:& ita dabilis est pœnitentia virtus generalis, tã ex parte obiecti, quàm ex parte inclinationis habitus. Secundo modo potest intelligi, quòd pœnitentia sit virtus generalis, & non specialis: quia de commissis dolere, commune est omnibus virtutibus: quia omnes virtutes inclinant ad dolendum E de commissis, vnaquæque scilicet de peccato commisso sibi contrario:& hoc verum est. Cum hoc tamen stat, quòd pœnitentia in se virtus propria sit à cæteris distincta, habens aliquid sibi peculiare & proprium: quia scilicet est detestatio peccati, vt expiabile est & remissibile per actum pœnitentis, vt dicit Doctor sanctus: & in hoc non communicat cum aliis virtutibus &c.

Ad V. Pœnitentia non est virtus Theologica.

AD QVINTVM, quo quęrebatur, an pœnitentia sit virtus theologalis, an moralis, dicendum, quòd theologalis non est: tum quia non habet Deum pro obiecto primario, licet habeat eum pro obiecto finali: ad hoc enim pœnitet peccator, vt Deo recõcilietur: tum etiam, quia virtutes theologales non necessariò habent passionem, seu cordis anxietatem annexam, qualem habet cordis pœnitentia: tum denique, quia virtutes theologales communes sunt peccatoribus & innocentibus, quandoquidem fuerunt in Virgine gloriosa: pœnitentia autem non nisi peccatoribus conuenit.

Pœnitẽtia quomodo sit virtus moralis.

SECVNDO videtur, quòd pœnitentia non sit virtus moralis, de his saltẽ, quas communiter philosophi tradiderunt: tum quia virtutes morales, de quibus philosophi, non præsupponunt cognitionem supernaturalem, quæ rationem naturalem excedat: sed habentur & fiunt conformiter ad prudentiam & rationem, quæ naturaliter haberi potest, vt patet discurrendo per eas: pœnitentia autem præsupponit cognitionẽ, quæ rationem naturalem excedit, ex quo fidem reuelatam præsupponit, scilicet quòd Deus per nostra peccata offensus nõ placatur, nec peccata remittit, nisi mediante actu pœnitendi, quod F per fidem potiùs quàm per naturalem rationẽ cognoscimus: vnde pœnitere, est peccata commissa detestari, ad satisfaciendum Deo offenso, & veniam consequendum. Tum denique, quia virtutes morales communiter assignatæ, communes sunt peccatoribus & innocentibus, vt constat: pœnitentia autẽ non nisi peccatoribus conuenit: non igitur est moralis virtus pœnitentia cordis, de qua loquimur, nisi moralis virtus dicatur ea, quæ ex more, & consuetudine acquiritur: nã sic moralis esset dicenda, etsi non de his, quæ communiter assignantur. Quòd si velis pœnitentiam ad aliquam virtutem ex notis reducere, id facilè poteris, si obiectum ipsius pœnitentiæ attendas simul & finem quẽ pœnitens principaliter intendit: ex parte quidem obiecti, quod homo detestatur & odit, ad illam virtutẽ pertinet, cui contrariatur ipsum peccatũ, de quo pœnitet homo. Non obstante, quòd sint habitus realiter differentes, ex parte etiã finis ad illam reducitur virtutem, quę ad illum finẽ directè inclinat: vt si homo de peccatis commissis doleat, intendens principaliter in se punire, quod malè fecit, ad iustitiã pertinet: si verò principaliter intẽdat Deo reconciliari, ad amicitiã seu Dei charitatem videtur reduci: si autẽ principaliter intendat veniam peccatorum impetrare, ad charitatem sui, seu eleemosynam, aut misericordiam reduci videtur: quã non solùm proximis, sed nobis ipsis debemus impendere, prout scriptum est: Miserere animę tuę placens Deo &c. Pro his facit quod Ambr. ait, affectus tuus (inquit) operi tuo nomẽ imponit. Hæc igitur quę facilia sunt rescindentes, ad alia transeamus.

Eccles. 30.

QVÆ-

A

QVÆSTIO SECVNDA.

VLTERIVS de neceſsitate pœnitendi ſolet ſimiliter quæri, an ſit neceſ- *An pœnitentia*
ſaria pœnitentia cordis ad remiſsionem peccatorum: & dixerunt ali- *cordis ſit neceſ-*
qui quòd non: ſed ſatis eſt, ſi peccator veterem vitã in meliorem com- *ſaria ad remiſ-*
mutet: nam Chriſtus nouam vitam videtur à peccatoribus exigere, vt *ſionem peccato-*
eis ſua condonet delicta. Vnde ad Galat. 5. & 6. ait Paulus: In Chriſto *rum.*
enim Ieſu, nec circũciſio aliquid valet, nec præputium: ſed noua crea- *Pars negatina probatur* I.
tura. Paulus etiam quando ad Chriſtum conuerſus eſt, nec pœnituiſſe legitur, nec Chri-
ſtum illi huiuſmodi pœnitentiam ab eodẽ exegiſſe videtur, etiamſi Chriſtum interroga-
uit dicens: Domine quid me vis facere? De quo Actor. 9. Præterea idem probant ex Pſal- II.
mo. 31. Dixi confitebor aduerſùm me iniuſtitiam meam, & tu remiſiſti. Vnde apparet
ſufficere peccatori propoſitum confitendi, etſi de commiſsis non doleat.

ITEM TERTIO ad ſalutem ſufficit homini, mandata Dei cuſtodire, iuxta verbum III.
Chriſti: Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata. Cùm tamen in diuinis mandatis ſcilicet *Matth.* 19.
Decalogi, de quibus Chriſtus loquebatur, nulla de pœnitentia cordis fiat mentio.

ITEM QVARTO ſufficit dilectio Dei ad habendam gratiam eius, & ex conſequenti IIII.
ad obtinendum peccatorum remiſsionem, iuxta illud Chriſti: qui diligit me, diligetur à *Ioan.* 14.
Patre meo, & ad eum veniemus &c.

B ITEM QVINTO ſufficit homini ad ſalutẽ, ſi fidem veram habeat, vt paſsim docet V.
Paulus ad Rom. & ad Galat. dicens: Per fidẽ nos eſſe iuſtificatos, ſimul & ſaluos: nec ho-
minem ſaluari per legem factorum, ſed per legem fidei. Vnde & Pſal. 24. Propter nomen
tuum Domine propitiaberis peccato meo.

ITEM SEXTO facit qđ ait Ambr. & habetur in tex. Magiſt. diſt. 14. quarti: Vera pnĩa hęc VI.
eſt, ceſſare à pctís, & in nouitate vitę ambulare, vnde & Paul. ad Rõ. 6. docet nos ita à pctís
debere cum Chriſto reſurgere: vt. ſ. in nouitate vitę ambulemus: ac ꝓinde videtur excludi
neceſsitas dolẽdi de pctís cõmiſsis. His nonnulli hęretici ſuam ſnĩam probatã eſſe putãt.

VERVM his non obſtantibus tenenda eſt oppoſita ſententia tanq̃ Catholica, quòd *Concluſio: Pœ-*
ſcilicet neceſſaria eſt peccatori, ſaltem de lege ordinata, cordis pœnitentia, vt remiſsionẽ *nitentiam eſſe*
peccatorum cõſequamur. Non enim legitur Deus ſalutem & veniam peccatoribus pro- *neceſſariã peccatori.*
miſiſſe, niſi pœnitẽtibus, & contritis. Dixit enim per Iohel. 2. Conuertimini ad me in ie- I. *Ratio.*
iunio, fletu, & planctu, & ſcindite corda veſtra. Et additur ibidem: Conuertimini ad Do-
minum Deum veſtrũ, quia benignus, & miſericors eſt, & præſtabilis ſuper malitia. Vnde
patet Dominum non fore præſtabilem ſuper malitia hominũ, niſi corde de peccatis do-
leant. Ezech. etiam 18. dicitur: Si impius egerit pœnitentiã ab omnibus peccatis ſuis, vita
viuet, & non morietur. Et poſtea: Conuertimini igitur, & agite pœnitentiam. Per Iſaiam
etiam dixit ca. 56. Ad quem reſpiciam, niſi ad pauperculum contritum corde, & tremen-
tem ſermones meos? vbi vtrumq; ſignificat eſſe neceſſarium, ſcilicet de commiſsis dole-
C re, & præcepta Dei cuſtodire: quod clariùs dixerat per Ezechielem, vbi ſuprà.

IDEM etiam patet ex nouo teſtamento: nam Ioannis prædicatio à pœnitentia cœpit: II.
dicebat enim, agite pœnitentiam. Chriſtus etiam eiuſdem pœnitentiæ neceſsitatem ſa- *Matth.* 3.
tis docuit, & prædicauit, dixit enim: Non veni vocare iuſtos, ſed peccatores ad pœniten- *Lucæ* 5.
tiam. Et alibi: Niſi pœnitentiam egeritis, omnes ſimul peribitis. Et iterum: Si peccauerit *Lucæ* 13.
in te frater tuus, dimitte illi: ſi ſepties peccauerit, & pœnituerit, dimitte illi &c. *Matth.* 18.

POSTREMO idem patet ex doctrina Apoſtolorum: ait enim Petrus Actor. 3. Pœni- III.
temini ergo, & cõuertimini, vt deleantur peccata veſtra. Et Paulus ad Rom. 2. commen-
dans patientiam Dei, peccatores impœnitentes arguit, dicens: Ignoras quia benignitas
Dei ad pœnitentiam te adducit? ſecundùm duritiam tuam, & impœnitens cor theſauri-
zas tibi iram in die Domini. Ioannes etiam Apocalyp. 2. ad Angelum Epheſinum dicens:
Memor eſto vnde excideris, & age pœnitentiam, & priora opera fac. Vbi rurſus doce-
mur, non ſatis eſſe bene operari, niſi de commiſsis doleamus. Rurſus de muliere Ieza-
bel, quo nomine nonnulli hæreticos intelligunt, dicitur ibidem: Dedi illi tempus, vt
pœnitentiam ageret, & non vult pœnitere. Et ſequitur: Ecce ego mittam eam in luctum,
& qui mœchantur cum ea, in tribulatione maxima erunt, niſi pœnitentiam ab operi-
bus ſuis egerint. Quibus omnibus, & innumeris aliis Scripturæ ſacrę teſtimoniis edoce-
mur, non poſſe peccatores veniam conſequi peccatorum, niſi pœniteant de commiſ-
ſis: nec ſatis eſſe veterem vitam in meliorem commutare: vnde & Auguſtini decretum

 apertum

De consec. dist. 4.

apertum est,& canonizatum : Omnis qui suæ voluntatis arbiter constitutus est, nouam vitam inchoare non potest,nisi pœniteat eum veteris vitæ. In re tamen tam probata superuacaneum videtur,Sanctorum testimonia afferre &c. D

Ad argumenta contraria conclusioni respondetur.

AD rationes, pro priore sententia suprà citatas respondeo. Ad primum dicendum quòd in illis locis Paulus non intendit excludere necessitatem pœnitendi de cōmissis: sed potiùs Iudæorum errorem explodere, qui adeò operibus legis fidebant, vt per ea se sufficienter salutem assequuturos esse putarent: cùm Deus veterem legem aboleuit, & noua data nouam exigit ab hominibus vitam: quam tamen nemo inchoare potest, nisi pœniteat eum veteris vitæ, vt patet ex decreto Augustini suprà citato. Quod etiam de Pauli conuersione citatum est, nil illis suffragatur: nullo enim modo verisimile est Paulum in se omisisse, quod aliis peccatoribus necessarium esse docebat, cùm sciret, & fateretur se peccatorem fuisse:docuit autē esse hominibus necessariam pœnitentiam, vt patet. Igitur, esto expresè non legatur,credendum est eum pœnituisse.

AD secundum ex Psalmo allegatum, Dixi confitebor. Dicendum quòd potiùs est cōtra arguentes:si enim peccator debet confiteri,saltem Domino, sua peccata, ipsamet confessio Domino facienda præsupponit cordis pœnitentiā: nil enim valet apud Deum confessio,nisi ex corde contrito procedat:& quòd id sit ad mētem ipsiusmet dicendum, constat ex Psalmo 50.Miserere mei Deus &c.vbi docet,quid sit sacrificium Deo acceptū, dicens:Spiritus contribulatus, cor cōtritum Deus acceptat. Constat etiam ex alio Isaiæ Psal. vbi dicit: Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ. Et ex aliis multis. Non igitur intendit Dauid excludere necessitatem pœnitendi. E

AD tertium, quartum, & quintum dicendum,nil pro illis facere: nam si per hoc excludunt necessitatem pœnitendi, quia scilicet sufficit mādata seruare,eodem modo deberent excludere necessitatem credendi : nam per eos ad vitam sufficit seruare mandata,in quibus de fide nulla fit mentio, & econtrà si sufficit fides: non igitur esset necessarium mandata seruare,nec vlla opera facere. Et iterum,si sola dilectio sufficeret, & inde vt dicunt,excludatur necessitas pœnitendi, pari forma excluderetur necessitas fidei, & mandatorum obseruantiæ. Dico igitur,quòd nō solùm necessarium est mandata seruare,quo ad ea,quæ expresè sonant: sed vltra necessaria est fides credendorum,necessaria etiam sunt aliqua Sacramenta,necessaria etiā est cordis pœnitentia,& multa alia,etiamsi de illis expressa in Decalogo mentio non fiat: nam ad illorum omnium necessitatem asserendum, sufficit per alia Scripturæ testimonia doceamur. Adde quòd virtualiter in præceptis Decalogi cōtinetur Dei dilectio,quæ si vera sit, includit propositum seruandi quicquid Deus iubet,& reddendi quicquid Deus à nobis exigit:in eo enim quo pręcipit, vt Deum colamus & timeamus,tacitè præcipitur nobis,vt eum reuereamur, eidem obediamus,& obtemperemus:& ita cùm ipse à nobis exigit hæc omnia,quæ dicta sunt,similiter & pœnitentiam de commissis, sequitur, peccatorem nō plenè diuina mandata Decalogi adimplere, nisi de commissis doleat. F

AD sextum, quod ex Ambrosio & Paulo citatum est : respondeo,quòd nec Paulus nec Ambrosius excludunt necessitatem pœnitendi de commissis:id patet,cùm ipsemet Ambrosius definiens pœnitentiam,quam ad remissionem peccatorum necessariam esse dicit,ait quòd est præterita mala plangere,& plangenda iterum non committere : vbi satis docet, non satis esse à peccatis postmodum abstinere, sed de commissis etiam esse dolendum. Quando igitur ait: vera pœnitentia est,à peccatis cessare: significat veram non esse pœnitentiam, si homo de commissis doleat, nisi à peccatis abstinere firmiter proponat:quod longè aliud est quàm dicere,quòd ad veram pœnitentiam sufficit cessare à peccatis. Quòd autem non satis sit à peccatis committendis cessare mandata custodiendo, sed etiam opus sit de commissis dolere, ex dictis apertum esse puto, ex his quæ citauimus ex Ezechiele,ex Isaia,& ex Apocalypsi, & ex aliis: in quibus apertè Deus vtrūque à peccatore videtur exigere &c.

Vtrum pœnitētia sit necessaria ex præcepto.

Partis negatiuæ fundamentum.

ESTO sit necessaria pœnitentia cordis ad veniam obtinendum, an tamen sit necessaria ex præcepto:ita, vt qui non pœnitet, non solùm non assequetur veniam commissorum:sed non pœnitendo tempore debito,de nouo peccabit. Et contenderunt aliqui partem negatiuam defendere, putantes in hoc sequi doctorem sanctum, vt dicebāt. Quorum fundamentum hoc erat, quia in Scriptura non imponitur peccatori pœnitentia per modum præcepti obligantis:sed per modum statuti salutaris, seu conditiona-

liter.

A liter. Si scilicet velit aliquis ingredi regnum Dei, aut peccatorum remissionem consequi, agat pœnitentiam, alioqui veniam non consequetur de commissis: quorum sententiæ Scriptura sancta quodammodo fauere videtur. Sic enim Hiere. 28. dixit Deus: Si pœnitentiam egerit gens ista de malo suo, agam & ego pœnitentiam super malo quod cogitaui, vt facerem ei. Et Ezechie. 18. vt suprà citaui: Si impius egerit pœnitentiam, vita viuet, & non morietur. Et postea: Conuertimini, & agite pœnitentiam, & non erit vobis in ruinam iniquitas. Et Lucæ 3. Nisi pœnitentiam egeritis, omnes peribitis. In quibus & multis aliis non videtur imposita peccatori pœnitentia absolutè: sed conditionaliter, scilicet si velit à peccatis liberari. Ex quibus colligitur necessitas pœnitentiæ ad certum finem, scilicet ad assequendum remissionem commissorum, prout dixit Petrus: Pœnitentiam agite, & baptizetur vnusquisque vestrûm in remissionem peccatorum. Et ita putant id, quod prætendunt, probare. *Actor. 2.*

SED salua pace, videtur mihi eos decipi, nec sufficienter fundare, quod putant esse probatum: quia tunc sequitur, quòd non esset de præcepto confiteri: sed posset quis sine nouo peccato confessionem omittere, ex quo etiam est à Deo instituta ad finem consequendi veniam, quemadmodum & pœnitentia cordis. Sic enim dixit Ioan. 20. Quorum remiseritis peccata, remittentur eis: quorum retinueritis, retenta erunt. Vnde colligitur conditionalis hæc: si peccator vult à Deo consequi peccatorum remissionem, eam à sacerdote consequatur. Sequitur etiam, quòd sine nouo peccato posset adultus baptismũ non accipere: quia similiter ad finem consequendi veniam est institutus. Sic enim dixit Petrus: Pœnitemini, & baptizetur vnusquisque vestrûm in remissionem peccatorum. Vbi ad eundem finem dicit esse necessarium pœnitere, & baptizari: ac proinde idem esset de vtroque iudicium. Sequitur etiam, quòd non esset nouum peccatum adultis, si fidem Euangelicam auditam admittere nolunt: cùm similiter ad finem habendi æternam salutem sit tradita: sic enim dixit Christus: Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit. Et Paulus: Oportet accedentem ad Deum credere, quia est. Imò ampliùs sequitur, quòd non esset nouum peccatum violare diuina mandata, aut saltem eorum obseruantiam omittere: quia etiam conditionaliter dictum est: Si vis ad vitam ingredi, serua mandata. Quod tamen erroneum esse non dubitatur. Nec etiam puto diuum Thomam, vt isti autumant, huiusmodi assertionem tenuisse, vt patet ex prima quæstione, quam mouet de pœnitentia, distinctione 14. in 4. vbi dicit, quòd pœnitentia cordis est de præcepto legis, &c. *Impugnatur negatiua pars.* I. B *Actor. 2.* *Marc. 16.* *Ad Hebr. 11.* *Matth. 19.*

SECVNDO, contra positionem in se arguitur, quòd pœnitentia sit sub præcepto tradita, si verba legis attendamus: nam per verbum imperandi tradita est: id patet ex Ioannis prædicatione, Pœnitentiam agite. Matthæi tertio, & Actorum secundo, De pœnitentia, & baptismo, similiter loquutus est Petrus, dicens: Pœnitentiam agite, & baptizetur vnusquisque vestrûm: & quamuis dicat, in remissionem peccatorum, non tamen excluditur per hoc quin peccatoribus iniungatur pœnitentia præceptiuè, sicut & baptismus, etiamsi vtrumque sit ad illum finem ordinatum. Apocalypsis etiam secundo, verbo imperandi vsus est Ioannes dicens: Age pœnitentiam, & prima opera fac. Et Marci primo dicitur: Pœnitemini, & credite Euangelio. Vbi vtrumque eodem tenore, & verbo præcipitur, scilicet pœnitere, & credere, cùm tamen credere, necessarium sit sub pœna noui peccati, puta infidelitatis. Itaque passim in Scriptura iniungitur peccatoribus pœnitentia sub verbo imperatiuo. Quòd si ratio hæc non concludat vniuersaliter, eò quòd verbum imperatiui modi non semper obligationem inducit, ideo aliter propter contentiosos, seu proteruos, libet arguere. II. C

TERTIO arguitur, quia peccatum nouum est, pro quo Dominus mortem comminatur æternam: hanc autem comminatur his, qui non pœnitent: quia scilicet vocati à Domino non respondent, maximè cùm vocentur ad id, quod illis est necessarium. Hoc patet Esai. 65. Omnes in cæde corruetis, pro eo quòd vocaui, & non respondistis: clamaui, & non audistis. Christus autem vocauit peccatores ad pœnitentiam, vt testatur Luc. ca. 5. dicens: Non veni vocare iustos, sed peccatores ad pœnitentiam. Illos aũt vocauit ad pœnitentiam, non modò per seipsum prædicãdo: sed etiam per ministros suos: quia per Ioan. Bapt. præconẽ suum. De quo scriptum est, quòd erat vox clamãtis in deserto. Similiter per Petrum vicarium suũ, similiter per Paulum vas suum, & per alios Prophetas, & discipulos suos, aliosq; doctores, & prędicatores verbi Dei. Pręterea idẽ videtur ex Ieremia confir- III. *Matth. 3.*

confirmari, cap. 8. vbi Deus non solùm conqueritur de peccatoribus, pro eo quòd in peccatum lapsi sunt: sed etiam pro eo quòd non pœnitent, nec conuertuntur. Ait enim: Hæc dicit Dominus, nunquid qui cadit non resurget? & qui auersus est, non reuertetur? vbi directè conqueritur, eò quòd non conuertuntur. Et sequitur, apprehenderunt mendacium, & noluerunt reuerti. Vbi rursus videtur quòd directiùs conqueritur, quòd non reuertuntur, quàm quòd apprehenderint mendacium. Et sequitur: attendi, & auscultaui, nemo quod bonum est loquitur, nullus est, qui agat pœnitentiam super peccato suo, dicens, quid feci? Ex quibus apertè videtur nostrum propositum colligi. Si dicas quòd Deus hîc magis conqueritur de perseuerantia in peccato, quàm de non pœnitendo de cõmissis: ita quòd in præsenti non reuerti, & non pœnitere, idem sit quod à peccatis non cessare. Contrà, quia si pœnitere non esset nisi à peccatis cessare, non igitur esset cuiquam necessarium de commissis dolere, quod est error contra Lutherum damnatus, & meritò, vt ex præcedente quæstione patet. Adde quòd authoritas Ieremiæ modò citata, apertè videtur oppositum sonare, dicens: Nullus est, qui agat pœnitentiam de peccato suo, dicens, quid feci? vbi pœnitentia, quam Deus exigit, præterita peccata respicit non futura: & ita pœnitentia aliud dicit in præsenti loco, quàm cessare à peccatis; nam cessatio huiusmodi futura respicit non præterita. Facit etiam pro hac sententia quod suprà ex Apocalyp. 2. citauimus de muliere Iezabel, de qua dicitur: Dedi illi tempus ad pœnitendum, de fornicatione sua, & non vult pœnitere. Et statim sequitur: Ecce ego mittam eam in luctum. Vbi significatur, causam, quare in luctum mittebatur, esse impœnitentiam ipsius de fornicatione commissa.

IIII. QVARTO, arguitur ad idem. Sit casus, quo peccator per dilectionem Dei, vel alium bonum motum acquirat gratiam, non præuia contritione peccatorum, eò quòd memoriæ eius non occurrerint, occurrunt tamen postea: ex sententia omnium est illi necessarium de peccatis dolere, sicut & ea tempore debito confiteri. Quæro iam, vel est id necessarium ad finem consequendi veniam peccatorum, & gratiam: & hoc non, quia iam supponitur eam per dilectionem Dei acquisitam: vel est id necessarium, vt præceptum compleat de pœnitendo: & si sic, habebo intentum, quòd pœnitentia cadit sub præcepto obligante. Quod inde confirmatur, quia si talis postquam ad memoriam eius peccata occurrant, noluerit pœnitere, & impœnitens decedat, damnabitur æternaliter, & non propter peccata priora, quæ fuerunt per gratiam præhabitam condonata: igitur propter peccatum non pœnitendi: & ita intentum. Potest etiam poni casus, quòd peccator per contritionem, & sacramentalem confessionem fuerit veniam assequutus, & tamen quorundam commissorum oblitus, quæ post assequutam gratiam Sacramentalem eius memoriæ occurrunt, non vult illorum pœnitere, & decedat, iam ex sententia omnium ille damnabitur: & non ob aliud, nisi quia de peccatis suis occurrentibus pœnitere non vult: igitur.

Occurritur obiectioni. AD id dicebatur, in his casibus eo ipso quòd peccator diligit Deum, habet virtualiter pœnitentiam, quæ in ipsa Dei dilectione includitur: & ita satisfacit quis pro commissis si virtualiter pœniteat, sicut & virtualiter pœnitet, Deum diligendo: itaq; si pœnitentia cadit sub præcepto, intelligatur de pœnitentia virtuali nõ de formali. Contra hoc procedit ratio: quia quæro, qualis est illa dilectio Dei, in qua dicunt virtualiter pœnitentiam contineri? Nam vel est simplex dilectio, quæ alia sit à dilectione obedientiali, & tum falsum est, quòd in tali dilectione contineatur virtualiter pœnitentia de cõmissis: quandoquidem cum tali dilectione se compatitur nolle pœnitere. Vel est dilectio quæ obedientialis dicitur, qua scilicet homo ita Deum diligit, vt proponat Deo per omnia obedire: & tunc sequitur pœnitentiam formalem sub obedientia cadere, alioqui non contineretur virtualiter in dilectione obedientiali, sicut nec in ea virtualiter contineri dicuntur opera consilij: & ita sequitur apertè, formalem pœnitentiam cadere sub præcepto in se & secundùm se, quod est intentum, &c.

V.
Matth. 22. QVINTO, præceptum est datum vnicuique de diligendo se, & proximum sicut seipsum: peccat igitur contra præceptum, qui ea quæ sibi ad salutem sunt necessaria, negligit vel omittit: cùm igitur pœnitentia sit ad salutem necessaria, vt ex dictis constat, sequitur quòd peccat de nouo, qui debito tempore de commissis non vult pœnitere. Si dicas quòd præceptum hoc, præceptum charitatis est ad se & ad proximum habendæ, sub quo cadit, ea curare, quæ ad salutem sunt necessaria, & ea vitare, quæ saluti contrariantur,

A tur,& ita in casu, quo quis pœnitentiam negligit, peccat contra præceptum de charitate ad se habendam: non tamen quia non pœnitet, ita scilicet, quòd non sit præceptum datum immediatè de pœnitendo, sed de seipsum diligendo: contrà, esto id ita esset, non potest negari, quin de nouo peccet homo, si tempore debito pœnitere de commissis negligat, cùm huiusmodi negligentia contrarietur ipsius spirituali saluti: & ad propositum nostrum satis est aduersarios compellere, vt fateantur peccatum esse nouum in casu, pœnitentiam cordis de commissis negligere, quodq; ipsa pœnitentia cadat sub præcepto, siue generali, siue particulari: modò autem ostensum est suprà, non solùm generaliter per præceptum charitati iussam esse pœnitentiam cordis: sed particulariter ipsa in se iussa est.

SEXTO & vltimò arguitur: quia impœnitentia peccatum est, vt docet Paulus ad Rom.2. vbi increpat homines duritiam cordis habẽtes, similiter & cor impœnitens: & si sit finalis impœnitentia, dicitur peccatum in Spiritum sanctum ex sententia communi. VI.

SI dicas, id intelligi de impœnitentia positiua, qua quis proponit nõ agere pœnitentiam, non autem de negatiua, qua scilicet aliquem non pœnitet: contrà, quia si licita est impœnitentia negatiua, etiam erit licita impœnitentia positiua: nam si licitum est non pœnitere, licitum etiam erit velle non pœnitere: quod enim licitũ est exteriùs agere aut non agere, etiam erit licitum id ipsum velle, vt de se notum est: ac proinde si peccatum B nouum est impœnitentia positiua, etiam erit peccatum suo tempore impœnitentia negatiua. Concluditur ergo, cordis pœnitẽtiam non solùm esse peccatoribus necessariam conditionaliter: sed etiam esse simpliciter necessariam sub pœna noui peccati.

Vtrum pœnitẽtia sit etiã necessaria iure naturæ.

SVPPOSITO igitur quòd pœnitentia cordis sit necessaria de iure diuino, quæritur, an sit similiter necessaria de iure naturæ? Et dicebant nõnulli quòd sic. Primò, quia omni iure positiuo secluso, necessarium est voluntatem, quæ se per vitium deordinauerat, per oppositam voluntatem reordinari. Nec videtur melius reordinari, quàm si displiceat ei id quod malè placuerat. *I. Ratio partis affirmatiuæ.* Secundò, quia iure naturæ tenetur is, qui iniuriam seu damnũ alteri iniustè irrogauit, eidem satisfacere: non autem videtur quomodo conuenientiùs Deo offenso ipse peccator satisfaciat, quàm dolendo de offensa commissa, & se Deo humiliter subiiciendo: quandoquidem si alius esset conuenientior satisfaciendi modus, illum, vt videtur, Deus exegisset. II. Tertiò, iure naturæ omni etiam positiuo secluso, iustum est delinquentem puniri, ex quo iustitia exigente vnicuique culpæ sua debet respondere pœna: cùm igitur huiusmodi iustitiæ punitiuæ, saltem quo ad peccata cordis, nemo alius videatur esse minister, nisi ipsemet qui peccauit, consequens est, eum teneri seipsum punire, pœnam pro commissis luendo: hæc autem non nisi præuia commissorum detestatione procuratur: igitur. III.

Conclusio negatiua. Ratio I.

Quibus tamen non obstantibus videtur oppositum tenendum, scilicet, quòd non sit necessarium de iure naturæ strictè sumpto de commissis pœnitere. Et probatur primò: C quia ius naturæ neminem obligat ad impossibile, nec ad volendum, seu optandum aliquod impossibile. Si enim quis velit impossibile per intentionem seu desiderium, cùm scitur esse impossibile, vanum videtur & superfluum stando in solo lumine naturali: si verò illud velit per electionem, temerarium est & stultum. Cùm igitur pœnitere de cõmissis sit, vel saltem præsupponit, velle hominem non peccasse, quod constat sibi postquam peccauit impossibile esse: sequitur &c.

SECVNDO, quia si iure naturæ teneremur de commissis dolere, vel hoc esset ad finem reordinandi voluntatem, quæ per vitium fuerat deordinata, vel ad finem satisfaciendi Deo per nos offenso: neutrum tamen videtur necessarium. Non primum: quia voluntas aliter potest reordinari, quàm dolendo de commissis, vt patet, si à vitiis omnino abstineat, virtutum opera exerceat, & sic se virtutibus ornet, omnibus vitiis à voluntate prorsus explosis. Nec etiam videtur secundum, scilicet quòd sit necessarium de iure naturæ dolere de commissis ad finem satisfaciendi Deo offenso: tum quia huiusmodi dolor, & peccati detestatio non est à natura sua satisfactorius Deo pro offensa contra Deum commissa, vt suppono: alioqui posset purus homo ex natura, seu ex iustitiæ rigore Deo pro peccatis satisfacere, quod est absurdum. II.

Tum etiam, quia nullum opus nostrum potest apud Deum satisfactorium esse, nisi quod ipse Deus dignatur acceptare, & à nobis loco satisfactionis pro peccatis contra eum commissis exigere. Tolle enim Dei gratiosam & misericordem acceptationem, certè

certè nullum nostrum opus esset, nec meritorium, nec satisfactorium, quantumuis alioqui iustum: ac proinde nisi Deus statuisset modum, quo debeamus eidem satisfacere, certè ius naturæ nullum talem determinare potuisset, qui satisfacere suffecisset: vnde ipse Deus modum satisfaciendi statuit, scilicet per contritionem, per confessionem, & per operis satisfactionem. Quem quidem modum nec ius naturæ statuit, nec illum attingere potuit, nisi Deus eum tradidisset.

III. Tertio idem apparet de offensa, aut iniuria proximo illata. Nam ius naturæ non obligat nos detestari offensam proximo illatam hac ratione, quia scilicet illum offendimus: sed satis erit, si illi opere satisfaciamus iuxta qualitatem, & quantitatem damni, aut iniuriæ offenso illatæ, nec ad aliud obligat nos ius naturæ: igitur etiamsi Deum offenderimus, ius naturæ non ad dolendum de huiusmodi offensa nos obligat: sed ad Deo offenso satisfaciendum: & cùm Deo per naturam satisfacere non possimus, nisi satisfactionem ipse Deus assignet, non igitur ius naturæ aliter obligabit satisfacere, nisi prout Deus à nobis exegerit, qui ipsum offendimus: siue interiorem exigat satisfactionem, siue exteriorem. Quòd si omne ius positiuum secludatur, & Deus à peccatore nil loco satisfactionis exigat: sed eum relinquat, vt lumen naturale sequatur: non video ad quid peccator iure naturali teneretur, nisi ad corrigendum vitam, & habendum animi præparationem, qua paratus sit Deo reddere, quod ipse loco satisfactionis exegerit.

Deum posse cũ homine dispensare, ne pœniteat.

Corollarie sequitur ex his, Deum posse cum peccatore dispensare, ne teneatur de peccatis dolere. Id patet, quia potest Deus dispensare in iure positiuo à se voluntariè tradito, seu à sua voluntate manente: cùm igitur ius, quo astringimur de commissis dolere, sit positiuum, ex diuina voluntate ortum habens, sequitur intentum &c. E

An dispenset tunc in iure naturæ.

Si quæras, an dispensando cum peccatore, ne teneatur de commissis pœnitere, ex consequenti dicatur dispensare in iure naturæ hominem obligante ad satisfaciendum Deo pro peccatis. Respondeo, quòd non: nam ius naturæ non obligat ad satisfaciendum Deo pro peccatis, certo, & determinato modo, nisi eo modo, quo Deus satisfactionem exegerit: si igitur Deus nullam talem exigat, sed sponte velit peccata condonare, non ideo ius naturæ reuocatur, nec in toto, nec in parte, cùm semper idem ius maneat inuariatum: scilicet si alicui offensa, vel iniuria est irrogata, satisfaciendum est ei, excepto, nisi velit ipse offensus remittere, & sponte condonare. Accipe ad id exemplum: si à Petro abstuli iniustè decem aureos, ius naturæ obligat me ad reddendum eidem illos decem, nisi ipse Petrus debitum sponte remittat. Ponatur iam quòd remittat, cessat in me obligatio præfata: non tamen ob id Petrus dicetur dispensare in iure naturæ dictante vnicuique esse reddendum, quod illi debitum est. Itaque videtur probabile, & verum, quòd non tenetur peccator puro iure naturæ strictè sumpto pœnitere de commissis, nisi præsupposita Dei ordinatione, qui loco satisfactionis sibi debitæ, hanc pœnitentiam à peccatoribus exegit, qua præsupposita, ius naturæ obligat ad pœnitentiam &c. F

Ad rationes suprà factas respondetur.

Iam ad rationes priùs in oppositum factas responsio patet ex dictis ad primam, & secundam: quòd scilicet nec necessaria est pœnitentia cordis ad reordinandam voluntatem, nec ad Deo satisfaciendum, stando in solo lumine naturali: quamuis ad vtrunque necessaria sit, stante Dei voluntaria ordinatione.

Ad tertiam etiam dicendum, quamuis iustum sit, etiam omni iure positiuo secluso, vt culpæ cuilibet sua pœna respondeat: non tamen de iure naturæ pœna debet esse contritio, aut dolor de commissis, maximè cùm omnis culpa secum habeat suam pœnam annexam, dicente Augustino: Iussisti Domine, & ita est, vt pœna sit sibi omnis inordinatus animus, sed nec ius naturæ obligat peccatorem, vt ipse in se puniat culpam: alioquisi homo clam cõmisit, vnde mortem mereretur, ipse sibi deberet mortem infligere, cùm occultorum nemo alius iustitiæ punitiuæ videatur esse minister.

QVÆSTIO TERTIA.

De quibus peccatis pœnitendum sit.

QVaeri insuper solet, de quibus peccatis sit necessariò pœnitendum, an de peccato originali, an de peccatis venialibus, an de mortalibus ante baptismum commissis, an de oblitis, & post adeptam gratiam etiam pœnitentialem memoriæ occurrentibus, an de omnibus mortalibus commissis in particulari, an etiam de peccatis futuris &c.

Respon-

A RESPONDEO ad primum, de peccato originali sine disputatione dicendum, quòd pœnitentia accipitur dupliciter. Vno modo propriè, & est dolor de peccatis cõmissis ab ipso pœnitente, & pœnitentia hoc modo sumpta non est necessaria de peccato originali: quia originale peccatum non est de commissis ab ipso homine pœnitente: non enim à nobis commissum est, sed propagatione contractum. Alio modo accipitur largè, & est displicentia de peccato præterito, siue commissum sit, siue contractum. Et sic dixerunt quidam, esse de peccato originali pœnitendum, eò quòd de omni illo, quod est impeditiuum glorię assequendæ, est displicendum: tale est originale peccatum. Aliter tamen videtur respondendum, quòd siue propriè siue largè accipiatur pœnitentia, prout dictum est, non est necessarium de originali peccato pœnitere. Quia, vel esset necessariũ ex præcepto: & hoc non, quia non dabitur tale præceptum: quandoquidem authoritates suprà citatæ, per quas ostensum est, Deum à nobis exigere pœnitentiam, omnes de peccatis à nobis cõmissis procedunt, vt patet eas intuenti. Vel esset id necessarium ex suppositione, id est, ad finem consequendi veniam illius peccati: & hoc etiam non, tum quia per baptismum, & per actum charitatis sufficienter deletur tale peccatum: tum etiã quia ad remissionẽ peccati, quod sine consensu proprio fuit contractum, seu per alium cõmissum, non requiritur proprius consensus: tale est originale peccatũ. Et in hoc ponit Innocentius differẽtiam inter originale, & actuale peccatum, vt patet cap. maiores. De baptismo B & eius effectu. Tum etiã, quia pœnitẽtia, siue propriè siue largè sumpta, pœna sensus est: pro originali autem peccato non pœna sensus, sed sola pœna damni debetur, vt est communior doctorum sententia, quam etiam approbat Innocentius, vbi suprà &c.

Quatenus de originali peccato pœnitendum videatur.

Non esse necessario pœnitendum de originali peccato.

RATIO autem pro Tho. suprà facta, non probat esse necessarium de originali pœnitere, etiam largè: quia si ob id esset de illo pœnitendũ, similiter esset pœnitendum de vita hac præsenti, qua hîc viuimus, cùm etiam hæc vita mortalis impedimentum sit gloriæ: quandoquidem non potest homo hîc viuere & Deum videre, vt tradunt Doctores post August. super illud, Non videbit me homo, & viuet. Præterea quòd hac ratione sit de originali peccato dolendum, quia est impedimentum gloriæ, apparentiam habet, & verum esset, si huiusmodi impedimentum non posset nisi mediante dolore de eodem remoueri: cùm autem posit aliter quàm per dolorem de illo habitum tolli, vt constat, consequens est, vt non sit necessarium ob illam causam de illo dolere &c.

Ad rationẽ oppositam respondetur.

Exod. 33.

NEC obstat quod dixit Dauid Psal. 50. Ecce in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea. Quod dixit, cùm pœnitentiam ageret de peccatis suis. Non enim obstat: quia non hoc dixit de hoc pœnitendo, sed suam fragilem cõditionem Deo repræsentando, vt illũ ad misericordiam faciliùs inclinaret: nam etiam ibidem dixit: Ecce enim veritatẽ dilexisti, incerta & occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi. Quod nõ pœnitendo dixit, sed Dei veracitatem, & bonitatem confitendo ad eundem finem.

AD ALIVD, quod de peccato veniali commisso quærebatur, an sit necessarium de C illo pœnitere: Dixerunt aliqui quòd sic: tum quia peccatum veniale propria voluntate commissum fuit, igitur propriæ voluntatis actu venit tollendum, & non nisi pœnitendo: tum etiam, quia peccato veniali debetur pœna sensus, igitur de illo est pœnitendum necessariò, saltem si homo vult in hac vita consequi peccatorum venialium remissionem. Pro quo facit Augustinus libro de vera & falsa pœnitentia, sermone 8. vbi ait, non posse hominem à peccato recedere, nisi per voluntatem dolentem de illo. Et quòd etiam de veniali loquatur, patet: quia ibidem ait, esse tam de maioribus quàm de minoribus peccatis pœnitendum.

An de venialibus necessariò pœnitendum.

OPPOSITVM tamen videtur tenendum: quòd scilicet nõ sit necessarium de venialibus pœnitere: quia vel id esset necessarium necessitate pręcepti, & hoc non: quia authoritates Scripturæ, ex quibus videtur præcepti necessitas colligi, non de venialibus, sed de mortalibus procedere videntur: quandoquidem comminationes, quę in Scriptura contra non pœnitentes scribuntur, locum in venialibus habere non possunt, vt suppono: vel esset id necessarium necessitate suppositionis, scilicet ad finem reordinãdi voluntatem, vel ad finem consequendi eorum remissionem, vel ad finem satisfaciendi Deo pro huiusmodi offensis &c. Non primum, quia volũtas aliter potest reordinari quàm de venialibus pœnitendo. Non secundum: quia venialia aliter possunt remitti etiam in hac vita quàm per pœnitentiam, cùm ex communi doctorum sententia multa sint remedia spiritualia & Ecclesiastica, per quæ venialia remittuntur. Non etiam tertium: quia vt suprà

Non videri necessariã pœnitentiam de venialibus.

dicebatur, nil est necessarium ad satisfaciendum Deo pro peccatis, nisi quod Deus ipse offensus loco satisfactionis exegerit: cùm igitur de venialibus non exigat à nobis pœnitentiam: sequitur &c. Adde quòd transeunte actu peccati venialis nil in peccatore relinquitur nisi reatus pœnæ temporalis: hac igitur in se, vel æquiualenti soluta, manet homo liber à peccato veniali. Attamen quia de hac quæstiuncula alibi, quando de venialibus peccatis agebam latiùs, quod videbatur, dictum est, supersedeo. D

Ad rationes contrarias respondetur.

Ad rationes tamen suprà factas dicendum ad primam, quòd quamuis venialia propria voluntate commissa sint, non ideo ad eorum remissionem est necessarius dolor de eisdem: cùm Deus huiusmodi dolorem non exigat, & alia sint ad venialium remissionem sufficientia remedia. Ad secundam, quamuis pro peccato veniali pœna sensus debeatur, non inde fit, vt huiusmodi pœna sit cordis pœnitentia: quandoquidem per aliam pœnam inflictam, seu per aliud à Deo ad eundem finem acceptum possunt remitti venialia &c. Quod etiam ait Augustinus, esse scilicet de minoribus & maioribus peccatis pœnitendum: non oportet accipere, quasi velit id esse ad salutem, seu ad eorum remissionem necessarium: sed veluti conueniens, & valde congruum. An autem sit veniale peccatum, non pœnitere venialium commissorum, saltem in fine vitæ, cùm venialia, licet gloriam non impediant, saltem retardant eam, vide vbi suprà in tractatu de venialibus peccatis.

De quibus mortalibus cōmissis pœnitentia sit necessaria.

Restat igitur, vt necessitas pœnitendi sit de mortalibus commissis &c. sed an sit huiusmodi pœnitētia necessaria de commissis ante baptismum &c. Et videbatur quibusdam putantibus se Scotum imitari, quòd non: eò quòd commissa ante baptismum sufficienter delentur per ipsum baptismum, nisi ipse baptizatus obicem gratiæ ponat: ergo omni pœnitentia seclusa, obice malę voluntatis secluso, cōsequitur baptizatus gratiam baptismalem: tum quia alioqui baptismus non conferret gratiam ex opere operato, si ad eam obtinendum esset necessarium proprium meritum baptizati: tum etiam quia omne agens potest introducere effectum suum in passum omni impedimento seu obice secluso: igitur & baptismus potest suam gratiam baptizato præstare, obice malæ voluntatis secluso &c. Pro quo etiam videtur Ambrosius facere dicens, quòd gratia baptismalis non requirit gemitum, aut planctum: sed omnia gratis condonat. Quod ait super illud ad Rom. 2. Sine pœnitentia sunt dona Dei, & vocatio &c. Sed his non obstantibus tenendum est oppositum, scilicet quòd non solùm baptizatis, sed etiam baptizandis est necessaria pœnitētia suorum commissorum, nec sine illa poterunt eorum veniā consequi. Tum quia his, qui baptizandi erant & nondum baptizati, intimauit Ioannes Baptista, quid illis necessarium foret, dicens: Pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum cœlorum. Ad eosdem etiam baptizandos, dicebat Petrus: Pœnitentiam agite, & baptizetur vnusquisq; vestrûm. Ad eosdem etiam dixit Christus: Nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis &c. Ad hunc modum possent alia testimonia adduci. Tum etiam idem patet ex decreto Augustini, de consecrat. distinct. 4. Omnis homo, qui suæ voluntatis arbiter constitutus est, nouam vitam inchoare non potest, nisi pœniteat eum veteris vitæ. Et ne per pœnitentiam intelligamus non complacentiam in peccatis, statim subnectit, à qua pœnitentia soli paruuli immunes sunt &c. Et idem Augustinus cap. octauo, de vera & falsa pœnitentia ait: Sine pœnitentia nulli profuit baptismus, qui peccauit spontaneus. E

Conclusio Authoris.

Matth. 3. *Actor. 3.* *Luc. 13.* F

Solutio contrariarum rationum.

Ad rationes verò ante oppositum factas, respondeo. Primo falluntur, qui dicunt opinionem Scoti fuisse, baptismum adultis peccatoribus prodesse, omni pœnitentia & bono motu voluntatis secluso &c. Quod enim ipse vertit in dubium, hoc est, an sit necessaria baptizando pœnitentia præuia ad gratiam sufficiens, & cùm de pœnitentia distinguat, seu de dispositione positiua voluntatis, dicit esse aliquam perfectam seu sufficientem ad gratiam, aliam verò non sufficientem, concludit non esse necessariam dispositionem sufficientem: & ita per hoc quod ait, satis esse baptizando non ponere obicem malæ voluntatis, non excludit necessitatem positiuæ dispositionis, vt patet in quarto, distinctione decimaquarta, quæstione secunda, & alibi: sed de hoc postea in parte dicetur. Ad rationem igitur, qua arguitur quòd ex parte baptizati satis est, quòd non ponat obicem malæ voluntatis, fateor: attamen eo ipso quòd adultus suorum peccatorum recordatus non pœnitet, quando baptizandus venit, ponit obicem, si non committendo, saltem omittendo prærequisitam dispositionem: alioqui etiam dabis, quòd adultus, cui

Quatenus ex parte baptizati ponatur obex malæ voluntatis.

fides

A fides Christi est sufficienter intimata, & non credit, si baptizetur, consequitur gratiam: quia non ponit obicem positiuum, vt suppono. Consequens autem est falsum: cùm sine fide impossibile sit Deo placere. Quod de acquisita fide & de adultis esse intelligẽdum, patet ex Abacuc 2. dicentis: Iustus ex fide viuet. Quod ad propositum citat Paulus in epistola ad Hebræos. Et declarat Innocentius in cap. maiores. De baptismo &c. *Ad Hebr. 11.*

Ad secvndvm, quo arguitur, quia aliâs baptismus nõ præstaret gratiam ex opere operato, &c. dicendum, consequentiam non valere: quia Sacramenta gratiæ præstare gratiam ex opere operato, non est eam præstare, omni bono opere ex parte suscipientis secluso: Cùm certum sit pœnitentiam, Sacramentum, & Eucharistiam in suscipiente prærequirere bonam voluntatis dispositionem: sed est, Sacramenta huiusmodi in prȩstando gratiam non inniti merito suscipientis, sed Christi, & Ecclesiæ &c. Ita scilicet quòd vltra gratiam, quam baptizatus ex proprio merito consequitur, acquirit aliam ratione Sacramenti suscepti: nec ad præsens vim facio, an huiusmodi gratiæ specie differant necne: Aut si Sacramenta præstent gratiam, eam præhabenti, &c. De quibus alibi, &c. *Quid sit Sacramenta conferre gratiam ex opere operato.*

Ad tertivm, in quo arguitur de agente naturali, quod sufficit suum effectum in passum introducere, modò impedimentum non reperiat, &c. respondeo, multa esse agentia, quȩ effectum suum principalem introducere in passum non possunt, nisi passum B sit positiuè dispositum. Ignis enim formam substantialem inducere non potest, nisi passum sit priùs sufficiẽter calefactum: nec natura animam in corpus inducit, nisi priùs sufficienter sit qualificatum, & organizatum, &c. Ita igitur Sacramentum baptismi in adultis gratiam non operatur, nisi priùs sint sufficienter dispositi. *Agens naturale, quatenus sufficiens effectum introducere in passum.*

Ad id vero quod ex Ambrosio citatum est, respondetur, quòd loquitur de gemitu, & planctu exteriore, vt exponit Magister: in quo notatur differentia inter baptismum, & pœnitentiam Sacramentalem, nam hæc vltra interiorem gemitum requirit exteriorem satisfactionem, nisi interior contritio tanta sit, quæ peccata omnino extinguat, &c. Baptismus autem cum quantulacunq; pœnitentia cordis susceptus, vlteriorem satisfactionem non exigit: & hoc significauit Ambrosius dicens, quòd baptismalis gratia omnia gratis condonat, &c. *Explicatur sententia D. Ambrosij.*

Ad alivd quod quærebatur, an sit necessariò pœnitendum de commissis in particulari, an sufficiat in genere pœnitere, &c. Quam quæstionem nonnulli, è quibus Caietanus, sub nomine contritionis mouentes, dixerunt non esse necessariam contritionem omnium mortalium commissorum in particulari: sed sufficere vnicam contritionem generalem: & hoc asserunt, tam post Sacramentalem confessionem institutam, quàm etiam antè. Et loquuntur de contritione accepta pro detestatione peccatorum sufficiente ad gratiam. Hæc enim est, quæ peccata comminuit, cùm omnia mortalia tollat, ideo & propriè contritio dicitur. Si tamen loquamur de detestatione C peccatorum, quæ ad gratiam est insufficiens, quæ nec contritio propriè dicitur: sed attritio, seu pœnitentia saltem imperfecta: hanc dicunt esse necessariam de omnibus commissis mortalibus, saltem post institutam confessionem, licet non antè. Quòd enim ante confessionem institutam vnica peccatorum pœnitentia in genere suffecerit, ideo dicunt, quia si necessaria est pœnitentia particularis de singulis, est ratione confessionis, quæ de singulis fieri debet, saltem in specie. Quæ confessio cùm ante legem Euangelicam in particulari necessaria non fuerit, sequitur, &c. Quòd etiam non sit, nec ante legem Euangelicam nec post, necessaria contritio propriè sumpta de singulis, probant: quia vnica detestatio propter Deum summè dilectum sufficit ad gratiam: & ex consequenti ad remissionem omnium mortalium: cùm ad id sufficiat vnica Dei dilectio, iuxta illud Christi de Magdalena; Remissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Non dixit, quoniam pœnituit de multis. Secundò idem probant ex eo, quod per Ezechielem dictum est: Quacunque hora ingemuerit peccator, non recordabor suorum peccatorum, &c. Vnde patet momentaneam pœnitentiam sufficere ad generalem peccatorum remissionem, & per consequens non est necessaria pœnitentia particularis de singulis. *An necessariò dolendum de cõmissis in particulari.* *Lucæ 7.* *Ezech. 18.*

Nos avtem sub nomine pœnitentiæ ad propositam quæstionem respondentes, dicimus necessariam esse peccatori pœnitentiam in particulari de commissis memoriæ occurrentibus. *Conclusio Authoris.*

Ratio I. PRIMO, quia pœnitentia exterior, quę confeßio dicitur, debet eſſe de ſingulis mortalibus in ſpecie: nec ſatis eſt in genere confiteri, vt patebit, quando de confeßione agetur &c. Ergo etiam pœnitentia cordis de ſingulis habenda eſt, nec ſufficit in genere dolere: & conſequentia patet, quia confeßio oris pœnitentiā cordis præſupponit tanquam cauſam, ex qua procedit, ſi vera ſit & non ficta confeßio. Eſt enim confeßio ſignum interioris pœnitētiæ: ſignum autem ſi verum eſt, opus eſt ſuo ſignato correſpondeat, alioqui non vera, ſed falſa erit huiuſmodi pœnitentia. D

II. *Iſaiæ 38.* SECVNDO, idem videtur ex eo, quod ſcriptum eſt: Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ &c. Vnde docemur eſſe neceſſarium peccatori ſuam conſcientiam & vitam exactè diſcutere, ac recogitare. Iam quæro ad quid requiritur in nobis hæc exacta conſcientiæ & vitæ diſcußio ſeu examinatio? An vt in ipſa recogitatione ſiſtamus? An potiùs vt cùm peccata recogitauerimus de illis doleamus? & ſi ſic, ſequitur neceſſarium eſſe peccatori de ſingulis peccatis ad memoriam reuocatis dolere: nec valet dicere, non eſſe ſiſtendum in præfata recogitatione, ſed ad dolorem tranſeundum: ſufficit tamen generaliter de illis omnibus occurrentibus dolere &c. Non valet, inquam: quia ad dolendum de omnibus commißis in generali non eſt neceſſaria illa tam exacta conſcientiæ examinatio: poſſumus enim hunc actum pœnitentiæ in genere habere, ſcilicet pœnitet me vtcunque Deum offendiſſe, etiamſi ſingula peccata ad memoriam non reuocemus. Cùm igitur ſit neceſſarium, ſingula peccata ad memoriam reuocare, & non vt illic ſiſtamus, ſed vt de illis doleamus: ſequitur eſſe neceſſarium de ſingulis pœnitere &c. Nec valet dicere, ſingula eſſe recogitanda, vt ſingula confiteamur. Nam Propheta non de confeßione particulari loquutus eſt loco allegato, ſed de cordis pœnitentia, quando dixit: Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ &c. E

III. TERTIO, ad idem facit quod ex Ezechiele citatum eſt ſuprà. Dixit enim: Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis, & cuſtodierit omnia mandata mea, vita viuet, & non morietur. In quo videtur pariter de duplici vniuerſalitate loquutus, ſcilicet de pœnitentia agenda ab omnibus peccatis, & de omnibus mandatis cuſtodiendis: ſed non ſatis eſt homini omnia mandata Dei in generali propoſito cuſtodire, niſi particulariter cùm materia occurrerit, cuſtodiantur: ergo nec ſufficit in genere de omnibus commißis dolere, niſi cùm menti occurrerint de illis particulariter doleatur.

IIII. QVARTO, ad idem facit Auguſtinus de vera & falſa pœnitentia, quam citat Magiſter in quarto, diſt. 16. dicens: Peccatorem debere conſiderare peccata omnia quæ fecit, & inſuper tempus, & locum, & cæteras circumſtantias, per quas peccatum vel aggrauatur, vel ſaltem nouam ſpeciem peccati inducunt: & addit quòd debet de his omnibus, & ſingulis dolere, vt verè pœnitere dicatur. F

Contritionē eſſe neceſſariam de ſingulis mortalibus memoriæ occurrentibus. I. *Ratio.* IAM SEQVITVR corollariè, neceſſariam eſſe contritionem de ſingulis mortalibus memoriæ occurrentibus, accipiendo contritionem pro deteſtatione peccati propter Deum: id patet, quia neceſſaria eſt pœnitentia cordis de ſingulis, vt ex dictis patet. Illa autem pœnitentia cordis, quam Deus à nobis exigit, eſt deteſtari peccatum propter Deum: nam ſi propter Deum non fiat huiuſmodi pœnitentia, non liberabitur homo à morte, vt ſuppono: & patebit etiam poſtea, quando tractabitur de qualitate pœnitentiæ. Et patet etiam: quia ſecundùm communem ſententiam in definitione pœnitentiæ includitur amor Dei &c. Ergo ita de ſingulis occurrentibus eſt pœnitendum, quòd propter Deum id fiat, & hæc eſt pro nunc dicenda contritio.

II. SECVNDO etiā patet, quia ex Scriptura, & communi ſententia omnium neceſſaria eſt homini contritio ſuorum peccatorum: hæc autem de omnibus peccatis eſſe debet: vel formaliter, ſi occurrunt: vel virtualiter, ſi à memoria exciderunt. Quòd ſi in contritione generali virtualiter contineatur contritio de ſingulis in particulari, conſequens eſt, virtute huius generalis contritionis ſubſequi formalem contritionem: particularem, ſi particulariter occurrant. Hoc enim eſt per aliquem actum virtualiter pœnitere, aut confiteri velle, aut aliud quid facere proponere: quod eſt ſtante prædicto actu: inde naturaliter conſequi pœnitere, confiteri, & aliud quid facere, quando oportuerit: & ita intentum.

Corol-

A Corollariè ſequitur, non ſolùm propter confeſsionem particulariter agendam, eſſe neceſſariam particularem cordis pœnitentiam: ſed etiam ſecluſa confitendi neceſsitate, idq; tam in lege Euangelica, quàm ante eam: patet id ex authoritatibus ſuprà citatis ex veteri Teſtamento. Quod etiam rationi conſonat: quia non ſolùm poſt cõfeſsionem inſtitutam, ſed etiam antea ſingulis mortalibus ſua particularis pœna æterna ſenſus debebatur: igitur de ſingulis erat tunc ſicut & nunc particulariter pœnitendum, idq; propter Deum dilectum, vt dixit per Iohelem 2. Conuertimini ad me in ieiunio, fletu, & planctu: parum enim proderat flere, & plangere, niſi ad Deum ſe conuerterent. Ac proinde ſi talis fletus, & animi dolor propter Deum ſumptus dicitur contritio, ſequitur cõtritionem de ſingulis eſſe & fuiſſe neceſſariam, etiam ante confeſsionis inſtitutionem.

Contritionẽ de ſingulis etiã ſecluſa confitendi neceſsitate, eſſe neceſſariam.

Ratio avtem ſuperiùs facta pro his, qui dicunt oppoſitum, non valet. Fundant enim ſe in hoc, quòd ſufficientia vnius excludit neceſsitatem alterius: & ita, cùm conteri in genere propter Deum ſummè dilectum ſufficiat ad gratiam, & remiſsionem peccatorum, inde excludi colligunt neceſsitatem conterendi in particulari. Si enim ratio hæc valeret, ſequitur, quòd non eſſet neceſſarium in genere, nec in ſpecie de commiſsis dolere: quia ſola Dei dilectio ſufficit ad remiſsionem, & gratiam. Sequitur, quòd baptiſmus aquæ non eſſet neceſſarius: quia ſolus baptiſmus flaminis ſufficit ad tollendum originale, & reliqua mortalia. Sequitur, quòd non eſſet neceſſarium confiteri vocaliter ſacerdotibus, cùm ad gratiam ſufficiat præuia contritio: quæ omnia abſurda ſunt. Itaque B quamuis ſola Dei dilectio ſufficiat ad gratiam, eſt tamen ſuo tempore neceſſaria pœnitentia propter præceptum. Sicut quamuis contritio, ſeu baptiſmus flaminis ſufficiat ad gratiam, eſt tamen ſuo tempore neceſſarius baptiſmus aquæ, ſimiliter & confeſsio propter præceptum. Et ita quamuis pœnitentia in particulari de ſingulis, non ſit neceſſaria ad acquirendam gratiam, eſt tamen neceſſaria ad eam conſeruandam, occurrente tempore præcepti. Et ita de aliis poteſt ſimiliter dici.

Soluuntur rationes oppoſitæ.

Nec obstat, quod de Magdalena allegatum eſt. Nam ex hoc, quòd ad multam dilectionem multa illi fuerint peccata dimiſſa, non ſequitur, non eſſe neceſſariam pœnitentiam in particulari. Nam ex eodem ſimiliter ſequeretur, non eſſe neceſſariam formalem pœnitentiam in generali. Sed in loco illo id nobis ſignificatur, quantum ſcilicet apud Deum valeat dilectio Dei feruida: cùm per eam multorum peccatorum mulier illa fuerit veniam conſequuta. Nec etiam obſtat, quod ex Ezechiele citabatur: Quacunque hora ingemuerit. Quia ex hoc id ſequitur, quod nuper diximus, ſcilicet ad gratiam & remiſsionem peccatorum ſufficere momentaneam, & generalem pœnitentiam: cum quo ſtat, manere præceptum de particulariter pœnitendo ſuo tempore.

Ezech. 18.

Noto tamen, quòd tripliciter poteſt intelligi, eſſe neceſſarium de ſingulis commiſsis in particulari dolere. Vno modo, ita vt vnicuique peccato in numero reſpondeat ſua propria pœnitentia actualis: vt ſcilicet tot actus pœnitentię habeantur, quot numero C fuerunt peccata commiſſa: & in hoc ſenſu non intelligo quæſtionẽ ſuprà poſitam. Alio modo, quòd ſit pœnitendum de ſingulis ſecundùm ſpeciem: ita vt omnibus peccatis commiſsis vnius ſpeciei vnica reſpondeat pœnitentia actualis: vt ſi decies per fornicationem peccaui, ſatis ſit mihi habere vnum actum, quo doleam me decies in illa ſpecie peccaſſe: & ad hunc modum de aliis. Et nec etiam dico, concluſionem in hoc ſenſu eſſe tenendam. Non enim intendo dicere, eſſe neceſſarium numerum actuum pœnitendi iuxta numerum peccatorum ſecundùm indiuiduum, aut ſpeciem eorum: ſed poteſt tertio modo intelligi, quòd de ſingulis in particulari dolendum eſt ſic, vt cùm omnia ſint ad memoriam reuocata, de illis omnibus ſignatis & occurrentibus doleatur, ſiue vnico actu, ſiue diuerſis actibus pœnitendi id fiat. Suppono enim, quòd ſicut intellectus in multa obiecta ſimul accumulata poteſt vnico actu & diuerſis actibus tendere: ita & voluntas in multa peccata ſimul præſentata poteſt vnico vel pluribus affectibus tendere. Quocunque igitur ex his modis voluntas particulariter doleat de omnibus commiſsis, ſatisfacit homo præcepto de pœnitendo, etiamſi nullus ex his modis per ſe neceſſarius ſit. Et in hoc ſenſu videtur mihi, quòd ſicut neceſſarium eſt particulariter de ſingulis pœnitere, ita neceſſarium eſt particulariter de ſingulis conteri: accipiendo, vt dixi, contritionem pro deteſtatione, ſeu dolore de peccatis propter Deum. Ita ſcilicet, vt peccator non ſatisfaciat præcepto cõtritionis, ſi doleat propter Deum, ſe eum vtcunque offendiſſe, quod eſt in genere conteri: ſed oportet quòd propter Deum doleat, ſe in

Contritionẽ de ſingulis eſſe neceſſariam, triplicem ſenſum habere poteſt.

his, & illis, & illis occurrentibus eum offendiſſe, & ſiue vnico actu, ſiue diuerſis id fiat, hoc eſt, de ſingulis in particulari conteri. D

An pœnitentia ſit neceſſaria de peccatis obliuioni traditis.

EX dictis ſequitur, quid ad aliud, quod de peccatis oblitis quærebatur, ſit dicendum. Nam ex quo de omnibus commiſsis in particulari dolendum eſt, ſequitur, ſi peccata priùs oblita poſtmodum memoriæ occurrant, de illis eſſe neceſſariò dolendum. Sicut & ſi peccata ante confeſsionem oblita, poſtea memoriæ occurrant, neceſſe eſt ea confiteri: non obſtante, quòd priùs per contritionem, aut confeſsionem in genere fuerint remiſſa. Eſt enim neceſſarium de peccatis pœnitere, non ſolùm ad finem conſequendi eorum remiſsionem, ſed etiam neceſsitate præcepti, vt ex dictis patet. Vnde iterum argumentum ſumitur contra eos, qui dicunt, non eſſe peccatori neceſſariam pœnitentiam cordis in particulari, ſed ſufficere, ſi in genere habeatur.

An de iiſdẽ in genere dolẽdũ, vltra particularem pœnitẽtiam de occurrentibus.

Esset tamen dubium, an exiſtente obliuione quorundam peccatorum, ſit neceſſarium de illis in genere conteri, ſeu pœnitere vltra pœnitentiam, quæ in particulari de his, quæ memoriæ occurrunt, habetur: an ſatisfaciat peccator de his omnibus ſolùm pœnitendo in particulari, quæ memoriæ occurrunt. Reſpondeo, Diſtinguendum videtur: quia vel illa peccata ita oblita ſunt, vt nec in ſpecie, nec in genere recordetur homo ſe vlla alia præter ea, quæ memoriæ occurrunt, commiſiſſe, nec illi in dubium venit, ſed certò putat ſe nulla alia perpetraſſe peccata: & tunc non erit illi alia pœnitentia neceſſaria de oblitis præter eam, quam de occurrentibus habet, modò illa ſua conſcientia inuincibilis ſit. Ratio clara eſt: Quia ſi nullam prorſus quis haberet conſcientiam certam, aut dubiam de peccato à ſe commiſſo, nulla eſſet illi pœnitentia neceſſaria: igitur ita in præſenti. Si autem ita oblita ſunt aliqua peccata, quòd quamuis memoriæ non occurrant, putat tamen homo, vel ſaltem in dubium vertit, aut vertere debet, ſe alia præter ea, quæ occurrunt, commiſiſſe: & tunc neceſſaria eſt illi pœnitentia in genere de huiuſmodi oblitis. Attamen, quia vt in plurimum in hac re poſſunt homines decipi, tutius omnino eſt, vt cùm peccator particulariter de occurrentibus dolet, ſimul de aliis in genere doleat, ſi fortè alia commiſerit, iuxta dictum Pauli: Nil mihi conſcius ſum, ſed non in hoc iuſtificatus ſum. 1. ad Corinth. 4. Et Iob 9. Etiamſi ſimplex fuero, hoc ipſum ignorabit anima mea. In quo locum habet dictum beati Gregorij: Bonarum mentium eſt, illic culpam agnoſcere, vbi culpa non eſt. Itaque propter periculum, neceſſarium eſſe puto, hominem in genere pœnitere omnium, quæ commiſit: maximè cùm non poſsit viator à peccatis, ſaltem venialibus, eſſe immunis, de quibus omnibus homo in particulari neſcire poteſt, ſint venialia, an mortalia. In quo caſu non dubium eſt, homini neceſſarium eſſe de venialibus pœnitere, ſicut & de mortalibus: quando ſcilicet dubius eſt, fuerint mortalia an venialia. E

An pœnitentia neceſſaria de peccatis futuris.

Pſal. 18.

AD aliud, quod in quæſtione poſtremò propoſitum fuit de peccatis futuris, an ſit de illis pœnitendum, dicendum, non opus eſſe id in quæſtionem vertere, quandoquidem pœnitentia propriè ſumpta, non niſi præterita, & ab ipſo pœnitente, non ab aliis commiſſa reſpicit. Nec obſtat, quod ait Dauid: Ab alienis parce ſeruo tuo. Non enim pœnitet alienorum peccatorum, niſi quatenus ipſe aliis cauſam peccãdi dedit: nam tunc non ſolùm pro propriis, ſed etiam pro alienis venit homo, qui cauſam dedit, quodammodo puniendus, iuxta illud Hieronymi: Pœna Arrij nondum eſt determinata: quia adhuc eſt poſsibile aliquos per eius hæreſim corruere, quibus corruentibus, ſemper eius pœna augetur. F

An ſit neceſſarium formale propoſitum abſtinendi à peccatis futuris. Partis affirmatiuæ I ratio.

Posset tamen in quæſtionem verti, an ſicut neceſſarium eſt de commiſsis præteritis pœnitere, ſit etiam neceſſarium formale propoſitum à futuris peccatis abſtinendi. Et pro affirmatiua parte arguitur, ex definitione ipſius pœnitentiæ ſuperiùs approbatæ: ſcilicet, Pœnitentia eſt dolor voluntarius de peccato propter Dei offenſam cum emendationis propoſito in futurum. Cui conſonat Magiſter in 4. diſtinctione 14. dicens: Pœnitentia eſt virtus, qua commiſſa mala, cum emendationis propoſito plangimus, & odimus, & plangenda iterum committere nolumus. Idque ait conformiter ad Gregorium, & Ambroſium, qui cùm pœnitentiam definiunt, dicunt eam eſſe præterita mala plangere, & plangenda iterum non committere. Quæ ſecunda pars, cùm non poſsit ſecundùm actum intelligi, reſtat vt ſecundùm mentis propoſitum intelligatur.

SECVN-

A SECVNDO idem patet: quia qui verè pœnitet, opus est doleat de peccatis, quatenus fuerunt offensa Dei: hoc autem fieri non potest, nisi omnem Dei offensam odio habeat: non enim stat aliquem odire peccatum, prout est Dei offensa, & quòd aliquam offensam velit in Deum committere: sicut non stat me amare Petrum prout homo est, quin omnem hominem amem &c. igitur vera pœnitentia non solùm dicit odium commissorum, sed etiam futurorum. II.

TERTIO, quia vera pœnitentia debet esse talis, quæ possit remissionem peccatorum impetrare, sed hoc solùm fit, cùm quis vult omnino peccatum dimittere & Deum vltrà non offendere: id patet ex Augustino 11. de vera & falsa pœnitentia cap. 17. dicente: Credo illi qui dixit, Quacunque hora ingemuerit peccator, & conuersus fuerit, vita viuet. Dixit conuersum, non tantùm versum vita viuere. Versum quidem puto, qui dolet de crimine: Conuersum, qui dolet de omni, quam exposuimus varietate. Vertitur à peccato, qui iam vult dimittere peccatum: Conuertitur, qui iam totus & omnino vertitur: qui iam non pœnas tantùm timet, sed ad bonum Deum tendere festinat, &c. Et ita patet ex Augustini sententia, hominem non conuerti, nisi velit omnino peccatum dimittere, in nullo volens Deum offendere &c. III.

QVARTO id ipsum apparet ex Isaia, per quem ait Dominus: Ad quem aspiciam, nisi ad contritum corde, & trementem sermones meos: Non potest autem quis verè contritus, & humilis esse, & tremens sermones Dei, nisi qui vult in nullo diuina mandata præterire. Quod apertiùs Dominus per Ezechielem dixit: Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, & custodierit omnia pręcepta mea, vita viuet, & non morietur. In quo Deus promittit gratiam pœnitenti, & præcepta omnia Dei custodienti. Quæ secunda pars non secundùm actum venit intelligēda, alioqui Deus differret dare gratiam pœnitenti, quousque actu omnia diuina mandata in tota vita custodierit: quod est absurdum. Superest ergo quòd intelligatur secundùm mentis propositum, & ita vtrunque videtur æquè necessarium ad verè pœnitendum, scilicet de commissis dolere, & à futuris abstinere proponere &c. IIII. *Isai. 66.* B *Ezech. 18.*

VERVM his non obstantibus, videtur oppositum tenendum, scilicet quòd non est necessarium formale propositum à peccatis futuris abstinendi: satis est verè pœnitenti, si id virtualiter proponat, quemadmodum tale propositum in actu pœnitendi virtualiter continetur: tum quia qui verè pœnitet, dolet de offensa commissa prout offensa Dei est, in quo virtualiter odit omnem offensam non solùm præteritam: sed futuram. Tum etiam, si quis verè pœnitet, se verè ad Deum conuertit per amorem ipsius, non qualemcunque, sed obedientialem: hunc enim sæpe à nobis exigit Deus, in amore autem Dei verè obedientiali includitur virtualiter voluntas abstinendi à peccatis futuris à Deo prohibitis: alioqui staret aliquem verè Deum diligere dilectione obedientiali, simul & velle in futurum contra Deum peccare: quod est absurdum: & ita satisfacit quis pręcepto pœnitendi, si verè de commissis doleat propter Deum summè dilectum, in quo implicitè vult Dei mandatis postmodum parere, & ex consequenti à peccatis abstinere: & talem pœnitentiam non dubito ad gratiam sufficere, etiamsi formale propositum abstinendi à futuris actu non habeatur: quandoquidem illa Dei dilectio est immediata dispositio ad gratiam &c. *Conclusio authoris.* C

QVOD AVTEM suprà inductum est ex definitione pœnitentiæ, & dictis Augustini, & aliorum Sanctorum, ita accipiendum est, vt sentiant veram pœnitentiam non esse, si quis de commissis doleat, & nolit à committendis abstinere: talis enim non omnino vult à peccatis recedere. Sic procedit quod ait Gregorius & habetur de pœnitentia, dist. 3. cap. pœnitentia &c. cum aliis dicens: Qui sic alia deplorat, vt alia tamen committat, hoc est committere proponat, adhuc pœnitentiam agere, aut ignorat, aut dissimulat. Quid enim prodest, si peccata luxuriæ quis defleat, & adhuc auaritię æstibus anhelat? &c. Sic enim accipitur, quod ait Augustinus, & habetur ibidem capitul. Inanis &c. Inanis est pœnitentia, quam sequens culpa coinquinat. Et iterum: Nil prosunt lamenta, si replicentur peccata, scilicet in voto. Itaque potiùs intendunt tradere simulatam, & inanem esse pœnitentiam de commissis, si adsit voluntas postea peccandi, quàm dicere, necessarium esse formale propositum postmodum à peccatis abstinendi &c. Sufficit itaq; propositum à futuris abstinendi, saltem implicitè, vt dictum est: & per hoc patet ad rationes responsio. *Solutio rationū contrariarum.*

QVÆSTIO QVARTA.

An pœnitentia debeat eſſe in Deum relata.

DE QVALITATE pœnitentiæ, qualis ſcilicet debeat eſſe, vt ad ſalutem valeat, ſolet ſimiliter quæri: & primò occurrit dubitatio, an pœnitentia, vt ad gratiam valeat, debeat eſſe in Deum relata ſeu ex amore Dei procedere. Et dixerunt aliqui, quòd ipſa ſola ſine ſacramento ſumpta, vt ad ſalutem valeat, oportet ſit in Deum relata: ſi tamen cum ſacramento pœnitentiæ ſumatur, non opus eſt in Deum eſſe relatam: ſatis eſt ob alium finem ſaltem moraliter bonum fiat.

Concluſio authoris.

Probatio I. ECONTRA tamen videtur tenendum, ſcilicet quòd neque cum ſacramento, neq; ſine illo poteſt de lege ordinata ad ſalutem animæ valere, niſi in Deum ſummè dilectum ſit relata. Pro qua concluſione facit, quod ſuprà ex Iohele 2. citatum fuit: Conuertimini ad me in ieiunio, fletu, & planctu, &c. & conuertar ad vos. Facit etiam quod ait Petrus in Actibus Apoſtolicis: Pœnitemini, & conuertimini, vt deleantur peccata veſtra. Super quo ait Auguſtinus, vt ſuprà adduximus: Ille dicitur ad Deum conuerti, qui non ſolùm à peccato auertitur, ſed qui iam totus, & omnino vertitur: qui iam non pœnas timet tantùm, ſed ad bonum Deum tendere feſtinat.

II. FACIT ETIAM idem Auguſtinus in libro quarto Confeſsionum, dicens neminem poſſe ſine amore Dei veniam conſequi, ſine quo nemo vnquam inuenit gratiam. Vnde patet, ſine amore Dei non ſufficere homini pœnitentiam. Et idem Auguſtinus, & habetur de pœnitentia, diſtinct. 7. capit. Nullus ait: Quem pœnitet, oportet non ſolùm timere iudicem, ſed diligere: quia ſine charitate non poteſt eſſe ſalus. E

III. FACIT PRO eodem Gregorius tractans illud de Adam, quomodo ſe abſcondit, Geneſ. 3. ait enim: Cùm ex peccato pœna metuitur, & amiſſa Dei facies non amatur, timor ex tumore eſt, non ex humilitate &c.

IIII. FACIT ETIAM pro eodem, quod Chriſtus dixit: Si quis diligit me, diligetur à patre meo, & ad eum veniemus &c. Vbi ſolis diligentibus Deum, gratia ipſius promittitur. Facit etiam Ioannes in Canonica dicens: Qui non diligit, manet in morte. Et Gregorius & habetur in Homilia, de qua in lectura Apoſtolorum: Non poteſt ramus aliquid viriditatis habere, niſi procedat ex radice charitatis. Itaque pœnitentia ex amore proprio, aut rerum temporalium procedens, non eſt quæ Deum placat, niſi Dei dilectioni coniuncta ſit, & in Deum relata. Pro quo etiam Paulus apertè facit, qui ſcribens ad Corinth. ait: Nullum humanum opus, nec interius, nec exterius, aliquid ad ſalutem prodeſſe ſine charitate. Loquitur de charitate acquiſita tacitè ſeu implicitè. De eo autem quod tangebatur, pœnitentiam etiam in Deum non relatam, ſi cum ſacramento aſſumatur, ſufficere ad remiſsionem peccatorum, patebit poſtea, quando de confeſsione, ſeu de effectu confeſsionis ſacramentalis agetur.

Ioan. 14. *1. Ioan. 3.* *1. Corinth. 13.*

An pœnitentia ex ſolo timore facta ſit bona ſaltem moraliter.

COROLLARIE ſequitur, pœnitentiam, quæ ex ſolo timore fit, non eſſe eam, quæ Deum placat, & quæ ad peccatorum remiſsionem valet. Sed dubium eſſet, an pœnitentia huiuſmodi ex timore facta, ſit bona ſaltẽ moraliter. Et dixerunt nonnulli, quòd talis pœnitentia non ſolùm non eſt bona, ſed vitioſa, & culpabilis. Pro qua ſententia facit, quod ex Gregorio nuper citaui dicẽs: cùm ex peccato pœna metuitur, & amiſſa Dei facies non amatur, timor ex tumore eſt, non ex humilitate. F

Partis negatiuæ ratio I.

II. FACIT SECVNDO quod ait Auguſtinus dicens: Qui ex timore præceptum facit, aliter quàm debet facit, & ita non facit, aut perperam facit.

III. TERTIO facit ratio: quia timor pœnæ malus eſt, cùm procedat ex amore ſui, qui amor peccatum eſt, vt à Paulo vituperantur homines ſeipſos amantes. 2. ad Timoth. 3.

IIII. QVARTO, qui gehennam timet, & inde pœnitet, videtur diuinam iuſtitiam quodammodo odire, qualis in gehenna exercetur. Nam timor pœnæ, odium ſeu nolitionem eiuſdem præſupponit: Dei autem iuſtitiam odire, peccatum eſt: igitur &c.

Concluſio: Qualis eſt timor, talis pœnitẽtia ex eo procedens.

QVIBVS non obſtantibus aliter videtur reſpondendum, quòd pœnitentia ex timore facta, talis eſt, qualis eſt timor, ex quo procedit: ſi igitur timor ſit filialis, aut caſtus, ſiue initialis, cùm talis Dei amorem includat, conſtat illum eſſe bonum, de quorum altero dictum eſt per Pſalmiſtam: Timor Domini ſanctus permanet in ſæculum ſæculi. De altero verò: Initium ſapientiæ timor Domini. Si verò ſit timor mundanus, cùm hic animum rebus terrenis adhærentem, Deo poſtpoſito, importet, conſtat eum malum

Pſal. 13. *Pſal. 110.*

eſſe,

A esse, qualem habent, qui paupertatem, aut dedecus, aut mortem, seu infamiam timentes, furantur, periurant, aut aliud quid illicitum perpetrant. Si verò sit timor mercenarius, quo quis timet se gloria cariturum: aut seruilis, quo quis timet gehennam: dicendum quòd talis timor potest simpliciter, & secundùm se considerari, seclusa omni alia iniqua voluntate. Potest etiam mixtè accipi, prout includit, seu annexam habet iniquam mentis præparationem. Si primum: timor perdendi mercedem æternam, aut in gehennam eundi, non est malus, & potest taliter circumstantiari, quòd sit bonus: nam talis procedit ex amore sui: quo quis sibi vitam æternam optat, qui quidem amor bonus est, imò & ex præcepto charitatis debitus, quo vnusquisque seipsum, & proximum sicut se tenetur diligere. Si verò sit timor mercenarius, seu seruilis mixtus, qui scilicet legis, seu Dei contemptum includat, ille est malus: vt si quis definit fornicari, seu furari, quia timet gehennam, alioqui fornicaturus, seu furaturus, talis timor mixtus malus, & culpabilis est, si non ratione sui, saltem ratione iniquæ præparationis mentis: qua sic timens, est alioqui paratus nefaria committere. Hac tamen iniqua mentis præparatione seclusa, timor gehennæ, aut mortis, aut alterius mali, non est de se malus: sicut nec mala est tristitia, quæ de malo præsenti habetur. patet id exemplo Christi, qui dixit: Tristis est anima mea vsque ad mortem. Et iterum: O vos omnes, qui transitis per viam, videte si est dolor similis, sicut dolor meus. Et iterum de timore Christi dictum est per Marcum; Cœpit IESVS pa- *Matth. 6.*
B uere, & mœstus esse. Non igitur timor mali de se malus est, quare nec opera ex timore huiusmodi procedentia erunt per se mala: quod patet ex sententia Augustini, & habetur de pœnitentia, capitul. Si quis. vbi apertè dicit, quòd si quis timore gehennæ velit pati potiùs quàm negare Christum, nullo modo culpandus est, imò id proderit illi, vt mitiùs in inferno torqueatur: torquebitur autem, quia non ex amore Dei passus est: quandoquidem in illo articulo id erat sibi maximè necessarium, scilicet Deum super omnia amare, & pro illius gloria quæcunque aduersa æquo animo pati: ac proinde si aliquid mali est in timore pœnę, quem mixtum esse dixi, non in timore ipso est: sed in illa iniqua animi prę-paratione illi timori commixta.

EX HIS apertè patet, quando pœnitentia ex timore procedens bona est, quando verò mala, & culpanda: ex hoc tamen quòd ex timore orta est, non venit culpanda, imò ad bonum promouet, & quodammodo ad animæ vitam disponit. Si enim mala esset, & timor pœnæ similiter damnandus, non ergo staret cum charitate: stat autem cum illa, saltem cum charitate imperfecta, vt tradit Augustinus in Hom. 9. super Epistolam Ioannis, cap. 4. Et refert Magister in 3. distinct. 34. cap. 6. Quòd autem timor gehennæ ad charitatem disponat, patet ex eodem Augustino ibidem. Et iterum in sermone 10. ad fratres in eremo commorantes: Timor, inquit, qui pœnitentiam concipit, compunctionem parit: compunctio verò veniam importat. Patet etiam ex illo Isaiæ 26. A timore tuo Domine concepimus, & peperimus spiritum salutis. Nec refert quòd dixerit, à timore *Confirmatio conclusionis.*
C tuo Domine: Quandoquidem qui gehennam timet, Dominum, qui pœnam illam infligit, timet.

AD RATIONES priùs inductas facile est respondere. Ad primum ex Gregorio allegatum, procedit de his, qui pœnitent ex timore pœnæ mixto, cui scilicet admixta est iniqua animi præparatio, qua alioqui offendere paratus est, nisi pœnam timeret. Quod patet ex eo, quod statim idem Gregorius adiungit, dicés: Superbit enim, qui peccatum, si liceat, impunè non deserit. *Solutio contrariarum rationum.*

AD SECVNDVM, quod ex Augustino citatum est &c. dicendum similiter, quòd loquitur contra illos, qui mandata ideo solùm adimplent, quia timent pœnam, si non compleant, qui alioqui præuaricari parati sunt: tales enim, etsi opere præcepta faciunt, voluntate tamen non faciunt, sed rei sunt ac si præcepta non facerent, idque ob eorum mentis præparationem iniquam.

AD TERTIVM, esto quòd timor pœnæ ex amore sui procedat, non ideo malus est, cùm nec malus sit amor sui: quòd si Paulus reprehendit homines seipsos amantes, de illis loquitur, qui habent amorem sui vsque ad contemptum Dei, aut qui se inordinatè amant, quales sunt, qui affectionem commodi sequuntur, postposita affectione iusti: non tamen est contra affectionem iusti, si quis sibi vitam æternam optet, & ex consequenti pœnam æternam timeat. Hoc enim tam bonis quàm malis potest sine vitio conuenire.

AD

Ad qvartvm dicendum, quòd iustitia Dei non stat in hoc, quod est æternaliter punire hominem: sed in hoc quod est peccatorem impœnitentem sic punire: qui ergo odit pœnam à Deo peccatori impœnitenti inflictam, vel infligẽdam, ille quodammodo videtur Dei iustitiam odire, quo ad actum suum: qui tamen simpliciter odit, & fugit propriam pœnam gehennæ, non habito respectu ad sua finalia demerita, hic non iustitiam Dei odit, sed seipsum diligit, quæ odia inter se multùm differunt. Nã primum vltra quod est dissonum à diuina voluntate, non est ad bonum aliquod spirituale promotiuum. Secundum verò conforme est diuinæ voluntati in actu volendi, & promouet ad bonum, scilicet ad vitandum peccata, per quæ homo dignus est, vt æternaliter puniatur.

Pœnitẽtia non ex vna radice, sed ex multis oritur.

Ex dictis quodammodo apparet, vnde originetur pœnitentia cordis: non enim ex vnica tantùm radice, puta ex timore, vt nonnullis visum est: sed ex multis oriri potest, secundùm quod multis rationibus potest aliquis de peccato dolere, scilicet, vel quia peccatum est impeditiuum honoris, aut famæ, aut alterius boni temporalis, seu corporalis, & nascitur talis pœnitentia ex amore temporali, ideo non est hæc pœnitentia, qualis debet esse, quæ Deo nos reconciliat.

Potest secundò quis peccati pœnitere, quia peccatum est inductiuum pœnæ æternæ, & hæc nascitur ex timore seruili, & non est quæ Deum placat, cùm ex amore sui principaliter procedat. Tertiò, quia est impeditiuum æternæ beatitudinis, & hæc nascitur ex appetitu proprij boni spiritualis, & amore sui: & non placat Deum. Quartò, quia est quid turpe, & inhonestum, & contrarium rectæ rationi, & hæc procedit ex amore honesti, & virtutis, & melior est hæc pœnitentia prioribus. Verùm cùm hæc communis sit fidelibus & infidelibus, amicis Dei & inimicis eiusdem, ideo non sufficit Deum placare, & eidem nos reconciliare. Quintò, quia est offensiuum Dei, cui summus honor, & reuerentia atque obedientia debetur, & hæc pœnitentia procedit ex amore Dei, & est quam Deus acceptat, & quæ nos Deo reconciliat. Alias autem pœnitentias ex amore Dei non procedentes, non ita acceptat: iuxta illud, quod scriptum est: Ego diligentes me diligo &c.

Præcepto pœnitentiæ nõ satisfacit homo, nisi propter Deum doleat.

Seqvitvr ampliùs, quòd non satisfacit homo præcepto de pœnitendo, qualitercunque de commissis dolendo: nisi propter Deum de illis doleat, eò quòd pœnitentia, quæ à nobis exigitur, Dei dilectionem includit, aut præsupponit. Vnde iterum fit, vt si quis singula peccata recogitet, & de singulis doleat ob alium finem, quàm propter Deum, eum teneri ad iteratò dolendum de eisdem, ex quo per priorem dolorem de commissis nondum præcepto de pœnitendo satisfecerat. Quemadmodum si quis omnia sua peccata confessus est, non habita de eisdem contritione, tenetur ea iteratò confiteri: quia non, sicut debuit, fuerat confessus.

Obiectio I. Si obiicias, qui id facit quod eidem præcipitur, etiamsi id non faciat ad intentionem præcipientis, satisfacit præcepto: ita vt non teneatur iteratò idipsum facere, vt manifestum est, tam de præceptis diuinis quàm de humanis.

II. Praeterea, si homo de singulis peccatis doluit, puta ex timore pœnæ, seu ex amore virtutis, cui opere fuerat contrarius, & in fine elicit vnum dolorem in genere de omnibus commissis, idque propter Deum &c. ille iam supplet in quo priùs defecerat, ex quo dolorem in Deum iam refert, quem antè in Deum non retulerat: ergo ad minus in hoc casu satisfacit præcepto de pœnitendo.

Respond. ad I. Respondetvr ad primum, quòd quando intentio præcipientis non cadit sub præcepto: sed sola substantia ipsius actus qui præcipitur, tunc satisfacit quis præcepto actum agendo, etiamsi non fiat ad intentionem præcipientis. Secùs tamen si intentio seu finis cadat sub præcepto: modò autem sub præcepto diuino cadit pœnitẽtia de commissis. Nomen autem pœnitentiæ, vt est communis omnium interpretatio, importat dolorem voluntarium de commissis, quatenus fuerunt offensiua Dei, & per consequens pœnitentia quæ exigitur à nobis, oportet quòd propter Deum fiat, alioqui pœnitentia verè non est dicenda: & ita non solùm dolor de commissis cadit sub præcepto, sed modus & relatio doloris in Deum.

Ad II. Ad secvndvm consequenter loquendo, videtur quòd in illo casu non satisfaciat homo præcepto de pœnitendo. Patet, quia vel satisfecit per detestationes particulares singulorum peccatorum, vel per illam generalem, quam in fine elicit, vel per vtrunque. Primum non est dicendum: quia ante illam generalem pœnitentiam nunquam

propter

A propter Deum pœnituerat, vt supponitur. Secundum etiam non videtur: quia vt suprà dictum est, non satisfacit quis pœnitendo solùm in genere, cùm sit necessarium de commissis particulariter dolere eo modo, quo explicuimus. Tertium etiam non videtur, quia illæ particulares pœnitentiæ priores, nec per se, nec cum illa finali, & generali pœnitentia sunt in Deum relatæ: nec enim fuerunt relatæ in Deum quando fiebant, vt patet, nec quando generalis elicitur pœnitentia: quia tunc ille dolor generalis est, qui in Deum refertur: non actus, qui iam præterierunt, quandoquidem nullus actus humanus dicitur in Deum referri, nisi qui vel elicitur, vel cōtinuatur virtute dilectionis Dei. Quod de illis prioribus pœnitentiis dici in casu non potest &c. Ac proinde, qui sic particulariter pœnituit ob alium finem, nisi postea de commissis particulariter propter Deum doleat, non puto illum præcepto verè pœnitendi satisfacere.

VNDE MVLTVM refert, illas particulares pœnitentias, quæ actu in Deum non referuntur, præcedere, vel subsequi dilectionem Dei. Nam si Dei dilectionem præcedant, ad veram pœnitentiam non pertinent: quia nullo modo in Deum referuntur: si autem dilectionem Dei subsequantur, poterunt ad veram pœnitētiam pertinere: quia etsi actu in Deum non referantur, virtualiter tamen referuntur, & placent Deo, & ab eodem acceptantur &c.

PRO HIS facit ratio: quia vera pœnitentia, quam Deus à nobis exigit, valet nobis
B ad remissionem peccatorum, & gratiam, quæ in scriptura verè pœnitentibus promissa est. Illæ autem pœnitentiæ, quæ dilectionem Dei præcedunt, ad salutem valere non possunt, nec tunc quando fiunt, nec postea: eò quòd sunt actus mortui facti in peccato mortali, qui nec viui sunt, nec vnquam poterunt reuiuiscere, sicut nec alia opera in peccato mortali facta.

DEINDE dubitant, an pœnitentia cordis debeat esse formata, an informis, præuia, an concomitans peccatorum remissionem: quam quęstionem satis inuolutè tangit Scotus, qui in sententia ait, pœnitentiam nō sufficere ad peccata remittenda, nisi aliquo tempore duret, & continuetur: & cū in illo tempore huiusmodi continuationis pœnitētia illa sit præuia tempore remissioni peccatorum simul & informis, constat esse necessariam pœnitentiam informem, simul & præuiam ad obtinendum peccatorum veniam. Vlteriùs, si sit necessarium, quòd talis pœnitentia duret vsque ad instans terminatiuum necessariæ continuationis inclusiuè: ita, vt debeat permanere, non solùm in tempore pręuio, sed etiam in ipso instanti, quo fit peccatorum remissio: tunc sicut necessaria est pœnitentia præuia, & informis, ita etiam necessaria est pœnitentia concomitans, & formata: quia in illo instanti, quo fit peccatorum remissio per infusionem gratiæ: illa pœnitentia, quæ antè erat præuia, & informis, fit formata, & concomitans: vt de se patet. Si verò sufficit homini continuare pœnitentiam per certum tempus, esto quòd non duret inclusiuè vsque ad præfatum instans terminatiuum illius temporis, tunc erit
C quidem necessaria pœnitentia præuia, & informis, non tamen concomitans, & formata: & quamuis horum vtrunq; probabile reputet, ad id tamen declinat, vt necessaria sit pœnitentia præuia, & concomitans, informis & formata, alioqui non valebit ad remissionem peccatorum. *An pœnitentia debeat esse formata, vel informis &c.*

VERVM cùm hæc opinio præsupponat vnum incertum, & fortè falsum, vt magis patebit inferiùs, scilicet quòd pœnitentia etiam in Deum relata non sufficit ad gratiam, nisi antè per aliquod tempus sit continuata, cùm verisimilius sit, dilectionem Dei super omnia esse proximam, & sufficientem dispositionem ad gratiam (modò efficax sit) ideo dicendum, quòd pœnitentia cordis, si vera est, scilicet propter Deum summè dilectum, non potest esse informis, nec tempore præuia, seu præcedens peccatorum remissionem, sed semper est formata, & quamprimùm habetur, remittuntur peccata, ac proinde nec est necessaria pœnitentia informis, nec præuia ad obtinendum peccatorum remissionem, vt ex dictis apertè colligitur. *Sententia autoris.*

EST TAMEN argumentum in oppositum: quia tunc sequitur, quòd pœnitentia cordis nunquā remittat peccata: quia vel remittit ea, quatenus est informis, vel quatenus formata est. Non primum, per ea quæ dicta sunt, ex quo non potest talis pœnitentia esse informis. Nec secundum, quia quatenus formata est, præsupponit charitatem, quæ est forma ipsius, vnde ipsa dicitur formata: charitas autem præsupponit peccatorum remissionem, cùm peccata, & charitas simul esse non possint: igitur pœnitentia formata *Obiectio.*

præsup-

præsupponit, peccata esse remissa, & per consequens pœnitentia quatenus formata est, non remittit peccata. Confirmatur, quia vel pœnitentia fit propter Deum summè dilectum, vel non: si primum, igitur præsupponit dilectionem Dei, ex qua procedit: nam in corde prior est finis quàm ea, quæ sunt ad finem: & cùm per huiusmodi dilectionem Dei sint condonata peccata, sequitur quòd pœnitētia cordis formalis, si propter Deum fiat, non remittit peccata, cùm ea remissa reperiat. Si autem nō fit propter Deum dilectum, sed propter timorem pœnæ, aut aliam ob causam, talis pœnitentia non placat Deum, nec peccata remittit: & ita nunquam verum est, quòd pœnitentia cordis actu remittat peccata, remitteret autem, si teneremus cum Scoto, esse necessariam præuiam, & informem: igitur.

Pœnitētia, charitas, Deus, quo modo remittāt peccata.

RESPONDEO. Pœnitentia remittit peccata velut causa sine qua non: charitas remittit peccata, velut causa formalis: Deus verò remittit peccata velut causa efficiens, & principalis. Primum patet: quia ex dictis constat, pœnitentiam cordis esse necessariam ad deletionem peccatorum, & sine ea peccata minimè dimitti. Secundum etiam patet: quia charitas, & peccata mortalia immediatè contrariantur, saltem de lege ordinata, quicquid sit de eorum natura: & ideo sicut calor est causa formalis expellendi frigus, ita charitas est causa formalis expellendi peccatum. Tertium etiam de se patet, iuxta illud Isai. 44. Ego solus deleo iniquitates, & peccata populi. Suppono etiam positionem satis communem, quòd voluntas nostra eodem actu potest velle finem, & medium propter finem, sicut & idem actus potest esse fruitio, & vsus: ac proinde nil obstat, quò minùs voluntas possit eodem actu odire peccata commissa propter Deum, & eūdem Deum summè diligere: & hæc pœnitentia est, quæ semper est formata, & sufficiens ad remissionem peccatorum, velut causa sine qua non: quia hac posita, fit peccatorum remissio, & ea non posita, non fieret, saltem per pœnitentiam: nam si dilectionem Dei seiungas ab actu pœnitendi, esto quòd actus ille pœnitendi à dilectione Dei procedat, illa pœnitentia, etsi meritoria sit, non tamen actu remittit peccata, quæ per dilectionem præuiam constat esse remissa. Nec ob id sequitur, sine pœnitentia remitti peccata: quia etsi per dilectionem Dei fuerint remissa, in ipsa tamen Dei dilectione virtualiter includebatur pœnitentia, vt ex dictis patet.

Ad obiectionē respondetur.

IAM sequitur responsio ad argumentum: quia nec concedendum est, quòd pœnitentia cordis actu remittit peccata, quatenus formata est, neque quatenus informis: & tamen remittit ea: & quamuis esse informem & formatam, sint prædicata immediatè opposita, nec stet pœnitentiam esse, quin vel formata sit, vel informis: attamen illa particula, quatenus, addita illis oppositis, non opus est alterum eorum de pœnitentia verificari in casu: non enim inconuenit aliquod prædicatum verè, & simpliciter de subiecto prædicari, & negari de eodem sumptum cum signo reduplicatiuo, vt homo est risibilis: & tamen nec est risibilis, quatenus videns est, nec quatenus non videns est: & homo est albus, & tamen neque quatenus rationalis, neque quatenus irrationalis: & Deus est omnipotens, & tamen neque quatenus creans, nec quatenus non creans. Ita ergo pœnitentia cordis remittit peccata actu, & tamen, nec quatenus formata est, nec quatenus informis.

AD SECVNDVM etiam patet, quòd pœnitentia illa, quæ peccata remittit primò, siue actualiter, est pœnitentia, quę simul est detestatio peccati, & amor Dei: illa verò, quę ex amore Dei procedit, non actu remittit peccata, cùm per amorem Dei præuium, ex quo ipsa originatur, remissa sint: & de hac procedit hæc ratio secunda: nec enim concedimus, per omnem pœnitentiam cordis actu peccata remitti.

Quis ordo inter pœnitentiā, charitatem, & peccatorum remissionem.

SEQVITVR ex dictis, quid dicendum ad dubium, quod hîc moueri solet, quo ordine se habeant hæc tria scilicet pœnitentia, charitas, & peccatorum remissio. Ad quod breuiter dicendum, quòd quando per pœnitentiam actu remittuntur peccata, ipsa pœnitentia præcedit natura, seu ordine naturalis præsuppositionis, & sequitur peccatorum remissio, & denique infunditur charitas, postremò fit pœnitentia formata, quæ omnia in vno, & eodem instanti temporis fiunt: si tamen aliqua esset inter ea temporum successio, hunc ordinem assignatum inter se seruarent: de quo aliâs. Itaque vnus actus ad aliquem effectum relatus, vna ratione præcedit illum, alia verò sequitur eundem ordine naturali.

QVÆ-

A

QVÆSTIO QVINTA.

De quantitate pœnitentiæ ſolet ſimiliter quæri, tam ex parte intenſionis ſeu conatus, quàm ex parte durationis, ac perſeuerantiæ. Et primò dubitatur, an ſit neceſſaria pœnitentia intenſiſsima, ſeu ex toto conatu voluntatis procedens: & dixerunt aliqui cũ Richardo & Adriano quòd ſic. Ad quod dicendum mouentur ex eo, quod habetur Deutero. 4. de filiis Iſraël propter peccati demeritum à terra promiſsionis in alienam terram eiectis: Si quæſieris Dominum Deum tuum, inuenies illum: ſi tamen quæſieris eum in toto corde tuo, & tota tribulatione animæ tuæ. Et Pſalmiſta: Beati qui ſcrutantur teſtimonia eius, in toto corde exquirunt eum. Hieronymus etiam in epiſtola obiurgatoria eius, qui ſe falsò iactabat pœnitere, ait: Miſerebitur tibi Deus, ſi toto corde pœnitentiam egeris, ſi omnem ſolicitudinem tuam ſuper Deum miſeris. Ex quibus apparet, non ſatis eſſe remiſsè Deum quærere, aut pœnitere: ſed ex toto voluntatis conatu, ſi volumus remiſsionis gratiam obtinere.

An ſit neceſſaria pœnitentia intenſiſsima. Partis affirmatiuæ rationes. I. *Pſal. 118.*

II. Secvndo idem Hieronymus tractans increpationem Epiſcopi Laodicenſis Apocal. 3. de quo dictum eſt. Vtinam frigidus aut calidus eſſes: ſed quia tepidus es, incipiam te euomere, inquit: tepidum diſcipulum non diligit Deus: ait enim Chriſtus, Qui vult B meus eſſe diſcipulus, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam. Tepidus autem videtur, qui remiſsè diligit, & remiſsè pœnitet: Vnde Ierem. 48. dicitur, Maledictus omnis qui facit opus Dei negligenter, ſeu remiſsè. Et Eccleſ. 7. Qui timet Deum, nil negligit: igitur.

III. Tertio, neceſſariam eſſe pœnitentiæ intenſionem, & magnitudinem ſignificat Auguſtinus libro de Pœnitentia, dicens: Rectè pœnitens, quicquid ſordium poſt purificationem contraxit, oportet vt abluat lachrymis ſaltem mentis: ſed ſatis durus eſt, cuius mentis dolorem oculi carnis nequeunt declarare. Sed ſciat ſe culpabiliter durum, qui deflet damna temporis, vel mortem amici, & dolorem peccati non oſtendit lachrymis. Et hæc de pœnitentia, diſtinct. 3. cap. Sunt plures.

Partis negatiuæ rationes.

Dvra tamen viſa eſt horum ſententia. Vnde contra eam, & pro oppoſita parte arguitur, quòd nõ ſit neceſſaria tanta intenſio, vt apud Deũ valida ſit: ſed ſufficit remiſſa, modò efficax ſit. Primò, quia dilectio Dei, & conuerſio ad Deum, etiamſi tam intenſa gradualiter non ſit, valet ad gratiam: igitur etiam pœnitentia vera, cùm huiuſmodi Dei dilectionem includat, vt ex dictis patet. Antecedens patet ex innumeris promiſsionibus in Scriptura ſacra contẽtis. Ait enim Dauid: Propè eſt Dominus omnibus inuocantibus eum. & Paulus ad Rom. Diues eſt Deus in omnes, qui inuocant illum; Omnis enim, qui inuocauerit nomen Domini, ſaluus erit. & Eccleſiaſtici 2. Quis vnquam inuocauit eum, & deſpexit illum? miſericors enim eſt, & pius. Ait etiam Chriſtus in Euangelio: Qui diligit me, diligetur à Patre meo, & ad eum veniemus &c. & Auguſtinus ſuper Epiſtolam ad C Roman. 5. Si Deus confugientes ad ſe non admitteret, eſſet in eo iniquitas: quia ſcilicet promiſſa nõ compleret. Vbi præſupponit, Deum in lege promiſiſſe gratiam ſuã omnibus ipſum diligentibus: iuxta illud Zachariæ 1. Conuertimini ad me, & conuertar ad vos &c. Et Iacobi 4. Appropinquate Deo, & appropinquabit vobis. Et Apocalyp. 3. Ego ſto ad oſtium, & pulſo, ſi quis mihi aperuerit, intrabo ad eum, & cœnabo cum illo. In quibus omnibus nulla de graduali intenſione fit mentio. Nec valet dicere, quòd illa etiam veniunt limitanda ad caſum, quo quis ex toto conatu fertur in Deum: nõ enim valet. Probatur, quia Deus non minorem erga homines exercet miſericordiam quàm iuſtitiam, imò magis miſericordia vtitur, quàm iuſtitia: cùm pronior ſit ad miſerendum, quàm ad puniendum, dicente Iacob: Miſericordia ſuperexaltat iudicium. Sed loca ſcripturæ, in quibus Deus ex iuſtitia pœnam peccantibus & ſe à Deo auertentibus comminatur, non ſunt ad certum conatum, ſeu intenſionem ipſius actus auerſiui limitãda: cùm quantumlibet remiſsè ſe quis à Deo contra præceptum eius auertat, mortaliter peccat, & Dei indignationem incurrit: ergo loca, quæ ſalutem promittunt his, qui ſe ad Deum conuertunt, non ſunt coarctanda ad certum conatum, & intenſionem actus conuerſiui.

I. *Iacob. 2.*

II. Praeterea facit pro hac ſententia Chryſoſtomus & habetur de pœnitentia, diſtinctio. 3. cap. Talis. ait enim Deum nunquam pœnitentiam peccatoris contemnere. Quodq́ue præſtantius eſt, quantulamcunque, & quantumlibet breui tempore geſtam pœnitentiam Deus non reſpuit, nec exiguæ conuerſionis patitur perire mercedem.

In quibus innuit, nec necessariam esse in pœnitentia intensionem, nec temporis continuationem, vt Deo placeat, & à Deo remuneretur. D

III. PRAETEREA facit ratio: quia tunc dilectio Dei super omnia obedientialis, staret cum peccato mortali: non solùm, quo ad reatum, sed etiam, quo ad actum: ita vt quis simul actu mortaliter peccet, & Deum super omnia diligat. Probatur hoc: quia demus hominem remissè gradualiter pœnitere, id est, non ex toto conatu voluntatis: iam per opinionem illa pœnitentia in Deum relata, non sufficit ad gratiam: ergo stat simul cum peccato mortali, & secundùm reatum, non est dubium. Quòd etiam idem sit secundùm actum, probatur, ponendo quòd citra totum conatum pœniteat propter Deum, tempore, quo sibi necessarium est, se in statu gratiæ reponere, totum conatum apponendo: iam peccat in casu actualiter omissiuè, simul & Deum diligit.

SI DICAS, quòd quamuis totus conatus in Deum sit necessarius ad acquirendum gratiam, non tamen totus cadit sub præcepto obligante sub pœna noui peccati: contra stat ratio aperta: quia si sit in tempore, quo tenetur se in statu gratiæ reponere, nec aliter potest nisi ex toto conatu se ad DEVM conuertendo, sequitur teneri sub pœna noui peccati ad se conuertendum toto conatu. Hac enim ratione suprà deduximus necessitatem præcepti de pœnitendo, ex necessitate ipsius pœnitentiæ ad salutem.

Soluuntur rationes cõtrariæ sententiæ.

ET QVICQVID sit de efficacia harum rationum, quia volenti defendere præfatam opinionem non deerunt solutiones: attamen cùm nil sit affirmandum, esse necessarium ad salutem, aut sub pœna peccati mortalis obligare, nisi id authoritate, vel ratione sufficienti ostendatur: quod tamen de pœnitentia, ex toto conatu voluntatis procedente ostendi non potest: ideo videtur à præfata opinione recedendum. Quòd enim illud ostensum non sit, patet soluendo huius sententiæ fundamenta: posset enim dici ad illa omnia quę sonant, esse necessarium, ex toto corde diligere Deum, & eundem inquirere, & de commissis pœnitentiam agere: quòd procedunt de totalitate integritatis cordis, non de totalitate gradualis intensionis. Ille enim dicitur toto corde quærere Deum, qui cùm Deum quærit, aliud temporale secum non quærit, quod non propter ipsum quærat: & toto corde diligit Deum, qui cùm Deum diligit, aliud temporale secum non diligit, quod non propter ipsum diligat: & toto corde de commissis dolet, qui ita de illis dolet, vt nullum reseruet, quod placeat. Nam si quis, cùm Deum quærit aut diligit, aliud cum eo quærit aut diligit, quod non propter ipsum quærat aut diligat: non toto corde, sed diuiso eum quęrit & diligit. & hoc est quod ait beatus Augustinus ad Deum loquens: Minùs te amat, qui tecum aliquid amat, quod non propter te amat &c. Et ita dicitur diuidi cor, cùm ad diuersa afficitur, quorum alterum in alterum non refertur: cui diuisioni opponitur totalitas, seu integritas cordis, ad quam constat intensionem gradualem impertinentem esse. E

AD SECVNDVM, de illo qui remissè, & negligẽter opus Dei agit, dicendum, quòd procedit de eo, qui in his, ad quæ tenetur, non adhibet omnem diligentiam & solicitudinem, quam adhibere tenetur: sed in parte agit quod debet, in parte non: ille etiam qui nec calidus est nec frigidus, sed tepidus, solet intelligi, qui nec amore, nec timore mouetur ad agendum quod debet: & ita hæc quæ de tepiditate, & remissione, seu negligentia allegata sunt, non videntur de remissione graduali intelligenda. F

AD TERTIVM ex Augustino sumptum dicendum, quòd non inde sequitur, necessarium esse absolutè, ex toto voluntatis conatu pœnitere: sed potiùs innuit, quòd debet quis magis de offensa in Deum commissa, quàm de rerum temporalium iactura dolere: quod quidem adimpleri potest, etiamsi quis non ex toto voluntatis conatu de peccatis doleat, vt constat. De his inferiùs, vbi de feruore orationis agetur.

An sit necessaria pœnitentia in certo gradu intensionis. Pars affirmatiua probatur I.

SED ESTO, non sit necessaria pœnitentia ex toto conatu voluntatis, an saltem sit necessaria in aliquo gradu certo citra summum, an potiùs quælibet pœnitentia, quantumlibet remissa sufficiat ad gratiam. Et dixerunt aliqui post Thom. in 4. distinctio. 17. ad quintum, quòd necessaria est certa intensio, ita quòd potest tam remissa esse pœnitentia, seu tam parua, vt contritio non sit: & per consequens nec ad gratiam sufficiens. Tum, quia Deus cùm à nobis voluntatem exigit, non inefficacem, seu remissam, aut tepidam exigit, sed efficacem: efficax autem esse non potest, nisi certo modo sit intensa. Tum etiam, quia de maiore peccato magis quàm de minore dolendum est, id

exigente

A exigente iuſtitia punitiua, ſecũdùm quam pœna debet culpæ proportionari. Cùm igitur pœnitentia cordis in pœnam pro commiſsis nobis à Deo iniuncta ſit, qui in hac re fecit nos iuſtitiæ punitiuæ miniſtros: ſequitur ergo, non quantamcunque pœnitentiam de peccatis ſufficere, alioqui non magis de vno quàm de alio eſſet dolendum.

CONFIRMATVR hoc: quia de illo debet homo pœnitere, quod debuit vitare: ſed homo magis debet vnum peccatum vitare quàm aliud: quia ſi neceſsitas incumberet in vnum de duobus incidere, id quod grauius eſt, eſſet magis euitandum: & ita econtrà de commiſſo grauiori magis pœnitendum. II.

QVOD INDE rurſus confirmatur: quia vbi maior eſt cauſa dolendi ſeu pœnitendi, maior debet eſſe pœnitentia: cauſa autem, quare de peccatis pœnitẽdum eſt, eſt quia offenſiua ſunt Dei: cùm ergo maius peccatum magis ſit Dei offenſiuum, ſequitur, de illo eſſe magis pœnitendum, & ita non qualiſcunque intenſio pœnitentiæ ſufficit. III.

Concluſio auctoris.
Nulla intenſio certa, etiam citra ſummũ gradum, eſt in pœnitentia neceſſaria, vt ſcilicet ad gratiam valeat.
Probatio.

RESPONDETVR. His non obſtantibus aliter dicendum videtur, quòd ſcilicet nulla intenſio certa etiam citra ſummum gradum eſt in pœnitentia neceſſaria, vt ad gratiam valeat: ſed quãtumlibet remiſſa gradualiter ſit, ſufficit, modò efficax ſit in eo, quod efficaciam admittit. Probatur concluſio: quia ſi eſſet certa intenſio neceſſaria, aut eſſet ratione præcepti Dei obligantis nos ad certam pœnitentiæ, ſeu doloris intenſionem, aut ratione iuſtitiæ punitiuæ dictantis pœnam culpæ debere proportionari, aut ratione B iuris naturalis obligantis nos Deo offenſo ſatisfacere, & pro maiori offenſa magis &c. ſed nullum horum videtur dicendum. Non primum: quia non dabitur tale præceptum, cùm in teſtimoniis ſcripturę, vbi à nobis pœnitentia exigitur, non ſit mentio de graduali intenſione actus: ſed vel ſimpliciter exigitur pœnitentia, vel exigitur ex toto corde: ſed ex neutro colligitur, exigi certam intenſionem citra ſummam, vt patet ex dictis. Tum etiam, quia irrationabile omnino eſſet præceptum, quo quis obligetur ad aliquid, de cuius adimpletione certus eſſe non poſsit: cùm ergo homo nullo modo citra reuelationem Dei poteſt certus eſſe, ad quantam intenſionem gradualem in pœnitendo peruenit, vt conſtat: ſequitur. Adde quòd dato præcepto de ſub certa intenſione pœnitendo, de qua homo certificari non poteſt, ex conſequenti eſſet dicendum, quòd tenetur homo ex toto conatu pœnitere, & intenſiſsimè: alioqui exponeret ſe periculo omittendi præceptum de pœnitendo, quod eſſet incidere in ſententiam duram ſuprà citatam, nec ſatis probabilem.

NEC ETIAM videtur dicendum ſecundum, quòd ſcilicet ſit neceſſaria certa intenſio ratione iuſtitiæ punitiuæ: quia quamuis hoc apparenter diceretur, & verè, in caſu, quo eſſet ſtatutum, aut neceſſarium, peccatorem in ſeipſo per viam ſolùm pœnitentiæ illam iuſtitiam exequi, & per ſolam viam pœnitentiæ debitum pro peccato ſoluere: non tamen ita eſt, ſtante lege ordinata, qua ſtante, poteſt viator, vel hìc ſoluere, vel pœnam debitam ad purgatorium remittere, contentus aliquali gratia, per quam culpa illi remittatur: hæc autem culpa poteſt per ſolam dilectionem Dei ſine pœnitentia formali remitti: poteſt etiam per ſolum ſacramentum ſecundùm multos ſimiliter tolli: poteſt deinde per opera alia meritoria à pœna peccato debita liberari. Itaque non eſt homini iniuncta maior iuſtitiæ punitiuæ executio, quàm ea quam Deus à peccatore exigit: hæc autem eſt de commiſsis pœnitere ex vera Dei dilectione, ad quam illicò culpæ commiſſæ condonantur: quòd ſi homo intenſionem, aut feruorem addiderit, proderit illi ad remiſsionem pœnæ, etiamſi talis intenſio & feruor ab illo non exigatur.

(C at the margin beside "mittatur")

NEC ETIAM videtur dicendum tertium, ſcilicet quòd ratione iuris naturalis tenetur homo ad ſub certa intenſione pœnitendum, vt ſcilicet Deo offenſo ſatisfaciat: quia vt ſuprà dictum eſt, quamuis ius neceſſariò obliget offendentem ad ſatisfaciendum offenſo, in præſenti autem non Deo alia ſatisfactio debita eſt, niſi quam ipſe exigit, & ſtatuit: ac proinde cùm in lege ſua, nec pœnitentiam ſub certa intenſione exigere, neq; ſtatuiſſe legatur, non video, quare homines huiuſmodi iugum peccatoribus imponant, tanquam eiſdem neceſſarium, etiamſi alioqui ſalutare ſit.

Ad rationes oppoſitas reſpondetur.

RESPONDENDVM igitur eſt ad rationes ſuprà factas. Ad primum duo ſupponit: vnum quòd Deus exigat à peccatore pœnitentiam de commiſsis efficacem: quod tamen falſum eſt: quia illa pœnitentia, quæ eſt odire peccatum commiſſum, ſeu nolle hominem peccaſſe, eſt de impoſsibili cognito eſſe tali, quod ſub volitione efficaci non cadit, vt ſuprà dictum eſt, ſi autem aliquid eſt in pœnitentia, quod efficaciam admittat,

 eſt pro-

est propositum postmodum vitandi peccata, idque formaliter, vel in dilectione Dei virtualiter contentum. D

SECVNDVM quod supponit est, quòd efficacia actus voluntatis requirit certam intensionem gradualem, cùm non ita sit, vt aliâs probauimus: sed efficacia voluntatis in hoc stare videtur, quòd vult aliquid obtinere, vel procurare per modum indicatiui: quæ volitio, si talis est, quantumuis remissa gradualiter sit, sufficit mouere ipsum volentem ad inquirendum media ad id, quod optat necessaria. Alia autem, quæ ad id non sufficit, non dicitur efficax, etiamsi multùm sit intensa, qualis est velleitas, seu actus desiderij per modum optatiui, aut conditionalis per modum subiunctiui, ac proinde intensio gradualis impertinens videtur ad efficaciam, vel inefficaciam voluntatis.

AD SECVNDVM ex dictis patet responsio, quòd ratio fundat se in falso, scilicet quòd commissa est peccatori tota iustitiæ exequutio in seipso, qua per viam pœnitentiæ debeat in se punire peccata. Falsum etiam est, quòd teneatur magis intensè de vno peccato, quàm de alio pœnitere, cuius ratio clara est ex dictis: quia reductis ad memoriam omnibus peccatis commissis, non est necessarium, quòd de singulis singulas eliciat contritiones, seu pœnitentias: sed vnico actu pœnitentiæ, quo illa omnia oblata detestatur propter Deum, satisfacit præcepto de pœnitendo, & ita per eundem actum æquè intensè de omnibus simul pœnitet, & dolet: quemadmodū concedi solet, si quis eodem actu diligat Deum, & proximum, quòd æquè intensè, id est actu æquè intenso vtrunque diligit, Deum scilicet, & creaturam: nec in hoc peccat: sed præcepto charitatis satisfacit, & meretur. Pro quo videtur facere Hieronymus, qui laudat Paulum de hoc, quòd minima peccata plangebat, sicut magna, vt refert Thom. vbi suprà. E

AD TERTIVM dicendum, quòd ratio probat magis esse vnum peccatum vitandum, & odiendum, quàm reliquum, magis inquam, non intensiuè gradualiter, sed prælatiuè (vt sic dixerim) intensiuè non: quia vnico odio vnius intensionis possum sine peccato diuersa peccata odire, etiamsi in grauitate differant: prælatiuè autem secùs est. Sicut patet in dilectione opposita, vnico quidem actu vnius intensionis possum Deum, & proximum amare sine peccato: debeo tamen Deum proximo in diligendo præferre, taliter, vt si opùs sit ab alterius amore recedere, potiùs debeo ab amore proximi, quàm ab amore Dei recedere, & hoc est Deum plùs, aut magis prælatiuè diligere. Sic etiam in odio peccatorum, quę quamuis ęquè intensè gradualiter odio habeantur, vnum tamen magis dicitur odio haberi prælatiuè: quia si oporteret in alterum eorum incidere, deberet homo potiùs eligere fugam, & odium illius, quod grauius est. Et in hoc sensu videtur Thom. procedere in hac materia, quando de contritione loquitur, & de dolore maiore, & minore peccati respectiuè ad alios dolores.

ET PER hoc patet ad vltimum, fateor enim, quòd vbi est maior causa pœnitendi, scilicet maior offensa, debet esse maior pœnitentia, non quidem gradualiter, sed maior prælatiuè ad sensum dictum. Et si velit peccator via pœnitentiæ soluere quod pro peccato debet, si pro singulis peccatis debitum soluere vult, debet intensiùs pœnitere de grauiori peccato, quàm de leuiori: liberum tamen sibi est hac via pro peccatis ad integrum satisfacere. Verùm quantum ad remissionem culpæ attinet, satis est, si verè pœniteat propter Deum verè dilectum, etiamsi huiusmodi pœnitentia gradualiter remissa sit. F

An pœnitentia saltem respectiuè debeat esse summa, id est intensior, quàm dolor de quacunque re alia? Resolutionis pars I.

PRAESVPPOSITO ergo, non esse necessarium, intensissimè pœnitere absolutè, nec certam intensionem pœnitentiæ esse necessariam absolutè, cùm quantalibet pœnitentia quantumlibet remissa gradualiter sufficiat ad gratiam, esset dubium, an saltem respectiuè debeat esse summa pœnitentia, hoc est, an debeat esse intensior, quàm dolor de quacunque alia re. Et conformiter ad ea, quæ dicta sunt, dicendum, quòd loquendo de intensione, aut magnitudine graduali, non oportet pœnitentiam, seu displicentiam de peccato commisso esse intensiorem, quàm sit displicentia de aliis rebus. Id patet, quia intensio certa pœnitentiæ, non cadit sub præcepto: ideo potest quis præcepto de pœnitendo satisfacere per pœnitentiam quantumlibet remissam, ac proinde, siue intensiùs, siue æquè intensè de aliis rebus displiceamus, satisfacimus præcepto pœnitendi. Præterea eodem actu potest nobis displicere peccatum, & alterius rei amissio, seu patris, aut amici mors, quemadmodum eodem actu possimus Deum patrem, & amicum amare, & tunc æquè intensè displicebit peccatum, & mors patris, aut amici, idque

A idque sine peccato. Præterea displicentia de aliquo mensuratur, seu proportionatur amori de opposito, & ita non magis tenemur odire peccatum, quàm teneamur diligere Deum: Deum autem non tenemur absolutè, aut respectiuè diligere intensiùs gradualiter quàm patrem, amicum, aut rem aliam creatam, vt aliâs in tractatu de charitate probauimus: igitur.

SI TAMEN loquamur de intensione pœnitentiæ prælatiuæ, vt suprà, tunc verum est, quòd tenemur magis de peccato pœnitere, seu dolere, quàm de aliis rebus. Quemadmodum econtrà tenemur magis diligere Deum prælatiuè, quàm alias res, taliter vt si nobis daretur optio alterum ex his eligere, scilicet à Deo per peccatum separari, aut alterius rei cuiuscunque iacturam pati, potiùs esset secundum eligendum, quàmprimum: & hoc est Deum summè, & super omnia diligibilia diligere appretiatiuè, seu prælatiuè, & peccatum summè, & super omnia odibilia prælatiuè odire. Et in hoc sensu intelligo doctores, qui dicunt, esse nobis necessarium Deum magis intensè diligere, quàm quodcunq; aliud: vt si intensè, non ad gradum, sed ad modum diligendi referatur, etiamsi sint qui ad gradum intensionis id referant &c. *Pars II.*

DE QVANTITATE etiam pœnitentiæ quo ad durationem est idem dubium, an scilicet, vt valida sit pœnitentia cordis, debeat per tempus aliquod continuari? & dicebatur cum Scoto quòd sic, cuius positio nem quæstione præcedenti tetigi- *An pœnitentia cordis debeat per aliquod tēpus continuari.*
B mus. Scoti ratio hæc esse videtur: quia pœnitentia cordis est dispositio necessaria ad peccatorum remissionem, tum ex his quæ dicta sunt, tum etiam quia alioqui difficile esset excusare, quin Deus sit personarum acceptor, hunc iustificans, & illum non, si nulla ex parte ipsorum dispositio requiratur. Cùm igitur dispositio ad formam, debet ipsam formam præcedere, vt ex naturalibus patet, quòd calor præcedit inductionem formę ignis. Igitur necesse est peccatorem per tempus aliquod præcedens inductionem charitatis, ac peccatorum remissionem, pœnitere. Quantum autem sit huiusmodi tempus, quo debeat pœnitentia continuari, ab homine sciri non potest. *Ratio pro parte affirmatiua.*

OPPOSITVM tamen videtur esse tenendum, quòd scilicet si pœnitentia vera sit, & in Deum verè dilectum relata, quamprimum à peccatore habetur, consequitur remissionem, & gratiam. Id probatur, primò, quia Deus pronior est ad miserendum, quàm ad puniendum: sed vt homo Dei indignationem incurrat, satis est, se peccando à Deo auertat, & quamprimum se auertit, gratiam eius amittit, ad cuius amissionem, non opus est huiusmodi auersionem per tempus continuari, alioqui in illo tempore simul quis mortaliter peccaret, & esset in gratia Dei, quod est absurdum. Igitur pari forma, quam primùm peccator se ad Deum vero corde conuertit, admittitur ad gratiam Dei absque vlla mora temporis. *Conclusio. Pœnitentia vera & in Deum verè dilectū relata, quàm primū à peccatore habetur, consequitur gratiam & remissionē. Probatur I.*

PRAETEREA, illa conuersio ad Deum æquè bona est, ac laudabilis in primo instanti, quo primùm habetur, ac si per horam continuetur: quandoquidem ex solo temporis C tractu, nullam videtur bonitatem acquirere, sed eam ex obiecto habet, & fine, & aliis circumstantiis conuenientibus: ac proinde quamuis valeat continuatio pœnitentię ad maius præmium, aut pleniorem veniam consequendam, in se tamen & per essentiam æquè bona est momentanea, sicut continuata: & per consequens in primo instanti erit Deo grata, & accepta. II.

PRAETEREA, si necessaria est temporis mora in pœnitendo, ob id scilicet esset necessaria, vt Deo offenso satisfaciamus: sed tunc sequitur, quòd quantò quis plura contra Deum commisit, aut quantò grauiùs contra Deum peccauit, tantò deberet magis pœnitentia continuari ad impetrandam gratiam: & ita si pro vno mortali necesse est pœnitentiam per horam continuare, pro duobus oportebit eam in duplo continuare, & pro quatuor in quadruplo, & sic consequenter: & ita poterunt toties peccata replicari, quòd non sufficiat homini ad gratiam per totam vitam in pœnitentia permanere, quod est absurdum & erroneum. III.

PRAETEREA, sequitur ex positione, dari peccatorem vsum rationis habentem, cui in vita sit præclusa via salutis, quantumlibet ad Deum toto corde confugiat. Patet hoc, quia ex quo necessaria est certa temporis mora in pœnitendo ad impetrandam gratiam, sit exempli gratia vna hora, demus peccatorem esse in extremis, qui per naturam viuere vna hora integra non potest, & tunc se toto corde ad Deum conuertat, sequitur in casu intentum. Si dicas, non esse inconueniens illatum ob culpam ipsius hominis, vt si tenea- IIII. *Obiectio.*

 mus

mus cum Gregorio & Occham, quòd actus à voluntate liberè elicitus naturaliter per tempus aliquod continuetur, & odium Dei homo eliciat, à quo per naturam resilire per tempus certum non poſsit, iam in illo tempore eſt illi præcluſa via ſalutis.

Solutio. SED HOC parum valet, tum quia illa opinio, quæ ponit huiuſmodi naturalē continuationem actus voluntatis, non eſt omnino vera, vt alibi deduximus: tum etiam eo dato, non eſt ſimile cum præſenti caſu: nam illo admiſſo, ſi pro tunc eſt clauſa via ſalutis illi homini odienti Deum, ideo eſt, quia voluntatem habet ligatam, & impeditam, ne poſsit naturaliter pro tunc ad Deum per amorem conuerti, in noſtro autem caſu ſecùs, vt conſtat.

V. PRAETEREA ſequitur, aliquem Deum ſummè diligere, & verè de commiſsis propter Deum pœnitere, & pro Deo & Chriſto martyrium pati, & æternaliter damnari. Patet, ſi toties, & taliter contra Deum peccauit homo, quòd ſit ſibi per horam integram neceſſariò pœnitendum, aut per duas horas, & antequam tempus neceſſariò pœnitendi compleatur, pro Chriſto & fide eius patienter à tyranno occidatur. Si dicas in caſu defectum continuationis ſuppleri per martyrium, quæro iam, vel igitur ſufficienter ille defectus ſuppletur ſolùm per martyrium actu ſuſceptum, vel etiam per martyrium in voto, ſeu efficaci propoſito mentis: & primum irrationabile eſt, quia voluntas pro facto reputatur, ſi efficax ſit, vt eſt omnium vera ſententia: nec opus exterius valet ex parte operantis, ad aliam gratiam gratum facientem præter eam, ad quam interior efficax voluntas valet: & ita quamprimum quis habet voluntatem efficacem patiendi pro Chriſto ſummè dilecto, antequam actu martyrium ſuſtineat, valet ſibi huiuſmodi voluntas ad gratiam, ac ſi actu pateretur: & hoc dato, ſequitur intentum noſtræ concluſionis, quòd ſcilicet non eſt neceſſaria temporis mora ad obtinendam gratiam Dei per actum voluntatis efficacem: cùm igitur pœnitentia ſit actus efficax in ea parte, qua efficaciam admittit, vt ex dictis apparet: ſequitur.

VI. PRAETEREA ſi neceſſaria eſt temporis mora in pœnitendo ad impetrandam veniam, & gratiam: igitur peccabit homo non continuando pœnitentiam cordis, tempore, quo eſt ſibi neceſſarium ſe in gratia reponere: & cùm incertus ſit quanto tempore debeat continuare pœnitentiam, an per horam, an per duas, peccabit, ſi non longo tempore continuet: quia alioqui exponit ſe periculo permanendi ſemper in eiſdem peccatis. Et certè ſicut irrationabile eſt dicere, hominem eſſe obligatum ſub pœna peccati noui ad certam pœnitentiæ intenſionem, de qua homo certus eſſe non poteſt, quanta ſcilicet ſit ſibi ſub præcepto data: ita non minùs eſt irrationabile dicere, hominem teneri ſub pœna peccati ad certam moram temporis in pœnitendo, cùm æquè incertus ſit quanta ſit ſibi neceſſaria.

VII. POSTREMO, eadem concluſio probatur ex decreto Chryſoſtomi ſuprà citato, de pœnitentia, diſtinct. 3. cap. Talis. vbi ait: Quantulamcunque, & quantumlibet breui tempore geſtam pœnitentiam Deus non reſpuit, nec exiguæ conuerſionis patitur mercedem perire. Vbi neceſsitatem intenſionis, ſimul & continuationis in pœnitendo excludit. Iuxta illud Ezechiel. Quacunque hora ingemuerit peccator, non recordabor ampliùs. Vbi rurſus neceſsitas continuationis, & mora temporis excluditur. Pro quo facit exemplum de latrone ſumptum: ſtatim enim quòd veniam peccatorum à Chriſto poſtulauit, audire meruit, idque ſine mora aliqua: Hodie mecum eris in paradiſo. Pro quo etiam Paulus facit, dicens: Nemo poteſt dicere, Dominus IESVS, niſi in Spiritu ſancto. Igitur quamprimum quis verè Chriſtum ex corde verum Deum agnoſcit, habet gratiam Spiritus ſancti. Neſcit enim tarda molimina Spiritus ſanctus: ſed ſine mora his, qui verè ad Deum confugiunt, quales ſunt qui veram habent pœnitentiam, veniam largitur. Pro quo facit cap. Multiplex. de pœnitentia, diſtinct. 1. cap. Conuertimini. vbi dicitur: Si cor noſtrum vndique à malo ad Deum vertitur, mox ſuæ conuerſionis fructum meretur.

Ezech. 18. *Lucæ 23.* *1. ad Cor. 12.*

Reſpondetur ad rationem partis affirmatiuæ. MOTIVVM autem Scoti parum valet: tum quia etſi non requiratur diſpoſitio ex parte peccatoris tempore præuia, non ideo excluditur neceſsitas diſpoſitionis, ſaltem concomitantis: & ideo nulla eſt perſonarum acceptio, ſi huic peccata remittuntur, & non illi: ſi hunc pœnitet, & non illum. Tum etiam, quia eſto Deus pro ſuo beneplacito vellet hunc iuſtificare & non illum, omni diſpoſitione ex parte hominis ſecluſa, non veniret Deus de acceptione perſonarum arguendus. Sicut enim ſecundùm eundem Scotum

A Scotum Deus pro voluntate sua hunc prædestinauit, & non illum, cuius prædestinationis nulla ex parte prædestinati datur causa: sic etiam dat Deus gratiam præuenientem: quæ auxilium speciale dici solet huic vt cōuertatur, & non illi, vt ait Paulus: Quibus vult, miseretur, & quos vult indurat. Sic etiam hunc trahit ad fidem, & non illum. Nec quærendum est, quare hunc, & non illum trahat, vt ait Augustinus, tractans illud Christi: Nemo venit ad me, nisi Pater meus traxerit illum. Et tamen nemo in his potest Deum tanquam personæ acceptatorem arguere, sicut nec figmentum potest dicere ei, qui se finxit, cur me finxisti sic? Ille igitur venit de acceptione personarum arguendus, qui contra iustitiæ debitum vnum alteri præfert, vel qui ob causam indebitam vnum alteri anteponit, vt docet Iacobus in sua Canonica. Quòd etiam dicebatur, dispositionem ad formam debere tempore præcedere ipsius formæ inductionem, verum est de dispositione insufficiente, qualis est caliditas remissa: si tamen dispositio illa sufficiens est ad formæ inductionem, nulla opus est mora in eius inductione: vt quamprimum caliditas est sufficienter intensa, illicò forma introducitur. Et quamprimum species coloris oculum pertingit, efficitur visio. Cùm ergo pœnitentia vera, qualis dicta est, sit ad gratiam sufficiens dispositio, ideo secum statim sine mora habet gratiam concomitantem, ad quam ipsa pœnitentia disponit, & præuia est: si non tempore, saltem naturali præsuppositione.

Ad Rom. 9. *Ioan. 6.* *Ad Rom. 9.* *Iacob. in Canonica ca. 2.*

B SED adhuc superest dubium, supposito quòd nec sit necessaria certa pœnitentiæ intensio, nec eiusdem per tempus aliquod continuatio, vt apud Deum valida sit: an saltem sit necessaria intensio, seu continuatio huiusmodi, ad hoc quòd pœnitentia cordis sit contritio. Respondeo: Dubium hoc quærit, in quo differant attritio, & cōtritio: & occurrit triplex modus dicendi. Quidam enim dixerūt, quòd differunt penes magis & minùs intensum, putantes se id ad mentem Thom. dicere, cùm ipse in quarto de Contritione tractans dicat, posse pœnitentiam de commissis esse adeò paruam, quòd non sufficiat ad contritionem. Sic videntur tenere Richardus, similiter & Adrianus, qui dicunt pœnitentiam, nisi ex toto voluntatis conatu fiat, ad gratiam minimè sufficere: & per cōsequens nec ad rationem contritionis. Contra hunc modum stat ratio: quia gradualis intensio impertinens videtur esse ad hoc, quòd pœnitentia sufficiat ad gratiam. Nam aut illa pœnitentia habetur propter Deum summè dilectum efficaciter, aut non. Si primum: in quocunque gradu habeatur, siue intenso, siue remisso, sufficit ad gratiam, vt ex dictis patet. Si secundum: in nullo gradu quantumlibet intenso sufficit ad gratiam, ex quo sine dilectione summa ipsius Dei, nemo valeat gratiam consequi, vt suprà probauimus.

An necessaria sit intensio seu cōtinuatio, ad hoc vt pœnitentia cordis sit cōtritio. *Quomodo differat contritio & attritio.* *Sententia I.* *Impugnatur hæc sententia I.*

PRAETEREA, quòd id ad mentem Doctoris sancti dictum non sit, apparet. Quia si penes maiorem aut minorem intensionem differrent attritio, & contritio, nil igitur obstaret, quò minùs attritio per sui intensionem fieret contritio: cùm tamen Thom. C dicat suprà, id esse non posse, cùm specie differant secundùm eum hi duo actus. Cùm ergo ibidem loquitur Thomas de paruitate, aut magnitudine displicentiæ, non de his loquitur absolutè & in se, sed respectiuè, ita scilicet, quòd displicentia de peccatis debet esse magna per comparationem ad alia, quæ nobis displicent, vt per eius exempla patet. II.

SECVNDVS modus ait, attritionem & contritionem differre ex parte finis: quia scilicet contritio est displicentia de commissis propter DEVM summè dilectum: attritio verò est de commissis displicere ob alium finem, scilicet, vel timore pœnæ, vel amore honesti. Et secundùm hoc, ait Gabriel, quòd attritio non potest fieri contritio, hac motus ratione: Quia quando attritio fit contritio, vel variatur circumstantia finis, vel non. Si secundum: igitur sicut actus voluntatis priùs erat attritio, ita & pòst erit attritio. Si primum: igitur variatur obiectum voluntatis: & per consequens variatur actus voluntatis, & ita non est idem actus numero, qui priùs erat attritio, & postea est contritio.

Sententia II.

CONTRA hunc modum stat ratio: quia præsupponit quòd omnis actus elicitus voluntatis habet pro obiecto omnes suas circumstantias: & ita variata circumstātia, variatur obiectum, & per consequens variatur actus ipse. Hoc autem præsuppositum videtur falsum: nam stat, intentionem & electionem esse actus volūtatis diuersos numero, quorum primus tendit in finem, & secundus in medium ad finem illum ordinatum. Vnde

Impugnatur hæc II. sententia.

Aristo. ait, accidere sępe intentionem esse rectam, electione existente vitiosa. Sicut etiam stat fruitionem & vsum voluntatis esse diuersos actus, quod in patria ita esse manifestum est: nam fruitio patriæ semper manet eadem, vsus autem non ita. Vnde patet, quòd sæpe datur electio ex intentione causaliter procedens, quæ non habet pro obiecto finem ipsum, in quem tendit intentio.

Qvo dato, apertum est, hunc modum secundò deficere in eo, quod ait, attritionem non posse fieri contritionem. Nam data displicentia de commissis ob finem conuenientem, seu licitum, citra tamen Deum potest illa continuari, superueniente Dei dilectione: quandoquidem non repugnat eundem actum successiuè in diuersos fines dirigi, siue de exteriori actu loquamur, siue de interiori. Propter id enim quod actui accidit, non oportet ipsius actus substantiam destrui: accidit autem displicentiæ de commissis, quòd sit, aut non sit in Deum relata, ac proinde de non relata in Deum, potest fieri relata: & ita de attritione fiet contritio.

Sententia III. Tertivs modus est, quòd attritio, & contritio differunt ex parte obiecti; sic scilicet quòd contritio sit de omnibus commissis displicere: attritio verò sit de quibusdam, sed non de omnibus displicere, manente in voluntate complacentia de aliquo peccato, aut proposito ab aliquo tali non recedendi. Et tunc consequenter dicunt, attritionem non posse fieri contritionem, cùm specie, aut saltem numero huiusmodi actus differant ratione diuersitatis obiectorum. Ad id mouentur, quia attritio est fractio non integra: contritio verò est integra in minutissimas partes diuisio, seu fractio: quod eo modo, quo dixi, verificant.

Reiicitur. Hoc tamen contra communem Doctorum sententiam dictum esse constat in eo, quòd omnes tenent, attritionem actum esse bonum quamuis ad gratiam insufficientem: actus autem, quem hi attritionem dicunt, includit iniquam complacentiam, aut iniquum mentis propositum, vt patet.

Resolutio de differentia contritionis & attritionis. Dicendvm igitur, communem sententiam sequendo, quòd in hoc differunt attritio & contritio, quòd contritio est vltima, & sufficiens dispositio ad gratiam, nec sine gratia esse potest, vt ait Thom. & Scot. & Richard. & cæteri. Attritio verò est insufficiens ad gratiam dispositio, & informis esse potest. Hęc igitur sufficientia vel insufficientia est, quę facit huiusmodi actus differre, idque quantum ad rationem contritionis & attritionis, seu quantum ad nomen. Quę autem sit pœnitentia in re, quę ad gratiā sufficit, & quę non, satis superiùs declaratum esse puto: illa enim pœnitentia, quæ propter Deum summè dilectum habetur, est quæ ad gratiam sufficit: quæ autem sine huiusmodi Dei dilectione est, non ita sufficit: & ita illa prima est dicenda contritio, secunda verò attritio.

Solutio quæstionis propositæ pro parte negatiua. Sententia Caietani. Inde sequitur impertinentem esse pœnitentiæ huiusmodi intensionem gradualem, aut eiusdem per tempus continuationem, ad hoc quòd sit, vel non sit contritio. Nec placet in præsenti Caietani sententia dicentis: Posse contritionem esse informem ad tempus. & mouetur ad id dicendum ex hac ratione, quia si contritio sine charitate esse non posset, sequeretur quòd posset nobis esse euidens in via, nos charitatem habere (loquor de charitate infusa) probat: Quia nobis euidens est, nos dolere de commissis propter Deum summè à nobis dilectum cum proposito efficaci postmodum semper à peccatis

Impugnatur. abstinendi, & hoc est in re verè conteri: igitur euidens esse potest nobis, nos verè esse contritos, & per consequens, nos esse in charitate infusa. Verùm hæc ratio nil probat aliud, nisi talem nos habere cognitionem de hoc quod est, nos in charitate esse, qualem cognitionem habemus de hoc quòd vera contritio sufficit ad habendam charitatem. De huiusmodi autem sufficientia, non euidentiam, imò nec fidem reuelatam habemus: sed opinionem, aut humanam fidem in ratione, & testimoniis scripturæ fundatam, sed non inde euidenter deductam: nullo igitur modo sequitur, quod Caietanus infert, nec verum esse puto quod ait, scilicet huiusmodi contritionem in re habitam, posse esse informem, & de informi posse fieri formatam, nisi cum opinione Scoti de necessitate continuandi per tempus aliquod ipsam pœnitentiam, si prodesse debeat ad gratiam, consentiat: quæ tamen suprà est improbata.

Corollarium I. Eandem numero attritionem nō posse (stante eadem lege) fieri cōtritionem. Corollarie sequitur quòd implicat, non variata lege, attritionem eandem numero fieri contritionem, supposita præfata differentia, quæ scilicet in sufficientia, vel in insufficientia ad gratiam consistat: nam actus voluntatis, qui semel est insufficiens ad gratiā, stante eadem lege, non potest esse sufficiens: si enim semel esset sufficiens, semper

secun-

A secundùm eandem legem esset sufficiens, vt constat. Si obiicias de pœnitentia priùs habita,& non propter Deum,quæ postea continuetur,& in Deum referatur,eadem numero manens priùs erat attritio, vt constat: postea verò fit contritio,ex quo sic relata iam sufficit ad gratiam. Respondeo: Priùs erat attritio, fateor: postea verò, cùm referri in Deum incipit, est contritio,id nego. Quia si homo ille postea gratiam assequitur, non vi solius displicentiæ datæ eam assequitur, sed virtute dilectionis Dei de nouo aduenientis: ideo illa eadem displicentia, quæ priùs ad gratiam non sufficiebat, etiam postea non est sufficiens sola:sed cum dilectione superueniente.Hoc dixerim supposito quòd sufficientia ad gratiam sit de ratione seu connotatione contritionis: secùs tamen si sufficientia huiusmodi esset à significatione nominis extranea.

Obiectio.

Solutio.

IDEM ETIAM corollarium verum est,loquendo de attritione,quæ in re ipsa specie differt à contritione:vt si quis, cùm pœnitet de commissis inefficaciter,tamen proponit postea abstinere per quandam velleitatem: aut si de commissis pœnitet,cum proposito postea à peccato non recedendi:tales attritiones insufficientes constat easdem numero non posse contritiones fieri,cùm res de specie in speciem transire non possit.

Dictum corollarium habet etiam locũ in attritione specie differente à cõtritione.

SEQVITVR insuper,quid de dicto Lutheri tenendum sit,quãdo ait,neminem posse certum esse de seipso an verè contritus sit. Quod dictum ipse verificat hac ratione:Quia nemo potest de se certus esse quòd de omnibus & singulis peccatis suis pœnituerit, aut B pœniteat,cùm nemo certò sciat, quot numero peccata commiserit: iuxta id quod scriptum est, † delicta quis intelligit? Vbi contritionẽ ipse accipit pro pœnitẽtia de omnibus & singulis peccatis ab homine commissis. Nos tamen nomen ipsum contritionis distinguentes dicimus, si de ratione formali contritionis sit sufficientia ad gratiam, ita vt contritio sit dolor de peccatis propter Deum, connotando quòd ad gratiam sufficiat, verum est dictum præfatum,loquendo de certitudine euidentiæ,aut fidei:secùs de certitudine morali,aut probabilis coniecturæ. Si tamen contritio de suo formali,prædictam sufficientiam non importet, sed dolorem de commissis propter Deum super omnia dilectum cum proposito efficaci postmodum à peccatis abstinendi:falsum est dictum Lutheri:imò stat hominem certum esse certitudine euidentiæ, se contritum esse, vt satis de se constat.

II. Corollariũ. Quomodo intelligẽdum sit Lutheri dictũ, neminem scilicet certũ esse posse de seipso, num verè sit contritus necne.

† Psal. 18.

QVÆSTIO SEXTA.

DEINDE solet quæri, quando sit peccatori necessariò agenda pœnitentia: & occurrit prima dubitatio, an quamprimum potest de commissis pœnitentiam agere, teneatur ad id? Pro parte affirmatiua arguitur

An statim post admissũ peccatum, teneatur quis agere pœnitentiam.

PRIMO, ex dicto communi,qui se periculo peccandi exponit,pec- C cat:iuxta illud Ecclesiast. 3. Qui amat periculum, peribit in illo. Talis est quem non pœnitet commissi quamprimum potest ob periculum in aliud peccatum cadendi:iuxta illud Gregorij: Peccatum,quod per pœnitentiam non diluitur, mox suo pondere in aliud trahit.

Ratiões pro parte affirmatiua. I.

SECVNDO ex eo, quod habetur Ecclesiast. 5. Ne differas conuerti ad Deum, nec differas de die in diem:nam citò venit ira Dei, & sumit vindictam. II.

TERTIO facit quod dictum est ad Angelum Ephesinum: Age pœnitentiam: sin autem,veniam tibi citò, & mouebo candelabrum tuum de loco suo. Similis etiam sententia dicta est ad Angelum Pergamensem, Apocal. 2. III.

QVARTO, homo tenetur non esse Deo inimicus vllo vnquam tempore, cùm id maximè in perniciem hominis ipsius cedat,hoc est,in mortem animæ: igitur sicut tenetur homo in Dei inimicitiam non incidere, ita etiam si in eam inciderit, tenetur statim ab ea exire:quandoquidem nõ minùs noceat animæ in Dei inimicitiam incidere, quàm in ea permanere,aut econtrà. Confirmatur:quia qui laborat morbo,aut vulnere lethali, nisi statim curauerit adhibere remedium, dum potest,censetur sibi causa mortis existere:iuxta illud Symmachi Papæ, Non grandis differentia est,lethum inferas,vel admittas. Mortem enim languentibus videtur infligere, qui hanc, cùm potest, non excludit. Et habetur 83. distinct. Igitur qui potest se à morbo peccati liberare,cùm per pœnitentiam possit, nisi illicò id faciat, peccat. IIII.

Confirmatio eiusdem.

QVINTO,

V. QVINTO, si proximo læsionem, aut damnum aliquod intulimus, tenemur cùm primum possumus, debitum illi soluere. Quod enim sine termini præfixione debetur, statim soluere oportet, vt iura proclamant: vt in debito pecuniario ex furto contracto exemplariter patet, scilicet quia tenemur illud statim soluere, & restituere: igitur, cùm ex peccato contra Deum commisso ortum sit debitum pœnitendi, nec sit à Deo terminus aliquis præfixus, sequitur quòd obligatio pœnitendi currit, vt statim nos pœniteat. Confirmatur hoc: quia si frater habet aliquid aduersùs nos, necesse est absque dilatione eius recôciliationem quærere, adeò vt nec munus ad altare liceat offerre, priusquam fratri reconciliati fuerimus, vt habetur Matth. 5. igitur à fortiori, cùm Deus ob culpam in eum commissam habeat aliquid aduersùs nos, tenemur eidem, quam primum possumus, reconciliari, nec aliter quàm per pœnitentiam.

Confirmatio eiusdem.

VI. SEXTO, si licitum esset, pœnitentiam differre scienter & voluntariè, sequitur quòd similiter esset licitum velle huiusmodi pœnitentiæ dilationem ad tempus: & ex consequenti esset licitum pro illo tempore velle carere Dei gratia, & amicitia: hoc autē videtur falsum, cùm sit contra præceptum negatiuum de non odio prosequendo seipsum. Sicut enim velle proximo quòd Dei gratia & amicitia careat, est illum odisse: ita hoc ipsum sibiipsi velle, est seipsum odisse: odisse autem seipsum aut proximū, est contra præceptum negatiuum, quod semper & pro semper obligat: igitur. Et consequentia prima patet. Quia quod nobis licitum est operari, est etiam licitum velle operari: & quod licitum est nobis non facere, similiter licitum est nobis velle non facere.

Occurritur obiectioni.

SI DICATVR licitum est id quod illatum est ad tempus velle nobis aut proximis, nec hoc est propriè nos, aut proximos odisse: quia cum hoc stat quòd optemus nobis & proximis finalem & æternam salutem. Contrà, sicut optare mortem æternam proximo aut nobis, est verè ad semper illum odisse, & côtra charitatem in proximum habendam: ita optare proximo mortem spiritualem ad tempus, est illum ad tempus odisse, & contra charitatem in illum habendam: alioqui licitum esset velle proximo quòd ad tempus furtum, uel aliud vitium exerceat: nam cum hac volitione simul stat, quòd velimus proximo æternam, & finalem salutem.

Præcepta in triplici sunt differentia ex sententia Caietani. *Exemplis singula declarantur.*

IN OPPOSITVM tamen est plurimorum sententia: dixit Caietanus, triplicia esse præcepta, quædam affirmatiua, quibus actus aliqui iubentur: quædam negatiua, quibus actus prohibentur: quædam verò negatiua, quibus non actus directè, sed permanentia seu perseuerantia in aliquo statu prohibetur. Exemplum primi, de præcepto, quo tenemur confiteri, conteri, eleemosynā indigenti dare, & contra hęc directè peccatur omittendo actus iussos. Exemplum secundi, de præcepto, quo prohibemur mentiri, occidere, furari &c. & contra hæc directè peccatur, illos actus prohibitos agendo. Exemplum tertij, de pręcepto, quo ꝓhibemur alienum detinere, in odio Dei perseuerare, aut in peccato alio. Et contra hæc præcepta, vt ait, non peccatur, nisi actus positiuus habeatur, seu committatur, quo homo velit in alieni detentione, aut in alio statu malo perseuerare: obligant tamen huiusmodi præcepta tertij generis ad statim, quia tenetur homo non perseuerare in malo. Præcepta autem secundi generis obligant ad semper, & pro semper. Præcepta verò primi generis, non pro semper, nec ad statim obligant, sed tempore determinato.

Obligatio diuersa eorūdem præceptorum.

Resolutio Caietani.

AD PROPOSITVM, cùm præceptum de conterendo, directè affirmatiuum sit, & includit præceptum negatiuum de vitando odium Dei, seu de in eodem nō perseuerando, concludit, quòd præceptum de côterendo, quatenus affirmatiuū est, non ad statim, nec pro semper obligat: sed pro tempore determinato: puta quando quis est in periculo mortis, aut quando, vel suscepturus, vel ministraturus est Sacramentum aliquod: iuxta doctrinam Thomæ in. 4. & communem. Attamen ratione præcepti negatiui de cessando ab odio Dei, quod in omni peccato mortali includitur, tenetur peccator ad statim conteri: de nouo tamen non peccabit per solam non contritionem, nisi actum positiuum eliciat, quo velit in tali statu odij Dei permanere. In qua opinione vnum est, quod difficultatem facit: quia videtur dicere, quòd eo modo tenetur quis statim côteri, vt ab odio Dei cesset, quo modo tenetur quis statim restituere, quod abstulit, vt à peccato de detinendo alienum desistat, in quo innuit non peccare furem de nouo, si non statim restituat ablatum: sicut nec si non statim de commissis doleat, excepto, nisi actu positiuo velit rem alienam, aut odium Dei detinere. Contrà, videtur ratio de eo, qui cùm alienum

Præceptū de côterendo quatenus affirmatiuum est, nō nisi pro determinato tempore obligat. *Ratione verò pcepti negatiui quod includit de vitando odio Dei, obligat peccatorem vt statim côteratur.* *Posterius Caietani dictum impugnatur dupliciter.*

A alienum restituere potest, non tamen restituit, quòd peccat mortaliter: non solùm quia abstulit alienum, sed quia postea cùm potest, non restituit. Tum, quia non minùs damnificamus proximum, si rem illius eo inuito nobis ipsis retinemus, quàm si eandem illi auferamus, vt constat. Igitur sicut auferre alicui, quod suum est, est peccatum: ita & detinere, similiter erit peccatum, etiamsi non eliciatur actus positiuus, quo velimus alienum detinere. Tum etiam, quia illud, per quod homo præstat impedimentum remissioni peccatorum, & gratiæ, est peccatum, tale est alienum non restituere: iuxta dictum Augustini, non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum. Et procedit hoc etiam, si post rem ablatam, voluntas se habeat neutraliter, vt scilicet, nec velit, nec nolit positiuè alienum restituere cùm possit. Si dicas non esse peccatum nouum, non restituere, secluso nouo actu voluntatis restituere nolentis, sed antiquum, & continuatum, parum id ad rem attinet, si dicendum sit nouum peccatum, an antiquum, modò id concedatur, scilicet rei alienæ detentorem Domino inuito, hoc ipso pœna æterna fore puniendum, vltra pœnam, quam ob eiusdem rei iniustam oblationẽ meruerat. Et quòd id ita sit, apertè patet: quia præsupposita iniusta rei alienæ acceptione, stat quòd postea per solam non restitutionem eiusdem rei, homo qui eam detinet, charitatem præhabitam amittat, quod sine peccato, etiam nouo fieri non potest. Vt si huiusmodi detentor de commisso sufficienter contritus, proponat efficaciter rem suo Domino restituere, B iam est in gratia: deinde in executione ipsa à proposito retrocedat, etiam negatiuè omni actu voluntatis secluso, sed voluntate neutraliter se habente, & de restitutione notabiliter titubante, seu vacillante: tunc enim non dubium, eum charitatem prehabitam amittere, per solam non restitutionem sine actu voluntatis positiuo, & erit nouum peccatum numero: nec curo, an specie ab antiquo differat, an non. I.

Obiectionis cuiusdam solutio.

SECVNDO, videtur deficere in eo, quod ait, præceptum de conterendo obligare ad statim, ratione præcepti negatiui de non retinendo odium Dei, in quod ex peccato mortali incurritur. Nam quæro, de quo odio Dei sit hoc intelligendum, vel de odio Dei, quo Deus odit peccatorem: & vitare illud, seu illud non retinere, non cadit sub præcepto immediatè, & directè: quandoquidem nil nobis præcipi potest, nisi quod in nostra potestate situm est, quale est aliquid agere, aut non agere, siue actus elicitus voluntatis sit, siue imperatus: Deum autem odio nos habere, nec actus noster est elicitus nec imperatus, nec in nostra potestate immediatè existens, vt patet. Si verò sit hoc de odio, quo Deum odimus, intelligendum, quæro, vel intelligendum est de odio Dei actuali, vel habituali: si de actuali, esto quòd ita sit, quòd præcepto negatiuo tenemur, nunquam Deum odio actualiter habere: huic præcepto satisfacit peccator, si post peccatum commissum, non actu doleat, nec de illo conteratur, modò Deum actu non odio habeat, vt constat: igitur falsum est, quòd ratione huiusmodi præcepti negatiui, de non odiendo Deum actu teneatur peccator post peccatum statim conteri. Si autem C de odio Dei habituali intelligatur, tunc falsum est, esse præceptum tale negatiuum, quo teneamur Deum non odire habitualiter: nam habitus non sunt in nostra potestate secundùm se, nisi ratione actuum, dicente Aristot. Actuum Domini sumus à principio ad finem, non ita habituum. Falsum igitur est, quòd præceptum de conterendo obligat ad statim ratione præcepti negatiui in eodem inclusi, quo tenemur, non retinere odium Dei. II.

DICENDVM igitur ad quæstionem, quòd peccator non tenetur conteri, aut pœnitere de commisso statim, seu quàm primum potest, etiamsi peccatum dimissum non sit. Tum quia præceptum de pœnitentia est affirmatiuum, affirmatiua autem non obligant, nisi tempore determinato, vt est omnium Doctorum consensus: & patet exemplariter de præcepto de confitendo, ad quod non tenetur homo statim, & de præcepto de baptismo suscipiendo, ad quod non tenetur homo quàm primum potest: cùm in primitiua Ecclesia tempus baptismi fuerit determinatum, puta in Paschate, & Pentecoste: extra quæ tempora baptizari quenquam absque necessitate non permittebatur: de consecrat. distinct. 4. Ad hunc modum de aliis. Tunc etiam, quia non obligamur ad statim reducere proximum post lapsum, quin possimus maiorem opportunitatem expectare, vt Augustin. tradit. 1. de ciuit. Dei, cap. 10. Ergo nec tenemur nosmetipsos statim ad gratiam reducere. Consequentia patet, cùm teneamur proximos, sicut nos ipsos ex charitate diligere.

Conclusio Authoris.
Nõ tenetur peccator statim seu quàm primum potest de cõmisso peccato pœnitere etiamsi peccatũ dimissum non sit.
Probatur I.

TVM

II. Tvm etiam, quia aliâs peccator, qui quàm primum poteſt, non pœnitet, infinities peccaret, pœnitentiam differendo, cùm in omni tempore dilationis infinita ſint partialia tempora, in quibus poſsit pœnitere. Denique, cùm nec authoritate, nec ratione conuincente doceri poſsit, peccatorem ſub pœna noui peccati teneri, ad ſtatim conteri, ſeu pœnitentiam agere, voluntariè videtur id eſſe dictum. Quod autem illud certò doceri, ſeu concludi non poſsit, patet ſoluendo rationes ſuprà in oppoſitum factas.

Soluuntur rationes in oppoſitum allatæ.

Ad I. Ad primvm, quando arguitur eſſe neceſſarium, ſtatim pœnitere ob periculum in aliud peccatum incidendi, dicendum, illud procedere, vbi tale periculum eſſet probabile, & veriſimiliter eucnturum, quod ipſe homo non poſſet, ſi vellet, facilè euitare: modò autem quamuis homo pœnitentiam differendo, in aliud peccatum poſsit cadere, non tamen erit caſus ille talis, quem non poſsit, ſi velit, facilè euitare tunc, quando cadet. Secundò dico, Gregorium procedere de peccatore, qui diu à Deo expectatus, vt pœniteat, contemnit pœnitentiam, vt videri poteſt Homilia 11. ſuper illud Ezechiel. 33. ſi conuerſus iuſtus fecerit iniquitatem. Vbi quæſtione mota, cur Deus omnipotens offendiculum ponit ei, quem cecidiſſe iam conſpicit, inquit: Diſtricta ſunt omnipotentis Dei iudicia, qui peccatorem diu expectat, vt redeat: non redeunti, & contemnenti, offendiculum ponit adhuc, vbi grauiùs impingat. Et ſequitur, peccatum quippe, quod per pœnitentiam non diluitur &c. Vnde conſtat, quòd loquitur contra peccatorem, qui diu expectatus, pœnitere contemnit: talem enim Deus aliquando deſerit in peccato putreſcere, vnde fit, vt in aliud peccatum cadat. Sic etiam Hieronymus exponit illud Prophetæ, Pſal. 37. Putruerunt, & corruptæ ſunt cicatrices meæ, à facie inſipientiæ meæ, id eſt, qui pœnitentiam facere contemnebam. Modò autem ſtat peccatorem differre pœnitentiam ad tempus abſque hoc, quòd pœnitentiam contemnat diu expectatus: nec etiã Deus tam ſeuerus eſt aduersùs eum, qui parum pœnitentiam differt ob cauſam aliquam non iniquam, vt illum omnino deſtituat: ſicut contra eum, qui diu expectatus pœnitere non vult.

Ad II. Ad secvndvm ex Eccleſiaſt. 5. dicendum, quòd illud dictum, non eſt verbum neceſsitatis, ſed potiùs vtilitatis, & conſilij: tunc maximè, quando periculum mortis nõ imminet probabiliter: quamuis enim dies mortis omnino incertus ſit, non tamen inde ſemper eſt probabile, mortem ſubitò, ſeu illicò eucnturam: vt ſi nullus ſit morbus, nec peſtis, nec bellum, nec inimicitiæ, nec aliud veriſimile periculum. Quod autem ait: nam citò venit ira Dei, & ſumet vindictam, li, citò, non ſubitaneam, ſtatimq; venturam mortem, ſed breuitatem humanæ vitæ, finiſque eius incertitudinem ſignificat: ideo conſulit ſapiens, ne de die in diem pœnitentiam differamus: & hoc eſt, quod Chriſtus admonet in Euangelio, Eſtote parati, quia neſcitis diem & horam &c.

Ad III. Ad tertivm ex Apocal. 1. dici poſſet, quòd illi Epiſcopi, in quos diuina tendebat comminatio, tenebantur ſtatim comminatione audita pœnitere: quia illis ſpeciale de hoc tradebatur præceptum comminatorium, quibus Chriſtus Eccleſiam ſuam ſpecialiter commiſerat: nec inde ſumitur argumentum, quòd ſimiliter, quicunque peccator ſub nouo peccato teneatur ad ſtatim conteri, ſeu pœnitere. Secundò dici poteſt iuxta prædicta, quòd quantumcunque tardè veniat homini mors, & diuina vltio, quæ peccatoribus expectatis, & denique non pœnitentibus poſt mortem parata eſt, dicitur ſatis citò venire: tum quia apud Deum mille anni ſunt, ſicut vna dies: tum etiam, quia breuis eſt vita hominis, & ſicut fœnum, & ventus, & flos agri velociter tranſit, vt lamentatur Iob, & canit Pſalmiſta. Sed in hac vitæ breuitate datur peccatori tempus ad pœnitendum, ſicut & ad confitendum, ſicut & ad baptiſmum ſuſcipiendum, quem ad ſalutem hominis conſtat neceſſarium eſſe, ſicut & ipſa cordis pœnitentia.

Ad IIII. Ad qvartvm, de inimicitia Dei vitanda dicendum, quòd ita eſt, quòd tenetur homo, nunquam fieri Deo inimicus actu offendendo illum: non tamen inde ſequitur, quòd poſtquam quis factus eſt Deo inimicus, ſtatim tenetur amicitiam eius procurare, niſi tempus neceſsitatis vrgeat, puta ſi homo ſit in periculo mortis, aut velit Sacramenta recipere, vel miniſtrare: aut in alio caſu, quo teneatur homo ſe ad gratiam diſponere. Et quando arguitur: non minùs eſt in perniciem ſalutis ſpiritualis, in Dei inimicitia perſeuerare, quàm in Dei inimicitiam incidere: dicendum, id eſſe falſum, niſi velit homo ſemper in tali inimicitia permanere. Tunc enim huiuſmodi perſeuerantia mortale peccatum eſt, & contra ſalutem animæ, ſicut in Dei inimicitiam per offenſam incidere: permane-

A manere tamen in Dei inimicitia, seu in peccato secundùm reatum tantùm, idq; ad breue tempus, quousq; necessitas vrgeat, nullum est animæ periculũ nouum, vt ex dictis apparet. Ad confirmationẽ de eo, qui morbo aliquo laborat, quòd tenetur statim remedium adhibere: verum est, quando ex dilatione verisimiliter timetur mors euentura, aut aliud notabile damnum, cui postea occurri non posit: secùs tamen si ex aliqua dilatione, nullum tale periculum probabile timetur. In casu autem præsenti homo per peccatum cõmissum iam mortuus est, & ideo si nullum est periculum in differendo suscitationem à morte, non est necessarium, statim suscitari. Sicut si medicus haberet potestatẽ suscitandi hominem iam mortuum, non tenetur statim eum suscitare, cùm ex dilata suscitatione nullum immineat periculum &c. Sicut nec tenemur delinquentem fratrem statim corrigere, sed differre possumus, quando ex dilatione nullum timetur periculum. *Ad cõfirmationem eiusdem.*

Ad Qvintvm, de debito statim soluendo: Procedit illud dictum iuris de debitis realibus, ex delicto contractis, non de gratuitis, cuius discrimen est. Quia si aliquid fratri debemus, quod, scilicet vi, vel iniuria, aut dolo aliquo eidem surripuimus, aut eum iniustè damnificauimus, illo inuito fecimus: & ideo quamdiu rem sibi debitam, eo inuito detinemus, peccamus actu, non reddendo, cùm possumus: quia semper sumus in mora. In gratuitis autem debitis, qualia sunt, quæ ex mutuo, deposito, aut commodato nascuntur, non ita Domino inuito rem eius retinemus: ideo talia debita non tenemur statim reddere, quousque creditor ipse petat, aut terminus præfixus adueniat. Modò autem, quamuis ex offensa contra Deum commissa mansimus Deo debitores, & de offensa tenemur eidem per pœnitentiam satisfacere: non tamen ad id tenemur, antequam ipse exigat: quia pœnitentiam pro offensa, non ex natura illi debemus, vt suprà dixi, sed quia ipse eam exigit: ideo non est necessarium eam reddere, nisi quando ipse exigit: ipse autem Dominus non eam ad statim exigit, cùm tempus ad pœnitendum nobis pro sua benignitate largiri dignetur. *Ad V.* B

Ad confirmationem de recõciliatione cum proximo dicendum, quòd non inde colligitur, quòd statim, quando proximũ offendimus, tenemur eum adire & eidem reconciliari: sed quòd non priùs munus ad altare offeramus, quàm proximo reconciliemur, si scilicet volumus nostram oblationem Deo gratam esse, vt illic dicit glos. Alioqui nil obstat, quò minùs posimus præcepta aliqua in peccato existentes adimplere absq; hoc, quòd de nouo peccemus: non tamẽ erit meritoria adimpletio. Ita igitur, si volumus Deo esse statim grati, & eidem accepti, opus est, vt statim eidem reconciliemur: non tamen id absolutè est sub pœna peccati necessarium. *Ad eiusdem cõfirmationem.*

Ad sextvm, in quo quæritur, an sicut licitum est pœnitentiam differre, sit etiam licitũ actu positiuo, velle eam differre, & actu positiuo nolle ad tempus aliquod pœnitere, * respondeo, nõ esse dubium, quin id licitum sit. Quia ille actus, si esset illicitus, aut id esset ratione obiecti, aut alicuius malæ circumstantiæ, aut ratione præcepti, huiusmodi actum prohibentis: sed nullum ex his videtur. Ratione quidem obiecti non est illicitus: quia obiectum est in se licitum, scilicet non pœnitere ad tempus, seu pœnitentiã ad tempus differre. Ratione etiam circumstantiæ deprauantis non est illicitus: quia omnem talem ego secludo. Ratione etiam præcepti non est illicitus: quia non dabitur tale præceptum, quo præfatus actus prohibeatur. Nam pono, quòd talis actus habeatur eo tempore, pro quo non tenetur homo actu pœnitere: tunc enim, nec præceptum affirmatiuum, nec negatiuum, obligat hominem, ne pro tunc actum illum habeat. Confirmatur hoc: quia pro illo tempore, quo licitum est confessionem, aut baptismum, aut Eucharistiam, aut eleemosynam differre, licitum etiam est actu positiuo velle pro tunc illa omnia differre vsque ad tempus necessitatis: igitur etiam pro illo tempore, quo non tenemur actu pœnitere, licitum erit actu positiuo nolle pro tunc pœnitere. *Ad VI. Dubium. An sicut licitũ est, differre pœnitẽtiã, perinde etiã liceat actu positiuo velle eam differre, atq; adeò nolle ad tempus conteri. * Solutio affirmatiua.* C

Sed contra obiiciet aliquis, præceptum affirmatiuum includit negatiuum, quo pro semper prohibetur actus oppositus ei, qui præcipitur: cùm ergo sit præceptum affirmatiuum de pœnitendo pro aliquo tempore, & actui pœnitentiæ opponitur volitio nõ pœnitendi, seu pœnitentiam differendi, ex quo incõposibilia sunt hæc duo, scilicet pœnitere actu, & velle pœnitentiam differre, vt cõstat: sequitur, quòd ista voluntas nõ pœnitendi, seu pœnitentiam ad tempus differendi, est semper illicita. Respõdeo, quòd ratio procedit de actu, qui directè cõtrariatur actui præcepto, quales sunt actus in idem obiectum, cõtrario modo tendentes, vt diligere, & odio habere: placere, & displicere: nolle, & *Obiectio.* *Responsio.*

velle, respectu eiusdem obiecti. Sic enim si Dei dilectio, pro aliquando præcepta est, odium eiusdem Dei pro semper prohibitum est. Si dolere de peccato commisso, pro aliquando iussum est, complacere de eodem commisso, pro semper illicitum est: ad hunc modum de aliis. Modò autem hic actus, qui est velle ad tempus, necessariam pœnitentiam, aut confessionem, aut baptismum differre, non directè contrariatur actui cadenti sub præcepto, qui est dolere de commissis, confiteri, & baptizari, vt de se constat. Aliud enim est, nolle nunc de commissis dolere, aliud verò est, de cõmissis nunc complacere: hoc secundum est semper illicitum; non primum, nisi pro eo tempore, quo necessarium est pœnitere. Sicut patet etiam per aliud exemplum: diligere Deum cadit sub præcepto pro certo tempore, & tamen extra illud tempus licitum est nolle Deum diligere extra illud tempus: imò simul stat, quòd quis actu diligat nunc Deum: & quòd habeat voluntatem pro crastina, non actu Deum diligendi. Si contra hoc obiicias, quòd nunquam licitum sit, nolle diligere Deum, sicut nec odisse, quia omnis actus, qui repugnat charitati, est illicitus, & peccatum mortale: talis est actus hic, quo nolo nũc Deum diligere. Probatur, quia actus qui repugnat actui charitatis, repugnat & ipsi charitati: sed nolle nũc diligere Deum, repugnat dilectioni Dei, vt patet. Respondeo; minor est falsa, scilicet quòd hic actus, quo nolo nunc diligere Deum, repugnat charitati infusæ: nec sequitur, repugnat actui charitatis, huic scilicet, quo actu Deum diligo: igitur repugnat ipsi charitati, quia charitati non repugnat nisi inobedientia mandatorum. Modò autem hæc bene se compatiuntur, propono Deo obedire, & eius mãdata tempore debito per omnia custodire; cum hoc tamen nolo nunc actum diligendi Deum, aut proximum elicere, ex quo pro nunc, nullum mandatum me ad actu diligendum obligat.

Alij obiectioni respondetur.

An liceat actu positiuo velle ad tempus aliquod in peccato, atq; adeò in Dei indignatione permanere? Solutio duplex.

SED DEMVS, licitum esse actu velle pœnitentiam differre, seu nolle vsq; ad tempus vrgens pœnitere, cùm in tali tempore necesse sit hominem in peccato permanere, & in Dei indignatione, & in morte animæ per carentiam gratiæ, & charitatis, an sit etiam licitum actu positiuo, hæc omnia pro tunc velle, cùm ea velle, videatur ad odium sui ipsius pertinere: Et an hæc omnia sit similiter licitum velle proximo absque hoc, quòd eum odisse dicamur: Respondeo; posse dupliciter dici, primò quòd illa, quæ illata sunt, non
I. est licitum actu velle, cùm contra charitatem sui ad tempus esse videatur: & consequentia illa, in qua se fundat ratio dubij præsentis non valet: scilicet, vult homo licitè antecedens bonæ consequentiæ, igitur ex consequenti, vult ipsum consequens. Nam sæpe accidit, me scire consequentiam esse bonam, & velle antecedens: cuius tamen consequens non ita volo. Scio enim valere hanc, si perseuerauero in amore fœminæ, æternaliter damnabor, & tamen stat, me velle antecedens non volendo consequens. Scio etiam valere hanc, si defendero me ab inuasore, occidam illum, cùm non habeam defensiuum, nisi lethale: & tamen volo antecedens, & non inde volo consequens, nec licitum est ipsum velle, ex multorum sententia. Valebat etiam hæc, si Christus est redempturus mundum, est à Iudæis occidendus: cuius tamen antecedens poterant homines licitè velle, non ita consequens, & ad hunc modum de aliis. Ita igitur in præsenti, scio hanc consequentiam bonam esse, differam pœnitentiam vsque ad quatuor dies: igitur interim ero in peccato mortali, in Dei inimicitia, & indignatione, in morte spirituali sine charitate: & tamen stat, me velle antecedens, absq; hoc, quòd velim consequens. Quòd si verum est dictum, scilicet, qui vult efficaciter antecedens bonæ consequentiæ, ex consequenti vult ipsum consequens: procedit, & verum est, quando ipsum consequens est medium necessarium ordinatum, ad consequendum antecedens: vt qui vult antecedens hoc, scilicet se finaliter saluari, ex consequenti vult Sacramenta necessaria fidei suscipere, & alia Dei mandata seruare. Secùs quando consequens non sic est de se ordinatum ad antecedens, quemadmodum apertè patet in hac consequentia, pœnitet me peccasse, ergo peccaui: quam scio bonam esse, & tamen volo antecedens, consequens autem non
II. volo. Posset secundò dici, quòd ea quæ illata sunt ex dilatione pœnitẽtię, potest homo licitè velle, scilicet carere gratia, & esse in morte animæ, & in Dei inimicitia: non quidem absolutè, sed ex suppositione: præsupposito, scilicet, quòd ad tempus velit pœnitentiam differre, & quia per peccatum meruit in illa mala incidere, quæ iustũ est ipsum peccatorem pati: nec hoc est seipsum odisse: sed se humiliter diuinæ vltioni subiicere, quam scit se per offensam commissam meruisse: odisset autem se, si proponeret nunquam pœnitere. Sed de hoc alibi in tractatu de confessione, vbi similis quæstio proposita est.

EST

A Est itaqve resolutio, quòd perseuerare in peccato secundùm reatum per tempus aliquod, pro quo non tenetur quis se ad gratiam disponere, non est peccatū nouum, nec per hoc meretur homo æternam pœnam, nec augmentum eius. Tunc enim voluntate existente neutra, nec peccat homo commissiuè, nec omissiuè, cùm pro tunc nullum actum positiuum eliciat, nec elicere tenetur: & per consequens non tenetur homo sub pœna noui peccati, vel augmenti eiusdem, statim pœnitere de commisso, sed potest licitè actu positiuo velle differre pœnitentiā vsq; ad tempus vrgens, cum quo stat propositum verum debito tempore pœnitendi. Vnde sequitur, esse dabilem actum voluntatis deliberatum licitum quidem, qui tamen meritorius esse non potest: patet de actu, quo positiuè non vult homo tali tempore pœnitere: patet de actu, quo positiuè non vult homo Deum diligere pro eo tempore, quo diligere non tenetur. Nam tales actus repugnāt dilectioni Dei, ideo in Deum referri non possunt, & ita nec meritorij esse. Sicut stat dari actum licitum, qui bonus moraliter esse non potest: patet de actu, quo quis pro eo tempore, quo nō tenetur actum aliquem elicere, nolit positiuè amorem honesti elicere, qui actus repugnat amori honesti: & ita in honestum referri non potest ac proinde, nec esse bonus moraliter. Ad hunc modum possunt alia inferri, quæ parum aspicientibus dura esse videbuntur. de his hactenus &c.

Quatenus perseuerare in peccato secundùm reatū nō sit nouum peccatum.

Corollarium. Dari potest aliquis actus volūtatis deliberatus, qui licitus quidem sit, non tamen meritorius.

B Alia occurrit dubitatio, an post primam de commissis contritionem sit necessarium postea, quoties peccata memoriæ occurrerint, de eisdem pœnitere. Dixerūt aliqui, quòd sic, si practicè peccata memoriæ occurrant: quod fit quando aduertit homo se Deum per illa peccata offendisse: & pro his facit ratio. Quia peccatis memoriæ occurrentibus, vel homo cōplacet in illis, vel displicet, vel nullum actum elicit; sed neutraliter se habet: si complacet, peccat, & de nouo Deum offendit: si neutraliter se habet, videtur Deum negligere, quem non offendere, sed summè diligere, & reuereri, atque timere deberet: restat ergo, vt de sic occurrentibus displicere debeat.

An post primā cōtritionē, quotiescunq; peccata memoriæ occurrant, necesse sit de iisdem pœnitere?

Ratiōes partis affirmatiuæ I.

Praeterea, pro eisdem videtur facere Augustin. libr. de pœnitentia: & habetur de pœnitentia, distinctio. 3. cap. Pœnitentia est quædam &c. Vbi ait: Quotidie dolendum est de peccato, quod declarat ipsa dilectionis virtus. Et infrà: pœnitere enim est pœnam tenere, vt semper puniat in se vlciscendo, quod commisit peccando. Et infrà: pœnitentia enim est vindicta semper puniens in se, quod dolet commisisse: vbi dolor finitur, deficit pœnitentia: si verò pœnitentia finitur, quid relinquitur de venia? Ex quibus apparet, pœnitentiam nunquam esse finiendam, sed quotidie frequentandam, etiamsi semel quis de peccatis fuerit contritus. Pro quo etiam videtur facere Isidorus, lib. 2. de summo bono, dicens: Propitiatio Dei occulta est, sine intermissione flere necesse est: & per consequens, quoties peccata memoriæ occurrunt, dolendum est. Quibus non obstantibus, videtur opposita conclusio tenenda. Et probatur: quia post habitam primam contritionem, non videtur necessaria iterata contritio: quia, vel esset necessaria ad obtinendam remissionem culpæ commissæ & pœnæ æternæ: vel ad remissionem pœnæ temporalis residuæ, in quam per contritionem fuerat æterna commutata: vel ad satisfaciendum præcepto de pœnitendo. Non primum: quia per primam contritionem obtenta fuit gratia, & remissio peccatorum, quo ad culpam, & pœnam æternam, vt suppono alibi probatum. Nec est dicendum secundum: quia illa pœna temporalis potest absque reiteratione contritionis totaliter aboleri, scilicet per primam contritionem vehementem seu superabundantem, & per feruorem charitatis, aut per sumptionem Sacramentorum, aut per alia opera meritoria: aut denique poterit talis pœna solui in purgatorio, & vsque ad id tempus eius solutio reseruari. Igitur ad finem obtinendi remissionem illius pœnæ temporalis, non est necessaria iterata contritio: sed nec est necessaria ratione præcepti: quia licet sit præceptum de pœnitendo, non tamen reperitur præceptum de iterato pœnitendo, & multò minùs de pœnitendo toties, quoties peccata commissa memoriæ occurrunt. Adde, quòd ex authoritatibus Scripturæ, non ad aliud videtur sub necessitate tradita pœnitentia, nisi ad cōsequendam remissionem, iuxta illud Petri in Actibus: Pœnitemini, vt deleantur peccata vestra. Cùm ergo per primam contritionem fuerint deleta, videtur quòd non ampliùs ad illum finem sit necessaria iterata pœnitentia.

II.

Cōclusio authoris negatiua. Probatur I.

C

II.

Confirmatvr: quia sicut iussa est pœnitentia ad finem cōsequendi peccatorum remissionem; ita iussa est cōfessio Sacramentalis ad eundem finem, vt suppono: sed pec- III.

cator satisfacit præcepto de confitendo per primam confessionem legitimè factam, ita vt iterata confessio eorundem peccatorum necessaria non sit: Igitur similiter satisfacit præcepto de pœnitendo per primam contritionem, ita vt iterata contritio necessaria non sit.

IIII. Ad idem facit, quia nõ minùs tenemur Deum diligere, quàm de offensis in Deum commissis pœnitere: sed ad diligendum Deum toties, quoties Deus memoriæ nostræ occurrit, minimè tenemur, cùm huiusmodi præceptum charitatis habeat sua tempora, pro quibus ad actum obligat: igitur nec tenemur de commissis pœnitere, quoties memoriæ occurrunt. Et procedit hæc conclusio, quando certum, vel probabile est, peccata esse per primam contritionem condonata. Quòd si hoc certum aut probabile nõ sit, sed dubium: stante dubio, necesse est contritionem iterare ob periculum decedendi sine venia. Quemadmodum si talem quis habeat conscientiam, qua putet sibi necessariò esse frequenter pœnitendum: tenebitur ratione conscientiæ, etsi erronea sit, iuxta eam agere: qui enim contra conscientiam agit, ædificat ad gehennam.

Limitatio conclusionis prædictæ.

Respõdetur ad 1. rationem in oppositum.

Iam respondendvm est ad rationes suprà factas. Ad primam dicẽdum, quòd peccator poterit in casu neutram habere voluntatem pro illo tempore, quo præceptum affirmatiuum eum nõ obligat ad actum. Nec inde fit, vt contemnat, aut negligat Deum: sicut non contemnit homo Deum, quando actu eum non diligit extra tempus, quo alioqui nõ tenetur diligere. Nec ideo quis consilia Euangelica cõtemnere dicitur, quia neutraliter se habet, puta nullum circa eorum obseruantiam actum eliciendo, quo velit, aut nolit ea obseruare: sicut nec Eucharistiam dicitur quis contemnere, quia cùm de ea recordatur, non elicit actum, quo vult eam suscipere. Nec reum se quis facit, cùm in huiusmodi neutraliter se habet, loquor extra casum necessitatis.

Ad II. Ad secvndam dicendum, quòd illa verba Augustini non ita accipienda sunt, vt intelligamus nunquam esse à fletu cessandum, aut semper esse actu dolendum. Si enim ita esset, nunquam igitur esset homini licitum intellectum à memoria actuali peccatorum diuertere, & alia speculari, aut contemplari, quod est erroneum. Quòd ergo ait, pœnitentiam nunquam debere finiri: rectè venit intelligendum. Stat enim tripliciter pœnitentiam finiri, scilicet in proposito ipsius pœnitentis, & actu negatiuè, & actu positiuè. Finitur in proposito, quando aliquis pœnitens de commissis, proponit postmodum ad tempus tantùm à peccatis abstinere. Finitur pœnitẽtia actu negatiuè, quando aliquis dolet de commissis cum vero proposito semper à peccatis postmodum abstinendi: & non superueniente proposito contrario, cessat ab actu illo pœnitentiæ, ad aliarum rerum considerationem se diuertens. Finitur tertiò actu positiuè, quando post habitam pœnitentiam de commissis cum proposito à peccatis abstinendi, cessat tale propositum per superuentum contrarij propositi, puta de peccato aliquo committendo: Tunc dicendum ad dictum Augustini, quod venit intelligendum, ita quòd pœnitentia nunquam debet finiri in proposito, nec in actu positiuè, per contrarij propositi superuentum: potest tamen licitè finiri actu negatiuè. Si enim in proposito, aut voto finitur, vt explicitum est, nil de venia relinquitur: quia nulla peccata dimittuntur illi, qui cùm de commissis dolet, ad tempus tantùm à peccatis abstinere proponit. Si etiam finitur pœnitentia actu positiuè, nil de venia relinquitur: quia quantum attinet ad excludendum huiusmodi pœnitentem à regno Dei, & in perpetuum carcerem detrudendum, perinde est, ac si nullam veniam fuisset priùs per pœnitentiam consequutus.

Pœnitẽtiam finiri tripliciter intelligi potest. I. II. III.

Quatenus finiri possit pœnitẽtia ex mente D. Augustini.

Adde, quòd si necessarium sit semper flere, & semper pœnitere iuxta Sanctorum doctrinam citatam: non intelligendum est, id esse necessarium, ad obtinendam gratiam Dei, quæ in momento acquiritur, quamprimum scilicet peccator verè de commissis pœnitet, vt suprà diximus: est tamen in pœnitentia, & fletu semper perseuerandum, & corde, saltem de commissis dolendum, vt in hoc sæculo plenam culpæ, & pœnæ veniam consequamur. Et quamuis in re accidat, vt eam plenè simus iam consequuti: quia tamen nobis id semper incertum est, ideo si volumus hìc omnino liberari, ob huiusmodi incertitudinem, est nobis semper pœnitendum. Ad quod alludit, quod ex Isidoro citatum est dicente, Dei propitiationem, scilicet perfectam, nobis incertam esse. Pro quo etiam facit, quod dicitur Ecclesiastici quinto: De propitiatu peccatorum noli esse sine metu &c. Et quamuis de hoc in casu possimus certificari, vt certi simus, nos totaliter à pecca-

Quatenus in hac vita de cõmissis semper dolendum sit.

A peccatis per baptiſmum liberari, ſimiliter & per indulgentias pleniſsimas legitimè conceſſas: attamen quia ſemper peccamus ſaltem venialiter, ſi volumus hìc omnino liberari, & purgatorium ignem euadere, ſemper dolendum eſt. Eſto etiam quòd peccata non reiterarentur, adhuc eſſet in hoc ſtatu ſemper de commiſsis, etiamſi remiſſa ſint, dolendum ob effectum remanentem: quia ſcilicet tempus in peccatis conſumptum recuperari non poteſt. Nam innocentia per peccata priora, amiſſa, recuperari non poteſt: quia peccata illa de ſe erant æternaliter excluſura hominem à gloria, niſi Dei miſericordia ſubueniſſet: quia per illa peccata homo ingratum ſe Deo fecit, & dignum, qui æternaliter cruciaretur, niſi Deus Optimus condonaſſet. Itaq; ſicut ſemper in hoc ſtatu Deus eſt diligendus: ita ſemper deteſtanda ſunt peccata, per quæ Deum offendimus. Vnde ait Hugo de ſancto Victore, quòd Deus abſoluens hominem à culpa, & pœna æterna, ligat eum vinculo perpetuæ deteſtationis peccati. Nec tamē id ita in rigore accipiatur, quòd nouum incurratur peccatum, quoties homo actum deteſtationis non eliciat: ſatis eſt habitualiter illa commiſſa deteſtari &c.

Quomodo de peccatis cōmiſsis ſemper in hac vita ſit dolēdum, etiamſi illa non reiterarentur.

ALIVD etiam occurrit dubium, an ſit neceſſarium pœnitere de commiſsis in die Dominica: dixerunt multi Doctores quòd ſic. Non enim ſeruatur præceptum de ſanctificatione Sabbati, vt dicunt, niſi de peccatis, ſaltem in genere, cōteramur, & Deum ſuper omnia diligamus: ſic ſentit Scotus in 3. Sic Gabriel, ſic Angelus de Clauaſio: verbo, feriæ. Sic Florentinus parte 2. titulo 9. Sic Nider in ſuo Præceptorio, idq; vt ait, de mente Doctoris ſancti, & multi alij.

B

An diebus Dominicis neceſſarium ſit de cōmiſsis pœnitere? Sentētia I. affirmatiua.

PRO QVORVM ſententia videtur facere primò inſtitutio Eccleſiæ, quæ inſtituit, vt in initio Miſſæ, quæ diebus feſtiuis eſt de neceſsitate audienda, pręmittatur generalis cōfeſsio: quam facere non ſolùm celebrantibus, ſed omnibus aſtantibus, & aſtare debentibus conuenit, vt ipſa conſuetudo demonſtrat.

Ratiōes pro eadem. I.

SECVNDO, quia id potiſsimùm intendit Deus, & Eccleſia, cùm obſeruantiam Sabbati præcipiunt, quòd ſcilicet homines tunc Deo vacent, & eum colant, & ſummè diligant: ac proinde qui id non agit tali die, non ſeruat præceptum vt debet, etiamſi ad literam, & ſonum verborum illud ſeruet. Non enim dubium eſt in legem impingere, qui verba legis amplexus, contra legis nititur voluntatem l. non dubium C. de legibus. Et in regula iuris, certum eſt, in. 6. II.

TERTIO id ipſum de cōtritione apparet ex Leuit. 16. vbi dicitur: Sabbatum requietionis eſt, affligetis animas veſtras. Et ca. 23. de die feſto legitur: Affligetis animas veſtras in eo, omne opus ſeruile non facietis in die hac &c. Et ſequitur: Omnis anima, quæ afflicta non fuerit in die hac, peribit de populo. Hanc autem afflictionem animarum, quæ illic ſub præcepto tradita eſt, dicit Origenes, & Lyra, & gloſſa interlinealis, & alij, eſſe cōtritionem ſeu dolorem de peccatis: nam ſubiungitur illic pro cauſa, vt repropitietur vobis Dominus. Et de eadem die feſti legitur ibidem cap. 16. Ab omnibus peccatis veſtris mundabimini: quod ſine dilectione Dei, & peccatorum pœnitentia fieri non poteſt. III.

C

QVARTO pro eadem ſententia videtur facere, quod Dominus dixit per Iſaiam, cap. 58. Ait enim: Si auerteris à Sabbato pedem tuum facere voluntatem tuam in die ſancto meo, & vocaueris Sabbatum delicatum, & glorioſum Domini, & glorificaueris eum, dum non facis vias tuas, & non inuenitur voluntas tua, vt loquaris ſermonem: tunc delectaberis ſuper Domino, & ſuſtollam te ſuper altitudines terræ: & cibabo te hæreditate Iacob &c. Vbi videtur, quòd Dominus non promittit hæreditatem gloriæ niſi his, qui Sabbata ſic ſeruauerint, ſcilicet à peccatis abſtinendo, quod eſt à ſuis voluntatibus recedere: & Deum glorificando, & eius voluntatem faciendo, quod eſt Deum corde colere, & amore obedientiali eundem amare. Pro quo etiam facit, quod ait Iſai. cap. 1. Odiui & proieci ſolennitates veſtras: quia eas vobis facitis, non mihi: hoc eſt, quia in illis veſtras voluntates adimpletis, non meam. In quo innuit eſſe neceſſarium in diebus feſtiuis Dei voluntati ſe conformare corde & opere, quod eſt illum obedientialiter diligere: igitur. IIII.

HIS NON obſtantibus, videtur oppoſitum tenendum, ſcilicet quòd non eſt neceſſarium, ſub pœna peccati mortalis, in diebus feſtiuis de commiſsis actu pœnitere, nec Deum actu diligere. Quia, aut hoc eſſet neceſſarium iure humano, aut diuino. Non humano: tum quia humana poteſtas ad interiores noſtræ mentis actus, niſi fortè in-

Sententia II. negatiua probabilior. Probatur.

directè, non se extendit ex communi sententia: tum quia, quod Ecclesia in Dominica die agendum Christianis præcepit, vt ex Decreto de consecratione, distinct. 1. colligitur, non est, nisi Missam integram audire, aut eidem assistere, & ab operibus seruilibus abstinere: quæ absque contritione, & Dei dilectione possunt inculpabiliter adimpleri. Nec video, vbi Ecclesia præceptum de diligendo Deum super omnia, aut de conterendo, sub obligatione limitauerit ad diem Dominicam: quanquam ea iusserit, per quæ homines ad præfatos actus quodammodo præparentur, seu disponantur: qualia sunt aliis temporalibus rebus non intendere, sed diuinis officiis interesse. Quòd etiam diuino iure ad id in die Dominica non teneamur, apparet tam de iure nouo, quàm de veteri: quia celebratio Dominicæ diei, non est à Christo instituta, aut iussa: sed ab hominibus, vt suppono: quorum institutione ob certas causas factum est, vt cessante Sabbato, succederet Dominica dies: ob id potissimùm, quia tali die Dominus surrexit, vnde & Dominica dies appellata est. Quòd si de iure diuino veteri, esset necessarium certa die conteri, & Deum diligere, maximè ex eo quod scriptum est Exod. 20. Memento, vt diem Sabbathi sanctifices: verùm cùm illic explicetur modus, quo debuissent Sabbathum sanctificare, in cuius explicatione nulla de contritione aut dilectione Dei mentio fit, consequens est, non inde colligi præfatorum actuum necessitatem, pro illa die. Tum etiam, esto, lex vetus ad id homines certo tempore obligasset, non inde fit, vt tempore legis gratiæ, ad idem teneamur: cùm constet legem veterem per legem gratiæ vim suam amisisse, solis præceptis moralibus, in suo robore permanentibus. Diligere autem Deum, aut conteri de commissis tali vel tali die, morale purum non fuit sed iudiciale, aut ceremoniale: ea scilicet parte, qua dies certa, ad id determinabatur: ideo iudicialibus cessantibus, mansit dilectio Dei, & contritio de commissis, de iure diuino indeterminatè tradita. E

Ad rationes in contrarium factas respōdetur. *Ad I.* AD RATIONES ante oppositum factas dicendum: Ad primum, esto talis sit Ecclesiæ institutio, simul & consuetudo præmittendi confessionem, hæc tamen sub præcepto ipsis celebrantibus, non laicis Missam audientibus est imposita: quandoquidem satisfaciunt laici præcepto de audiendo Missam, si ab introitu vsque ad finem intersint, etiamsi confessionem illam generalem non faciant. *Ad II.* Ad secundum, intentio Dei & Ecclesiæ in obseruantia Sabbathi seu diei Dominicæ illa est, vt scilicet homines Deo vacent, sicut & iustum est, vt postquam de rebus temporalibus per sex dies curauerint, septima die ab illarum cura remoti, Deum colant, & in obsequio ipsius occupentur. Aliud tamen est, quod in illo præcepto hominibus præcipitur, aliud quod intenditur. Sicut in cæteris præceptis, vt plurimùm contingit. Intentio autem finalis præcipientis non cadit sub præcepto, alioqui peccaret homo, quoties aliquod opus sibi iniunctum facit: nisi eo modo illud faciat, quòd Dei gloriam promereatur: hoc enim intendit Deus, præcepta hominibus tradens. Et ita homo in peccato, & sine charitate existens, peccaret quoties præceptum aliquod adimpleret, siue comedat cùm necessarium sit, siue necessitatem patienti subueniat, siue parentes honoret, siue vnicuiq; quod debet, reddat: eò quòd talia non facit ad intentionem præcipientis: quod suppono falsum. F Ad legem autem allegatam, non dubium est, dicendum, quòd verum est, esse potiùs ad intentionem legis attendendum, quàm ad sonum verborum, loquendo de intentione obiectiua, non de finali: hoc est, præceptum, seu lex illo modo est adimplenda, quo præcipiens intendit subditum obligare, quam nunc appello intentionem obiectiuam, seu materialem. Et verum est talem intentionem cadere sub præcepto, & qui hanc non seruat, etsi sonum verborum seruet, non dicitur legem adimplere. Intentio verò finalis, quæ respicit finem, gratia cuius datum est præceptum, non ita cadit sub præcepto, cùm illa sit extra substantiam præcepti.

Ad III. AD TERTIVM ex Leuitico sumptum, vbi præcipitur, quòd certa die affligerent animas, dici potest vno modo, quòd per huiusmodi afflictionem non opus est intelligere contritionem, seu cordis pœnitentiam, de qua loquimur: sed abstinentiā à voluptatibus, & ab his, vnde solent homines recreationem sumere corporalem. Vnde Isaiæ 58. dicitur: nunquid hoc est ieiunium, quod elegi, per diem hominem affligere animā suam? Vnde apparet, quòd Iudæi, qui iuxta legem per diem à cibis abstinebant tempore ieiunij, dicebantur animas suas affligere, etiamsi de peccatis tunc nullā haberent contritionem,

A nem, nec pœnitentiam. De his enim loquitur illic Dominus, qui diebus ieiunij non Domini, sed suas voluntates complebant: ac proinde afflictio animarum, de qua in Leuitico, non opus est pro cordis contritione accipiatur. Posset secundò dici, ad mentem exponentium, quòd esto illic iussit Dominus, quòd intus animas per pœnitentiam affligerent: hoc erat speciale in illa festiuitate, quæ dicebatur festum propitiationis, seu expiationis, quod erat specialiter institutum semel in anno, scilicet, decima die mensis septimi, ad hoc, quòd sacerdos pro peccatis populi offerret & oraret, vt Deus illis propitius, & misericors redderetur: vt dicitur in fine cap. 16. & ita non inde colligitur, quòd in qualibet die Dominica sit necessarium conteri, aut pœnitere. Adde, quòd festa illa iam per legem nouam abolita sunt, vt constat.

AD QVARTVM ex Isai. sumptum dicendum, quòd Deus in illo cap. vbi de ieiunio, & Sabbatho loquitur, potiùs intendit declarare, quid sibi acceptum & gratum sit, hominibusque ad salutem suarum animarum vtile & proficuum, quàm quid sit in illis diebus necessitate præcepti agendum. Conquerebantur enim Iudæi, quòd Deus sua ieiunia orationes & solennitates non acceptaret: quibus Deus respondet, se illa acceptaturum, si cum illis simul opera charitatis & misericordiæ exercerent: quæ cùm non facerent, sed potiùs illis diebus peccata committerent, ideo ait sibi non esse grata illorum obsequia. Itaque ex textu illo non colligitur, quòd in die ieiunij, aut Sabbathi essent sub præcepto B astricti, ad tunc Deum diligendum, aut de peccatis pœnitendum absolutè: secùs ex suppositione, scilicet si vellent sua obsequia, Deo grata, & accepta fore: & eodem modo dicatur ad id, quod vltimò allegabatur ex Isai. 1. cap. *Ad IIII.*

QVOD SI obiicias: ex textu illo infertur à contrario sensu, esse necessarium in die Sabbathi Deum glorificare, & eidem adhærere, sic arguendo: Deus promittit hæreditatem Iacob, & fœlicitatem his, qui Sabbathum custodierint Deum glorificando, & tota mente colendo: igitur à contrario, qui illo modo nō seruauerit Sabbathum, carebit hæreditate Iacob. Respondeo, non bene arguis à contrario: sic enim ex loco illo arguendum est: Qui seruauerit Sabbathum, & non suam sed Dei voluntatem compleuerit, & Deum glorificauerit, habebit hæreditatē Iacob: igitur à contrario, qui cùm Sabbathum seruauerit, suam voluntatem & non Domini fecerit, nec Dominum glorificauerit, non habebit hęreditatem Iacob. Et tunc verum est consequens: sed nil contra conclusionem positam, vt constat. *Obiectio.* *Solutio eiusdē.*

ESSET ETIAM dubium, an sit necessarium de commissis pœnitere, seu conteri ratione alicuius actus ad officium Ecclesiasticum pertinentis: ad quod breuiter sequendo communem sententiam dicendum, distinguendo tam de actu quàm de officio. Est enim aliquis actus sacratus, seu sacer: qualis est actus sacramentalis, puta ministrare sacramentum aliquod, Missam celebrare, Ecclesiam, seu Monialem consecrare, aut oleum, vel chrisma conficere, & denique alios actus exercere, qui proprij sunt ordi-C nis sacri, extendendo ordinem ad Episcopatum: Et quia tales actus in peccato sine noua culpa exerceri non possunt, necesse est huiusmodi actus exercentem curare, se in statu gratiæ reponere, quod sine pœnitentia commissorum, si memoriæ occurrunt, fieri non potest. Alij sunt actus sancti quidem & boni, & ad sanctitatem ordinati: non tamen sacri, aut sacrati: quippe qui non immediatè ad ordinem sacrum pertineant, vt orare, prædicare, officium Ecclesiasticum in choro exercere, & talia sine peccato nouo fieri possunt in peccato: ideo ad ea exercendum non est necessarium, hominem se in statu gratiæ reponere, & per consequens nec de commissis pœnitere. Sunt alij actus, qui potestatem Ecclesiasticam præsupponunt iurisdictionis, non tamen ordinis: vt corrigere, iudicialiter delinquentem excommunicare, suspendere, & interdicere, & ab eisdem absoluere, seu dispensare. Et tales, quamuis ad officium spirituale pertineant, quia tamen in se sacri non sunt, nec ad ordinem sacrum pertinent: ideo possunt sine noua culpa, saltem mortali, in peccato fieri: & per consequens non est necessarium de commissis pœnitere, ad huiusmodi actus exercendum: quamuis id necessarium sit, tam in his actibus postremis, quàm in secundis actibus, quos diximus, ex suppositione scilicet, si velit quis eos dignè, & meritoriè exercere. *An necesse sit de peccatis commissis pœnitere ratione alicui⁹ actus ad officiū Ecclesiasticum pertinentis? Resolutio.*

COROLLARIE sequitur, quòd prælatus indignè suum officium exercens, & iudex sententiam ferens, & doctor ex officio docens, aut prædicans, non ideo de nouo peccat, quòd indignè ea facit: indignè inquam priuatiuè, id est, non dignè, aut non *Corollarium.*

meritoriè: secùs si indignè positiuè ea faciat. Et tunc indignè positiuè ea exercet, quando perperam, aut vitiosè ob finem malum, aut cum alia circumstantia deprauante ea agit: sed de his alibi.

QVÆSTIO SEPTIMA.

De effectu pœnitentiæ breuiter veniunt aliqua inquirenda, & quia inter effectus pœnitentiæ primus, qui connumerari solet, est quòd pœnitentia tollit, seu delet, seu remittit peccata: & cùm peccatum commissum, quod semel præteriit, non potest non præteriisse, venit inquirendum, quid relinquatur in peccatore transeunte actu peccati, quod debeat per pœnitentiam deleri. In qua quæstione variant Doctorum sententiæ: dixerunt quidam, quòd non opus est aliquid positiuum ex commisso peccato relinqui, vnde homo dicatur esse in peccato: sed priuatiuum, hoc est priuatio gratiæ, per quam priuationem formaliter dicitur homo esse in peccato: & ita peccatum deleri, est huiusmodi priuationem gratiæ tolli, quod non aliter quàm per restitutionem gratiæ fieri potest. Vnde dicunt, peccatum malum est: & quia malum, opus est vt alicui bono opponatur, quod per ipsum malum adueniens expellatur. Bonum autem, cui malum peccati opponitur, non est bonum naturæ, cùm natura integra maneat post peccatum sicut priùs: superest ergo, quòd peccatum formaliter opponatur bono gratiæ, & ita peccatum, vt tale, est formaliter gratiæ priuatio, & hæc priuatio manet, transeunte actu peccati.

Quidnam relinquatur in peccatore transeunte actu peccati, quod sit per pœnitentiã delendum, & denominet hominẽ peccatorem.

Sententia. I.

Oppugnatur I. Contra hanc positionem arguitur primò, quòd falsum sit, peccatum formaliter opponi gratiæ: quia tunc per nullam potentiam fieri posset, quin homo esset, vel in peccato, vel in gratia, cùm sint formaliter, & immediatè opposita: sicut priuatio & res cuius est priuatio, formaliter & immediatè opponuntur, nec inter ea potest dari medium: sicut fieri non potest, quin homo sit cæcus, vel videns, vt priuatiuè opponuntur, quin homo moueatur, vel quiescat: & ita de aliis, quæ immediatè opponuntur. Sed consequens est falsum: quia fieri potuit, imò de facto ex quorundam Doctorum sententia fuit, quòd homo, aut angelus crearetur in puris naturalibus sine peccato, & sine gratia naturæ superaddita: igitur falsum est, quòd peccatum, & gratia priuatiuè, & formaliter opponuntur.

II. Secundo, si peccatum ideo peccatum formaliter est, quia priuat hominem gratia: igitur quantò peccatum maiorem gratiam tollit, tantò esset dicendum maius peccatum: & ita daretur, quòd simplex fornicatio esset grauius peccatũ, quàm adulterium. Patet hoc, si simplex fornicatio committatur ab vno præhabente gratiam, vt octo: & adulterium committatur ab alio præhabente gratiam, vt vnum tantùm.

III. Tertio sequeretur ampliùs, quòd si homo frequenter fornicationem committat, quòd sola prima fornicatio, per quam gratia priuatus fuit, peccatum fuit, & non subsequentes: cùm sola prima, & non subsequentes, gratiam præexistentem abstulerit. Si dicis etiam subsequentes fornicationes esse peccata: quia licet de facto non auferant gratiam, ex quo eam ablatam reperiunt: sunt tamen apta nata eam tollere: & ita non ad actualem gratiæ ablationem respiciendum est, sed ad aptitudinalem. Contrà, quia tunc sequitur, omnia peccata, quantumlibet genere aut specie differentia, esse æquè grauia & mala: quod suppono esse errorem Stoicorum, à Catholicis meritò damnatum. Et sequela patet: quia omnia peccata mortalia apta nata sunt æqualem gratiam tollere: quia omnem, ex quo peccatum omne mortale cuicunque gratiæ, siue paruæ, siue magnæ priuatiuè opponitur.

IIII. Qvarto quòd falsum sit quod dicunt, scilicet, quòd peccatum deleri, sit formaliter gratiam restitui, patet. Quia diuersa sunt beneficia, si offensus condonet iniuriam sibi irrogatam, & si offendentem in pristinam gratiam, & amicitiam restituat: quod inter homines diuersum esse, & vnum ab altero separabile manifestum est: ac proinde peccatum deleri, non est formaliter idem, quod gratiam pristinam restitui: etiamsi stante lege se inuicem comitentur peccatorum remissio, & gratiæ collatio.

II. *Sententia.* Dixervnt alij, quòd transeunte actu peccati, relinquitur in peccatore aliquid positiuum reale, per quod homo dicitur in peccato manere: & illud non quid absolutum est, sed respectiuum: & dicitur reatus, seu indignitas positiua, qua scilicet homo ob commis-

A commiſſam culpam dignus eſt ſupplicio: & ita peccatum deleri, eſt huiuſmodi reatum ſeu indignitatem tolli.

CONTRA hunc modum arguitur, & quæro cauſam efficientem illius reatus remanentis: vel eſt ordinatio diuinæ voluntatis ordinantis hominem ad ſupplicium pro culpa perpetrata: vel eſt natura peccati, ex quo talis reatus relictus eſt. Si primum, non igitur eſt reſpectus realis: tum quia habet eſſe per actum diuinæ voluntatis: tum etiam, quia relatio illa non eſt realis dicenda, quæ non requirit exiſtentiam realem extremorum: ſed huiuſmodi reatus, qui fundatur in homine reo, & terminatur ad ſupplicium, quo dignus eſt, ponitur in reo, & tamen exiſtentia præfati ſupplicij, quo dignus eſt, nondum poſita eſt, quouſque ad infernum homo ille deſcendat: non igitur eſt reſpectus realis. Si dicant ſecundum, ſcilicet, quòd ſequitur realiter naturam peccati commiſsi: contra eſt de peccato puræ omiſsionis, quod cùm nil poſitiuum ſit, non poteſt aliquid poſitiuum efficere: contra etiam eſt de peccato, quod de ſe non eſt malum, niſi quia prohibitum: tale enim ſecundùm naturam ſuam non eſt inductiuum præfati reatus. Præterea poſt peccatum priùs commiſſum, quæro, an ſit in libera poteſtate Dei, tollere reatum illum, an non? ſi non, igitur impoſsibile eſt peccatum deleri, ſi ipſum deleri ſit reatum præfatum tolli: ſi ſic, igitur ſtat, quòd Deus illum tollat pro voluntate, & iuſtè ipſum peccatorem æternaliter puniat pro commiſſo peccato. Patet, quia ſupplicium non datur homini propter
B reatum illum, ſed propter peccatum, quod liberè commiſerat: nec reatus ille, qui effectus peccati eſt, facit hominem dignũ ſupplicio, ſed inobedientia, & præuaricatio ipſius: per reatum enim illum, nec inobediens fit, nec præuaricator diuinæ legis, vt conſtat: igitur impertinens omnino eſt talis effectus, ex peccato relictus ad hoc, quòd homo ſit dignus ſupplicio, & iuſtè pro peccato puniatur: ex quo, omni tali reatu per Dei voluntatem deſtructo, dignus eſt homo pro præterita præuaricatione æternaliter puniri.

Impugnatur I.

II.

DIXERVNT alij, quòd id quod relinquitur in peccatore, tranſeunte actu peccati, non eſt aliquid poſitiuum, ſed rationis: & eſt ordinatio, qua peccator Deo ordinante eſt obnoxius ſupplicio pro peccato ab eodem commiſſo: & quamdiu homo eſt ſub tali ordinatione, dicitur eſſe in peccato: & peccatum deleri, eſt talem ordinationem tolli: quod fit, quando Deus condonat offenſam, nolens hominem pro ea punire.

III. *Sententia.*

CONTRA hunc modum etiam militat ratio: quia inde ſequitur, quòd peccatum ab homine commiſſum non poſſet vllo modo deleri, ſi ita eſt, quòd non deletur, niſi ſemota præfata Dei ordinatione ad pœnam. Nam illa ordinatio, ſemel poſita in Dei voluntate, tolli ampliùs non poteſt: quia cùm ſit relatio rationis, quæ ſolum habet eſſe per actum diuinæ voluntatis: relatio autem rationis remoueri non poteſt, niſi remoto actu voluntatis, vnde habet eſſe: actus verò diuinæ voluntatis ſemel poſitus, remoueri à diuina voluntate non poteſt, cùm ſit omninò immutabilis: & quod ſemel ſcit, ſemper ſciuit, & ſciet: quod ſemel vult, ſemper voluit, & volet: igitur relatio rationis ex tali actu orta re-
C moueri non poteſt: & ita neceſſe eſt hominem ſemel à Deo ad ſupplicium ordinatum, ſemper ad idem eſſe ordinatum: & ita intentum.

Reiicitur.

QVICQVID ſit de huiuſmodi poſitionibus, dicendum, curioſam eſſe quæſtionem hanc. Ad eam tamen reſpondendo videtur, quòd tranſeunte actu peccati, nil relinquitur in peccatore priuatiuum, aut poſitiuum, vnde dicatur formaliter eſſe in peccato: ſed hominem eſſe in peccato duo dicit, ſcilicet hominẽ peccaſſe, & peccatum ſuum non eſſe à Deo ſibi condonatum. Deus autem dicitur peccata condonare, ſeu remittere, vt more Scripturæ ſanctæ loquar: quia illorum non recordatur: ſic enim dixit per Ezechielem: [a] Quacunq; hora ingemuerit peccator, non recordabor ampliùs peccatorum ſuorum. Aut etiam, quia Deus illa peccata tegit: ſic enim per Pſalmiſtam ait: [b] Beati quorũ remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata. Aut quia Deus auertit faciem à peccatis, prout orabat Dauid, dicens: [c] Auerte faciem tuam à peccatis meis. Hoc autem quod eſt, Deum non recordari peccatorum, & ea tegere, & faciem ſuam ab illis auertere: eſt Deum illa peccata ad pœnam nõ imputare: quemadmodum per Pſalmiſtam dixit: [d] Beatus vir cui non imputauit Dominus peccatum. Itaq; hominem in peccato eſſe, eſt Deum illius peccatum ad pœnam imputare: & ex conſequenti peccatum deleri, eſt illud non ampliùs ad pœnam imputari. Hoc autem fit, etiamſi nil poſitiuum, aut priuatiuum in peccatore relinquatur, vnde dicatur formaliter in peccato eſſe, quod neceſſe ſit per pœnitentiam auferri. Sed obiicies, ſi nil tale in peccatore relinquitur poſt peccatum, non

Solutio authoris.

Hominem eſſe in peccato, duo dicit: cum ſcilicet peccaſſe, & hoc peccatũ à Deo non eſſe ſibi condonatum.

Quid ſit Deum peccata condonare.

a *Ezech.* 33.
b *Pſal.* 31.
c *Pſal.* 50.
d *Pſal.* 31.

Occurritur obiectionibus quibuſdam.

I.

non ergo differunt peccator, & non peccator, sed similes esse per omnia possunt. D
Respondeo: Quo ad naturam, & ea quæ naturaliter adiacent, similes esse possunt: attamen nō quo ad gratuita, ex quo iustus à peccatore per charitatem distinguitur: & etiam

II. quia peccator est ad pœnam ordinatus, non ita iustus. Si iterum obiicias: quia si nil positiuum relinquitur post commissum peccatum, nil igitur deletur per pœnitentiam.

Quomodo peccatum dicatur deleri.

Respondeo: Nil positiuum deletur, nec deleri necesse est: sed dicitur peccatum deleri, vt dixi, quia non ampliùs ad pœnam imputatur sicut priùs.

III. *Obiectio.*

Sed adhuc stat ratio contra tertium modum, superiùs facta. Nam quem semel Deus ad pœnam imputauit æternam, quomodo postea eum ad eandem pœnam desinit imputare absque suæ voluntatis mutatione? Illa enim imputatio, non aliud videtur, quàm Deum velle Petrum pro suo peccato æternaliter punire: & si hoc voluit, necesse est ipsum adimpleri, ne cassa, aut impotens, aut mutata dicatur diuina voluntas.

Solutio.

Dupliciter ordinat Deus hominem ad perpetuam pœnã.

Respondeo: Duobus modis Deus ordinat hominem ad perpetuam pœnam: vno modo secundùm præsentem iustitiam, alio modo secundùm finale iudicium. I. Primo modo ordinat ad pœnam omnem peccatorem in peccato mortali existentem, quamdiu non pœnitet. II. Secundo modo ordinat ad pœnam omnem præscitum, quem scit finaliter in peccato mortali decessurum.

Discrimen inter ordinatiões prædictas.

Differunt autem huiusmodi duæ ordinationes: quia prima est conditionalis, qua scilicet Deus ordinat peccatorem æternaliter punire, si in statu, in quo actu est, finaliter decedat. Et hæc ordinatio habet locum, tam in prædestinatis, quàm in præscitis. Qualiscunque enim sit, eo E ipso, quòd in peccato mortali est, est hoc modo ad pœnam ordinatus. Secunda verò ordinatio est magis absoluta, qua vult absolutè hominem, quem in mortali decessurum præcognoscit, ad æternam pœnam deducere: & hæc ordinatio non nisi in præscitis locum habet. Cum prima ordinatione stat absoluta ordinatio eiusdem hominis ad gloriam, vt patet, si prædestinatus sit. Cum secunda verò ordinatione, non ita existente prima ordinatione, dicitur homo in peccato esse, & reus dignusque qui puniatur: existente tamen secunda ordinatione, non ideo homo dicitur in peccato esse: quæ omnia satis nota esse suppono.

Quatenus duret aut tollatur prima ordinatio Dei ad pœnã perpetuam absque vlla sua mutatione.

Noto etiam, quòd prima ordinatio ad pœnam, quæ est secundùm præsentem iustitiam, aut potiùs iniustitiam, durare dicitur, quamdiu homo ab iniustitia per veram pœnitentiam non recedit: quamprimum verò à sua iniustitia per veram pœnitentiam recedit, non ampliùs dicitur ordinatus ad pœnam secundùm præsentem iustitiam. Et hæc mutabilitas non in Deo est, sed in homine, quem modò non pœnitet, & in peccato manet: modò autem pœnitet, & à peccato recedit. Itaque Deus ordinat hominem ad gloriam, vel ad gehennam secundùm præsentem iustitiam, vel iniustitiam, prout ipsius hominis dispositio exigit, nec per nouam hominis dispositionem noua Deo aduenit voluntas, nec ab antiqua voluntate Deus ipse recedit. Et sicut Deus hominem in peccato perseuerantem pro eo tempore, & secundùm iustitiam illius temporis ad gehennam ordinat conditionaliter: ita adueniente pœnitentia, Deus eundem ordinat ad F gloriam secundùm iustitiam, & dispositionem talis temporis. Quæ quidem ordinationes, seu voluntates, cùm sint conditionales, & diuersa tempora respiciant, etiamsi ad fines omnino oppositos tendant, compatibiles sunt, & æternæ in Deo, nec vna alteri succedit: sed tempus pœnitentiæ, tempori impœnitentiæ succedit. Et qui secundùm iustitiam temporis illius erat pro tali tempore ad gehennam ordinatus: ita secundùm iustitiam temporis præsentis, in quo verè illum pœnitet commissorum, non est iam ad gehennam ordinatus. Itaque ordinatio diuinæ voluntatis semel habita, nunquam remouetur in se, & ideo peccatum deleri, non est Dei ordinationem remoueri secundùm se.

Peccatum deleri, non est Dei ordinationẽ remoueri secundum se.

Sed sicut Deus aliud ordinat de homine conditionaliter pro tempore, quo illum non pœnitet: aliud verò pro tempore, quo pœnitet secundùm iustitiam huius, aut illius temporis: ita peccatum homini imputatur ad pœnam pro tempore, quo non pœnitet. Tempore verò sequenti, quando pœnitere verè incipit, non iam imputatur pro illo tempore ad pœnam, vt priùs. Et ita tunc dicitur peccatum deleri: quia pro tunc, & secundùm iustitiam illius temporis, non ad pœnam æternam imputatur, vt priùs. Vnde patet lapsum temporis, esse in casu necessariam causam verificandi duo contradictoria, scilicet, Petrus est in peccato, & ad gehennam ordinatus: & Petrus non est in peccato, nec ad gehennam ordinatus, vt satis constat intuenti.

Alia obiectio.

Sed vrget adhuc ratio contra dicta: quia falsum videtur, quòd homo dicatur esse in peccato transeunte actu peccati, per hoc quod

A quod Deus ordinat illum ad pœnam. Nam cùm Deus non ſit priùs vltor, quàm aliquis ſit peccator & ſupplicio dignus, priùs igitur homo eſt peccator, & ſupplicio dignus, quàm Deus illum ad pœnam, ſeu ſupplicium ordinet. Non ergo eſt in peccato, aut ſupplicio dignus per hoc, quòd ad ſupplicium eſt à Deo ordinatus. Et cùm in peccato eſſe non dicatur per hoc ſolùm, quòd peccatum commiſit: nam tunc poſt peccatum commiſſum, ſemper homo diceretur in peccato eſſe, etiamſi beatus ſit:ſequitur, quòd vltra hoc, quod eſt hominem peccaſſe, & Deum illum ad pœnam ordinare, eſt aliquid aliud medium inter vtrunque aſsignandum, ratione cuius dicatur eſſe in peccato, & dignus ſupplicio: nec videtur quid aliud ſit, quàm reatus aliquis ex peccato commiſſo relictus. Reſpondeo. Ratio probat, quòd homo non dicitur formaliter eſſe in peccato, aut ſupplicio dignus, eò quòd eſt ad pœnam ordinatus. Et hoc verum eſt: Stat tamen quod diximus, tamdiu ſcilicet hominem eſſe in peccato, & ſupplicio dignum, quamdiu eſt à Deo ad ſupplicium pro peccato commiſſo ordinatus: nec tamē ad id verificandū eſt neceſſarium, ponere aliquid poſitiuum ex peccato relictum, quod inter peccatum, & Dei ordinationem mediet. Ordinatur enim ad pœnam, quia dignus eſt illa: eſt autem dignus pœna, quia peccauit, interim quòd Deus non condonat. Itaque hominem eſſe in peccato, & dignum eſſe ſupplicio, hæc duo, vt dixi, formaliter importat, ſcilicet, hominem peccaſſe, & peccatum non eſſe à Deo illi condonatum: nec alia ratio formalis ad id eſt B inquirenda: nec ſunt idem, ſed diuerſa, peccatum non eſſe à Deo condonatum, & eſſe ad pœnam ordinatum. Quando quidem primum, quod negatiuum eſt, ſaluari poteſt voluntate exiſtente neutra: Secundum autem, quod poſitiuum eſt, nec niſi volente voluntate ſaluari poteſt.

Solutio.

Hominem eſſe ſupplicio & pœna dignū, quid ſit?

Corollarie ſequitur, poſſe per diuinam potentiam peccatum deleri, ſeu remitti ſine pœnitentia ipſius peccatoris, quamuis de potentia ordinata non, niſi per pœnitentiam formalem, aut virtualem remitti poſsit. Cuius corollarij, cùm ſecunda pars ſupra ſit ſufficienter probata, prima etiam patet ex dictis: quia peccatū formaliter remittitur per hoc, quòd nō ampliùs ad pœnam imputatur, quod eſt peccatum, ſeu iniuriam, aut offenſam condonare: ſed in voluntate Dei libera eſt condonare iniuriam, & offenſam ſine pœnitentia peccatoris, vt conſtat: igitur. Et patet etiam: quia poteſt Deus peccatorem, omni pœnitentia ſecluſa, conſeruare per diem ſine pœna aliqua, & per menſem, & per annum vnum, & duos, & centum: igitur & ſemper: & ita intentum. Si obiicias, non poſſe fieri tranſitum inter hæc contradictoria, ſcilicet Petrus eſt ad pœnam ordinatus æternam, & Petrus non eſt ordinatus ad pœnam æternam, niſi cauſa aliqua aſsignetur: cauſa autem eſſe non poteſt mutatio diuinæ voluntatis, vt conſtat: ſolus etiam temporis lapſus cauſa eſſe non poteſt: quia ſolus lapſus temporis impertinens eſt, vt quis dicatur in peccato eſſe, aut non eſſe: ſupereſt ergo, eſſe neceſſariam mutationem voluntatis ipſius peccatoris: nec videtur, quæ alia mutatio ſit in eo neceſſaria, niſi quòd de C non pœnitente fiat pœnitens. Confirmatur: quia de iure naturæ videtur eſſe neceſſarium, hominem pœnitere ad remiſsionem peccati: quia cùm peccatum per voluntatem hominis in malo complacentis, commiſſum fuit: ita per voluntatem eiuſdem in eodem diſplicentis venit remittendum: iuxta regulam iuris; Res per quas cauſas naſcitur, per eaſdem diſſoluitur.

Corollarium.

Peccatum deleri ſeu remitti poteſt per potentiam diuinam abſque pœnitentia ipſius peccatoris.

Obiectio.

Confirmatio eiuſdem.

Responsio ad primū, in caſu ſolum lapſum temporis, omni alia mutatione reali ſecluſa, poſſe eſſe cauſam tranſitus inter contradictoria aſsignata: quod patet ex dictis. Quia poſt commiſſum peccatum homo eſt in peccato, quamdiu Deus illum ad ſupplicium pro peccato ordinat, idque non ſecundùm finale iudicium, ſed ſecundùm præſentem iuſtitiam, & conditionaliter: ita, vt Deus ſtatuerit de Petro, poſt peccatum ab eo commiſſum, illum ad pœnam ordinare, ſi in hac hora præſenti deceſſerit. Si tamen vltra horam vixerit, non illū pro commiſſo puniet, omni alia ipſius Petri diſpoſitione ſecluſa: & negare hoc eſſe Deo poſsibile, eſt abſurdum. Quo dato, Petrus eſt in peccato in hora præſenti, & ad pœnam ordinatus ad ſenſum dictum: & lapſa hora præſenti, nec erit in peccato, nec ad pœnam ſic ordinatus, vt conſtat: vbi nulla alia mutatio concurrit præter lapſum temporis, prout diuino placuit beneplacito: & ita ratio prima non valuit.

Reſpondetur ad obiectionem.

Ad secvndvm iam ſuprà probauimus, non eſſe de iure naturæ ſtrictè eſſe pro peccato pœnitendum, maximè ad eius remiſsionem, quandoquidem Deus pro ſua voluntate, poteſt peccata condonare, prout vult, nullam ſatisfactionem à peccatore exigendo.

Ad confirmationem.

exigendo. Et quod dicitur ex regula iuris, habet veritatem in multis, ſtante iurium diſpoſitione: ſecùs aliâs. Imò ſtante iurium diſpoſitione, admittit multas fallentias: patet de voto, iuramento, matrimonio, quæ per voluntatem vouentis, iurantis, aut contrahentis, diſſolui non poſſunt, cùm tamen ex ipſorum voluntate ortum habuerint.

Finalis cõclusio prædicta quæstionis.

CONCLVDITVR ergo, quòd tranſeunte actu peccati, nil aliud relinquitur in peccatore ſoluendum, vt peccatum deleri dicatur, niſi debitum pœnæ æternæ, cui obnoxius per peccatum commiſſum factus eſt. Et dicitur homo eſſe in tali debito, quamdiu Deus habet animum vindicandi peccatum illud, ſeu illud ad pœnam imputandi. Exit autem à debito, quando Deus condonat, prout ſuprà explicuimus. Et quia de lege ordinata Deus peccatorem à præfato debito non liberat, niſi interueniente pœnitentia: ideo pœnitentia de lege ordinata, eſt cauſa neceſſaria remiſsionis peccatorum, & ex conſequenti gratiæ, ſine qua peccata de lege eadem remitti non poſſunt, vt alibi probauimus.

Pœnitentia de lege ordinaria eſt cauſa neceſſaria remiſsionis peccatorum, & conſequẽter gratiæ.

a An ſicut per pœnitentiã cordis delentur peccata quoad culpam, ita etiam quoad pœnam tam æternam, quàm temporalem.

b Sententiæ variæ. I.
c II.
d III.
e Fundamenta primæ ſentẽtiæ.

SED ORITVR inde dubium: An ita ſit,[a] quòd ſicut per pœnitentiam cordis delentur peccata quo ad culpam: ita etiam deleantur quo ad pœnam, tam æternam, quàm temporalem. In qua quæſtione multi multa dixerunt.[b] Quidã enim dicere præſumpſerunt, quòd eo ipſo quòd culpa remittitur, nulla relinquitur pœna pro peccato ſoluenda, nec æterna, nec temporalis.[c] Alij verò, quòd dimiſſa culpa per pœnitentiã, adhuc relinquitur reatus æternæ pœnæ, quouſque accedat ſacramentalis abſolutio.[d] Alij verò quòd dimiſſa culpa, ſimul remittitur tota pœna æterna debita illi peccato, & commutatur illa æterna in temporalem: ſed hæc nec in toto, nec in parte remittitur per contritionem, niſi ſuperabundans ſit. De quibus aſſertionibus breuiter vidẽdum eſt.[e] Qui dicunt, quòd poſt dimiſſam culpam, nulla pœna æterna, nec temporalis relinquitur pro commiſsis ſoluenda: fundant, quod dicunt in eo, quod dixit Dominus per Iſai. 1. loquens ad eos, qui opera charitatis fraternæ exercerent: Si fuerint peccata veſtra, vt coccinum, quaſi nix dealbabuntur. Et ſi fuerint rubra ſicut vermiculus, velut lana alba erunt. Vnde apparet, hominem cui culpæ à Domino condonantur, ab omni peccato, & reatu eius illicò liberari. Similiter per illud Ezechiel. ſæpe citatum: Quacunque hora ingemuerit peccator, non ampliùs recordabor ſuorum peccatorum: igitur. Similiter, quia ſi poſt dimiſſam culpam maneret aliqua pœna pro dimiſsis ſoluenda, oporteret hominem contritum pro ea ſatisfacere. Quod inde dicunt falſum eſſe: quia Chriſtus ſufficienter pro nobis ſatisfecit. Et etiam Chriſtus non legitur ſatisfactionem pœnalem exegiſſe ab his, quibus peccata dimittebat, vt patet de peccatrice, Lucæ 7. & de adultera, Ioan. 18. quibus peccata condonauit. Nil enim ab illa exegit, ſed illi hoc dixit: Vade in pace, & noli ampliùs peccare &c. Verùm explodenda eſt huiuſmodi aſſertio, cùm erronea ſit, & per Eccleſiam, tanquam talis, meritò condemnata. Cùm conſtet per ſcripturam, Deum à multis peccatoribus pœnam aliquam exegiſſe, aut eiſdem intuliſſe poſt remiſſa illis eorum peccata, vt conſtat de Dauid 2. Regum 12. Cui cùm Dominus tranſtuliſſet peccatum ſuum adulterij ſcilicet & homicidij, poſtea Dei iudicio in filio ſuo punitus fuit. Similiter legitur de Manaſſe Rege, quòd poſt actam pœnitentiam de peccatis ſuis, & veniam obtentam, multa mala ipſe cum populo ſuo pro ipſius peccatis, iam dimiſsis, perpeſſus eſt. De pœnitentia Manaſſes habetur in fine 2. Paralip. De malis autem, quæ paſſus eſt, habetur ibidem. & in 4. Reg. Similiter de Maria ſorore Moyſi, quæ iuſſa eſt ſeptem diebus extra caſtra manere pro peccato, quo in Moyſen murmurauerat: idq; poſt actam pœnitentiam de eodem peccato: Numerorum 41. Ad hunc modum de aliis poſſumus exemplificare: ſed de his aliâs. Adde, quòd qui id aſſerunt, ex conſequenti negant locum purgatorij, ex quo dimiſſa culpa, nulla penitus manet pro dimiſsis, hîc, vel alibi ſoluenda pœna: quod iterum conſtat in multis Conciliis damnatum eſſe. Sed quia de his poſtea in tractatu de ſatisfactione agetur, ideo ad alia tranſire conuenit.

Eadem ſententia vt erronea exploditur.

Authores primæ ſentẽtiæ conſequenter negant eſſe purgatorium.

Probatio ſecundæ ſententiæ.

QVI DICVNT, per pœnitentiam dimitti culpam, manere tamen reatum ad æternam pœnam, quouſque ſacerdotalis accedat abſolutio, fundant ſe in hoc, quòd Deus promittit remiſsionem, quamprimum peccator contritionem habuerit de peccatis: iuxta illud Iſaiæ 56. Ad quem reſpiciam, niſi ad contritum corde? Et iuxta illud Pſalmiſtæ: Dixi, confitebor aduerſus me iniuſtitiam meam Domino, & tu remiſiſti impietatem cordis mei. & alibi: Cor contritum, & humiliatum Deus nõ deſpicit. Vnde patet, Deum per pœnitentiam intùs habitam illicò peccata remittere. Econtrà verò dixit Chriſtus,

non

A non esse peccatoribus sua peccata remittenda, antequam sacerdotes ea remittant: iuxta illud Ioannis 20. Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis. Vbi non dixit, quorum remiseritis peccata, iam illis remissa sunt: sed, remittentur. Vbi notatur præcedere remissionem sacerdotalem in terris, & subsequi remissionem in cœlis. Hæc autem non videntur cohærere, vt isti dicunt, nisi dicamus, Deum per contritionem remittere peccata quo ad culpam: sacerdotem verò eadem postmodum remittere quo ad æternam pœnam: & ita opus est dicere, quòd dimissa culpa, relinquitur reatus æternæ pœnæ per sacerdotem auferendus.

Improbatur dicta sentētia II. *Ratio* I.

HIC MODVS opinandi communiter improbatur: quia, vt ex supradictis patet, non relinquitur in peccatore, transeunte actu peccati, aliquid remittendum, nisi reatus æternæ damnationis: nec aliter culpa commissa dicitur remitti, nisi huiusmodi reatum dimittendo. Nō igitur stat culpam mortalem dimitti, manente debito damnationis ęternę: alioqui simul esset homo filius regni, & perditionis: regni per charitatem, & perditionis per reatum, quo pœnæ æternæ obnoxius est.

PRAETEREA facit ratio aperta: quia si dimissa culpa per pœnitentiam, manet homo ad pœnam æternam ordinatus: vel igitur manet ad illam ordinatus secundùm præsentem iustitiam, vel secundùm finale iudicium. Non primum: quia si in statu præsenti, in quo est, post dimissam culpam per gratiam, decederet, absq; dubio saluaretur, nec mortem subiret æternam. Nec secundum: quia loquor de pœnitente prædestinato. Verùm quia de hac opinione latiùs agemus in tractatu de confessione, tractando opinionem Hugonis, & Richardi de sancto Victore, quorum fuit huiusmodi opinio, ideo nunc supersedendum: vide ibi. II.

B

Explicatur tertia sentētia, cuius duæ sunt partes. I.

QVI DICVNT, per pœnitentiam cordis culpam remitti, simul & pœnam æternam totam: sed relinqui pœnam temporalem soluendam, vt plurimum, de qua nihil remittitur per contritionem, nisi superabundans sit, duo dicunt, scilicet quòd pœna debita pro peccato mortali non dimisso quo ad culpam, est alterius rationis, seu speciei à pœna debita pro eodem peccato dimisso, quo ad culpam: ideo tota pœna debita mortali per primam contritionem omnino tollitur: sed succedit debitum soluendi aliam temporalem. Vnde communiter dicitur, quòd per pœnitentiam cordis, commutatur æterna pœna in temporalem.

SECVNDO dicunt, quòd de huiusmodi pœna temporali soluenda, nil per contritionem remittitur, nisi sit superabundans, cuius ratio per eosdem assignatur. Quia contritio sufficiens, & non superabundans, non ordinatur nisi ad deletionem culpæ per reordinationem actus, dum bene displicet id, quod malè placuerat: & ad remissionem offensæ per gratiam comitantem ipsam contritionem. Contritio autem superabundans, pœnam habet adiunctam, quæ redundat in viribus sensitiuis ex imperio voluntatis, dum pœnitens in seipso dolorem excitat: vel ex necessitate naturæ, per quam vires sensitiuæ
C sequuntur motum virium superiorum: & ratione talis pœnæ dimittitur aliquid de pœna temporali, in quam fuerat æterna commutata. Sic dixit Durandus fautor huius opinionis. II.

Argumentum contra primam partem prædictæ sententiæ.

CONTRA vtrumque videtur ratio militare. Contra primum quidem: quia diuturnitas temporis non variat speciem rei. Quòd enim albedo duret per longum tempus, aut per paruum, non inde variatur species. Quòd homo viuat ad mille annos, aut in perpetuum, siue ad horam solam, non variatur, seu mutatur species ipsius. Igitur quòd pœna pro peccato debita, sit æterna aut temporalis, non sufficit ad mutandum rationem, & speciem ipsius pœnæ. Præterea pœna æterna consistit in pœna damni, & in pœna sensus: pœna damni, carentia diuinæ visionis est, in qua carentia, ratio aut species non mutatur per hoc, quòd homo ad tempus, vel ad semper diuina careat visione. De pœna sensus idem videtur, quæ tristitia quædam est, quam in inferno damnati patiuntur, aut quam per sensum post diem iudicij tolerabunt. Cuius ratio, & species, seu natura non videtur diuersa esse ex eius diuturnitate.

Confirmatio eiusdem.

Corollarium Caietani. Post pœnitentiā videlicet remanere solùm pœnā temporalem, nō tamen variata natura aut specie ipsius pœnæ.

HAC RATIONE motus est Caietanus ad dicendum, per pœnitentiam non totam pœnam remitti: sed solùm æternitatem eius tolli, & vbi sine pœnitentia foret perpetua, ea existente, manet solum temporalis, non variata natura, aut specie ipsius pœnæ. Et inde consequenter ait, non esse veram communem sententiam, quæ tenet, per pœnitentiam cordis ęternam pœnam in temporalem commutari: cùm veriùs diceretur, pœnam

eandem post pœnitentiam manere, sed temporalem tantùm, conueniret rem priùs di- D
Examinatur Caiet. Corollarium.
stinguere, & non ita indistinctè falsum cum vero asserere. Et quidem de pœna damni, vt puram priuationem gloriæ importat, verum est, per æternitatem eius aut temporalitatem, eius speciem & naturam non mutari. De pœna etiam sensitiua, si qua est, ab igne inferni realiter euentura, itidem verum est eandem speciem esse æternam & temporalem. Attamen de pœna interiore ex actibus voluntatis procedente non ita certum est, eandem specie esse æternam & temporalem: quandoquidem alius est actus, specie etiam differens, quo mors æterna voluntati displicet: & æterna à Deo separatio, ab actu, quo pœna temporalis, & temporalis à Deo separatio voluntati displicet: & per consequens specie differre videntur tristitiæ ex huiusmodi actibus tam differentibus procedentes. Similiter alia est pœna mentis ex odio Dei, quod damnati contra Deum habent, procedens: alia verò ea, quæ non ex huiusmodi odio, sed aliunde causatur. Nec dubium, diuersum esse vermem conscientię, quem damnati habent, ab eo quem habent hi, qui purgantur: in illis etiam est desperatio maximè crucians, qualis non est in his. Et de huiusmodi pœnis mentis, quæ non nisi damnatis competere possunt, certū est eas omnes per pœnitentiam tolli, sicut & culpas. Et huiusmodi pœnis mētis positiuis rectè verificatur commune dictum, scilicet quòd per pœnitētiam pœna æterna commutatur in temporalem.

Quænam pœnæ damnatorū per pœnitentiā tollantur.
Per pœnitentiā cōmutatur æterna pœna in temporalem.

[a] Sed contra secundum occurrit ratio: quia non est dabilis pœnitentia sufficiens ad remissionem culpæ, quæ non sit quodammodo superabundans, siue dicatur contritio superabundans ratione intensionis, siue ratione continuationis, siue ratione pœnæ ipsi connexæ. Quia quacunque data contritione, in quocunq; gradu intensionis habeatur, minor illa esset sufficiens ad remissionem culpæ: quia vt suprà diximus, contritio in quocunque gradu quantumlibet remisso sufficit ad gratiam. [b] Pari forma, quocunque tempore contritio continuetur, in minori tempore continuata, imò instantanea sufficeret ad gratiam. Similiter quantacunque sit, & quantumlibet breui tempore gesta vera cordis contritio, habet secum pœnalitatem annexam, si non sensus, saltem mentis. Cùm ipsa displicentia de commissis de se sit sufficiens causa tristitiæ, secluso impedimento: & ita non datur contritio, quæ superabundans non sit, hoc est, quæ maior non sit, quàm ad delendum culpam sufficiat: nisi fortè detur minima contritio, qua minor dari non potest: quod non omnino certum est. E

a Argumentum contra secundā partē tertiæ sententiæ prædictæ.
b Contritio in quocunq; gradu quantumlibet remisso, sufficit ad gratiam.
Nulla datur contritio, quæ superabundans non sit.

Et confirmatur: quia tanta potest esse contritio, vt tota pœna temporalis remittatur. Et si à summo gradu deficiat contritio, pœna temporalis erit aliquanta: & quantò magis à summo gradu deficiat, eo maior soluenda venit temporalis pœna: sicut econtrà, quò magis crescit contritio, eò magis decrescit pœna temporalis, siue quo ad intensionem, siue quo ad durationem. Et ita omnis contritio, quantulacunque sit, valet ad remissionem pœnæ temporalis quo ad aliquid sui &c.

Confirmatio eiusdem.

QVÆSTIO OCTAVA. F

An per pœnitentiā resurgat homo ad gratiam, & gloriam maiorem et merita plura quā priùs habuerat.
Variæ sententiæ.

Solet praeterea quæri, an per pœnitentiam resurgat homo ad maiorem gratiam, & maiorem gloriam, & ad plura merita, quàm priùs habuerat. In quo etiā multi varia opinati sunt. Vnde dixerunt quidam, vt Henricus, quòd peccator per pœnitentiā solùm resurgit ad gratiam minimam nouam, & non ad antiquam, quam, priusquam caderet, habuerat.
I. Alij autem, vt Scotus & Durandus dixerunt, quòd pœnitens
II. resurgit ad gratiam proportionatam bono motui voluntatis, per quam à peccatis resurgit: non tamen redit gratia priùs amissa, quamuis antiqua merita redeant. Alij verò, vt
III. Alexander & Bonauentura dixerunt, quòd pœnitens resurgit ad gratiam proportionatam contritioni, per quam resurgit, cum opinione præcedente: similiter & redeunt antiqua merita: sed huiusmodi merita veniunt præmianda secundùm finalem gratiam, in qua homo decedit. De quibus breuiter videndum est.

Fundamenta I. sententiæ.
I. Qvi dicvnt in pœnitente non redire priora bona à quibus cecidit, nec merita antiqua, nec gratiam, nec gloriam, quàm priùs meruerat: ideo id dicunt, quia prioribus bonis iustè propter peccatum suum, & ingratitudinem peccator ipse priuatus est. Et sicut cadenti non redeunt antiqua peccata, ita & resurgenti nō redeunt antiqua merita: sed sicut antiqua peccata non ampliùs obsunt resurgenti, ita antiqua merita non ampliùs

A ampliùs prosunt cadenti, prout videtur dicere Dominus per Ezech.18. qui æqualiter videtur de cadente,& resurgente loqui. Sicut enim ait de resurgente,& vitam emendante, quòd priores iniquitates non ampliùs recordabuntur: ita subiungit de cadente, seu ad vomitum redeunte,quòd suę iustitię priores non ampliùs recordabuntur. Ratio autem II.
quare gratia, ad quam pœnitens resurgit, est minima, videtur esse: quia cùm peccator antequam gratiam habeat,nullam posßit gratiam mereri,eò quòd humanus actus meritorius esse non potest,nisi ex charitate procedat:consequens est gratiam illam primam, non dari pœnitenti, secundùm quantitatem contritionis, per quam primò resurgit:sed datur tanta,quanta requiritur, & sufficit ad hoc, quòd illi peccata remittantur:ad id autem,sufficit minima gratia,vt constat. Et inde infertur secũdùm hanc opinionem,quòd omnes pœnitentes resurgunt ad æqualem gratiam, & ex consequenti ad æqualem gloriam illi gratiæ correspondentem. Verùm in eo, quòd opinio ait quòd priora bona in pœnitente non redeunt,patebit inferiùs. In eo autem quòd ait, quòd omnis pœnitens resurgit ad gratiam minimã, & ex consequenti omnes pœnitentes ad gratiam æqualem resurgunt,videtur irrationabilis. Quia quoties gratia datur alicui, non ex opere operato: sed ex opere operantis, datur proportionata actui,ratione cuius præstatur. Et quando forma,quæ inducitur, recipit magis & minùs, vti est gratia gratum faciens, eò maior inducitur,quò subiectum magis ad illam dispositum est:ac proinde qui intensiùs,& ferB uentiùs conteritur,maiorem gratiam assequitur. Et si Deo grata est,& accepta contritio peccatoris, non dubium, quin maior contritio sit eidem magis grata,& magis accepta quàm minor. Et quò intensiùs ipse pœnitens Deum diligit,non dubiũ,quin à Deo econtrà magis diligatur: & per consequens non dubium, quin maiorem gratiam conferat ei, qui maiorem & feruentiorem habet pœnitentiã propter Deum. Nec valet dicere,quòd prima gratia non datur propter meritum pœnitentis. Quia quamuis humanus actus natura sua meritorius apud Deum non sit:attamen attendendo Dei acceptionem, & liberalitatem,qui pro sua bonitate statuit homines iuxta eorum opera remunerare,non dubium,quin posßit homo mereri apud Deum, non solùm per actus, qui ex charitate procedunt, sed etiam per actus pœnitendi, & Deum diligendi, etiamsi ex charitate præcedente non fiant. Quemadmodum enim Deus in lege promisit his, qui ex charitate operantur,præmium: ita & in lege promisit eos, qui ad ipsum vero corde confugiunt, in sui gratiam admittere, vt ex supradictis patet.

Oppugnatur dicta sententia in eo quòd affirmat, omnes pœnitentes resurgere ad minimam, adeóque æqualem gratiam.

Occurritur obiectioni.

Fundamentum II. sententiæ.

QVI DICVNT, pœnitentem non resurgere ad gratiam, & gloriam gratiæ correspondentem,à qua cecidit,resurgere tamẽ ad merita antiqua, & ex consequenti ad gloriam illis meritis correspondentem:ideo id dicunt,quia gratia,à qua homo cecidit, erat Dei, & à Deo gratis data, qua quia priuari meruit, & eadem iustè priuatus est, ideo sibi non ampliùs restituetur, nec nisi, quam de nouo meruit,assequetur: merita tamen antiqua in pœnitente redeunt: quia illa erant opera ipsius pœnitentis: ideo sibi sunt reseruaC ta, etiam ad gloriam illis correspondentem.

Impugnatur in eo quòd asserit pœnitentes resurgere ad maiorem gloriam, non autem ad maiorẽ gratiã.

HAEC OPINIO in eo, quòd ait, quòd pœnitens resurgit ad antiqua merita, & ad gloriam illis correspondentem, & ex consequenti resurgit ad maiorem gloriam:non tamen ad maiorem gratiam, quia non ad gratiam antiquam: videtur irrationabilis. [a] Quia si ad antiquam,seu maiorem gloriam resurgit,etiam ad maiorem gratiam resurgere debet. [b] Tum,quia gloria præsupponit gratiam,& maior gloria maiorem gratiam, & vnusquisq; gradus gloriæ suum gradum gratiæ præsupponit. [c] Tum etiam,quia si resurgit ad antiquam gloriam ,ideo est, quia per opera bona acquisiuit ius ad illam, vt dicunt, quia illam homo meruerat. Igitur ob eandem rationem habent concedere,quòd resurgit ad amissam gratiã,quia idem ius habuit ad illam. Sicut enim de lege per opera bona, homo ille meruerat tantam gloriam:ita eadem lege per similia,& eadem opera meruerat illam gratiam,quam pręhabuerat. Loquor de homine,qui secundùm communem legem gratiam obtinuerat, cui secundum communem legem non minùs debita est gratia, quàm gloria, vt suppono. Tum etiam, quia si pœnitens resurgit ad antiquam gloriam, & non IIII.
ad antiquam gratiam: igitur staret hominem in cœlo magnam habere gloriam, puta, vt centum:& minimam gratiam & charitatem,puta,vt vnum. Patet,si in via centum merita habuit,per quæ meruit gloriam correspondentem,vt centum:& postea cadat in peccatum,& finaliter resurgat per pœnitentiam,vt vnum,& sic decedat. Consequens autem videtur irrationabile:quia Deus quanto alicui maiorẽ gloriam confert, seu ad maiorem

a I.
b II.
c III.

gloriam eum ordinat, tanto magis illum diligit. Et quanto aliquem magis diligit, tanto D
illum sibi chariorem habet & magis amicum. Quanto autem aliquis ipsi Deo charior est
& magis dilectus, tanto maiorem charitatem illi infundit. Ergò à primo ad vltimum,
quanto aliquem ad maiorem gloriam ordinat, & maiorem gloriam actu illi dat, tanto
magis se illi per charitatem communicat.

Obiectioni cuidã respondetur.

RESPONDENT aliqui ad hæc, quòd ita est, quòd qui resurgit ad maiorem & antiquam
gloriam, ex consequenti resurgit ad antiquam gratiam, non tamen statim ipsi pœnitenti
redditam, sed postmodum in fine vitæ reddendam, seu quando illi reddetur gloria
sibi debita. Contra hoc etiam stat ratio probãs, quòd si resurgit ad antiquam gratiam

Causa quadruplex cur pœnitẽti non statim cõferatur antiqua gratia.

per pœnitentiam, quòd statim ei conferatur, & non illi differatur. Quia si non statim
ei redditur, hoc ideo est, quia non est tunc, cùm pœnitet, capax illius, ob quam causam
differtur gloriæ collatio: quia quamdiu quis est viator, non est capax gloriæ: aut quia pœ-
I. nitens ponit obicem gratiæ amissæ, ob quam causam non datur gratia baptismalis po-
II. nenti obicem, sed differtur: aut quia non est vtile, nec expediens ipsi pœnitenti, quòd
III. statim ei reddatur amissa gratia, ob quam causam Deus peccatoribus quibusdam tem-
pus vitæ prolongat: quia ita illis expedit, vt vel ampliùs mereantur, vel de commissis
IIII. pœniteant, & satisfaciant. Aut quartò ideo pœnitenti non datur statim gratia amissa,
quia per peccatum amisit ius ad illam, ob quam causam nulla fit hæretico postmodum
pœnitenti iniuria, si bona confiscata eidem pœnitenti non redduntur, sed nullum ex his E
potest rationabiliter dici, nec huiusmodi causæ habent locum in præsenti, ergo. Patet,
quia falsum est, quòd pœnitens ex corde vero non sit capax gratiæ priùs habitæ: falsum
etiam est, quòd illi gratiæ obicem ponat: falsum est etiam, quòd non sit conueniens &
expediens ipsi pœnitenti illam habere, cùm hoc longè illi meliùs sit quàm eam sibi dif-
ferri: falsum etiam est, quòd amiserit ius ad gratiam priorem absolutè loquendo.
Nam si non amisit ius ad gloriã, quam priùs meruerat, quomodo verum est quòd amisit
ius ad gratiam quam æquè meruerat & habuerat? Adde quòd si non datur ei cùm pri-
mum pœnitet gratia prior, quia amisit ius ad eam, igitur nec postmodum venit sibi red-
denda ob eandem causam, & ita illa solutio voluntaria potiùs, quàm in ratione aliqua
fundata videtur. Restat ergo, quòd vel antiqua gratia nunquam redibit, vel redibit sta-
tim quando peccator verè pœnitet.

Fundamentum III. sententiæ. Oppugnatur quod asseuerat merita antiqua esse remuneranda secundùm finalẽ gratiam.

QVI DICVNT, quòd pœnitens resurgit ad gratiam contritioni proportionatam,
& ad merita priora, quæ secundùm finalem gratiam veniunt remuneranda, ideo id po-
stremum dicunt, quia vnusquisque secundùm quòd fuerit finaliter inuentus, sic iudica-
bitur, cùm nec sit locus postea gratiam augendi, aut diminuendi. Contra id postremum
videtur, quòd opinio hæc sit irrationabilis in eo scilicet quod ait, quòd merita antiqua
præmiabuntur secundùm exigentiam seu quantitatem finalis gratiæ, & non secundùm
I. exigentiam gratiæ, ex qua fuerunt elicita. Primò quidem: quia merita præmiabuntur,
secundùm quòd à Deo fuerint acceptata, cùm de se & ex natura sua, seclusa Dei accepta- F
tione, humana opera nullum habeant valorem ad gloriam & vitam æternam. Sed opera
meritoria ab homine facta, non acceptantur à Deo secundùm gratiam finalem, sed se-
cundùm gratiam, ex qua præsentialiter fiunt. Quia si secundùm finalem gratiam veni-
rent ad gloriam acceptanda, ergo si finalis gratia hominis erit magna, opera quæ in vita
fiunt, ad magnam gloriam acceptabuntur: & si parua, ad paruam, ergo si nulla erit gratia
finalis, ad nullam gloriam humana opera acceptantur, & ita dabis, quòd opera bona ex
charitate, & propter Deum facta, cum omnibus bonis circumstantiis non acceptantur
à Deo, quando fiunt in casu, scilicet quo ea faciens est finaliter decessurus sine vlla gra-
tia: quales sunt omnes præsciti, quod constat in Concilio Constantien. esse damnatum.
Ex consequenti enim sequitur, quòd talia opera, etiam si ex toto voluntatis conatu, si-
mul & ex tota charitatis inclinatione fiant, non valent in casu ad augmentum gratiæ.
Nam si ad augmentum gratiæ valerent, valerent ex consequenti ad augmentum gloriæ,
II. secundùm præsentem iustitiã. Secundò sequitur ex opinione hac, ꝙ æqualiter operantes
ex ęquali conatu & gratia, ita vt omnia paria sint, non æqualiter ad prẹmiũ acceptantur.
Patet, si alter eorum, qui æqualiter operati sunt, decedat in gratia magna, alter verò in
parua, quod consequens videtur contra diuinam iustitiam, in sacris literis nobis signifi-
catam, per quas docemur, Deum vnicuiq; secũdùm sua opera redditurũ tam præmium,
quàm suppliciũ. Vnusquisq; enim reportabit secũdùm ea, quę in proprio corpore gessit.
Tertiò

A Tertiò contra idem ſequitur, quòd impertinens eſſet ex magno feruore charitatis, aut ex paruo operari, & vehementem habere contritionem, aut remiſſam: & bene agere ex charitate, aut ſine charitate, ad finem aſſequendo gratiam, ſi ita eſſet, quòd Deus in acceptando noſtra opera ad gloriam, non reſpiceret gratiam præſentem, ex qua fiunt, ſed finalem, in qua homo decedet.

IAM VIDEAMVS de principali quæſtione, an ſcilicet per pœnitentiã homo reſurgat ad gratiam amiſſam, & ad merita priora, ſimul & ad gloriam, ad quam priùs fuerat ordinatus, In quo magna eſt inter doctos controuerſia, his partẽ negatiuam tuentibus, *Partis negatiuæ* illis verò affirmatiuam. Pro his ergo, qui negatiuam defendunt partem, arguitur primò: *eiuſdẽ quæſtionis rationes.* quia oppoſito dato ſequitur quòd peccator ſemper per pœnitentiam reſurgit ad maiorem gratiam, & ex conſequenti ad maiorem gloriã, quàm ſi in peccatum non cecidiſſet: I.
quo dato, ſequitur quòd ex peccato reportaret commodum. Secundò ſequitur, quòd pœnitens à peccato reſurgens ſemper reperiret ſe magis idoneũ, & promptum ad opera charitatis, & ad dilectionem Dei & proximi, quàm erat antequam à gratia priore cecidiſſet. Nam charitas quanto maior eſt, tanto magis inclinat hominem ad bonum agendum, & ad triſtia & difficilia ſuperandum. Tertiò homo quando poſt habitam charitatem in peccatum cadit, non ſemper cadit grauiùs, quàm antea vnquam ceciderat: ergo quando à peccato ad gratiam reſurgit, non ſemper ſurgit gratior quàm priùs fuerat, & B ita non ad maiorem gratiam. Conſequentia videtur tenere à ſimili. Antecedens patet: quia ſtat, quòd olim ceciderit homo in peccata grauiſsima, & poſt habitam gratiam cadat in peccatum ſimplicis fornicationis aut furti. Quartò, ſi peccator quando pœnitet, acquirit gratiam, quam priùs amiſit: quæro, an eam acquirat ex meritis ſuis, ſeu ratione ſacramenti ſuſcepti, an non? Non ſecundũ: quia ſuppono, ſtante lege, neminem de nouo gratiam acquirere gratum facientem, niſi ex opere operantis, vel ex opere operato virtute ſacramenti. Cùm ergo pœnitens virtute ſacramenti quod nondum ſuſcipit, vt ſuppono, gratiam non acquirat: reſtat, vt eam acquirat ex meritis propriis. Vel ergo eam acquirit ex merito nouo, quod eſt actus pœnitentiæ, per quam à peccato reſurgit: & hoc non, quia illa contritio ſufficienter remuneratur per gratiam, vt vnum, ſuppono enim contritionem illam, vt vnum, non eſſe meritoriam niſi vnius gradus gratiæ. Nec etiam illam magnam gratiam acquirit ex meritis antiquis, quia homo per opera meritoria quę nunc agit, non meretur, quòd ſi cadat in peccatum, gratia ſibi poſtmodum conferatur: alioqui homo in gratia exiſtens mereretur gratiam primam pro tempore futuro poſt lapſum conferendã. Quod inde videtur falſum, quia tunc ſi reſtitutio gratię poſt lapſum caderet ſub meritis antiquis, ſequitur quòd homo à gratia cadens, poſſet eam recuperare ſine pœnitentia & ſine bono motu voluntatis, per hoc ſolùm quòd poſt lapſum ceſſet ab actu peccati, & obicem gratiæ reſtituendæ non ponat, quia cùm huiuſmodi gratiæ reſtitutionem priùs ſufficienter meruerit, ſequitur quòd ad eam recuperandam non C opus ſit nouo merito. Quintò ex Ezechiel. 18. apparet, vt ſuprà tactum eſt, quòd ſicut V.
peccata priora per pœnitentiam ſubſequentem traduntur obliuioni: ita merita antiqua per ſubſequentem recidiuam tradũtur obliuioni. Ergo ſicut peccata priora, ſubſequente pœnitentia, non ampliùs redeunt, nec ad æternam pœnam imputantur: ita & merita antiqua, ſubſequente recidiua, non ampliùs redeunt, nec ad gloriam acceptantur. Vnde & gloſſa ibidem ait: Sicut iuſtum ante peccatorem non grauant antiqua delicta, ſic peccatorem ante iuſtum veteres iuſtitiæ non iuuant. Pro quo etiam videtur facere B. Gregorius, dicens: In perpetratione malorum nulla debet eſſe fiducia præteritorum bonorum. Facit etiam Hugo de S. Victore, dicens: Nemo debet in ſpe correctionis peccare: quia quod ſemel amittitur, ampliùs non recuperatur. His ſuadere putant aliqui hanc ſuam aſſertionem.

QVID TAMEN ponderis præfatæ rationes habeant, facile eſt ad eas reſpondendo *Reſpõdetur ad* videre. Ad primam dicendũ, quòd ex peccato ſecundùm ſe ſumpto, nemo poteſt com- *rationes prædictas.* modum per ſe reportare: ſed iram, & indignationem Dei, & perpetuam mortem: occa- *Ad I.* ſionaliter tamen accidit, ex peccato aliquod euenire bonum. Ita enim ex peccato Adæ, *Ex peccato non* quo natura humana tam abiecta fuit, id bonum fuit ſubſequutum, quòd Deus efficere- *niſi per accidẽs* tur homo, in quo humana natura ſummè fuit exaltata. Ex peccato etiam Petri Chriſtum *poteſt aliquod bonum euenire.* negantis, magnum illi bonum euenit, ſcilicet abundans fletus, & in Chriſtum feruidus & firmus affectus: vnde meruit gratior eſſe, quàm priùs. Ex dubitatione Thomæ in reſur-

 rectione

rectione Christi, hoc bonum illi, & nobis euenit, vt post ostensionem manuum, & lateris Christi transfixi, fides resurrectionis Christi in illo & in nobis firmaretur. In proposito autem nostro commodum pœnitenti eueniens, quo scilicet maiorem gratiam iam habeat, quàm priùs habuerat, per se ex meritis antiquis & nouis illi euenit, non ex peccato, ex quo id boni occasionaliter accidit, quòd hominem pœniteat, quod illi meritoriũ est. D

Ad II. Ad secundam non sequitur illatum, quia bene se compatiuntur hęc, scilicet quòd homo habeat maiorem charitatem, quàm priùs habuerat, & quòd non se reperiat tam habilem ad opera charitatis, & virtutũ sicut priùs: huius ratio est, quia per peccata inter casum & pœnitentiam commissa, disponitur homo ad malum per habitus vitiosos inde genitos, destruuntur etiam, aut remittuntur habitus virtutum, qui hominem ad bonum facilitabant, & ita non mirum, si homo maiorem gratiam habens, magis ineptum se ad

Ad III. bonum agendum reperiat. Ad tertiam antecedente concesso consequentia non valet, cuius discrimen apertum est. Quia dimissa peccata non redeunt in recidiuante, quemadmodum merita priora redeunt, quo ad acceptationem ad gloriam & gratiam in pœnitente, erant enim opera meritoria priora per peccatum subsequens mortificata, quæ peccato per pœnitentiam recedente reuiuiscunt ad gratiam, vt priùs, vt patebit pòst. Ad

Ad IIII. quartam dicendum, quòd pœnitens acquirit gratiam contritioni proportionatam ob meritum ipsius nouę contritionis, gratiam verò quam amiserat, acquirit ex meritis antiquis, per quæ priùs illam gratiam meruerat, idq; concurrente summa Dei bonitate, qua E dignatus est opera bona acceptare, non solùm ad dandam pœnitentialiter gratiam illis correspondentem, quando fiunt, sed quoties obicem ipsi gratiæ non posuerit, eandem restituendum. Obex autem peccati nõ tollitur, nisi homo à peccato commisso recedat, nec ab eo recedere de lege potest nisi per pœnitentiam, vt suprà ostendimus, Ideo pœnitenti gratia priùs amissa restituitur ex antiquis meritis, & nõ ex merito cõtritionis nouę, quia hæc ad restaurandum deperdita non requiritur tanquam meritum, sed tanquam id, per quod obex deponitur. Quod inde apparet, quia si tanquam meritum coageret pœnitentia ad amissam gratiam, quò maior esset pœnitentia & feruentior, eò maior gratia esset recuperanda, quod est falsum, quia impertinens est ad recuperandum gratiam an-

Ad V. tiquis meritis respondentem, paruam aut magnam esse contritionem. Ad quintam dicendum, quę probat authoritatẽ illam Ezech. non directè probare, quòd antiqua merita & gratia amissa in pœnitẽte redeant, quod fateor, vt posteà patebit. Nec obstat, quod ait gloss. illic citata, quia loquitur de peccatore in peccatis suis permanente, quòd illum suæ iustitię veteres non iuuant, vt saluetur, & id verũ est. Quia nisi pœniteat, nil illi proderunt sua antiqua merita. Et hoc modo videtur accipiendum dictum Gregor. ibidem citatum. Quod autem ex Hugone citatum est, procedit, vt ait Thom. de bonis amisis, quæ recuperari nõ possunt, quale est tempus nobis ad salutem & gratiam promerendam concessum, nõ sic gratia, & merita antiqua, quæ quidem per veram pœnitentiam recuperantur.

Sententia communior ac verior, per pœnitẽtiam scilicet redire gratiam priùs amissam, & merita simul antiqua ad eandem gloriã, ad quam priùs acceptata fuére. Probatur I. ex sacris literis.

EST IGITVR secunda sententia, quæ communior est, & magis diuinæ bonitati & F misericordiæ consona, quæ tenet per pœnitentiã redire omnem charitatem priùs amissam, simul & merita antiqua in diuina acceptatione ad eandem gloriam, ad quam priùs fuerant acceptata. Pro qua sententia facere videtur primò, quod ex Ezechiele sæpe citatum est, per quem Dominus ait: Si impius egerit pœnitentiam, omnium iniquitatum suarum non recordabor, in iustitia quam operatus est, viuet. Et iterum ait: Impietas impij non nocebit ei, in quacunque die conuersus fuerit ab iniquitate sua. E quibus colligitur, quòd si Deus non recordatur peccatorum, peccatore pœnitentiam agente, sed obliuioni ea tradit, ita ac si commissa non fuissent, & si commissa non fuissent, homo ille haberet omnem gratiam, quam ante lapsum habebat. Igitur etiam si post lapsum verè pœnitet, eandem vel aliam eiusdem gradus gratiam habebit. Si rursus impietas impij non nocebit illi, si commissorum pœniteat, nil igitur gratiæ aut gloriæ priùs habitæ illi

II. auferetur. Facit etiam, quod habetur Iohelis 2. vbi cùm præmisisset, Conuertimini ad me in ieiunio, fletu, & planctu, deinde addit beneficia illis euentura, & inter cætera ait, Et reddam vobis annos, quos comedit locusta, bruchus, & rubigo, & eruca. Vbi glossa: Non patiar perire vbertatem spiritualium, quam animi perturbationibus per-

III. didistis. Facit ad idem glossa super Leuitici septimo, dicens: Æquè placet Deo virtus iustorum, & pœnitentia peccatorum, quæ restituit in gradum pristinum Dauid, & Petrum. Idem habet glossa super Epistolam ad Hebræos sexto scilicet, quòd opera priora,

quæ

A quæ per ſubſequentia peccata mortificata ſunt, per pœnitentiam reuiuiſcunt. Facit etiam Ambroſius, qui de pœnitentia loquens, & refert Thom.ait: pœnitentia res optima eſt,quæ omnes defectus reuocat ad perfectum. Sed hoc non eſſet, niſi omnis gratia & merita per pœnitentiã redirent. Facit etiam Auguſtinus in epiſtola ad Macedonium, dicens: Quòd ſuper peccatores facit Deus oriri ſolem ſuum.Et addit:Nec minùs tribuit, quàm antè tribuerat munera vitæ,& ſalutis. Quod maximè de pœnitentibus videtur veritatem habere. IIII. *Ex Patribus.* V.

Facit etiam Chryſoſt. & habetur de pœnitentia, diſt.3.cap. talis. Vbi inter alia inquit de pœnitente, quòd Deus ſuſcipit illum, & libenter amplectitur, & facit omnia, quatenus ad priorem reuocet ſtatum. Facit rurſus Auguſtin.in lib.de pœnitentia vera & falſa cap.14.dicens:Pium eſt credere,vt recepta Dei gratia, quæ in eo deſtruit mala priora,etiam remuneret bona, vt cùm deſtruxerit quod ſuum non inuenit, amet & diligat bonum, quod in peccante plantauit. VI. VII.

Facit ad idem ratio, quia ſi poſt veram pœnitentiam gratia priùs habita, & gloria eidem gratiæ & meritis antiquis correſpondens non rediret vt priùs, ſequeretur quòd homo in patria beatus, perpetuò puniretur pro peccato in via commiſſo, & ita peccatum commiſſum nunquam plenè dimitti poſſet. Sequela patet, quia priuatio gratiæ,& gloriæ correſpondentis propter lapſum in peccatum, pœna peccati fuit. Et ſi prior gra- *Ratio* VIII.
B tia & gloria nunquam ſunt ſic lapſo reſtituenda, etiamſi verè pœniteat, ſequitur,quòd eadem gratiæ & gloriæ priuatio perpetuò manebit, etiamſi homo ille beatus in patria regnet, & ita intentum. Confirmatur, quia oppoſito dato ſequeretur, datis duobus, quorum alter in vita ſua innumera opera meritoria fecit:alter verò nullum,præterquam quòd in fine vitæ ſuorum delictorum, quæ ſimiliter innumera fuerunt, pœnitet,quòd tales in cœlo æqualiter præmiabuntur. Sequela patet, ſi prior poſt illa innumera merita priora in peccatum cadat,à quo finaliter reſurgat per contritionem ęqualem contritioni alterius,& ſic decedant. Conſequens tamen videtur contra diuinam promiſsionem, quæ ſæpe in Scriptura promittit, vnumquemq; mercedem ſuorum operum reportaturum,non ſolùm boni operis finalis,ſed omnium bonorum,quæ quis in proprio corpore geſsit, iuxta doctrinam Pauli. *Confirmatio eiuſdem.*

Praeterea ad idem, homo finaliter pœnitens & in gratia decedens poterit iure à Deo exigere mercedem bonorum operum,quæ antequã caderet fecerat, quandoquidem Deus ad remunerandum omna obſequia ipſi Deo facta,ſe obligauit. Si dicas,quòd illa ſufficienter fuerũt remunerata per gratiam, & per alia ſpiritualia dona ſimul & temporalia, quæ nobis neſcientibus Deus ob opera bona concedit, contra: Quia Deus non ſatisfacit bene operanti, ſi temporalia præſtet, cùm ipſe æternam mercedem pro obſequio eidem impenſo promiſerit; igitur iure poteſt pœnitens æternam mercedem pro prioribus meritis exigere. Si dicas, iam Deus illi mercedem æternam reddit, ex quo fi- IX. *Occurritur quibuſdã obiectionibus.* I. II.
C naliter pœnitet, contra: Quia illa gratia & gloria, quæ ob pœnitentiam finalem homini datur, illi debita eſt ob ipſam pœnitentiam, etiamſi priora merita & obſequia non feciſſet,& ita iure poteſt gloriam prioribus meritis reſpondentem exigere. Si dicas quòd illam,quam ob priora merita erat habiturus, per peccatum ſubſequens amittere meruit, ideo ſibi non erit poſtmodum debita, contra hanc reſponſionem pro parte Dei datam, ſtat iterum diuina promiſsio. Promiſit enim homini pœnitenti, non ampliùs ſua peccata imputare,igitur ob peccata priora non poteſt Deus iuſtè negare huiuſmodi pœnitẽti gloriam, quam per obſequia antiqua ſibi debitam fecerat, & ita ſtantibus diuinis promiſsionibus,pœnitens iure poteſt à Deo exigere gloriam & gratiam prioribus obſequiis debitam ſeu correſpondentem, & per conſequens non poteſt ſibi iure denegari. III.

Contra tamen hanc cõmunem ſententiam nonnulla vrgent,potiſsimùm contra fundamenta nunc poſita.Et vt omittamus ſcripturæ & ſanctorum authoritates infirmare,ex rationibus tamen vltimò factis, videtur id colligi, quòd peccatum non plenè remitti poteſt,niſi omnia bona per ipſum peccatũ ablata reſtituantur. Nam illis non reſtitutis,videtur pœna illa priuatiua ſemper manere. Contra quod occurrit primò,quòd in baptiſmo plenè remittitur peccatum, tam paruulo, quàm adulto obicem non ponenti, & tamen bona,quibus primò homines ob peccatum priuati fuerunt, nõ reſtituuntur,vt patet de iuſtitia originali, de immortalitate, de dominio rerum vniuerſali,quæ homines ab initio habuerunt,quibus per peccatum priuatos eſſe conſtat.Patet etiã de innocentia *Argumẽta quædam contra dictam ſententiã communem.* I.

 baptiſmali,

baptismali, qua homo postea in peccatum cadens priuatur, & si deinde ad plenum pœniteat & satisfaciat, nõ illi restituitur. Patet etiam de virginitate semel per culpam amissa, & de aureola virginitati debita, quæ quamuis integra subsequatur pœnitentia, & plena fiat satisfactio, non restituitur corrupto pœnitenti. Ad hunc modum posset de aliis exemplificari: igitur ad plenam peccati remissionem non est necessarium omnia bona per peccatum ablata restitui. D

II. SECVNDO occurrit aliud dubium, quia ex eisdem rationibus videtur colligi, imò & apertè Doctores hanc sententiam tuentes dicunt, hominem pœnitentem habere ius ad gloriam prioribus meritis correspondentem, non obstante lapsu in peccatum postmodum subsequuto, ratione cuius iuris potest peccator post pœnitentiam cõtra Deum in iudicio agere, vt gloria prioribus operibus debita sibi reddatur. Contra quod arguitur, quòd si tale ius ad gloriam illam homo haberet, maximè id obtineret, quando opera meritoria agit: sed hoc non, & probo: Quia homo viator non aliud, nec aliter ius acquirit ad gloriam per opera, quàm eius opera ad gloriam acceptantur, cùm de se meritoria non sint, nec digna gloria: sed opera hominis quantumuis bona, non acceptantur à Deo, ad tantam vel tantam gloriam absolutè: sed conditionaliter scilicet, si perseuerauerit, & in tali statu, in quo est, finaliter decesserit, prout scriptum est: Qui perseuerauerit vsq; in finem, saluus erit. Quod si ita sit, sequitur, quòd ius ad gloriam finalem pendet ex conditionis euentu, & ex consequenti ante conditionis euentum non dicitur homo habere ius ad gloriam finalem: & ita homo cùm bona opera facit, & meritoria, nondum acquirit ius ad finalem gloriam ante positam conditionem. E

Eiusdem confirmatio. PRAETEREA nemo habet ius ad id quod nec suum est, nec sibi debitum: sed antequam quis in gratia decedat, gloria ęterna, nec sua est, nec sibi debita. Si enim sine gratia decedat, nulla gloria debetur ei, etiamsi innumera opera bona priùs fecerit: & ita homo non acquisiuit ius ad gloriam absolutè, quando opera bona fecit. Sed nec ius acquirit ad gloriam prioribus meritis correspondentem, quando per pœnitẽtiam à peccato resurgit, eò quòd ratione contritionis propriam mercedem illi respondentem prætendere potest, non aliam. Sequitur ergo quòd si ius aliquod ad gloriam acquirit homo quando opera meritoria agit, est ius conditionatum, & non absolutum: sic quòd tunc non debetur illi operanti gloria absolutè, sed conditionaliter: sicut & opera illa non à Deo acceptantur ad gloriam, nisi secundùm præsentem iustitiam, quod est ea conditionaliter acceptare: sicut nec Deus pro illis operibus gloriam promisit absolutè, sed conditionaliter scilicet, si in illis homo vsq; ad finem perseueret. Ex hoc autem quòd homo per huiusmodi opera ius conditionale acquirat, non inde fit quòd si postea cadat, & demum pœniteat, quòd habeat actionem contra Deum ad gloriã prioribus meritis correspõdentem.

Ius quod homo per opera meritoria acquirit ad gloriam, non est absolutum, sed tantùm cõditionatum.

Corollarium. INDE SEQVITVR quòd quamuis homo pœnitens, gloriam & gratiam suæ conditioni correspondentem tantùm accipiat, & non eam quam ob priora merita fuisset consequutus, si perseuerasset, quòd carentia talis gloriæ non erit dicenda pœna priuatiua. Nam pœna dicenda non est priuatio seu carentia glorię, quæ nec ipsius hominis fuerat, nec sibi simpliciter debita. Cùm ergo gloria prioribus meritis correspondens, nec ipsius pœnitentis fuerit, nec ipsi debita, nisi solùm conditionaliter, vt dictum est, sequitur inualidam esse rationem primò factam, quam nonnulli Doctores adeò magni faciunt, ad probandum hanc communem sententiam. F

III. TERTIO oritur inde dubium, quia etsi homo, quando peccat, priuetur gratia præhabita, & gloria finali sibi correspondente, talis priuatio non videtur esse propriè pœna peccati, nec in pœnam peccati videtur peccans illa gratia finali priuari, sed quia peccatum est incompossibile gratiæ illi & acceptioni ad gloriam. Huius ratio videtur esse, quia si priuatio gratiæ & gloriæ esset propriè pœna, sequitur quòd æqualiter peccantes non æqualiter punirentur, quod suppono esse contra diuinam iustitiam. Sequela patet, si duo in idem peccatum cadant, cæteris paribus, dempto quòd alter cadat à gratia, vt centum: alter verò à gratia, vt vnum, & casus est clarus. Sicut econtrà homini remitti peccata, non propriè est præmium boni operis: alioqui æqualiter bene operantes non æqualiter præmiarentur. Patet, si duo æqualem dilectionem Dei eliciant, quæ sufficiat ad ęqualem gratiam, quorum alter centum peccata mortalia commiserat, à quibus liberatur: alter verò vnum tantùm: & casus patet. Igitur quamuis in peccatum cadens maneat perpetuò priuatus gratia præhabita, & gloria illi correspondente, non ob id dicendus est æternaliter

A liter puniri ob lapsum illum. Et ita rationes suprà factæ non sunt omnino efficaces, cùm
has & alias difficultates patiantur.

Responsio: non esse ob has obiectiones à sententia præfata recedendum, nec
eiusdem sententiæ fundamenta posita eneruari. Patet hoc, ad ipsas respondendo. Ad
primam, in qua quæritur, an ad perfectam peccati remissionem necessarium sit, omnia
bona per ipsum peccatum amissa reparari, dicendum quòd non, sed ea opus est repara-
ri, quæ ad beatitudinis essentiam pertinere dicuntur, vt sunt visio & fruitio, ad quam fue-
rat homo priùs ordinatus, & ex consequenti gratia illi beatitudini præuia. Nam ad hæc
acquisiuerat homo ius per sua bona opera, & per obsequia Deo impensa. Alia autem bo-
na, quibus contingit homines peccando priuari, sunt in multiplici differentia. Quæ-
dam, quæ reparari non possunt, vt est virginitas semel amissa, & ex consequenti aureola
correspondens. Quædam sunt bona corporalia, vt sanitas, & vita corporalis, sine quo-
rum restitutione potest peccatum totaliter remitti, sicut & plenè remissum est, anima I
plenè purgata cum Christo regnante. Quædam sunt bona spiritualia præter charitatem, II.
vt donum scientiæ, linguarum, virtutum, & prophetiæ: quibus, si quando homo ob pec- III.
catum priuetur, non opus est ea reparari ad plenam peccati remissionem. Et quia iusti-
tia originalis, immortalitas, status innocentiæ, dominiumq; rerum vniuersale, & alia hu-
iusmodi non sunt de his, quæ ad essentiam beatitudinis pertinent, ideo non mirum, si
B peccato plenè condonato, siue per baptismum, siue per pœnitentiam, illa in se formali-
ter non redeant. Horum ratio est: Quia illud solùm est necessarium restitui ad plenam
peccati remissionem, cuius priuatio pertinet ad ea, quæ sunt de essentia punitionis, seu
pœnæ peccato debitæ, qualia sunt, quæ ad pœnam damni & pœnam sensus pertinent:
ideoque plenè peccatum non remittitur, nisi gloria priùs debita, simul & gratia repare-
tur, & reatus ad pœnam sensus auferatur. Alia autem bona prænumerata non sunt talia,
quòd eorum carentia pertineat ad essentiam pœnæ peccato debitæ, siue loquamur de
pœna damni, siue de pœna sensus, vt patet.

Respõdetur ad primam.

Ad perfectã peccati remissionẽ ea tãtum bona reparari necessarium est, quæ ad beatitudinis essentiam dicũtur pertinere: alia non item, quæ in triplici sunt differẽtia.

Ratio solutionis prædictæ.

Ad secundam, in qua de iure ad gloriam quæritur, dicendum, quòd homo eo
ipso, quòd opera bona facit in obsequium Dei & propter ipsum Deum summè dile-
ctum, acquirit ius ad mercedem æternam, idque ex promissione ipsius Dei, vt suprà ta-
ctum est. Et fateor, quòd non acquirit ius absolutum, quo simpliciter & absolutè sibi
gloria finalis debeatur, sed conditionatum, vt tactum est, & hoc ius conditionatum ac-
quiritur homini, quando Deo obsequium aliquod præstat, purificatur autem huiusmodi
ius per conditionis euentum, scilicet quando finaliter pœnitet, & in Dei gratia decedit.
Tunc enim habet ius absolutum, quo ex lege sibi promissa merces æterna negari non
potest, & per hoc patet ad secundam. Nec sequitur, quod ibidem corollarium illatum
prætendit, quia quamuis gloria æterna non debeatur simpliciter, & absolutè homini,
quamdiu in via est, sed conditionaliter, attamen per aduentum conditionis debetur ab-
C solutè. Et ita hominem in gratia decedentem perpetuò priuari gloria, sibi iam absolutè
debita, pœna propriè est.

Ad II. Quatenus homo ius habeat ad gloriam.

Respondetur ad corollarium eiusdem.

Ad tertiam, in qua quæritur, an priuatio gratiæ & gloriæ correspondentis, qua
homo per lapsum in peccatum priuatur, sit propriè pœna, dicendùm quòd sic. Quia hu- I.
iusmodi priuatio ad pœnam damni pertinere videtur, vt patet ex dictis. Et quando ar-
guitur, quòd tunc æqualiter peccantes inæqualiter punirentur. Resp. negando sequelam
de pœna essentiali loquẽdo, vt puram gloriç carentiam importet: nam si de pœna damni
loquamur, æqualiter puniuntur omnes mortaliter peccantes, quia hæc pœna est, ho-
minem à regno Dei exulare, & gloria perpetuò carere, in qua carentia, omnes æquales
sunt, qui mortaliter peccant. Si loquamur de pœna sensus æterna, hanc quantum ad
eius durationem æqualem habent omnes æqualiter peccantes. Quod autem in casu du-
bij proponitur, accidit huic pœnç, scilicet quod peccans priùs habuerit paruam, aut ma-
gnam, aut nullam gratiam, quodq; ad magnam vel paruam fuerit gloriam ordinatus,
quia æqualiter à gloria Dei excludentur, & æqualiter æterno præmio priuabuntur, esto
quòd alteri fuerit conditionaliter debitum, alteri verò non, quod constat ad essentiam
pœnæ damni impertinens esse. Vel dicatur secundò, quòd pœna damni non opus est sit II.
quantitati peccati proportionata. Patet, quia si duo infideles, qui nunquam gratiam ha-
buerunt, inçqualiter peccent, & decedant, çquales tamẽ erunt in pœna damni. Ita econ-
tra, si alter aliquando gratiam habuit, & ex consequenti ius ad gloriam: alter verò non, &
ambo

Ad III. responsio duplex.

Quomodo priuatio gratiæ & gloriæ, qua homo per peccatũ priuatur, pœna dicatur.

ambo in peccatis decedant æqualibus, non erunt in pœna damni æquales, seu in pœna D
priuatiua: cùm alter gratia actu fuerit priuatus, seu expoliatus, & alter non. Cuius exemplum ex humana iustitia sumi potest. Si duo in eandem hæresin inciderunt, & cętera sint paria, dempto quòd alter erat valde diues, alter verò non: & ambo in perpetuum carcerem detrudantur, & vtriusq; bona omnia confiscentur: constat peccata æqualia esse, & tamen pœnam priuatiuam nõ esse æqualem, cùm alter priuetur multis bonis: alter verò paucis. Ita in proposito, seu in diuino iudicio, cùm accidat, cadentem magnam aut paruam gratiam præhabuisse: ita accidit æqualiter peccãtes inæqualiter puniri pœna priuatiua, accipiendo pœnam priuatiuam, non vt dicat puram carentiam gratiæ, aut gloriæ: sed vt dicat carentiam gratiæ præhabitæ, aut gloriæ priùs debitæ.

Cõfirmatur solutio data à simili.

QVÆSTIO NONA.

An peccata præterita per recidiuam redeãt, & ad æternam pœnam imputentur.

EX DICTIS in præcedenti quæstione, alia consequitur, an scilicet, sicut per pœnitentiam antiqua merita redeunt, & ad gloriam, vt priùs acceptantur: ita etiam per recidiuam antiqua peccata redeant, & ad supplicium imputentur, vt priùs. In qua quæstione duæ sunt opiniones solennes, quarum, quæ communior est & magis pia tenet, quòd antiqua peccata priùs remissa, non redeunt per recidiuam, ita vt ad æternam E
pœnam, vt priùs imputentur. Pro qua sententia solet argui.

Sentẽtia prima negatiua.

Ratio I. PRIMO ex eo, quod sæpe ex Ezech. 18. citatum est: Quacunq; hora ingemuerit peccator, non recordabor ampliùs peccatorum suorum: non igitur punit Deus reincidentem pro peccatis, de quibus pœnitentiam egerat. Hoc enim est Deum recordari peccatorum, quod est velle punire, seu ad pœnam illa imputare. Econtrà verò non recordari est, ea ad pœnam non imputare.

II. SECVNDO ex Canonica Iaco. 1. cap. Deus omnibus dat affluenter, & nõ improperat: prout etiam Paulus ait ad Rom. 11. Sine pœnitentia sunt dona Dei, & vocatio: igitur quæ Deus semel condonauit, Deus non ampliùs repetit. Nec eum pœnitet ea cõdonasse, qualiter pœnitere videretur, si dimissa peccata rursus ad pœnam imputaret.

III. TERTIO ex eo, quod dicitur Naum 1. Deus non punit bis in idipsum, seu non consurget duplex tribulatio. Si igitur semel Deus peccatorem in hoc sæculo, pro peccato puniuit, interueniente dolore cordis, & debita satisfactione ipsius peccatoris, quomodo postea pro eodem peccato, eum in alio sæculo puniet?

IIII. QVARTO, quæro quando Deus pœnitenti commissa remittit, an remittat ea absolutè, an conditionaliter, scilicet, nisi postea relabatur? Non secundum: quia tunc peccata remitti pœnitenti, penderet ex futuro statu, seu lapsu, aut decessu ipsius pœnitentis: ita quòd si verum est, quòd reincidet, non remittuntur peccata: si autem non reincidet, remittuntur. Cùm igitur Deus certus sit, conditionem non stare in eo, qui relapsurus est, F
cùm omnia etiam, quæ futura sunt, aperta sint oculis suis, sequitur quòd remissio non fit pœnitenti, quem Deus scit in culpam relapsurum. Consequens est falsum, & erroneum: quia siue pœnitens relapsurus sit, siue in bono perseueraturus, Deus dat absolutè gratiam ipsi pœnitenti, & per consequens absolutè sine præfata conditione remittit peccata per pœnitentiam. Quia, vt arguit Durandus, posita absolutè causa alicuius effectus, ponitur absolutè effectus: causa autem ex parte peccatoris ad remissionem peccatorum est pœnitentia, ex parte autem Dei est gratia: cùm igitur hæc absolutè & sine futura conditione ponuntur, igitur absolutè & sine futura conditione ponitur peccatorum remissio. Quo dato, sequitur, quòd quæcunq; eueniat conditio, non ampliùs ad pœnam æternam imputabuntur.

V. QVINTO, tota ratio quare dicũt peccata dimissa redire in recidiuãte, est ingratitudo ipsius reincidentis. Aut igitur qualiscunq; ingratitudo facit peccata redire, vel non, nisi certa aliqua. Si primum, igitur peccata redeunt in eo, qui venialiter peccat post remissionem obtentam priorum peccatorũ, quod constat esse falsum. Si secundum, demus quòd debeat esse ingratitudo magna, scilicet mortalis, adhuc ipsa habet latitudinẽ, ex quo vna est maior ingratitudo, quàm altera: igitur si per ingratitudinem meretur homo peccata redire quo ad pœnã, quæ maior ingratitudo est, plura peccata redire meretur quàm quæ minor est: & ita falsum est, quòd in omni recidiuante omnia dimissa peccata redeant.

A SEXTO,& est confirmatio præcedentis: Æqualiter peccantes æqualiter veniunt puniendi,& vnusquisq; iuxta quantitatem culpæ, iuxta illud Deuter.25. Iuxta quantitatem delicti erit plagarum modus,sed oppositum accideret,si omnia dimissa in recidiuãte redirent. Patet: quia stat, quòd ille, cui plura & grauiora peccata dimissa sunt,leuiùs reincidat,puta in simplicem fornicationem:alius verò,cui pauciora sunt dimissa,grauiùs cadat,puta in graue adulterium. Et patet sequela. VI.

SED QVONIAM Magister & Gratianus reputant opinionem contrariam probabilem,quam & tenere videtur Hugo doctor illustris: putandum est rationes præfatas nõ sufficienter cõcludere,quod prætendunt. Vnde ad eas respondendo, posset dici. Ad primam,quòd si illa authoritas probaret,quòd peccata priora non redeunt in recidiuante, eò quòd Deus eorum non recordatur, homine de illis pœnitentiã agente:similiter probaretur,quòd iustitiæ priores,& merita, si homo ab illis cadat,non redeunt in pœnitente,cùm de illis similiter dicat textus, quòd si homo à iustitia recesserit, Deus non recordabitur suarum iustitiarum: hoc autem nõ probatur,vt patet ex dictis in quæstione præcedente,igitur. De hoc postea dicetur. Ad secundam,fateor quòd Deus dat sapientiam & gratiam omnibus se sufficienter disponentibus& cætera, quæ illis sunt ad salutem necessaria:& non exprobrat, nec eum collati beneficij pœnitet, scilicet si homo non agat, vnde accepto beneficio priuari mereatur. Sic enim ob ingratitudinem & peccata hominum,Deus eos priuat charitate, & aliis donis Spiritus sancti, aliisque bonis corporis & fortunæ, vt innumera Scripturæ exempla demonstrant. Cùm ergo inter beneficia, quæ Deus homini confert, vnum sit, & de prioribus, condonare offensas & debita remittere,non mirum, si tali beneficio homo ingratus priuetur, vt patet de liberto,qui propter ingratitudinem reuocatur à Domino, qui eum manumisit.l.2.C. de libertis &c.

Soluũtur dictæ rationes pro parte negatiua. *Ad* I. *Ad* II.

B

AD TERTIAM dicitur, quòd illud ad literam exponũt de terra Iuda,quam Salmanasar Rex afflixerat,cui Deus promittit, quòd nõ vltra per Sennacherib filium eius affligetur,vt exponit Lyra cũ aliis. Quòd si ad peccata dictum illud referatur,quòd pro peccato Deus non punit bis,intelligatur, quãdo semel peccator pro peccato est sufficienter punitus, aut pro quo peccator ipse sufficienter satisfecit,vt vult Hugo,similiter & glossa ibidem. Vnde qui pro adulterio hîc decollatur,etiam venit in inferno à Deo æternaliter puniendus: quia decollatio non fuit peccato commisso condigna pœna. *Ad* III.

AD QVARTVM, potest argumentum in arguentem retorqueri,quærendo de operibus bonis ab homine factis,quãdo à Deo ad gloriam acceptantur, an Deus illa ad gloriam acceptet absolutè, an conditionaliter? Si primum: igitur qualitercunq; homo postea vixerit, erit semper ad gloriam ordinatus. Si secundum: igitur opera bona hominis in peccatum postmodum relapsuri,non acceptantur ad gloriam:quæ ratio cùm nõ concludat, sequitur quòd nec ea quæ facta est, concludit. Ideo dicendum,quòd sicut Deus acceptat ad gloriam opera bona, dupliciter scilicet secundùm præsentem iustitiam,aut secundùm æternam præscientiam,ita cùm peccator pœnitentiam agit,Deus eius peccata remittit secundùm præsentem iustitiam,aut secundùm æternam præscientiam. Et sicut homine bona opera agente, Deus secundùm præsentem iustitiam, absolutè illi dat gratiam, & ad gloriam eundem ordinat: ita homine pœnitente, absolutè remittit Deus illi peccata secundùm præsentem iustitiam, ita vt in neutro dependeat acceptatio,aut remissio ex futuræ conditionis euentu. Attamen secundùm æternam prædestinationem, seu præscientiam, atque finale iudicium,acceptatio ad gloriam,& peccatorum remissio ex finali hominis statu dependet. *Ad* IIII.

C

AD QVINTAM, admisso quòd peccata non redeant, nisi per lethalem ingratitudinem, attamen impertinens est, hanc magnam esse aut paruam, modò lethalis sit, ad hoc quòd omnia dimissa redeant. Quia eo ipso quòd homo est hoc modo benefactori ingratus, dignus est qui beneficio gratuito priùs accepto priuetur, quale fuit peccatorum remissio: quo beneficio ablato, necesse est omnia peccata dimissa redire, siue multa fuerint, siue pauca. *Ad* V.

AD SEXTAM,admisso antecedente,simul & quòd stat grauiùs & leuiùs reincidere, non sequitur,aliquem grauiùs puniendum pro leuiori quàm pro grauiori peccato: quia illa peccata reincidentiæ,sicut propriam habent malitiam, ita propria & proportionata pœna illis respondebit. Quòd si qui leuiùs cadit, grauiùs punietur,non propter peccatũ casus id erit, sed propter plura peccata priùs commissa, quæ per casum redeunt. Et ita patet *Ad* VI.

patet, communem sententiam non omnino efficaciter contra Hugonem suum intentum probare.

II. Sententia affirmatiua. ESt IGITVR secunda opinio, quæ partem quæstionis affirmatiuam tenet, scilicet quòd in recidiuante redeunt antiqua peccata, quo ad pœnam æternam, ad quam videtur Gratianus declinare: pro qua sententia faciunt quæ sequuntur.

Probatur I. PRIMO, quia peccata, quæ à memoria Dei exciderunt, aliquando redeunt in memoriam eius: nec videtur quando aut per quid, nisi per recidiuam. Antecedens patet ex Propheta, Psal. 78. Domine ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum, citò anticipent nos misericordiæ tuæ. Et iterum: Redeant in memoriam iniquitates patrũ suorum. Et 3. Regum 17. dicebat mulier Sareptana ad Heliam: Quid mihi & tibi vir Dei? ingressus es ad me, vt rememorentur iniquitates meæ? Sed Deum rememorari & reminisci antiquarum iniquitatum, nĩ aliud esse videtur quàm ad pœnam iterum imputare peccata, quæ priùs remiserat: quod maximè in recidiuante verificari videtur.

II. SECVNDO idem videtur ex Oseæ 7. Vbi Dominus improperat filiis Israël peccatum, quod ad preces Moysi patribus fuerat remissum, scilicet peccatum idololatriæ, propter quod dicit eis, quòd casuri sunt, & in captiuitatem redigendi: & citat Gratianus de pœnitentia, distinctione 4. cap. Væ eis. Quòd si peccata patribus dimissa in filiis diuinitus puniuntur & redeunt, secundùm quòd alibi dictum est: Ego sum Deus visitans iniquitatem patrum in filios: à fortiori igitur peccata hominis semel dimissa punientur in eodem, si recidiuet.

III. TERTIO id ipsum uidetur Propheta Psal. 37. significasse, quando dixit: Putruerunt, & corruptæ sunt cicatrices meæ à facie insipiẽtiæ meæ. Vbi glossa: Plagæ per baptismum sanatæ, in putredinem redeunt per peccata postmodum commissa. Vnde idem Propheta in Psal. 50. lamentatur, & confitetur dicens: Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea: cùm tamen sciret, peccatum originale sibi per circumcisionem & fidem fuisse remissum. In quo significat originale priùs remissum, postmodum per alia peccata commissa rediisse. Vnde & Rabanus tractans illud Matthæ. 18. de seruo, qui suo noluit conseruo misereri, ait: Non solùm peccata, quæ post baptismum homo egerit, reputabuntur ei ad pœnam: verùm etiam peccata originalia, quæ in baptismo ei dimissa sunt.

IIII. QVARTO facit ratio: quia merita antiqua redeunt ad præmium per pœnitentiam, igitur peccata antiqua redeunt ad pœnam per recidiuam: antecedens suprà probatum est quæstione præcedenti, per illud Ezechi. Quacunque hora ingemuerit peccator, non ampliùs recordabor peccatorum suorum. Et etiam per eundem Ezech. ca. 33. dicitur: Si auerterit se iustus à iustitia, & fecerit iniquitatem, nunquid viuet? omnes iustitiæ quas fecerat, nõ recordabuntur, & non erunt in memoria iustitiæ eius, quas fecerit. Vbi æquè dicitur, quòd Deus non recordabitur iustitiarum antiquarum, si homo iustus à iustitia se auertit: & quòd Deus non recordabitur peccatorum priùs commissorum, si peccator pœniteat: vel igitur peccata in recidiuante redeunt: vel merita in pœnitente nõ redeunt.

Confirmatio eiusdem. Confirmatur id: quia si homine recidiuante, Deus non recordatur iustitiarum præteritarum, nec pœnitentiæ priùs habitæ, perinde igitur est ac si non pœnituisset: sed si non pœnituisset de priùs commissis, illa manerent ad pœnam æternam imputata: igitur ita erit in casu recidiuæ.

FACIT ad idem: quia maius beneficium est, Deum homini gratiam præstare & eundem ad gloriam ordinare, quàm debitum peccatorum remittere: sed homo per recidiuam iustè priuatur gratia & iure ad gloriam, ad quam fuerat præordinatus: igitur etiam iustè priuatur beneficio remissionis: & ita intentum.

V. POSTREMO facit quod legitur Matthæ. 18. de seruo, cui rex omne debitum remiserat, à quo cùm conseruo suo nollet similiter commisereri, & debita remittere, omne debitum quod remiserat repetiit. Super quo Gregorius ait, Inde constare, si quod aliquis in nos delinquit, ex corde non dimittimus: & illud rursus exigitur, quod nos iam per pœnitentiam dimissum fuisse gaudebamus. Et Augustinus lib. de baptismo, Redire dimissa peccata, vbi fraterna charitas non est, apertissimè Dominus in Euangelio docet in illo seruo, à quo Dominus debitum petiit, eò quòd ille conseruo suo debitum nollet dimittere.

His

Resolutio quæstionis. Tripliciter intelligi potest peccata redire in recidiuante. I. Quo ad actũ non redeunt. II. Neq; redeũt peccata dimissa quo ad pœnã. Probatur I.

A His tamen non obstantibus, videtur ad quęstionem sub distinctione respondendum. Potest enim intelligi peccata in recidiuãte redire tripliciter scilicet quo ad actum, & hoc modo certum est, ea quæ præterierunt, non ampliùs in recidiuante redire in se, etiamsi homo posit in similia peccata incidere. Potest secundo modo intelligi, dimissa redire quo ad pœnam, ita scilicet vt punienda veniant eo modo, quo punienda forent si pœnitentia non præcessisset, aut si dimissa nõ fuissent, & in hoc sensu tenendum est, peccata dimissa nõ ampliùs redire. Id patet ex decreto Augustini in lib. Sententiarum Prosperi, dicentis: Qui à Christo recedit, & alienatus à gratia finit hanc vitam, quid nisi in damnationem vadit? sed non id, quod dimissum est redit, nec originali peccato damnabitur. Idem dixit Gelasius Papa, & habetur de pœnitentia, distinct. 4. Diuina clementia II. dimissa peccata in vltionem vlteriùs redire non patitur. Præterea quando peccator verè pœnitet, III. Deus peccata remittit, & secundùm legem à debito peccati, quo ad Deum absoluitur, absurdum autem est, eum qui semel ab aliquo debito legitimè absolutus est, eodem debito rursus teneri, vt ait Bonifacius, & Benedictus Vndecimus in Extrauagante, Inter cunctas.

Praeterea, & est confirmatio eiusdem, si peccatorem verè pœnitet, æterna pœna IIII. suis peccatis debita commutatur in temporalem, quam si quis persoluat, erit omnino à peccatis commisis liber, tanquam qui ad plenum satisfacit pro peccatis à se commis-
B sis, ex quo Deo persoluit totum id, quod loco satisfactionis Deus ab illo exegit. Igitur esto postea recidiuet, non exigetur ab illo pro peccatis prioribus alia satisfactio, & hoc fatentur aduersarij. Ergo etiamsi pœnam temporalem, in quam æterna fuit commutata, hic non soluat, in alio sæculo non exigetur à tali peccatore nisi pœna huiusmodi temporalis, cuius tantùm mansit debitor post contritionem. Præterea inhumanum V. & ferale videtur, duriorem seruitutem exigere, vbi minor est ingratitudo, sed contingit quod is, cui plura peccata dimissa sunt, minùs ingratus sit recidiuãdo, quàm alius cui pauciora sunt dimissa, vt patet, si is cui centum peccata sunt dimissa, incidat ex fragilitate, aut inaduertẽtia, aut ex metu vehementi in peccatum aliquod, puta quo ieiunium Ecclesiæ soluat: alius verò cui vnum peccatum dimissum fuit, incidat in peccatum contra Deum commissum in contemptum & despectum ipsius Dei, à quo remissionis beneficium acceperat. Certum est enim, hunc secundum esse magis ingratum primo, & tamen ex contraria sententia, maior seruitus exigeretur à primo, cui multa redeunt peccata, quàm à secundo, vt constat.

Diluitur quædam obiectio.

Nec valet dicere, quòd quicunque recidiuat, dignus est ob ingratitudinem, quòd omnia priora peccata illi imputentur, ex quo iustè posset Deus homini pro omni peccato mortali infinitam, etiam intensiuè, pœnam infligere, quod plus est quàm priora commissa ad supplicium replicare, nec si illud Deus faceret, esset iniustus, aut feralis. Non inquam valet, quia esto quòd posset iustè, si vellet omnia dimissa recidiuanti impu-
C tare, nõ tamen ita facit, sua erga homines misericordia potiùs quàm iustitiæ rigore vtẽs. Sicut pro vnoquoque peccato mortali iustè posset, si vellet, infinitam pœnam intensiuè exigere, & hominem annihilare, non tamen ita facit, sed pro vnoquoque peccato, certam statuit pœnam inferre, prout peccati quantitas exegerit.

III. Peccata dimissa in recidiuãte redeũt per modum circumstantiæ aggrauantis &c. Est hæc communior sententia ac verior. Qui post dimissa sibi peccata recidiuat, ex triplici capite grauius peccat, secũdùm Scotum. I. II. Opinio Scoti asserentis in pœnitẽtia includi votũ seu promissionem amplius nõ peccãdi impugnatur.

Potest tertio modo intelligi, peccata dimissa in recidiuante redire per modum circumstantiæ aggrauantis ipsam recidiuam, & hoc modo verum est dimissa redire. Vt si quis post acceptum ab aliquo beneficium illi iniuriam irroget, certum est cæteris paribus, huiusmodi iniuriam grauiorem esse quàm si beneficium ab illo non recepisset. Et ita quantò peccator plura aut maiora à Deo beneficia recepit, tantò grauiùs peccat, Deum benefactorem offendendo. Et hæc est communior sententia, ac verior. Et ita qui recidiuat, exempli gratia, in fornicationem, post dimissa sibi priora peccata, grauiùs peccat, ex duplici capite secundùm Scotum. Primò, quia ille homo magis teneba-tur Deo ratione beneficij accepti, puta remissionis priorum peccatorum, idque lege gratitudinis, vt constat: igitur grauiùs peccat contra legem gratitudinis recidiuando. Secundò, quia pluribus obligationibus tenetur is, cui peccata remittuntur ad non peccandum: vna, ratione legis peccatum ipsum prohibentis: alia, ratione voti, aut promissionis, quæ in pœnitentia, vt ait, includitur, quia verè pœnitens proponit postmodum abstinere à peccatis. Verùm hæc probatio Scoti deficit, quia præsupponit in pœnitentia includi votum seu promissionem non vltrà peccandi, quod non est verum, quia

aliud eſt pœnitentem proponere non ampliùs peccare, aliud vouere, aut promittere, vt conſtat. Et primum vtile & neceſſarium eſt, ſecundum verò non ita, imò multis eſt periculoſum propter periculum recidiuandi in aliquod peccatum, ad quod maximè procliues ſe experiuntur. Inde his qui aſſueti ſunt ludere, periculoſum eſt iurare quòd à ludo abſtinebunt, cùm vix poſsint abſtinere, vt experientia docet. Ac proinde confeſſores cauere debent, ne cùm vident pœnitentem frequenter in peccatum aliquod incidiſſe, ab eo iuramentum exigant, de non recidiuando in illud. Nec iudex debet clericum compellere, adiurare concubinam, ob rationem dictam, capitu. Clericos. de cohabitatione cleric. & mulier. D

Falſum itē eſt, non poſſe aliquē recidiuare, quin duplici, vel triplici peccato ſpecie differenti peccet.

ALIVD ETIAM ſequitur ex his rationibus Scoti, quòd non poteſt quis recidiuare, quin duplici peccato peccet ſpecie differenti, imò triplici peccato principali ſcilicet fornicationis, & peccato ingratitudinis, & peccato infidelitatis, qui promiſſum non complet, quod tamen non opus eſt. Stat enim, quòd ſit peccatum ſimplex fornicationis, ſi, quando fornicatur, nil aliud intendit, nec illi in mentem aliud venit, niſi fornicari, imò ſtat, quòd talis fornicatio non aggrauetur ex beneficio remiſsionis priùs ſuſcepto. Patet, ſi quando in fornicationem labitur, nullatenus recordatur beneficij ſuſcepti, ita vt illa non recordatio ſit ei inuincibilis, quod negari eſſe poſsibile non poteſt, tunc eſt manifeſta ratio, quòd non aggrauetur talis fornicatio ex accepto beneficio, quia ignorantia inuincibilis præcedens excuſat à tota malitia, quę alioqui erat euentura, non exiſtente tali ignorantia, de quo aliâs. Ac proinde, quamuis vt in plurimũ peccatum recidiuũ aggrauetur per beneficium remiſsionis priùs ſuſceptum, nō tamen ſemper, & per conſequens, nec dimiſſa peccata ſemper redeunt per modum circumſtantiæ aggrauantis, niſi in eo qui aduertit, aut aduertere debet ad beneficium ſic per eum receptum. Et tunc erit duplex peccatum ſcilicet fornicatio, & ingratitudo. Pro quo notādum, quod ait Thom. 2. 2. ſcilicet tres eſſe gradus gratitudinis. Primus, beneficiũ agnoſcere. Secundus, laudare & gratias agere. Tertius, loco & tempore retribuere pro facultate. Econtrà verò eſſe tres gradus ingratitudinis. Primus, beneficium non referre ſeu non retribuere. Secundus, diſsimulare, quaſi non demonſtrans ſe beneficium accepiſſe. Tertius, quòd non recognoſcat per obliuionem ſcilicet voluntariam, aut alio modo. Et quia in affirmatione oppoſita intelligitur negatio, ideo ad primum ingratitudinis gradũ pertinet, quòd aliâs retribuat mala pro bonis. Ad ſecũdum, quòd beneficium vituperet. Ad tertium, quòd beneficium quaſi maleficium reputet. Ad quorum primum pertinet peccatum recidiuũ, cùm per illud iniuria fiat Deo, qui tantum beneficium tribuerat. E

Quatenus pctā priùs dimiſſa redeant per modũ circumſtantiæ aggrauantis: & quādo itē recidiuare duplex ſit peccatum. Triplex gradus tam gratitudinis, quā ingratitudinis.

An maior ſit ingratitudo in caſu ab innocētia, an verò in caſu à pœnitentia. Scot. exiſtimat ab innocentia.

SED HIC dubitant Doctores vbi ſit maior ingratitudo, in caſu ab innocentia, an in caſu à pœnitentia. Et videtur Scot. dicere quòd in caſu ab innocentia, eò quòd quantò maius eſt beneficium acceptum, tanto magis eſt ingratus qui benefactorem offendit, ſed innocentia eſt maius beneficium, quàm pœnitentia. Probat hoc, quia maiorem gratiam fecit Chriſtus Matri ſuæ eam in innocentia præſeruando, quàm Magdalenæ eam à caſu leuando. Vnde ſingularis gloria & ornatus eſt Sanctis in hoc, quòd nunquam ceciderunt. F

Oppoſitũ eſt verius: pro quo notandum quantitatem beneficij deſumi ex qualitate tùm dantis, tùm accipientis.

Magis eſt meritoria dilectio inimici, quam amici.

Matth. 5.

Rom. 5.

OPPOSITVM tamen videtur verius. Pro quo ſupponendum eſt, quòd quantitas beneficij ſeu gratiæ alicui factæ, non commenſuratur præciſè ex quantitate doni ſeu rei donatæ, ſed ex qualitate dantis, & ex qualitate ſeu conditione accipientis. Ex dante quidem, vt ſi is qui alteri beneficium facit, id cum periculo ſuo, aut ſuarum rerum diminutione, aut cum magno labore, aut magnis expenſis faciat. Ex parte etiam accipientis, quia cæteris paribus, quantò is, cui beneficium fit, minùs dignus eſt illo aut magis indignus, tanto eſt maior gratia, & maius beneficium, vt ſi inimico, & ei qui contrarium meruit, beneuolentiam exhibeo. Inde magis meritoria eſt dilectio inimici quàm amici, prout Chriſtus ſignificauit dicens: Si diligitis eos qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? nam id Ethnici faciunt. Et Paulus idem docet, dicens: Commendat autem charitatem ſuam Deus in nobis, quoniam cùm adhuc peccatores eſſemus, pro nobis mortuus eſt.

Corollariũ I.

COROLLARIE ſequitur, quòd ſtat munus alicui datum eſſe minus, & tamen beneficium ſeu gratiam eſſe maiorem. Patet ex parte dantis, ſi minori incommodo, & labore, conferat maius quàm minus. Similiter ex parte capientis, ſi capiens minus, ſit illo penitus indignus, & contrāriũ meruerit, alius autem, cui maius tribuitur, ſit illo digniſſimus.

A mus. Sequitur ampliùs, maius esse beneficium redemptionis quàm creationis, tam ex parte benefacientis quàm ex parte recipientis. Ex parte quidem facientis, quia beneficium redemptionis factum est cum magno labore, & iactura, & expensis ipsius Christi Redemptoris, nam cum sanguinis effusione, & morte crudelissima nos redemit. Ex parte etiam recipientis, quia nos ipsi, qui redempti sumus, eramus tanto beneficio penitus indigni, non solùm contradictoriè, sed etiam contrariè, quia merebamur ęternaliter captiuari, & damnari, imò & in nihilum redigi, quæ causæ non concurrunt ad augendum gratiam creationis, vt constat. II.

Maius est beneficium redeptionis, quàm creationis.

SEQVITVR inde, quòd maiorem gratiam fecit Deus, dando innocentiam Virgini gloriosæ, quàm eam dando Adæ & Euæ in statu integræ naturæ, esto quòd munus in se esset æquale. Patet hoc ex parte dantis & accipientis, quia si Christus Virginem ab omni culpa etiam originali conseruauit, fuit ob meritum passionis ipsius Christi, & ita cum magno labore, & passione dantis, cùm tamen Adæ data fuerit pro tunc innocentia liberaliter, & non ob passionem Christi præuisam. Similiter quia virgo Maria, nisi præseruata fuisset, ad massam communem naturæ infectæ pertinet, vt alij. Sequitur vltrà maiorem gratiam esse, lapsum in peccatum per pœnitentiam erigere, quàm eum tenere ne cadat, idque ex parte recipientis, quia minùs dignus est beneficio, qui cecidit, imò est illo indignus positiuè, vt constat, qualiter non est dignus is, qui nunquam ceci-
B dit; ac proinde, licet beneficium innocentiæ in se sit maius, quàm beneficium pœnitentiæ, per quam quis resurgit, attamen attenta conditione recipientis, maius est beneficium pœnitentiæ quàm innocentiæ. Et inde fit, quòd lege gratitudinis, magis tenetur quis ob pœnitentiam susceptam, quàm ob innocentiam, & per consequens cæteris paribus, grauiùs peccat, qui à pœnitentia cadit, quàm qui ab innocentia. Quod ex sententia Hugonis comprobatur dicentis: Nonne attendis, quanto sæpius gradatur, tanto iniquior ingratitudo iudicatur? Ecce duo sunt, vnus sæpius offendit, & sæpius oranti venia indulgetur, alter innocenter viuens, & semper voluntati, & imperio præsidentis Domini humiliter obediens, non habet pro quo deprecetur. Contingit autem postea quod contingere potest, vt vterque in simili culpa offendat, dic ergo, quis horum ampliùs reus iudicatur, nisi ille, qui priùs tantam gratiam ingratus comprobatur accepisse? Leges secunda crimina grauiùs plectunt, & iterata vulnera difficiliùs ad sanitatem reducuntur. Hæc ille.

III.

IIII.

Maior est gratia peccatorem erigere per pœnitentiā quàm tenere eum ne cadat.

Grauiùs peccat qui cadit à pœnitentia, quàm qui ab innocentia.

Lib. 2. de Sacramentis.

IAM respondeamus ad rationes suprà in oppositum factas. Ad primam, in qua arguitur, Deum aliquando antiquarum iniquitatum recordari, dicendū est in illis, & aliis huiusmodi locis Deum dici recordari, quando effectum exhibet, quo ostēdit, se memorem esse, & in mente retinere, quæ ab aliquo commissa sunt. Nec opus est, id ita accipere, quasi Deus olim in mente aliquid habuerit, quod à memoria exciderit, qui postea ad recordationem excitetur. Sed recordari dicitur per hoc, quòd effectum operatur, in
C quo se iustum, vel misericordem ostendit, iuxta illud Gene. 8. Recordatus est Deus Noë, & adduxit spiritum super terram. Et iterum: Apparebit arcus meus in nubibus, & recordabor fœderis mei. Quod autem dixit Dauid: Ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum. Et iterum: Redeant in memoriam iniquitates patrum suorum, ita est accipiendum, vt intelligamus, iniquitates patrum aliquando in filiis puniri, iuxta id quod scriptum est: Ego sum Deus zelotes, visitans iniquitates patrum in tertiam & quartam generationem. Quod dupliciter solet verificari, vno modo, quòd filij in hoc sæculo aliquando puniuntur pro peccatis patrum, etiamsi filij mores paternos non imitentur. Sic puniuit Deus Dauid in filio suo paruulo, eum è medio tollendo, sic solet etiam pro peccato Regis, populum sibi subditum punire, saltem in hoc sæculo. Secundo modo, quòd filios puniat pro peccatis patrum ideo scilicet, quia patrum peccata imitantur. Et tunc propriè, non pro veterum peccatis filij puniuntur, sed pro propriis, prout scriptum est: Filius non portabit iniquitatem patris, nec pater filij, sed vnusquisq; in peccato suo morietur. Sed pro tanto dicuntur peccata patrum in filiis redire quo ad pœnam, quia ita Deus indignatur contra filios, qui patrum scelera imitantur, sicut cōtra ipsorum patres fuerat indignatus. Et ita patet, quòd quæ allegata sunt, non probant, quòd peccata priùs dimissa redeant ad supplicium.

Respōdetur ad argumenta II. sententiæ suprà positæ pro parte affirmatiua q̄stionis principalis.

Ad I.

Ezechiel. 8.

Psalm. 78.

Psalm. 108.

Exod. 20.

2. *Reg.* 12.

Ezech. 18.

AD SECVNDAM ex Osea citatam patet ex dictis responsio, quòd filij Israël nō puniuntur æternaliter pro peccatis patrum suorum. Nec ideo peccata patrum in filiis Deus *Ad* II.

improperat, quòd velit significare, peccata patribus dimissa in filiis redire, quo ad supplicium, sed quo ad imitationem, intendens significare filiis ipsorum malitiam, & iniquitatem, qui velint ea facere, patres imitando, pro quibus sciebant Deum cõtra patres tam vehementer iratum olim fuisse.

Ad III. *Psalm.* 37.

AD TERTIAM ex Psal. sumptam, videtur non esse illud referendum ad peccatum originale, quod plenè fuerat per circumcisionem, & fidem remissum, nec originale post sui remisionem relinquit cicatrices quemadmodũ actuale, quod transeunte actu, relinquit habitum vitiosum, seu dispositionẽ ad malum, ante cuius totalem amotionem, nõdum sanatũ dicitur peccatum. Et tale habituale vitium putrescit & corrumpitur, quãdo vires assumit ex frequenti vsu, vti videmus fieri in his, qui pœnitentiam differũt, quorum miseriam Dauid in illo Psalmo narrare prætendit. (*Psalm.* 37.) Aut si velis, quòd originale dicatur cicatrices relinquere, quę sunt fomes peccati, tũc dicitur putrescere, & corrumpi, quãdo homo huiusmodi fomiti deseruit, eius inclinationẽ sensualem sequendo. Et vtcunq; sit, non inde fit, vt originale dimissum redeat ad supplicium. Sed tamen ob reuerẽtiam authorum, qui dicunt originale redire, sicut & cætera peccata dimissa, intelligatur, vt suprà, quòd redeunt per modum circumstantiæ aggrauantis peccatum recidiuæ.

Ad IIII. *Ezech.* 28.

Mens ac sententia Prophetæ citato loco explicatur.

AD QVARTAM ex Ezechiele allegatam. Video illo eodem loco vti eos, qui tenent peccata non redire, similiter & eos, qui tenent peccata redire, vtrisque suam tam contrariam sententiam hac eadem authoritate probantibus, cùm tamen locus ille, nec vni, nec alteri sententiæ suffragari videatur, quandoquidẽ si rectè attendas in illo cap. 18. & cap. 33. videbis id prætendere apertè Prophetam scilicet, quòd antiqua peccata nil oberunt peccatori ad consequutionem æternæ vitæ, si verè pœniteat eum, & in bono & iusto perseueret, & quòd antiqua merita nil proderunt iusto, ad hoc quòd æternaliter viuat, si à iustitia cadat, & in peccato perseueret. Ita enim ait: Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est, & custodierit omnia præcepta mea, & fecerit iudicium & iustitiam, vita viuet & non morietur, omnium iniquitatum eius, quas operatus est, non recordabor, in iustitia sua, quam operatus est, viuet. Et sequitur: Nunquid voluntatis meæ est mors impij? & non vt conuertatur & viuat? Vnde patet intentum. Et sequitur: Si autem auerterit se iustus à iustitia sua, & fecerit iniquitatem, omnes iustitias eius, quas fecerat, non recordabor. Et sequitur: In præuaricatione, qua præuaricatus est, & in peccato suo, quod peccauit, in ipsis morietur. Et similis sententia ibidem iterum repetitur. Et infrà capite trigesimotertio: In quibus æqualiter loquitur de obliuione peccatorum antiquorum, & de obliuione iustitiarum antiquarum, taliter quòd sicut antiqua peccata non sufficiunt ad mortem æternam, si homo pœnitentiam agat, & perseueret, ita antiqua merita non sufficiunt ad vitam æternam, si homo à iustitia cadat, & in malo decedat. Vnde patet impertinens id esse, ad asserendum vel negandum quòd antiqua merita per pœnitentiam ad idem præmium redeant, aut quòd redeant antiqua peccata per recidiuam ad idem supplicium. Et hoc est, quod ait glossa ibidem: Sicut iustum ante peccatorem non grauant antiqua delicta, sic peccatorem ante iustum, veteres iustitiæ non adiuuant, vnusquisque enim in quo inuenitur, in eo iudicatur. Vnde patet argumentum Hugonis tenere in hac parte, quòd si antiqua merita redeunt per pœnitentiam ad idem præmium, etiam & antiqua demerita debent redire per recidiuam ad idem supplicium, si præsenti textui sit innitendum. Nec obstat, quòd textus dicat de recedente à peccatis, quòd in iustitia quam operatus est viuet, quia etiam de recidiuante dicitur, quòd in peccatis suis morietur. Quòd si primum ad veteres iustitias extendatur, quare ergo secundum ad vetera peccata non extendatur? Quicquid sit de præsenti textu, qui pro fundamento vnius, vel alterius sententiæ sumitur. Dicendum, quòd quamuis antiqua merita redeant per pœnitentiam ad idem præmium, non inde sequitur, quòd redeant antiqua delicta ad idem supplicium. Discrimen potest dari, vt suprà tactum fuit, quia quando peccata commissa per pœnitentiam remittuntur, commutatur pœna æterna in temporalem absolutè, & non ex conditione pendente ex futuro. Ideo quomodocunque illa pœna temporalis in se vel æquiualente soluatur, manet homo omnino liber à commisis, quomodocunq; finaliter decedat. Præmium autẽ æternum meritis antiquis correspondens nunquam commutatur in temporale, ideóq; semper manet in acceptatione Dei integrum. Inde fit, vt remoto obice per pœnitentiam, dicantur antiqua merita

Etsi antiqua merita redeant per pœnitentiã ad idẽ præmiũ, nõ redeunt tamẽ antiqua delicta, ad idem supplicium. Ratio disparitatis duplex. I.

reuiui-

A reuiuiſcere, non ſic reuiuiſcunt antiqua demerita. Aliud diſcrimen, quia Deus in lege promiſit mercedem æternam pro quocunque meritorio obſequio Deo impenſo, ideóque videtur homo habere actionem ad præfatam mercedem promiſſam, ſi finaliter in gratia decedat, & ideo ſtante lege, iniuſtè ageretur cum homine in gratia decedente, ſi merces eius obſequiis debita, illi denegaretur. Pro peccatis autem ſemel dimiſsis, ſtāte lege, non ita debetur æternum ſupplicium, nec Deus habet actionem contra peccatorē, finaliter in peccato decedentem, vt iure, ab illo æternum ſupplicium, ſeu debitum exigat pro peccatis, de quibus pœnitentiam egit, ſed ſolùm iure poteſt ab illo exigere pœnam temporalem, in quam fuit æterna commutata, ideo iniuſtè cum illo agitur, ſi pro dimiſſis æterna pœna ab illo exigatur. Denique ſi ad miſericordiam recurramus & Dei bonitatem, vtrunque decet diuinam liberalitatem & miſericordiam, quòd ſcilicet pœnitenti antiqua reſtituat bona, & cadenti non aliam vltra pœnam temporalem, in quam fuerat æterna commutata, infligat, etſi iuſtè maiorem poſſet exigere, cùm pronior ſit ad miſerendum quàm ad puniendum. II.

Idem oſtēditur ex miſericordia Dei ac bonitate.

Ad V. Matth. 18.

Explicatio loci citati primare-iicitur.

Ad postremam ex Matth. ſumptam dicunt cōmuniter, ex illo loco colligi, peccata dimiſſa redire per recidiuam, non quo ad pœnam ſenſus, ſed quo ad pœnam damni, quemadmodum illud accipiendum eſt, vt dicunt, quod ait Iacobus: qui peccat in vno, factus eſt omnium reus. Non tamen videtur id textui citato ſatisfacere, quia in illo ſenſu nil referret, vnum peccatum dimiſſum redire, aut plura, eò quòd loquendo de pœna damni, tanta pœna debetur homini pro vno peccato, quanta pro multis, cùm eadem ſit in omnibus pœna damni. Textus autem ait, quòd Dominus ſeruum illū tradidit tortoribus, quouſq; omne debitum ſolueret. In quo aliquid ampliùs ſignificat, quàm quòd redeant debita, quo ad pœnam damni tantùm. Quod ex Matth. 5. apertiùs colligitur, vbi concordiam fratrum præcipiens de illo qui fratri nō vult reconciliari, inquit, quòd mittetur in carcerem, & no exibit inde, donec ſoluat nouiſsimum quadrantem. Quod ſi de reditu peccatorum quo ad pœnam damni ſolùm intelligeretur, nil referret omne debitum dimiſſum repetere, aut partem ipſius. Adde quòd in pœnam damni non minùs incidit homo per peccatū ipſum recidiuæ, quàm ſi nulla peccata illi dimiſſa fuiſſent. Cùm ergo recidiuanti peccata priora condonata repetantur, argumentum eſt, aliquid aliud pro dimiſsis hominem illum ſoluturum eſſe, quàm pœnam damni.

B

Alia expoſitio eiuſdem loci reiicitur.

Aliter autem reſponderi ſolet, vt ſuprà, quòd ex loco citato colligitur, peccata dimiſſa redire per modum circumſtantiæ aggrauantis. Contra quod obiicitur, quia tūc ille ſeruus non pro dimiſsis peccatis detruderetur in gehennam, ſed pro peccato recidiuæ, quamuis ob illud grauiùs punietur, quia ingratitudinem videtur annexam habere. Textus autem ſignificat, quòd non ſolùm pro peccato recidiuæ incarcerabitur, ſed pro peccatis priùs dimiſsis. Quia dicit de ſeruo illo, quòd nō exibit inde, donec ſoluat quicquid debebat, & ſibi condonatum fuerat, igitur antiqua debita priùs cōdonata poſtmodum repetuntur, ac ſi condonata non fuiſſent. Nec obſtat quòd huius repetitionis cauſa fuerit impietas ſerui illius. Aliud enim eſt pro ſola impietate quenquam puniri, aliud verò, impietatem illam cauſam eſſe, quòd pro dimiſsis peccatis puniatur. Ad quod ſtandoin communi ſententia, dicendum, quòd Chriſtus illam parabolam dixit, vt ſignificaret nobis, quātum Deo placeat fraterna charitas, quantumq; illi diſpliceat, in fratres impios eſſe, & immiſericordes, ſeu crudeles, propter quod dignus eſt homo à quo omnia dimiſſa repetantur. Quanquam Deus pro ſua bonitate non ita repetat, quæ ſemel condonauit, attamen etſi ea non repetat, magnam vltionem ſumet de homine, qui cùm à Deo tantam fuerit miſericordiam conſequutus, in fratrem ſuum tam impius ſit & crudelis. Et dicitur Deus à tali recidiuante omnia priùs condonata repetere, quia in puniendo ingratum, ad beneficium remiſsionis priùs illi collatum reſpectum habet, & quantò plura condonauerat, tantò maiorem vindictam ſumet de illo.

C

Eiuſdē loci verior explanatio.

Alia opinio de ſenſu prædicti loci refutatur.

Svnt tamen, qui dicunt, caſum huius textus ſpecialem eſſe, in quo dimiſſa peccata redeant ob peccatum crudelitatis, ſeu immiſericordiæ in proximum. Quibus reſpondendum videtur, quòd in nullo caſu peccata ſemel à Deo remiſſa redeunt. Et eſto, quòd præſens textus de caſu ſpeciali loqui videatur, non tamen ob ſpecialitatem caſus, dimiſſa peccata redire ad idem ſupplicium dicenda ſunt, ſed ideo de reditu peccatorum in præſenti textu facta eſt mentio, vt intelligamus, nobis fraternam charitatem ſpecialiter commendatam eſſe, quodque, ſi contra eam agamus, maior de nobis vindi-

cta sumenda sit, eò quòd patrem misericordiarum non imitamur, quemadmodum imitari debemus, qui nobis tam abundè largitur, & debita dimittit, vt & nos similiter dimittamus, quibus minimè dimittet, nisi & nostris debitoribus dimiserimus, prout præfata parabola concludit, conformiter ad petitionem orationis Dominicæ, nobis à Domino traditæ, in qua petimus, dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. D

An recidiuans teneatur iteratò confiteri peccata priùs per confessionem dimissa.

PRAESVPPOSITO ergo dimissa peccata per recidiuam non redire quo ad reatum, sed per modum circumstantiæ aggrauantis, est dubium, an recidiuans teneatur iteratò confiteri peccata priùs per confessionem dimissa. Et dixerunt aliqui, vt refert Thomas, quòd sic, idque in particulari, si saltem confessio fiat sacerdoti, cui non fuerat priora peccata confessus. Mouetur ad id dicendum ex duobus. Primò, quia si dimissa peccata sacerdoti non exponantur, sequitur quòd recidiuans non sufficienter confitetur quantitatem suæ ingratitudinis contra Deum commissæ, quæ tantò maior est, quantò plura peccata illi fuerant à Deo remissa. Secundò, quia alioqui sacerdos non sufficienter agnosceret vultum illius pecoris, cùm tamen scriptum sit, diligenter agnosce vultum pecoris tui.

Sententia I. *Ratio* I. II. *Prouerbior.* 27.

Sententia II. *Ratio* I. II.

ALII VERO dixerunt, vt idem Thomas, quòd necessarium sit dimissa peccata iterum confiteri, idque saltem in genere, & aliquando in particulari, propter duo. Primò quidem, vt debitus satisfaciendi modus illi recidiuanti imponatur, & debitum remedium illi adhibeatur, ad quod multùm confert scire mores illius confitentis. Secundò, quia peccata priùs dimissa solent esse occasio homini cadendi in peccatum, & ita vt sacerdos sciat, quam occasionem debeat ille recidiuans postmodum vitare, necesse est priorem consuetudinem malam illi confessori exponere. E

Vtraq; sententia prædicta impugnatur; & reiicitur.

Probatur.

Quinq; causæ, quibus prædictæ duæ sententiæ nituntur.

VIDETVR tamen nec primus nec secundus modus esse tenendus, quodque peccata priùs dimissa per confessioné non sint de necessitate iterum confitenda. Et probo id excludendo causas, quas præfati Doctores afferunt ad fundandum necessitatem reconfitendi. Quia si necessarium esset dimissa iterum confitendi, vel esset ad finem consequendi eorum remissionem, vel ad finem exponendi quantitatem ingratitudinis, vel ad finem exponendi vultum pecoris pastori, vel ad finem imponendi debitum modum satisfactionis, vel ad finem præscindendi occasiones recidiuæ (has enim causas tangunt modi recitati,) sed ex nulla harũ colligitur necessitas iterum confitendi peccata priùs dimissa. Patet de prima, scilicet ad finem consequendi remissionem illorum peccatorũ, quia illa peccata iam antè fuerant per contritionem, & confessionem legitimã dimissa, vt suppono, igitur cùm per recidiuam non redierint quo ad culpam, nec quo ad reatum æternæ pœnæ, vt supponimus, sequitur &c.

Reiicitur I.

II. SECVNDO ad finem exponendi quantitatem ingratitudinis, non est necessarium illa iterum confiteri. Patet hoc, quia sub præcepto confitendi non cadit, quantitatem peccati exponere, modò eius species exponatur. Vt si appetiui fornicari ex vehementi conatu voluntatis, non est necessarium exponere, quanto cõatu, aut quanto feruore appetitus id fecerim, cùm ille feruor maior aut minor speciem peccati non mutet. Igitur quamuis maior sit ingratitudo recidiuantis, si multa peccata illi sint condonata, quàm si pauca, cùm eadem species ingratitudinis maneat, sequitur non esse necessarium quantitatem ingratitudinis explicare, & per consequens nec omnia peccata priùs dimissa iterum confiteri. Confirmatur hoc, quia tunc non satis esset peccata dimissa iterum confiteri, sed omnia beneficia à Deo recepta esset necessarium confiteri, puta, quòd Deus creauit nos, quòd redemit, quòd nutrit, quòd scientiam, prophetiam, intellectum, & alia dona spiritualia, & temporalia concessit, quodq; contriti fuimus de peccatis intensè, quòd opera multa bona fecimus, quod est ridiculum, cùm non sit necessarium confiteri sacerdoti nisi peccata, de quibus iudicandi sumus. Et sequela patet, quia illa omnia beneficia à Deo recepta cõducunt ad quantitatem ingratitudinis ipsius recidiuantis, contra suum benefactorem delinquentis. F

III. TERTIVM quòd non sit necessarium dimissa iterum confiteri ad finem exponendi vultum pecoris pastori, apparet, tum, quia quod scriptum est Prouerbiorum 27. Diligenter agnosce vultum pecoris, nõ ad oues dirigitur, sed ad Pastores, seu Prælatos, quibus incumbit cura, & solicitudo pro salute ouium, scilicet, vt vigilanter attẽdant, si oues sibi commissæ habeant aliquod vitium, quod per correctionem veniat amouendum, ad quod

A ad quòd impertinens est, quòd priora peccata emendata iam & dimissa, iterum in confessione exponâtur, vt patet. Tum etiam, quia si ad hunc finem esset necessarium peccata iam emendata & remissa iterum confiteri, à fortiore esset necessarium, peccata omnia venialia non emendata suo pastori confiteri, vt perfectè vultum pecoris agnoscat & corrigat, quod tamen est falsum.

QVARTVM, quòd non sit necessarium, dimissa iterum confiteri ad finem, scilicet imponendi debitum modum satisfaciendi ipsi recidiuanti, patet, tum, quia stat, quòd in priori confessione fuit sibi debita satisfactio imposita, & illam poterit etiam post recidiuam adimplere absque hoc, quòd priora iteratò confiteatur. Tum etiam, quia non est necessarium pœnitentiam iniungere, aut iniunctam à sacerdote acceptare, vt patebit in tractatu de confessione, cùm post deletam culpam, & æternam pœnam in temporalem commutatam, sit liberum homini pœnam illam temporalem hîc, vel in alio seculo soluere: Ergo ad illum finem non est necessarium priora iterum confiteri. Adde quòd pœnitentiæ iniunctæ sunt arbitrariæ, & potest sacerdos paruam aut magnam pœnitentiam, prout vult imponere, nec ad salutem pœnitentis est necessarium, pœnitentiam adæquatam eidem iniungere, vt suppono, & patebit inferiùs. IIII.

QVINTVM, quòd non sit necessarium, priora iterum confiteri ad finem vitandi occasiones recidiuæ, patet, quia non est necessarium confiteri semper occasionem vnde V.
B quis in peccatum cadit, quia sub præcepto confessionis non cadit, nisi peccatorum confessio: Stat autem & sæpe, vt occasio vnde in peccatum caditur, non sit peccatum. Patet hoc ex Prouerbiis: [a] Paupertas similiter & diuitiæ solent esse occasio cadendi in peccatum furti, vel superbiæ. Similiter coniugem accipere, & eidem copulari, solet esse occasio cadendi in peccatum carnis. Imò & virtutes ipsæ actu exercitæ, & scientia, solent esse occasio cadendi in quandam vanam gloriam, & contemptum aliorum, & tamē illa, quæ prædicta sunt, non sunt ob id necessariò confitenda, tum quia talia non sunt, de quibus homo in iudicio rationem reddere teneatur, nec pro illis est iudicandus. Tum etiam, quia illa solent peccatum sequens alleuiare, circumstantias autem alleuiantes peccatum, non est necessarium confiteri, vt constat ex doctrina omnium. Et per consequens, quamuis peccata frequentia, priùs tamen per contritionem, & confessionem dimissa, sint aliquando homini occasio recidiuandi, non inde fit, vt sit necessarium illa reconfiteri. Illæ tamen occasiones sunt necessariò confitendæ, quibus cùm se homo immiscet, peccat exponendo se periculo cadendi in peccatum, iuxta magistralem regulam, & sapientis dictum: Qui amat periculum, peribit in illo. Vt potest exemplificari de quibusdam negotiis, quæ sine peccato exerceri non possunt. iuxta cap. Falsas pœnitentias. & ca. Negotium. de pœnitentia, distinct. 5. Similiter & nudum cum nuda in eodem lecto esse ad vires resistendi experiendum, quod in Concilio Constantiæ damnatum est tanquam mortale. Et ita patet, quòd ob nullam causam ex assignatis, est necessarium dimissa pec-
C cata iterum confiteri. Quod ampliùs confirmatur in se ex Extrauaganti Bonifa. & Benedi. II. Absurdum est, eos qui semel legitimè absoluti sunt, eodem debito rursus teneri. Similiter de pœnitentia, distinct. I. vt refert Thom. Non necesse est, vt qui semel sacerdotibus confessi sumus, denuò confiteamur.

Non est necessarium confiteri semper occasionem, ex qua incidit quis in peccatum.

a 5. cap.

Quænam occasiones peccandi necessariò sint confitendæ.

SED ADHVC videtur ratio vrgere, quia si quis in fornicationem recidiuet post beneficium remissionis priùs obtentum, talis peccat, non solùm per fornicationem, sed per ingratitudinem, quæ distinctum peccatum est specie à fornicatione, cùm alia sit lex de non fornicando, alia verò de non esse benefactori ingratum, igitur, qui post recidiuam non confitetur ingratitudinē, dimidiat confessionem, & per consequens tenetur, ne dimidiet, iterum confiteri peccata priùs ex gratia dimissa, si non in particulari, saltem in generali.

Obiectio.

RESPONSIO. Ratio hæc quærit, quando ingratitudo recidiuantis est peccatum speciale, & quando solùm circumstantia. Nam si speciale peccatum sit, opus est illud particulariter cum cæteris confiteri, secùs si sit præcisè circumstantia. Et dixit Bonauentura & alij post ipsum, quòd dupliciter aliquis dicitur ingratus. Vno modo, quando benefactorem offendit in contemptum beneficij suscepti, aut ipsius benefactoris, & tunc est speciale peccatum, & per consequens confitendum. Alio modo, qui post beneficium receptum aliquod malum contra benefactorem agit, secluso præfato contemptu, & tunc est circumstantia peccati, quæ omne peccatum concomitatur, eò quòd omne

Quando ingratitudo recidiuātis speciale sit peccatū; quādo autē solummodo circumstantia.

Solutio. I.

Ingrat[9] quis dupliciter dici potest.

peccatum est contra Deum, à quo beneficia multa recepimus, & tunc non opus est illud confiteri, satis est peccatum ipsum, seu factum criminosum confiteri. Sed, salua pace, non videtur id sufficienter esse dictum, quia circumstantia ingratitudinis semper dicit nouum peccatum, siue voluntas peccantis habeat pro obiecto beneficium aut benefactorem, siue non. Id patet, quia illud est nouum peccatum ab alio specie distinctum, quod propria lege, aut prohibitione vetitum est, sed propria lege vetitum est, ingratos non esse, aut malum pro bono reddere, sicut lex gratitudinis alia est à lege castitatis. Lex autem gratitudinis, cùm affirmatiua sit de benefactori gratificando, includit negatiuam de non inferendo malum pro accepto beneficio, sicut præceptum de honorando parentes, includit prohibitionem dehonestandi eosdem. Quòd autem non opus sit, voluntatem peccantis, benefactorem seu beneficium eius pro obiecto habere, vt nouum peccatum sit, patet de eo, qui furatur rem aliquam de loco sacro. Ille enim committit sacrilegium, etiamsi de loco sacro non meminerit tempore quo furatur. Et qui in die Dominica fornicatur, nouum peccatum vltra fornicationem in diem festum & Deo dicatum committit, etiamsi eius voluntas in diem non tendat, nec prætendat aliquid in contemptum temporis, aut loci sacri. Similiter, qui cum nupta alteri fornicatur, peccat per adulterium, etiamsi voluntas eius non habeat pro obiecto coniugium, seu maritum adulteræ. Sicut si quis proiicit lapidem, vnde accidit hominem occidi, cùm aduertere debuit, peccat per homicidium, etiamsi eius voluntas non fuerit quenquam occidere; & ad hunc modum de aliis. Igitur vt circumstantiæ peccatorum nouam culpam inducant, non opus est eas esse actualiter obiecta voluntatis peccantis, cùm sæpe contingat hominem præter intentum peccare, quamuis vt quis illis nouis peccatis formaliter voluntariè peccet, requiratur, huiusmodi circumstantias obiecta esse voluntatis, secùs tamen, vt peccata noua sint in re, & materialiter. Sequitur iam, quòd qui recidiuat in fornicationem, est ingratus nouo peccato ab ipsa fornicatione distincto, etiamsi id in contemptum beneficij suscepti, aut benefactoris Dei non fiat. Illud tamen nota, quòd quamuis fornicari, post remissionem priorum peccatorum acceptam, peccatum nouum sit specie distinctum à fornicatione, in quam homo cadit, non tamen est noua ingratitudo specie distincta ab ingratitudine ipsius fornicantis, ob beneficia alia à Deo accepta. Recepimus enim à Deo beneficium creationis, redemptionis, iustificationis, & multa alia, quæ beneficia, quamuis specie differant, ingratitudo tamen respectu omnium illorum vna specie est, etiamsi multiplicatis beneficiis, augeatur ipsa ingratitudo, sicut augetur furtum, si res furto sublata, sit valde pretiosa, nec species furti variatur, si furemur rem pretiosam aut minùs pretiosam specie differentem. Sicut contra beneficium remissionis priorum peccatorum ingratitudo commissa, eò maior est, quò plura peccata fuerunt condonata, sed etsi illa specie fuissent diuersa, nō inde ingratitudo ob præfatā remissionem diuersorum peccatorum, diuersa est specie dicenda. Si obiicias, quamuis ingratitudo recidiuantis, ob remissionem priorum peccatorum non sit specie distincta ab ingratitudine ob beneficium creationis, & redemptionis, & reliqua alia beneficia, attamen est nouum peccatum distinctum ab ipsa fornicatione recidiuantis, & per consequens tenetur cum fornicatione, simul ingratitudinem de beneficio remissionis confiteri, saltem in genere. Respondetur, negando sequelam. Quia ex quo ingratitudo de beneficio remissionis non est secundùm se nouum in specie peccatum, sed vna species ingratitudinis est, cum ingratitudine de aliis beneficiis in genere à Deo acceptis, ideo si ingratitudo de beneficio creationis, & redemptionis, & aliorum bonorum non est de necessitate confitenda, sequitur, quòd nec ingratitudo de beneficio remissionis. Quòd autem non sit necessarium, ingratitudinem de beneficiis à Deo acceptis confiteri, etiamsi specie differant à peccato recidiuo, ratio est manifesta. Quia talis ingratitudo nota est ipsi sacerdoti, nec illi occultari potest, puta quòd ipse confitens fuit à Deo creatus, & redemptus, & conseruatus, & nutritus. Modò autem, quando aliquæ circumstantiæ, quæ nouam speciem peccati inducunt, notæ sunt confessori, satis est factum ipsum nudè illi confiteri, quia ex eius confessione sufficienter videntur tales circumstantiæ expositæ. Vt si Monialis confiteatur fornicationem confessori scienti illam esse Monialem, aut si laicus, qui Petrum clericum occidit, confiteatur se Petrum occidisse, confessore sciente illum Petrum clericum fuisse, satisfacit, factum ipsum exponendo, ita in proposito.

Arguitur insufficientia data solutio.

Altera solutio verior.

Obiectio alia.

Solutio.

Non est necesse, ingratitudinē de beneficiis Dei cōfiteri, etiamsi specie differant à peccato recidiuo.

Ratio.

CONCLVDO

A Concludo igitur, non esse necessarium in particulari, aut in generali iteratò confiteri peccata priùs per confeſsionem dimiſſa, etiam ad finem confitendi ingratitudinem recidiuantis, non obstante, quòd talis ingratitudo nouum peccatum ſit ſpecie diſtinctum à peccato recidiuæ, excepto niſi ipſius recidiuantis ingratitudo eſſet per ſe peccatum, & non ſolùm circumſtantia alterius peccati, quod eſſet, quando recidiuans aliquid ageret in contemptum beneficij accepti, aut ipſius benefactoris. Quia tunc per ſe peccatum eſt, etiamſi id quod ex illa intentione agit, alioqui peccatum non ſit, vt conſtat. Tunc enim neceſſarium eſt, talem voluntatem, & contemptum, particulariter confiteri, non tamen præteritorum confeſsio ob id eſt reiteranda de neceſſitate &c.

Cõcluſio authoris q̃ſtionis propoſitæ: ſcilicet neceſſarium nõ eſſe, in particulari, aut generaliter iterũ confiteri peccata prius dimiſſa propter ingratitudinẽ recidiuantis.

QVÆSTIO DECIMA.

Qvia in præmiſsis vnum tanquam certum videtur eſſe præſuppoſitum ſcilicet quòd peccator poteſt poſt veram pœnitentiam recidiuare, & rurſus ad gratiam per pœnitentiam reſurgere, quæritur an id ſit verum? Et dixerunt ad primum nonnulli, quorum opinionem Magiſter in quarto refert, ſimiliter & Gratianus de pœnitentia, diſtinctio.3.
B quòd nemo poteſt poſt veram pœnitentiam in peccatum mortale cadere, & ſi ceciderit, veram non fuiſſe pœnitentiam, à qua cecidit. Pro quibus videtur facere Ambroſius, ſimiliter & Gregorius, qui veram pœnitentiam definientes dicunt, eam eſſe præterita mala plangere, & plangenda iterum non committere. Repugnat ergo veram fuiſſe pœnitentiam, ſi poſtea homo aliquid plangendum committat. Vnde ſubiungit Gregorius: Nam qui ſic alia deplorat, vt alia tandem committat, adhuc pœnitentiam agere aut ignorat, aut diſsimulat. Facit etiam Auguſtinus in lib. Soliloquiorum dicens: Inanis eſt pœnitentia, quam frequens culpa coinquinat, nec aliquid proſunt lamenta, ſi replicentur peccata, nil etiam valet, veniam à malis poſcere, & mala denuò iterare. Facit etiam Ambroſius libro ſecundo de vnica pœnitentia: Reperiuntur qui ſæpius agendam pœnitentiam putant, qui luxuriantur in Chriſto. Nam ſi verè pœnitentiam in Chriſto agerent, iterandam poſtea non putarent, quia ſicut vnum baptiſma, ita vna eſt pœnitentia.

An quis poſt veram pœnitentiã recidiuare poſſit, & cadere in peccatum mortale?
Sententia I. negatiua.
Ratio I. ab authoritate.

Secvndo idem probant ratione, quia pœnitentia, vt vera ſit, opus eſt proportionetur offenſæ, offenſa autem cùm infinita fuerit, neceſſe eſt, pœnitentiam illi proportionatam infinitam eſſe, non intenſiuè, vt conſtat, ſupereſt ergo, vt ſit infinita quo ad durationem, ſed talis non eſt, ſi quis à pœnitentia cadat. Quod ex Auguſtino confirmant libro de pœnitentia, vt ſuprà citauimus, dicente: Pœnitentiam nunquam eſſe finiendam; Vbi enim dolor finitur, deficit pœnitentia, ſi verò pœnitentia finitur, quid relin-
C quitur de venia? II.

Praeterea vera pœnitentia eſt, qua peccator verè apud Deum iuſtificatur, ille autem apud Deum verè iuſtificatur, qui de filio perditionis fit filius regni, ſed filius regni non eſt, ſi poſtmodum in mortale peccatum cadat, & maximè ſi in eo decedat, cùm talem ſecundùm legem neceſſe ſit in ęternam perditionem abire, non igitur ſtat, aliquem veram agere pœnitentiam, & rurſus ab eadem in peccatum incidere. III.

His non obſtantibus, aliter dicendum eſt, diſtinguendo de pœnitentia vera, quę quidẽ poteſt vera dici tripliciter, vera veritate exiſtentię, vera veritate fructus p̃ſentanei, & vera veritate fructus finalis. Vera eſt pœnitẽtia veritate exiſtentiæ, quando homo realiter dolet de peccatis à ſe cõmiſsis, quatenus offenſiua ſunt Dei, cum propoſito efficaci, Deum non ampliùs mortaliter offendendi. Vera dicitur pœnitẽtia veritate fructus præſentanei, quando talis eſt pœnitentia, ꝙ per eam homo veniam conſequitur delictorum, & gratiã de pręſenti. Vera dicitur pœnitentia veritate effectus ſeu fructus finalis, quando pœnitens non ſolùm in præſenti acquirit gratiã, ſed finaliter obtinebit gloriã, quam per pœnitentiam meruerat. Contra etiam poteſt tribus oppoſitis modis dici non vera pœnitentia, ſcilicet ſi non verè propter Deum doleat; ſi taliter doleat, quòd eius dolor ad gratiam non ſufficiat; ſi doleat & gratiam acquirat, nõ tamen finaliter gloriã aſſequatur. An autem ſit dabilis vera pœnitentia, primo modo, ſcilicet veritate exiſtentiæ, quæ non ſit vera veritate effectus præſentanei, vt multi opinantur, dicentes pœnitentiam non ſufficere

Pro ſolutione quæſtionis notãdum tripliciter pœnitentiã dici poſſe veram.
I.
II.
III.
Tripliciter itẽ è contrario pœnitẽtia dici poteſt non vera.
Quatenus detur pœnitentia vera primo modo accepta.

ſufficere ad gratiam, niſi ſit certo modo intenſa, aut per certum tempus continuata, iam ſuprà inquiſiuimus, & concluſum eſt oppoſitum, ſcilicet omnem talem ad gratiam ſufficere, nec ad id eſſe neceſſariam certam intenſionem, aut per certum tempus pœnitentiæ durationem. Quod ſatis colligitur ex eo, quod habetur de pœnitentia, diſtinct. 1. capit. Multiplex. vbi poſt alia dicitur: Si quem verè pœnitet, nullas patitur moras veniæ conuerſio. Vbi gloſſa citat, quod ſcriptum eſt: Spiritus ſancti gratia, tarda neſcit molimina. Sed de his ſuprà. Differunt autem præfatæ pœnitentiæ veræ, quia vera pœnitentia, veritate effectus finalis, non niſi prædeſtinatis competere poteſt, quia ſoli illi finaliter gloriam conſequentur, aliæ autem veræ pœnitentiæ communiter poſſunt præſcitis & prædeſtinatis conuenire, vt ſtatim patebit.

Diſcrimen inter pœnitentias veras prædictas.

Concluſio. Homo etiã poſt verãm pœnitentiam quomodocunque acceptam, poteſt in mortale peccatum incidere: nequit tamen poſt veram pœnitentiã, tertio modo ſumptam in peccato mortali finaliter decedere.

IAM RESPONSIO ad quæſtionem eſt clara, ſcilicet quòd homo poteſt, poſt veram pœnitentiam, quomodocunq; ſumptam, in peccatum mortale cadere, poſt veram tamen pœnitentiam tertio modo ſumptam, non poteſt in peccato mortali finaliter decedere. Hoc ſecundum apertum eſt. Nam repugnat, fuiſſe veram pœnitentiam veritate effectus finalis, & finaliter in peccato mortali decedere, vt conſtat. Primum etiam ſatis notum eſt, tum exemplis ſcripturæ, tum etiam ratione. Exempla nota ſunt.[a] Nam Dauid veram egit pœnitentiam de adulterio, & de homicidio, quia ad eum pœnitentem miſſus fuit Nathan & dixit ei: Tranſtulit Dominus peccatum tuum, non morieris, & tamen poſtea peccauit in numeratione populi, de quo 2. Regum vltimo. De Saul etiam patet, qui cùm priùs fuiſſet à Deo electus, & gratia Dei in Regem vnctus, poſtea in peccatum lapſus eſt. Idem patet de Petro, & cęteris Apoſtolis, qui poſtquam fuerunt à Chriſto electi, & ad gratiam & amicitiam eius admiſsi, tempore tamen paſsionis Petrus Chriſtum negauit, & alij Apoſtoli à fide ipſius receſſerunt. [b] Patet etiam ratione eadem concluſio. Quia homo poſt veram pœnitentiam, & obtentam gratiam remiſsionis habet liberum arbitrium, quo poteſt, oblata materia peccandi, cadere, & ſtare, cùm non illico quia habet veram pœnitentiam, ſit in gratia confirmatus, vt ſuppono. Quod Paulus ſignificat dicens: Qui ſtat, videat ne cadat. Qui ſimiliter docet, multos à fide & gratia, quam receperant cecidiſſe, vt patet ex Epiſtola ad Galat. & ad Corinthios. Idem patet ex Apocalyp. de quibuſdam Epiſcopis, quos à gratia priùs per pœnitentiam recepta conſtat cecidiſſe.

a Probatur I. exemplis ex ſcriptura ſacra petitis.

b Item ratione.
1. ad Cor. 10.

Cap. 2. & 3.

Reſpondetur ad rationes oppoſitas.

Ad I.

AD ARGVMENTA prioris opinionis reſpondeo. Primum, quod ait Ambroſius & Gregorius pœnitentiam definientes, ſoluitur, rectè illud exponendo, vt exponit Magiſter, ſcilicet pœnitentia eſt præterita mala plangere, & plangenda iterum non committere, id eſt, de peccatis dolere, cum propoſito, ea non ampliùs committendi. Itaq; quòd dicunt, & plangenda iterum non committere, non ad rem, ſed ad mentis propoſitum referatur. Vnde, qui de commiſsis dolet, proponens tamen poſtea in aliquo perſeuerare, vel ad illud redire, talem non verè pœnitet, vt conſtat. Quod etiam ait Auguſtinus: Inanis eſt pœnitentia, quam ſequens culpa coinquinat, ſimiliter id ad mentis propoſitum referatur, non ad euentum rei futurum. Quod inde patet, quia culpa poſtmodum ſubſequens in re, ſi in propoſito non fuit, quando homo pœnitentiam agebat, non poteſt dici coinquinare pœnitentiam præteritam, vt conſtat. Coinquinatur autem pœnitentia per ſequentem culpam, quando illa ſequens culpa habetur in mentis propoſito, & tunc non eſt vera pœnitentia. Eodem modo intelligatur, quod ait: Nil proſunt lamenta, ſi replicantur peccata, ſi ſcilicet replicantur in propoſito, alioqui ſi in re replicantur, non inde fit, vt fructuoſa non fuerit, ſaltem præſentialiter, præterita pœnitentia. Quod etiam ait Ambroſius, vnicam eſſe pœnitentiam & non iterandam, intelligitur de pœnitentia ſolenni, vt aliâs diximus, non de pœnitentia cordis, de qua nunc loquimur.

Ad II.

AD SECVNDVM admiſſo quòd pœnitentia, ſi vera eſt, etiam veritate effectus præſentanei, debet eſſe infinita, vt offenſæ proportionetur, ſaluatur primò huiuſmodi proportio, quia ſicut offenſa fuit infinita, non intenſiuè, nec duratiuè, ſed obiectiuè, ita & pœnitentia eſt obiectiuè infinita. Secundò, quia eſto neceſſarium ſit, pœnitentiam eſſe infinitam quo ad durationem, intelligatur non in re, ſed in mentis propoſito. Et ita eſt, quòd ſi quem verè pœnitet, debet habere propoſitum à peccatis in perpetuum abſtinendi. Ad id autem, quod ibidem ex Auguſtino citatur, ſuprà reſponſum fuit.

A AD TERTIAM. Si aliquid probaret, similiter probaret, nullum præscitum posse in hac vita habere gratiam, quia si præscitus est finaliter, in gehennam ibit, tanquam filius perditionis, si gratiam Dei habet, filius regni est. Sed consequens est error damnatus, cùm multi præsciti per baptismum gratiam acquirant, vt patet, saltem de paruulis, similiter de multis adultis, qui verè contriti baptizātur, & alia sacramenta deuotè recipiunt, & tandem finaliter cadunt. Ideo dicendum, quòd per pœnitentiam veram fit illico homo filius regni secundùm præsentem iustitiam, cum quo stat, quòd sit filius perditionis secundùm finale iudicium. *Ad III.*

DATO IGITVR, posse hominem post veram pœnitentiam in mortale peccatum cadere, est quærendum, an post huiusmodi recidiuam possit per iteratam pœnitentiam à peccato resurgere. Et dixerunt aliqui, quòd non. Probant primò ex eo, quod suprà ex Ambrosio citatum est, reprehendente eos qui putant pœnitentiam iterandam esse, dicente, si verè eos pœniteret, pœnitentiam iterandam esse non putarent, quia sicut vnicum est baptisma, ita vnica debet esse pœnitentia. *An possit homo post recidiuam, per pœnitētiam iterum à peccato resurgere? Rationes partis negatiuæ.* I. *Lib. 2. de pœnitentia.*

SECVNDO, quia Christus non legitur eundē bis sanasse corporaliter, nec spiritualiter: Argumentum igitur est, iteratam pœnitētiam non valere ad remissionem peccatorum. II.

TERTIO, quia inquit Paulus ad Hebræos: Impossibile est eos, qui semel illuminati sunt, gustaueruntque donum cœleste, & gratiam Spiritus sancti, si prolabantur, rursus B renouari ad pœnitentiā. Et quòd id non solùm de renouatione baptismali sit intelligendum, apparet, quia eos, qui sic prolabuntur, comparat terræ proferenti spinas & tribulos, quam dicit reprobam esse, & maledicto proximam, cuius consummatio est in combustionem &c. III.

QVARTO, si pœnitentia posset salubriter iterari, sequeretur hoc inconueniens, quòd hominibus præberetur occasio frequentiùs peccandi, iuxta illud Gregorij: Facilitas veniæ incentiuum præbet delinquendi. Imò & Deo peccata placere viderentur, si semper præstò esset illa condonare. IIII.

HIS TAMEN non obstantibus, tenenda est contraria sententia tanquam Catholica, quòd scilicet peccator potest per iteratam pœnitentiam ad gratiam resurgere, non tantùm semel, sed pluries. Id patet exemplo Dauid, qui post adeptam iustitiam Dei & gratiam in adulterium lapsus est, & inde per pœnitentiam resurrexit: & rursus per numerationem populi à gratia cadens, postea iterum pœnitens saluus factus fuit. Patet etiam de Petro semel per pœnitentiam iustificato, & Deo multùm dilecto, quia gratia cadens, Christum negauit, & rursus per pœnitentiam, & fletum veniam meruit obtinere. Idem patet de cæteris Apostolis, qui cùm frequenter cecidissent, tandem per pœnitentiam surrexerunt, & sanctissimi sunt. *Pars affirmatiua vera est.* *Probatur* I.

SECVNDO hæc veritas patet ex dicto Christi Matth. 18. qui quærenti Petro, quoties fratri peccanti esset dimissurus peccatum, an septies, respondit: Non dico tibi se- C pties, sed septuagies septies. In quo numerus determinatus ponitur pro indeterminato, ac si dixisset, quoties frater in te peccauerit, si illum pœnituerit, dimitte illi. Nec audiendi sunt, qui dicunt Deum homini iniunxisse, vt toties dimittat fratri in se peccanti, quoties pœnituerit illum, & quòd Deus ipse, qui summa misericordia est, non nisi semel, peccantibus dimittat, cùm paratissimus sit omnes ad se confugientes admittere. Imò ad id ipsum pro sua bonitate se astrinxit, veniam & salutem omnibus verè pœnitentibus promittens, vt patet ex his, quæ suprà ex Ezechiele adduximus. Vnde ausus est Augustinus dicere, quòd si Deus confugientes ad se non admitteret, esset iniustus, qui promissum non compleat. II.

TERTIO eadem veritas patet ex determinatione Ecclesiæ, de summa Trinitate, & de fide Catholica ca. firmiter. vbi declaratum est contra Nouatum, posse hominem post baptismum lapsum semper per pœnitentiam reparari. III.

QVARTO idem patet, quia scriptura sæpe hortatur peccatores in generali, & quosdam in particulari, vt post lapsum, pœnitētiam agant, quibus, si conuertantur, salus promittitur, vt patet, tum alibi, tum etiam Apocal. 2. & 3. IIII.

AD RATIONES suprà factas dicendū. Ad primam responsio patet ex dictis, quòd Ambrosius non negat pœnitentiā cordis posse salubriter reiterari, cùm ipse apertè contrarium doceat, sed loquitur de pœnitentia exteriore solenni, quæ non venit iteranda, ne si iterari posset, vilescat, & vim reuocandi homines à grauibus criminibus amittat. *Soluūtur rationes contrariæ.* *Ad I.*

Et etiam,

Et etiam, quia talis pœnitentia ſignificat expulſionem, qua Adam de Paradiſo tantùm ſemel expulſus fuit. Vt igitur ſignum ſuo ſignato correſpondeat, conuenienter fuit per Eccleſiam inſtitutum, ne poſſet ſolennis pœnitentia iterari.

Ad II. Ad secvndam, eſto ſcriptum non ſit, Chriſtum eundem hominem bis ſanaſſe, non inde ſequitur, quòd non bis ſanauerit. Quia multa fecit Iesvs, quæ ſcripta non ſunt, vt ait Ioan. cap. 20. Nec ſi non eundem bis ſanauerit corporaliter, ſequitur, quòd nec bis eundem ſpiritualiter ſanauerit: cùm conſtet, eundem hominem per iteratam pœnitentiam ſępe ſanatum eſſe ſpiritualiter, vt patet ex exemplis ſuprà citatis. Adde, quòd Auguſtinus ad hanc obiectionem reſpondens, ſentit oppoſitum ſcilicet quòd non ſolùm ſpiritualiter, ſed etiam corporaliter Chriſtus eundem hominem ſanauit. Ait enim libro de vera & falſa pœnitentia cap. 5. quòd in eo, quòd legitur Chriſtum ſanaſſe multos cæcos, multos claudos, multos leproſos, oſtenditur Chriſtum eiſdem hominibus ſæpe peccata dimiſiſſe: Ideo, inquit, tot ſanauit claudos, cæcos, aridos, ne deſperaret peccator. Ideo autem non ſcribitur niſi ſemel ſanatus, vt timeat quiſque iungi peccato. Et ſubdit: Videmus adhuc quotidie in Eccleſia ſæpe febricitantes, ſæpe languidos, ſæpe paſsionibus captos, ſæpe liberari, vt appareat toties opus miſerentis, quoties confeſsio fit pœnitentis. Quomodo enim corpus, quod vilis res eſt, ſępe ſanaret, & animam digniorem, & redemptam non toties liberaret? Medicum ſe vocat, & non ſanis, ſed malè habentibus opportunum. Sed qualis eſt medicus, qui malum iteratum neſcit curare? Medicorum enim bonorum eſt, infirmum centies viſitare, centies curare.

Chriſtus Dominus eundem hominem non modo corporaliter ſed etiã ſpiritualiter ſanauit.

Ad III. Ad tertiam ex Apoſtolo ſumptam dicendum cum communi expoſitione, quòd loquitur illic Paulus de renouatione baptiſmali. Vbi ait gloſſ. Ne quis verò exiſtimet, ſecundum, vel tertium baptiſma poſt peccata poſſe fieri, ſubdit: Impoſsibile eſt, non tantùm difficile, ne quis in hoc confideret. Et in verbo renouari ait: Negat hîc Apoſtolus reiterationem baptiſmi, ſed non excludit pœnitentiam, renouari enim, eſt nouum fieri: nouum autem facere, lauacri eſt, id eſt baptiſmi, iuxta illud, quod ait ad Titum 3. quòd Chriſtus ſecundùm ſuam miſericordiam ſaluos nos fecit per lauacrum regenerationis, & renouationis. Hoc idem dicit Chryſoſtomus homil. 9. ſuper epiſtolam ad Hebræos: ſimiliter & Auguſtinus vbi ſuprà. Ad id autem, quod opponunt ex verbis ſequentibus ipſius Pauli comparantis recidiuantem terræ, dicẽdum, vt ait Chryſoſtomus, quòd in illis verbis conſolatur nos Paulus, ſi verba ponderemus. Non enim ait, taliter lapſos, eſſe eo ipſo maledictos, ſed maledicto proximos. Qui autem maledicto proximi ſunt, & non maledicti, poſſunt à maledicto longè fieri. Nec dicit, taliter lapſos eſſe combuſtos, ſed quòd eorum conſummatio eſt in combuſtionem. In quo ſignificat, eos comburendos, qui lapſi in peccatis perſeuerant vſque in finem. Cum quo tamen ſtat, quòd ante finem poſſunt fructuosè conuerti & pœnitere.

Ad IIII. Ad qvartam reſpondet Auguſtinus, & habetur de pœnitentia, diſtinct. 3. cap. Adhuc. eos qui ſic arguunt, errare. Conſtat enim multùm ei peccata diſplicere, qui ſemper præſtò eſt, ea deſtruere, ſed ſi ea amaret, non ita ſemper ea deſtrueret. Quòd enim frequens venia præbeat incentiuum delinquendi occaſionaliter & per accidens, non bonis, ſed prauis, nullum eſt inconueniens, quemadmodum Paulus ad Roma. 7. docet, bonum occaſionaliter, aliquando mortem inducere. Attamen loquendo per ſe, & non occaſionaliter, frequens venia cauſam præbet recognoſcendi tantum beneficium, & Deo gratias agendi, & eundem verè diligẽdi, qui tanta erga peccatores, & tam frequenter miſericordia vtitur. In quo, & illud Pauli verificari poteſt: Vbi abundauit peccatum, ſuperabundauit & gratia.

Ad Rom. 5.

Concluditur ergo quo ad hæc duo, quæ ſuprà quæſita ſunt, poſſe hominem iuſtum poſt veram pœnitentiam in peccatum mortale cadere: poſſe etiam à peccato per iteratam pœnitentiam frequenter ad gratiam reſurgere.

QVÆSTIO VNDECIMA.

Triplex quæſtio moſt ut diſcutienda. I. II.

Verum Tria ſuperſunt inquirenda, ſcilicet an de lege ordinata adimatur aliquando peccatori, vſum diſcretionis habenti, facultas verè pœnitendi, ita vt de commiſsis pœnitere non poſsit. Secundò ſuppoſito quòd non, an poſsit peccator ſemper per pœnitentiam à peccatis quibuſcunq;, quantumuis grauibus ad gratiam reſurgere. Et ſuppoſito quòd

A quòd poſsit, an de facto ita ſit & certum, quòd ſemper ad gratiam reſurgat, ſi illum pœniteat. Et ad primum dixit Armachanus lib. 9. in Summa ſua, quòd ſæpe accidat, vt Deus facultatem verè pœnitendi à peccatoribus ob eorum grauiſsima, vel nimia peccata auferat, ita vt tales poſtmodum pœnitere non poſsint, aut etiam, quia ſunt de maſſa perditionis. Pro qua ſententia arguitur primò, quia aliquando Deus denegat hominibus fidem & cognitionem veritatis, ſine qua verè illos pœnitere non poteſt, igitur illis non relinquitur facultas verè pœnitendi. Antecedens probatur per illud Ioan. 12. de Iudæis incredulis dictum: Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Iſaias: Excæcauit oculos eorum, vt non videant oculis, & non intelligant corde, & conuertantur, & ſanem eos. Vbi gloſſ. dicit, illos pro magnitudine ſceleris pœnitentia eſſe indignos.

III. Quæſtio I. An de lege ordinaria adimatur aliquãdo facultas hominis verè pœnitẽdi. Partis affirmatiuæ rationes. I.

CONFIRMATVR idem ex eo, quod Ioan. 6. dicitur: Nolite murmurare ad inuicem, nemo poteſt venire ad me, ſcilicet per fidem, niſi pater, qui miſit me, traxerit illum. Vbi Auguſtinus ait: Quaſi dicat, ſcio, quare eſuritis, ſic, vt iuſtum panem nõ intelligatis, neq; quæratis, nemo poteſt venire ad me &c. Et addit: Magna gratiæ commendatio, nemo venit niſi tractus, quem trahat, & quem non trahat, quare illum trahat, & non illum, noli iudicare, ſi non vis errare. Igitur multi ſunt, quibus Deus fidem neceſſariam negat, vel ob eorum peccata, vel quia ſunt de maſſa perditionis.

Cõfirmatio triplex. I.

HOC IDEM rurſus apparet ex illo Matthæi 11. Væ tibi Corozaim: Væ tibi Bethſaida. Quia ſi in Tyro, & Sidone factæ fuiſſent virtutes, quæ factæ ſunt in te, olim in cilicio & cinere pœnitentiam egiſſent. Vbi Hieronymus in ſententia ait, illis ciuitatibus gentium negatam fuiſſe à Chriſto fidei prædicationem, quam ſi audiuiſſent, conuerſi fuiſſent. Vnde & Apoſtolis præcepit dicens: In viam gentium ne abieritis. II.

B

AD IDEM facit, quod habetur Amos 8. Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & mittam famem in terram, non famem panis, nec ſitim aquæ, ſed audiendi verbum Dei, & commouebuntur à mari, vſq; ad mare, & ab Aquilone ad Orientem, & circuibunt quærentes verbum Domini, & non inuenient. Ex quo Hieronymus concludit, quòd Deus aliquando his, qui malum faciunt, & perſeuerant, immittit Prælatum, qui neſciat illos fidem docere. Imò aliquando Deus immittit ſpiritum erroris his qui in ſordibus ſunt, vt docet Paulus ad Rom. 1. loquens de gentibus contra legem naturæ viuentibus, dicens: Propter quod tradidit illos Deus in reprobum ſenſum. III.

SECVNDO aliquando Deus indurat cor peccatorum, ſubtrahendo illis ſuum auxilium & gratiam conuerſiuam, & illos deſerendo, & à ſe proiiciendo. Id patet ex Paulo ad Rom. 9. dicente: Deus cuius vult miſeretur, & quem vult indurat, quemadmodum indurauit cor Pharaonis, nec illi permiſſum eſt à mala voluntate affligendi Hebræos recedere. Et Hierem. 6. Erudire Hieruſalem, ne fortè recedat anima mea à te, ne fortè ponam te deſertam terram inhabitabilem. Et iterum ibidem: Fruſtra conflauit conflator, malitiæ enim eorum non ſunt conſumptæ, argentum reprobum vocate eos, quoniam Dominus proiecit eos. Nec id ſolùm, ſed etiam ſæpe homines ob ſua peccata priuantur auxilio, & cuſtodia angelorum, prout dicit Hierem. cap. 51. Curauimus Babylonem & non eſt ſanata, derelinquamus eam, & eamus vnuſquiſq; in terram ſuam, quoniam peruenit vſque ad cœlum iudicium eius. Et iterum per Iſaiam cap. 5. Auferam, inquit Dominus, à vinea ſepem, & erit in conculcationem & direptionẽ. Vbi gloſſa per ſepem circumdantem intelligit angelorum cuſtodiam. Facit etiam, quod legitur Ezechielis 3. Sed & linguam tuam faciam adhęrere palato tuo, & eris mutus, nec quaſi vir obiurgans, quia domus exaſperans eſt. Ex quibus & aliis multis videtur, quòd Deus ſæpe ſubtrahit homini remedia neceſſaria ei ad verè pœnitendum, puta cognitionem, & fidem, & miracula, & Doctorem, ſeu prædicatorem, & gratiam, & auxilium ſuum, & angelicam cuſtodiam, & linguæ vſum ad petendum veniam, & reliqua opportuna remedia. Et per conſequens talibus hominibus adimitur facultas verè pœnitendi, ita vt pœnitere non poſsint.

II. Ratio.

C

HIS NON obſtantibus, videtur dura eſſe, & impia hæc præfata ſententia, nec rationi nec ſcripturæ ſanctæ ſatis conſona. Vnde contra eam, & pro oppoſita ſententia arguitur primò. Si daretur tempus viæ, in quo homo pœnitere non poſſet, habens perfectum iudicium diſcretionis, ſequitur, quòd homo ille de neceſsitate peccaret, & de neceſsitate in peccato perſeueraret, cùm à peccato recedere non poſſet. Et ſequela nota eſt, falſitas tamen conſequentis patet, quia repugnat dicere hominem de neceſsitate

Oppugnatur dicta ſententia. I.

peccare, cùm secundùm Augustinum, peccatum in tantum peccatum sit, inquantum voluntarium, ita vt si voluntarium non sit, peccatum non sit. Et Hieronymus de Ecclesiasticis dogmatibus anathematizat eos, qui dicũt, Deum obligare hominem ad aliquid ipsi impoſsibile, qualiter obligaret, si ita esset, quòd homo non posset non peccare, aut à peccato per pœnitentiam non posset recedere, vt constat.

Deinde homini competere liberum arbitrium, quo liberè poſsit, si velit, bonum, aut malum eligere, apertum est ex eo, quod scriptum est: Ante hominem vita & mors, bonum & malum, ad quod volueris, porrige manum tuã. Ecclef.15. Similiter Deute.30. Moyses ad Hebræos loquens, etiam postquam grauiſsima peccata commiserant, ait: Testes inuoco hodie cœlum & terram, quòd proposuerim vobis vitam & mortem, elige ergo vitam, vt viuas. Et ad Cain, postquam fratrem occiderat, dixit Dominus: Nónne si bene egeris recipies? sin autem malè, statim in foribus aderit peccatum, sed sub te erit appetitus eius, & tu dominaberis illius. Ex quibus apertè patet, liberum esse homini, quantumuis scelerato, à peccato recedere, si velit, & illius pœnitere. Pro quo etiam facit Paulus 1. Corinth.10. Fidelis Deus, qui non permittet vos tentari vltrà quàm potestis. Et ita patet, hominem ex parte sua semper habere potestatem, si velit, à peccato per pœnitentiam recedendi.

Liberum est homini, si velit à peccato recedere, & pœnitere.

II. Secundo si diuinam misericordiam attendamus, simul & scripturam sacram, hoc ipsum colligemus, scilicet Deum omnes peccatores ad pœnitentiam vocare, eiſdemq; si illos pœniteat, æternam vitam promittere. Ita enim dixit, omnes peccatores inuitans: Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos. Matthæi 11. Et iterum per Ezechielem, omnibus peccatoribus, qui ab iniquitatibus recesserunt, quantumlibet graues, & enormes fuerint, vitam similiter promittit, & peccatorum omnium veniam, vt sæpe citatum est, capitul.18.& 33. Et iterum per Isaiam & Zachariam & Iohelem, omnes peccatores ad se vocat dicens: Conuertimini ad me, & conuertar ad vos. Quoties etiam Deus conqueritur de populo suo, quem de adulterio, de idololatria, de fornicatione, de infidelitate, de Dei contemptu, & blasphemia, de aliisque grauiſsimis peccatis redarguit, à quibus se repulsum esse, & abiectum conqueritur? Et nihilominùs clemens pater misericordiarum, benignè illos ad se vocat, pœnitentiam hortatur, & veniam promittit. Non enim Deus vult mortem peccatoris, sed magis vt conuertatur & viuat. Dicere igitur, quòd Deus auferat ab homine facultatem pœnitendi, ita vt non poſsit pœnitere, nec ad Deum se conuertere, impium est contra diuinam clementiam.

Deus omnes peccatores inuitat ad pœnitẽtiam.

III. Tertio idem patet, quia apertum est, Christum pro omnibus peccatoribus quantumuis sceleratis passum esse, & omnes tales ad pœnitentiam vocasse, ipso per Lucam dicente: Non veni vocare iustos, sed peccatores ad pœnitentiam. Et tantò magis charitas Christi ad homines commendatur, qui pro impiis mori voluit, quantò grauiora fuerant peccata & offensæ contra diuinam Maiestatem commissæ, vt docet Paulus ad Roman.5. Ex parabola etiam patrisfamilias, qui fecit conuiuium, ad quod vocari præcepit omnes claudos, cæcos, & debiles, & quocunque morbo laborantes, hoc idem intelligimus, scilicet Deum omnes peccatores, quæcunque sint, & qualiacunque crimina quæ commiserint, vocare ad cœnam suam, illisque ex parte ipsius inuitantis omnia esse parata: Impium igitur est dicere, Deum adimere peccatoribus facultatem pœnitendi, pro quorum salute, tot & tanta passus est Christus. Deinde quomodo staret, quod ait Paulus 1. ad Timoth.2. Deus vult omnes homines saluos fieri, si ipse Deus ex parte sua negaret homini, quod ipsi est necessarium, vt conuertatur? Nec placet hoc accipere, vt aliqui accipiunt dicentes, quòd sensus sit, nullum hominem saluari, nisi Deo volente. Nam ex textu ipso colligitur, quòd Dei voluntas huiusmodi ad omnes se extendat, & non solùm ad eos, qui saluantur, cùm præmittat ibidem fieri orationes, & obsecrationes pro omnibus hominibus, cuiuscunque conditionis sint. Et sequitur quod dictum est scilicet, nam Deus vult oẽs &c. Quomodo etiam illud staret à Domino dictum: Ego sto ad ostium, & pulso, si quis aperuerit, intrabo ad eum. Et iterum: Petite & accipietis, pulsate, & aperietur vobis? Quomodo etiam staret, quod ait Ioannes in sua Canon. scilicet Christum esse propitiatorem pro nostris peccatis, & non pro nostris tantùm, sed pro totius mundi peccatis, si essent aliqua peccata tam enormia, vt isti dicunt, quòd pro illis auferret Deus à peccatore potestatem pœnitendi.

Confirmatio triplex eiusdem argumenti I.

II. *Apocalyp. 2.*

Matth. 7.

III. *1. Can. cap. 2.*

Addi

A ADDE QVOD si propter aliquod peccatum enorme adimeretur homini facultas pœnitendi, maximè propter peccatum in Spiritum ſanctum, de quo dixit Dominus, quòd non remittetur in hoc ſæculo nec in alio. Sed hoc non, quia ſi textum Euangelij percurras, reperies Chriſtum vocaſſe ad pœnitentiam, ac veniam promiſiſſe his, quos antea de peccato in Spiritum ſanctum arguerat, de quo aliâs, quando de peccato in Spiritum ſanctum agebamus.

Concluſio pro parte negatiua.

DICENDVM igitur, quòd Deus nulli viatori iudicium diſcretionis habenti claudit viam ſalutis, nemini tollit arbitrij libertatem, nemini quæ illi neceſſaria ſunt, vt conuertatur, tollit, neminem ad peccandum, vel in peccato perſeuerandum neceſsitat, neminem ad bonum impoſsibilitat, neminem fallit, nec errorem per ſe immittit, quamuis permittat multos errare, & in ſuis peccatis perſeuerare, & in alia noua peccata incidere. Cum hac tamen permiſsione ſtat in illis libertas à peccato recedendi, ſi velint, quia vnũquenque relinquit in manu conſilij ſui, exceptis his, quos pro ſua voluntate vult præſeruare, aut ad ſe ſpecialiter conuertere. Pro quo illud notandum, quòd duplex eſt fauor, quem hominibus Deus præſtat. Alter, ſine quo homo bene agere non poteſt, & talem nemini negat, quantumuis ſceleratus ſit, ne homo in diem iudicij peccata ſua in Deum retorqueat, qui illi fauorem neceſſarium negauit. Alter eſt fauor ſuperabundans, qui etſi neceſſarius non ſit homini ſimpliciter, vt bonum agere poſsit, confert tamen multum, B vt bonum de facto agat, quod ſecluſo huiuſmodi ſpeciali fauore, alioqui non ageret, etſi poſſet. Id ex aliis apertè cognoſcere poſſumus: Nam peccator aliqua peccata euitaret, verbo reprehenſionis adiutus, quæ alioqui non vitaret, etiamſi poſſet. Nam etiam munere ſolet moueri ad bonum aliquod agendum, quod alioqui non ageret, etſi poſſet. Ita igitur Deus munere quodam, ſiue exteriore, ſiue interna inſpiratione, certo modo iuuat ſpecialiter quos vult, vt illos pœniteat, ſine quo iuuamine dormirent, & nõ pœniterent, quamuis poſſent. Multis etiam hoc iuuamen ſpeciale non confert ad pœnitendum, vel credendum, aut aliud bonum opus agendum, quod agerent, ſi huiuſmodi iuuamen illis præſtaretur. Et hoc modo per negationem huiuſmodi ſpecialis iuuaminis, dicitur quoſdam indurare, aut obcæcare, ſciens illos ſine præfato iuuamine à peccato non receſſuros. Et hoc modo illos deſerit, & à ſe abiicit, eos perire permittens, vel quia ſunt de maſſa perditionis, vel quia id ſua facinora meruerunt, non tamen ob id ſunt impoſsibilitati ad pœnitendum, vt ſatis iam conſtat.

Nulli homini adimit Deus facultatem pœnitendi, etſi multos errare, & in peccatis perſeuerare permittat.

Deus duplici fauore homines proſequitur. I. II.

Quatenus Deus dicatur quoſdã indurare aut obcæcare.

NVNC ad motiua prioris ſententiæ dicendum. Ad primum ſumptum ex Ioanne 12. Non poterant credere, quia Iſaias dixit &c. dicunt aliqui, illud verbum, non poterant, ſonare non neceſsitatem conſequentis, ſed conſequentiæ, quia non poſſe credere, idem eſt quod neceſſe eſt nõ credere, & ita ſenſus eſt, neceſſe eſt, ſi Iſaias dixit, quòd non erant credituri, eos non credere. Sed hoc quamuis in ſe verè dictum ſit, non tamen videtur ad propoſitum textus, quia illic Euangeliſta intendit ſignificare obſtinationem, & duri-C tiam cordis Iudæorum, qui cùm tanta ſigna à Chriſto fieri vidiſſent, non credebant, nec intendebat neceſsitatem conſequentiæ ſignificare; nec quòd cauſa, quare credere non poſſent, erat, quia ab Iſaia ſic fore, erat prænuntiatum; nec ad id citauit prophetæ dictum, ſed intelligamus cauſam ſuæ obſtinationis, ſeu obdurationis fuiſſe, quia Deus obcæcauit oculos eorum, prout Iſaias prædixerat. Hæc autem obcæcatio non fuit, niſi diuini iuuaminis ſubtractio, ſine quo non erant credituri, quamuis credere poſſent, ſi vellent, etiamſi iuuamen illud ſuperabundans illis ſubtraheretur. Et quòd poſſent, ſi vellent, Auguſtinus dicit eundem locum tractans. Quærit enim, quare autem non poterant credere, ſi à me, inquit, quæratur, citò reſpondeo, quia nolebant. Et ſi obiiciatur, aliam cauſam dediſſe prophetam, quare non crederent, ſcilicet quia dedit Deus illis Spiritum compunctionis oculorum, vt non videant: Reſpondet idem Auguſtinus hoc ipſum eorum voluntatẽ meruiſſe in malo obſtinatam, à qua mala voluntate, ſi voluiſſent recedere, potuiſſent. Vnde fit, illud verbum, non poterant, non ſonare impoſsibilitatem credendi, ſed ineptitudinem voluntatis, ſimul & intellectus eorum. Erat enim ex parte intellectus obſtaculum, quo credere in Chriſtum impediebantur. Ex parte etiam voluntatis obſtinatio, & peruerſa affectio, quibus ſtantibus, credere in Chriſtum non poterant. Illa autem obſtacula in illis permanebant, quia Chriſtus gratiam ſuam, vt amouerentur, illis non præſtabat. Itaque illis ſtantibus obſtaculis, credere non poterant, ſimpliciter tamen poterant, ſi voluiſſent. Quod inde rurſus patet, quia ſi ſimpliciter non

Reſpondetur ad rationes partis affirmatiuæ. Ad I.

Solutio I. *Reiicitur.*

Solutio II. *ſolidior.*

 poſſent

possent credere, ipsa incredulitas non esset illis imputanda, quod suppono falsum. Ad aliud ex Ioannis 6. citatum: Nemo potest venire ad me, dicendum similiter, quòd illud verbum non potest, non dicit simpliciter impossibilitatem veniendi ad Christum per fidem, vt ex dictis patet, cùm id esset in libera ipsorum potestate, sed secundùm quid, vt dictum est, stante scilicet eorum ineptitudine, quam Deus sciebat in illis sine gratia, & fauore speciali ipsius, non esse amouendam. Et hac ratione dicitur ibidem: Nemo potest venire ad me, nisi datum sit ei à patre meo. De qua fide (inquit) Paulus, quòd Dei donum sit. Simpliciter tamen non negandum est, hominem rectè suis naturalibus vtentem, si per hominem, aut per miracula doceatur, posse credere in Christum, alia superabundanti gratia seclusa. Attamen doctorem habere, aut miracula fieri, per quæ fides doceatur, inter dona Dei venit connumerandum, ita vt semper verificetur, quod ait Christus: Nemo potest venire ad me, nisi pater meus traxerit eum. gloss. id est nisi pater reuelauerit, per se scilicet, vel per alium.

Ad I. confirmatione ̄ eiusdem.

Ad II. confirmationem.

Ad aliud ex Matthæo citatum: Væ tibi Corozaim, patet responsio, quòd Deus illis ciuitatibus Gentilium Tyro scilicet & Sidoni non abstulit facultatem verè pœnitendi, quamuis fidei prædicationem illis subtraxit, sed sine hac potuerunt credere, quia si quod in eis erat, debitè fecissent, doctore fidei Deo prouidente, minimè caruissent, sicut nec eo caruit Cornelius, nec Eunuchus Candacis Reginæ, qui, quod in eis erant, fecerunt, vt patet ex actibus Apostolorum cap. 10. & cap. 8.

Ad III. confirmationem. Quomodo Deus permittat aliquando vt homines seducantur & pereant. Ex his patet solutio ad II. Argume ̄tum principale.

Ad aliud ex Amos 8. sumptum similiter respondetur, quòd inde colligitur Deum subtrahere hominibus ob eorum peccata doctorem veritatis, & non solùm hoc sed aliquando immittit Spiritum erroris, quo peccatores seducantur, & pereant, vt patet ex eo, quod ex Paulo ad Roman. citatum est, & etiam ex eo, quod ait 2. ad Thessal. 2. Eò quòd charitatem veritatis non receperunt, vt salui fierent, ideo mittet Deus illis operationem errorum, vt credant mendacio. Facit etiam Deus aliquando, vt Prophetæ interrogati, non verum, sed falsum respondeant, prout dicitur Ezech. 14. Iuxta iniquitatem interrogantis, iniquitas Prophetæ erit. Quæ omnia permissiuè sunt accipienda, sicut illud aliud, propter quod tradidit illos Deus in passiones ignominiæ &c. ad Roma. 1. Siue igitur Deus multos errare, & fidem ignorare permittat, siue remedia opportuna ad cognitionem veritatis illis subtrahat, stat tamen in eisdem potentia pœnitendi, & se ad Deum conuertendi, & per consequens ea, quæ illis necessaria fuerint, sciendi, vt ex dictis patet. Remedia tamen, quæ sunt homini ad pœnitendũ, & Dei mandata seruandum necessaria, nulli iudicium discretionis habenti adimit Deus. Et ita patet ad omnia, quæ suprà in oppositum allegata sunt, & multa alia. Illud tamen, quod postremò ex Ezechielis 3. citatum est, videtur ad propositum impertinens. Nam illic prædicit Dominus Ezechieli mala, quæ per reprobos passurus erat, in pœnam quorum futurum erat, vt Ezechiel ad illos non egrederetur, nec illis prędicaret, nec eorum vitia obiurgaret, vt in sordibus suis ampliùs sordescerent. Et hoc est, quòd ait: Linguam tuam faciam adhærere palato, & eris mutus, quasi vir non obiurgans, quia domus exasperans est. In quo significat Iudæos indignos fuisse, quibus Doctor aliquis, aut vitæ director mitteretur.

Explicatur loc9 quidã Ezechielis Prophetæ.

Quæstio II. An quiuis peccator possit ad gratiã resurgere per pœnitentiã, qualiacunque peccata demũ patrauerit?

Praesupposito ergo, quòd in via nemini adimitur facultas pœnitendi, quærebatur secundò, an possit quilibet peccator per pœnitentiam resurgere ad gratiam, quæcunque & qualiacunque crimina perpetrauerit. Et dixit idem Armachanus, quòd non, sequutus in hoc Augustinum qui aliquando tenuit, esse aliqua peccata tam grauia, quæ non possent peccatori remitti, quicquid faceret ad eorum remissionem.

Argumenta pro parte negatiua.

I. Pro hac sententia facit primò quod legitur Matthæi & Lucæ 12. de peccato in Spiritum sanctum, de quo ait Christus, quòd non remittetur in hoc sæculo, nec in futuro. Si dicas, quòd loquatur textus de facto, non tamen tollit possibilitatem remissionis, contra arguitur, quòd loquatur de possibili. Quia quod de aliis peccatis affirmat Christus, id ipsum negat de peccato in Spiritum sanctum, sed de aliis affirmat, quòd remittentur, quod non de facto, sed de possibili est accipiendum, alioqui falsum esset, quòd cætera peccata remittentur, si de facto intelligatur, vt constat, ergo idipsum negat de possibili de peccato in Spiritum sanctum.

II. Secundo facit, quod ait Ioannes in Canonica capit. 5. de peccato ad mortem, pro quo ait non esse orandum. Quod tractans Augustinus ait: Apertè ostenditur, quosdam fratres esse, pro quibus non orare iubemur, significans ideo id esse, quia sunt aliqua peccata,

A peccata, de quibus veniam non poteſt peccator obtinere, ait enim inter alia: Non quia non ſit ignoſcendum pœnitenti, ſed quia tanta eſt labes illius peccati, vt deprecandi humilitatem ſubire non poſsit. Exemplificat de peccato Iudæ, & de eo, qui ſcienter fraternitatem oppugnat.

TERTIO facit, quod ait Paulus de peccato ex malitia commiſſo ad Hebr. 10. Voluntariè enim peccantibus poſt acceptam notitiam veritatis, iam non relinquitur hoſtia pro peccato. Quod non videtur intelligendum ita, vt Chriſtus non ſit iterum pro peccatoribus illis occidendus, nam nec pro voluntariè peccantibus, nec pro inuoluntariè peccantibus relinquitur hoſtia in illo ſenſu; nec valet dicere, quod gloſſa ait, ſcilicet quòd per voluntariè peccantes intelliguntur hi, qui perſeuerant in peccato. Nam ſi de perſeuerantibus in peccato intelligitur, non etiam relinquitur hoſtia pro illis, ſiue perſeuerent poſt acceptam notitiam, & voluntariè, ſiue ex ignorantia, & inuoluntariè, & ita, cùm aliquid ſpeciale de voluntariè & ſcienter peccantibus videatur Paulus dicere, ſequitur, quòd illis nullum relinquitur remedium ſalutis, maximè cùm addat: Sed formidabilis quædam expectatio iudicij, & ignis æmulatio, igitur ſic ex malitia peccantibus nil prodeſt poſtmodum pœnitere. Quod idem ad Hebræos 6. viſus eſt ſignificare, dicens: Impoſsibile eſt eos, qui ſemel illuminati ſunt, ſi prolabantur, rurſus renouari ad pœnitentiam. III.

B CONFIRMATVR ex Leuit. 4. & 15. vbi cùm eſſent hoſtiæ inſtitutæ pro peccatis ex ignorantia commiſsis, pro his tamen quæ ex malitia commiſſa erant, nulla talis hoſtia inſtituta videtur. Quod videtur figura præſentis temporis. *Confirmatio eiuſdem.*

QVARTO facit, quod de peccato idololatriæ legitur Ezech. 14. Si Noë, Iob, & Daniel oraſſent pro eis, non eos ſaluarent. Loquitur de his, qui poſuerunt immunditias, & idola in corde ſuo. Similiter Ierem. 7. & 11. Tu ergo noli orare pro populo hoc, & ne aſſumas pro eo laudes, & orationes, & non obſiſtas mihi, quia non exaudiam. Loquitur de populo Iſraël, pro eo, quòd idololatriam perpetrauerat. Idem habetur Ierem. 14. Noli orare pro populo hoc in bonum, quia non exaudiam, ſiue ieiunauerint, ſiue victimas obtulerint, non ſuſcipiam, igitur hoc modo peccantibus nil prodeſt pœnitere. Vnde ait gloſſa: Prophetæ præcipitur, ne pro eis oret, in quos eſt iam conſummata ſententia, ne videatur oratio eius infirma, & meritò non exaudita. IIII.

QVINTO facit, quod legitur Amos 1. & 2. de multis nationibus. Dicit Dominus: De tribus ſceleribus Damaſci, Tyri, Gazæ, & Edom, & ſuper quatuor non conuertam. De quo Hieron. in prolog. ſuper Amos, ait: Et quia inquit Propheta ſuper tribus impietatibus, & ſuper quatuor non conuertam eum, tertiò peccatorum indulgentiam Deum dare poſſe ſignificat, quem quartò eadem peccata admittentibus, nec pœnitentiam, nec indulgentiam daturum annunciat. V.

AVGVSTINVS etiam libro de vita Chriſtiana ſignificat, certam eſſe hominibus VI.
C periodum ad pœnitendum conſtitutam, aut certum numerum peccatorum, quo completo, poſtmodum veniæ non eſt locus, ait enim poſt alia: Nos enim plurimorum habemus exempla, per quæ probare ſufficimus, ſceleratos & impios, peccatorum ſuorum fine completo, & hoc tempore iam iudicari, & præſentem eis vitam negari non minùs, quàm futuram. Ad quod alludit, quod dicitur Geneſ. 15. Nondum ſunt completa peccata Amorrhæorum. Ex quibus videtur colligi, multa eſſe peccata adeò grauia, de quibus homo veniam obtinere non poſsit, quantumcunque pœniteat, certamq; eſſe peccatoribus periodum ad pœnitendum conſtitutam, vltra quam quicquid homo faciat, etiamſi pœniteat, minimè veniam aſſequetur. Quod innuit Hieron. lib. Hebraicarum quæſtionum, tractans illud Geneſ. Non permanebit Spiritus meus in hominibus iſtis in æternum, quia caro ſunt, ſed erunt dies eorum anni centum, & viginti. Hoc ipſe ſic exponit: Habebunt centum viginti annos ad pœnitendum. Nec enim de annis ad vitam erat id intelligendum, cùm conſtet, multos homines poſt tempus illud vixiſſe vltra ducentos, & trecentos annos. *Geneſ. 6.*

[a] HIS NON obſtantibus tenenda eſt oppoſita ſententia, ſcilicet nulla eſſe peccata quantumuis numero, & grauitate magna, de quibus homo veniam non poſsit per pœnitentiam conſequi, quamdiu viuit. Pro qua ſententia & Catholica faciunt, quæ ſuprà citata ſunt ex variis ſcripturæ authoritatibus, in quibus Deus promiſit cuicunque verè pœnitenti vitam æternam. Ratione cuius promiſsionis dixit Auguſtinus ſuper Epiſtolam ad

a Concluſio pro parte affirmatiua, Nulla ſcilicet eſſe peccata quantumuis enormia, de quibus homo nõ poſſit veniã conſequi per pœnitentiã in hac vita. Probatur I. ex ſacra ſcriptura.

ad Rom.5.vt citauimus suprà, iniustum fore Deum, si peccatores ad ipsum confugientes in sui gratiam non admittat. Hoc etiam significat Ioannes in sua Canonica 1.capit.1. Si confitemini peccata vestra, fidelis, & iustus est Deus, vt remittat vobis peccata vestra, & emundet vos ab omni iniquitate, vbi nullam iniquitatem quantumuis magnam excludit. & cap.2. Hæc scribo vobis, vt non peccetis, sed & si quis peccauerit, aduocatum habemus apud patrem IESVM Christum iustum, qui est propitiatio pro peccatis vestris, & non vestris tantùm, sed etiam totius mundi. Ex quo apertè docemur, nullum esse in mundo commissum peccatum, à quo non possit homo veniam consequi, si pœniteat, Christo pro nobis intercedente, vanum autem omnino esset Christum intercedere pro peccatis, quæ scit remitti non posse. Facit etiam, quod habetur Isaiæ 49. Nunquid obliuisci potest mulier infantem suum, vt non misereatur filio vteri sui? Et si illa oblita fuerit, ego tamen non obliuiscar tui. Vnde apertè patet Deum nemini claudere gremium, sed paratum eum esse pro sua infinita bonitate, & clementia omnem verè pœnitentem in sui gratiam admittere, maximè cùm hi, ad quos Dominus per Isaiam loquebatur, illa crimina, quæ grauissima dicuntur, commisissent, scilicet peccata infidelitatis, idololatriæ, blasphemiæ. Facit etiam determinatio Ecclesiæ de summa Trinitate, & fide Catholica, cap. Firmiter. Vbi declaratum est, posse hominem peccatorem semper per veram pœnitentiam reparari. Ibidem etiam declaratum est, baptismum omnibus tam paruulis, quàm adultis obicem non ponentibus, ad salutem prodesse, quæcunque, & qualiacunq; crimina ante baptisma fuerint commissa. Quòd si infidelibus, idololatris, & pessimis hominibus hæc gratia fit, vt possint per baptismum iustificari, quare etiam de Christianis in peccatum lapsis negabimus, similem gratiam fieri eisdem posse, vt per pœnitentiam iustificentur, quam secũdam tabulam esse constat, sicut & baptismus est prima, maximè, cùm idipsum præfata Decretalis sonet, puta de hominibus post baptismum in peccatum lapsis.

II. ex determinatione Ecclesiæ.

ADDE QVOD Ecclesia nullum peccatorem quantumuis criminosum à pœnitentia repellit, quæ omnes in articulo mortis constitutos, si in eisdem signa contritionis apparent, iubet vniuersaliter absolui, sicut & Christus contulit sacerdotibus potestatem omnia peccata remittendi, nullam inter hæc, & illa peccata differentiam ponens. Vnde de pœnitentia distinct.1.cap. Multiplex. dicitur: His autem, qui tempore necessitatis, & periculi vrgentis instantia pœnitentiæ præsidiũ, & mox reconciliationis implorant, nec satisfactio interdicenda est, nec reconciliatio deneganda, quia misericordiæ Dei nec mensuram possumus ponere, nec tempora definire, apud quem nullas patitur moras veniæ conuersio. Et glossa citat, quod scriptum est: Spiritus sancti gratia tarda nescit habere molimina. & ca. Nemo. ibidem Ambrosius reprehendens eos, qui præuaricantibus adimunt spem salutis, ait: Deus autem nullum crimen excipit, qui peccata omnia donauit. & cap. Quantuslibet, ait: Quantuslibet ergo mortui fœtor sit, aboletur omnis, vbi sacrum redoleuerit vnguentum. & c. Potest fieri, ita concludit: Ergo euidentissimè Domini prædicatione mandatum est etiam grauissimi criminis reis, si ex toto corde, & manifesta confessione peccati pœnitentiam agant, sacramenti cœlestis gratiam perfundendam. Et de Iuda peccatore grauissimo ait idem Ambrosius: Arbitror enim, quòd & Iudas potuisset tanta miseratione Domini non excludi à venia, si pœnitentiam non solùm apud Iudæos, sed apud Christum gessisset. Cyprianus etiam significans omnes pœnitentes esse admittendos, ait: Miror autem, quosdam sic obstinatos esse, vt dandam non putent lapsis pœnitentiam, aut pœnitentibus æstiment veniam denegandam. Hieronymus etiam inductiuè ostendit, Christum neminem verè pœnitentem reiecisse, sed in sui gratiam admisisse. Exemplo mulieris importunæ, quæ precibus impetrauit ab amico tres panes, Christus etiam à publicano precibus vincitur, Niniue ciuitas, quæ peccato periit, fletibus stetit, Christus in Paradisum latronem de cruce tulit, prodigum filium serò etiam reuertentem Christus lætus amplectitur. Et nonagintanouem pecudibus derelictis, vna ouicula, quæ remansit, humeris boni Pastoris aduehitur. Pro his etiam, qui ipsum Christum crucifigebant, orabat dicens: Ignosce illis, quia nesciunt, quid faciunt. Alios etiam, qui in Spiritum sanctum blasphemantes peccauerant, adhortatur, vt pœnitentiam agant, & sic pœnitentibus veniam promittit. Nunquam denique repulit quenquam, qui ad ipsum confugeret. Ex quibus patet nostrum intentum.

III. ab authoritate Patrum.

Exemplo Christi Domini idẽ confirmatur.

GELASIVS

A GELASIVS etiam Papa in tomo anathematis dicit, nullum esse peccatum, pro quo Ecclesia non oret, & quod remitti non posit, nisi peccatum perseuerantię vsq; ad finem, Et habetur in Decretis Gelasij, in lib. Conciliorum. Augustinus etiam in lib. retractationum dicit: De nemine quantumcunq; scelerato desperandum est, quia quamdiu viuit pœnitere potest, & ad Deum conuerti, vbi retractat quod antè dixerat de peccato aliquo post habitam charitatem commisso, dicens illud remitti non posse.

Non nisi peccatum perseuerātiæ finalis in hac vita remitti nequit.

AD RATIONES autem superiùs pro prima sententia adductas, respondetur. Ad primam de peccato in Spiritum sanctum, quod irremisibile dicitur, respondeo: Quicquid sit de huiusmodi peccato, quale, & quotuplex sit, similiter & quot modis dicatur irremisibile, dimisis etiam variis modis dicendi, de quibus aliâs. Dico ad præsens, peccatum in Spiritum sanctum dici irremisibile, non ob difficultatem suæ remisionis, quandoquidem ex parte Dei æquè facile est, vnum sicut & reliquum peccatum dimitti, cuius misericordia, cùm infinita sit, omnem culpam in infinitum, & absque proportione superans, non dubium, quin absque vlla difficultate posit omnem offensam dimittere. Ex parte etiam peccatoris non multùm difficile est, peccati commisi pœnitere, cùm voluntatem ad vtrunque vertibilem habeat homo; esto quòd, vt ait Aristo. 7. Ethicorum, qui ex malitia peccant, non sint facilè pœnitiui, quales sunt, qui ex ignorantia, aut pasione peccant, qui pasione, & ignorantia cessante, illicò de commisso dolent. Vnde & nonnulli hanc causam esse dixerunt, quare angeli mali non egerunt pœ-
B nitentiam, quia scilicet ex malitia peccauerunt, quod est proprium peccato, quod dicitur in Spiritum sanctum commissum. Nec etiam dicitur irremisibile ob imposibilitatem suæ remisionis, vt sufficienter ex dictis apparet; nec Christus in loco citato prætendit significare imposibilitatem suæ remisionis, sed eius grauitatem, & indignitatem nobis intimare, cùm non sit aliud peccandi genus magis abominabile, quàm ex malitia, & specialiter contra Deum peccare. Vnde cùm cætera peccata, quæ ex ignorantia, aut pasione committuntur, habeant vnde digna sint venia, & remisibilia, cùm ipsa pasio & ignorantia, ex qua fiunt, nonnulla sit peccati excusatio, peccatum tamen in Spiritum sanctum commissum, quod ex pura malitia fit, nil tale habet, vnde venia dignum sit, aut remisibile, ideo cætera remisibilia dicuntur, non sic peccatum in Spiritum sanctum.

Respōdetur ad rationes in oppositum allatas.
Ad I.
Quomodo peccatum in Spiritum sanctū dicatur irremisibile.

AD SECVNDAM de peccato ad mortem, videtur Magister in 2. cum Augustino dicere idem esse peccatum in Spiritum sanctum, & peccatum ad mortem, & quòd ideo pro illo orandum non est, quia remisibile non est. Addunt tamen huiusmodi peccatum esse peccatum, cui finalis impœnitentia adiungitur, pro quo solo non est orandum. Mihi tamen videtur diuersa esse peccata, scilicet peccatum in Spiritum sanctum, de quo Euangelistæ loquuntur, & peccatum ad mortem, de quo Canonica Ioannis: Si enim peccatum in Spiritum sanctum diceretur omne illud, cui adiungitur finalis impœni-
C tentia, nil opus fuisset distinguere inter peccatum in Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, dicendo solùm illud, quod in Spiritum sanctum committitur, esse irremisibile, cùm omne peccatum in quemcunq; committatur, si illi adiungatur finalis impœnitentia, sit irremisibile. Adde quòd peccatum in Spiritum sanctum, de quo Euangelistæ, erat actu commissum à Iudæis, quos Christus tam acriter redarguebat, idque illis viuentibus, quos tamen postea ad pœnitentiam hortabatur. Peccatum autem ad mortem nemo incurrit, nisi moriendo, si scilicet tunc sine pœnitentia decedat, quem ad pœnitentiā postmodum adhortari omnino superuacaneum est. Quòd aūt fuerit peccatum in Spiritum sanctū, de quo Christus loquutus est, satis explicat Marcus, scilicet blasphemia, qua opus Dei miraculosum, Beelzebub attribuebant, vbi nil de finali impœnitentia dictū est. Dicendum igitur, peccatū ad mortem dici peccatū finalis impœnitentiæ, pro quo solo non est orandum. Nam pro aliis omnibus, quamdiu viuit homo, orandum est, quemadmodum docet Paul. 1. ad Timo. 2. Quòd si quis obiiciat eundē Paul. qui cùm pro aliis oraret, pro Alexandro tamen ęrario non videtur orasse, imò iusit Timotheum, vt illū euitaret, qui ipsius Pauli fuerat persequutor, respondeo: Non legitur, quòd Paulus pro Alexādro non orauerit, quamuis legatur, quòd iusserit Timotheo vt illum euitaret, vt patet 2. Tim. 4. Quod ideo fuit, quia Paulus illum Sathanæ tradiderat, & excommunicauerat tanquā apostatam. Et quamuis dicat ibidem Paulus: Reddet Deus illi scilicet Alexandro mercedē sui operis, non imprecantis verbum est, sed prænunciantis, vt dicit illic glossa.

Ad II.
Discrimē inter peccatū in Spiritum sanctū et peccatum ad mortem.
Quodnam peccatum dicatur esse ad mortem.
Occurritur obiectioni.

 AD TER-

Ad III.

Motiuum, quo putarũt aliqui epistolã ad Hebræos non fuisse D. Pauli.

Ad tertium de voluntariè peccantibus respondetur, quòd quia Paulus videtur adimere spem salutis his, qui voluntariè post acceptam notitiam veritatis peccant, ideo quidam opinati sunt, epistolam ad Hebræos non fuisse Pauli: cùm Paulus alibi, & sæpe eos, qui post baptisma receptum, & post notitiam veritatis habitam labuntur, ad pœnitentiam hortatur, spem veniæ illis tribuens.

Variæ explicationes loci Apostoli de voluntariè peccãtibus.

I.

Alij verò tenẽtes epistolam verè Pauli fuisse iuxta sanctorum Doctorum & Ecclesiæ doctrinam, hunc locum exponentes dixerunt, per voluntariè peccantes intelligi eos, qui in peccato perseuerant vsq; ad finem, videntes pro nullo alio peccato adimi peccatori spem salutis, sic dicit glossa ibidem.

Reiicitur.

Contra quos occurrit ratio, quia in illo sensu nullã fecisset Paulus differentiam inter voluntariè peccantes, & inuoluntariè, nec inter peccãtes scienter post acceptam notitiam veritatis & peccantes ignorãter. Quia quomodocunq; quis peccet, si perseueret vsq; ad finẽ, nulla illi relinquitur hostia, nec remediũ salutis, cùm tamẽ textus aliq̃d speciale de voluntariè & scienter peccantibus dicat.

II.

Alij verò dixerũt post Chrysost. Hom. 20. quòd cùm ait Paulus nõ relinqui hostiam pro peccato his, qui voluntariè peccant, non excludit omne remediũ sic peccantibus, sed remedium baptismi, qui hostia quædã est, quia in baptismo cõmorimur Christo, & eidem sacrificamur. Itaq; intendit ponere differentiam inter hostiam pro peccato legis veteris & hostiã hãc pro peccato legis nouæ, quia illa iterari frequenter poterat, nõ hæc. Et hoc dicitur conformiter ad id, quod Paulus in eadem epist.

Cap. 6.

dixerat: Impossibile est eos, qui semel illuminati sunt, si prolabantur, rursus renouari ad pœnitẽtiam.

Reiicitur.

Sed nec hoc satisfacit, tum, quia illo modo impertinẽs esset, quòd quis peccaret voluntariè aut inuolũtariè ex scientia, aut ex ignorãtia, seu metu, quia quomodocunq; quis peccet, non potest denuo baptizari, cùm tamen Paulus aliquid speciale dicat de voluntariè & scienter peccantibus. Tum etiã, quia non solùm videtur excludere illis hostiam baptismi, sed etiam pœnitentiam, & quodcunq; aliud remedium salutis, nam postquã dixit: Non relinquitur illis hostia pro peccato, statim subiungit, sed formidabilis quædam expectatio iudicij.

III.

Alij dixerunt, quòd per implicationem additam scilicet voluntariè, & post acceptam notitiam veritatis, non excludit Paulus peccantes culpabiliter ex ignorantia culpabili seu vincibili, quasi illis hostia aliqua relinquatur, nõ autem his, qui scienter, & voluntariè peccant, sed eos intendit excludere, qui deficiunt à legis obseruatione inuoluntariè, quod impossibile est cum culpa accidere. Nam aliquando in scriptura dicitur peccatum, etiamsi culpa & imputabilitate careat, vt opus contra legem Dei cõmissum per ignorantiam inuincibilem, quale fuit accessus Iacob ad Liam, quando sua nõ erat, quale etiam fuit detinere vxorem alienam nescienter, quod accidit Abimelech Regi Gene. 20. Sic enim peccantibus bene relinquitur hostia, & remedium salutis, etiamsi perseuerent, non aliis.

Reiicitur.

Sed nec hoc satis pertinenter videtur esse dictum, cùm non sit intentio Pauli alicui peccatori qualitercunq; peccanti remediũ salutis adimere, sicut opinione istorum adimitur his, qui voluntariè peccant.

Solidior eiusdẽ loci Apostoli explicatio.

Videtur ergo intentũ Pauli in eodem cap. esse ponere differentiam inter homines ante legẽ Euangelicam, quando scilicet sub lege erant Moysi, & inter homines post legem Euangelicam, similiter & inter hostias illius legis, & legis nouæ. Qui enim sub lege erant, in vmbra erant, & in ignorantia, & hostia illius legis, quæ erat animalium occisio, non proderat ad remissionem peccatorum. Et cùm quolibet anno hostiæ fierent, remissio tamen peccatorum non fiebat, sed peccatorum remissionis commemoratio. Et qui peccabant, ignorantes & lumine carentes peccabant, & illis erat vna hostia vera promissa, quæ erat passio Christi, per quam verè peccata erant remittenda, & ignorantia expellenda, legis nouæ luce superueniente. Et hæc de conditione hominum ante legem nouam. Deinde lege noua veniente, & Christo semel in cruce oblato, iam homines si peccant, voluntariè peccant & scienter, non vti priùs. Et iam post lucem Euangelicam non relinquitur hostia, quia cessauit animalium immolatio per Christi immolationẽ, & Christus non est ampliùs pro nobis immolandus. Nec confidendum nobis iam est in alia hostia ventura, quia illa vnica Christi oblatio sufficientissima fuit pro peccatis omnibus etiam futuris, si Christo pro nobis immolato, firmiter adhæreamus. Et hoc est quod verè Paulus intendit in loco præsenti. Et cùm addit: Formidabilis autem expectatio iudicij, non debet accipi, vt argumentũ prætendit, scilicet quòd post legem Euangelicam peccantibus, nil remedij relinquatur, sed sola formidabilis expectatio iudicij, quia hanc clausulã non aduersatiuè ponit, sed ostẽsiuè, docens scilicet, quàm formidanda sit sententia iudicij cõtra impios

A impios ferenda. Itaque intendit Hebræos firmos in fide Christi facere, & à cæremoniis legis amouere, proponens eis finalis iudicij terrorem. Ex quibus apertum est, quàm impertinenter multi circa præsentem locum fuerint loquuti.

AD CONFIRMATIONEM dicendũ falsum esse, quòd nulla fuerit hostia pro peccato ex malitia commisso in lege veteri instituta. Nam Leuit.6. statuta est hostia pro his qui peccauerint in contemptum Domini, si depositum negauerint, quod fidei illorum cõmissum est, similiter pro his, qui vi alienum extorserint, aut calumniam fecerint. Quæ quidem peccata constat non nisi voluntariè & scienter committi. *Ad cõfirmationem eiusdem.*

AD QVARTAM ex Ezechiele, & Ieremia citatam dicendum, quòd intelligatur de irrogatione pœnæ, quam Deus decreuit aliquibus inferre in hoc sæculo, siue sit mors, siue bellum, siue alia plaga, quibus malis Deus tempore legis populum flagellare solebat, partim vltionem de commissis sumendo, partim homines, ne offenderent deterrendo. Et ideo non mirum, si ab huiusmodi temporali pœna, homines per pœnitentiam non liberarentur, ex quo erat sententia Dei ad id determinata, ideo nec ad id orationes Sanctorum tunc proderant. Sic etiam est accipiendum, quod legitur 1. Regum 3. Iuraui domui Heli, quòd non expietur iniquitas domus eius victimis & muneribus vsq; in æternũ, quia scilicet erat Heli cum sua posteritate in perpetuum priuandus dignitate Pontificia, vt patet ex cap. 2. Ibidem. *Ad IIII.*

B AD QVINTAM ex Amos citatam dicendum, non posse intelligi, vt Hebræi putant, quòd si quis quater in aliquod peccatum cadat, non possit veniam postmodum obtinere, cùm constet ex 4. Regum, Manassem Regem, non solùm quater, sed pluries idololatrasse, & pluries homicidium perpetrasse, qui tamen veniam tandem obtinuit, vt patet ex 2. Paralip. in fine, sed procedit de irrogatione pœnæ temporalis, quam Deus tunc contra perseuerantes & pertinaces inferre decreuerat. Et sic etiam videtur Hieron. intelligendus in Prologo suprà citato. Et quod ait, quòd per hoc significatur Deum quater peccantibus, pœnitentiam non daturum, nec indulgentiam, intelligitur de pœnitentia liberante à tali pœna temporali illis parata. Et quòd ita sit, patet ex fine eiusdem Prologi, similiter & ex textu ipso, in quo exponitur pœna non remittenda scilicet ignis, & ciuitatum illarum destructio. *Ad V.*

AD ALIVD ex Augustino citatum de certa periodo, dicendum, vt verba ipsius Augustini significãt, eum de periodo vitæ fuisse loquutum, taliter quòd aliquando videns Deus hominem in peccatis perseuerare, eum de medio tollit, ex quo dato illi tempore pœnitendi, non vult pœnitere. In quo Deus illi peccatori magnam facit misericordiam, eum morte præueniens, ne si diu viueret, peccata peccatis accumularet, & sibi lõgè maiorem damnationem pararet. Quod etiam ex Genes. 15. citatum est, scilicet: Nondum sunt completæ iniquitates Amorrhæorum, ita accipiendum est, vt ea quæ suprà exposita sunt de pœna temporali, puta de expellendo illos populos de terra promissionis, quam C Deus Abrahę, & posteris suis promiserat, qua fortè priuati non fuissent, si expectati pœnitentiam egissent. Et quia tempus, per quod Deus eos ad pœnitentiam expectare decreuerat, nondum erat completum, ideo differebatur filiis Abrahæ terræ promissæ traditio. Itaque hæc omnia impertinentia sunt, ad dicendum, hominem quamdiu viuit, non posse veniam peccatorum, & gratiam per pœnitentiam consequi, vt ex dictis patet. *Ad VI.*

SED esto ita sit, posse scilicet hominem per pœnitentiam semper reparari, an de facto ita sit quòd semper quãdo hominem verè pœnitet, consequatur veniã & gratiã? Et dimissa eorum opinione, qui dicunt, non quamcumq; pœnitentiam sufficere ad gratiam, nisi valde intensa sit, aut per aliquod tempus perseuerans, cui idem Armachanus vbi suprà consentit, de qua opinione suprà quæst. 5. aliquid disseruimus, ideo præsens quæstiuncula procedit de pœnitentia quantumuis intensa, & continuata. Et arguitur pro parte negatiua, scilicet quòd non sit vniuersaliter verum, aut non sit certum hominem per pœnitentiam semper veniam consequi. *Quæstio III. An de facto peccator semper ad gratiam resurgat, si eum pœniteat?*

PRIMO ex eo, quod legitur Dan. 4. vbi Daniel dedit consiliũ Regi Nabuchodonosor vt scilicet pœnitentiam ageret, & se Deo commendaret (vt expònit Thom.) addens; peccata tua eleemosynis redime, & iniqtates tuas misericordiis pauperũ, forsitan ignoscet Deus delictis tuis. Quòd si certum esset, pœnitentiã hominis sufficere ad remissionem peccatorum, non id reuocasset Daniel in dubium, sicut reuocauit dicens, forsan. *Partis negatiua rationes. I.*

SECVN-

II. Secvndo, Actorum 8. Petrus dixit Simoni Mago: Pœnitentiam age ab hac nequitia tua, & roga Deum, si fortè remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui. Vbi videtur in dubium reuocare, an pœnitentia & oratio ad Deum pro dimissione peccatorum fusa, sufficiat semper ad obtinendum veniam.

III. Tertio facit ad idem, quod dicitur Iohelis 2. Conuertimini ad Deum vestrũ, quia benignus & misericors est. Et addit statim: Quis scit si conuertatur, & ignoscat, & relinquat post se benedictionem? Idem habetur Ionæ 3. vbi, cùm statuissent Niniuitæ pœnitentiã agere, quodq; conuerterentur ad Deum, & vnusquisq; recederet à via mala, statim addit, quod dictũ est, scilicet quis scit, si cõuertatur, & ignoscat Deus &c. Vbi hi Prophetæ videntur in dubiũ reuocare, an de facto Deus semp indulgeat ad pœnitentiã peccatoris.

IIII. Qvarto idem videtur exemplis cõprobari de Esau, de quo ait Paulus ad Hebre. 12. Non enim inuenit pœnitentiæ locum, quamuis cum lachrymis inquisiuisset eam. Et de Antiocho. 2. Machab. 9. dicitur: Orabat scelestus Dominum, à quo non erat misericordiam consequuturus. Igitur non solùm non est certum, hominẽ per pœnitentiã de facto veniam consequi, sed de quibusdam certũ est veniam per pœnitentiam non obtinuisse.

Pars affirmatiua vera est Deũ scilicet oẽs verè pœnitẽtes illicò in gratiam recipere.
Communis solutio argumentorum partis negatiuæ.

Qvibvs non obstantibus videtur standum in eo, quod suprà probatum est, scilicet Deum omnes verè pœnitentes illicò in sui gratiam admittere. Cuius fundamenta non opus est repetere, sed ad rationes nuper in oppositum factas respondere. Et dicendum breuiter omnia illa loca citata, in quibus videtur in dubium reuocari, an per pœnitentiã homo assequatur indulgentiam, esse intelligenda de indulgentia pœnæ temporalis præsentis vitæ. Nam de indulgentia culpæ & pœnæ æternæ, dubitari non potest, vt ex dictis patet. Et discrimen certum est, quia de diuinæ promissionis adimpletione, atq; de ipsius Dei fidelitate minimè dubitandum est. Ipse autem promisit, idq; frequenter in scriptura sancta, se ad gratiam admissurum omnem, quem verè pœniteret, & ad ipsum Deum vero corde cõfugeret. De pœna autem temporali amouenda, talis promissio nõ habetur, sed hãc potest liberè infligere & amouere, si velit, salua veritate legis. Hanc legitur Deus à populo suo ad preces Moysi, & aliorum Sanctorum amouisse. Aliquando etiam legitur Sanctorum orationes ad id minimè profuisse.

Ad I. Particvlariter id patet de pœna Nabuchodonosor in somno prænuntiata, quòd scilicet erat ad tempus regno suo priuandus, & cum bestiis terræ fœnum comesturus. Hanc enim pœnam illum per pœnitentiam euasurum, reuocabat Daniel in dubium, nõ
Ad II. pœnam æternam debitam pro peccato. De pœna Simonis Magi idem dicendum, quia Petrus prædixerat multa mala multasq; afflictiones illi ob suam pessimam cogitationẽ
Ad III. euenturas, has incertum erat illum per pœnitentiam euasurum. De pœna Iudæorum, ad quos loquebatur Iohel, patet quòd erat temporalis, scilicet aduentus hostium, eorumq; desolatio, aduersariorumq; in eos crudelitas, hanc eos per pœnitentiam euasuros non
Ad IIII. erat certum. Idem dicatur de Niniuitis. Ad exempla dicendum, quòd pœnitentia Esau nil illi profuit ad recuperandum primogenita, quæ fratri suo vendiderat. Et si ad remissionem culpæ nil valuit, ideo fuit, quia vera pœnitẽtia non fuit. De Antiocho etiam idem dicitur, quòd non verè illum pœnituit propter Deum, sed solùm propter pœnæ timorem, & pœnam solùm prætendebat euadere, ideo non fuit exauditus &c.

QVÆSTIO DVODECIMA.

An possit homo de vno peccato sine alio verè pœnitere.
Sensus quæstionis duplex.
Sensus quæstionis propositæ est an possit homo per pœnitentiã consequi remissionem vnius peccati, absq; aliorum remissione.
Partis affirmatiuæ Argumentum I.

Etiam qvaeri solet, an possit homo verè pœnitere de vno peccato absque hoc quòd de alio pœniteat? Quæ quæstio potest dupliciter intelligi, secundùm quòd vera pœnitentia potest accipi, vt dicat veritatem existentiæ, aut dicat veritatem effectus præsentanei, qui est remissio culpæ, de qua aliquis pœnitet. Et in hoc secundo sensu accepta quæstione, idem est ac si quæratur, an possit homo per pœnitentiam consequi remissionem vnius peccati absque remissione aliorum peccatorum. Loquor, vt hactenus, de peccatis mortalibus. Et dixerunt aliqui, vt Gratianus refert de pœnitentia, distinct. 3. quòd sic. Ad quod dicendum mouentur primò, quia aliquando Deus punit hominem in hoc sæculo pro vno peccato, & non pro aliis, ad minus ita fieri potest, sicut puniuit Ægyptios & Pharaonem, eò quòd nolebat dimittere populum Dei liberè abire, sicut etiam puniuit populum Hebræorum & Dauidem regem missa desuper

A per peste, pro peccato numerationis populi, & non pro aliis peccatis pro tunc. Et de multis aliis legitur, quòd fuerunt in hoc sæculo à Deo puniti pro quibusdam certis peccatis, etiam si non pro omnibus suis peccatis punirentur. Iam arguitur, Homines illi sic pro determinatis peccatis à Deo in hac vita puniti, consequuntur remissionem talium peccatorum, eò quòd non punientur in alio sæculo pro eisdem, iuxta dictum Naum: Deus non punit bis in idipsum. Aut secundùm aliam translationem: Non cõsurget duplex tribulatio. Et tamen constat alia peccata, in quibus homines illi perseuerant, non illis dimitti. Confirmant id authoritate Hiero. super eundem lo um, dicentis, quòd genus humanum diluuio, Sodomitas igne, Ægyptios mari, & Israëlitas in eremo perdidit. Scitote ideo temporaliter pro peccatis puniuisse, ne in æternum puniret, quia non iudicabit Deus bis in idipsum.

SECVNDO idem probant authoritate Grego. super Ezech. & habetur de pœnitẽtia, dist. 3. ca. Pluit, Vbi dicit, quòd Deus pluit aliquando super vnam ciuitatem & non super aliam, & aliquando compluit vnam & eandem ciuitatem ex parte, & ex parte eandẽ aridam relinquit, quia scilicet peccator, qui ciuitati comparatur, in quo multa habitant vitia, aliqua peccata resecat Deo mouente, peccatore in reliquis vitiis perseuerante. II.

TERTIO probant idem ex Ambros. super Octonarium 18. qui de peccatoribus loquens ait, quòd duplicem habent consolationem. Prima est, quia non obliuiscitur misereri Deus, & quia etiam si desit fides, pœna tamen releuat, & satisfacit. Si igitur pœna satis facit in his hominibus in quibus fides non est, sequitur, quòd manente infidelitate, ipse infidelis consequitur remissionem aliorum peccatorum. III.

B (margin letter beside "mise-reri Deus")

QVARTO facit ratio, quia demus peccatorem non omnia peccata quæ fecit cõfiteri sacerdoti, sed aliqua, aut si omnia confiteatur, nõ tamen ab omnibus absoluatur, cùm aliqua sint superiori reseruata, iam Deus remittit illi peccata, quæ sacerdos remittit, alia verò, quæ sacerdos nõ remittit, nec Deus remittit, iuxta id quod Christus dixit: Quorum remiseritis peccata, remittentur eis, & quorum non remiseritis, non etiam remittentur eis in cœlis. Confirmãt. Si tali peccatori sacerdos pœnitentiã imponat pro cõfessis condignã, & peccator illam compleat, quærunt an illa pœnitentia sit satisfactoria, an non? Si primũ, igitur illa peccata, pro quibus imposita fuit, erunt remissa sine aliis. Si secundum, igitur veniret imponenda iterũ pœnitentia pro eisdem peccatis, quod reputant durum. IIII. *Confirmatio eiusdem.*

QVINTO, doleat homo de vno peccato ex toto corde, nõ tamen de alio, iam illud, de quo dolet, tollitur iuxta regulam Chrysost. res, per quas causas nascitur, per easdem dissoluitur, & tamen aliud, de quo non dolet, non tollitur, vt suppono. V.

Conclusio Authoris. AD QVAM quæstionem communiter respondetur, quòd de potentia Dei absoluta potest peccatorem verè & fructuosè de vno peccato pœnitere, & non de aliis ad sensum nuper tactum, non tamen de potentia Dei ordinata. Prima pars probatur, quia Deo possibile est quicquid contradictionem nõ implicat, prout communiter accipitur, quod dicit Angelus ad Mariam: Non est impossibile apud Deum omne verbum. Vnum aũt peccatum remitti sine aliis, nullam videtur repugnantiam implicare, quod inde patet, quia de pluribus offensis, & iniuriis alicui homini illatis, potest ipse offensus vnã sine aliis remittere, igitur id poterit Deus à fortiori, cùm longè pronior sit ad miserendum, quàm homo. Secundò id cõfirmant, quia de potentia Dei absoluta potest Deus remittere peccata sine charitate infusa, igitur & vnum sine illo potest remittere, quia, vt dicunt, ratiò quare de potentia ordinata vnum mortale remitti non potest sine aliis, est, quia nullum mortale remittitur sine charitate, quæ omnibus mortalibus peccatis æquè repugnat. Si igitur sine charitate potest de potentia absoluta peccatum remitti, iam nil obstabit, quò minùs possit vnum peccatum sine alio dimitti. Secunda pars, quòd id de potẽtia Dei ordinata fieri non possit, probatur, tum ob rationem modò tactam, quia remissio peccati mortalis non fit de lege sine charitate infusa, quæ omnibus æquè repugnat, tum ex probationibus, quibus Augustinus hoc ipsum probat, lib. de pœnitentia. Primò, quia Christus, quem sanat, perfectè sanat, vt patet inductiuè de eo, qui habebat septem dæmonia, quem cùm curaret, non vnum sine alio expulit, sed omnia. Similiter de eo, qui habebat legionem angelorũ malorum, à quo similiter omnes eiecit, & ita de aliis. Tum secundò, quia Deus nulli remittit peccatum mortale sine amore ipsius, amorẽ autem suum nulli communicat, quamdiu est inimicus, igitur necesse est, si vnum remittit, omnia simul remittat, quia, vt ait: Impium est à Deo iusto dimidiam sperare veniam.

De potẽtia Dei absoluta vera est pars affirmatiua. De ordinata verò negatiua. Probatur I. pars. I. II. *II. Pars probatur.* I. II. III.

C (margin letter beside "dicit Angelus ad Mariam")

IN

Obiectio contra I. partem dictæ conclusionis.

IN HIS tamen esset difficultas. Primò, quia videtur, quòd non habeat locum diuisio illa communis de potentia Dei absoluta, & ordinata, quia repugnantia videtur dicere, quòd Deus possit facere aliquid de potentia absoluta, quod non agat de ordinata. Quia illud dicitur agere de potentia ordinata, quod ipse ab æterno ordinauit facere, igitur si ponatur in esse, quòd aliquid agat de potētia absoluta, necesse est dicere, illud agere de ordinata, cùm nil agere possit, quin illud ordinauerit ab æterno facere. Si dicas illud solùm dici, Deum agere de potentia ordinata, quod secundùm legem suam per eum reuelatam agit, seu quod in lege sua reuelauit se facturum, contra: quia præsupposita reuelatione, aut promissione, qua in lege dixit, aut promisit, se aliquid facturum, repugnat, quòd de potentia absoluta oppositum faciat. Tum quia oppositum agendo mentiretur, cùm tamen id sit impossibile, vt ait Paulus ad Hebræos 6. Tum quia oppositum agendo esset infidelis, cùm tamen iterum dicat Paulus, Deum fidelem esse, qui seipsum negare non possit. Ideo Ioannes 22. & alij dixerunt præfatā diuisionem suprà positam nullam esse. Ad hæc dicendum, standum esse in diuisione posita, & eam bene positam esse. Quia illa dicitur Deus posse de potentia ordinata, quæ fieri possunt ab eo, salua veritate legis ab ipso reuelatæ. Illa verò dicitur posse de potentia absoluta, quæ facere potest, non tamen salua tota lege per eum reuelata. Exempla sunt clara. Potuit Deus simpliciter facere, quòd nullus homo moreretur corporaliter, omnē immediatè ad cœlum transferendo, sed esset contra legem, quia scriptum est, quis est homo, qui non videat mortem? Et vt ait Paulus: Statutum est omnem hominem semel mori. Potuit simpliciter pro sua voluntate, omnes paruulos à peccato originali, sicut Virginem præseruare, nō tamen stante lege, in qua scriptum est: Nemo mundus est coram illo, etiamsi sit infans vnius diei. Potuit simpliciter, si vellet, genus humanum redimere, absq; hoc quòd filius Dei carnem mortalem assumeret, sed non salua lege, in qua frequenter scriptum est: Messiam Deum & hominem ad redimendum venturum. Ita igitur, in proposito potuit Deus simpliciter vnum peccatum mortale sine alio dimittere, non tamen stante legis veritate. Nam scriptum est per Isaiam: Ad quem aspiciam, nisi ad pauperculum contritum corde trementem sermones meos? Ex quo colligitur, Deum nemini peccata remittere, nisi contritus sit, qualis non est, qui in aliquo peccato vult perseuerare, etiamsi de alio illum pœniteat. Et Psal. 65. Iniquitatem si aspexi in corde meo, non exaudiet Dominus. Ergo decreuit Deus non remittere vnum peccatum, durante in homine alia iniquitate. Et iterum dicit Dominus per Ezechielem: Si recesserit impius ab omnibus iniquitatibus suis, & fecerit omnia pcepta mea, vita viuet, alioqui in peccatis suis morietur. Et ita patet intentū.

Quanam dicatur Deus posse de potentia ordinaria: qua item de absoluta.

Psal. 88.

Iob 25.

Isaia 56.

Ezech. 33.

Respōdetur ad obiectionē prædictam.

IAM QVANDO arguitur, quòd Deus contra legem nil potest de potentia absoluta, quia alioqui mentiretur, & infidelis esset. Respondetur: Nec hoc, nec illud sequitur, si attendamus scientiam Dei de futuris eiusq; decretum, nullam rebus futuris necessitatem absolutam imponere, quicquid sit de necessitate consequentiæ, seu ex suppositione. Vnde stat, quòd Deus decreuerit aliquid agere, & tamen potest oppositum agere, sicut stat, quòd homo currat cum possibilitate, seu potestate non currendi. Sed posito in esse illo possibili, necesse est eius oppositum deponi. Quod, quia Artistis notū est, ideo non insisto. Sed iterum obiicitur, quòd Deus non possit etiam de potentia absoluta, vnū mortale sine alio dimittere, quia si vnum mortale dimittere posset sine alio, igitur originale peccatum posset dimittere sine mortali, cùm lōgè leuius sit originale, quàm actuale mortale, consequens videtur repugnare, vt patet per rationem Innocentij, cap. Maiores. de baptismo, & eius effectu. Si enim originale dimittitur, igitur ordinat hominem ad gloriam, si autem mortale non dimittit, ordinat eundem ad gehennam, quod est cōtradictio. Nec valet dicere quòd non est simile de originali, & mortali, quia originalis peccati pœna est carentia diuinæ visionis; actualis autem peccati pœna est cruciatus æternus, ideo originale non potest dimitti, manente mortali. Non, inquam, valet, quia nō minùs debetur pro mortali peccato pœna damni, quæ est carentia diuinę visionis, quàm pro originali, cùm pœna sensus mortali debita, pœnam damni includat. Igitur si originale non potest sine mortali remitti, sequitur, quòd nec vnum mortale sine alio. Respōdetur, illam rationem Innocentij procedere potiùs de ordinata potentia, quàm de absoluta, & illo modo concedo, quòd sicut originale sine mortali dimitti non potest, ita nec vnum mortale sine alio. Quòd autem de ordinata potentia procedat, patet, quia de absoluta non implicat, aliquē ab originali liberari per visionem Dei, manēte cruciatu, & pœna

Alia obiectio contra eadem.

Solutio eiusdē. De potētia Dei ordinata sicut nō potest originale peccatū dimitti absq; mor

A pœna ſenſus æterna, quia etſi naturaliter repugnent viſio clara Dei, & pœna ſenſus, non
tamen ſupernaturaliter. Quod manifeſtum eſt in Chriſto, cùm eſſet in via tempore paſ-
ſionis, qui ſimul Deum clarè videbat, & vehementem dolorem, & triſtitiam ſimul ſen-
tiebat, quod etſi ad tempus tantùm durauit, nihil tamen repugnat potentiæ Dei, poſſe
in homine in perpetuum durare. Sed nunquid de potentia abſoluta poſſet originale di- *De potẽtiã Dei*
mitti ſine hoc, quòd homo vnquam Deum clarè videat? Reſpondetur quòd ſic, non ob- *abſoluta poſſet*
ſtante quòd pœna originalis culpæ ſit carentia diuinæ viſionis, nec ad dimiſsionem pec- *originale pecca*
cati neceſſe eſt pœnam ſimpliciter tolli, ſatis eſt ipſum peccatum non ampliùs ad pœ- *tũ remitti abſq;*
nam imputari, & ita quamdiu carentia viſionis Dei habet rationem pœnæ pro originali *eo, quòd vnqua homo Deũ cla-*
peccato, manere dicitur ipſum peccatũ. Si autem maneat carentia diuinæ viſionis, non *rè videat.*
tamen in pœnam peccati, iam non manet peccatum, nec dicitur ampliùs imputari. Cu- *Ratio.*
ius exemplum clarum eſt ſecundùm Auguſtinum; Mors corporalis pœna eſt peccati ge-
neris humani, & ante baptiſma habet rationem pœnæ, poſt baptiſma verò etſi maneat
mors, non tamen iam habet rationem pœnæ pro originali peccato, quod plenè fuit per
baptiſmum condonatum.

Corollarie ſequitur ad hoc quòd vnum mortale ſine alio poſsit de potẽtia ab- *Corollarium.*
ſoluta dimitti, impertinens eſſe dicere, quòd mortale poſsit; ſine charitate infuſa remit-
ti. Ratio eſt clara, quia quamuis charitas æquè repugnet omnibus peccatis mortalibus,
B ideo vno per charitatem remiſſo neceſſe eſt omnia ſimul remitti, hanc tamen repugnã-
tiam, quam charitas habet ad omnia mortalia, nõ ex natura habet, ſed ex Dei ordinatio-
ne. Id patet, tum quia dabilis eſt omiſsio pura, quæ ſit peccatũ mortale, & tamen omiſsio
pura alicuius actus nullam ex natura habet repugnantiam cum habitu charitatis. Tum
etiam quia aliquis eſt actus peccati mortalis, qui non eſt ex natura ſua malus, ſed ſolùm
quia prohibitus, & contingenter prohibitus, & talis, ſi non prohiberetur, charitati infuſę
nõ repugnaret. Igitur eſto prohibeatur, non ex natura ſua repugnat charitati, cùm pro- *Soluuntur rões*
hibitio illa non variet naturam, & eſſentiam actus, quamuis variet eius qualitatem. *initio quæſtiõis*

Iam respondendvm eſt ad rationes ſuprà pro priori ſententia factas. Ad pri- *propoſitæ, pro*
mam ſumptam de malis, quæ nonnulli in hoc ſæculo pro certis peccatis patiuntur, fal- *parte affirma-tiua.*
luntur qui inde putant ſuam ſententiam ſufficienter probari. Quod patet, ſi attendamus *Ad I.*
multiplices cauſas, ob quas ſolet Deus mala hominibus infligere. Dat enim Deus homi- *Variæ cauſæ, ob*
ni in hac vita afflictionem ne cadat, ſicut Paulo fuit datus ſtimulus Sathanæ colaphizans *quas Deus ho-*
illum, ne ſcilicet magnitudo reuelationum illum extolleret: Dat etiam mala aliquibus, *minibus mala infligit.* I.
vt lapſi à peccato reſurgant: Deus enim quos diligit, corrigit, & caſtigat, vt à via iniqui- *1. Corinth. 12.*
tatis reuertantur, ſicut ait Paulus, quòd multis dat Deus infirmitates, & morbos, quia II. *Prouerbior. 3.*
indignè corpus Domini manducant, ſic puniuit Dauid, & multos alios, vt ſcilicet reſur- *1. Corinth. 11.*
gerent. Dat inſuper aliquibus mala, vt eos tentet, quemadmodum Deo permittẽte, Iob III.
multa mala paſſus fuit, vt probaretur. Dat deinde quibuſdam mala in hoc ſæculo, vt in IIII.
C illis Dei gloria manifeſta fiat, quemadmodum fecit, vt homo quidam cæcus naſceretur,
vt opera Dei in illo manifeſtarentur, ſicut manifeſta fuerũt, quando cæcum à natiuitate
Chriſtus ſanauit. Dat præterea quibuſdam mala, vt eos pro ſuis peccatis hìc puniat, ne in V.
alio ſæculo eos æternaliter cruciet, quales ſunt hi, quos pro ſua miſericordia punit, ſciens *Ioan. 9.*
quòd inter ipſa flagella reſipiſcent, & conuertentur. Quoſdam deniq; hìc punit, ſuam VI.
volẽs iuſtitiam in illos exercere, & vindictam in hoc ſæculo inchoare, quos ſcilicet indu-
ratos videt, hos hìc punit ad tempus, poſtmodũ æternaliter puniturus. Exemplo eſt An-
tiochus Rex, & Herodes, & alij, quos diuina ſeueritas grauibus afflixit morbis, & demum
in infernum proiecit. Si igitur Deus ob tam varias cauſas, & fines ſolet homines in hoc
mundo cruciare, quomodo poteſt inde quis argumentum certum ſumere ad dicen-
dum, quòd per pœnam in hoc ſæculo inflictam remittantur aliqua peccata, aut vnum
peccatum ſine alio? Quod autem dictum eſt per Nahum, quòd Deus non punit bis in id-
ipſum, intelligitur de his, qui cùm in hoc ſæculo flagellantur, inter ipſa flagella reſipi-
ſcunt, & illos pœnitet, & verè ad Deum conuertuntur. Et ſic Hieronymus eſt intelligen-
dus in eo, quod in confirmatione allegatum eſt, vt ipſemet exponit, & habetur de pœni-
tentia, diſtinct. 3. cap. Quærat hìc.

Ad Secvndvm ex Gregorio ſumptum, dicendũ cum Magiſtro, quòd non ad cri- *Ad II.*
minis remiſsionem, ſed ad peccati deſertionẽ referendum eſt. Aliud eñ eſt, vnum pec-
catum ſine alio remitti, aliud verò, vnum peccatum ſine alio deſerere. Deſerit homo

vnum peccatum sine alio, quando cessat vsus vnius, non alterius. Et hoc est Deum super eandem ciuitatem ex parte compluere, & ex parte eandem aridam relinquere, quod est hominem sua gratia mouere, vt à certo peccato abstineat, etiam si illum in alterius peccati vsu relinquat, quod tamen fit sine remissione peccati, vt satis de se constat.

Ad III. AD TERTIVM ex Ambrosio allegatum, respondetur falli sic arguentes, cùm putent, Ambrosium illic loqui de fide, qua credimus, cùm loquatur de fide, idest, de conscientia nostra, pro qua aliquando fidem accipi constat ex eo, quod ait Paulus: *Ad Roman. 14.* Omne, quod non est ex fide, peccatum est. Vbi fides pro conscientia accipitur, & intendit Ambrosius, quòd prima consolatio, quam habet peccator, vt veniam speret, est quòd Deus misericors sit, & pœnitentibus condonet. Secunda conclusio est, quòd etiamsi aliqua peccata habeamus, de quibus conscientiam non habemus, quia à memoria exciderunt, illa tolluntur per pœnas, & mala, quæ hîc patienter toleramus. Et posse *1. Corinth. 4.* id nobis accidere, clarè docet Paulus, dicens: Nil mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum. Valet itaque pœna, quam Deus homini oblito infligit, vt pro peccatis oblitis satisfaciat, si eam patienter toleret, quod intelligo, supposito, quòd oblita fuerint quo ad culpam remissa.

Ad IIII. AD QVARTVM de absolutione sacerdotali dicendum, quòd si illum hominem verè pœnituit, & integrè, vt debet, omnia peccata mortalia confessus est, iam sunt illi quo ad culpam remissa, si autem non, vt debuit, cõtritus est, aut confessus, nullum peccatum illi dimissum est, nec à Deo, nec à sacerdote.

QVOD AVTEM de casibus reseruatis additur, aliam quæstionem tangit, de qua in tractatu de confessione. Pro nunc attamen communem sententiam sequendo dicendum, quòd sacerdos absoluit illum ab his, à quibus absoluere potest, id est, à non reseruatis, & ab eisdem absoluit similiter Deus, sed non solùm, verumetiam à reseruatis, idque virtute contritionis præhabitæ. Et quamuis non sit absolutus à sacerdote à reseruatis actu, bene tamen in voto, nam eo ipso quòd contritus fuit, vt debuit, proposuit confiteri, & absolutionem sacerdotalem obtinere.

Ad cõfirmationem eiusdem. AD CONFIRMATIONEM de pœnitentia imposita, an sit satisfactoria, dicendum quòd si peccator ille contritus est, & confessus, vt debuit, pœnitentia illi iniuncta, & per eum adimpleta, satisfactoria erit. Nec inconuenit, quòd sit satisfactoria pro vno peccato & non pro alio, quia per huiusmodi satisfactionem non dimittitur peccatum quo ad culpam, sed quo ad pœnam temporalem, in quam fuerat in casu æterna commutata, & hoc modo nil inconuenit, vnum sine alio dimitti. Si autem non fuit contritus, aut confessus, vt debuit, peccata non sunt remissa quo ad culpam, & per consequens pœnitentia illi iniuncta, & per eum completa, non erit ei satisfactoria pro huiusmodi peccatis non dimissis, vt constat. Et tunc si verè vult satisfacere, necesse est verè illũ pœniteat, & aliam pœnitentiam, vel iniunctam, vel voluntariè assumptam adimpleat.

Ad V. AD QVINTVM dicendum, quòd ipsum petit aliam quæstionem sequentem, & dicendum, vt postea dicetur.

An verè possit homo agere pœnitentiã de vno pctõ, & non de aliis, id est, detestando vnũ propter Deũ, absq; aliis &c.

OCCVRRIT igitur secundò quærendum, quod suprà fuit propositum in altero sensu, an scilicet possit homo verè pœnitentiam agere de vno peccato, & non de aliis, loquẽdo de pœnitentia vera veritate existentię, qualis est detestatio, qua quis peccatum detestatur propter Deum summè dilectum. Et dixerunt aliqui Doctores, quòd non possit quis de vno pœnitentiam agere, quin de omnibus occurrentibus memoriæ illum pœniteat. Pro quibus facit, quod dicit Innocentius secundus, & habetur de pœnitentia distinct. 5. cap. Fratres nostros. Ait enim, falsam autẽ pœnitentiam esse constat, cùm spretis pluribus, de vno solo pœnitentia agitur, vel cùm sic agitur de vno, quòd non discedatur ab alio. Facit etiam Augustinus & habetur de pœnitentia, distinct. 3. cap. Sunt plures. Vbi citatis exemplis concludit, oportere hominem simul de omnibus criminibus pœnitere, & non de vno tantùm, si vera debeat esse pœnitentia.

Partis negatiuæ rationes.

I.

II. FACIT SECVNDO ratio, quia si quis verè dolet de vno, opus est doleat de illo, quia offensiuũ Dei est, & per consequens necesse est de omnibus doleat, ex quo in omnibus est eadem ratio dolendi, ac pœnitendi.

III. FACIT TERTIO, quia si quis verè de vno peccato pœnitentiam agit, ergo propter Deum summè dilectum obedientialiter dolet, & si Deum verè obedientialiter diligit, proponit ergo omnia Dei mandata custodire, & cùm in Dei mandatis cõtineatur de omni-

A omnibus commiſsis pœnitere, vult igitur de omnibus pœnitere, & ſi id efficaciter vult, igitur actu de omnibus pœnitet, & ita à primo ad vltimum ſi de vno verè propter Deum illum pœnitet, neceſſe eſt de omnibus ſimul pœniteat.

RESPONSIO. His non obſtantibus videtur oppoſitum tenendum, ſcilicet, quòd poteſt verè homo dolere de vno peccato à ſe commiſſo propter Deum abſque hoc, quòd formaliter doleat de aliis, etiamſi memoriæ occurrant, idque non ſolùm verè quo ad exiſtentiam pœnitentiæ, ſed etiam fructuosè, & meritoriè. Probatur, quia poteſt quis diligere Deum verè, & meritoriè, etiamſi de peccatis memoriæ occurrentibus actu illum non pœniteat. Patet hoc, ſi diligat quis Deum tempore, pro quo non tenetur formaliter pœnitentiam agere, nam cùm dolere de peccatis ſit de præcepto affirmatiuo, quod non pro ſemper obligat, dabile igitur eſt tempus, pro quo non currat obligatio talis præcepti, igitur illo tempore poterit verè, & meritoriè Deum diligere, non dolendo actu de peccatis occurrentibus. Quo dato, poterit de vno dolere non dolendo de alio formaliter, ex quo dolor de vno non eſt connexus dolori de altero ex natura rei, nec ex vi præcepti, quod pro tunc non obligat, & ita intentum. Si dicas, quòd ipſa dilectio neceſsitabit hominem, vt de omnibus occurrentibus doleat: contrà, quia vel eſt dilectio Dei ſimplex, qua ſcilicet quis vult Deo bene eſſe, vel eſt obediētialis. Si primum, illa dilectio non neceſsitat voluntatem ad volendum ſeruare mandata Dei, ſicut nec di-
B lectio, qua filius diligit patrem ſuum, compellit illum ad ſeruandum eius mandata, vt cõſtat, igitur illa Dei ſimplex dilectio non neceſsitat diligentem ad ſeruandum Dei mandata, & ita nec ad dolendum de commiſsis. Si verò ſit obedientialis dilectio, non etiam neceſsitat peccatorem ad deteſtandum peccata, niſi pro illo tempore, quo ipſa deteſtatio cadit ſub obligatione, non pro alio tempore, quo de conſilio eſt, & non de præcepto, quale eſt tempus, de quo caſus poſitus eſt. Dilectio enim Dei nõ neceſsitat ad actus conſilij, etiamſi obedientialis ſit, vt conſtat.

Concluſio pro parte affirmatiua.

Probatur.

Occurritur obiectioni.

SEQVITVR iam intentum, quòd ſtat, hominem verè, & fructuosè de vno peccato dolere abſque hoc, quòd de aliis doleat. Patet in eodem caſu, & tempore, quia ſi cùm de vno illum pœnitet, neceſsitatur de cæteris dolere, vel igitur hæc neceſsitas oritur ex dilectione Dei, aut ex præcepto, & hoc non, quia loquor pro tempore, pro quo non cadit ſub obedientia aut præcepto ipſe dolor. Aut oritur ex dolore de vno peccato, & hoc non, quia dolor de vno non eſt ex natura annexus dolori de altero, ſicut complacentia vnius non eſt neceſſariò annexa complacentiæ alterius, vt ſatis de ſe conſtat, igitur.

NVNC AD rationes ſuprà factas. Ad primam ex Innocentio ſumptam dicendum quòd falſa eſt pœnitentia, & non vera, id eſt, non fructuoſa, qua quis ita de vno peccato pœnitentiam agit, vt non de aliis formaliter, nec virtualiter, nec actu, nec mentis propoſito, quales ſunt, qui de vno peccato dolent, de cæteris autem nec dolent, nec vnquam dolere, nec ab ipſis recedere intendunt. Non ſic in caſu noſtro, in quo, cùm ho-
C mo verè Deum obedientialiter diligat, ſi non actu, ſaltem voto virtualiter intendit ſuo tempore de ſingulis dolere, quando ſcilicet præcepti neceſsitas poſtulauerit. Sicut enim alia præcepta affirmatiua ſua habent determinata tempora, ita & præceptum de conterendo, vt ſuprà diximus. Eodem modo intelligatur dictum Auguſtini ibidem citatum, & alia ſimilia.

Reſpõdetur ad rationes partis negatiuæ.

Ad I.

AD SECVNDVM, in quo Doctores communiter faciunt vim, dicēdum, quòd aliud eſt dolere de aliquo particulari peccato, quia offenſiuum fuit Dei, aliud verò dolere de illo, quatenus offenſiuum fuit Dei. In primo dicto notatur cauſa dolendi, ſine qua non. In ſecundo verò ponitur reduplicatio, ratione cuius notatur, quòd dolor ille de omni offenſa, ſaltem in genere habeatur. Et primum dictum verificari poteſt abſq; hoc, quòd homo ille doleat de cæteris peccatis in particulari, nec in generali. Secundum verò dictum verificari non poteſt, niſi homo ille de cæteris doleat ſaltem in generali. Et cùm hoc ſecundum notum ſit, accipiendo ſignum illud reduplicatiuè, probatur tamen primum dictum, nam hæc verificatur, ſcilicet, video Petrum, quia mihi præſens eſt, abſque hoc, quòd reliqua præſentia videam in particulari, nec in generali, vbi, ly, quia, cauſam ſine qua non, importat. Similiter hæc, lego domum meam Petro, quia filius meus eſt, quam illi alioqui non legarem, & tamen nõn inde lego domum hanc cæteris filiis meis, nec in particulari, nec in generali. Ita igitur ſtat, quòd occurrentibus peccatis contra Deum commiſsis, doleam de vno, quia offenſiuum fuit Dei, de quo minimè dolerem,

Ad II.

Aliud eſt dolere de aliquo peccato, quia offenſiuũ Dei fuit: aliud dolere de illo quatenus fuit offenſiuũ Dei.

nisi offensiuum Dei fuisset, & tamen quòd de cæteris commissis non doleam, nec in genere, nec in specie. Vnde iterum fit, quòd stant hæc duo, volo hoc, quia recta ratio dictat: & tamen non volo omne, quod recta ratio dictat, nec in genere, nec in specie, quæ omnia clara sunt, accipiendo, ly, quia, solùm causaliter. D

Corollarium. Corollariè sequitur, quòd quamuis sit eadem causa dolendi de aliis commissis, quæ est de hoc, de quo particulariter doleo, scilicet, quia omnia fuerunt Dei offensiua, non inde sequitur, quòd sicut doleo de hoc, ita & de cæteris doleam, quia maxima hæc, scilicet, vbi est eadem causa, est idem effectus, aut similis, procedit de causa totali, & præcisa.

Vbi est eadem causa, est idem aut similis effectus: quomodo sit intelligendũ. In præsenti autem causa sine qua non, detestandi commissum, hæc est, illud fuisse Dei offensiuum, non tamen est hæc totalis, & præcisa causa, cùm potior causa sit voluntatis libertas. Exemplum est clarum, si cupio offendere aliquem, non generaliter, & quomodocunque, sed aliqualiter. Stat etiam quòd velim facere hoc opus, quia offensiuum est illius, & cum hoc quòd nolim facere illud aliud opus, quod similiter sit offensiuum eiusdem. Itaq; vltra motiuum, quo mouetur voluntas, aliquid, & multum confert voluntatis libertas, vt vnum faciat, & non reliquum, esto quòd in vtroque eadem causa reperiatur, & per hæc patet ad secundum.

Ad III. AD TERTIVM responsio patet ex dictis, quòd quamuis ex dilectione obedientiali Dei, sequatur propositum seruandi omnia Dei mandata, & ex consequenti de omnibus peccatis particulariter pœnitendi, non inde sequitur, quòd actu de omnibus illum pœniteat. E Satis saluatur vera dilectio obedientialis, & verum propositum in omnibus obediendi, si proponat homo singula præcepta suo tempore custodire, & ex consequenti si proponat de singulis peccatis suo tempore pœnitere, absque hoc quòd actu de illis illum pœniteat, & ita patet ad quæstionem in vtroque sensu suprà proposito.

Limitatio quædam dictæ quæstionis in alio sensu. Si tamen quis velit dicere, quòd non dicatur vera pœnitentia de vno peccato, nisi homo de illo doleat, quatenus est offensiuum Dei, accipiendo signum reduplicatiuè, tunc certum est non posse quenquam de vno pœnitere, quin de omnibus doleat, saltem in generali, vt ex dictis patet.

An facultas verè pœnitẽdi duret vsq; ad extremũ vitæ articulum. POSSET finaliter quæri, an facultas verè, & fructuosè pœnitendi duret vsque ad extremum vitæ, ita scilicet, vt qui semper vsque ad illum articulum in vitiis vixit, possit illum in eodem verè pœnitere. Ad quam quæstionem videtur dicendum, quòd,

Cõclusio prima affirmatiua, probatur I. vt ex dictis patet, quamdiu homo est in via, habens iudicij discretionem, potest verè illum pœnitere, & fructuosè, etiamsi in extremo vitæ articulo sit cõstitutus. Exemplum est de latrone, quẽ in fine vitæ pœnituit, qui & à Christo audire meruit: Hodie mecum eris in paradiso.

II. Idem patet ex eo quod in Psal. 140. sentẽtialiter: Pœnitentia, quæ in fine vitæ agitur, appellatur sacrificium vespertinum, quod erat in lege acceptabilius, vt ait Magister in 4. distin. 20.

III. Idem iterum patet ex Ezechiele &c. Quacunq; hora ingemuerit peccator,

IIII. hoc est, quocunq; tempore vitæ suæ. Idem patet ex decreto Leonis Papæ, de pœnitentia distinct. 7. Nemo est desperandus, dum in hoc corpore constitutus est, quia non- F

V. nunquam, quod diffidentia ætatis differtur, consilio maturiore perficitur. Idem etiam patet, quia si in extremo vitæ non esset peccatoribus spes, seu facultas fructuosè pœnitẽdi, otiosè videretur Iacobus monere presbyteros accersiri, & orare pro peccatis ægrotantium, & vngere oleo valetudinarios.

Conclusio II. *Periculosũ est, differre pœnitẽtiam vsq; ad finem vitæ. Probatur* I. DICO SECVNDO, periculosum esse pœnitentiam differre vsq; ad finem vitæ. Id patet ex Ambrosio in oratione exhortatoria de pœnitentia agenda, ait enim: Qui positus in vltima necessitate ægritudinis suę acceperit pœnitentiã, & mox reconciliatus fuerit, & exit de corpore, fateor vobis, non illi negamus, quod petit, sed non præsumo dicere, bene hinc exit. Et post: Agens pœnitentiam ad vltimum, an securus hinc exeat, ego non sum securus, pœnitentiam dare possum, securitatem non possum.

II. Augustinus etiam dicit se legisse, & relegisse scripturam, nec inuenisse, quem ritè pœnituerit agentem animam præter latronem. Vnde multùm dissuadet hominibus pœnitentiam differre ad extremum vitæ, vt patet de pœnitentia distinct. 7. cap. Nullus expectet. Vnde Scotus colligit quatuor rationes ad probandum hoc secundum dictum.

III. PRIMA, quia vt plurimùm impeditur perfectus vsus rationis his, qui extremo periculo laborant, siue ob morbum, siue ob tempestatem, aut aliud huiusmodi, eò quòd tunc vel est magnus dolor in parte sensitiua, vel est magnus timor, & vtraq; passio cùm vehemens est, solet rationem perturbare.

SECVN-

A SECVNDA, quia vix poteſt homo in illo articulo habere pœnitẽtiam bene circumſtantionatam, prout requiritur, ſcilicet, propter Deum ſummè dilectum, quia qui vſq; tunc Deum non verè dilexit, non eſt veriſimile, quòd tunc mouebitur ad pœnitendum ex amore, ſed ex timore gehennæ: Præſumitur enim, quòd ſi remotus eſſet à pœna illa, & ab articulo illo, non pœniteret illum, ſicut nec priùs. Ait autem Auguſtinus: Oportet pœnitentem non ſolùm timere iudicem, ſed diligere, nemo enim ſine charitate Deo placere poteſt. IIII.

TERTIA, quia habitus vitioſi vſq; tunc permanentes multùm retrahunt peccatorem à pœnitentia vera, cùm difficilimum ſit, aſſueta relinquere. V.

QVARTA, quia cùm tali peccatori non relinquatur tempus, vt debitè illum pœniteat, & ſatisfaciat, neceſſe eſt, ſi vult hîc iuſtificari, & ſatisfacere, defectum extenſionis pœnitentiæ ſuppleat per intenſionem, & conatum, hoc autem fieri vix poteſt, cùm pro tunc omnes vires etiam rationales vt in plurimùm debilitentur. VI.

Corollarium.

Differẽs ex propoſito pœnitentiam vſq; ad finem vitæ, peccat.

COROLLARIE ſequitur, quòd qui ex propoſito differt pœnitentiam agere vſque ad extremum vitæ, peccat de nouo, quia exponit ſe periculo decedẽdi ſine debita & vera pœnitentia, modò autem qui amat periculum, peribit in illo.

Obiectio contra primam cõcluſionem.

SED CONTRA primum dictum obiiciet aliquis, quòd peccatorẽ pœnitentiam differentem non poſsit in illo puncto, in quo vita finitur, verè pœnitere, tum ex eo, quod
B ait Auguſtinus in ſermone Innocentium: Hac animaduerſione percutitur peccator, vt moriens obliuiſcatur ſui, qui dum viueret, oblitus eſt Dei. Tum etiã ex eo, quod ait Hieronymus in epiſtola Euſebij ad Damaſum, vbi poſt multa alia dicens: Certè verè concludam: Qui dum ſanus eſt & iuuenis, Deum offendere non formidat, in morte non merebitur diuinam obtinere indulgentiam. Vnde dixerunt aliqui, quòd in inſtanti mortis nõ poſsit homo mereri, nec demereri, quia ſi vſq; tunc manſit in merito, & charitate, per hoc meruit, vt in illo inſtanti fieret impeccabilis, vt dicunt, & ſi vſque tunc manſit in peccato, per hoc meruit, vt in illo inſtanti fructuosè illum pœnitere non poſsit, quia vt dicunt, illud inſtans non attribuitur viæ, ſed ſtatui alterius ſæculi extra viam, vbi nec locus merendi eſt, nec demerendi.

Reſpondetur eidem.

RESPONDETVR quòd Auguſtinus & Hieronymus non ita punctualiter de tempore mortis loquuti ſunt, vt de inſtanti, & momento poſtremo vitæ loquantur, ſed loquuntur de tempore, quo in morbo exiſtentes, ad mortem tendunt ipſi peccatores, & ſignificant, non quòd illo tempore mortis pœnitere illos non poſsit, ſed quòd de facto, multos non pœnitet, nec gratiam Dei conuerſiuam habent, id ſuis præcedentibus demeritis exigentibus, propter quæ Deus illis gratiam conuerſiuam ſuperabundantem nõ impartitur, ſed nec fauorem neceſſarium, vt illos pœniteat, eiſdem negat, vt ſuprà deduximus. Loquendo autem punctualiter de inſtanti, in quo vita finitur, an poſsit tunc de nouo pœnitentiam agere, aut demereri, videtur diſtinguendum, quale ſit illud inſtans,
C an ſcilicet ſit vltimum eſſe hominis, aut primum non eſſe. Et quidem ſi ſit primum non eſſe, vt multi opinantur, fateor illud inſtans, non ad viam pertinere, & per conſequens in illo non poſſe hominem mereri, aut demereri, cùm in illo iam ſit anima à corpore ſeparata, & ita non eſt tunc homo. Si verò vita hominis finiatur per vltimum ſui eſſe, tunc contrarium arbitror eſſe verum, ſcilicet, quòd ſi in illo inſtanti homo habeat perfectum iudicium diſcretionis (quod tamen dubito) quòd tunc poteſt de nouo mereri, & demereri, qualiſcunq; ante illud inſtans fuerit, cùm in illo inſtanti adhuc ſit homo viuus, & ita in via. Verùm qui dicunt eſſe neceſſariam pœnitentiæ continuationem per tempus, vt ad gratiam valeat, habent conſequenter dicere, quòd in illo inſtanti non poteſt homo fructuosè primò pœnitẽtiam agere, etiamſi homo vitam finiat per vltimum ſui eſſe. Sed hoc ſine inconuenienti dicere non poſſunt, tum quia ſequeretur, hominem decedere in dolore & pœnitentia de peccatis propter Deum ſummè dilectum, & perire. Tum etiam quia ſi homo in illo inſtanti malam eliciat voluntatem, illicò cadet à gratia, & damnabitur. Igitur econtrà, ſi in illo inſtanti hominem primò verè pœniteat, reſurget illicò ad gratiam, & finaliter ſaluabitur, niſi proteruiendo dicant hominem in illo inſtanti nouam voluntatem habere non poſſe, ideo ſtetur in reſponſione data.

Quatenus homo poſsit in vltimo inſtãti vitæ mereri, aut demereri.

Reiicitur quorũdam eadẽ de re opinio.

FINITVR CODEX DE POENITENTIA.

TRACTATVS SECVNDVS DE CONFESSIONE.

De institutione Confeßionis.

QVÆSTIO PRIMA.

A quo nam cõfeßio, & quando sit instituta.

DE CONFESSIONE vocali, quæ sacerdoti fit, & Sacramentalis dicitur, sunt aliqua quærẽda. Primò de eius institutione, à quo scilicet & quando sit instituta. Et dixerunt aliqui, vt refert glossator decreti de pœniten. dist. 5. quòd fuerit à Deo instituta in Paradiso terrestri. Quod colligunt ex eo quòd postquam Adam peccauit de ligno vetito comedens, Deus ad eum veniẽs quærebat eum dicẽs: Adam vbi es? In quo videtur Deum non aliud intendisse, quàm proprij peccati cõfessionem ab Adam exigere. Ita & quando Deus ad Cain dixit: Vbi est frater tuus Abel? constat id Deum non dixisse, quia ignoraret, vbi Abel esset, sed ideo id dixit, vt Cain proprium peccatum confiteretur. Verùm qui sic dicunt, falluntur, nam in illis interrogationibus à Deo factis, esto Deus ab Adam, & Cain confessionem suorum peccatorum exigeret, non tamen confessionem hanc Sacramentalem, quæ ad aurem sacerdotis fit, exigebat, cùm nec tunc esset Sacramentalis confessio instituta, sicut nec Sacramentum pœnitentiæ, nec exigebat Deus, vt illi peccatores sua peccata alicui sacerdoti confiterentur, nec secretam exigebat confessionem, sed publicam, & ipsi Deo, non sacerdoti agendam, nec vt omnia sua peccata faterentur, exegit, sed illa particularia, quæ Deus publicè punire intendebat, & ideo non de cõfessione Sacramentali sunt illa loca accipienda, sed de iudiciali, quam reus in iudicio facere tenetur, à iudice requisitus, & interrogatus, maximè cùm præcessit infamia de crimine, super quo interrogatur, aut factum ipsum contra patratorem clamat. Deus ergo volens iudicibus formam condemnandi reos tradere, vt scilicet neminem nisi conuictum, vel in iudicio confessum condemnarent, volensque Adam, & Cain pro delictis eorum punire, priùs ipsorum confessionem exigit &c.

Sententia prima.

Genes. 3.

Genes. 4.

Oppugnatur & reiicitur.

Secunda sententia.

DIXERVNT alij, vt Glossator decreti vbi suprà, & Panormit. ca. Omnis vtriusq; sexus. & alij Iuristæ, quòd huiusmodi confessio Sacramentalis, de qua loquimur, fuit non à Deo, sed ab Ecclesia in Concilio Lateranen. instituta, vnde præfata decretalis de confitendo proprio sacerdoti dimanauit. Mouentur ad id, tum quia nõ debet aliquid dici esse de iure diuino, quod in iure diuino expresè, aut implicitè nõ continetur. Cùm ergo nec in veteri Testamento, nec in nouo de huiusmodi confessione auriculari mentio fiat, fiat autem in statutis Ecclesiasticis, sequitur per Ecclesiam fuisse confessionem institutam, non per Christum aut Deum. Tum etiam quia si de iure diuino esset huiusmodi confessio, Græci peccarent non confitendo, cùm à iure diuino minimè sint exempti. Sed nec hæc opinio Canonistarũ videtur vera, tum quia Ecclesia non potest materiam, aut formam alicuius Sacramenti mutare, aut variare, multò ergo minùs potest Sacramentum aliquod nouum instituere. Tum etiam quia Sacramentum propriè sumptum efficaciam habet ad gratiam conferendũ dignè suscipienti, hanc aũt efficaciam non potest Ecclesia alicui signo sensibili tradere cùm solius Dei sit gratiam præstare, nõ ergo Sacramentum pœnitentiæ, & per consequens nec Sacramentalis confessio est ab Ecclesia instituta.

Reiicitur I.

II.

Confeßio Sacramentalis est de numero Sacramentorum, quæ gratiã præstant ex opere operato.

QVOD AVTEM confessio Sacramentalis sit de numero Sacramentorum, quę gratiam ex opere operato præstant, patet ex ca. Ad abolendam. De hæreticis. Patet etiã ex Concilio Florentino, vbi huiusmodi Sacramentalis pœnitentia inter reliqua Sacramenta connumeratur. Adde quòd longè ante tempus Concilij Lateranen. fuerunt Origenes, Hieronymus, Augustinus, Chrysostomus, Magister Sententiarum &c. qui omnes de huiusmodi salutari confessione loquuti sunt, nõ igitur primùm tũc fuit instituta. Quod de Græcis dicunt eos nõ confiteri, & excusari, vtrumq; est incertum, vtrumq; etiam stat cum veritate opposita, scilicet quòd confessio sit à Christo instituta veluti salutaris medicina in remißionem peccatorum, de huiusmodi namq; institutione nunc loquimur.

DIXE-

A DIXERVNT alij, quòd Iacobus Apoſtolus, primus huiuſmodi confeſsionem inſtituerit, iuxta illud, quod in ſua Canonica c.5.ſcripſit: Confitemini alterutrum peccata veſtra &c. Quod, ad hoc ipſum probandum, citat Hugo de ſancto Victore, & Magiſter Sententiarum in 4.diſtinct.17. Sed & iſti (ſalua pace) falluntur, tum quia ſi tota Eccleſia ſacramentum aliquod inſtituere non poteſt, multò minùs vnus homo quantumuis ſanctus. Tum etiam quia non conuenit dicere, quòd vnus Epiſcopus priuatus, ſcilicet, Hieroſolymitanus (qualis fuit beatus Iacobus) confeſsionem inſtituerit, quæ omnibus fidelibus totius orbis conuenit, quandoquidem ipſe non orbis, ſed vrbis fuerit Epiſcopus. Adde quòd in loco ex eius Canonica citato, nõ loquitur de confeſsione hac ſacramentali, quæ ſacerdotibus in Eccleſia fit, ſed potiùs loquitur de ea confeſsione, quam homines inuicem facere debent, puta, laicus laico, & econtrà, laicus ſacerdoti, & econtrà. Hoc enim ſignificat, cùm ait, confitemini alterutrum: Confeſsio autem ſacramentalis ſolis ſacerdotibus facienda eſt, non laicis, vt conſtat; Intendit igitur illic Iacobus reuocare homines à ſuperbia, & cõtemptu proximorum, ne ſcilicet quiſquam alterum contemnat, ſed omnes ſe peccatores eſſe agnoſcant, & ſe inuicem beneuolè tractent, & pro ſe inuicem orent, vt ibidem ſubiungit, dicens: Et orate pro inuicem, quod certè longè à confeſsione ſacramentali diſtat.

Sententia III. *Reiicitur.* I. II. III.

SVPEREST ergo, veram eſſe Theologorum ſententiam, qui dicunt, huiuſmodi
B confeſsionem ſacramentalem à Chriſto, ſicut & reliqua ſacramenta gratiæ, eſſe inſtitutam. Locus apertus eſt Ioannis 20. Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, remittentur eis &c. Vbi poteſtatem peccata remittendi Apoſtolis, & in eis omnibus ſacerdotibus contulit, quos iudices in cauſa, quæ eſt inter Deum offenſum, & peccatores offenſores inſtituit, vt eorum iudicio interueniente, ipſi rei ad Dei regnum admitterentur, vel ab eodem repellerentur.

Sententia IIII. *Vera, confeſsionem videlicet ſacramentalem à Chriſto fuiſſe inſtitutam. Probatur* I.

AD QVOD etiam Chriſtus claues aperiendi, ac claudendi regnum cœlorum ſacerdotibus in lege Euangelica conceſsit. Pro quo etiam facit ratio, quia ex quo Chriſtus venit curare vulnera noſtra, conueniebat vt tam perfectus medicus neceſſarias & ſalutares medicinas nobis relinqueret, inter alias autem medicinas curatiuas vna & potiſsima poſt baptiſmum eſt ſacramentalis confeſsio, quam Hieronymus dicit ſecundam tabulam poſt naufragium. Facit etiam ratio Scoti ſuprà tacta, quia ſolus ille potuit ſacramenta inſtituere, qui poteſt ſignis ſenſibilibus efficaciam, & virtutem gratiam dandi conferre, hoc autem nemo niſi Deus facere poteſt, cuius ſolius eſt gloriam, & gratiam præſtare, & de impio iuſtum efficere.

II. III.

De obligatione confitendi, & quo iure ad eam teneamur.

C

QVÆSTIO SECVNDA.

PRAESVPPOSITO ergo, quòd huiuſmodi confeſsio ſacramentalis à Deo ſit inſtituta, quæritur de obligatione confitendi vocaliter ſacerdotibus, quo iure ſit inducta, aliud enim eſt quærere, à quo fuerit inſtituta, aliud verò à quo ſit iuſſa. Et in primis excludamus eorum poſitionem, qui tenent eſſe de iure naturæ, tum quia ſacramenta gratiæ, quæ fidem præſupponunt, vnde & ſacramenta fidei dicuntur, ſupra naturam ſunt, ſicut & ipſa fides. Tum quia nullum dictamen naturale, ſecluſa iuris poſitiui diſpoſitione, dictat eſſe peccatori neceſſarium, ſua peccata occultiſsima proximo pandere, & ſe coram illo quodammodo infamare, maximè ad finem aſſequendi remiſſionem peccatorum, qui finis eſt ipſius ſacramentalis confeſsionis, cùm de huiuſmodi fine ratio naturalis nihil doceat, ſed potiùs Dei reuelatio. Igitur ſiue conſideremus confeſsionem ſacramentalem, quatenus ſacramentum gratiæ eſt, ſeu pars ſacramenti iuſtificantis, ſiue conſideremus ipſam peccatorum confeſsionem, qua peccata occulta proximo panduntur, ſiue conſideremus finem, qui eſt peccatorum venia, & ad Dei amicitiam reductio, patet non cadere ſub dictamine rationis naturalis.

Obligatio ſacerdotib⁹ vocaliter confitendi quo iure ſit introducta? Reiicitur opinio quorundam aſſerentium eſſe de iure natura. Ratio I.

SECVNDO idem patet, quia ſi ſic eſſet, non ſolùm poſt legem Euangelicam, ſed antea fuiſſent homines obligati ſua peccata etiam occulta hominibus confiteri, cùm II.

tamen nec tempore legis naturæ, nec scripturæ huiusmodi obligatio cucurrerit. Quamuis enim in lege Moysi, qui ad populum Dei pertinebant, debuerint aliqua sacrificia, & oblationes facere, quæ hostiæ pro peccatis dicebantur, ob aliqua peccata publica, seu ad aliquas irregularitates, secundùm ritum eorum contractas remouendas, vt habetur in Leuitico, non tamen est, qui dicat eos fuisse obligatos, hanc confessionem secretam, qualis nunc fit in Ecclesia, suis sacerdotibus facere.

III. SEQVERETVR insuper, nunc omnes peccatores esse obligatos ad confitendum peccata, quæ ante baptismum commiserunt, sicut ea quæ post fuerunt perpetrata.

IMO ET infideles tenerentur sua peccata sacerdotibus confiteri, nam ea, quæ sunt de iure naturæ, & de dictamine rationis naturalis, omnes indifferenter obligant. Consequens supponit falsum, nam alioqui baptismus non esset prima tabula post naufragium, sed confessio sacramentalis, si esset necessarium peccata ante baptismum, & tempore infidelitatis commissa confiteri. De quo pòst.

Resolutio quæstiõis propositæ: Etsi cõfessio quo ad temporis limitationem sit de iure humano, simpliciter tamẽ illius obligatio est de iure diuino.

EST IGITVR in controuersia, an obligatio confitendi vocaliter sacerdotibus, sit de iure diuino, an solo humano. Et tenendum est, quòd quamuis de iure humano sit præfata confessio nobis iniuncta, quantum ad temporis limitationem, de semel in anno, iuxta cap. Omnis vtriusque sexus. attamen simpliciter, & primario iure diuino iniuncta est huiusmodi obligatio. Ad cuius veritatis probationem, multùm Doctores Catholici insudarunt, de quorum rationibus, & fundamentis breuiter videndum est, an sufficiant ad reuincendos hæreticos, & alios, qui contrarium defendunt. Igitur probant

Ratio I. primò præfatam veritatem Durandus, & Gerson, & alij, quia cùm confessio hæc sacramentalis, de qua loquimur, se extendat ad peccata occultissima, & secreta cordis, in quibus Ecclesia, aut puri homines potestatẽ non habent obligandi, vel prohibendi, sequitur quòd præfata obligatio confitendi, non est de iure humano. Primũ supponitur. Secundum probatur, quia Ecclesia non potest ferre legem de actu aliquo, cuius transgressorem punire non potest, frustra enim daretur lex, si legislator in transgressores vim non haberet coactiuam, sed Ecclesia actus occultos cordis punire non potest, nec eorum omissionem, quandoquidem homines non iudicant, nisi ea quę patent: Deus autem intuetur cor, qui solus est scrutator renum & cordium, & huiusmodi secreta diuino iudicio sunt reseruata, vt dicitur capit. Qualiter & quando. de accusationibus. & de simonia in multis capit. Superest ergo, huiusmodi confessionem secretam, quæ ad occultissima cordis peccata se extendit, esse de iure diuino, non de humano.

II. PROBAT SECVNDO eundem articulum Petrus de Palude, ex eo, quod habetur Ioan. 5. Pater non iudicat quenquam, sed omne iudicium dedit Filio. Et pòst: Potestatem dedit ei iudicium facere, quia filius hominis est. Iam arguitur, si omne iudicium dedit filio, prout filius hominis, & homo est, igitur Christo, prout homo est, conuenit peccatores iudicare, non solùm in fine mundi, sed etiam in præsenti vita, dignos ad Dei gratiam admittendo, indignos verò reprobando, igitur necessarium est, vt peccatores se Christo præsentent, qui cùm realiter, & localiter præsens per se in terris non sit, in quibus vicarios suos sacerdotes reliquit, quibus potestatem iudicandi in causa peccatorum concessit, consequens est, quòd tenentur peccatores se sacerdotibus præsentare, vt per eos iudicentur, quod esse non potest, nisi præuia confessione, igitur.

III. PROBAT TERTIO Scotus eundem articulum, ex eo, quod habetur Ioannis 20. Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittentur eis &c. In quo loco Christus contulit sacerdotibus potestatem remittendi peccata ipsis peccatoribus, hoc est potestatem eos à peccatis absoluendi, & in causa, quæ est inter Deum & peccatores, iudicandi. Ipsi autem iudicare non possunt, nisi causam cognoscant, & peccata, hæc autem cognoscere non possunt, nisi præuia ipsorum delinquentium confessione, igitur. Confirmant hoc ex eo, quod habetur Matth. 18. quæ ligaueritis in terris, erunt ligata in cœlis, quæ solueritis, erunt soluta in cœlis &c.

IIII. PROBAT QVARTO idem Scotus, quem etiam multi alij in hac ratione sequuntur, quia de iure diuino tenetur vnusquisque seipsum charitatiuè diligere, iuxta illud:
Matth. 22. Diliges proximum tuum sicut teipsum. Et illud etiam: Miserere animæ tuæ, placens Deo.
Eccles. 30. Igitur tenetur peccator exire à peccatis per se commissis, ad hunc autem finem necessarium est peccatori viam certiorem, & tutiorem eligere, alioqui salutem animæ

videretur

A videretur periculo exponere, si dimissa certiore, & tutiore via, aliam quæ non tam certa est & secura, amplecteretur. Cùm igitur duæ sint viæ, per quas peccator potest à peccatis exire scilicet, via pœnitentiæ cordis, & via confessionis sacramentalis, è quibus hæc secunda certior est & tutior, igitur tenetur eam amplecti.

QVOD VERO hæc sit certior & tutior, probatur in sententia, quia via pœnitentiæ cordis incerta videtur, eò quòd pœnitens non satis certus est, si eius pœnitentia sit sufficienter intensa, aut sufficienter continuata, & ita videtur via dubia. Via verò confessionis sacramentalis certa est, quia in ea nil aliud ex parte confitentis requiritur, quàm vt obicem malæ voluntatis non ponat, nam sacramenta præstant gratiam ex opere operato non ponentibus obicem. De quo, scilicet quòd confitens obicem malæ voluntatis non ponat, certissimus esse potest.

QVINTO alij probant, præfatam obligationem confitendi de iure esse diuino, ex eo, quod dixit Iacobus in sua Canonica: Confitemini alterutrum peccata vestra, vt saluemini. Qui quidem Apostolus, etsi non fuerit, nec esse potuerit huius sacramenti institutor, potuit tamen esse, & fuit promulgator, sicut & idem Iacobus sacramentum extremæ vnctionis ibidem promulgauit, quod à Christo creditur institutũ. Afferunt etiam ad id illud Pauli ad Rom. 10. Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem. In quo Apostolus Christi instituta sciens, videtur nobis intimasse necessitatem vocaliter confitendi. V. *Iacobi 5.*

B SEXTO beatus Augustinus videtur id probare ex eo, quod Christus ad leprosos, qui curari à lepra petierant, dixit: Ite, ostendite vos sacerdotibus. In quo Christus figuratiuè videtur peccatoribus præcepisse, si velint misericordiam obtinere, vt se sacerdotibus præsentent, vt per eorum iudicium impetrent quod desiderant, quandoquidem per leprosos, peccatores, per lepram, peccatum, per ostensionem, qua se debebant sacerdotibus ostendere, confessio, & vitæ manifestatio figuratur, per iudicium verò legalis sacerdotis, absolutio sacramentalis significatur. VI. *Lucæ 17.*

SEPTIMO idem probat per hoc, quòd Christus contulit Petro, & sacerdotibus claues Ecclesiæ, per quas possint regnum cœlorum his, quos dignos esse iudicauerint, aperire: Igitur necessarium est, peccatores qui regnum cœlorum introire volunt, sacerdotibus se præsentent, & peccata confiteantur, vt per eorum iudicium, regnum cœlorum eis aperiatur, quibus ob ipsorum peccata clausum fuerat. Alioqui si id necessarium non esset, sed possent peccatores per solam cordis pœnitentiam saluari, & regnum cœlorum intrare, frustra huiusmodi claues essent Ecclesiæ collatæ. VII.

DENIQVE præfatam veritatem iam communiter Doctores probant ex eo, quod suprà citatum est Ioan. 20. Quorum remiseritis peccata, remittentur eis, & quorum retinueritis, retenta erunt, sumpta secunda parte huius clausulæ, quia vt glossa illic habet, sacerdotes retinere peccata, non est censuram aliquam, aut sententiam ferre ad ea retinenda, sed est sacerdotes ea non remittere, ita, vt retinere opponatur ei, quod est remittere. Iam deductio videtur aperta, Christus illic loquitur ad sacerdotes de peccatoribus, dicens: Peccata quæ vos peccatoribus remiseritis, ego remittam. Quæ autem vos nõ remiseritis, nec ego remittam. Tunc arguamus sic. Necessarium est peccatori ad eius salutem, quòd Deus illi peccata remittat, sed peccatori non remittet Deus peccata, nisi à sacerdote remittantur, vt dicit authoritas, à sacerdote autem remitti non possunt, nisi peccata eidem innotescant, innotescere illi non possunt, nisi ipse peccator, qui sui conscius est, ea sacerdoti detegat, igitur à primo ad vltimum necessarium est peccatori peccata sua sacerdoti detegere. Hæc deductio procedit, etiam seclusa omni iuris humani dispositione, superest ergo, quòd obligatio, & necessitas vocaliter confitendi sacerdoti, sit de iure diuino. VIII. C

Examinantur prædictæ rationes & tanquam minus efficaces cõtra hæreticos impugnantur.

LIBET IAM huiusmodi rationes pertractare, & quam vim ad præsentem articulum probandum habeant, inquirere. Non enim videtur hęc veritas efficaciter contra hæreticos, & Doctores aliam sententiam tuentes probari. Quod apparet, per easdem rationes discurrendo. Prima ratio Durandi innititur huic propositioni, scilicet quòd Ecclesia, seu humana potestas non se extendat ad actus cordis, nec eos punire possit. Quod tamen à multis Catholicis negatur, qui contrarium tenent, vt patet in Clementina prima, de hæreticis. Vbi glossa, & Doctores ibidem non solùm Iuristę, sed etiam Theologi tenent, quòd Ecclesia possit homines pro peccatis interioribus excõmunicatione I. *Oppugnatur I.*

tione afficere, vt ꝓ mentali hæresi. Quòd si in exteriori iudicio Ecclesia actus cordis non punit, non est ob defectum iurisdictionis, sed ob defectum probationis. Sed de hac positione aliâs egimus in tractatu de oratione, de quo pòst.
II. Deinde esto, Ecclesia præciperet confiteri, non ideo fit, vt ad interiora obliget, cùm ipsa peccatorum vocalis confessio sit actus exterior, etiamsi sit interioris actus manifestatiuus. Et quòd ad actum exteriorem interioris manifestatiuum possit humana potestas obligare, patet ex communi practica Inquisitorum, qui si quis de hæresi sit accusatus, quia dixit aliquam propositionem ambiguam, ita vt in vno sensu sit hæretica, in alio non, præcepto, & iuramento exacto, & aliquando per torturam eundem compellunt, vt dicat, in quo sensu illud asseruerit, non igitur hæc prima ratio conuincit.

II. *Oppugnatur* I. SECVNDA ratio etiam non sufficienter probat, primò, quia illa authoritas Ioannis 5. non satis pertinenter ad propositum præsens adduci videtur, nam illic non loquitur Christus de iudicio hoc secreto, quo peccatores per sacerdotes iudicantur, aut de eo, quo Christus in hoc sæculo quenquam iudicat, sed de iudicio finali, quo Christus in fine mundi in humana forma appariturus, omnes iudicaturus est. Hoc patet, tum expositione Sanctorum in eodem loco, tum ex ipso textu, nam cùm dixisset: Potestatem dedit ei iudicium facere, quia filius hominis est, statim subiungit: Nolite mirari hoc, veniet hora, in qua omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem filij Dei, & procedent qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ &c. Non ergo loquitur de iudicio, quo in hoc sæculo, peccatores viuentes à sacerdotibus iudicantur. Et quod ait, omne iudicium dedit filio. Vbi cùm, omne, dicat, videtur quòd non de solo iudicio finali loquatur, non probat quòd loquatur de iudicio hoc, quod fit in foro pœnitentiali, sed significat, quòd Christus potestatē habet vniuersalem iudicandi, tam bonos, quàm malos, & illos honorandi, hos autem inhonorandi.

II. DEINDE esto, Christus habeat potestatem in hoc sæculo iudicandi peccatores, nō inde fit, vt sit necessarium peccatori sua peccata sacerdotibus confiteri, quia quamuis Christus, qui iudex est, in cœlo sit, & non in terra localiter, illic tamen vbi est, omnia quæ hîc fiunt, quantumlibet occultissima cordium sint, certissimè cognoscit. Igitur sufficienter innotescit ipsi Christo vniuscuiusque vita, vt possit hîc vnumquenque iudicare absque hoc, quòd vita hominis sacerdotibus innotescat. Quòd autem vicarios in terris reliquerit, non probat præfatam obligationem confitendi vocaliter, vt statim patebit.

III. TERTIA etiam ratio, quæ fundatur in eo, quod habetur Ioan. 20. Quorum remiseritis peccata &c. Matthæi 18. Quæcunque ligaueritis, erunt ligata &c. non probat intentum.
Oppugnatur I. Primò, quia illa authoritas Matth. 18. impertinenter ad hoc propositum citari videtur, cùm Christus illic nō de ligatione, aut absolutione à peccatis in foro pœnitentiali loquatur, sed de censura excommunicationis, quod patet, quia dixerat circa correctionem fratris; Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus, & Publicanus. In quo fundant Doctores, Ecclesiam potestatem habere excommunicandi contumaces. Et ad significandum, Ecclesiæ censuram vim & robur habere, & in cœlis approbari, statim subiungit: Amen dico vobis, quæcunque ligaueritis in terris, erunt ligata, & quæcunque solueritis, erunt soluta in cœlis &c.
II. Ex alia etiam Ioan. 20. non sequitur, nisi quòd sacerdotes habent potestatem remittendi peccata, verùm inde non sequitur, quòd ideo peccatores teneantur illis confiteri. Patet, nam Doctor graduatus potestatem habet ascendendi cathedram, & ibi de iure docendi, & tamen non inde fit, vt alij teneantur illum docentem audire. Similiter iudices, & vicarij Prælatorum potestatem habent iudicandi inter subditos, circa eam, quæ inter ipsos est, controuersiam, non tamen inde fit, quòd ipsi subditi discordes teneantur vicarios illos adire, vt per eos controuersia dirimatur, quandoquidem possunt ipsi inter se componere, vel arbitros instituere &c. Igitur in proposito inualida fuit illatio.

IIII. *Oppugnatur* I. QVARTA ratio videtur non solùm non probare obligationē confitendi, sed multos videtur habere defectus. Primò, quia supponit quòd de duabus viis, per quas quis salutem animæ consequi potest, tenetur amplecti, quæ tutior & certior est, nam tunc homines tenerentur religionem ingredi, & non in sæculo permanere, cùm religio tutior & certior via sit ad regnum Dei obtinendum. Tenerentur etiam homines potiùs in continentia viuere, & peccarent, si dimissa continentia, vxores ducerent. Peccarent etiam homines, qui postposita paupertate diuitias possiderent, quæ omnia sunt erronea.

Secundò

A Secundò deficit in hoc, quòd ait, viam pœnitentiæ cordis certam non esse, eò quòd incertum sit, an sit sufficienter intensa, & continuata, cùm tamen falsum sit, esse necessariam certam intensionem, aut temporis durationem ad hoc, quòd pœnitentia cordis ad salutem valeat animarum, vt aliâs deduximus, quum de cordis pœnitentia agebamus. II.
Tertiò deficit in eo quòd ait, viam confessionis certiorem esse ad salutem, cùm tamen multipliciter sit incertus valor absolutionis, tum quia non est omnino certum, illum qui absoluit, esse sacerdotem, cùm multi fingant aut putent, se sacerdotes esse, & nō sint. Tum, quia etsi sacerdos sit, non tamen est omnino certum, eum legitimum curatum esse, aut à curato potestatem habere. Tum etiam, quia etsi verus curatus sit, non est omnino certum, eum non esse excommunicatum. Deniq;, etsi excommunicatus non sit, non est omnino certum, quòd in absoluendo debitam habeat intentionem, ob quas omnes causas redditur incertus valor illius absolutionis. III.
Quartò deficit in eo, quòd significat, quòd via confessionis non requirit ex parte confitentis, nisi quòd obicem non ponat malæ voluntatis, cùm tamen suprà latè ostensum sit, esse necessariam cordis pœnitentiam positiuam de peccatis, iuxta decretum Augustini: Omnis homo, qui suæ voluntatis arbiter constitutus est, nouam vitam inchoare non potest, nisi pœniteat eum veteris vitæ, à qua soli paruuli immunes sunt &c. de consecratio. distinct. 4. IIII.

QVINTA ratio non probat, quia vt suprà dicebatur, Iacobus in illo loco non videtur loqui de confessione sacramentali, nam hæc solis sacerdotibus fieri debet. Illa autem, de qua illic procedit, est confessio, qua homines se inuicem debent peccatores recognoscere, & pro se inuicem orare, vt suprà dicebatur. V. *Oppugnatur* I.
B Quod etiam ex Epistola ad Roma. citatum est, minùs cogit, quia illic Paulus nō de confessione peccatorum loquitur, sed de confessione fidei, quam non sat est mente tenere, sed pro loco, & tempore, voce oportet confiteri. Et quòd de fide voce protestata loquatur, patet tam ex antecedentibus, quàm sequētibus, quia illicò addit: Dicit enim scriptura; Omnis qui credit in ipsum, non confundetur &c. II.

SEXTA etiam ratio non videtur multùm efficax, tum, quia si Christus iussit leprosis, vt se sacerdotibus præsentarent, ideo id fecit, quia ita lex vetus disponebat, ne scilicet à Iudæis legis præuaricator notaretur, & vt diuinæ legi debitam exhiberet reuerentiam, cui se Christus subiecit, quousque per legem nouam esset antiqua reuocata. Itaq; Christus in hoc non nouum præceptum Christianis tradere, sed veterem legem, dum vim haberet, voluit obseruare. VI. *Oppugnatur* I.
Deinde si ex figura illa deberet argumentum sumi ad id, quod prætendit, non deberet argumentum maius sumi, quàm ipsa figura se extendit, sed tunc in lege veteri, lepra, quam leprosus erat sacerdoti legali manifestaturus, erat publica, & nota, similiter & eius curatio: Igitur ex illa figura non licet argumentum sumere, quòd peccator teneatur confiteri sacerdoti Euangelico nisi peccata publica, & quæ publicè sunt emendata, vt sacerdos iudicet, si dignus sit, vel indignus ad cætera sacramenta admitti. II.
C Imò si ex figura debeat argumentum sumi, sequitur quòd sicut sacerdos legalis non curabat à lepra, sed curatum esse iudicabat, ita & sacerdos Euangelicus non remittat peccata, sed ea iam remissa esse iudicet, contra potestatem sacerdotibus concessam, qua possint peccata remittere. Sed de hoc pòst. III.

SEPTIMA ratio, quæ ex clauibus Ecclesiæ collatis sumitur, non omnino concludit, tum, quia oporteret probare, claues illas sacerdotibus concessas esse in foro interiori, seu pœnitentiali ad absoluendum à peccatis, cùm tamen claues illæ ligandi, & soluendi accipi possint in foro exteriori & iudiciali, vt suprà diximus, iuxta illud Matthæi 18. Quæcunque ligaueritis &c. VII. *Oppugnatur* I.
Nec obstat, quòd dicantur claues regni cœlorum, quia regnum cœlorum etiam pro Ecclesia militante solet accipi, iuxta illud Matthæi 17. Mittet filius hominis angelos, & colligent de regno eius scandala &c. Vbi regnum cœlorum non potest pro Ecclesia triumphante accipi, in qua nulla scandala, quæ colligantur, reperiri possunt, vt notat beatus Gregorius. Nam quòd regnum cœlorum gloriæ aliter quàm per claues, sacerdotibus collatas, aperiatur, apparet de his, qui Deum diligunt, & martyrium pro Christo patiuntur, quibus sine sacerdotum iudicio aditus patet ad regnum cœlorum, quod beatorum patria dicitur. Similiter his, qui baptizantur, si illico decedant, patet introitus ad regnum. Igitur esto, claues habeant sacerdotes ad regnum aperiendum, non inde colligitur, neminem sine vsu harum clauium posse regnum Dei introire. II.
Nec ideo frustra sunt tales claues in Ecclesia, quia quamuis non esset necessariū, III.
quòd

quòd peccatores per sacerdotes iudicentur, esset tamen vtile illis confiteri, & per eos absolui. Si enim probaretur, non posse peccatoribus aliter regnum cœlorum aperiri, nisi per vsum clauium sacerdotalium, qui in absoluendo ipsos peccatores à peccatis exercetur, esset efficax ratio ex clauibus sumpta, id tamen non ita probatur.

VIII. IGITVR inter alias rationes illa postrema videtur maioris ponderis, quæ innititur dicto Christi: Quorum peccata retinueritis, retenta erunt &c. Verùm & contra hanc probationem posset aliquis insurgere, quòd non colligatur ex loco illo obligatio confitendi peccata, quia in tota illa clausula id significatur, scilicet, Deum ratihabiturum sententiam sacerdotum in remittendis, aut retinendis peccatis, claue scilicet non errante, hoc est, si audita causa peccatoris & confessione eius, iudicent eum esse dignum, aut indignum, & ita vel absoluat, si dignum, vel non absoluat, si indignum eum reperiat, sed hæc Dei ratihabitio saluatur absque hoc, quòd peccator sit astrictus sacerdoti confiteri. Patet à simili, vt si ordinarius instituat vicarium, causas subditorum iudicaturum, & promittat se ratam habere sententiam, quam vicarius tulerit, cum hoc stat, quòd subditi non sint astricti causam ad vicarium afferre, cùm possit aliter lis dirimi. Præterea esto, quòd illinc colligeretur necessitas confitendi sacerdotibus, nō tamen ostenditur, quòd sit necessarium in particulari singula confiteri, etiam occulta cordis peccata, maximè cùm hæc simul stare possint, quòd peccator in genere se peccatorem coram sacerdote esse cognoscat, & confiteatur, & ab ipso sacerdote ita in genere absoluatur. Nam & Deus peccatori in genere remittit, quando verè peccator in genere de peccatis suis conteritur, sicut & ad confessionem generalem de venialibus factam, aut etiam de mortalibus, absoluitur à sacerdote etiam in genere à peccatis venialibus, ad id enim prodest generalis confessio. Præterea, quòd sensus illius clausulæ, quorum retinueritis &c. non sit qui in argumento positus est, scilicet peccata, quæ vos non remiseritis, ego non remittam, apparet, quia sæpissime Deus remittit peccata antequam à sacerdote remittantur, imò etiamsi à sacerdote non remittantur, nec sint in posterum remittenda. Patet, quia quamprimum quis intus de peccatis propter Deum conteritur, etiamsi de confessione vocali nil sciat, nihilque memoriæ eius occurrat, illico consequitur à Deo remissionem omnium mortalium. Quod addo, ad excludendam solutionem dari solitam, qua dicitur, quòd tales remissionem obtinent à Deo, quia licet non in actu, bene tamen in voto habent sacerdotalem remissionem. Sed de his alibi.

Oppugnatur I.

II.

III.

Obligationem confitendi esse de iure diuino; quomodo probetur ex illo Ioan. 20. Quorum remiseritis &c.

DICENDVM igitur ad quæstionem, quòd necessitas confitendi sacerdotibus ortum habet à iure diuino in præfata clausula Ioannis 20. tradito. Ex qua sufficienter colligitur, necessarium esse peccatoribus confiteri sacerdotibus, & à sacerdotibus iudicari, vt Deus illis peccata remittat. Id patet ex deductione suprà facta.

DICO SECVNDO, quòd ex præfata clausula non colligitur sufficienter, aut euidenter necessitas confitendi sacerdotibus ad aurem omnia peccata etiam mentalia, vt patet ex dictis.

DICO TERTIO, etsi explicitè in dicta clausula id non contineatur, nec inde sufficienter deducatur, attamen sic est illa clausula intelligenda, & interpretanda, non quidem propter cap. Omnis vtriusque sexus. nam illud, quod illic dicitur de confessione semel in anno, non procedit declarando, nec diuinum ius interpretando, sed potiùs tempus confitendi instituendo, vt ex ipso patet, sed propter communem Ecclesiæ consuetudinem, quæ est optima legum interpres, sic enim in Ecclesia confessio vocalis sacramentalis agitur, vt secretè fiat, & etiam de mentalibus, & occultis. Sic etiam tradiderunt sancti Doctores Chrysostomus & Augustinus, & alij, vt videre licet ad longum in decreto de pœnitentia, distinct. 1. Sic etiam in primitiua Ecclesia obseruabatur, vt patet ex Dionysio Apostolis contemporaneo, in octaua Epistola, quam ad Demophilum scripsit, vbi eum leniter arguit, quòd peccatorem sua peccata sacerdoti confitentem quem & sacerdos absoluere volebat, nec ad Ecclesiam admittere voluit, nec sacerdotem, eum absoluere permisit. Sic etiam legitur in Actibus Apostolorum cap. 19. multos ad Apostolos venisse, sua illis peccata confitentes. Sic deniq; declaratum est in Concilio Constantiensi contra Ioannem Hus, qui dixit sufficere peccatoribus, vt saluentur, si de peccatis suis coram Deo conterantur, & confiteantur, seclusa omni vocali confessione, quanquam illic Concilium illud non declarat, quòd confessio vocalis sit necessaria de iure diuino, sed quòd sit necessaria. Attamen quia Ioan. Hus prætendebat, quòd nullum esset

Idem probatur ex Concil. Constantiensi, contra Ioan. Hus.

A esset diuinum ius, quod peccatores ad vocalem confessionem astringeret, sed ad solam mentalem, quæ Deo fit, ideo determinatio Concilij est ad ius diuinum extendenda. Sic denique in Concilio quodam prouinciali Complutensi fuit condemnata hæc propositio cum assertore suo, scilicet, quòd confessio vocalis non sit de iure diuino. Quæ condemnatio cum aliis super aliis propositionibus facta, fuit postmodum per summũ Pontificem approbata, id est, per Sixtum quartum. Et ita tandem Scotus videtur ad hoc deuenire, quòd huiusmodi confessio, de qua loquimur, fuit à Christo instituta etiam sub obligatione, quam particulariùs tradidit discipulis suis, quàm sit in Euangelio scripta, & ita per Apostolorum doctrinam, tenet hoc idem Ecclesia. Nec mirum, cùm multa fecerit, & docuerit Christus, quæ scripta non sunt: Ioan. vltimo. Sicut idem etiam patet ex cap. Cum Matth. de celebratione &c. de verbis consecrationis vini, & aliis multis.

De obligatione confitendi sub pœna noui peccati.

QVÆSTIO TERTIA.

SED ORITVR inde dubitatio, esto quòd confessio vocalis sit de iure diuino, etiam quo ad obligationem, an sit ius diuinum præceptiuum, *An ius diuinũ confitendi peccata obliget sub pœna noui peccati.*
B seu obligatorium sub pœna noui peccati? Et arguitur quòd non, tum, quia si in iure diuino talis obligatio sub pœna noui peccati contineretur, maximè in clausula suprà tacta; quorum remiseritis &c. sed illic nullum verbum imperatiuum, seu præceptiuum ponitur, cùm sint verba potestatis, vt constat. *Partis negatiua argumenta.* I. Et esto quòd suo modo verba illa contineant comminationem contra eos, qui confiteri sacerdotibus negligunt, scilicet quòd Deus non remittet illis peccata, attamen non inde aliud colligitur, quàm quòd non confitentes decedent in peccatis commissis absque eorum remissione, ex quo non colligitur, quòd non confitendo, nouam incurrant culpam.

SECVNDO ad idem arguitur ex sententia Hugonis 2. parte, de sacramentis, vbi II. præsupponens quòd Christus non præceperit peccatoribus vocaliter confiteri sacerdotibus, quærit causam huius. Et respondet, ideo Christum id non præcepisse, vt peccatores spontè, & voluntariè, & non coacti ad confessionem perueniant, qualiter viderentur peruenire, si ad id præceptum obligatorium illis traditum esset. Et ita quibusdam videbatur textus ille Ioannis 20. locum habere statuti nobis necessitatem confitendi intimantis, non autem præcepti sub pœna noui peccati obligantis. Quòd autem statutum non eo ipso, quòd statutum est, sit obligatorium, seu præceptorium, patet, quia statutum est non posse paruulum introire regnum cœlorum, nisi per aquam baptizetur Ioan. 3. quod tamen respectu paruuli vim præcepti non habet, sicut & olim de eis paruulis sta-
C tutum à Deo fuerat eos perituros, nisi circumciderentur, & tamẽ non per hoc illis quicquam præcipiebatur. Ita & statutum est, neminem viuentium posse gloriam æternam assequi, nisi priùs moriatur, & tamen non inde mors data est homini sub præcepto obligante.

RESPONDENDVM. Fateor aliud esse statutum, aliud præceptum; attamen in præsenti, textus ille, in quo statutum est, Deum nemini remissurum peccata, nisi per sacerdotem fuerint remissa, vim habet præcepti obligantis sub pœna noui peccati mortalis, *Pars affirmatiua vera.* quod probo, præsupposito, quòd charitas præhabita, amitti de lege non potest, sine nouo peccato mortali. *Probatur* I. Iam demus, peccatorem qui cùm sanus esset, de peccatis verè propter Deum pœnituit, ita vt gratiam sit consequutus, accedat articulus mortis, & habita copia sacerdotis, nolit peccata sua confiteri, tunc ille, si ita decedat, perdet charitatem, quia ibit in infernum, eò quòd ex Christi sententia constat esse necessarium peccatori, vt tandem saluetur, quòd habita copia sacerdotis confiteatur, quod cùm hic in casu extremæ necessitatis omittat, sequitur quòd non saluabitur, igitur in charitate non decedet, & ita eam amisit, & non ob aliud, vt pono, nisi quia in tali articulo confiteri noluit; igitur ipsum non confiteri, est illi peccatum mortale.

PRAETEREA, homo tenetur sub pœna peccati mortalis suam salutem æternam II. procurare, & per consequens tenetur medium ad id necessarium & à Deo institutum acceptare, sed medium ad id à Christo institutum est vocalis seu sacramẽtalis confessio,

vt ex textu citato patet: igitur ad id tenetur peccator, alioqui nouum mortale incurret. D
Obiectioni respondetur. Dicere autem quòd non peccauit mortaliter, quia non confitetur, sed quia omittit implere præceptum charitatis de diligendo seipsum, respondetur: Quicquid sit de hoc, satis est, quòd in re ipsa peccat mortaliter de nouo, qui in articulo mortis, habita confessoris copia, negligit confiteri.

Ad rationes oppositas respondetur. Ad I. AD RATIONES, dicendum ad primam, quòd quamuis in præfata clausula verbum imperatiuum non ponatur, ponitur tamen comminatio pœnæ, quæ est, Deum non esse remissurum peccata homini, qui sacerdoti non confiteatur tempore necessitatis, in qua pœna includitur exclusio à regno cœlorum, vt constat, hanc autem pœnam Deus nemini comminatur, nisi pro mortali peccato, si capax obligationis sit. Quod dico propter paruulos, & mente captos.

Obiectio duplex diluitur. I. SI OBIICIAS, quòd illud non ponatur per viam pœnæ, sed statuti, aut declarationis diuinę voluntatis, respondetur, esto ita sit, eo ipso quòd declaratur peccatori, quòd excludetur à regno Dei, si non confiteatur sacerdoti, tenetur sub pœna peccati noui ad ipsam confessionem, ne suæ salutis videatur esse neglector. *II.* Sed aliter obiicitur, quòd in casu non habeat locum pœna illa, aut statutum, quia talis etiamsi in articulo mortis negligat cõfiteri, & moriatur, non decedet in peccatis prioribus sine remissione, quandoquidem iam fuerant per cordis pœnitentiam sufficienter, etiam quo ad pœnam omnem remissa, si feruida fuit pœnitentia. Sed hoc aliam quæstionem tangit, scilicet, an E peccata possint remitti ante sacramentalem confessionem, de qua aliâs.

Ad II. AD SECVNDVM ex Hugone sumptum respondetur, quòd nec Hugo id tenuit quod isti, scilicet, quòd non fuerit à Christo præceptum de confitendo traditum, nec ratio per eum facta aliquid valet. Primum patet, quia ipse Hugo tenet, à Christo esse præceptam huiusmodi confessionem, quodque eius præceptum nobis Iacobus intimauit in sua Canonica, cap. 5. quando dixit: Confitemini alterutrum peccata, vt patet ibidem. Secundum etiam patet, quia si ideo Christus confessionem vocalem non præcepit, ne scilicet peccator coactus, sed spontaneè ad confessionem veniret, pari forma nec debuisset baptismum, nec Eucharistiam, nec aliquid aliud præcipere, cùm Deus non coacta, sed spontanea seruitia acceptet. Peccat igitur ratio, quia præsupponit, quòd præceptum inducat coactionem, & spontaneam tollat voluntatem, quod tamen est falsum. Ponit igitur præceptum necessitatem, non tamen coactionem, cùm vim non inferat his, quibus datur.

De confessionis necessitate ad salutem.

QVÆSTIO QVARTA.

An sit de necessitate salutis peccata sacerdotibus confiteri? Conclusio I. DEINDE quærendum est, an sit de necessitate salutis sacerdotibus confiteri, ad quod per duo dicta breuiter respondetur. Primum dictum est: De necessitate salutis est vocalis confessio post Concilium Lateranense, in quo omnibus fidelibus iussum fuit, vt semel in anno confiterentur &c. Hoc patet, quia de necessitate salutis est, Prælatis nostris obtemperare, prout Christus dixit: Qui vos audit, me audit, qui vos spernit, me spernit &c. Et Paulus ad Roman. Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit; cùm igitur Ecclesia in præfato Concilio iusserit confessionem semel in anno fieri, sequitur intentum. F

Conclusio II. SECVNDVM dictum est, quòd ante præfatum Concilium fuit etiam de necessitate salutis huiusmodi vocalis confessio. Id patet ex dictis, quia antequam Concilium illud fieret, erat confessio à Christo non solùm instituta, sed nobis sub præcepto tradita, modò autem de necessitate salutis est Christi præcepta seruare.

TVM ETIAM necessarium est ad salutem id, sine quo peccata à Deo non remittuntur, hoc autem est confessio sacramẽtalis, vt patet ex textu citato, igitur. Tum etiam, non minùs necessaria est pœnitentia sacramentalis ad remissionem actualis peccati, quàm baptismus ad remissionem originalis, sed baptismus est de necessitate salutis, igitur & pœnitentia. Assumptum patet ex Hieronymo, dicente super Amos I. quòd baptismus est prima tabula post naufragium, & pœnitentia secunda.

A CONTRA tamen obiicitur, quia potest homo sufficienter saluari, si mandata decalogi seruet, iuxta illud Matthæi 19. Si vis ad vitam ingredi, serua mandata, & Pharisæo quærenti, quid ad vitam æternam esset illi agendum, & proposita dilectione Dei & proximi, in quam omnia tendunt mandata, respondit Christus; hoc fac, & viues. Cùm igitur in mandatis decalogi nulla de huiusmodi confessione mentio fiat, sequitur &c. *Soluuntur obiectiones aliquot cōtra prædictas conclusiones.* I.

RESPONDETVR. Si hæc ratio valeret, per eandem etiam probaretur, non esse de necessitate salutis fidem, nec baptismum, nec aliud sacramētum, imò nec pœnitentiam cordis, cùm de his in decalogo expressa mentio non fiat, sicut nec de vocali confessione; Ideo dicendum, nō opus esse omnia, quæ de necessitate salutis sunt, in decalogo expressè contineri. Nec ideo dixit Christus: Si vis ad vitam ingredi, serua mandata, quia velit eorum obseruantiam formalem ad vitam sufficere, sed voluit significare, neminem nisi mandata seruet, vitam æternam habiturum. Eodem modo dicitur ad aliud. *Solutio duplex.* I.

VEL ALITER potest dici, quòd omnia Dei præcepta ad decalogum quodammodo reducuntur, & ea, quæ ceremonialia sunt, reducuntur ad præceptum de sabbato sanctificando, quod præceptum extendi solet ad cultum Dei, quem à nobis exigit Deus, ad quem pertinet præceptum de sacramentis dandis, vel suscipiendis traditum. II.

SECVNDO obiicitur, quòd non sit de necessitate salutis vocaliter confiteri, nam si id necessarium esset, maximè ad assequendam veniam, seu remissionem peccatorum à B Deo, per iudicium sacerdotis, vt authoritas sonat, sed hanc remissionem potest peccator aliter assequi, puta per pœnitentiam cordis. Hoc patet ex Ezechiele: Quacunq; hora ingemuerit peccator &c. Et ex Dauid: Dixi confitebor aduersùs me iniquitatem, & tu remisisti &c. Et ex Isaia: Ad quem respiciam, nisi ad contritum corde, & trementem sermones meos? Et iterum ex Dauid: Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non despiciet. Si dicas, verum esse, per contritionem cordis assequi peccatorem veniam, & iustificationem, & gratiam, cum hoc tamen sibi superesse sacerdoti confiteri, vt præceptum compleat de confitendo, sicut si quis ante baptismum verè conteratur, consequitur gratiam, & remissionem originalis peccati, cum quo tamen relinquitur ei necessarium suscipere baptismum fluminis, exemplo Centurionis, & Eunuchi, & aliorum Sanctorum. Contra hoc replicatur, quia hæc solutio præsupponit, quòd post habitam pœnitentiam cordis, & assequutam peccatorum remissionem, manet præceptum de confitendo, contra quod apparet, quia cessante ratione, & causa legis, cessat ipsius legis vis, & obligatio, sed cùm ratio & causa, ad quam confessio instituta est, sit peccatorum remissio, igitur si hæc remissio per contritionem facta sit, sequitur cessare vim præcepti de vocaliter confitendo. *II. Obiectio.* *Ezech. 18.* *Psal. 31.* *Isaia 56.* *Psal. 50.*

RESPONDETVR. Per idem probaretur, quòd qui ante baptismū esset ab originali peccato liberatus, & apud Deū iustificatus, quòd cessaret vis & obligatio legis de baptismo suscipiendo, quod supponitur falsum. Similiter cùm finis legis de credendo, seu fidem C adhibēdo his, quæ à Deo sunt reuelata, sit salus hominis, si homo ipse aliter gratiam est consequutus, puta per Baptismum, vel dilectionem Dei, vel aliter, non teneretur fidem adhibere reuelatis, à Deo & à Christo traditis. Ideo dicendum, quòd assequuta gratia per pœnitentiam cordis, tenetur peccator ob præceptum, tam Dei, quàm Ecclesiæ, confiteri sacerdoti. Nec verum est, quòd adepta venia, cesset ratio finalis, & causa confitendi, quia Deus ex quo fuit per peccatorem offensus, etiamsi ad pœnitentiam cordis culpam remittat, id tamen loco satisfactionis à peccatore exigit, vt scilicet suo vicario se humiliet, & confiteatur, & absolutionem petat. Et vsquequò à suo vicario absoluatur, dicitur quodammodo in peccatis permanere, etiamsi culpa fuerit per contritionem remissa, & ita remissa culpa, adhuc manet ratio, & causa præcepti, scilicet satisfacere Deo offenso ea satisfactione, quam ipse exigit, eò quòd aliter illi satisfacere de iustitia non possumus. *Responsio.* *Cōsequuta gratia per pœnitentiā cordis, tenetur adhuc peccator sacerdoti confiteri.*

TERTIO obiicitur contra idem authoritas Chrysostomi, qui enarrans quinquagesimum Psalmum dicit: Non dico, vt te prodas in publicum, sed obedire te volo Prophetæ, dicenti: Reuela Domino viam tuam. Et iterum: Si erubescis peccata tua dicere socio, dicito ea quotidie in anima. Et non dico, vt ea confitearis conseruo tuo, dicito Deo, qui curat ea &c. In quibus videtur significare, quòd satis est, si peccator Deo sua peccata cōfiteatur, etiamsi homini ea non dicat. Respondetur, quòd Chrysostom. in his locis non excludit confessionem hanc sacramentalem, de qua loquimur, sed publicam, quę posset *III. Obiectio.*

in infamiam cedere confitentis. Hoc patet ex ipsis verbis citatis, cùm ait: Conseruo tuo, vt tibi exprobret &c. Igitur cum his stat, quòd secretè, & sacramentaliter sacerdoti debeat confiteri. Nec obstat quod ait, scilicet satis esse peccatori, si Domino sua peccata fateatur, nam qui sacerdoti confitetur, Domino potiùs, quàm homini confitetur, ex quo sacerdos vicem Dei, cuius vicarius est, tenet, & sacerdos audit, & iudicat, non vt homo, sed vt Deus, & ita si in testem producatur, potest dicere, se nil scire, quia nescit vt homo, sed vt Deus, vt ait Thom. cum aliis. Et quòd Chrysostomus dicens quòd Domino peccata fateamur, suadere intendat, quòd sacerdoti fiat huiusmodi confessio, aut quòd Domino, mediante sacerdote fateamur, patet, quia ait; Perfecta pœnitentia cogit peccatorem omnia libenter sufferre, in corde enim contritio, in ore confessio, in opere tota humilitas &c. vt habetur de pœnitentia distinctio.1. cap. Perfecta. Et cap. Non potest. Et iterum idem Chrysostomus reprehendit peccatorem, quòd non erubuit peccata facere, & erubescit ea confiteri, quod non procedit de confessione, quæ soli Deo in corde fit, nam illic non est quòd erubescat quis Deo confiteri, sicut erubescit, si sacerdoti ore sua detegat occulta. Vide ipsum in sermone de pœnitentia, & alibi.

IIII. Obiectio. QVARTO obiicitur contra idem ex Ambrosio, qui in sermone de pœnitentia Petri, ait: Lego, quòd fleuerit, non lego quid dixerit. Lachrymas eius lego, satisfactionem non lego. Et iterum: Lachrymæ lauant delictum, quod voce pudor est confiteri. In quibus videtur significare, non esse necessarium peccatori vt ore confiteatur, satis est, si doleat.

Responsio. RESPONDETVR. Nec Ambrosius hîc excludit hanc secretam confessionem, de qua loquimur, sed potiùs videtur velle nobis intimare, quanta sit erga peccatores Dei misericordia, qui nulla expectata exteriori satisfactione, aut vocali confessione, in hoc solùm quòd peccator verè de peccatis dolet, condonat offensam, cum quo tamen stat, quòd maneat obligatus suo tempore sacerdoti confiteri. Et quòd id sit de mente Ambrosij, patet ex cap. Verbum Dei. de pœnitentia distinct.1. Vbi ait, sacerdotibus datum esse ius ligandi, & soluendi, sacerdotesque esse à Deo iudices peccatorum constitutos. Et capitul. Non potest. statim sequenti, dicit eos partem in regno Dei habere non posse, qui negant, sacerdotibus collatas esse claues regni cœlorum, eosq; sine huiusmodi clauibus non posse cœlestem gratiam percipere. Vide ibi multa alia satis ad propositum dicta. Sed de his alibi.

An sit hæreticũ dicere, non esse de necessitate salutis sacerdoti peccata confiteri. ESSET TAMEN dubium, an dicere, quòd non sit de necessitate salutis, sit hæreticum. Et dixit Bonauentura in suo 4. quòd ante Concilium Lateranense, vbi fuit iussum vocaliter confiteri, non erat hæreticum illud dicere, cùm multi Doctores Catholici contraria in hac re fuerint opinati, vt patet ex Gratiano, qui in tractatu de pœnitentia multa pro & contra allegat, quem constat ante tempus præfati Concilij fuisse;

Sententia I. post concilium autem, hæreticum esse illud asserere, ex quo Ecclesia iussit confiteri, cui

Oppugnatur. de iure diuino de necessitate parendum est. Contra hunc modum est aperta ratio, nam si ante statutum Ecclesiæ hæreticum non fuit, dicere, non esse de necessitate confitendum, igitur nec postea. Patet, quia Ecclesia non potest facere de non Catholica Catholicam propositionem, nec de non hæretica hæreticam, cùm hæresis sit dogma falsum, fidei orthodoxæ contrarium, fides autem non ex humana constitutione, aut voluntate

2. Petri 1. pendeat, iuxta illud Petri: Non voluntate humana allata est prophetia, sed Spiritu sancto inspirante loquuti sunt Sancti Dei &c. sed ex Dei reuelatione. Vnde & obiectum fidei, dicitur omne reuelatum à Deo &c. Igitur quamuis statutum humanũ potuerit facere de non necessario necessarium fieri, non tamen de non hæretico hæreticum, nec in his quæ fidei sunt, potest Ecclesia quicquam mutare, sed potest tantùm declarare. Modò in statuto, omnis vtriusque sexus. non declarauit aliquid esse de fide, sed statuit, & iussit, quando esset confitendum.

II. Sententia. IDEO DIXIT Adrianus, quòd post præfatum statutum, & antea post datam legem Euangelicam fuit hæreticum dicere, non esse de necessitate salutis vocaliter confiteri. Quod probatur, quia eius opposita, scilicet necessarium est vocaliter confiteri, sequitur ex Euangelio, vbi dicitur: Quorum peccata retinueritis, retenta erunt, vt suprà deductum est.

Reiicitur. SED NEC hoc videtur verum, loquendo propriè & strictè de hæresi, vt suprà definita est, & ipse definiuit, quòd scilicet est dogma falsum fidei contrarium &c. Nam eius opposita

A oppoſita non eſt de fide ſtrictè, cùm illa propoſitio dicatur de fide ſtrictè, quæ expreſsè eſt inter reuelata contenta, vel ex ipſis reuelatis ſufficienter deducta, hæc autem ſcilicet, neceſſarium eſt peccatori vocaliter ſacerdoti confiteri, non expreſsè in ſcriptura continetur, vt patet. Et quòd ex ſcriptura non deducatur, ſufficienter patet, quia ex dicto loco non ſequitur immediatè, niſi quòd neceſſarium ſit peccatori, vt ſua peccata à ſacerdote remittantur. Et ſi ſubſumas, quòd peccata à ſacerdote remitti nõ poſsint, niſi priùs ipſe peccator ea vocaliter confiteatur: Hæc ſubſumptio, quę ad illationem eſt neceſſaria, non eſt de fide, quanquam ſit vera, nec rationabiliter poſsit negari.

IDEO DICENDVM, quòd præfata aſſertio non eſt ſtrictè hæreſis, ſed ſapit hæreſim. Illa enim dicitur ſapere hæreſim, cuius contraria ſapit fidem, qualis eſt hæc, neceſſarium eſt peccatori vocaliter confiteri. Patet, quia ex vna, quæ eſt de fide, cum alia, quæ non eſt de fide, ſed quæ rationabiliter negari non poteſt, ſequitur illa, igitur illa ſapit fidem. Patet ſic arguendo: Neceſſarium eſt peccatori à ſacerdote abſolui à peccatis ſuis. Hæc patet ex textu Ioannis 20. ſed ſacerdos non poteſt peccata peccatori remittere, niſi præuia confeſsione, per quam ea cognoſcat, quæ remittere debet, igitur neceſſarium eſt peccatori confiteri ſacerdoti. Maior eſt de fide. Minor non poteſt cum ratione negari: Igitur concluſio ſapit fidem. Et ita eius oppoſita, de qua id quæſitum eſt, ſapit hæreſim. Vt autem aſſertor ſit hæreticus, & vt talis puniendus, ſatis eſt, ſi hæreſim, vel propoſitionem ſapientem hæreſim cum pertinacia affirmet.

III. Sententia verior, ſcilicet prædictam propoſitionẽ ſapere hæreſim. Probatur.

B DE HAC tamen aſſertione eſſet ſimile dubium, ſi quis aſſerat non eſſe neceſſarium de iure diuino vocaliter confiteri, vt tenent Iuriſtæ, & cum eiſdem Eraſmus idem videtur ſentire. Reſpondetur, ex dictis apertè ſequi, eam ſapere hæreſim, ſicut & eius oppoſita ſapit fidem. Patet, quia ex ea ſequitur vna, quæ ſapit hæreſim, igitur & ipſa ſapit hæreſim. Antecedens patet, bene ſequitur, vocaliter confiteri non eſt neceſſarium de iure diuino, igitur ante inſtitutionem Eccleſiæ, aut etiam nunc conſtitutione Eccleſiæ ſemota, non eſſet neceſſarium vocaliter confiteri. Hæc conſequentia eſt nota, ſuppoſito, quòd huiuſmodi vocalis confeſsio non ſit de iure naturæ, conſequens autem oſtenſum eſt hæreſim ſapere; igitur & antecedens, ſicut & eius oppoſita ſapit fidem, ſcilicet hæc: De iure diuino eſt neceſſarium confiteri vocaliter, quia bene ſequitur: Ante conſtitutionem Eccleſiæ de confitendo erat, & eſt neceſſarium vocaliter confiteri, ergo de iure diuino eſt neceſſarium &c. Ex quo, nullo alio iure ante Eccleſiæ conſtitutionem erat neceſſarium &c. Hanc autem neceſsitatem etiam ante Eccleſiæ conſtitutionem ſatis nos docuerunt Doctores ſancti Chryſoſtomus, Ambroſius & Auguſtinus, vt videre licet de pœnitentia diſtinctio.1. &c.

Occurritur obiectioni.

De peccatis neceſſariò confitendis.

C

QVÆSTIO QVINTA.

PRAESVPPOSITO eſſe de neceſsitate ſalutis, vocaliter ſacerdoti confiteri, eſt alia quæſtio quid ſit, quod de neceſsitate ſit confitendum, ſcilicet, an originale peccatum, an veniale, an ſolùm mortale: Et de mortalibus, an ea quæ ante baptiſma commiſſa ſunt, an ſolùm ea quæ pòſt.

Quænam peccata ſint de neceſsitate ſalutis cõfitenda ſacerdoti?

DE PECCATO originali eſt concluſio, quòd non ſit de neceſsitate confitendum, etiamſi homo ad adultam peruenerit ætatem. Ratio, quia non ſunt de neceſsitate confitenda peccata, niſi quæ perſonalia, & propria voluntate commiſſa ſunt, peccatum autem originale non eſt perſonæ, ſed naturæ vitium, nec eſt propria voluntate, ſed aliena contractum, igitur ad ſui remiſsionem actum perſonalem non exigit, ſed poteſt per alterius actum remitti, puta per ablutionem baptiſmalem &c. Hæc ratio colligitur ex capit. Maiores. de baptiſmo, & eius effectu. Vbi dicitur, quòd ad remiſsionem peccati originalis, non requiratur proprius conſenſus, cùm non propria voluntate tale peccatum fuerit contractum.

Et primo quæritur de peccato originali.
Concluſio negatiua.
Ratio I.

SECVNDO idem probatur, quia pro originali peccato non debetur pœna ſenſus, vt ſuppono, tam ex communi Doctorum conſenſu, quàm ex præfata decretali Maiores. igitur non eſt neceſſarium de originali pœnitere, & per conſequens nec illud vocaliter confiteri, quandoquidem confeſsio vocalis de qua loquimur, inter alias condi- II.

 tiones,

tiones, quas dixi habere, vna est, quòd sit lachrymabilis, id est, ex cordis pœnitentia procedens.

III. Tertio quia originale peccatum suum peculiare remedium habet, scilicet baptismum, idque sufficientissimum, ac proinde ad eius remissionem, non est aliud sacramentum necessarium. *Obiectio.* Quòd si quis obiiciat esse necessarium de culpa originali ad minùs pœnitere, ex decreto Augustini, de consecratione, distinct. 4. Omnis qui suæ voluntatis arbiter constitutus est, nouam vitam gratię inchoare non potest, nisi pœniteat eum veteris vitæ, à qua pœnitentia soli paruuli immunes sunt &c. Vnde colligitur, quòd omnes adulti debeant pœnitere, inter quos possunt dari, qui nullam veterem habent culpam nisi originalem, igitur de illa tenentur pœnitere. *Solutio.* Respond. Augustinum loqui de adultis, qui peccata propria voluntate commiserunt, quod notatur, seu significatur per veterem vitam, quæ peccati opera importat.

De confitendis venialibus.

II. Quæritur de peccatis venialibus. Partis affirmatiuæ rationes. I. De peccatis venialibus est eadem dubitatio: In qua nonnullis Doctoribus visum est esse de necessitate salutis, ea sacramentaliter confiteri sicut & mortalia, siue sola sint, siue mortalibus adiuncta. Tum ex eo quod Christus dixit, quorum remiseritis peccata, remissa erunt, & quorum retinueritis, retenta erunt. In quo Christus indistinctè de peccatis loquutus est, dicens in sententia se non remissurum peccata aliqua, quæ per sacerdotem, præuia confessione, non fuerint remissa. Cum igitur nomine peccatorum venialia peccata intelligenda veniant, sequitur sub eadem necessitate esse venialia confitenda, sub qua & mortalia.

II. Secundo id probant ex capit. Omnis vtriusque sexus. In quo statutum est, fideles debere confiteri omnia sua peccata, vbi iterum nulla fit peccati exceptio, sed potiùs qui totum dicit, nil excludere videtur.

III. Tertio, quia aliqua sunt peccata venialia, quæ an mortalia sint dubitat ipse peccator, igitur illa de necessitate tenetur confiteri, alioqui exponeret se periculo dimidiandi confessionem.

IIII. Qvarto, quia si necessarium est mortalia confiteri, ideo est, vt peccator veniam consequatur, & pœnam æternam vitet, sed venialia mortalibus coniuncta æternaliter punientur, sicut ipsa mortalia, igitur de necessitate sunt confitenda, sicut & mortalia.

Pars negatiua vera est. Probatur I. Respondetvr. His non obstantibus tenenda est conclusio opposita. Probatur, quia ad remissionem venialium alia plura remedia sufficiunt, ex communi omnium sententia, scilicet feruor charitatis, confessio generalis, oratio Dominica, aqua benedicta &c. Igitur ad eorum remissionem non est necessaria confessio sacramentalis, de qua loquimur, quandoquidem sufficientia vnius remedij alterius necessitatem excludit.

II. Secvndo quamuis homo in venialibus decedat, poterit in alio sæculo veniam eorum consequi, imò non solùm poterit, sed si in charitate simul decedat, veniam necessariò consequetur, igitur ad eorum remissionem non est necessaria vocalis confessio. *1. Corinth. 3.* Antecedens patet, tum ex Sanctorum sententia super illum locum Pauli: Qui superædificat lignum, fœnum, stipulam, saluus erit, sic tamen quasi per ignem. Similiter super illud quod Christus de peccato in Spiritum sanctum dixit: *Matth. 12.* Qui peccauerit in Spiritum sanctum, non remittetur ei in hoc sæculo, nec in futuro, vnde colligunt peccata aliqua posse in alio sæculo remitti, & non mortalia, vt suppono, igitur venialia. Tum etiam ex ratione aperta, quia cùm venialia se compatiantur cum charitate, stat igitur aliquem in charitate simul & venialibus decedere, talis ob gratiam finalem tandem saluabitur, quandoquidem in iudicio omnes iusti mercedem ęternam accipient, igitur necesse est peccata venialia, in quibus decesserunt, illis finaliter remitti, cùm constet in regnum cœlorum nil coinquinatum posse introire.

III. Tertio, quia confessio sacramentalis non est necessaria nisi de his peccatis, propter quæ homo periclitatur, aut naufragium patitur, dicente Hieronymo super Amos I. Pœnitentiam sacramentalem esse secundam tabulam post naufragium. Cùm ergo per venialia huiusmodi naufragium non veniat, sequitur.

Ad

Soluũtur rationes contraria. Ad I.

A AD RATIONES in oppositum dicendum, quòd etsi Christus expresse non fecerit exceptionem quando dixit, Quorum peccata non remiseritis, nec ego remittam, ipsa tamen ratio cogit nos, vt dictum illud de solis mortalibus intelligamus, quãdoquidem si ad venialia peccata extenderetur, falsus esset sensus assignatus, scilicet: Quæ vos non remiseritis, ego non remittam, cùm certum sit, peccata venialia posse in hoc sæculo & in alio sine eorum Sacramentali confessione, remitti, vt ex dictis patet.

Ad II.

AD SECVNDAM de cap. Omnis vtriusq; sexus &c. dicendum, quòd nec illa decretalis se extendat ad venialia. Tum, quia Ecclesia non potuit obligare ad impossibile vel quasi, quale est, omnia venialia confiteri, cùm ea omnia homo dinumerare non possit. Tum etiam, quia Christus non obligauit ad cõfessionem venialium, igitur nec Ecclesia. Antecedens patet ex dictis. Et consequentia nota est, quia si Christus non obligasset ad confessionem mortalium, Ecclesia ad eam minimè obligare potuisset, vt ex dictis patet. Et ita in præfata decretali Ecclesia nil noui videtur induxisse super confessione peccatorum, præterquam assignare tempus, scilicet semel in anno.

Ad III.

AD TERTIAM dicendum, quòd in casu verum sit hominem debere confiteri venialia, non quia iure aliquo ad id astrictus sit, sed ratione conscientiæ dubiæ, vt periculũ vitetur, sicut etiamsi sciat esse venialia, & cum hoc credat se teneri ad eorum confessionem, tenetur, ne conscientiæ propriæ contraueniat. Imò si actus fecerit, qui re vera B peccata non sunt nec mortalia nec venialia, & dubitet an mortalia sint, stante dubio, tenetur ea confiteri, et ita nil contra conclusionem, quæ de iure procedit.

Ad IIII.

AD QVARTAM dicendum quòd ratio supponat falsum, scilicet venialia in inferno æternaliter esse punienda, vt patet ex dictis in tractatu de peccatis venialibus. Et eo cum antiquis Doctoribus admisso, non sequitur quòd sint de necessitate confitenda, quia quòd æternaliter puniantur, accidit non ratione sui, sed ratione status vel peccati mortalis cui adiuncta sunt, vt aliâs visum est.

Corollarium I.

SEQVITVR iam impertinens esse peccata venialia esse sola, an mortalibus coniuncta, ad hoc quòd sint vel non sint de necessitate confitenda.

II.

Peccata venialia nihilominus materia cõfessionis Sacramẽtalis eorundẽq; absolutio Sacramentalis est.

EX HIS fortè posset aliquis moueri ad dicendum absolutionem à peccatis venialibus Sacramentalẽ non esse, nec peccata venialia esse materiam confessionis Sacramentalis. Nam aut Christus instituit venialia esse materiã huius Sacramẽti aut Ecclesia. Non secundum, vt suppono. Nec primum, quia ex suprà dictis apparet confessionem Sacramentalem à Christo esse institutam, quando dixit: Quorum remiseritis peccata &c. Sed illa authoritas non se extendit ad venialia, vt modò conclusum est, sed ad sola mortalia. Igitur sola mortalia instituit materiam Sacramentalis confessionis. Et quanquam Caietanus cum aliis dicat, venialia esse quidem materiam congruam confessionis Sacramentalis, non tamen necessaria. Thomas etiam idem ait, quod Caietanus in 4. distinctione 21. quæstione 2. ad primum. Idem dicit Augustinus, et citat Magister distinct. 21. C §. 5. in quarto. id tamẽ minimè probant. Nec valet dicere per primam clausulam præfatę authoritatis, Christum sacerdotibus potestatem remittendi omnia peccata contulisse, per secundam autem necessitatem mortalia confitendi significasse. Non valet, quia non est verisimile æquiuocè peccata accipi in textu signato, nisi fortè recurratur ad rationem, quia qui concessit maius, visus est & minus concedere, modò maius est mortalia remittere quàm venialia. Idem dubitari potest de absolutione à peccatis mortalibus reiterata, an sit Sacramentalis, de quo pòst.

De confitendis mortalibus ante baptismum commissis.

Tertiò q̃ritur de peccatis mortalibus ante baptismum commissis, an scilicet de necessitate salutis sint confitenda? Rões partis affirmatiua. I. II.

DE PECCATIS mortalibus ante baptismum commissis est simile dubium, an sint de necessitate confitenda. Ad quod dixit Angelus de Cla. verbo, confessio. 2. §. 2. quòd sic. Et pro se citat Richardum in 4. distinct. 17. Mouetur, quia cõfiteri mortalia est de iure diuino, ideo obligat tam fideles, quàm infideles, quamuis statutum Ecclesiæ de semel in anno non nisi fideles obliget. Scotus dist. eadem videtur idem sentire, arguẽs contra eos, qui dicunt confessionẽ hanc de solo iure humano Ecclesiastico esse, inferens inde quòd tunc infideles nõ essent obligati sua mortalia cõfiteri, quod supponere videtur falsum. Et consequentiã probat, quia statutum humanum non ligat infideles, iuxta illud Pauli 1. Ad Corint. 5. Quid ad nos de his qui foris sunt iudicare? Adrianus

rationes Scoti ad idem propositum referens, videtur hãc rationem Scoti approbare, dicens eam efficacem esse. In quo videtur idem quod Angelus sentire. Pro quibus etiã videtur facere, quod habetur Actor.19. Quòd multi ex Gentilibus, audita prædicatione Pauli, veniebant ad eum, confitentes peccata sua, cùm tamen nondum essent baptizati.

III.

IIII. PRO EISDEM videtur Gabriel facere, dicẽs in genere, quòd illa peccata teneatur homo voce cõfiteri, de quibus tenetur corde pœnitere, sed peccator tenetur corde pœnitere de mortalibus, etiam ante baptismum commissis, iuxta decretũ Augustini suprà citatum, scilicet: Omnis qui suæ voluntatis arbiter constitutus est, nouam vitam gratiæ inchoare non potest, nisi pœniteat eum veteris vitæ, igitur tenetur etiam ea confiteri.

Pars negatiua vera est. Probatur I. RESPONDETVR. His non obstantibus videtur tenendum contrarium, & probatur, quia si necessarium esset peccata ante baptismum commissa voce sacerdoti confiteri, vel essent confitenda ante baptismi susceptionem, vel post. Non primum, quia ante baptismum nõ habet locum Sacramentalis confessio, de qua loquimur, cùm baptismus sit ianua Sacramentorum, & pœnitentia sit secunda tabula post naufragium. Nec id etiã tenet Ecclesiæ consuetudo, sed venientes ad fidem, si volunt baptizari, baptizantur, etiamsi Sacramentalis confessio non præcedat.

NEC SECVNDVM, quia ex quo per baptismum sunt sufficienter, & plenè condonata peccata, sic decedens statim ad gloriam volaret, nõ igitur est necessarium illi postmodum illa peccata confiteri.

II. ET CONFIRMATVR ex fine ipsius confessionis, qui est assequutio veniæ, nam cõfessio hæc de qua loquimur, est confessio peccatorum facta sacerdoti, cum spe veniæ, seu ad finem veniæ consequendæ. Sed cùm hæc venia sit plenissimè in baptismo adepta, nõ habet locum postea spes huiusmodi veniæ, vt ait Paulus: Quod videt quis, quid sperat? Ita in proposito dici potest, quod plenè obtinet quis, quid sperat?

Ad Roman. 8.

III. AD IDEM facit Ambrosius super 11. cap. Pauli ad Rom. dicens: Gratia baptismalis non requirit gemitum, nec planctum, nec vllam satisfactionem. Quod citans Magister in 4. & alij, exponunt non esse necessariam pœnitentiam exteriorem, nec satisfactionem vllam exteriorem de peccatis ante baptismum commissis, quæ omnia per baptismum plenissimè condonantur, & sunt, ac si non essent commissa. Sed vocalem confessionem exigit Deus loco satisfactionis pro offensa contra Deum per peccatum cõmissa, igitur.

Ad ratiões partis affirmatiuæ respondetur. Ad I. AD RATIONES autem ante oppositũ, dicendum ad Angelum, qui pro se citat Richardum, ipsum Angelum decipi, quia Richardus quærens, an pœnitentia sit necessaria de peccatis ante baptismum commissis, respondet distinguendo de pœnitentia Sacramentali, & de pœnitentia virtute, quæ cordis contritio est. De prima ait eam nõ esse necessariam, secus de secunda. *Ad* II. Ad id quod ex Scoto citatum est, ita videtur quòd in loco citato id quod dictum est videtur sentire, attamen illic obiter procedit, & nõ ex intento ad quæstionem præsentem respondet. Et ipse Scot. in 4. distin. 4. q. 4. ad secundum, satis apertè videtur tenere contrarium, dicẽs de illo qui fictè baptizatus est, quòd postea non tenetur confiteri, nisi peccatum fictionis, quod impediuit ne gratiam baptismalem consequeretur. *Ad* III. Ad aliud quod ex Actibus citatum est, dicendum quòd illi Gentiles, qui peccata confitebantur, non Sacramentaliter confitebantur, nec ad hunc effectum, vt sacramentaliter per Apostolos absoluerentur, sed more illius temporis, qui veritatis fidei cognitione habita, ad Christum & Deum conuertebantur, humiliter ad baptizantes veniebant, vt à peccatis ablueerentur & fidẽ Christi in baptismo profiterentur. In quo opere ipso monstrabant se peccatores esse. Et fortè ore confitebantur se in peccatis vixisse, à quibus lauari petebant. Id tamen in genere, non in specie, sicut nunc in Ecclesia fit. Quod patet ex eo quod habetur Matthæ. 3. quòd scilicet Pharisæi, seu Iudæi veniebant ad Ioannem, vt baptizarentur, confitentes peccata sua, quod tamen certum est, non de hac confessione Sacramentali esse intelligendum. Adde quòd cap. 19. Actor. suprà citato, videtur significari, quæ peccata confitebantur illi, qui ad Christum cõuerti volebant, quia non nisi publica peccata idololatriæ, in quibus vixerunt, vnde & libros suæ artis magicæ Apostolis offerebant, qui eos comburi publicè iusserunt. *Ad* IIII. Ad illud quod ex Gabriele obiectum est, non puto eum sensisse confessionem hanc necessariam esse de peccatis ante baptismum cõmissis, etiamsi de illis cordis pœnitentia sit necessaria. Sed quòd dixit de illis peccatis esse necessariam confessionem, de quibus est pœnitentia cordis necessaria, procedit de peccatis post baptismum commissis.

De inte-

A *De integritate confeßionis.*

QVÆSTIO SEXTA.

Sola pctā mortalia post baptismum cōmissa, sunt de necessitate salutis cōfitenda.

Quo iure necessariū sit omnia mortalia confiteri eidem sacerdoti?

Conclusio iure diuino.

Varia probationes.

SVPEREST ergo, vt sola peccata mortalia post baptismum commissa cadant sub necessitate confitendi, sed est quæstio de integritate confessionis: An scilicet necessarium sit & quo iure, ea omnia integrè vni sacerdoti confiteri. Et cùm concors sit omnium sententia, debere huiusmodi integritatem seruari, in fundamento tamen & ratione est difficultas, scilicet an possit sufficienter hic articulus probari, super quo breuiter videndum.

PROBAT id primò Thom. à simili de morbo corporali, seu de homine multis morbis corporaliter laborante, qui si vult à morbo ope medici curari, debet omnem morbum suum medico pandere, eò quòd vnus morbus per alium aggrauatur, vt cognito I.
morbo, & his quæ ipsum aggrauant, medicus debitā adhibeat medicinam. Et confirmatur hoc idem, quia solet medicina ægroto applicata prodesse cōtra vnum morbum, quæ II.
ex altera parte nocet, & impedit alterius morbi curationem, ac proinde necessarium est, si debitè sanari vult, omnem morbum medico pandat. Ita igitur debet, qui multis mor-
B bis animæ, id est, peccatis laborat, omnes eos medico pandere spirituali, id est, sacerdoti, vicem Dei tenenti, vt debitè curetur.

DEINDE confirmatur idem, quia peccator non solùm indiget medicina curatiua III.
peccati commissi, sed etiam præseruatiua à recidiua, seu à peccato futuro, qualis est consilium sacerdotis, seu præceptū de vitādo aliqua, sine quibus à peccato recidiuæ liberari non potest. Hoc autem consilium, seu præceptum dari peccatori sufficienter nō potest, nisi sacerdos sciat integrè vitia, & peccata, & vitam ipsius pœnitentis, cùm consilium datum ad vnum peccatum vitandum, possit dare causam ad vitium contrarium fouendū.
Præterea eundem articulum probat Durandus ex correspondentia, quæ debet esse inter IIII.
signum, & signatum. Confessio autem vocalis signum est contritionis mentalis, sed cōtritio debet esset integra de omnibus mortalibus, qui enim de vno conteritur, necesse est de omnibus conteratur, si debet ipsi contritio prodesse, igitur & confessio debet integrè de omnibus fieri, si debet confitenti prodesse.

PRAETEREA potest idem probari ex iure humano, cap. Omnis vtriusque sexus. V.
Vbi præcipitur vnicuique fideli omnia sua peccata sua sacerdoti confiteri. Si dicas non inde manere, probatum esse de iure diuino integrè confiteri. Contrà, imò si Decretalis attendatur, aliquid præsupponit, & aliquid de nouo per vim obligationis inducit. Quod autem de nouo inducit, vt ait Doctor sanctus, & alij Doctores, solùm est temporis determinatio, puta vt semel in anno fiat confessio, quæ alioqui absque temporis de-
C terminatione erat à Deo iussa. Et si hoc ita sit, sequitur quòd reliquum, quod illic iubetur extra temporis limitationem, seu determinationem, non sit de humano iure, sed diuino, scilicet, quòd omnis fidelis omnia sua peccata vni sacerdoti confiteatur. Ideo dixit sacerdoti suo, non sacerdotibus, vt intelligamus, confessionem diuidi non posse, qualiter diuideretur, si peccator quædam vni sacerdoti confiteretur, quædam verò alteri confitenda reseruaret.

ITEM HVNC articulum esse de iure diuino probari potest ex eodem text. Ioan. 20. VI.
vnde probata fuit necessitas confitendi, dixit enim Christus ad sacerdotes: Peccata, quæ vos remiseritis, ego remittam, quæ autem vos non remiseritis, nec ego remittam. Sed Christus peccata mortalia ab aliquo commissa de lege non remittit nisi integrè. Vel enim nullum remittit, vel omnia, iuxta Augustini sententiam, impium est à Deo dimidiam sperare veniam, quoniam remissio fit per gratiam & amicitiam eius, igitur nec sacerdos potest remittere peccata nisi integrè. Alioqui, si aliqua remitteret, & non omnia, cùm Christus promiserit se remissurum ea, quæ sacerdotes remiserint, sequeretur quòd etiā Christus in casu aliqua remitteret, & non omnia, quod est contra dictam Augustini sententiam. Si igitur necessarium est, sacerdotem omnia peccata integrè remittere, si aliquod remittit, igitur necesse est integram confessionem debere præcedere. Alioqui si integra posset per sacerdotem fieri peccatorum remissio, nō præcedente integra cōfessione, igitur pari forma posset remissio peccatorū per sacerdotē fieri nulla præcedente con-

confeſsione, vel ſolùm in genere &c. quod eſt contra veritatem ſuprà probatam. Et ita ex eodem iure & textu, quo probatur neceſsitas confitendi, probatur etiam neceſsitas integrè confitendi.

Oppugnātur p̄dictæ rōes, tanquā minùs efficaces cōtra hæreticos.

MIHI TAMEN non videntur præfatæ rationes admodum efficaces, vt per eas poſsimus hæreticos, ſeu contrarium tenentes reuincere. Prima enim non probat intentum, propter duo. Primò quia præſupponit, omne peccatum per alterum aggrauari, quod inde videtur falſum, ſi vniuerſaliter intelligatur, quia vitium & peccatum eſt ignorantia
I. craſſa, ebrietas, timiditas, ira ſeu paſsio contra rationem rectam inſurgens, & tamen hæc omnia non modò non aggrauant peccata inde conſequentia, ſed in parte excuſant. De-
II. inde, eſto quòd vnum peccatum aggrauetur per alterum, quando alterum eſt alterius cauſa vel ſequela, vel circumſtantia quodammodo informans, non tamen id ita eſt, quando peccata inter ſe ſunt omnino contraria, aut impertinentia, nec vnum eſt alterius circumſtantia. Deinde eſto, quòd peccata futura aggrauentur per præcedentia, non tamen
III. econtrà, quando illa futura nullam habent colligantiam cum præcedētibus: Sicut enim peccata priora non fuerunt leuiora, quando cōmittebantur, propter bona opera ſubſequutura, ita nec fuerunt grauiora propter mala opera poſtmodum ſuperaddita. Secludo vtrobiq; omnem colligantiam, & conſequutionem poſteriorum ad priora. Ita etiã opera meritoria pręcedentia, non fuerunt magis meritoria propter opera poſtmodum ſubſequuta, maximè ſi inter tempus commiſsionis vnius, & alterius peccati longa temporis
IIII. mora ſit interpoſita. Secundò demus id ita eſſe, vnum ſcilicet peccatum per alterum aggrauari, non inde fit, vt ſit neceſſarium omnia peccata integrè vni confiteri, quia tunc ſequeretur eſſe neceſſarium confiteri omnes circumſtantias peccatum aggrauantes, etiãſi nouam culpam non inducant, quod pro nunc ſupponitur falſum. Imò etiam ſequeretur, eſſe neceſſarium confiteri beneficia à Deo accepta tam ſpiritualia quàm temporalia, cùm hæc omnia aggrauent peccatum contra Deum commiſſum, cùm cauſa ſint, vt homo peccans, magis ingratus ſit Deo, quàm ſi ea non accepiſſet, quod eſt contra ipſum Thomam dicentem, huiuſmodi circumſtantiam non eſſe de neceſsitate confitendam, niſi quando nouam ingratitudinis culpam inducit.

Quatenus vnū peccatū aggrauetur per alterum.

Arguitur cōtra II. rationem.

SECVNDA ratio etiam non probat, quia præſupponit, quòd ſicut medicina curatiua vnius morbi corporalis poteſt quo ad alium morbum nocere, ſeu alium morbum inducere, vel fouere, ita & medicina ſpiritualis morbi curatiua, cùm tamen id non ita ſit. Nam omnis medicina ſpiritualis curatiua, ſeu expulſiua vnius peccati mortalis, eſt ſimiliter curatiua omnium mortalium, ſiue ſit gratia per ſe, ſiue ſit Sacramentum aliquod, ſiue aliud bonum opus in Deum relatum, & cùm ſacerdos non aliam adhibeat medicinam ſpiritualem peccati commiſsi curatiuam, niſi Sacramentalem abſolutionem, quæ vel omnem mortalem culpam, vel nullam excludit, ſequitur in hac re, huiuſmodi medicinam ſpiritualem non aſsimilari corporali.

Oppugnatur tertia ratio.

TERTIA ratio etiam non probat, quæ de medicina præſeruatiua, id eſt, de conſilio ſacerdotis confitendi neceſſariò procedit, tum quia ſtat, quòd confitens non indigeat conſilio ſacerdotis, quia vel ipſe confitens valde peritus & doctus eſt, ſciens quid ſibi agendum meliùs quàm ſacerdos, vel quia ipſe ſacerdos eſt idiota, neſciens rectè conſulere, vel quia confitens ſcit alios viros doctos eſſe, qui poſsint ſibi meliùs quàm ſacerdos conſulere, ad quos intendit adire. Tum etiam, quia ſi opus eſſet cōſilio ſacerdotis, quòd poſſet pœnitentem à recidiua præſeruare, & ita prodeſſe ad vitandum vnum peccatum quod nō iuuaret ad incidendum in aliud, hoc maximè videretur caſu, quo pœnitens haberet vitia contraria, ratione cuius in conſulendo illi oporteret ad vtrumq; vitiũ habere reſpectum; tunc enim conueniret vtrunq; vitium confiteri, vt pro vtroq; cōueniens acciperet conſilium: attamen ſtat confitentem non habere huiuſmodi vitia contraria. Aut etiam caſu, quo confitens eſſet in aſſuetudine aliquod negotium exercendi, ſeu in re aliqua tractandi, in qua opus eſſet conſilio, vt ſciret, an ſit illi à negotio illo deſiſtendum, aut quomodo ſe debeat in illo habere, verùm ſtat pœnitentem in nullo tali ſe exercere. Et denique quantum ad eſſentiam confeſsionis Sacramentalis attinet, non eſt neceſſarium tale conſilium, & per conſequens ad finem habendi debitum conſilium à ſacerdote, non eſt neceſſarium integrè confiteri.

Impugnatur quarta ratio.

QVARTA etiam ratio non probat, quæ innititur correſpondentiæ, quæ debet eſſe inter confeſsionem vocalem & contritionem. Deficit enim primò, quia falſum eſt, quòd contri-

A contritio non admittat diuisionem. Quia stat peccatorem qui plura commisit mortalia, de vno salubriter conteri, absque hoc, quòd de alio formaliter, seu particulariter conteratur, patet hoc supposito, quòd præceptum de conterendo, cùm affirmatiuum sit, non pro semper obliget. Dato ergo tempore, pro quo non obligat, tunc potest licitè conteri de vno propter Deum, absque hoc, quòd de altero conteratur. Patet, quia licitum est ei de nullo eorum conteri pro tunc, igitur licitum erit ei de vno tantùm conteri, quod si propter Deum fiat, habetur intentum. Deinde, si ob correspondentiam cõ- II.
fessionis vocalis ad contritionem sit necessarium integrè confiteri, sicut necessarium est integrè conteri, sequitur quòd quando contritio generalis solùm habetur propter Deum, non descendendo ad particularem peccatorum contritionem, quòd tunc etiamsi confessio fiat, non sit necessarium in particulari confiteri, sed sufficiat in generali, vt signum exterius suo signato correspondeat. Et ita sicut contritio in genere valet ad remissioné peccatorum & gratiam; ita & confessio in genere facta, sufficeret ad eorundem peccatorum remissionem. Si dicas vtrunque sufficere extra tempus obli- *Diluitur obiectio quædam.*
gationis confitendi, secùs tempore obligationis; contrà, tunc si extra tempus obligationis quis confiteatur, licebit ei diuidere scienter confessionem, & licebit in genere solùm se peccatorem esse fateri. Et ita, quoties sacerdotes celebrare volunt, ex voluntate, & non ex obligatione, satisfacerent, si solùm in genere confiterentur. Consequens
B supponit falsum & erroneum, cùm confessio in genere tantùm, Sacramentalis non sit.

QVINTA ratio non omnino conuincit, nam præsupponit, quòd deberet probare, *Reiicitur V. ratio.*
scilicet Decretalem illam nullam obligationem de nouo induxisse, nisi temporis, quo debeat fieri confessio, determinationem, reliqua autem præsupponit altiori iure esse I.
iussa, scilicet, quòd fidelis omnia sua peccata vni sacerdoti confiteatur. Hoc enim est, quod in præsentiarum quæritur, An sit de iure diuino omnia peccata vni sacerdoti confiteri. Deinde si reliqua omnia præsupponeret de iure diuino esse, igitur etiam esset de II.
iure diuino sacerdotem iniungere pœnitentiam, & pœnitentem eam debere acceptare, & implere, quod est contra multorum sententiam. Deinde sequeretur esse similiter de III.
iure diuino, quòd pœnités solus, & secretè suam faciat confessionem, cùm tamen possit etiam coram aliquibus confiteri. Præterea cùm per sacerdotem proprium illic curatus IIII.
intelligatur, sequeretur quòd præfata Decretalis præsupponeret esse de iure diuino cõfiteri curato parochiali, quod tamen non videtur, cùm videamus Papam passim dispensare, & indulgere, vt peccator confessoré sibi eligat, quem velit. Igitur non videtur, quòd illa Decretalis reliqua omnia, quæ de hac materia confessionis tangit, præsupponat esse de iure diuino, dempta temporis determinatione &c.

SEXTA ratio videtur esse alicuius momenti ad probandum articulum præsentem, *Oppugnatur VI. Ratio.*
sed adhuc videtur quòd non sufficienter probet intentum, quia præsupponit, quòd sa-
C cerdos nõ potest remittere peccata, nisi integrè, ad quod prærequiritur confessio inte- I.
gra. Verùm hoc non ita esse apparet, quia quando peccator habet casus reseruatos, & non reseruatos, sacerdos inferior absoluit à non reseruatis, & superior à reseruatis, in quo apertè diuiditur absolutio per sacerdotes facta. Et ita si absolutiones illæ aliquid valent, constat posse sacerdotem in parte remittere peccata, & in parte non, vt tenet communis opinio. Sed de hoc pòst.

PRAETEREA quando sacerdos absoluit pœnitentem, quæro, vel absoluit eum à II.
peccatis quo ad culpam, vel quo ad pœnam temporalem, in quam æterna est per contritionem commutata, vel à debito vocaliter confitendi. Primum non potest dici, saltem si peccator fuerit per contritionem iustificatus, tunc enim absolutio non se extendit ad culpam. Si secundum, aut tertium, tunc certum videtur, absolutionem admittere diuisionem, sicut & pœnæ remissio eam admittit. Similiter & confitendi obligatio, cùm stet peccatorem deobligari à debito confitendi aliqua peccata, puta ea quæ confessus est, manente debito confitendi alia, quę nondum confessus est, &c. De quo tamen postea.

DEINDE cùm ait Christus, peccata quæ remiseritis, ego remittam, & quæ non re- III.
miseritis, nec ego remittam. Quando de remissione sacerdotali loquitur, quæro, an loquatur de illa remissione actu à sacerdote facta, an de ea quæ in proposito à voluntate pœnitentis fit, formaliter vel virtualiter? Non primum, quia non expectata absolutione

lutione sacerdotis, Deus remittit peccata, vt suprà diximus: Si secundum, igitur non sequitur ex dicto textu, nisi quòd peccator tenetur habere propositum, saltem virtuale confitendi omnia sua peccata integrè sacerdotibus. Et hoc propositum habere potest, etsi non proponat vni & eidem omnia confiteri, sed diuersis, igitur ex dicto loco non colligitur necessitas integritatis prædictæ. Itaque difficile est per rationes, aut textus, seu deductiones efficaces probare, præsentem articulum de confessione integra vni & eidē agenda sacerdoti, esse de iure diuino, nisi recurramus ad Christi institutionem, quam voce discipulis tradidit, à quibus & Ecclesia id accepit, seruauit, & seruat. Pro quo facit Augustinus, qui cùm institutionem Ecclesiæ de confitendo semel in anno per multos annos præcessit, in libro de pœnitentia tradidit, & docuit huiusmodi integritatem confessionis seruandam, vt habetur de pœnitentia distinct. 5. cap. Consideret &c. Cùm igitur huiusmodi confessionis integritatem omnes doctores, & sancti necessariam esse fateantur, sicque vbique seruet, & teneat Ecclesia, credendum est sic Apostolos à Christo didicisse, eosque posteris hanc doctrinam verbo tradidisse, etiamsi in lege Euangelica apertè scriptum non sit. Dicere autem non esse necessarium credere, & tenere, nisi ea quę apertè in Scriptura sacra cōtinentur, error est perniciosus, & meritò damnatus contra huius tempestatis hæreticos, vt aliâs deduximus.

Alia probatio quæstionis propositæ de integritate confessionis.

De circumstantiis confitendis.

QVÆSTIO SEPTIMA.

An sit de necessitate integritatis confessionis confiteri omnes circūstantias.

Conclusio I. Circūstātiæ impertinentes non sunt necessariò confitendæ.

DE CIRCVMSTANTIIS est eadem difficultas, an scilicet sit de necessitate præfatæ integritatis confiteri omnes circumstantias. Et quidem de circumstantiis impertinentibus, quæ scilicet nec aggrauant, nec alleuiant peccatum, non dubium, quin non sit necessarium eas confiteri, quia non tenetur peccator confiteri, nisi ea, propter quæ Deum offendit, ratione quorum veniret à Deo æternaliter puniendus, nisi Vicario suo eadem confiteretur, sed propter illas circumstantias, quæ impertinentes sunt, nec Deum offendit, nec ob eas veniret puniendus à Deo. Et ob eandem rationem patet de circumstantiis alleuiantibus, quòd nō sunt de necessitate confitendæ; & etiam quia forum illud secretum, forum accusationis est, non excusationis.

Conclus. II. Circumstantiæ nouam inducētes culpam, sunt necessariò confitendæ.

DE ALIIS verò circumstantiis, quæ aggrauant, & nouam culpam inducunt, non etiam est dubium, quin sint de necessitate confitendæ, alioqui non fieret integra confessio, sed dimidiata, quod non est licitum, vt ex dictis patet. Et loquor de circumstantiis, quæ nouum peccatum mortale inducunt, quia fortè stat aliquem mortaliter peccare ex obiecto, & tamen non mortaliter peccare ob circumstantiam, sed venialiter, vt si quis mortaliter peccando, dat causam astanti alicuius scandali, quod sit solùm veniale, vel alicuius mendacij, seu verbi otiosi, quod illi adstans verisimiliter dicturus est. Vnde si, vt pœna debita peccato mortali hîc non dimisso, in parte remittatur in inferno: patet, quando peccatum mortale per aliquam circumstantiam fuit venialiter solum aggrauatum, pœna ex illa circumstantia debita, finietur in inferno.

Cōtrouersia est de circumstantiis aggrauantibus non tamē mutātibus speciem peccati.

DE ALIIS verò circumstantiis, quæ aggrauant peccatum, & non mutant speciem peccati, an sit necessarium de necessitate salutis eas confiteri. Dixerunt aliqui quòd sic.

Rationes partis affirmatiuæ.

I. PRIMO ex sententia Augustini, & habetur de pœnitentia distinctione 5. cap. Consideret. Vbi docens quid debeat homo confiteri, inter alia connumerat perseuerantiam, & quantitatem, & alia quæ non mutant speciem peccati, sed aggrauant, vel augent peccatum.

II. SECVNDO necessitas confitendi sacerdoti concernit ea, per quæ Deus à peccatore fuit offensus, sed stat Deum magis offendi per circumstantiam aggrauantem solùm, quam per eam, quæ speciem peccati mutat, igitur tunc necesse erit illam aggrauantem confiteri. Maior supponitur, & minor patet, quia si velit aliquis fornicari extra Ecclesiam existens ex intensissimo conatu, & magna libidine, & addatur etiam continuatio talis malæ voluntatis: econtrà alius velit fornicari intra Ecclesiam existens, sed ex remisso conatu, & voluntate momentanea, iam ad offensam Dei plus videtur conducere ille feruens conatus fornicandi, & longo tempore continuatus, quàm circumstantia loci, in

quo

A quo momentanea habetur mala voluntas. Aut exemplifica in quantitate obiecti, puta, Vult Socrates furari extra Ecclesiam centum ducatos, & vult Plato furari in Ecclesia vnum argenteum, cæteris paribus, magis offendit primus, quàm secundus, & si non, cùm excessus peccati ex circumstantia loci proueniens sit finitus, augeatur circumstantia quantitatis furti, vt æquet, vel superet malitiam sacrilegij, & tunc habetur intentum. Tertiò, quia nisi peccata omnia cum circumstantiis aggrauantibus pandantur confessori, non poterit confessor pœnitentiam peccatis proportionatam ipsi pœnitenti iniungere.

Respon. His non obstantibus, videtur tenenda contraria cõclusio, scilicet quòd non sit necessarium huiusmodi circumstantias solùm aggrauantes confiteri. Probatur, quia nullo iure diuino, nec humano ad id tenemur, quod patet, quia hæc iura non obligant peccatores nisi ad cõfeßionem omnium peccatorum mortalium, huic autem obligationi satisfacit peccator, si omnia peccata mortalia vni confiteatur, etiam suppressis præfatis circumstantiis, igitur. *Solutio pro parte negatiua.* *Ratio I.*

Confirmatvr, quia tunc teneretur peccator scire circumstantias aggrauantes, sicut tenetur scire peccata mortalia, quæ tenetur confiteri: Consequens est valde durum, obligare scilicet peccatorem ad sciendum circumstantias aggrauantes, & non solùm eas, quæ mutant speciem peccati. *II.* *Respõdetur ad rationes in oppositum.* *Ad I.*

B Est itaqve vtile eas confiteri, non tamen video esse necessarium ad salutem.

Ad rationes priores respondetur. Ad primam ex Augustino sumptam dicendum, quòd non ponat August. illic ea omnia in hac intentione, vt velit dicere, semper ea esse de neceßitate cõfitenda. Patet hoc, quia status, & conditio, & qualitas psonę peccantis, & eius cum qua peccatur, quæ illic Augustinus ponit, non semp sunt confitenda, quia stat, quòd sint circumstantiæ impertinentes, si status & conditio talis sit, qui in nullo aggrauet, vel alleuiet. Similiter stat, quòd status & conditio aliquando alleuiet culpam. Leuius enim est peccatum, quo dux, vel nobilis, vel princeps vindictam ab eo, à quo iniuriam passus est, capit, quàm si alius ignobilis vindictam capiat de iniuria sibi illata, cæteris paribus. Ac proinde tunc illa omnia confitenda sunt, quando speciem peccati mutant vel nouum inducunt peccatum, alioqui non de neceßitate, sed de consilio, & congruitate veniunt confitenda.

Ad secvndam dicendum, quòd oblatio cõfitendi, non ex grauitate peccati nascatur, sed ex peccato ipso contra Deum commisso. Et quia circumstantia, quę solùm aggrauat peccatum, non inducit nouum, ideo obligationem eam confitendi non inducit, alioqui oporteret cõfiteri beneficia à Deo recepta, tam corporalia, quàm spiritualia, per quæ offensa in Deum cõmissa redditur grauior. Ad tertiam dicendũ, quòd non procedat, tum quia nec necessarium est sacerdotẽ pœnitẽtiam iniungere, nec confitentẽ eam acceptare. Tum, quia esto sit imponenda, & acceptanda, nõ tamen est necessarium eam C proportionatam grauitati peccatorũ imponere, cùm arbitraria sit hodie pœnitentia. *Ad II.* *Ad III.*

De circumstantiis speciem peccati mutantibus.

QVÆSTIO OCTAVA.

Sed dvbitabis, quæ sint illæ circumstantiæ, quæ speciem peccati mutant, vt sciatur quomodo sit integrè facienda confeßio. Respond. quòd illæ dicantur speciem peccati mutare, seu nouum peccatum inducere, quæ distincta, seu propria prohibitione prohibentur. Huius dicti ratio clara est, quia cùm peccatum in tantum sit peccatum, in quantum contra præceptum, seu legem obligatoriam fit, verè igitur illa circumstantia distinctum affert peccatum, quæ distincta prohibetur lege, aut præcepto. Et possumus de multis exemplificare. *Quanã circũstantiæ aggrauantes mutent speciẽ peccati.* *Circumstantiæ variæ mutantes speciem peccati.*

De circvmstantia finis, si quis furatur, vt fornicetur, vel aliud flagitium committat, constat finem illum alia lege distincta esse prohibitũ à lege, quæ furtum prohibet. De circumstantia obiecti, vt si quis fornicetur cum coniugata, vel virgine, vel moniali. De circumstantia agentis, vt si religiosus contra votum continentiæ fornicetur. De circumstantia loci, vt si quis intra locum sacrum fornicetur. Idem patet de circumstantia temporis, & de aliis. I. II. III. IIII.

V. DEINDE fornicari, vel aliud malum agere ſcienter, eſt circumſtantia, quæ diſtin-
VI. ctam malitiam affert, iuxta illud Pauli: Omne quod non eſt ex fide, id eſt, contra con-
Ad Roman. 14. ſcientiam, peccatum eſt.

VII. SIMILITER agere aliquid ſtante conſcientia dubia de qualitate operis, ſpecialiter
Eccleſ. 3. prohibetur, iuxta illud Eccleſiaſtici: Qui amat periculum, peribit in illo.

VIII. SIMILITER peccare cum iactura propriæ famæ, ſpecialiter prohibetur, iuxta illud
Eccleſ. 41. Eccleſiaſtici: Curam habe de bono nomine, nam melius eſt nomen bonum, quàm diui-
tiæ multæ.

IX. DEINDE peccare coram aliis, qui facilè ad ſimile vitium prouocabuntur, eſt ſcan-
Matth. 18. dalizare, quod ſpecialiter prohibetur, vt innuit Chriſtus: Si quis ſcandalizauerit vnum de puſillis his, expedit, vt ſuſpẽdatur ei mola aſinaria, & demergatur in profundum ma-
1. Corinth. 8. ris. Et Paulus: Si eſca ſcandalizat fratrem, non manducabo carnes in æternum.

X. ET DENIQVE quoties quis peccat, & peccatum illud concomitantur, vel ſubſequutura præſumuntur damna aliqua corporis, vel animæ propriæ, proximi, vel reipublicæ, vel famæ, vel aliud damnum quodcunq; quod ſub pœna peccati tenetur homo euitare, tunc huiuſmodi circumſtantiæ dicuntur mutare ſpeciem peccati, non quòd natura actus peccaminoſi mutetur, ſed in eſſe moris mutari dicitur, quia peccans cum tali circumſtantia diſtincto præcepto prohibita, diuerſis dicitur peccatis peccare. Vnde fit, vt in vnico, & eodem actu peccaminoſo contingat aliquem multa ſimul peccata ſpecie differentia committere.

Vno & eodem actu poteſt aliquis multa ſimul peccata ſpecie differentia committere.

VT SI Prælatus alicuius monaſterij in ſuo monaſterio accedat ad vxorem alterius, peccat multipliciter: Primò in fornicando. Secundò, quia cum vxore coniugata. Tertiò, cum ſcandalo fratrum, qui facilè ad ſimile vitium patrandum prouocabuntur. Quartò, cum periculo mortis fœminę, quia eam vir eius fortè occidet. Quintò, cum iactura propriæ famæ, & totius ordinis. Sextò, quia contra conſcientiam propriam, cùm ſciat ſe peccare. Septimò, contra votum continentiæ. Octauò, cõtra ſuam perſonam, quæ Deo conſecrata eſt, tam ratione ſacerdotij, quàm ratione religionis. Nonò, ſeu decimò, contra proprium officium prælati, ad quem pertinet bonum vitæ exemplum ſubditis præbere. Vndecimò, ratione loci ſacri. Duodecimò, ratione temporis ſacri, ſi dies feſtus ſit. Et ita poteris alias circumſtantias apponere.

Quatenus aliquãdo circumſtantiæ, etiã ſpeciem mutantes, in cõfeſſione nõ ſint neceſſario exprimendæ.

SI QVAERAS, an ſecundum hoc ſit conſequenter dicendum, quòd talis prælatus, & quicunq; alius ſimiliter peccans, teneatur ſemper, quando confitetur, has omnes circumſtantias explicare. Reſpon. Non oportet, ſi confeſsio fiat confeſſori, qui confitentem, & cõditionem eius cognoſcat, ſecùs ſi confiteatur confeſſori, qui illas circumſtantias ignoret, quia tunc neceſſarium erit ad integritatem confeſsionis, omnes illas confiteri. Sicut ſi confeſſor vidit me aliqua peccata committentem, non ſum obligatus illa explicare, ſicut ſi ea non ſciuiſſet, ſatis eſt dicere: Pater confiteor me illa peccata commiſiſſe, quæ vidiſti me committere.

Proponitur quidam caſus.

VNDE ſequitur, quid ad caſum ſequentem dicendum ſit: Petrus confeſſus eſt ſuo ſacerdoti, ſcilicet Ioanni, & aderat clàm alius ſacerdos, qui ſimiliter confeſsionem Ioanni factam audiuit, Ioannes autem cui erat facta confeſsio, Petrum non abſoluit, quia noluit, vel quia amplius informari ſuper confeſsione decreuit, & ita receſsit. Poſtea ipſe pœnitens intellexit, illum alium ſacerdotem omnem eius confeſsionem audiuiſſe. Dubitatum eſt, an poſsit ille alius ſacerdos Petrum abſoluere non reiterata eiuſdem

Solutio Palud. confeſsione. Et dixit de Palude, quòd non, quia iudex non poteſt ferre ſententiam ex confeſsione partis coram alio iudice facta, ſi non coram illo vt iudice fiat. Præterea, ita requiritur intentio ex parte confitentis, ſicut ex parte confeſſoris, igitur ſicut neceſſaria eſt ex parte confeſſoris intentio abſoluendi pœnitentem, ita ex parte confitentis neceſſaria eſt intentio confitendi illi ſacerdoti, qui ipſum abſoluere debet, quod tamen in caſu non fit. Quòd ſi quis in oppoſitum obiiciat, quòd ex duobus iudicibus ordinariis, aut delegatis poteſt alter cauſam cognoſcere, & alter ſententiam ferre. Reſpondetur id verum eſſe, quando iudices poſſunt ſibi acta iudicialia pandere, & communicare, vt poteſt in ordinario, & inquiſitore verificari in cauſa hæreſis, vt patet de hæreticis. cap. Per hoc. Acta tamen ſacramentalia, vti ſunt, quæ cõfeſſor in confeſsione cognoſcit, non ita poteſt vnus confeſſor alteri communicare. Oppoſitum tamen videtur probabile, nec per

Verior reſolutio. omnia debent aſsimilari forum cõtentioſum, & pœnitentiale, habet enim vtrumq; ſuas leges,

A leges,& conditiones. In foro enim pœnitentiali satis est, si peccator in genere se reum esse fateatur in omnibus, quæ post discussam conscientiam memoriæ occurrunt, idque sacerdoti, à quo sacramentalem petit absolutionem, modò sacerdos ipsi notitiam habeat peccatorum huiusmodi pœnitentis. Non enim ad aliud videtur necessaria explicita peccatorum confessio, nisi vt sacerdos integram habeat notitiam de peccatis super quibus sententiam absolutiuam debet proferre, ac proinde, si sacerdos aliunde habeat peccatorum ipsius pœnitentis sufficientem notitiam, & peccator se omnium illorum,quæ sacerdos cognouit,reum esse fatetur, siue ea nouerit ex confessione ipsi, vel alteri facta, vel ex facti euidentia, vel aliunde, id pro sufficiente confessione habendum est, vt possit à tali confessore absolui. Inde fit, vt si mulier non habeat alia peccata confitenda, præter ea, quæ cum suo confessore commisit, satisfacit,si dicat: Ego fateor me peccasse in illis, quæ nosti me tecum commisisse. Et si quis extra confessionem verbo,vel scripto,omnem vitam suam peccaminosam confessori suo detexit, tanquam qui historiam narrat, volens postea ab eisdem peccatis sacramentaliter ab ipso confessore absolui, satisfacit, si in omnibus illis, quæ huiusmodi confessori retulerat, reum se esse fateatur, & poterit per illum absolui. Ad hunc modum de aliis casibus videtur dicendum, dummodo talis pœnitens probabiliter credat huiusmodi sacerdotem de omnibus ipsius pœnitentis peccatis alioqui sufficienter instructum esse. Et per hæc patet responsio ad rationes suprà pro opposita sententia factas.

Ad quid necessaria sit explicita peccatorum confessio.

Cõfessio scripto facta quatenus valeat.

B

De circumstantia loci & temporis.

QVÆSTIO NONA.

DE CIRCVMSTANTIA loci, & temporis quærebatur: An semper inducant nouum peccatum. Respon. Quibusdam visum est,quòd non, nisi quando ipse locus, vel dies est obiectum prauæ voluntatis, vt si quis velit fornicari, vel furari intra Ecclesiam, seu in die festo. Sicut dicit Almain, nouum esse peccatum ex circumstantia illa.

An tẽporis atque loci circumstantia nouum semper peccatũ inducant? Sententia quorundam.

AVT SI quis in loco sacro faciat aliquod opus, quod sit impeditiuum eorum, quæ in Ecclesia fieri debent, qualia sunt celebrare, officium Ecclesiasticum dicere,mortuos sepelire, ad Ecclesiam confugientes defendere, confessiones illic audire &c. Illa igitur peccata, quæ sunt horum operum impeditiua, mutant speciem ex circumstantia loci. Sic dicit Caietanus in opusculis.

VERVM QVICQVID sit de his modis dicendi, de quibus aliâs,videtur nũc breuiter,quòd siue homo committat peccatum opere, siue sola voluntate, in loco, vel tempore sacro, potest se tripliciter habere, quia vel id facit scienter,sciens se in loco sacro C peccare,vel ignoranter,crassè,seu affectatè, vel ignoranter,inuincibiliter.

Resolutio. Peccans in loco vel tempore sacro tripliciter se potest habere.

SI PRIMVM, non dubito speciale peccatum esse in casu, ratione loci sacri, qui ad colendum Deum specialiter est dedicatus,& consecratus, ratione cuius illi sua debetur reuerentia, ac proinde qui in tali loco scienter peccat, videtur specialiter offendere Deum.

Conclusio I. Peccans sciẽter in loco, vel tempore sacro, speciale peccatum committit &c.

SIMILITER si peccet in loco sacro ex ignorantia crassa,quia cum ignorantia crassa non excuset à toto,licet bene à tanto,nõ desinit peccare contra Deum ratione loci. Exemplum est clarũ, si quis velit accedere ad eam, quæ re vera monialis est, siue id sciat is qui peccat,siue crassè ignoret,nõ dubium,quin sacrilegium committat. Aut si quis cùm clericus sit,vult vxorẽ ducere,siue sciat,aut aduertat se clericum esse, siue id ex inaduertentia crassa faciat,non dubium quin peccet ob circumstantiam personæ, seu voti.

II. Conclusio. Similiter ex ignorãtia crassa.

SI VERO inuincibiliter ignoret homo ille se in loco sacro, vel tempore sacro peccare,tunc non duplici,sed simplici peccato peccat: Nec opus est circumstantiam in hoc casu cõfiteri. Ex dictis sequitur peccatorem teneri ad confitendum numerum peccatorum,quæ cõmisit,seu frequentiam eorum. Ratio clara est,quia numerus ille seu frequẽtia addit peccatum peccato,& per consequens est de necessitate cõfitendus, non quòd singula in indiuiduo narret,sed satis est,si dicat: Fateor me decies tale peccatũ cõmisisse, vel ter,aut quater &c. Corollariè sequitur, necessarium esse explicare personas, contra quas,vel cum quibus homo peccauit, si nõ potest aliter quis peccatũ in specie explicare.

III. Conclusio. Ignorantia inuincibilis excusat à nouo peccato. Corollarium I. Numerus peccatorum exprimendus est. II.

Item personæ, si aliter speciale peccatum explicari nequeat, secus minimè.

Vt si quis habuit rem cum matre, aut sorore, aut consanguinea propria. Quòd si confessor cognoscit personas complices, satius esset alium confessorem, qui eas nõ cognosceret, quærere, idq́; de licentia proprij curati petita & obtenta. Si autem alterius copia haberi non potest, & instat tempus obligationis, confiteatur proprio, explicando personas ratione quarum distinctum, vel nouum peccatum allatum est, iuxta ea, quæ dicta sunt, excepto, si inde scandalum timeatur, de quo pòst.

Quatenus manifestatio personarum in confessione licita sit aut illicita.

Vbi illvd notandum, quòd non sit licitum complices in confessione explicare, nisi necessitas integrè confitendi, aut alicuius consilij accipiendi id exigat. Sicut nec nudum secretum cõfitenti commissum, est licitum in confessione detegere, seclusa necessitate, etiamsi id aliquando ipsi confitenti cõueniret, quippe quia sacerdos aliquod ei salutare consilium, aut meliorem medicinam, audito secreto, exhiberet, quæ quidem, etsi conuenientia forent ipsi pœnitenti, non tamen necessaria, modò aũt consilia intelligũtur, saluis præceptis. Et ita quando confitentes in confessione personam tertij, absque necessitate detegunt, debent per confessorẽ admoneri, vt de hoc ipso pœniteãt, & deinceps id facere non præsumant. Vbi tamen exprimere personam tertiam necessarium foret, quærat alium confessorem, qui illius tertiæ personæ notitiam non habeat, alioqui confessio huiusmodi facta confessori tertiam personam cognoscenti, culpabilis erit. Nec excusabitur per integritatem confessionis seruandam, quia etsi integritas confessionis exigat personam tertiam aliquando detegere, non tamen exigit, vt talis confessio integra fiat confessori tertiam illam personam cognoscenti, quando alius potest haberi

III. *Confitẽs nõ examinata priùs conscientia, de nouo peccat.*

confessor. Corollariè sequitur peccare de nouo peccatorem, qui non examinata priùs conscientia, confitetur, quia exponit se periculo dimidiandi confessionem, ad cuius integritatem sub pœna peccati mortalis tenetur, vt patet ex dictis. Quantum autem tempus requiratur ad huiusmodi examen, non potest dari regula certa, quia aliqui sunt, quibus breuius tempus sufficit, vt si sint tenacis memoriæ, aut habeãt ingenij solertiam, aut non diu ante confessi sunt &c. Aliis verò econtrà longius tempus est necessarium.

De integritate confessionis non semper seruanda.

QVÆSTIO DECIMA.

An semper integritas cõfessionis seruãda sit.

Conclusio. In aliquib. casibus licitum est confessionem dimidiare.

Sed an semper sit necessarium præfatam integritatem confessionis seruare? Respond. quòd nõ, quia in multis casibus licitum est confessionem dimidiare, etiam scienter. Vt si est verisimile, aut certum, quòd integra confessio cedet in infamiam ipsius confitentis, vt casu, quo pœnitens scit confessorem illum solitum esse confessionem in certis criminibus reuelare, vnde verisimiliter credit, quòd ita secum

I. faciet, tunc non tenetur pœnitens integrè illi confiteri.

Ratio videtvr nota, quia nec intentio Dei, nec Ecclesiæ, nec Sanctorum est obligare pœnitentem, vt cum infamia sua, seu famæ suæ detrimento confiteatur. Ideo in cap. Omnis vtriusq; sexus. statutum est, vt peccator solus sua peccata confiteatur. Ideo etiam dixit Chrysostomus loquens ad peccatorem confiteri erubescentem: Non dico tibi, vt confitearis peccata tua conseruo tuo, vt tibi exprobret. Et iterum: Non dico tibi, vt te prodas in publicum, vt suprà citatum fuit.

II. Similiter si confessio integra fieri non potest, nisi cum periculo mortis corporalis ipsius confitentis, aut alterius, tunc cessat obligatio integrè confitendi, vt casu quo confitens occidit fratrem suum, qui ex alio parente fuerat etiam frater ipsius cõfessoris, quem verisimiliter putat, audita integra confessione, ad sumendum vindictam contra ipsum confitentem irritandum. Et casu quo fœmina, quam curatus sollicitauerat, confitetur se cum alio clerico fornicatam esse, cuius mortem verisimile est pœnitẽti curatum procuraturum, aut in aliis huiusmodi casibus, cessat obligatio integrè confitendi.

Hvivs ratio æquè nota est, nam cessat obligatio integrè confitendi, quando id fieri non potest, nisi cum periculo famę propriæ, à fortiori igitur cessat, quando fieri non potest, nisi cum verisimili periculo mortis propriæ, vel alienæ. Non enim voluit Deus, nec Ecclesia ad huiusmodi confessionem cum tanto periculo, & damno quenquam obligare. In talibus enim casibus satis est summo sacerdoti illa peccata, seu circumstantias confiteri, vnde verisimiliter scit præfata pericula euentura.

Simili-

A SIMILITER si confessio integrè fieri non potest, nisi confessio ab ipso confitente reueletur, cessat præfata obligatio, vt casu, quo quidam clericus absoluit Episcopum quendam à simonia, quem tamen absoluere non potuit, & idem clericus vult curato sua peccata confiteri, cui si confiteatur, se quendam à simonia absoluisse, illicò curatus veniet in notitiam Episcopi, qui simoniam prius fuerat confessus, tunc non tenetur is clericus illud peccatum in specie confiteri. Ratio huius etiam clara est, quia longè plus obligat præceptum de non reuelando confessionem, quàm præceptum de integrè confitendo, vt suppono, igitur hoc debet illi cedere. III.

HINC PATET ad casum sequentem. Si fœmina cum aliquo fornicata, hoc peccatum suo sacerdoti cõfiteatur, & verisimiliter sciat, quòd eam sollicitabit, & in libidinem excitabitur, an ad vitandum huiusmodi scandalum confessoris teneatur illud peccatum subticere. Et vniuersaliter posset quæri, an in similibus casibus, pro vitando scandalo cõfessoris posit, & debeat dimidiari confessio? Dixerunt aliqui, quòd non. Tum, quia ex regula iuris, vtiliùs scandalum nasci permittitur, quàm veritas relinquatur. Cùm igitur integrè confiteri sit de veritate vitæ, ex quo est de præcepto sub pœna peccati mortalis obligante, sequitur, quòd non sit prætermittenda propter scandalum confessoris vitandum. Tum etiam, quia si liceret ab integra confessione cessare propter huiusmodi scandalum, igitur etiam liceret totaliter à confessione ob eandem causam cessare, vt si pœnitens non habeat peccata, nisi talia, quæ si confiteretur, esset cõfessor scandalizandus. Sed cõsequens videtur falsum, quia tunc staret pœnitentem esse perplexum, vt si accedat articulus mortis, aut tempus paschæ, quando necesse est communicare, tunc enim si cõfitetur, peccabit ex opinione. Et contrà si non confiteatur, etiam peccabit, decedens, aut cõmunicans sine confessione, igitur. Nec valet dicere, quòd tunc euadet perplexitatẽ, si in genere cõfiteatur, non descendendo ad speciem. Non valet, quia quod diuino, & humano præcepto confiteri oportet, non est in genere confitendum, sed in specie.

An propter scãdalum confessoris licitum sit, etiã dimidiare confessionem.

Ratiões pro parte negatiua. I.

II.

B

RESPONSIO. Ex dictis apparet, contrarium esse tenẽdum, scilicet quòd cesset obligatio integrè confitendi propter scandalum sacerdotis vitandum. Probatur, quia non minùs, imò magis tenemur ad salutem spiritualem proximi, & mortem spiritualem eius vitare, quàm ad vitandum corporalem proximi, vel propriam, & quàm ad vitãdum propriam infamiam, sed vt ex dictis patet, si confessio integrè fieri non potest, sine periculo verisimilis infamiæ, aut mortis corporalis alicuius, cessat obligatio integrè confitendi, igitur etiam in casu præsenti.

Resolutio. Cessat obligatio integrè confitẽdi ob scandalũ sacerdotis deuitandum.

Probatur I.

DEINDE ex regula beati Bernardi in libro de dispẽsatione, & præceptis: Quod pro charitate institutum est, contra charitatem nõ debet militare. In casu autem, si esset necessarium integrè confiteri, hoc ipsum contra charitatem proximi militaret, igitur in casu nec Deus, nec Ecclesia obligat ad talem integritatem. II.

PRAETEREA concurrentibus duobus præceptis, quæ simul obseruari nõ possunt, quod minus est, debet cedere maiori, sed in casu maius est prẹceptum de vitãdo scandalo confessoris, in quo vita eius spiritualis periclitatur, quàm præceptum de integrè confitendo, cùm primum sit iuris naturæ, secundum sit positiui iuris, vt constat. Et procedit ratio non solùm de vitando scandalo fratris actiuo, sed passiuo, quia permittere scandalum fratris, cùm illud euitare possumus, & scandalum eidem præbere æquiparantur, iuxta illud Symmachi Papæ, & habetur distin. 83. in principio: Non grandis differentia est, lethum inferas, vel admittas. Mortem eñ languentibus videtur infligere, qui hanc, cùm potest, non excludit. Et iterũ per illud Ambrosij: Fame pasce morientem, si non pauisti, occidisti. Et Augustinus Bonifacio scribens ait, de medico, & patre loquens: Si illos negligant, & perire sinant, ista falsa mansuetudo est, & crudelitas. Et habetur 23. quæstio. 4. Ipsa pietas &c. Nota tamen diuersum quid esse sacerdotis scandalum, quod in casu timetur ex malitia ipsius euenturum, aut ex fragilitate, seu ignorantia. Si enim ex malitia euenturum est, vt si alioqui parati animi sit eam sollicitare, vt secum cõsentiat, quacunq; oblata occasione, tunc non est de tali scandalo curandum, nec propter illud vitandum, à confessione integra cessandum est. Id patet, tum quia rationes suprà factæ in hoc casu, non currunt, eò quòd ad integritatem confessionis non sequitur mors animæ ipsius cõfessoris, cùm ipse iam ob animi sui præparationem mortuus sit. Tum etiam exemplo Christi qui docuit nos de huiusmodi scandalo Pharisæorum, ex malitia proueniente, non esse curandum, nec ob illud à bono opere cessandum, vt patet Ioannis 6. de multis,

III.

C

Limitatio resolutionis prædictæ distinguendo de scandalo euenturo vel ex malitia vel ex fragilitate aut ignorantia.

qui scandalizati sunt, audientes Christum dicentem: Nisi manducaueritis carnem filij D hominis &c. Et clariùs Matthæi 15. quando discipuli dixerunt ad Christum, de cibo indifferenter sumendo prædicantem: Scis quia Pharisæi audito hoc verbo, scandalizati sunt? Quibus respondit: Sinite eos, quia cæci sunt, & duces cæcorum. Si autem scandalum timetur, ex fragilitate, aut ignorantia, occasione ex opere nostro sumpta, tunc de illo curandum est, & ab opere cessandum, pro vitádo huiusmodi scandalo. Sic enim docuit Paulus 1. ad Corinthios 8. Si esca scandalizat fratrem, non manducabo carnes in æternum. De quo & exemplum habemus de Eleazaro, qui cùm posset mortem euadere, sumpto cibo porcino, videns inde scandalizádos pusillos, omnino ab illo, etiam cum mortis periculo, voluit abstinere.

2. Machab. 6.

Ad rationes oppositas respondetur.

Ad I.

Iam ad rationes priores breuiter dicendum, quòd regula illa: Vtiliùs scandalum nasci permittitur &c. procedat, quando ipsa scandali permissio, altiore iure non est prohibita. Si tamen vitare scandalum sit de veritate vitæ, sicut & integrè confiteri, non est permittendum scandalum nasci, & tunc regula non procedit. Aut dicatur, quòd procedat de scandalo Pharisæorum, quod ex malitia est, non de scandalo pusillorum, quod ex fragilitate, & ignorantia est. Itaq; pro debita regulæ intelligentia attendenda est veritas illa, & scandali qualitas, & videre quid cui debeat præferri.

Ad II.

Ad secundam, fateor in casu certo à tota confessione esse cessandum, nec inde erit peccator ille perplexus, quia cùm à præcepto minore desistat, vt seruet, quod fortius est, nulla relinquitur perplexitas. E

Regula generalis quãdo cesset obligatio integræ confessionis faciendæ.

Sit igitur regula in hac materia, quòd quando confessio integrè vni fieri non potest, nisi cum periculo notabili, siue famæ, siue vitæ corporalis, siue spiritualis propriæ, vel alienæ, quod quidem damnum alioqui de necessitate vitandum est, cessat obligatio integrè confitendi. Et similiter cessat obligatio confitendi simpliciter, quando ipsa confessio sine tali damno fieri non potest, quia tunc perinde est, ac si pœnitens non habeat copiam confessoris, satis est summo sacerdoti tunc confiteri.

Quando cessat obligatio integrè confitendi, nõ cessat etiam simpliciter obligatio confitendi.

Sed ex hoc oritur dubium, an in casu huius regulæ, in quo cessat confitendi integrè obligatio, cesset etiam simpliciter obligatio confitendi, an potiùs sit necessarium confiteri dimidiando cõfessionem, quia hactenus non conclusum est, nisi quòd possit in casibus diuidi confessio. Respon. quòd in huiusmodi casibus, in quibus licitum est nó integrè confiteri, necessarium sit confiteri, quia diuersa sunt præcepta de confitendo, & de integrè cõfitendo, ex quo vnum potest sine altero compleri, ac proinde cessante obligatione integritatis præfatæ, non opus est cesset obligatio, reliqua peccata tempore necessitatis, seu præcepti confitendi. Et esto esset tantùm vnum præceptum de cõfitendo omnia, vt innuitur in cap. Omnis vtriusque &c. Si non potest in toto compleri, opus est in eo, in quo potest illud seruare. Vt si vnicum præceptum sit de ieiunando quadragesimam, qui non potest totam integram ieiunare, non inde deobligatur à necessitate ieiunandi, quando potest, etiam si ieiunium dimidietur, et ita in casu confessio non solùm potest, sed etiam debet dimidiari, si integrè fieri non potest. F

De integritate absolutionis.

QVÆSTIO VNDECIMA.

Esset alivd dubium, casu, quo peccator multa commisit, inter quæ habet casus Papæ, vel Prælato suo reseruatos, à quibus curatus eum absoluere non potest, an confitens curato possit diuidere confessionem scienter, non confitendo nisi ea peccata, à quibus potest curatus eum absoluere. In quo tangitur alia quæstio, quæ huic præsupponitur scilicet, an absolutio sacramentalis, quæ de peccatis impenditur, admittat similiter diuisionem, & video quadruplicem modum respondendi.

An sacramẽtalis absolutio possit etiã aliquãdo dimidiari.

Varij modi dicendi.

I.

Vnvs est, quòd nec confessio vnquam diuidi possit scienter, nec absolutio sacramentalis. In casu autem, quo non potest integrè confessio sine periculo aliquo fieri, & non habetur copia sacerdotis, cui sine periculo fieri possit, tunc dimittenda est confessio potiùs, quàm dimidianda, quia perinde est, ac si non habeat copiam confessoris, & tunc satis est Deo & summo sacerdoti Christo confiteri. Ita & casu, quo

sacer-

A sacerdos non habet potestatem plenè, seu integrè ab omnibus confitentem absoluendi, non potest ex parte absoluere, sed debet peccatorem ad superiorem remittere, qui ab omnibus eum absoluat, vel eum ad curatum remittat, cui vices plenas eum absoluendi conferat.

SECVNDVS modus ait, quòd quando sine periculo fieri non potest integrè confessio, aut sacerdos non habet plenam potestatem ab omnibus absoluendi, quòd licitum sit tam confessionem, quàm absolutionem diuidere. II.

TERTIVS modus est, quòd licet confessio aliquando possit ob causam necessariam diuidi, absolutio tamen diuidi non potest, sed vel de nullo peccato fit, vel de omnibus. III.

QVARTVS modus est, quòd confessio semper integrè est vni sacerdoti facienda, etiamsi peccator casus habeat superiori reseruatos, & tamen absolutio diuidi potest, vt in casu pręsenti, in quo debet sacerdos pœnitentem à peccatis non reseruatis absoluere, pro aliis autem debet eum ad superiorem remittere. Sed quia de integritate, aut diuisione confessionis, existente notabili periculo, iam dictum est, quòd possit diuidi, videre conuenit de absolutione, & confessione integrè, vel diuisim facienda in casu præsenti, quid de huiusmodi opinionibus sentiendum, quidque in re tenendum sit. IIII.

Ratiões pro parte negatiua.

DE ABSOLVTIONE sacramentali dixit Durandus & Adrianus & alij, quòd diuidi non possit. Pro qua opinione arguitur, quia vnum peccatum mortale sine alio remitti B non potest secundùm fidem, igitur necesse est, sacerdos absoluat peccatorem ab omnibus peccatis, vel à nullo. Tum etiam, quia absolutio sacramentalis, vel confert gratiam gratum facientem, vel non. Si primum, omnia igitur peccata mortalia tollit, nam cum gratia illa nullum mortale est compatibile. Si secũdum, nullum igitur mortale remittit. Tum etiam sacerdos absoluens peccatorem, tenet vicem Christi, cuius vicarius est in hoc foro, sed Christus vnum mortale sine alio non remittit, igitur nec vicarius eius, cui potestatem remittendi peccata per partes non contulit, cùm nec ipse Christus de lege ordinata talem habuerit, nec habeat potestatem. I.

CONFIRMATVR hoc idem, quia si absolutio à peccatis diuidi posset, demus igitur, quòd sacerdos absoluat pœnitentem ab vna medietate, & non ab alia, sequitur iam, sacerdos remittit illam medietatem, igitur Deus eam remittit, & sacerdos aliam medietatem non remittit, igitur nec Deus eam remittit. Hæ consequentiæ patent ex textu suprà citato: Quorum remiseritis peccata, remittentur eis, & quorum retinueritis, retenta erunt. Et ita Deus ex parte remitteret peccata mortalia, & ex parte alia relinqueret non remissa, quod non stat in veritate: Impium enim est à Deo dimidiam sperare veniam. *Confirmatio.*

SECVNDO idem probat Adrianus contra Paludem, quia sacramenta, quæ vnica forma perficiuntur, non admittunt diuisionem. Sicut baptismi forma vnica est, ideo non nisi per vnum ministrum potest conferri, similiter Confirmatio, & Ordinatio, quo ad vnum ordinem. Secùs de sacramentis, quæ ex partibus diuersam formam habentibus C integrantur, nam talia bene admittunt diuisionem, ita vt per plures ministrẽtur, quemadmodum Vnctio extrema, cuius partes plures sunt, & quælibet earum est sacramentum, suam formam habens, & Eucharistia, prout continet consecrationem panis, & vini. Cùm igitur sacramentum pœnitentiæ ex partibus diuersas formas habentibus non integretur, sed vnica forma perficiatur, vt patet, sequitur tale sacramentum diuidi in partes sacramentales non posse, ac proinde si sacerdos vnus à non reseruatis absoluat, alius verò à reseruatis, tales absolutiones non esse sacramentales. II.

SI CONTRA hos Doctores obiiciatur, quòd tunc nihil operaretur illa casuum reseruatio, quæ de iure Papæ & Episcopis fit, respondent, quòd quantum ad absolutionem sacramẽtalem integrè, vel diuisim fieri, nihil operatur, quia, vt dicunt, illa reseruatio non est ad remittendum peccatum sacramẽtaliter, sed ad remittendum pœnam, quam quis ob certa peccata incurrit, cuius remissionem maiores sibi reseruant. Et ita solus ille, qui omnia peccata in confessione audit, potest sacramentaliter absoluere, siue sit superior, siue inferior, alioqui si per partes fiat absolutio, nec gratiam, nec sacramentum, nec remissionem peccatorum ipse peccator consequetur. *Occurritur obiectioni.*

TERTIO pro eadem opinione posset argui, quia tunc liberum esset confessori absoluere ab vno tantùm peccato, vel duobus, vel tribus, etiam vbi nullus esset casus reseruatus, & talis absolutio esset verè sacramentalis. Et de Papa & Episcopis probatur, quia quod ipsi per alios facere possunt, p seipsos possunt, sed per alios possunt diuisim peccata III.

remittere, committendo aliis sacerdotibus potestatem absoluendi in parte, & in parte sibi, vel aliis certos casus reseruando, igitur per ipsos possunt à casibus communibus absoluere, non absoluendo à reliquis, qui eis videbuntur. Et si id possunt prælati facere in his, ad quæ sua potestas se extendit, igitur pari ratione curati, & sacerdotes parochiales possunt similem diuisionem in absolutione facere in his peccatis, ad quæ sua potestas se extendit. Quod si inconueniens sit, consequens est præfatam sacramentalem absolutionem per partes fieri non posse.

Rationes partis affirmatiuæ. I. In oppositvm video passim declinare Doctores, Henricum, Thomam, Richardum, Bonauenturam, Scotum, & alios quamplurimos, tam veteres, quàm neotericos. Pro quorum sententia, & contra præcedentem opinionem argui posset, primò, quòd casus, qui Papæ, vel Episcopo reseruantur, non sit sola absolutio à pœna, seu censura Ecclesiastica, in quam peccator incidit, sed quòd etiam sit absolutio à peccatis ipsis, & per consequens absolutio à casibus certis, maioribus reseruata, est sacramentalis. II. Secundò, quòd absolutio sacramentalis posit per partes impendi, probatur primùm ex capit. Si Episcopus. De pœnitentiis, & remissio. libro 6. Vbi in sententia dicitur, quòd si Episcopus dederit subdito facultatem eligendi sibi confessorem idoneum, quòd taliter electus posit eum absoluere à peccatis, exceptis casibus Episcopo reseruatis, & addit, quia in illis nullam potestatem habet sic electus. Iam arguitur. Cùm detur illi electo potestas absoluendi subditum à peccatis, & inde excipiantur casus Episcopo reseruati, ipsa exceptio arguit esse aliqua peccata excepta, à quibus non posit sic electus absoluere, cùm ex dialectica constet, terminum exceptum debere cõtineri sub termino, à quo fit exceptio. Vnde si data esset sic electo facultas absoluendi à pœnis, excipiendo inde casus reseruatos, rectè talis exceptio ad solas pœnas extenderetur. Cùm ergo in præfato cap. data sit confessori facultas absoluendi eligentem à peccatis, & inde excipiantur casus Episcopo reseruati, argumentum certum est, illos casus Episcopi, à quibus electus absoluere non potest, peccata esse, non pœnas solùm. *Occurritur obiectioni.* Fortè dices, illic non per modum exceptionis fieri mentionem de casibus reseruatis, sed per viam monitionis, aut instructionis, vt scilicet sciant electi, non illis concedi potestatem ad casus reseruatos, ita vt sit facultas illis concessa cum limitatione, non cum exceptione. Sed tunc afferam Extrauagantem Benedicti vndecimi, inter cunctas. Vbi dicit, Fratres priuilegiatos, & sacerdotes parochiales non posse absoluere à casibus, Papæ & Episcopis reseruatis. Et quòd illic loquatur de absolutione à peccatis reseruata, constat, quia dicit, quòd non se intromittant ad absoluendum eos, quibus erat pœnitentia solennis imponenda, nec excommunicatos, nec eos, qui ob delictum incurrerunt irregularitatem &c. Et datur illic pro causa, quia inconueniens est, quòd sacerdos absoluat à peccatis, quando pœnam, quæ peccata illa consequitur, remouere non potest. Quod ratione confirmatur, quam illic innuit textus. Qui non potest remouere posterius, non etiam potest remouere prius, cui illud posterius annectebatur, remoto enim priore bene remouetur posterius, qui ergo posterius non potest tollere, nec etiam prius. Cùm igitur pœnæ Ecclesiasticæ posterius quid sint, consequens ipsa peccata sunt, si ergo sacerdos pœnam, quæ posterius quid est, tollere non potest, igitur nec peccatum, quod prius est. *Alia obiectio diluitur.* Sed dicet aliquis, textum non dicere, quòd sacerdos non posit remouere peccatum, ad quod talis pœna sequitur, sed quòd inconueniens sit, quòd tollat peccatum, quando pœnam consequentem tollere non potest. Sed hoc parum valet, quia cùm ait, inconueniens esse &c. nos idem intelligimus, ac si diceret, non posse, iuxta cap. Si Episcopus. suprà citatum. Alioqui si posset culpam ab anima peccatoris remouere, maneret pœna suspensionis, seu irregularitatis, quam tollere non posset, quod inconueniens esset, imò magis conueniret, vt homo iustificatus in statu salutis esset, & faciliùs remedium pro pœnis amouendis quæreret. Quòd si per hoc segnior esset, aut negligentior in inquirendo absolutionem à pœna si à peccato sit iustificatus, certè conueniret tollere à sacerdote potestatem remittendi tale peccatum. *Respõdetur alij obiectioni.* Ad hæc possent dicere: Esto ita sit, quòd illa reseruatio, non ad pœnas solùm se extendat, sed etiam ad peccata, ob quæ in illas inciderunt, non inde sequitur, quòd posit absolutio diuidi, sed id sequitur, quòd si peccator habet casus reseruatos, quòd nõ posit curatus illum ab eis absoluere, nisi ablata reseruatione, vel pœna, hinc tamen non sequitur, quòd posit eum ab aliis non reseruatis absoluere, stante aliorum reseruatione. Et si contra sic dicentes obiiciatur, quòd tunc nil videretur concessum fratri priuilegiato, aut

D aut alteri confessori de licentia Episcopi per subditum electo, responderent, Imò id esse illis concessum, quòd vbi non sint casus reseruati, absoluant illos. Et si sint, quòd pœna per Episcopos, seu maiores, quibus erat reseruata, remota, & ratione cuius pœnæ peccatum ipsum erat reseruatum, possint ex tunc ab omnibus peccatis, etiam quæ alioqui reseruata erant, absoluere. Et hoc sufficienter soluit rationes, quæ ex his iuribus sumptæ sunt, nisi communis Ecclesiæ vsus in contrarium staret, qui tenet, quòd habens casus reseruatos, coram suo curato confiteatur, qui absoluat eum à non reseruatis, pro aliis verò eum ad superiorem remittat.

ALITER arguitur pro hac communi sententia, quia sacerdos non potest quenquã à peccatis absoluere, nisi habeat potestatem iurisdictionis in eum, cùm sola potestas ordinis non sufficiat, vt suppono, sed hanc iurisdictionem Papa concedit, & concedere potest, prout vult, igitur potest alicui concedere facultatem plenam integrè absoluendi, potest igitur & semiplenam potestatem concedere, vt posit quosdam peccatores absoluere, & quosdam non, & posit à quibusdam peccatis absoluere, & à quibusdam non, cùm hoc nôn sit à Deo illi prohibitum, non enim iussit Deus integritatem absolutionis, sicut iussit integritatem confessionis. In illa enim clausula, Quorum remiseritis peccata &c. Et quorum retinueritis &c. sacerdotibus non est imposita necessitas, sicut peccatoribus. Illis enim ibidem Christus potestatem contulit remittendi, his autem necessi- III. *Ratio partis affirmatiuæ.*
E tatem iniunxit confitendi. Præterea supposito, quòd sacerdos non absoluat à peccatis quo ad culpam, quam supponimus per contritionem priùs fuisse deletam, sed à debito, quo peccator tenebatur confiteri, vt à sacerdote absoluatur, & à pœna temporali, in quã fuerat æterna commutata, hæc autem admittunt diuisionem, vt constat, igitur & absolutio sacramentalis admittit diuisionem. Minor probatur, quia postquam quis confessus est peccata, quæ sciuit, quorundam aliorum oblitus, & absoluitur, tollitur obligatio confitendi illa, à quibus absolutus est, & manet obligatio confitendi alia, quorum oblitus est, quando memoriæ occurrerint. Similiter si quis ex necessitate ob causas suprà dictas dimidiauit confessionem, & absoluitur, tollitur obligatio confitendi illa, quæ dixit, & manet suo tempore obligatus dicere, quæ subticuit, igitur absolutio à debito confitendi diuisionem admittit, sicut & ipsa confessio, quando vel necessitate, vel obliuione confessio dimidiatur. Quòd autem pœnæ temporalis diuersis peccatis debitæ remissio etiam diuisionem admittat, satis certum est, igitur quo ad vtrunque effectum, quem absolutio sacramentalis operatur, admittit diuisionem, igitur & ipsa absolutio. Secùs de absolutione, qua Deus peccatorem à culpa mortali absoluit, nam hæc diuidi non potest, quia reatus æternæ pœnæ etiam diuisionem non admittit, sed æterna pœna peccatis debita, vel totaliter tollitur, vel totaliter manet. IIII. *Nota.*

TENENDO igitur hanc secundam sententiam communem, videtur dicendum, quòd potissima ratio pro priore sententia adducta innititur huic propositioni, quam
F præsupponere videtur, quòd absolutio, quæ à sacerdote fit, sit absolutio à peccatis quo ad culpam, idq; ratione gratiæ, quam ex opere operato confert, quæ cùm omni peccato mortali repugnet, consequens est, quòd omnia peccata remittat, nec vnum posit sine alio remittere. Quod etiam nosipsi concedimus, scilicet quòd absolutio sacramentalis non posit vnum mortale sine alio, quo ad culpam remittere. Et quo ad id, non admittit diuisionem, siue actualiter peccata quo ad culpam dimittat, siue aptitudinaliter, cùm semper gratiam conferat, quę vel actu, vel aptitudine peccata mortalia excludit, de quo pòst, quando agetur de efficacia huius absolutionis. *Probatur & explicatur magis secunda sententia pro parte affirmatiua. Diluitur potissimũ fundamentum pro parte negatiua. Absolutio sacramentalis quatenus admittat vel nõ admittat diuisionem.*

EST TAMEN alius absolutionis effectus scilicet quia esto mortalia sint quo ad culpam per contritionem dimissa, relinquitur tamen peccator adhuc ligatus, & in debito quodam, quo tenetur se sacerdoti subiicere, & illi confiteri, & ab eodem absolutionem procurare, & antequam sic absoluatur, dicitur in peccatis, saltem quo ad Ecclesiam, manere. Voluit enim Christus, vt peccator Dei & Ecclesiæ absolutionem sibi, præuia confessione, procuraret, quem Deus per contritionem ab omnibus peccatis, quo ad culpam pręstando gratiam, absoluit, quam absolutionem sibi reseruauit, esto quòd ministerium sacerdotibus concessit, quo illi absolutionis beneficium impenderent, & hoc, vel in toto, vel in parte, vt Ecclesiæ visum fuerit peccatoribus expedire.

ET QVIA contingere poterat, minimè expedire, quemcunq; peccatorem ab omnibus peccatis, ob quorundam peccatorum enormitatem simul absoluere, ideo Christus

concessit

Christus Ecclesiæ potestatẽ dedit, vt si expediat, quædã peccata remittat, quædam verò retineat.

concesſit Ecclesiæ, vt si expediret, quædam peccata remitteret, quædam autem retineret. Et ita factum est, quòd cùm inferior peccatorem à non reseruatis absoluit, aliqua remittat, aliqua verò retineat, quousque per superiores, vel de eorum licentia per inferiores, ab huiusmodi reseruatis, is qui ea commisit, absoluatur. Et tam absolutionem, quàm retentionem per Ecclesiam factam, Christus, & Deus in cœlis approbant, igitur absolutio, quæ à non reseruatis fit, sacramentalis est, & gratiam confert, & inde aptitudine omnia peccata, quo ad culpam, remittit, quantum est ex parte sua, ratione huiusmodi gratiæ, quam præstat.

Quatenus absolutus à nõ reseruatis, maneat adhuc obligat⁹ alia reseruata ei, cui reseruata sunt, confitendi.

Sed qvantvm ad debitum, quo tenebatur ligatus, quo scilicet debebat se Ecclesiæ præsentare, & ab eadem beneficium absolutionis, præuia confesſione, obtinere, non est plenè per illam primam absolutionem liberatus, sed ex parte, quia illa peccata, quæ confessus est, & ab eisdem absolutus, non tenetur ampliùs Ecclesiæ confiteri, cùm de his iam sit per Ecclesiam iudicatus, & absolutus, (Absurdum enim est eum, qui semel legitimè absolutus est, eodem debito rursus teneri, vt dicitur in Extrauagan. Inter cunctas) manet tamen in debito confitendi alia peccata reseruata ei, cui reseruata sunt, vt ab illis legitimè per Ecclesiam absoluatur. Itaque absolutio à peccatis quo ad culpam, diuisionem non admittit, sed quo ad ligaturam, seu debitum præfatum, quod post iustificationem relinquitur, benè admittit diuisionem.

Respondetur ad cõfirmationem I. argumẽti partis negatiuæ.

Duplici Deus absolutione peccatorẽ absoluit iam confessum.

Absolvtio etiam sacerdotis de se reconciliatiua, quæ simul & solutiua debiti dici potest, ea ratione, qua reconciliatiua est, diuisionem non admittit, ea tamen ratione, qua solutiua debiti est, partitionem admittit, siue id referatur ad debitum, quo peccator confiteri tenetur, siue ad debitum, quo obnoxius est pœnæ temporali, in quam fuerat æterna commutata. De absolutione igitur, quæ à peccatis fit quo ad culpam, & quę de se reconciliatiua est, procedunt, quę in ratione prima obiecta sunt, non autem de absolutione, quæ est à præfata ligatura ex peccato relicta. Et quando vltimò vrget ratio, quia sacerdote aliqua remittente, & alia reseruante, Deus similiter aliqua remitteret, & alia non. Respond. id verum esse de remisſione secundo modo considerata, quæ diuisionem admittit. Vnde Deus duplici absolutione absoluit peccatorem confessum, altera à peccatis quo ad culpam, & hæc fit per contritionem, altera à peccatis quo ad relictum debitum, & hæc fit per sacerdotem, in qua sacerdos ministerialiter absoluit, Deus
I. II.
verò principaliter. Et confesſio, quæ sacerdoti fit, Deo per sacerdotem fit, & Deus est, qui illic per sacerdotem pœnitentem iudicat, & ita sacerdos, quæ illic scit, vt Deus scit; ac proinde quæ sacerdos, vel Ecclesia remittit, Deus remittit, & quæ Ecclesia retinet, Deus retinet, siue remisſio in toto fiat, siue in parte, iuxta facultatem sacerdoti concessam. Et ita patet verificatio dicti Christi: Quorum remiseritis peccata, remittentur eis, & quorum retinueritis, retenta erunt. In quo peccatori imponitur necesſitas confitẽdi, sacerdoti verò, seu Ecclesiæ potestas remittendi, & retinendi conceditur. Et per hæc patet ad

Ad II. Argumentum partis negatiuæ respõdetur.

primum. Ad secundum Adriani responsio facilior est, nã vbi materia sacramenti alia, & alia est, quamuis forma sit vna à diuersis ministris prolata, sacramentũ est aliud, & aliud. Vt diuersificato pane, & forma consecrationis à diuersis sacerdotibus, vel ab eodẽ super diuersum panem prolata, diuersum est sacramẽtum, & diuersa consecratio. Et ita si vnus intendat primam medietatem panis cõsecrare, & alius secundã, etsi eadem forma vtantur, tenebit vtriusq; consecratio, & ita vnus panis potest plenè, & per partes consecrari: ita igitur, etsi forma absolutionis sacramentalis vna sit, quæ non diuersificetur, cùm materia eius sit confesſio peccatorum, hac diuersificata, vel diuisa, non mirũ, quòd absolutio diuidatur, ita vt peccata per partes remittantur, maximè si id intendat ipse absoluens, vt intendit, quando reperit casus reseruatos &c. Si obiicias quòd materia absolutionis sacramentalis non sit dimidiata confesſio, sed integra, ac proinde absolutio etiã debeat esse integra. Respon. Esto ita sit, quòd nõ posſit ab aliquibus absolui peccatis, nisi præcedat integra confesſio (si commodè præcedere potest) cum hoc tamen stat, quòd non omnibus simul absoluatur peccatis, cùm intentio absoluentis, quam habet, aut habere debet, non ad omnia peccata se extendat, sed ad ea, ad quæ sua se extendit facultas, & iurisdictio, id est, ad non reseruata. Deinde cùm ad superiorem vadit pro absolutione reseruatis, superior reperiens reliqua esse legitimè per inferiorem remissa, absoluit illum residuis, vel ad inferiorem eum remittit, vt absolutionem compleat. Ad tertium videtur consequenter dicendum, quòd Papa, & Episcopi, & Prælati, quibus est con-

Obiectio.

Solutio.

Ad III.

potestas

A potestas reseruandi sibi aliqua peccata, possunt confitentem à quibusdam peccatis absoluere, alia enormia retinendo, aut eorum absolutionem differendo, prout viderint expedire, vt ratio suadet. Alij verò inferiores, quibus facultas reseruandi peccata aliqua *Duplex obiectio diluitur.* non est concessa, non video vnde posint per partes peccata non reseruata remittere, non enim quod maioribus conuenit, debet similiter minoribus conuenire. Si obiicias, I. quòd maiores habent facultatem prefatam à Christo, per id quod sepe citatum est: Quorum remiseritis &c. Quod quidem dictum Christi non ad maiores sacerdotes solùm, sed ad omnes vniuersaliter dictum est, quemadmodum ad omnes sacerdotes, quando ordines suscipiunt, ab ipso ordinante vicem Christi tenente, dicitur. Vel igitur omnes sacerdotes possunt remittere & retinere, ad sensum datum, vel nulli. Respon. Verè lo- *Solutio.* quendo, in dictis verbis potestatem ordinis Christus omnibus sacerdotibus concesit, sicut & potestatem ordinis Episcopus his, quos ad ordines sacerdotij promouet, ministerialiter tribuit, quando eadem verba ad eos dirigit. Iurisdictionis autem potestatem plenam Christus suo primo vicario contulit, per quem huiusmodi iurisdictionem voluit ad alios deriuari. Et inde est, quòd Papæ conuenit primariò peccata aliqua reseruare, *Quinam posint peccata aliqua reseruare.* deinde his, quibus ipse talem concesit facultatem, id est, prælatis, quam, quia inferioribus non concesit, ideo non est illis attribuenda. Si iterum obiicias, quòd discipuli Chri- II. sti, seu Apostoli antequam à Papa iurisdictionem ad absoluendum acciperent, habebant

B potestatem non solùm ordinis, sed iurisdictionis, qua soluere possent, & ligare, non nisi à Christo immediatè, nec videtur quando à Christo hanc potestatem in foro pœnitentiali acceperint, nisi quando eos sacerdotes instituit dicens: Quorum remiseritis peccata &c. Igitur tunc non solùm potestatem ordinis, sed & iurisdictionis omnibus contulit. Respon. Esto tunc omnes habuerint hanc potestatem iurisdictionis à Christo, non con- *Solutio.* stat quòd quando illa verba dixit, eã illis omnibus contulerit, verùm dato quòd ea verba dicendo hanc iurisdictionem omnibus cõcesserit, potuit hoc esse per quandam concomitantiam, qua tradẽdo potestatem ordinis, voluit simul potestatem iurisdictionis tradere, non tamen quòd voluerit illa verba instituere ad eam præstandam. Quod inde constat, quia potestas iurisdictionis separabilis est à potestate ordinis, vt postea patebit *Potestas iurisdictionis separabilis est ab ordinis potestate.* contra Armachanum: In potestate igitur iurisdictionis Christus omnes Christianos subiecit Petro, & successoribus suis, ideo per ipsum debet huiusmodi potestas in alios dimanare, & talis, & tanta, quantam ipse illis concesserit.

De confesione casuum reseruatorum.

QVÆSTIO DVODECIMA.

C IAM DE eo quod principaliter querebatur scilicet de integritate confesionis, quando peccator habet casus superiori reseruatos, an sit ne- *An sit necessaria integritas cõfesionis, quando pœnitens habet cas⁹ aliquos reseruatos.* cessaria. Et arguitur quòd non, tum quia non est necessaria integritas absolutionis, vt ex dictis patet, igitur nec confesionis, cùm non sit maior ratio de vna, quàm de alia. Imò magis necessaria videtur vnitas absolutionis ab omnibus peccatis, quàm vnitas cõfesionis omnium, *Partis negatiua rationes.* eò quòd sacerdos à peccatis absoluens, tenet vicem Dei, qui non nisi ab omnibus absoluit, & tamen videmus absolutionem diuidi, cùm diuersi sacerdotes à diuersis peccatis I. absoluant. Si dicatur, vt dicunt, quòd sacerdotes gerunt vicẽ Dei vnius, qui vnius Christi sunt vicarij, ideo etsi diuersi absoluant, vt vice vnius absoluunt, & ita non fit diuisio in absolutione. Contrà, quia tunc si quis diuersis confiteatur, & vni quædam, alij verò alia peccata, cùm illi diuersi, vnius Christi vicem gerant, non dicetur confesio diuisa, quod suppono falsum. Et sequela patet paritate rationis. Secundò, si sacerdos nullam ha- II. beat potestatem absoluendi, nullum peccatum tenetur peccator illi confiteri ob defectum iurisdictionis, igitur si sacerdos non habet potestatem integrè ab omnibus absoluendi, vt in hoc casu, non tenebitur peccator ei omnia peccata confiteri, ea scilicet, à quibus absolui per alium non potest. Confirmo hoc, quia vocalis confesio non *Confirmatio.* videtur necessaria, nisi ad finem absolutionem obtinendi, ita & integritas confesionis non deducitur necessaria, nisi ad finem consequendi integram absolutionem, igitur vbi necessarium non est integram absolutionem ab aliquo sacerdote obtinere,

cùm

cùm ſit impoſsibile, vt in caſu, ſequitur tunc non eſſe neceſſarium eidem integrè confiteri. Aſſumptum patet, repetendo rationem, qua deductum eſt, neceſſarium eſſe confiteri, ex illo: Quorum retinueritis &c. quæ talis fuit, ait Deus, peccata quæ ſacerdos non remiſerit, ego non remittam, ſed neceſſarium eſt peccatori, vt Deus illi remittat peccata, igitur neceſſarium eſt, vt ſacerdos ea illi remittat, ſacerdos autem non poteſt peccata remittere, niſi præcognita, præcognoſcere non poteſt, niſi præuia confeſsione, igitur neceſſaria eſt peccatorum confeſsio. Ex qua deductione apertum eſt, ideo colligi neceſſarium eſſe confiteri, quia neceſſarium eſt à ſacerdote abſolui, igitur quando quis à ſacerdote abſolui integrè non poteſt, non eſt neceſſarium ei integrè confiteri, & ſi nullo modo poteſt à ſacerdote abſolui, non eſt neceſſarium, nec ſemiplenè illi confiteri. Inde ceſſat obligatio in ſubdito confitendi ſuo ſuperiori excommunicato, vel hęretico facto, quia abſoluere non poteſt. Si dicas, quòd Eccleſia iubet diſtrictè, vt confeſsio integrè fiat cap. Omnis vtriuſque ſexus. contra id obiici poteſt, tum quia ſequitur, quòd ad minùs erat neceſſaria huiuſmodi integritas ante præfatam Eccleſiæ conſtitutionem in caſu præſenti, tum etiam quia nec eſſet neceſſaria nunc de iure diuino, tum denique eſto de iure humano neceſſarium ſit integrè confiteri, vt textus ait, quare non patietur exceptionem ius hoc humanum, vt excipiatur caſus, quando ſcilicet non poteſt inde integra ſperari abſolutio? Sicut & diuinum ius de fraterna correctione ceſſat, vel exceptionem admittit, quando non inde ſperatur fratris correctio. Tertiò ad idem argui poteſt, argumento ſumpto ex ratione Thomæ, qua probat neceſsitatem integræ confeſsionis, à contrario arguendo. Si quis multis laboret morbis corporalibus, & pandendo vnum eorum medico, ſperat ſalutarem medicinam, quæ ita proſit ad expellendum illum morbum, vt in nullo noceat, reſpectu alterius morbi, nec illum alterum morbum reuelando, ſperat pro illius curatione remedium, certè talis infirmus non tenetur pandere morbum medico, pro cuius curatione, nullum inde ſperat remedium, ſatis eſt ſi primum pandat, Igitur ita erit in morbis animæ. Quartò, ſtante iure de confitendo, ſtat eſſe licitum ob iuſtam cauſam eam dimidiare, non enim Auguſtinus videtur damnare dimidiatam confeſsionem, niſi quando ob hypocriſim, vel ex pudore peccator deſinit integrè confiteri, vt apparet ex cap. Conſideret. de pœnitentia diſtinctio. 5. Cùm igitur in præſenti caſu concurrat iuſta & rationabilis cauſa non confitendi curato caſus reſeruatos, quia ſcilicet non inde ſperatur eorum remiſsio, nec hîc adeſt hypocriſis, nec pudor ea confitendi, ſequitur &c.

Occurritur obiectioni.

III. Ratio.

IIII.

Concluſio. *Cùm pœnitens caſus habet aliquos reſeruatos, neceſſaria eſt integritas confeſsionis, licet neceſſaria non ſit integritas abſolutionis.*

Probatur.

OPPOSITVM tamen video paſsim à Doctoribus teneri, ſcilicet quòd neceſſaria ſit integritas confeſsionis, licet non ſit neceſſaria integritas abſolutionis. Chriſtus enim neceſsitatem impoſuit peccatori integrè confitendi: Eccleſiæ autem non impoſuit neceſsitatem integrè abſoluendi, ſed reliquit Eccleſiæ facultatem conferendi beneficium abſolutionis, his qui ſua peccata fuerint confeſsi, prout ipſa viderit expedire, vt ſuprà dicebatur. Vtrunque apparet ex teſtimonio ſuprà citato, & ex ritu, quem Eccleſia ſeruat, & ex cap. Omnis vtriuſque ſexus. In quo vltra temporis determinationem, reliqua ibi de confeſsione poſita, videntur ad ius diuinum pertinere, vt communiter dicitur. Sic etiam docuit Auguſtinus ante Eccleſiæ determinationem, docens neceſſariam eſſe integram confeſsionem. Huius ratio ſolet talis aſsignari, quia, vt dictum eſt, Deus exigit à peccatore, vt ſua peccata Deo confiteatur, non ſolùm mente, quod per contritionem fit, ſed etiam voce, quod fit, quando quis vicario Chriſti confitetur: Qui enim ſacerdoti confitetur, Deo confitetur; Confeſsio autem, quæ Deo fit, niſi integra ſit, non eſt ipſi grata, ſicut nec contritio, quę Deo mente fit, nec dolor quo quis dolet de aliquibus peccatis, & de aliis etiam memoriæ occurrentibus non dolet, non eſt debita contritio, aut mentalis confeſsio. Nam ſi de aliquibus dolet, ſicut dolendum eſt, quatenus ſcilicet Dei offenſiua ſunt, neceſſe eſt de omnibus occurrentibus, ob eandem cauſam doleat. Ita & ſi ore Deo per ſacerdotem aliqua peccata ſua confitetur in quantum offenſiua fuerunt Dei, ob eandem cauſam debet omnia alia, per quæ Deum offendit, eidem, ſi memoriæ occurrant, confiteri. Itaq; Deus confeſsionem ſibi factam immediatè, vel mediante ſacerdote, niſi integra ſit, non acceptat, ideo indignus eſt abſolutione, qui taliter confitetur. Et per hoc patet ad rationes. Ad primam, fateor cauſam diſcriminis per alios aſsignatam, qui dicunt ſacerdotes plures, quia vicem tenent vnius Chriſti, etſi à diuerſis peccatis abſoluant, non propriè abſolutionem diuidere: Secùs de confitente, qui in partes diuidit

Reſpondetur ad rationes oppoſitas.

Ad I.

confeſsio-

A confeſsionem, minimè ſatisfacere. Sed cauſa quare requiratur integra confeſsio, eſt, quæ dicta eſt ſuprà. Cauſa autem quare non requiratur integra abſolutio eſt, quia facultas conceſſa eſt Eccleſiæ peccata remittendi & retinendi, & non eſt impoſita neceſsitas integrè abſoluendi, ſicut impoſita eſt peccatori neceſsitas integrè confitendi. Ad ſecundam, conſequentia non valet, quia neceſsitas impoſita eſt peccatori, vt confiteatur vicario Chriſti, qui ſibi poſsit beneficium abſolutionis loco ipſius Dei impendere, qualiter poteſt ſacerdos proprius, etiamſi non valeat ab omnibus abſoluere. Et ad rationem confirmationis. Ita eſt, quòd confeſsio iniuncta eſt ad finem aſſequendi veniam, eam ſcilicet, quam Eccleſia ſtatuit impendere, nimirum plenè, vel ſemiplenè iuxta Eccleſiæ ſtatuta, quæ quia iuſta ſunt, à Deo ratificantur, non tamen inde fit, vt integritas confeſsionis ſit iniuncta ſolùm ob integram abſolutionem ab eo, cui fit, obtinendam, ſed ideo iniuncta eſt integra confeſsio, vt dictum eſt, quia confeſsio, quam quis Deo facit ſiue per ſe, ſiue per vicarium ſuum, niſi integra ſit, à Deo non acceptatur. Ad illud autem, quod ibidem dicitur de ſtatuto humano, quo iubetur, vt peccator omnia peccata confiteatur, dicendum, quòd id non admittat exceptionem prędictam, quia id non tam iubet Eccleſia, quàm à Chriſto iuſſum eſſe præſupponit. Ad tertiam dicendum, quòd ſicut argumentum ex morbis corporalibus ſumptum non probat ſufficienter eſſe neceſſarium integrè confiteri, vt ſuprà patuit, ita nec argumentum inde à contrario ſumptum, ſufficit ad probandum, in caſu non eſſe integrè confitendum. Ad quartam dicendum, quòd non ſit alia cauſa, qua dimidiari poſsit ſcienter confeſsio, niſi neceſsitas aliqua vitandi damnum aliquod notabile, vt ſuprà tactum eſt. Nec Auguſtinus ideo de hypocriſi, & pudore illic meminit, quaſi tunc ſolùm vitietur dimidiata confeſsio, quando ex hypocriſi, vel pudore dimidiatur, ſed quia quando dimidiatur, raró vel nunquam fit, niſi ob aliquam ex illis cauſis. Et ita videtur tenenda communis opinio, aliis dimiſsis, quas ſuprà commemorauimus, ſcilicet poſſe diuidi abſolutionem ſacramentalem, iuxta Eccleſiæ ſtatuta, non tamen confeſsionem, niſi neceſsitate compellente.

Ad II. *Ad III.* B *Ad IIII.* *Quæ cauſa ſufficiat ad dimidiandam confeſsionem.*

NOTA HIC in præſenti caſu tunc fieri integrè confeſsionem, quando ei, cui peccator aliqua peccata confitetur, nullum non remiſſum deſinit ſcienter confiteri. Quod dico, quia ſi in caſu præſenti primò adit curatum, & confitetur ſolùm ea, quæ non ſunt reſeruata, dimidiat confeſsionem. Si etiam primò venit ad ſuperiorem, cui illa ſunt reſeruata, & eidem ſola reſeruata confitetur, dimidiat confeſsionem. Ideo ei, cui primò ſe pręſentat, & confitetur, tenetur omnia confiteri, & poſtquam fuerit ab illo à quibuſdam peccatis abſolutus, ſi eat ad ſecundum, non tenetur illi ſecundò confiteri, niſi ea quæ prior reliquit inabſoluta, nec propter hoc dimidiabit confeſsionem. Ideo ſi iuit primò ad curatum, & illi integrè confitetur, & tamen curatus non vult eum abſoluere, etiam nec à non reſeruatis, ſed eum ad ſuperiorem remittit, tenetur tunc illi ſuperiori iterum integrè confiteri, quia à priore in nullo fuit abſolutus. Nec releuatur quis ab iteratione C confeſsionis per hoc, quòd ſemel integrè ea fuerit confeſſus, ſi non ſit ab eiſdem abſolutus, interim enim dum nõ abſoluitur peccator, manet in eodem debito, in quo priùs. Inde eſt quòd ſi primò confiteatur integrè curato, à quo abſolutionem à non reſeruatis obtinet, tenetur poſtea confeſsionem iterare eorum peccatorum, à quibus non fuit abſolutus, ſcilicet reſeruatorum.

Quando fieri dicatur integrè confeſsio.

NOTA ETIAM quòd ſi quis fuerit omnia confeſſus, & plenè etiam abſolutus, poterit poſtea ex deuotione, vel ex odio quorundam peccatorum iterum confiteri, & hæc iterata confeſsio dimidiari poteſt ſine peccato. Non enim eſt neceſſaria integritas in confeſsione, niſi de his peccatis, à quibus peccator non eſt abſolutus.

Iterata cõfeſsio peccatorum antea remiſſorum abſque peccato dimidiari poteſt.

NOTA DEINDE confeſsionem etiam peccatorum non remiſſorum diuidi poſſe etiam ſcienter, ſi fiat ſine animo aſſequendi, vel petendi abſolutionem, vt poteſt, qui multa habet peccata hodie in vna hora aliqua eorum confiteri, & non petita abſolutione, relinquere alia in craſtinam diem, & alia in aliam confitẽda, dummodo quando petierit abſolui, omnia occurrentia non priùs remiſſa, ſit iam confeſſus eidem. Illa enim confeſsio quæ fit ſacerdoti, & non cum ſpe, & voto veniæ, ſeu abſolutionis obtinendæ, propriè & ſtrictè non eſt ſacramentalis. An autem ſit de neceſsitate cælanda, ſicut ea quę ſacramentalis eſt, patebit poſtea. De quo vide Baptiſ. confeſsio. 1. Nota etiam quòd remota pœna Eccleſiaſtica peccato per ſuperiorem annexa, etiamſi ſuperior à peccato reſeruato non abſoluerit, manet peccatum ſimplex non ampliùs reſeruatum, cum

Confeſsio peccatorũ non remiſſorũ quatenus poſsit etiam dimidiari.

Remota pœna Eccleſiaſtica à peccato aliquo per ſuperiorem annexa, non eſt illud amplius reſeruatum.

L ceſſauerit

Si superior pœnitentē non nisi de reseruatis audire velit, dimidiari potest confessio.

cessauerit causa, ob quam fuerit seruatum. Nota denique, quòd qui habet casus reseruatos, simul & non reseruatos, si primò se superiori præsentat, qui eum audire non vult, nisi de reseruatis sibi, tunc sicut absolutio diuidi potest, ita & confessio, ex quo non stat per pœnitentem ipsum, quò minùs integrè confiteatur, sed per superiorem, qui eum integrè audire non vult.

De confessione statim facienda.

QVÆSTIO DECIMATERTIA.

An teneatur aliquis quāprimum potest sacerdoti peccata confiteri.

Rationes partis affirmatiuæ.

DEINDE quæri solet, an peccator quamprimum potest, teneatur sacerdoti confiteri? Et pro affirmatiua parte arguitur primò, q. a quod debetur sine termini præfixione, ad statim debetur. ff. de re iudic. & in. l. ei qui. §. quoties. ff. de verbo. obligatio. Cùm ergo peccator debeat confiteri ex iure diuino, & nullus sit eidem iure diuino terminus ad confitendum præfixus, sequitur, quòd statim tenetur. Secundò ad idem
I. ratione periculi, cui se homo exponit, si non illicò medicinam ad salutē necessariam sumat,
II. tenetur enim statim, quando potest, siue homo sit in periculo corporis, siue animæ, alioqui perire meretur, iuxta illud Ecclesiastici 3. Qui amat periculum, peribit in illo. Modò autem duplex est periculum, si homo non illico, quando potest, confiteatur. Alterum quia nihil est morte certius. Vnde Ecclesiastici 5. Ne tardes conuerti ad Deum, nec differas de die in diem, subitò enim venit ira illius, & disperdet te in tempore vindictæ. Alterum, quia vnum peccatum aliud inducit, si non illicò per pœnitentiam tollatur, iuxta illud Gregorij: Peccatum, quod per pœnitentiam non diluitur, mox suo pondere in aliud trahit.
III. Tertiò non minùs necessarium est homini à peccato recedere, quàm in peccatum non incidere, vtrumque enim repugnat saluti hominis, sed quoties quis in peccatum incidit, potens non incidere, peccat, & tenetur non incidere, igitur quoties quis in peccato existens, potens ab eo recedere, & non recedit, peccat, & tenetur recedere, igitur quamprimum potest &c. Hæc ratio patet à simili, quia eodem præcepto, quo tenemur non furari, tenemur rem furtiuam, quam primum possumus, suo Domino restituere, quandoquidem furtum idem est, quod rem alienam accipere, & detinere. Igitur etiam in præsenti ad idem genus peccati reducitur, in peccatum incidere, & in peccato non recedere. Cùm igitur sine sacramento pœnitentiæ, quod secunda tabula
Confirmatio. est post naufragium, nemo posit à peccato liberari, sequitur &c. Confirmatur hoc, quia in peccato permanere videtur contra charitatem ad Deum habendam, & contra charitatem ad seipsum habendam, & est Deum odisse, similiter & seipsum, saltem pro toto tempore, quo vult in illo peccato permanere, hoc autem est peccatum, & contra præceptum negatiuum, de non odiendo Deum, nec seipsum, quod præceptum cùm negatiuum sit, obligat pro semper.
IIII. Quartò in Deuteron. 22. & alibi iussum est, & est præceptum charitatis, vt si viderimus asinum proximi sub onere iacentem, non pertranseamus, sed eum subleuemus. Igitur cùm peccator subiaceat sub onere peccati, à fortiori cùm posit, tenetur ex charitate ad seipsum habenda, se illico subleuare. Remedium autem à Deo institutum, quo potest homo à peccato resurgere, est confessio sacramentalis, igitur &c.
V. Quintò, si non esset peccatum in peccato ad tempus permanere, igitur non esset peccatum, velle in peccato permanere, quod enim potest quis licitè opere facere, licitum est hoc ipsum velle facere. Quo dato, igitur à fortiori licitum est velle proximo, quòd in peccato, saltem ad tempus, & sine gratia Dei, & in Dei inimicitia permaneat, hoc autem est odisse proximum, vt constat, igitur non est licitum id velle proximo, igitur multò minùs licitum est id velle sibiipsi, cùm ex ordine charitatis non minùs teneatur quis seipsum diligere, quàm proximum.

Conclusio. Necesse non est sub pœna noui peccati, conteri de peccatis, quā primùm potest, neq; illa etiam confiteri.

Ratio I.

RESPONDETVR. His non obstantibus, videtur oppositum tenendum. Et quia rationes non minùs, imò magis videntur probare esse homini necessarium conteri quamprimùm potest, quàm confiteri, quamprimùm potest, ideo de vtroque idem dicamus, scilicet neutrum esse homini sub pœna noui peccati necessarium, scilicet nec conteri quamprimùm potest, nec confiteri quamprimum potest. Vtriusque ratio vna est, quia præceptum de conterendo, & de confitendo est affirmatiuum, affirmatiua autem non obligant,

A obligant ad ſtatim, etiam oblata opportunitate, ſed tempore præfixo, ſi tale quid præfixum ſit, vel quando neceſsitas expoſtulat, ſi tempus præfixum non ſit. Exemplum clarum eſt, de ſuſcipiendo baptiſmum, de danda eleemoſyna, de prædicanda fide. Ad hunc modum de aliis, quæ quidem differri poſſunt ad tempus, quo neceſsitas huiuſmodi actus expoſtulauerit. Secundò idem patet ex Auguſtino primo de ciuitate Dei, dicente, quòd nõ teneamur fratrem reducere ad ſtatim poſt lapſum, quin poſsimus maiorem opportunitatem expectare, igitur nec tenemur noſipſos ad ſtatim in ſtatu gratiæ reponere, cùm teneamur fratres ſicut & noſipſos diligere. Et currit hæc ratio, vbi nullum periculum fratris, nec proprium ex huiuſmodi dilatione timetur. II.

AD PRIMVM igitur in oppoſitum adductum, dicendum quòd multis modis poteſt aliquid deberi, vel per viam reſtitutionis, vt ſi præceſsit rei alienæ iniuſta detentio, ſeu ablatio, vt fit in furto, & vſura, aut etiam rei alienæ iuſta receptio ex Domini voluntate ratione contractus, vt in cõmodato, depoſito, mutuo. Aliquando debetur per viam ſatisfactionis pro damno iniuſtè dato. Aliquando debetur per viam vindictæ, ſeu emendæ, vt pro iniuria verbis illata citra damnum omne in corpore, fama, & rebus, vt ſi quis animo iniuriandi dicat alicui, quæ publica meretrix eſt, meretricem eſſe. Aliquando debetur aliquid ratione voti, aut promiſsionis, aut præcepti ſuperioris. Et regula illa ſcilicet quod debetur abſq; termini præfixione, ad ſtatim debetur, & ſtatim ſoluendum eſt, B non procedit de omni debito, ſed de eo, quod debetur alteri per viam reſtitutionis, ſeu ſatisfactionis pro damno iniuſtè dato, ſiue in rebus, ſiue in fama, ſiue in perſona. Cuius ratio eſt clara, quia alienum detinere, inuito Domino, peccatum eſt, ideo ad peccatum vitandum, & non in eo perſeuerandum, neceſſarium eſt debitum ſolui, quamprimùm commodè poteſt. Secùs ſi quid debeatur per viam contractus, quia tunc res aliena, aut alteri debita, non iniuſtè, ſed ex voluntate Domini retinetur. Ideo pro tunc currit neceſſitas eam reddendi, quando ſcilicet Dominus petierit, nam ſi tunc non reddatur, poſtea dicitur nõ reddens eſſe in mora. Et ideo ſi in contractibus terminus fuit præfixus, elapſo termino incipit debitor eſſe in mora, ideo ex tunc tenetur, quamprimùm poteſt. Alia verò debita ex lege, vel ſtatuto ſi terminus à lege non ſit definitus, debent ſolui, quando is cui debentur, exegerit, vt in decimis, & aliis tributis ex lege ſoluendis, & antequam exigantur, non videntur de neceſsitate ſoluenda. Ratio, quia cùm Dominus non exigat, quando poteſt, non videntur eo inuito retineri, ſed præſumitur eum in detentionem conſentire, niſi alia concurreret cauſa, per quam aliud eſſet præſumendum. In debitis autem ex promiſsione, voto, & præcepto, ſi is qui vouit, promiſit, aut præcepit, terminum non præfixit, non video, quòd ſtatim currat obligatio illud adimplendi, ſed pro loco, & tempore, quando ſcilicet neceſsitas poſtulauerit, vt in eleemoſyna promiſſa, vel iuſſa.

Soluuntur oppoſitæ rationes. Ad I. Variis modis dici poteſt aliquid alicui deberi.

Quod debetur abſque termini præfixione, ſtatim ſoluendum eſſe, quomodo ſit intelligendum.

Debita ex lege vel ſtatuto, abſque termini præfixione quando ſoluenda ſint.

Debita item ex voto vel promiſſione, quando ſoluenda.

C CVM IGITVR præceptum diuinum de conterendo, aut confitendo non præfixerit terminum adimplendi, ſupereſt hominem non teneri ad ſtatim conterendum, vel confitendum, niſi quando articulus neceſsitatis poſtulauerit, ſcilicet quando tenetur homo ſe in ſtatu gratiæ reponere, ſiue ratione periculi mortis, ſiue ratione ſacramenti miniſtrandi, vel recipiendi. Et eſto illa debeantur per viam ſatisfactionis, ſiue pœnæ, aut vindictæ pro offenſa contra Deum commiſſa, talia debita non ſunt in conſcientia ſtatim ſoluenda, ſicut nec pœna debita ex actione iniuriarum, antequam ad eam ſoluendam condemnetur, vt conſtat 12. q. 2. Fraternitas.

AD SECVNDVM ex periculo ſumptum, dicendum, quòd ſi tale periculum eſſet probabile, vel mortis ſtatim venturæ, vel alterius peccati, cui ſcilicet periculo per naturam, aut voluntatem non poteſt (ſaltem ſine magna, & notabili difficultate) occurri, occurreret autem per contritionem, & confeſsionem, tunc ratione talis periculi, neceſſariũ foret conteri, & confiteri, attamen peccator non ſempet poſt peccatum eſt in probabili periculo mortis ſtatim euenturæ. Peccatum etiam in quod is, quem non pœnitet, incidet, tale eſt quod non contra voluntatem ipſius eueniet, nam tunc peccatum non eſſet. Nec quod ait Gregorius, vnum peccatum in aliud trahere, procedit de tractione neceſsitante, ſed de inclinante, cui inclinationi facilè poteſt homo ipſe contrauenire. Adde quòd Gregorius non loquatur niſi de peccatore, quem vt pœniteat, Deus longo tempore ſpectat, qui tamen Dei benignitatem contemnens, pœnitere non vult. Talis enim, non mirum, ſi de vno peccato in aliud inuitus quodammodo trahatur ſic, vt *Ad II.*

vnum ex altero in voluntate permanente necessariò consequatur. Sed de hoc suprà in tractatu de pœnitentia.

Ad III.
Aliud est recedere à peccato secundùm actū; aliud secūdùm reatum.

Ad tertium de recessu à peccato, dicendum, aliud esse recedere à peccato secundùm actum, aliud secundùm reatum. Ad primum tenetur homo, quamprimum potest, sicut & semper tenetur, non incidere in peccatum secundùm actum. Ad secundum tamen non pro semper tenetur peccator sub pœna noui peccati. Discrimen notum est, quia in peccatum incidere, & in peccato secundùm actum permanere, est contra præceptum negatiuum, vt constat, quia sicut nunquam est peccandum, ita nunquam est in peccato secundùm actum permanendum. Manere tamen in peccato secundùm reatum tantùm, non ita est contra præceptum negatiuum, sed contra affirmatiuum, quo tenetur vnusquisq; à peccato ad gratiam per pœnitentiam resurgere, & ita non nisi suo tempore obligat, vt dictum est. Similitudo autem de furto tenet, quo ad primum membrum, vt patet.

Ad confirmationem eiusdem.
Manens in peccato secundùm reatum ad tempus, neque agit contra charitatem Dei, neque suiipsius.

Ad confirmationem dicendum, quòd nec agat contra charitatem Dei, nec sui, qui in peccato secundùm reatum ad tempus manet, pro tunc, scilicet quando non tenetur ad actum positiuum, qui ad gratiam sufficiat, talis enim actus non pro semper cadit sub præcepto. Sicut ergo ille Deum diligit, qui mãdata eius obseruat, ita ille Deum odit saltem virtualiter, qui mandata eius præuaricatur, aut violat, quod fit, quando homo in peccatum incidit, non quando solus reatus manet, quia tunc stat, quòd nil committat, nec omittat contra legem Dei. Ille etiam dicitur odisse seipsum, saltem virtualiter, qui aliquid committit, aut omittit, aut vult vnde dignus sit, qui æternaliter puniatur. Quòd enim ad tempus possit aliquis velle carere gloria Dei, aut ab eadem retardari, alibi in tractatu de peccato veniali ostensum fuit, nec peccatum esse, nec contra charitatem suiipsius. Ita etiam velle ad tempus hîc carere gratia Dei, non est peccatum mortale, nec contra charitatem sui. Hoc tamen stat dupliciter, scilicet quia potest quis velle carere gratia, aut gloria Dei per commissionem, seu omissionem, per quam talem carentiam mereatur, & hoc peccatum est, & contra charitatem Dei & sui. Alio modo per sustinentiam huiusmodi carentię, seu priuationis gratiæ, ex quo in pœnam peccati prius commissi, iustè huiusmodi priuatio inducta est, & sic non est mortale. Si tamen peccator gratia priuatus, velit æternaliter ob peccatum priùs à se commissum gratia carere, mortale peccatum est, quia talis voluntas tacitè includit voluntatem nunquam pœnitendi, nec confitendi, vt constat.

Dupliciter potest aliquis velle ad tempus carere gratia Dei.
I.
II.

Ad IIII.

Ad quartum ex Deuter. dicendum quod si, postquam asinus sub onere cecidit, nullum ipsi asino, aut Domino periculum fit, si non illicò subleuetur, non teneatur, qui transit, se detinere, vt subleuet statim, cùm per alios, aut postea possit illi succurri. Secus si ex mora aliquod illi asino, aut Domino damnum eueniret, tũc enim necessarium esset statim succurrere. Ita de peccatore per omnia dicendum, quòd vbi esset ipsi periculum notabile animę aut corporis remediũ differre, teneretur ad statim resurgere, secùs aliàs.

Ad V.

Ad quintum patet responsio ex solutione tertij cum confirmatione. Non enim tenemur statim proximum lapsum erigere, seu excitare, si nullum sit in mora periculum, sed possumus aliquod aliud tempus expectare, & hoc non est illum odisse.

De tempore quo confiteri oportet.

QVÆSTIO DECIMAQVARTA.

Quãdo confiteri sit necessarium. Solutio.
In quinq; casib⁹ est obligatio cõfitendi.
I.

His igitur suppositis restat inquirendum, quando sit necessarium confiteri? Respondetur, communis Theologorũ sententia est, quòd in quinq; casibus currat confitẽdi obligatio. Primus est quando peccator est in periculo probabili mortis, siue ratione infirmitatis, in qua homines solent mori, siue ratione belli, quod homines breui suscipere parati, & determinati sunt, siue ratione tempestatis in mari subortæ, siue ob quamcunque aliam causam. Ratio clara est, quia cùm iure diuino teneantur peccatores confiteri, si volunt à Deo peccatorum remissionem consequi, & finaliter saluari, qui in articulo mortis habens copiam sacerdotis, non vult confiteri, dignus est, qui in peccatis sine remissione decedat. Inde in cap. Cùm infirmitas. de pœnitentia & remissio-

A remiſsione iubetur medicis, vt in primis faciant ægrotantem confiteri &c. Et propter confeſsionis neceſsitatem iure conceditur, vt quilibet ſacerdos, etiam alioqui ſimplex, poſsit abſoluere eos, qui in huiuſmodi periculis ſunt conſtituti. Huic primo caſui poteſt addi alius, ſcilicet ſi quis cibum aliquem, aut medicinam ob cauſam aliquam ſumere compellitur, vnde veriſimiliter timet, quòd in perpetuam, ſeu diuturnam incidet dementiam, tunc tenetur confiteri, idque iure diuino, alioqui omittens pro tunc confiteri, exponit ſe periculo decedendi ſine confeſsione, & ſine beneficio abſolutionis, cui periculo tenetur obuiare.

Extenſio prædicti caſus.

SECVNDVS caſus eſt, quando peccator habet ad præſens copiam confeſſoris, & timet veriſimiliter, quòd poſtea tempore debito hanc opportunitatem non habebit, tunc ſi peccata habet, tenetur ea confiteri, non expectato tempore iure definito. Ratio huius etiam clara eſt, quia qui habita huiuſmodi opportunitate negligit confiteri, exponit ſe periculo omittendi, quod ſuo tempore deberet facere, maximè ſi timeat veriſimiliter ſucceſſu temporis periculum mortis incidere. Ille igitur, qui pro tempore futuro ad aliquid tenetur, ſi veriſimiliter timet, ſe non habiturum tempore illo opportunitatem, & ad præſens habet, tenetur præuenire. Huius exemplum ſumitur ex cap. licet. de feriis. Vbi conceditur, vt die feriato, puta Dominico, vel feſto, homines capiant haleces tunc aduenientes (quæ genus quoddam piſcium eſt) quia ſcilicet incertum eſt, an ſimilis B opportunitas ſe offerat poſtea. Similiter licet diebus feriatis, oblato vento opportuno, triticum in area purgare, & vindemiam, habita opportunitate, facere &c. quādo ſimilis opportunitas poſtmodum non ſperatur. Obiiciet aliquis, quòd tunc homo ſanus timens, ſe poſtea in infirmitatem caſurum teneretur ieiunare, & horas dicere, & celebrare, & reliqua facere, quæ timet ſe poſtea facere non poſſe. Reſpon. negando ſequelam, pro quo nota quòd quædam ſunt homini certo tempore neceſſaria, ratione ipſius temporis, & hæc non tenetur homo præuenire ex timore, quo timet ſe ſuo tempore illa non poſſe facere, talia ſunt ieiunare in certis vigiliis, & diebus ſtatutis, ſimiliter horas tali die talis feſti dicere &c. Alia ſunt, quæ ad ſalutem hominis ſunt inſtituta ſine temporis determinatione, & talia oportet præuenire, habita opportunitate, ſi timetur eam poſtmodum defuturam, talis eſt caſus præſens. Addi etiam poteſt huic ſecundo caſui alius, ſcilicet ſi peccator veriſimiliter timet, quòd ſi confeſsionem vſq; ad Quadrageſimam differat, aliquod peccatum, ſeu peccata à memoria ipſius peccatoris excidant, in tali caſu tenetur præuenire, & confeſsionem anticipare, nec debet tempus iure determinatum expectare. Nam cùm peccator teneatur ſolicitè curare, vt integrè confiteatur, & integrā peccatorum ſuorum abſolutionem à ſacerdote obtineat, qui in huiuſmodi caſu quando poteſt, negligit confiteri, exponit ſe periculo dimidiandi confeſsionē, & ex conſequenti dimidiatam abſolutionem obtinendi.

II. Caſus.

Obiectio.

Solutio.

Ea quæ ſunt homini neceſſariò facienda, ſimplici ſunt differentia.

Extenditur prædictus caſus.

TERTIVS caſus eſt, ratione conſcientiæ poſitiuæ, vel dubiæ, vt ſi quis habet conC ſcientiam, qua putat, vel dubitat, quòd teneatur hodie confiteri, tenetur hodie confiteri, alioqui ageret contra conſcientiam, & ad gehennam ædificaret, vt habet gloſſa ſuper illud Pauli: Omne quod non eſt ex fide, peccatum eſt &c. In quo notari ſolet illum in caſu non abſolutè teneri ad confitendum tunc, ſed ad vnum de duobus, ſcilicet ad deponendum conſcientiam, vel ea ſtante, ad confitendum. Sed fortè quæret aliquis an ſit in hoc caſu ipſi homini liberum conſcientiam deponere, & ita non confiteri ſine peccato? Reſpond. Duobus modis poteſt quis conſcientiam ſemel formatā deponere, ſcilicet temerè, hoc eſt, ſine cauſa rationabili, & cum cauſa rationabili & iuſta. Primo modo non eſt licitum conſcientiam deponere, & ea ſic depoſita, non eſt licitum ab opere deſiſtere. I. Ratio videtur clara, quia qui ſtante conſcientia tenebatur confiteri, vel aliud quid agere, ſi illud omittat, peccat contra conſcientiam, etſi conſcientiam temerè deponat, ſimiliter peccat, quia ipſa temeraria depoſitio, non releuat illum, quò minùs ſe periculo opus debitum omittendi exponat. Si verò cauſam habeat rationabilem deponendi conſcientiam, tunc licitè poteſt eam deponere, & ex conſequenti ſe à debito confeſsionis pro tunc liberare. Si quęras, quando habebit cauſam rationabilem eam deponendi? Reſpon. Si conſcientiam temerè, & ſine cauſa concepit, ſine cauſa alia poteſt eam deponere. Si cum cauſa aliqua eam concepit, cum alia cauſa fortiore poteſt eam deponere, alioqui ſi cauſas habet æquales ad habendum conſcientiam præfatam, & ad eam deponendum, ſatius eſt dubitare, quàm in partem minùs tutam declinare.

III. Caſus prædictæ quæſtionis.

Ad Rom. 14.

Duobus modis poteſt aliquis dubiū, conſcientiam deponere.

II.

Quando cenſeatur eſſe cauſa rationabilis erroneam conſcientiam deponēdi.

De con-

De confeßione præmittenda sumptioni Eucharistiæ.

IIII. Casus de confitendo. An sumpturus Eucharistiā teneatur semper prius confiteri. Rationes partis affirmatiuæ.

QVARTVS casus est, ratione Eucharistiæ suscipiendæ. De quo casu est quæstio inter aliquos, & tenet communis opinio, quòd semper qui Eucharistiam sumpturus est, tenetur priùs confiteri. Pro qua sententia faciunt, quæ sequuntur. Primò, quod ait Hieronymus super Amos 1. quòd baptismus est prima tabula, pœnitentia secunda. Igitur sicut non licitum est ad alia sacramenta transire, nisi suscepto baptismo, qui prima tabula est, ita non est licitum sine pœnitentia sacramentali ad alia sacramenta

I. transire, cùm secunda tabula post baptismum sit. Et primum de baptismo probatur ex c. Veniens. de presbytero non baptizato. Vbi decretum est, quòd qui, cùm non esset verè baptizatus, ad sacerdotium, & alios ordines promotus est, quòd cùm id constiterit, baptizetur, & illos ordines iterum suscipiat &c.

II. SECVNDO facit Apostolus ad Corinthios scribens: Probet seipsum homo, & sic de

1. ad Cor. 11. pane illo edat &c. Et addit: Nam qui indignè manducat, iudicium sibi manducat &c. Ex quo sequitur peccare illum, qui indignè manducat, indignè autem manducat, qui in peccato manducat, est homo in peccato, quamdiu à peccato non est absolutus, quandoquidem peccata, quę à sacerdote non sunt remissa, nec etiam sunt à Deo remissa, iuxta

Ioan. 20. illud Ioannis: Quorum retinueritis &c. Igitur necessarium est hunc panem cœlestem manducaturo, priùs peccata quæ recolit, confiteatur.

III. TERTIO facit cap. Omnis vtriusq; sexus &c. Vbi præcipitur vnicuiq; fideli Eucharistiam tempore Paschæ sumere, & præmittitur ibidem præceptū de confeßione. Vnde argumentum est, quòd intentio Ecclesiæ sit, vt fideles confiteantur, quò postea Eucharistiam dignè, sicut debent, suscipiant. Cùm igitur eadem sit ratio præmittendi confeßionem quocunque tempore quis velit Eucharistiam sumere, quæ est tempore Paschæ, quandoquidem eadem est Eucharistiæ sanctitas, & reuerentia quocunq; tempore anni, similiter & quocunque tempore quo sumitur, dignè sumi debet, igitur sicut tempore Paschæ sumptionem Eucharistiæ debet confeßio præcedere, sequitur quòd etiam quocunque tempore debet præcedere.

IIII. QVARTO facit cap. Vt ieiuni. De consecratione, distinctio. 4. Vbi dicitur, quòd qui sacramentum confirmationis debet suscipere, monendus sit, vt prius confiteatur, igitur à fortiore, qui sacramentum Eucharistiæ sumpturus est, debet priùs confiteri &c.

V. QVINTO facit ratio, quia qui sine præuia confeßione determinat Eucharistiam suscipere, exponit se periculo indignè sumēdi, quia si præmitteret confeßionem, certus esset se dignè suscipere, seu ad Eucharistiam dignè accedere, si autem nō præmittat confeßionem, & ad mensam Domini accedat, nō ita certus est, se dignum ac cedere, igitur.

Pars negatiua continens tres dicēdi modos. SVNT ALII, qui contrarium opinantur, vnde sunt, qui dicunt, quod si quis non habet de præsenti copiam confessoris, potest celebrare, & Eucharistiam accipere, modò

I. contritus sit, & paratus postea oblata copia, confiteri. Sunt etiā qui dicunt, quòd etiam si

II. talis habeat de pręsenti copiam confessoris, non tamen talis, qualē ipse vellet, sperans se postea alterius copiam habiturum, cui longè deuotiùs confiteri putat, quòd in tali casu potest celebrare, & confeßionem differre, ob huiusmodi meliorem opportunitatē, quā

III. sperat se habiturum. Sunt alij, qui dicunt, quòd esto habeat de præsenti copiam idonei confessoris, nec speret postea commodiorē se habiturū, potest celebrare, & Eucharistiā accipere, modò contritus sit. Et hi omnes sunt Doctores Catholici, & probati, igitur nō est de neceßitate salutis semper vt qui vult communicare, confeßionem præmittat.

Ratio I. PRO HIS facit etiam ratio, quia si confeßio esset communioni præmittenda, maximè ad hunc finem, vt scilicet homo se dignificaret, quò dignè posset ad Eucharistiam accedere, sed sic est, quòd potest homo se dignificare aliter, quàm per confeßionem, puta per contritionem ex summo conatu, & dilectione Dei procedente, quæ secundùm omnes sufficientißima dispositio est ad Dei gratiam, & amicitiam impetrandam, igitur.

II. DEINDE ad salutem non est necessarium, quod nullo iure præceptum est nec statutum, cùm igitur ius nullum appareat, quod obliget hominem ad præmittendum confeßionem, antequam Eucharistiam accipiat, nec ratio ad id conuincat, sequitur &c. Quòd autem ita sit, patet: Si enim per ius aliquod, aut rationem aliquam opposita sententia probari posset, maximè per ea, quę allegata sunt, sed illa non probant sufficienter: Patet hoc ad ea respondendo.

Ad

A Ad primvm dicendum, quòd illa ratio deficit, quia fundat se in hoc, quòd baptismus, & pœnitentia ideo dicuntur prima, & secunda tabula, quia sine eis ad alia Sacramenta transiri non possit, cùm tamen potiùs dicantur tabulæ, quia sunt remedia, quibus peccator inniti debet, si vult à naufragio peccati liberari. Et quia contra peccata veteris hominis primò est baptismus institutus, cõtra posteriora verò pœnitentia ideo baptismus prima, & pœnitentia secunda tabula dicuntur. Quòd ergo sine baptismo ad alia Sacramenta transiri non possit, non est quia prima tabula est, sed quia ianua Sacramentorum est, vt in dicto cap. Veniens dicitur. Non sic pœnitẽtia dicitur ianua reliquorum Sacramentorum, quod inde patet, quia baptizatus, si ad ordines promoueatur nõdum sacramentaliter confessus, non venit reordinandus, sicut si non baptizatus fuisset promotus. Si dicas, quamuis reordinandus non veniat, quia ordines verè suscepit, attamen suscipiendo, sine præuia pœnitentia, peccauit, & per cõsequens sine pœnitentia ad alia Sacramenta licitè peruenire non potuit. Respon. Imò ex sententia Doctorum potest baptizatus alia Sacramenta, etiam non præuia confessione suscipere, modò contritus suscipiat. Et consilij est, non necessitatis, cõfessionem præmittere, vt de susceptione confirmationis, & ordinis, & matrimonij, dici communiter solet &c.

Respõdetur ad rationes oppositas.

Ad I.

Baptismus est ianua Sacramentorum.

Occurritur obiectioni.

Ad secvndvm ex Paulo sumptum, dici potest, quòd etsi prærequiratur cõsciențiæ examinatio ante sumptionẽ Eucharistiæ, ad id prærequiritur, vt homo dignè ad hoc B Sacramentum accedat. Cùm ergo homo sufficienter se dignificet per contritionem omnium peccatorum, quæ facta discussione occurrunt, vt suprà dicebatur, consequens est, ex dictis Pauli, necessitatem præconfitendi non colligi. Si obiicias, quòd tunc non sit opus peccatori discutere conscientiam, quia ad reponendum se in statu gratiæ satis est, Deum diligat, & si peccata in genere occurrant, de illis propter Deum in genere doleat, cùm tamen Paulus necessarium esse doceat, priùs conscientiam examinare. Respõdetur, primo, illo concesso, non videtur aliquod inconueniens sequi, & tunc illa conscientiæ probatio, & examinatio, non est, vitam totam ad memoriam reuocare, vt de singulis peccatis doleat, sed seipsum probare, & certificare, quòd in gratia Dei sit, quod fieri potest, si homo in seipso experiatur, se Deum super omnia diligere, & dolere, se Deum offendisse, & vitæ, & morum correctionem in posterum proponere, quæ cùm quis in se esse compererit, dicetur seipsum probasse. Aut secundò dici potest, esto Paulus per probationem illam intellexerit peccatorum ad memoriam reductionem, id ipsum homo potest facere, & de singulis peccatis occurrentibus conteri sine confessione vocali. Et supposito quòd hæc probatio sit necessaria ad dignè Dominicum corpus manducandum, tunc sola pœnitentia in genere cum dilectione Dei sufficiet, vt ipse pœnitẽs in casu velit conscientiam, vt debet, discutere, alioqui non sufficiet ad gratiam, quam omissio præfatæ discussionis impediet, quod suppono falsum.

Ad II.

Obiectio.

Solutio duplex. I.

II.

Ad tertivm ex cap. Omnis vtriusq; sexus. dicendum, quòd quamuis secundùm C ordinem literæ priùs in præfato cap. ponatur præceptum de confessione, quàm de Eucharistia sumenda, non inde fit, quòd ideo id Ecclesia fecerit, quia intenderit fideles ad confessionẽ obligare ad hunc finem, vt dignè Eucharistiã susciperent. Quod inde patet, quia peccator non minùs tenetur semel in anno confiteri nõ sumpturus Eucharistiam, quàm sumpturus. Stat enim peccatorem deobligari à sumptione Eucharistiæ tempore Paschæ, vel quia copiam non habet ministrantis, vel quia patitur frequentem vomitum, vel ob aliam causam, & tamen non inde deobligatur à confessione, deobligaretur aũt, si ad finem sumendi Eucharistiam esset pręcepta confessio, sicut deobligatur quis à correctione fraterna, quando emenda, vel non potest, vel non speratur euẽtura. Adde quòd præcepto de confitendo semel in anno satisfacit quis, quacunq; parte anni confiteatur: Non igitur ad finẽ dignè sumendi Eucharistiã in Paschate, iussa est ab Ecclesia confessio.

Ad III.

Ad qvartvm ex cap. Vt ieiuni. sumptum, breuiter dicitur, non inde colligi necessitatem præmittendi confessionem, cùm textus dicat, quòd tales moneantur confiteri, quod verbum necessitatem non importat, sed congruitatem confitendi.

Ad IIII.

Ad qvintvm dicendum, quòd minùs conuincat, nam si loqueris de certitudine euidentiæ, vel fidei, nec confessus accedens, nec non confessus, est certus se in gratia accedere, vt constat: Si verò loqueris de certitudine morali, & probabilis coniecturæ, per contritionem propter Deum habitam, est certus, quòd in gratia accedat, & ita sic accedens cum hac certitudine, sine confessione, non se exponit periculo indignè sumendi.

Ad V.

Et ita rationes illæ pro communi opinione factæ, non omnino conuincunt contra eos, qui opinantur contrarium, vt ſunt Gerſon, Richardus, Panormitanus, Caietanus, Adrianus, & alij.

Etiamſi rationes pro parte affirmatiua non conuincant, conſuetudo tamen, quæ pro eadem parte facit, vim legis habet obligantis &c.

Attamen quamuis ſtando in ſolo iure diuino, aut humano, aut etiam in ratione, non conuincamur opinionem communem tenere, conſuetudo tamen vbique inter viros bonos ſeruata, habet vim iuris. In tota enim Eccleſia Latina, ſacerdotes antequam celebrent, ſi copiam habent ſacerdotis, confitentur, & oppoſitum agentes, ſe delinquere putant. Similiter & laici antequam communicent, ſolliciti ſunt confiteri priùs, nec aliter ad menſam Domini accedere audent. Quòd autem huiuſmodi conſuetudo vim habeat iuris obligantis, conſtat, quia conſuetudo rationabilis, & tam approbata, ſolet iuri de oppoſito præualere, quod certum eſt, igitur vim habet, imò maiorem, quàm ipſum humanum ius. Hugo etiam vir magnæ authoritatis, ait in libro Eccleſiaſticæ poteſtatis, Audacter dico, ſi ante ſacerdotis abſolutionem ad communionem corporis, & ſanguinis Chriſti quis acceſſerit, pro certo ſibi iudicium manducat & bibit, etiamſi eum multùm pœniteat, & doleat vehementer, & ingemiſcat. Et id verum eſt, ſi habeat copiam confeſſoris; ſi autem copiam non habeat, & celebrationem, & communionem ſine ſcandalo differre poſsit, tenetur differre, ſecùs ſi ſcandalum ex dilatione timetur, vt ait Scotus & alij. Et ita tenendum videtur, quòd ſemper, quando quis celebrare vult, aut cõmunicare, teneatur priùs confiteri, habita copia confeſſoris, & ſi copia non habeatur, debet expectari, vel quæri, ſi commodè poteſt, niſi neceſsitas cogat, quia tunc ſufficit contritio, cum propoſito confitendi. Eſt autem multiplex neceſsitas, ſcilicet vitandi infamiam, vel ſcandalum, eſt etiam neceſsitas ſatisfaciendi officio ſibi iniuncto, ſi curatus ſit, eſt etiam neceſsitas ex præcepto ſuperioris, quando aliqua vrgens cauſa celebrandi occurrit. Has & alias huiuſmodi ἐπιείκειας admittit præfata conſuetudo de confitendo ante communionem &c. quapropter in huiuſmodi neceſsitatibus poteſt quis ad celebrationem non præmiſſa confeſsione procedere &c.

Reſolutio quæſtionis pro parte affirmatiua, ſi copia adſit confeſſarij &c.

De confeſsione ſemel in anno agenda.

Quintus caſus de obligatione confitendi.
An ſtatutũ Eccleſiæ obliget ad cõfitendum ſemel in anno?
I. *Sententia affirmatiua.*
Sententia II. *negatiua.*
Ratio I.

Qvintvs caſus eſt, quando confeſsio veniat facienda, ratione ſtatuti Eccleſiæ capit. Omnis vtriuſque ſexus. De pœnitentiis & remiſsionibus &c. Circa quod eſt dubium, an illud ſtatutum obliget ad confeſsionem, an eam ſolùm exhortetur? Dicit Florentinus quòd obliget, probat ex pœna in fine capit. appoſita, quæ non niſi contra mortaliter peccantes ſolet imponi. Econtrà dicunt alij, vt Durandus, quòd illud ſtatutum non ſit præceptiuum confeſsionis, quia in illo nec ponitur verbum præceptiuum; cùm nec dicat mandamus, iubemus, præcipimus, aut aliud huiuſmodi, quod vim videatur habere præcepti, nec etiam ex pœna illic appoſita poteſt deduci, confeſsionem eſſe ibidem præceptam.

II. Poena enim illic poſita eſt, vt viuus arceatur ab Eccleſia, & moriens careat Eccleſiaſtica ſepultura, quæ pœna non videtur contra non confitentes imponi, ſed contra eos, qui Euchariſtiam in Paſchate non ſuſcipiunt. Ratio, quia talis pœna videretur ſuperfluè, & inaniter poſita contra eos, qui omnia ſua peccata (iuxta ſtatutum) ſuo ſacerdoti non confitentur, eò, quòd non poteſt Eccleſiæ conſtare, an peccator omnia ſua peccata confeſſus ſit, necne, quod ſoli ipſi peccatori conſtare poteſt.

III. Tvm, qvia forum illud ſecretum eſt, nec confeſſor poteſt aliquid in hoc articulo contra confitentem teſtificari, & ſi teſtificetur, non inde poterit Eccleſia confitentem punire. Vnius enim teſtimonium non valet ad puniendum reum. Tum etiam, quia ſunt peccata cordis, & alia occultiſsima, de quibus ſciri per Eccleſiam nõ poteſt, an peccator illa omnia ſit confeſſus, vel non, & per conſequens illa pœna minimè poteſt iuſtè in quemquam infligi, ob id, quòd non omnia peccata ſuo fuerit confeſſus ſacerdoti.

Occurritur obiectioni.

Si dicas, quòd quamuis peccatori confeſsionem omittenti, pœna illa infligi non poſsit ob defectum cognitionis, attamen peccator eam incidet in conſcientia, ſi non, vt debet, confiteatur, ſicut excommunicationem poteſt quis in conſcientia incidere, ob peccatum, de quo Eccleſia non habet, nec habere poteſt cognitionem.

Contra ſtat ratio, quia hæc pœna, ſcilicet vt viuens arceatur ab Eccleſia, & moriens careat Eccleſiaſtica ſepultura, non eſt de his, quas delinquentes in conſcientia eo ipſo

A ipso incurrunt, quales sunt, quæ absolutè in eorum sunt potestate, de facto eas subire, vel non, vt patet de suspensione, excommunicatione, irregularitate &c. Hæc autem pœna talis est, quam alij debent infligere contra delinquentem inuitum, hoc est, illum viuum ab Ecclesia arcere, & mortuum ad Ecclesiasticam sepulturam non admittere. Itaq; concludunt, illam pœnam non contra non confitentes semel in anno esse impositam, sed contra eos, qui Eucharistiam tempore Paschæ non suscipiunt, de hoc enim bene potest Ecclesiæ constare. Et quod ibidem de confessione præmissum est, dicunt exhortatoriè esse positum, vt qui communicaturi sunt in paschate, per confessionem præuiam disponantur. Temperatiùs loquitur Thomas, qui in 4. dist. 27. q. 1. tenet, confessionem non per se iuberi ab Ecclesia, sed tantùm per accidens, ratione scilicet Eucharistiæ, quam omnes fideles in Paschate tenentur accipere, ante quàm necesse est confiteri &c. IIII. *Sententia D. Thomæ.*

CONTRA tamen est communis Theologorum, & Iuristarum concors sententia, quòd illud statutum sit obligatorium ad confessionem, & Eucharistiam sumendū. Contra etiam est totius Ecclesiæ consuetudo, quæ ex vi illius statuti id habet in cōsuetudine, vt omnis peccator semel in anno confiteatur, quæ quidem est optima legum interpres. Vnde & prælati in suis diœcesibus scientes qui non fuerit illo anno confessus, eum non solùm pœna pecuniaria puniunt, sed etiam excommunicatione feriunt. Contra etiam est ratio, quia si non esset illic statuta confessio semel in anno, nisi ad hunc finem, vt scilicet qui communicaturus est, se meliùs disponeret, tunc sequeretur quod priùs, scilicet quòd si quis impeditus esset, ne commodè valeret in Paschate communicare, quòd non teneretur confiteri, quod est falsum. *Conclusio. Ecclesiæ statutū obligat ad confessionem semel in anno faciendam. Probatur* I. II.

B

QVOD etiam in suæ assertionis fundamento citant, nullū illic poni verbi præceptiuum, nō suffragatur eisdem, quia etsi formaliter nullum ex dictis ponatur, ponitur tamē illud verbum, confiteatur, quod imperandi verbum est. Consuetudo etiam, quæ optima legum interpres est, simul cum Doctoribus, præceptiuè statutum esse tradunt. Sed quod de pœna illic apposita dicunt, apparentiam habet, quāquam dicere, quòd nō possit Ecclesiæ constare de omissione confessionis, non omnino verum est, quia posset constare, quòd peccator aliquis publicus non se sacerdoti suo præsentauit. Posset etiam constare, quòd non sit plenè confessus per propriam ipsius confessionem. Posset etiam constare per testimonium sacerdotis, qui absolutionem fortè ei denegauit, videns eum non integrè confiteri. Adde, quòd pœna illa videtur super totum statutum cadere, & non solùm super partem, quia statutum de confessione, & Eucharistia, non ponitur copulatiuè, sed categoricè. Non enim dicit, suscipiatq; &c. sed suscipiens reuerenter Eucharistiam &c. *Respōdetur ad rationes negatiuæ. Ad* I. *Ad* II. *Ad* III. *Ad* IIII.

ALIAM possent pro se rationem facere, quia Ecclesiæ præceptum ad interiora cordis non se extendit, ad quæ tamen se extendit illud statutum Ecclesiæ, igitur exhortatorium est, non præceptorium. Verùm ad hoc duplex patet responsio, altera, quòd non sit certum, quod illi pro certo supponunt, quòd Ecclesia ad interiora non habeat potestatem, maximè cùm hîc non interiora iubeantur, sed exterior cōfessio. Secunda est, quòd hîc Ecclesia non iubet confessionem simpliciter, sed determinat tempus, in quo iubet id compleri, quod Deus suis fidelibus sine temporis determinatione præcepit. *Alia ratio pro parte negatiua. Solutio duplex.* I. II.

C

PRAESVPPOSITO ergo quòd prefatū statutum obligatoriū sit, est dubium, an peccator illi satisfaciat, si quacunq; parte anni confiteatur, etiamsi in quadragesima nō confiteatur. Respond. Si stemus in solo iure apparet, quòd quacunq; parte anni cōfiteatur quis, satisfacit præcepto Ecclesiæ, quādoquidem in ipso statuto nulla certa pars anni pro confessione designatur, sicut pro Eucharistia, maximè cùm de cōfessione ibidem præcipiatur, quòd quilibet, saltem semel in anno &c. In quo dicēs, saltem semel, videtur non tradere præceptum de cōfitendo determinatè in quadragesima, sed per totū annum. Ita tenet Baptista, confessio. 2. §. 4. Si autem stemus consuetudini, & cōmuni hominum intelligentiæ, vel opinioni, similiter & statutis prouincialibus pœnas contra non confitentes statuentibus, apparet, præceptum hoc obligare ad cōfessionem in quadragesima, qui enim tunc non confitentur, se præuaricatores esse putant, & vt tales, pœna pecuniaria puniri solent. Et curatis imponitur necessitas tradendi prælatis in matriculis eos, qui in quadragesima vniuscuiusq; anni fuerint, aut non fuerint confessi. Itaq; consuetudo interpretatur statutum, quantum ad tempus. Ideo tenet Thomas in 4. distinct. 17. q. 3. ad primum. artic. 4. dicens, idem tempus simul esse ab Ecclesia institutū pro confessione & Eucharistia, excepto, quod confessio debeat præcedere. De quo suprà. *An satisfaciat quis Ecclesiæ statuto, si quocūq; anni tempore confiteatur? Solutio. Habita ratione solius iuris, satisfacit. Ratione cōsuetudinis, obligat illud statutū in quadragesima.*

Omittens confiteri in quadragesima, teneatur ne quamprimū poterit, postea confiteri?
Sentētia I. *negatiua.*
Ratio I.

Sed an qui in quadragesima omisit confiteri, teneatur ea translata quamprimum poterit, confiteri, an possit sine nouo peccato confessionem vsque ad aliam quadragesimam differre? Florentinus dixit, quòd transacto tempore anni, nō teneatur de necessitate ante aliam quadragesimam confiteri, secùs de congruitate: Idem dicit de eo, qui omisit sumere Eucharistiam in paschate. Cum eodem tenet Baptista, verbo, cōmunicare &c. Mouentur ad id à simili de aliis præceptis Ecclesiæ, vt de ieiunio, & de horis dicēdis. Si quis omittat ieiunare vigiliam alicuius Sancti, vel quadragesimam, non tenetur postea defectum per simile ieiunium supplere, & si omittat horas Canonicas vnius Sancti, elapso die, non tenetur eas postea dicere. Igitur, qui in tempore debito omisit confiteri, aut Eucharistiam suscipere, non tenetur postea defectum supplere, antequam simile

II. tempus anni sequentis adueniat. Potest id confirmari, si quis in periculo mortis existēs, siue ratione belli, siue infirmitatis, siue tempestatis &c. non confiteatur, vt debet, & pòst ab illo periculo liberetur, non tenetur illicò ac liberatus est, confiteri loco aut vice confessionis omissæ, igitur nec in præsenti casu.

III. Praeterea si clericus curatus, aut capellanus est specialiter obligatus ad celebrandum in certo loco, vel capella certis diebus, & illis diebus nō potest in destinato loco celebrare, quia fortè Ecclesia est violata, aut aliter impedita, talis non tenetur in alio loco non sic sacro celebrare, loco missæ, quæ in destinato loco non celebratur, excepto nisi voluntas institutoris alia fuerit &c. Igitur etiam in præsenti casu.

Reiicitur prædicta sententia, & respondetur ad primam illius rationem.

Intentio Ecclesiæ præcipientis, ieiuniū vel horas Canonicas.

Intentio Ecclesiæ præcipientis cōfessionem semel in anno.

Mihi tamen non omnino certa videtur huiusmodi responsio, in eo, quòd idem volunt esse iudicium de ieiunio, & horis dicendis, & de confessione, & Eucharistia &c. Nam non tam verba præcepti videntur attendenda, quàm præcipientis intentio. Et quia, vt communiter tenetur, intentio Ecclesiæ ieiunium certis diebus præcipientis, est præcipuè ad honorem Sancti alicuius habere respectum, quem taliter, & tali die voluit colere, habito præcipuè respectu ad tempus tale determinatum, ideo elapso illo tempore, non est necessarium alio die Sanctum illum illo modo colere, quo statutum erat suo die esse colendum. Idem dico de horis dicēdis talibus, & tali die, quia præcipuè habetur respectus ad diem certum, si tunc horæ non dicantur, nō est necessarium postea easdem dicere, quandoquidem intentio Ecclesiæ ad huiusmodi obligantis, præcipuè tendebat in tempus & diem, quo elapso, non est intentio eius ad eadem obligare. Secùs in aliis præceptis, & statutis, in quibus non tam habetur respectus ad tempus determinatum, quàm ad salutem, & bene esse fidelium, vt in præcepto de confitendo semel in anno, in quo non intendit Ecclesia tempus alicui Sancto, vel sacro mysterio specialiter dedicatum celebrare. Quod patet in eo, quòd nullum certum tempus ad confitendum præfixit, sed semel in anno dixit confessionem agendam esse, volens occurrere negligentiæ humanæ, de cōfitendo. Nam si hominibus relinqueretur liberum confiteri quando vellēt, vix confiterentur homines, nisi in articulo mortis, daretur etiam eis occasio, multa peccata obliuioni tradendi. Id ergo intendit Ecclesia cùm præcipit, vt semel in anno fiat confessio, scilicet vt non vltra annum protendatur, seu differatur, vt dicit Thomas in 4. ideo dixit, saltem semel, ac proinde elapso anno, necesse est hominem cōfiteri, quamprimum potest, vt se Ecclesiæ intentioni conformet. In præcepto verò de Eucharistia sumenda, aliud videtur, quia Ecclesia in illo videtur principaliter habere respectum ad tempus Paschæ, cùm ipsum specialiter commemoret, & intendat Dominicam cœnam, quam Christus cum discipulis habuit, celebrare, aut illam, quam cum eisdem in regno suo facturus erat, hoc est, postquam esset resuscitatus, & deuicto hoste, gloriosè triumphans, de qua dixerat: Amodò non bibam de hoc genimine vitis, quousq; bibam illud vobiscum in regno meo &c. Et ideo elapso tempore Paschę, non ita videtur manere obligatio ad communicandum, saltem ex vi statuti præfati, nisi aliud exigat statutum aliquod particulare, aut consuetudo. Idem etiam videtur de capellano, qui ex institutione fundatoris tenebatur pro defunctis certas Missas in sua capella dicere, cùm principaliùs intenderit missarum fructum sibi, & suis defunctis applicari, quàm loci venerationē, ideo capella impedita, tenebitur alibi missas illas dicere, sicut elapsis diebus, in quibus capellanus celebrare tenebatur, & omisit, tenetur postea totidem dicere, ne dotator defraudetur. Idem videtur de curato, qui si in sua Ecclesia, quia destructa, vel impedita est, missam celebrare non potest, diebus quibus populus missam audire tenetur, debet eā in alio loco cōmodo celebrare, ne populus, à quo debitum accipit stipendium, suo fructu spiritu-

Elapso anno necesse est hominē quamprimum potest, confiteri &c.

Intētio Ecclesiæ præcipiētis Eucharistiæ sumptionē, respicit tempus Paschæ principaliter.

Elapso tempore Paschæ, non obligat amplius statutū Ecclesiæ ad cōmunicandū: secùs de confessione.

Respōdetur ad tertiā rationē partis negatiuæ.

A spirituali defraudetur. Itaque in similibus statutis, aut obligationibus, in quibus principaliter habetur respectus ad honorandum locum, vel tempus, seu Sanctum, aut mysterium aliquod tali loco, aut tempore celebrandum, tunc extra locum, & tempus signatum non currit obligatio. Secùs si principalis intentio præcipientis fuit officium ipsum vel opus iniunctum facere, quia tunc si loco & tempore debitis non fuit factum, nó cessat obligatio illud postmodum, aut alibi supplendi.

Statuta Ecclesiæ, quo ad obligationẽ, in duplici sunt differentia. I. II.

ALIVD VERO quod arguebatur de eo, qui cùm in periculo mortis esset constitutus, confiteri neglexit, si à periculo liberetur, fateor quòd non tenetur illicò loco confessionis omissæ confiteri. Ratio clara est, quia cessante periculo, cessat ratio, ob quam tenebatur confiteri, iuxta vulgare dictum, cessante causa, cessat effectus. cap. Cùm infirmitas. De pœnitentiis & remissi. Non sic quando elapsus est annus, in quo homo non fuit confessus, imò quantò magis quis confessionem differt, tantò magis currit ratio statuti præfati, cùm magis in damnum cedat peccatoris, & magis tradat obliuioni peccata commissa, quorum vtrique Ecclesia voluit in præfata decretali occurrere.

Respõdetur ad II. rationem negatiuam.

De modo secretè confitendi.

QVÆSTIO DECIMAQVINTA.

B

SOLET INSVPER circa modum confitendi quæri, an sit licitum plures vni confiteri, & vnum pluribus, & an sit licitum confiteri per interpretem, & coram testibus aliis, & publicè. Secundò, supposito quòd hæc licita sint, an sit necessarium sic confiteri, quando aliter confessio fieri non potest. Tertiò, an in huiusmodi casibus confessio facta sit Sacramentalis, ita vt absolutio verum sit Sacramentum, etiam si in scriptis fiat.

An liceat pluribus cõfiteri, aut per interpretẽ aut publicè: núque eiusmodi cõfessio aliquãdo necessaria sit & sacramentalis.

RESPON. Ad primum visum est quibusdam dicere, quòd non sit licitum illo modo confiteri, eò quòd per Ecclesiam præceptum est, vt peccator solus, soli sacerdoti cófiteatur. cap. Omnis vtriusque sexus. Sed in casibus illis, in quibus plures interueniunt, non id seruatur, quod Ecclesia iussit, & per consequens confessio facta, vt dictum est, nec licita est, nec necessaria, nec verè Sacramentalis, cùm peccaminosa sit. Sic tenet Angelus verbo, confessio. I. §. 29.

Sentẽtia variæ. I. *Non esse licitã eiusmodi cõfessionem.*

ALII AVTEM dixerunt, licitam quidem esse huiusmodi confessionem, non tamen necessariam, nec sacramentalem, vt tenet Scotus in 4. distinctione 17. Quòd enim licita sit, ideo est, quia quod dictum est, peccatorem solum soli sacerdoti debere confiteri, in fauorem ipsius peccatoris ita institutum est, non iussum, potest autem peccator huic iuri cedere, si velit, maximè si causa rationabilis subsit. Quòd autem necessaria non C sit, satis patet, si peccator nolit præfato iuri cedere. Quòd verò sacramentalis non sit, ideo est, vt dicunt, quia confessio Sacramentalis à natura debet esse secreta, qualis non est ea, de qua quæritur, sed patula, & per testes, aut scriptum in foro humano probabilis, vt constat.

II. *Esse quidem licitam, non tamen necessariã vel sacramẽtalem.*

ALIIS VERO aliter visum est, quòd licita, & necessaria, & sacramentalis sit præfata confessio. De licentia patet, ob rationem factam. Quòd autem necessaria sit, si aliter fieri secretè non potest, probant multipliciter. Primò, quia absolutio Sacramentalis à sacerdote impensa, est peccatori ad eius salutem necessaria, quia sine ea Deus peccata non remittit, iuxta dictum sæpe citatum Ioannis 20. igitur necessarium est, per media alioqui licita illam procurare, cùm ergo in casu præsenti confessio non omnino secretè licita sit, igitur necessarium erit sic confiteri ad finem assequendi præfatam absolutionem.

III. *Esse licitam, necessariam et sacramentalem.* *De necessitate probatur* I.

CONFIRMATVR à simili de baptismo, quem, cùm sit ad salutem necessarius, tenetur homo procurare suscipere per media alioqui licita, aliâs videretur propriam salutem negligere. II.

CONFIRMATVR iterum, quia si potest per media licita præfatam absolutionem obtinere, & non vult, maximè ne per illa media infametur, per quæ eius peccata possunt in multorum notitiam deuenire (non enim est aliud damnum, quod inde timeri possit) sed qui ob seruandam famam in casu non vult confiteri, & ex consequenti nec absolui, III.

absolui, videtur famam propriæ saluti animæ præferre, quod est ordini charitatis contradicere.

IIII. CONFIRMATVR vltimò, quia si in casu negligeret confiteri, cùm non aliter posset, exponeret se periculo damnationis, eò quòd non confessus, non posit ita certus esse, an sit in statu gratiæ, sicut confessus, & absolutus, igitur ad vitandum huiusmodi periculum, videtur necessitatus confiteri, eo modo, quo potest. Hæ tamen rationes præsupponunt in casu præfatam confessionem Sacramentalem esse, & apparet ita esse, quia absolutio publicè, aut secretè impensa, Sacramentalis est, sacramentum enim non variatur per hoc, quòd publicè, vel occultè ministretur.

Conclusio I. Licet pluribus simul sacerdotibus confiteri cũ spe veniæ.

ALITER TAMEN videtur dicendum, & sit primum dictum, quòd licitum est peccatori pluribus simul sacerdotibus confiteri cum spe veniæ. Probatur ex sententia August. cap. Quem pœnitet, de pœnitentia distinct. 1. dicentis: Quantò quis pluribus confessus fuerit in spe veniæ, faciliùs remissionem assequetur. Idem etiam patet ex consuetudine laudabili, in quibusdam religionibus obseruata, & practicata, qua scilicet simul quis confitetur priori Prædicatorum, & Carmelitarum, & Guardiano minorum, vt refert Palud. in suo 4. Idem Richardus, & post eum Baptista, confessio. 1. §. 10. non solùm in necessitate, sed extra.

Ratio I.
II.

III. DEINDE si aliquid obstaret, quò minùs id fieri posset, maximè fama pœnitentis, quæ per hoc exponitur periculo pereundi, verùm hoc non obstat, tum quia omnes illi tenentur sigillatam habere confessionem illam, ac si vnicuique eorum seorsum facta esset. Tum etiam, quia stat peccata illius peccatoris esse alioqui publica, quæ quidé ipse potest in foro contentioso publicè confiteri, igitur à fortiori id potest occultè pluribus sacerdotibus.

IIII. DEINDE modus ille secretus in fauorem peccatorum fuit institutus, cui ipse peccator cedere potest, si non aliud maius damnum inde timeatur. Idem tenet Adrian. in 4. Et Ioann. Andre. & post eum Baptista, confessio. 1. §. 11.

II. Conclusio. Talis confessio sacramentalis est, & absolutio valida.

SECVNDVM dictum. Talis confessio est Sacramentalis, & erit valida absolutio seclusо obice &c. Ratio, quia Augustinus vbi suprà de Sacramentali confessione loquitur, & absolutio impensa ab illis pluribus religiosis suprà narrato casu, etiam fuit semper Sacramentalis reputata. Tum etiam, si plures sacerdotes possunt simul eandem hostiam consecrare, vt certum est, quare igitur non poterunt simul eundem peccatorem absoluere?

Ratio I.
II.
III.

Confessio per interpretē facta Sacramentalis est, etiamsi non fiat secretò.

DEINDE confessio per interpretem facta, aut alioqui tertio assistente, sciente, vel nesciente ipso confitente, ex sententia omnium, Sacramentalis est, etiamsi secretissimè non fiat, igitur, quòd confessio fiat pluribus, aut coram multis, non impedit veritatem absolutionis subsequentis.

NEC OBSTAT, quòd forum pœnitentiæ debet esse secretissimum; nam hoc non variat essentiam Sacramenti, quod in absolutione consistit. Nec etiam in vi præcepti dictum est, vt solus soli quis confiteatur, sed per viam cuiusdam modificationis præcepti, sine qua noluit Ecclesia peccatorem ad confitendum obligare, vt tenetur communiter.

III. Conclusio. Quatenus illicitũ sit per interpretem aut scriptum confiteri. Luc. 17.

TERTIVM dictum. Si peccator habeat copiam confessoris idonei, quando confiteri tenetur, & potest voce peccata sua præsentialiter confiteri, non est illi licitum per internuntium, aut per Scripturam absenti confiteri. Id patet, tum ex eo quòd Christus figuraliter id præcepit, quando leprosis iussit, vt sacerdotibus seipsos personaliter præsentarent. Tum etiam ex cap. Quem pœnitet, suprà citato, vbi dicit non per Scripturam, nec per internuntium confitendum esse, ac proinde in hoc casu non erit valida confessio, nec absolutio sic impensa, saltem propter obicem peccati, quem ponit is, qui illo modo absque causa aliqua excusante confitetur.

IIII. Conclus. Quatenus licitũ sit per interpretem aut literas confiteri. Absolutionē sacramentalē absenti pœnitenti impendi posse, probatur.

QVARTVM dictum. Si peccator non potest confessorem adire, nec eum ad se accersere, probabile est posse per internuntium, & per literas absenti confiteri, & ab eodem per literas Sacramentaliter absolui, vt tenet Adrianus, & Palud. Et de confessione quidem non dubitatur. Pro quo facit cap. Qualis. 30. q. 5. vbi dicitur, quòd pœnitentia in scriptis est admittenda. De absolutione tamen probatur quòd posit in absentia impendi, quia si aliquid obstaret, esset, quia huiusmodi Sacramentum consistit in voce, non in scripto, aut quia absolutio huiusmodi requirit præsentiam absoluti, iuxta tenorem formæ,

A formæ, in qua dicitur: absoluo te, per quam præsentia corporalis absoluti notatur; aut præceptum Christi de se præsentando sacerdoti. Sed nil horum obstare videtur, quòd enim sit de necessitate absolutionis sacramentalis vt voce fiat non scripto, non ita certum est, vt putat Caietanus, nec illam formam vocalem esse debere, declaratum est. Absolutio enim sententia quædam est, in foro illo data, de essentia autem sententiæ non est, vt vocalis sit, cùm videamus eam sæpe in scriptis dari, siue sit sententia excommunicationis vel absolutionis ab eadẽ, siue alia. Nec refert forum esse diuersum, quia quòd feratur sententia secretè, vel publicè, non variat essentiam sententiæ. Adde, quòd & si cõfessor absens sit, potest absentem voce absoluere, & absolutionem scriptis mandare, nec videtur ad essentiã absolutionis requiri præsentia absoluti, nec illa forma: Absoluo te à peccatis &c. videtur præcisa forma huius Sacramenti, nec in Cõcilio Florentino declaratur tanquam præcisa forma, nam vt ait Scot. potest sub aliis verbis absolutio tradi, scilicet, sit Petrus absolutus, vel absoluo Petrum à peccatis suis &c. Sicut de baptismo dicitur, quòd forma illa, qua Græci vtuntur, valida sit, scilicet, Baptizetur seruus Christi. Nec etiam ex dicto Christi, vnde colligitur huius Sacramẽti institutio, colligitur, quòd absolutio fieri debeat voce, non in scripto, aut quòd impẽdatur præsenti non absenti, vbi dictum est, quorum remiseritis peccata, remittentur &c. Sic etiã Papa absentes plenè absoluit, quando plenas indulgentias illis cõcedit, & absolutio huiusmodi in scriptis data,

De necessitate absolutionis sacramentalis nõ est, vt voce tantummodo fiat, & non scripto.

B valet. Quòd aũt Christus præceperit leprosis, vt se personaliter sacerdotibus præsentarent, non obstat, quia ex illo colligitur pręceptum esse peccatoribus se pręsentare sacerdoti, sed quando possunt. Non enim præceptum ad impossibile obligat, igitur quando non possunt, nil videtur obstare, quò minùs per scriptum se sacerdoti præsentent.

Quare Christus leprosos à se mũdatos, ad sacerdotes miserit.

QVINTVM dictum. Etsi licitum sit his modis confiteri, in quibus non solus soli quis voce confitetur, non tamen est necessarium, quia, vt suprà tactum est, nec est intentio Dei, nec Ecclesiæ, vt peccator teneatur confiteri eo modo, quo possit infamari, qualiter potest, si per interpretem, vel nuntium, vel scriptum, vel pluribus simul confiteatur. Ideo Ecclesia præceptum modificans ait, vt solus soli confiteatur. Quod etiam suprà ex intentione Chrysostomi probatum fuit, qui peccatori necessitatem confitendi significans ait: Non dico tibi vt te prodas in publicum. Et iterum; Non dico tibi, vt peccata conseruo cõfitearis, vt tibi exprobret, sed soli Domino volo te confiteri, & est communis sententia Doctorum.

V. Conclusio. Quamuis prædicta confessio sit licita, non est tamen necessaria. Probatur.

IAM RESPONDETVR ad rationes, per quas probabatur id esse necessarium, quãdo aliter peccator absolui à sacerdote non potest. Ad primam dicendum, quòd si esset simpliciter necessaria absolutio sacerdotis ad salutem peccatoris, probaret ratio, quòd ex consequenti esset necessarium per media hæc licita eam procurare. Attamen non ita est absolutè necessaria, sed tunc tantùm, quando quis solus potest soli sacerdoti cõfiteri, nec aliter intendit Deus peccatorem obligare, vt dictum est.

Respõdetur ad rationes allatas pro necessitate prædictæ cõfessionis.

Ad I.

C AD CONFIRMATIONEM primam de baptismo dicendum, non esse simile, quia baptismus datus est tãquam absolutè necessarius, & non cum modo simili, cum quo iussa est confessio, & non aliâs.

Ad II.

AD SECVNDAM confirmationem dicendum, quòd ratio, quare non sit necessarium sic confiteri, est quæ dicta est, scilicet, quòd nec Deus, nec Ecclesia obligat quenquam ad cõfessionem, nisi solius soli, quanquam ratio, quare non aliter quenquam obligauerit est, ne peccatores metu infamiæ desinant confiteri.

Ad III.

AD TERTIAM confirmationem respond. quòd si non posset aliquis debitam certitudinem sui status habere nisi per confessionem, & absolutionem, & per eam posset habere, fateor quòd esset necessarium sic confiteri, ob periculum vitandum. Attamen cùm huiusmodi certitudo non sit euidentiæ, sed probabilis coniecturæ, hæc autem haberi possit per solam contritionem, sine huiusmodi non secreta confessione, igitur defectus certitudinis non inducit necessitatem confitendi, non seruato modo secreto.

Ad IIII.

VERVM contra id quod dictum est, modum scilicet secretè confitendi non cadere sub præcepto, obiiciet quis decretalem Sixti quarti, in qua condemnauit errores magistri Oxoniensis, & sociorum eius, inter quos hic erat vnus, scilicet, non exigi de necessitate confessionem secretam. Nec valet si dicatur, id de confessione peccatorum mentalium intelligi, quæ peccata dicebant illi non esse de necessitate confitenda. Non, inquam, valet, quia in eadem decretali etiam est damnatus ille articulus, scilicet, pro pec-

Obiectio triplex ad probandum, confessionem necessariò secretam esse debere.

I.

catis cordis non esse necessariam vocalem confessionem, post quem articulum condemnatum apponitur hic præsens, scilicet non de necessitate exigi confessionem secretam, igitur non solùm confessio, sed modus confitendi secretè, cadit sub præcepto diuino, quia sic videtur decretalis procedere. Respon. Ita est, diuersos esse articulos præfatos ibidem damnatos, sed potest multipliciter responderi. Primò eñ intentio potius quàm verba decretalis attendenda est, id enim intendit Papa illic damnare, quod illi Magistri Salmanticenses affirmabant, illi autem asserebant, non necessariò exigi confessionem secretam, id est, de peccatis secretis. Nam illi ibidem condemnati, tenebant confessionem hanc vocalem non esse de iure diuino, sed humano Ecclesiastico, & quia Ecclesia in secretis intromittere se non potest ea præcipiendo, cùm huiusmodi occulta ad diuinum iudicium sint reseruata, ideo dicebant, non esse de præcepto confessionem secretam, id est, quæ de secretis fit. Sunt autem secreta hominis peccata duplicia, scilicet cordis, & operis, & in altero articulo asserebant peccata cordis non esse de necessitate confitenda, cùm per solam interiorem pœnitentiam remittantur: In hoc autem articulo asserebant, non esse necessarium secreta confiteri, etiamsi exteriora essent, vnde patet saluari diuersitatem articulorum. Hanc ego intelligentiam collegi ex Concilio ipso Complutensi, in quo primitùs illi errores fuerunt damnati, & eorum damnatio postea fuit per Papam Sixtum confirmata.

Solutio.

Secreta hominis peccata sunt duplicia.

II. Obiectio. Obiicies secundò sententiam communem Doctorum, qui inter conditiones sexdecim, quas debet habere cõfessio, quasdam earum dicunt de necessitate exigi, & inter eas connumerant hanc, scilicet quòd sit secreta, non publica. Respon. Ideo dicunt debere esse secretam, quia debet fieri de peccatis omnino secretis, quæ nõ conuenit in publicum deducere, ne confessio tam salutaris, in infamiam cedat confitentis, vnde odiosa hominibus redderetur. Et ita significat Doctor sanctus in 4. quando ait, debere esse secretam, quia scilicet de peccatis secretis fit, quæ si publicè dicerentur, ridiculosa esset & infamatoria ipsius peccatoris confessio, & ita peccaminosa. Attamen in casu, quo quis non publicè, sed occultè duobus sacerdotibus, aut tribus simul cõfitetur, satisfacit, cùm satis secretè fiat illa confessio, quæ non potest in infamiam cedere confitentis, cùm omnes illi teneantur eam sigillatam habere. Et ita in hoc sensu etiam potest decretalis præfata intelligi, scilicet quòd exigatur necessariò confessio secreta, vt opponitur confessioni publicæ, quando de secretis fit.

Solutio.

Quatenus confessionem secretam esse debere dicant Doctores.

III. Obiectio. Obiicies tertiò, quia de iure diuino est necessaria confessio, & non est necessaria publica; igitur restat, quòd sit necessaria secreta, & ita modus cõfitendi cadat sub præcepto Dei, sicut ipsa confessio. Respon. vt ex dictis patet, de necessitate exigitur confessio secreta, ad hunc sensum, scilicet quòd habita opportunitate modi secreti necessariò exigitur confessio, qualiter non exigitur, quando non potest cum modo illo fieri, & erit hic tertius sensus præfatæ decretalis. Vnde quod Deus præcepit, hoc est, vt confiteremur omnia peccata vni sacerdoti, & hoc est, secretè confiteri, id est, vni, quia non obligat nos, vt pluribus, sed, vt vni confiteamur, ac proinde si quis vni coram aliis confiteatur, satisfacit præcepto abundanter, quia soluit plus quam debet, sicut qui tenetur dare eleemosynam pauperi, non tenetur nisi eam, quæ sufficiens est, id est, panem, si tamen dat panem, & carnem, soluit abundanter. Cui iniungitur, vt det eleemosynam vni pauperi, & dat multis, soluit abundanter, & cui iniungitur, vt ieiunet vna feria sexta, & ieiunat quatuor, satisfacit abundanter. Ex dictis elicitur, stare quòd confessio cum modo cadat sub præcepto, quando scilicet est peccator in articulo necessitatis, & habet solum sacerdotem. Stat quòd confessio cadat sub præcepto, & non modus, vt si potest confiteri solus soli sacerdoti, cùm tamen alij adsint, tenetur confiteri, sed non tenetur seruare modum, si nolit, modò infamiam, & scandalum euitet. Datur etiam casus, in quo nec confessio, nec modus cadat sub præcepto, vt si sit tempore, aut loco, quo non potest confiteri, nisi alij audiant.

Solutio.

Corollarium.

De confessione sine pœnitentia cordis facta.

QVÆSTIO DECIMASEXTA.

ALIVD

An satisfaciat Ecclesiæ pcepto confitens pctã, absq; pœnitẽtia cordis.

Sentẽtia Adriani trimembris.

A ALIVD DVBIVM, An satisfaciat quis præcepto Ecclesiæ de confitendo, si omnia sua peccata suo sacerdoti confiteatur, sine pœnitentia cordis. Dixit Adrianus tria. Primum est, si confiteatur omnia peccata suo sacerdoti, sine pœnitentia cordis, cum animo suscipiendi absolutionem sacramentalem, quòd talis non satisfacit præcepto Ecclesiæ de confitendo. Ratio eius est, quia nemo potest satisfacere præcepto alicui per actum peccaminosum, eò quòd sub præcepto actus peccaminosus cadere non potest, nunquam enim Deus, aut Ecclesia præcipit actum illicitum, seu peccaminosum. Cùm igitur in casu præfata confessio sine cordis pœnitentia, sed cum animo assequendi absolutionem sacramentalem facta, sit vitiosa & peccatum, cùm sacramentalis absolutio sine cordis pœnitentia licitè recipi non possit, sequitur intentum. I.

SECVNDO dixit, quòd si peccator suo sacerdoti integrè omnia sua peccata sine pœnitentia cordis confiteatur, non cum animo assequendi sacramentalem absolutionem à sacerdote, tunc satisfaciat præcepto Ecclesiæ de confitendo. Ratio, quia Ecclesia in præfato cap. Omnis vtriusq; sexus. non obligat peccatorem ad interiorem contritionem, sed ad confessionem solùm vocalem integram, igitur cùm in casu huius dicti peccator integram faciat cõfessionem, quæ peccaminosa non est sicut priùs, sequitur quòd satisfaciat præcepto Ecclesiæ de confitendo, confessio enim non ex hoc vitiatur, quòd B sine pœnitentia cordis fit, sed vel quia dimidiatur scienter, quod est contra præceptum, vel quia fit animo absolutionis sacramentalis recipiendæ, quæ sine cordis pœnitentia recipi non potest, vel ob aliam circumstantiam deprauantem, quæ omnia pono in casu cessare. Dicit tertiò, quòd si peccator velit omnia peccata confiteri, & ita faciat, idque velit vno actu voluntatis, & velit simul per alium actum voluntatis absolui sacramentaliter, non habendo pœnitentiam cordis, quòd tunc quidem quamuis peccet per secundam voluntatem, qua vult absolui, non habens pœnitentiam cordis, non tamen peccat per primam voluntatem, qua vult omnia peccata confiteri sine pœnitentia cordis, & tũc etiam satisfacit præcepto Ecclesiæ de confitendo. Ratio, quia peccator satisfacit præcepto, quando per actum licitum, & non peccaminosum facit, quod sibi præceptum est, sic autem est in proposito; igitur. II. III.

Oppugnatur I. dictum Adriani.

Quatenus quis per actum peccaminosum præcepto satisfacere possit.

IN OPPOSITVM videtur contra primum dictum, in eo quod supponit, neminem satisfacere præcepto per actum peccaminosum. Quod videtur falsum, vt patet de eo, qui ponens obicem peccati mortalis, vult Sacramentum baptismi recipere, & realiter cum eodem obice illud recipit, talis satisfacit præcepto de recipiendo baptismum, cùm maneat in posterum deobligatus à recipiendo baptismum, & dicere contrarium, est erroneum. Similiter patet de eo, qui restituit debitum creditori, apposita mala circumstantia deprauante ipsum actum restitutionis, talis satisfacit præcepto de restituendo quod debebat, cùm maneat liber ab eodem debito, & tamen actus restitutionis per eum factę C est peccaminosus. Similiter patet de eo, qui dat eleemosynam pauperi egestate laborãti, & eam dat in publico, quærẽs inde humanam gloriam, talis satisfacit præcepto de succurrendo pauperi, & tamen actus ille peccaminosus est, ob deprauantem circumstantiam; Ad hunc modum de aliis. Itaque hæc positio in hoc videtur deficere, quòd putat sub præcepto cadere non solùm opus quod præcipitur, sed qualitatem operis, scilicet vt bene fiat, aut saltem non malè, cuius oppositum videtur esse tenendum, vt in plurimum, quamuis in nonnullis præceptis obseruandis, necessarium est, nõ solùm opus facere, sed bene illud facere, si homo vult peccatum vitare. Quod maximè veritatem habet in præceptis de suscipiendo aliquod Sacramentum, cui scilicet sua reuerentia debetur, nec licitè potest recipi cum peccato, cùm id esset obicem Spiritui sancto ponere, in reliquis tamen potest quis per opus peccaminosum satisfacere præcepto, satisfactione à debito liberante, quamuis non satisfactione reconciliante. Si quis obiiciat regulam iuris, Qui ex timore facit præceptum, aliter quàm debet facit, & propterea non facit, & ita qui malè, aut cum quacunque alia circumstantia deprauante facit præceptum, aliter quàm debet facit, & ex consequenti non facit. Respon. regulam procedere de obseruantia præcepti non solùm quo ad substantiam præcepti, sed quo ad intentionem præcipientis, secùs si ad solam substantiam præcepti habeatur respectus.

Quãdo sub præcepto cadat nõ solũ opus quod præcipitur, sed etiam qualitas operis, hoc est, vt bene fiat.

Obiectio.

Solutio.

Impugnatur II. dictũ Adriani.

CONTRA secundum etiam videtur quòd non satisfaciat præcepto Ecclesiæ de cõfitendo in casu eiusdem secundi dicti, nam hoc secũdum dictum præsupponit, quòd Ec-

 clesia

I. clesia in præfato statuto non obliget nisi ad solam confessioné, & non ad absolutionem, nec ad pœnitentiam cordis, quod tamen falsum esse videtur, quia Ecclesia in præfato statuto non obligat quenquam directè ad integrè confitendum, nam cùm integra confessio se extendat ad occultissima cordis peccata, ad quæ tamen Ecclesiæ potestas non se extendit, ex multorum probabili sententia, sequitur quòd Ecclesia nó obliget directè ad confessionem integram, de qua procedit statutum, sed obliget solùm reflexè, sic scilicet quia Deus iussit confessionem, quatenus valet ad remissionem peccatorum, vt patet Ioan. 20. & tamen non præfixit tempus certum, in quo fieri deberet, relinquens Ecclesiæ disponendum de tempore, quo expediret. Ideo Ecclesia statuit, vt illam confessionem, ad quam fideles iure diuino tenentur, certo tempore faciant, puta semel in anno, itaq; sub præcepto huiusmodi Ecclesiæ cadit adimplere confessionem à Deo iussam. Cùm ergo Deus confessionem præcipiens, obliget peccatorem ad vocalem confessionem sacramentalem ex cordis pœnitentia procedentem, eò quòd licitè sine pœnitentia cordis fieri non possit, sequitur eum non satisfacere præcepto Ecclesiæ de confitendo, qui non confitetur, vt Deus instituit & iussit, & ita intentum. Præterea Ecclesia non præcipit confessionem qualemcunque, sed sacramentalem, qualis est quæ fit cum spe veniæ, id est, cum spe assequendi absolutionem ab Ecclesia, & per consequens à Deo. Ad hoc enim præcipitur, vt peccator à peccatis absoluatur, & vt per huiusmodi confessionem peccator ad reuerenter suscipiendum Eucharistiam tempore Paschæ præparetur, vt dicit Thomas & cæteri Doctores. Per solam autem confessionem non sufficienter præparatur homo ad Eucharistiam, nisi Sacramentum absolutionis suscipiat: Igitur, qui solùm confitetur, etiam integrè, non ad finem assequendi huiusmodi absolutionem, non satisfacit præcepto Ecclesiæ de confitendo. Deinde si ita esset, sequeretur, quòd peccator omnia sua peccata, suo sacerdoti confitens, etiam non obtenta absolutione, non teneretur peccata rursus confiteri, quod suppono falsum, cùm sit illi necessarium à sacerdote absolui, nec absolui possit, nisi confessione præuia. Et sequela patet, quia qui semel præcepto de confitendo satisfecit, non tenetur postmodum eodem debito. Si quis obiiciat, Esto finis Ecclesiæ confessionem præcipientis sit, vt peccator à sacerdote absoluatur, cùm intentio præcipientis non cadat sub præcepto, sequitur peccatorem satisfacere præcepto Ecclesiæ, etiamsi intentioni Ecclesiæ non se conformet. Respondetur, Duplicem esse intentionem præcipientis, vnam finalem, & alteram obiectiuam, & licet prima non cadat sub præcepto, bene tamen secunda. In præsenti verò, intentio Ecclesiæ intendentis, quòd peccator à sacerdote absoluatur, obiectiua est potiùs quàm finalis, vt patet ex dictis, quoniam Ecclesiæ præceptum de confitendo est reflexiuum, quo præcipit, vt diuinum præceptum de confitendo semel in anno compleatur, præceptum autem diuinum extenditur ad absolutionem sacramentalem, vt constat, igitur. Obiiciet aliquis secundò, quòd absolutio à peccatis non iniungatur ab Ecclesia peccatori in vi præcepti, sed sola confessio. Probatur, quia si quis habet casus reseruatos, à quibus curatus eum absoluere non potest, si suo curato omnia sua peccata in Quadragesima confiteatur, satisfacit præcepto de semel in anno, etiamsi non absoluatur, igitur. Respondetur, teneri peccatorem ex statuto Ecclesiæ totaliter suo sacerdoti confiteri, vt per eum non stet, quò minùs absoluatur, & ita si omnia curato confitetur, & curatus vel non potest, vel non vult eum absoluere, iam non stat per eum, quò minùs tunc absoluatur à curato, & satisfacit præcepto, eo modo, quo potest, manet tamen in eo obligatio procurandi absolutionem ab eo, qui possit, & velit eum absoluere, pro tunc tamen prodest illi confessio ad vitandum nouam culpam, quam incideret, si non esset integrè confessus. Obiiciet tertiò, quòd Ecclesia admittat confessionem peccatoris non verè pœnitentis, iuxta cap. Quod quidam. de pœnitentiis, & remissionibus. de eo scilicet, qui cùm confitetur, dicit se à criminibus abstinere non posse, igitur sine pœnitentia cordis per solam confessioné satisfacit quis præcepto Ecclesiæ. Respondetur cum Durando, quòd Ecclesia talium confessionem iubet admittere, non ad absoluendum taliter confitentem, sed ad eum instruendum, & eidem salubriter consulendum, nec inde sequitur quòd satisfaciat homo ille præcepto de confitendo.

Quatenus obliget Ecclesia ad integrè confitendum.

II. *Ecclesia præcipit confessioné sacramétalem, quæ fit cum spe veniæ & absolutionis.*

III.

Obiectio triplex.

I. *Solutio. Duplex est intétio præcipiétis, & vtra cadat sub præcepto.*

Obiectio II.

Solutio.

III. *Obiectio.*

Solutio.

AD TERTIVM dictum etiam videtur, quòd siue vnico actu velit confiteri, & absolui, siue diuersis, sine cordis pœnitentia, non satisfaciat præcepto Ecclesiæ, tum, quia voluntas cófitendi, vt confitens absoluatur, nó habita cordis pœnitentia, peccaminosa est.

Refutatur tertium dictum Adriani.

I.

A est,siue vnico actu tendat in confeſsionem ſimul & abſolutionem, ſiue diuerſis, vt ſatis de ſe conſtat. Tum etiam quia ſub præcepto Eccleſiæ cadit, vt peccator Sacramentum abſolutionis,& Euchariſtiæ ſemel in anno ſuſcipiat,abſolutionem autem nõ recipit,qui ſine pœnitentia cordis confitetur. Quod inde patet, quia verè nemo à ſacerdote abſoluitur,qui à Deo non abſoluatur, iuxta dictum Chriſti: Quorum remiſeritis peccata &c. Sed in caſu confitens ille non abſoluitur à Deo, cùm pœnitentiam cordis non habeat, igitur nec à ſacerdote, & per conſequens verum abſolutionis Sacramentum nõ recipit, & ita præcepto Eccleſiæ non ſatisfacit, ſiue vnico, ſiue diuerſis actibus voluntatis in confeſsionem & abſolutionem tendat. II.

VIDETVR ERGO iuxta veriorem ſententiam, quòd ſine pœnitentia cordis non ſatisfaciat,qui confitetur,etiamſi integram faciat confeſsionem; nec confeſsio illi proderit, vt abſolutus ſit à Deo nec ab Eccleſia, quamuis proſit, vt pœnam Eccleſiaſticam in præfato ſtatuto contentam euitet.

Reſolutio quæſtionis.
Non ſatisfacit Eccleſiæ præcepto cõfitens etiã omnia peccata ſine pœnitentia cordis.

De confeſsione reiteranda ob defectum confitentis.

QVÆSTIO DECIMASEPTIMA.

B ALIA QVAESTIO de confeſsione iteranda,quando ſcilicet ſit neceſſarium eam iterare. Reſpon. Regula eſt, quando peccator eſt ſacramentaliter,&verè à peccatis abſolutus,non tenetur eadem ratione iuris cõmunis iterum confiteri:Si verò abſolutio impenſa,fuit nulla, tũc eſt de neceſsitate iteranda confeſsio. Ratio primi eſt clara ex Extrauagant. Inter cunctas.vt ſępe citatum eſt,vbi dicitur:Abſurdum eſt eum,qui ſemel legitimè abſolutus eſt, eodem debito rurſus teneri. Ratio ſecundi etiam eſt clara, quia peccator tenetur de iure diuino,& humano procurare ſibi veram abſolutionem ſacramentalem,nec eam obtinere poteſt,niſi præuia confeſsione, igitur interim dum nõ eſt verè abſolutus, tenetur confiteri ad veram abſolutionem obtinendam. Sed quæres, in quo ſciemus abſolutionem eſſe inualidam?Reſpondetur,quòd reddatur inualida dupliciter,vel ex parte confitentis, vel ex parte abſoluentis. Primum fit, quoties confitens ponit obicem peccati ipſi abſolutioni, id autem contingit tripliciter, primò,ſi exiſtente in eo excommunicatione, petit abſolui ſacramentaliter, ſecundò,ſi dimidiauit confeſsionem, tertiò, ſi careat debita cordis pœnitentia.

Quando ſit neceſſariũ iterare confeſsionem.
Solutio.
Ratio I.
Ratio II.
Ex duplici capite redditur inualida abſolutio.

De confeſsione ab excommunicato facta.

QVÆSTIO DECIMAOCTAVA.

C DE PRIMO dubitatur, an peccator excommunicatus poſsit verè à peccatis abſolui,antequam ab excommunicatione abſoluatur.Et quidem ſi per ipſum ſtat, quò minùs ab excommunicatione abſoluatur, & petit priùs à peccatis abſolui,peccat recipiendo,aut intendẽdo recipere Sacramentum,nõ præmiſſa abſolutione ab excommunicatione, cùm poſsit,ſi velit,eam obtinere, & per conſequens ponit obicem peccati, & ita abſolui verè non poteſt, & in hoc non eſt controuerſia. Si verò per eum non ſtat, quò minùs à cenſura abſoluatur, & accedit contritus, & humilis,paratus, cùm poterit,à cenſura abſolui, tunc dixit Richardus Anglicus, & quidam alij,quos etiam Angelus ſequutus eſt verbo,confeſsio. 5. §.10. quod poſsit abſolui,& abſolutio impenſa à peccatis ſit valida. Ratio, quia ille in caſu dignus eſt,qui ab Eccleſia abſoluatur, ex quo Deus cũ abſoluit,& eum ſibi reconciliauit, non enim debet eſſe crudelior ſponſa mater noſtra, quàm ſponſus, qualis eſſet,ſi in caſu nollet,vt illi beneficiũ abſolutionis à ſacerdote impenderetur,qui apud Deum,& Chriſtum noſcitur abſolutus. Deinde videretur ille rigor contra charitatem militare,ſi in caſu, quo per eum non ſtat,quò minùs à cenſura abſoluatur,abſolutio ſacramentalis illi denegaretur,contra regulam; Quod pro charitate inſtitutum eſt,contra charitatem militare non debet.

An poſsit aliquis priùs à peccatis quàm ab excommunicatione,quam incurrit,abſolui.
Sentẽtia prima bimembris.
I.
II.
De quo duplex ſententia.
I.

ECONTRA verò dixerunt alij communiter,quòd talis etiamſi per eum non ſtet, nõ poſsit à peccatis abſolui. Ratio,quia non eſt capax alicuius Sacramenti,durante excom- II.

 muni-

municatione. Sicut dicit Adrianus.q.1.de Matrimonio, quòd Papa quando aliquem ex- communicat, facit eum materiam ineptam, & incapacem Sacramentorum.

Reiicitur vtraque sententia prædicta.

I. VERVM SALVA pace, ambæ opiniones videntur deficere, prima, in conclusione in se, secunda, in fundamento. Vnde contra primam videtur, quòd non posit in ca- verè absolui, quia omni excommunicato interdicitur per Ecclesiam ministratio, perceptio Sacramentorum, durante excommunicatione, vt patet per cap. Si celebret. clerico excommunicato, vel suspenso &c. Et cap. Illud. ibidem. Et cap. A nobis. el. de sententia excommunicationis. Vbi dicitur, quòd excommunicatus reconciliari Eccle- siæ non posit, nisi priùs sit ab excommunicatione absolutus, etiamsi apud Deum sit re- conciliatus. Pro quo etiam facit cap. Quicunq; 24. q.1. vbi dicitur, quòd si se segregau ab vnitate fidei, & societatis Petri & Pauli, non posit à vinculis peccatorum absolu. quod licet de hæreticis formaliter procedat, etiam ob eandem rationem ad excommu- nicatos debet extendi. Cùm igitur fidelis omnis teneatur Ecclesiæ parere, iuxta præce- ptum Euãgelicum, sequitur quòd excommunicati, quantumuis contriti, teneantur sub pœna peccati mortalis à Sacramentis ministrandis & percipiendis abstinere, nisi articu- lus necessitatis ad aliud compellat.

II. CONTRA secundum modum in eo, quòd ait, excommunicatum non esse capa- cem Sacramentorum, si vt iacet accipiatur, falsum est, quia excommunicatus si duran- te excõmunicatione, contrahat matrimonium, verum est Sacramentum, si suscipiat Eu- charistiam, verum percipit Sacramentum, si confirmetur, vel ordinetur, verè erit confir- matus, & ordinatus, ita vt non opus sit iterum confirmetur, aut ordinetur &c. Quam- uis igitur excommunicatus non sit capax Sacramentorum de iure, seu licitè, seu dignè bene tamen de facto.

Resolutio quæstionis.

Conclusio I. Si cõfitens sciẽs se excommunicatũ, petit à peccatis absolui, peccat.

Conclusio II. Similiter, si laborat ignorãtia crassa.

Cõclusio III. Secùs, si laboret ignorantia inuincibili &c.

DICENDVM igitur distinguendo de confitente excommunicato, quia vel talis scit se excommunicatum, neq; esse ei licitum Sacramenta suscipere, antequam ab excõmu- nicatione absoluatur, aut id ignorat ignorantia lata, & crassa, aut ignorantia probabili seu inuincibili. Si primum, scilicet quòd scienter cõfitetur petens à peccatis absolui, pec- cat contra interdictum Ecclesiæ, tum ob textus suprà citatos, tum etiam quia nõ vide- tur hæc duo se compati, scilicet, quòd sit aliquis excõmunicatus, & quòd durante exco- municatione posit licitè, & dignè sacraméta scienter suscipere, cùm nulla causa in ca- videatur eum excusare. Excommunicatio enim est extra communionẽ positio, maxim- sacramentorum. Si verò talis laborat ignorantia crassa, seu lata, similiter peccat, volens sacramentaliter absolui, quia ignorantia illa non excusat agentem à toto, etsi culpã a- quãtulum attenuet, ac proinde in his casibus cùm peccet, ponit obicẽ absolutioni, ideo etsi absoluatur, nõ valet absolutio, cùm nec verè maneat absolutus. Si autem habet igno- rantiam inuincibilem, qua putat licere sibi absolutionẽ sacramentalem accipere, etiam à censura nõ sit absolutus, tunc videtur posse ille absolui, & tenebit absolutio à pecca- Ratio, quia vt ait Caietanus, illic est debita materia, debita forma, cum debita intétion- & non ponitur obex, igitur est vera absolutio sacramentalis, quandoquidem, per exco- municationem non redditur homo ille incapax sacramenti, sed solùm ei interdici- ne sacramenta recipiat, aut ministret. Et quamuis factum sit contra huiusmodi prohibi- tionem, non sequitur quòd non teneat, multa enim prohibentur fieri, quæ tamen fa- tenent. Inde patet, quæ confessio facta ab excommunicato debeat iterari, & quæ non

Argumentum quoddam contra primam cõclusionem.

Solutio. Excommunicato iustè beneficium absolutionis denegatur, etiamsi per cõtritionẽ sit Deo reconciliatus.

SED CONTRA primum membrum videtur currere ratio pro prima opinione fa- quia videtur crudelitatis esse & contra charitatem, non impendere beneficium absol- tionis sacramentalis excommunicato, per quem non stat quò minùs à censura absolu- tur, cùm dignus sit à Deo absolui &c. Respond. quòd nec crudelitatis sit neque contra charitatem fratris id facere, imò sicut is, qui homicidium, seu adulterium, aut aliud fa- nus capitale pperpetrauit, eo ipso dignus est vita priuari, & iustè ea priuatur, esto quòd p- facinus perpetratum per contritionem fuerit à Deo veniam consequutus, ita & iuste beneficium absolutionis denegatur, qui excommunicari meruit, etiamsi post delictum per pœnitentiam sit Deo recõciliatus, non igitur crudelitas, sed iustitia est. Quòd etiam contra charitatem non sit, patet, quia denegatio huius Sacramenti bene se compati- cum salute spirituali ipsius excommunicati, qui per solam cordis veram pœnitentia- potest se in statu gratiæ reponere, & ad eius salutem pertinet, durante excõmunicatio- ne, à Sacramentis abstinere, quibus se immiscere, suæ saluti præiudicaret.

An poßit excommunicat⁹ à peccatis sacramentaliter absolui, antequam sit ab excommunicatione absolutus, ob probabile periculum, in quo alioqui decedet &c.

A ET CVM hæc vera sint scilicet, excommunicatum non posse priùs à peccatis quàm ab excommunicatione absolui, quando peccator est extra articulum necessitatis, aut quando commodè potest priùs absolutio ab excommunicatione tradi, aut sine periculo sacramentalis absolutio expectari: An etiam vera sint, quando si præmitteretur absolutio à censura, esset probabile periculum, quòd pœnitens sine sacramentali absolutione decedet. Et dixit Adrianus, quòd in tali casu posset sacerdos sic morientem à peccatis absoluere, non præmissa absolutione ab excommunicatione. Ratio, quia contra charitatem est, mortem æternæ damnationis, cùm possumus, à proximo non excludere, iuxta illud Symmachi, & habetur 73. distinct. Mortem languentibus probatur infligere, qui hanc, cùm potest, non excludit. Et 26.q.6. ait Cœlestinus contra eos, qui morientibus pœnitentiam negant: Quid, inquit, hoc aliud est, quàm morienti mortem addere? eius animam, ne absoluta possit esse, occidere? Et pòst; Salutem ergo hominum adimit, quisquis mortis tempore pœnitentiam sibi denegat &c.

Sentẽtia Adriani affirmatiua.

Ratio.

Occurritur obiectioni cuidam.

ET SI IN oppositum arguatur, quòd per Ecclesiam prohibitum sit cum excommunicato in sacris communicare, igitur non debet, nec potest talis excommunicatus à peccatis sacramentaliter absolui, antequã sit ab excommunicatione absolutus. Respondetur quòd illa Ecclesiæ prohibitio currat extra similem articulum necessitatis, tum B quia ob corporis necessitatem tollitur rigor huiusmodi prohibitionis, ita vt tunc licitè cum excommunicato communicetur, ergo à fortiori tollitur hic rigor ob animę necessitatem, vt in præsenti casu. Tum etiam quia ex dicto Bernardi in libro de pręceptis, & est regula iuris: Quod pro charitate institutum est, non debet contra charitatem militare, talis autem prohibitio esset contra charitatem, si in casu præsenti seruanda esset.

Alia quadã obiectio diluitur.

SI ITERVM obiiciatur sententia eiusdem Bernardi in eodem libro dicẽtis de præceptis Ecclesiæ, quòd etsi aliquando militent contra charitatem, tamen seruanda sunt quousq; per superiorem declarentur, aut dispensetur, ad præpositos enim pertinet iura interpretari, & declarare, sicut & condere. Respondet, hoc procedere, quando ex mora, seu declaratione expectata, nullum timeretur periculum, sicut in præsenti casu timetur, in quo si superioris interpretatio, aut licentia expectaretur, decedet peccator inabsolutus.

Obiiciuntur q̃dam cõtra prædictam Adriani sententiam.

VERVM contra hanc sententiam videtur. Primò, quia præsupponit vnum incertum, scilicet quòd talis moriens nisi à peccatis absoluatur, æternaliter damnabitur, qualiter non damnaretur, si absolueretur, quod aliâs probauimus falsum esse, nam si talis moriens in casu contritus est, saluabitur, etiamsi non absoluatur, sin autem, etiamsi absoluatur, damnabitur. I.

SECVNDO, si ita esset, quòd in casu talis necessitatis per absolutionẽ saluari posset, & ideo deberet à peccatis absolui, non obstante quòd excommunicatus sit, sequeretur C quòd ob similem necessitatem deberet moriens à sacerdote excommunicato, seu hæretico absolui, si alius haberi non posset, non enim minùs contra charitatem esse videtur prohibere ne sacerdos excommunicatus morientem absoluat, quàm prohibere, ne moriens excommunicatus in necessitate simili à sacerdote absoluatur, ac proinde si in vno casu cessat rigor prohibitionis Ecclesiæ, igitur & in alio. Si concedant illatum, contra est textus 24.q.1.cap. Subdiaconus. Vbi dicitur cætera sacramenta, dempto baptismo, in articulo mortis ab hæretico, vel excommunicato ministrata, vel nullum, vel lethalem habere effectum. Et in lib. Canonum pœnitentialium, & citatur ad id Chrysostom. dicitur, quòd in articulo mortis potest baptismus à quocunque recipi, pœnitentia verò & alia sacramenta non possunt, nisi à Catholico, & non præciso, recipi. Pro quo facit capitulũ. Cœpit Ermigildus 24. quæstio.1. Ille enim sanctus Rex, & à sanctis commendatus, maluit mortem pati, quàm de manu hæretici excommunicati sacramentum Eucharistiæ recipere. II.

TERTIO facit ratio, quia repugnantia videtur dicere, quòd aliquis sit nominatim excommunicatus, & quòd antequam ab excommunicatione absoluatur, alia possit sacramenta recipere, eò quòd de ratione excommunicationis sit separatio à communione sacramentorum. Vel igitur in casu non est licitum sacramentum pœnitentiæ illi dare, vel pro tunc ratione tantæ necessitatis cessat, seu suspenditur excommunicatio iure ipso, saltem quo ad effectum principalem excommunicationis, quę est separatio III.

 à sacra-

à sacramentis, licet maneat quo ad minùs principalem, quia scilicet non sepelietur in Ecclesia antequam ab excommunicatione absoluatur, & ita stante præsenti necessitate, non erit plenè excommunicatus. D

Vera est Adriani sententia, sed fundamentum improbatur. Respondetur ad obiecta contra eandem sententiam.

DICENDVM igitur ad propositum dubium quòd positio Adriani vera esset, si eius fundamentum staret, scilicet quòd absolutio sacramentalis posset peccatorem primò iustificare, & illi gratiam primam conferre, quando dolor ipsius pœnitentis per se ad gratiam non sufficeret. Hoc tamen fundamento dimisso, & eandem sententiam in conclusione tenendo, potest ad has obiectiones responderi. Ad primam, quòd quamuis absolutio sine contritione ad gratiam non valeat, contingit tamen, quòd absolutione negata, peccator damnabitur, qui si absolueretur, saluus fieret, quia in illo articulo multa concurrunt, quæ facilè trahunt morientem ad interitum animæ, nisi remediis salutaribus adiuuetur, ideo decreta sacerdotem in illo articulo absolutionem denegantem, meritò reprehendunt, quia infirmus videns quòd ad pœnitentiam nõ admittatur facilè desperabit, qui alioqui confideret, & saluaretur. Dæmon etiam, negatis illis remediis salutaribus, vehementiùs vrgebit, & tentabit illum &c. Et ita apparet multùm referre pœnitentiam morientibus conferri, aut denegari.

Ad I.

Ad II. AD SECVNDAM quæ difficilior esse videbatur, dicendũ, esse inter casus illos nonnullam differentiam, quia quando pœnitens est excommunicatus, & non confessor, possunt omnia, quę ad sacramentalem absolutionem requiruntur, concurrere, scilicet subditus pœnitens, confitens, & minister idoneus, & forma, & intẽtio. Quando autem confessor excommunicatus est, non est minister idoneus, quia potestate iurisdictionis in ministro requisita, priuatus est, ideo absolutio per eum impensa, nulla foret in casu, secùs aliâs. Quemadmodum si aliquæ personæ sunt per Ecclesiam ad coniugium illegitimatæ, non possunt, etiamsi attentent, contrahere, sine superioris, qui in hoc valeat dispensare, licentia, non obstante quacunque necessitate. E

Ad III. AD TERTIAM ita videtur dicendum, scilicet quòd in casu ius ipsum ex parte tollat excommunicationem, quantum ad effectũ, qui est excommunicatum in sacramentis vitare, lege charitatis in casu id postulante. Itaque vbi mora præsumeretur in spirituale damnum infirmi cessura, nisi illicò pœnitentiæ sacramentum illi impendatur, non præmissa absolutione ab excommunicatione, absoluendus venit.

Dubium seu casus. ESSET TAMEN dubium, si infirmus in illo articulo necessitatis à peccatis absolutus postmodum conualescat, an maneat verè absolutus, ita vt non teneatur iteratò confiteri, & iteratò post obtentam absolutionem à censura à peccatis absolui. Ratio huius dubij est, quia pœnitentia sacramentalis non permittitur impendi alicui excommunicato, antequam ab excommunicatione absoluatur, nisi in articulo necessitatis, puta, quando homo est in periculo mortis. Refert autem hominem esse in vero articulo mortis, an in apparenti. Respondetur absolutionem præfatam in casu validam fuisse, siue homo fuerit in vero articulo mortis, siue in apparenti. Id patet à simili, quia quando licitum est violare votum, aut ieiunium frangere ob verum periculum corporis, idem etiam licitum est, ob apparens, & verisimile periculum, & sicut licitum est Sabbatum violare, ob veram hostium incursionem, seu inuasionem, ita idem licitum est ob apparentem, & probabilem, igitur. F

Solutio.

Ratio I.

II. PRAETEREA in casu omnia, quæ ad validitatem sacramentalis absolutionis sunt necessaria, concurrunt, cùm sit peccator subditus, & pœnitens, atq; confitens, sit etiam confessor idoneus, proprius, vel à proprio ad id licentiatus, cum reliquis necessariis, sequitur igitur illic veram fuisse sacramentalem absolutionem, & per consequens non de necessitate iterandam.

III. PRAETEREA non minùs est fauorabilis necessitas quàm ignorantia, sed si peccator probabiliter ignorans se excommunicatum esse à suo curato præmissa confessione, absoluatur, est verè absolutus, vt suprà diximus, igitur etiam in præsenti necessitate homo manebit verè absolutus, nec postea si conualescat, tenebitur iteratò confiteri.

De confeßione dimidiata iteranda.

QVÆSTIO DECIMANONA.

DE

An confeßio dimidiata ſit neceſſariò iteranda?

Quatuor modis poteſt aliquis dimidiare confeßionem.

A DE CONFESSIONE dimidiata an ſit neceſſariò iteranda, reſpondetur id poſſe quatuor modis fieri. Primò, ſi quis ſcienter, & ſine cauſa excuſante eam dimidiat. Secundò ſi quis ſcienter, & cum cauſa excuſante eam dimidiat. Tertiò ſi ex obliuione, quia ſcilicet memoriæ non occurrunt omnia peccata, eam dimidiat. Quartò ſi ex ignorantia facti, vel iuris eam dimidiat, vt ſi ignoret, an ſit peccatum quod fecit.

Concluſio I.

1. SI DIMIDIATIO confeßionis ſcienter fit, & ſine cauſa excuſante, peccatum eſt, & ita confitens ponit obicem, & per conſequens ſi abſoluatur, non verè abſolutus manet, & ita confeßio eſt iteranda.

Concluſio II.

2. SI VERO confeßio dimidiatur ſcienter ob cauſam excuſantem, vt ſi fieri integrè non poteſt ſine periculo corporis, vel animæ, vel famæ &c. tunc licitè dimidiatur, & ita qui ſic confitetur, non ponit obicem, & per conſequens ex parte ipſius confeßio valida eſt, & non de neceßitate reiteranda, quanquam maneat obligatus peccator ipſe peccata, quæ ſubticuit, ſeu occultauit, tempore debito confiteri.

Concluſio III.

3. SI AVTEM confeßio dimidiatur ex obliuione, diſtinguatur, quia vel obliuio accidit ex negligentia ipſius, quia conſcientiam, non, vt debuit, ad finem integrè confitendi, diſcuſsit, aut quia facta debita diſcußione, non occurrit memoriȩ peccatum quod fecit. Si primum, quòd ſcilicet non diſcuſsit, vt debuit, tunc iterum diſtinguatur, aut confite-
B tur in articulo neceßitatis, vt ſi ſit in periculo mortis, aut tempore, quo neceſſarium eſt ei celebrare, ſeu Euchariſtiam ſumere, vt vitet ſcandalum alioqui euenturum, & tunc ſi de peccatis doleat, ſimul & de negligentia debitæ diſcußionis, in tali caſu ob articulum neceßitatis, quia non ſupereſt ei tempus conſcientiam diſcutiendi, debet abſolui, & valet abſolutio. Probatur, quia ſi non, maximè quia ponit obicem dimidiando confeßionem, ſed hoc non, quia in hac dimidiatione duo fiunt, ſcilicet confitetur peccata, quæ memoriæ occurrunt, & ea quæ non occurrunt, non confitetur, ſed peccata quæ occurrunt confitendo non peccat, & ea quæ non occurrunt non confitendo, non peccat, quia obliuio eum excuſat. Negligentia etiam præterita non obſtat, quia huiuſmodi negligentia per pœnitentiam de ea habitam purgatur, nec aliud poteſt ille peccator agere in tali articulo neceßitatis poſitus, igitur impendenda eſt ei abſolutio ob neceßitatem, & valida erit, & per conſequens non tenebitur poſtea, ſi periculum euadat, eadem peccata reconfiteri, quamuis teneatur ſupplere negligentiam priorem, diligenter diſcutiendo conſcientiam ſuam, vt poſtea ad plenum confiteatur. *Ratio.*

EXTRA articulum verò neceßitatis, qui ex obliuione ex negligentia proueniente confeßionem dimidiat, quamuis doleat de priore negligentia, non venit abſoluendus, & ſi abſoluatur, confeßio eſt inualida. Ratio, quia cùm ſibi ſuperſit tempus ad conſcientiam diſcutiendam, & eam diſcutere non velit, ſed petat abſolui, eo ipſo ponit obicem ob dimidiatam confeßionem, & per conſequens venit iteranda confeßio.

Occurritur obiectioni.

C SI OBIICIAS contra hoc, quòd in hoc caſu poßit præterita negligentia per pœnitentiam ſimiliter purgari, ſicut in caſu articuli neceßitatis, igitur in vtroque caſu poteſt legitimè abſolui, & tenebit abſolutio. Reſpondetur non eſſe ſimile, quia in articulo neceßitatis non ſupereſt tempus ſupplendi præteritam negligentiam per diſcußionem conſcientiæ, ideo ſatis eſt de ea dolere. In caſu verò extra articulum neceßitatis, non ſatis eſt, de præterita negligentia pœnitere, ſed cùm tempus ad diſcutiendũ conſcientiam habeat, oportet eam diſcutere, & non antea abſolutionem petere.

Concluſio IIII.

SI DENIQVE confeßio dimidietur ex ignorantia ſiue iuris, ſiue facti, qua credidit non eſſe peccatum quod fecit, cùm tamen realiter peccatum eſſet, tunc iterum diſtinguatur, quia vel talis ignorantia, ex qua peccatum illud fecit, fuit inuincibilis, vel non. Si primum, quamuis pœnitens illud non confiteatur, vt peccatum, nec velit de illo, vt de peccato conteri, non eſt illi deneganda abſolutio, ſi aliud non obſtet, de quo pòſt, & abſolutio impenſa erit valida, & ita non eſt iteranda talis confeßio. Si verò talis ignorantia fuit culpabilis, & nolit de illo peccato conteri nec illud confiteri, tunc culpabiliter dimidiat, & ponit obicem, nec abſoluendus venit, & abſolutio ſic impenſa, erit nulla, & ita confeßio iteranda.

De peccatis obliti quæſtio.

An ſcilicet confeſſor tene..tur admonere pœni

CIRCA HAEC tamen, dubia quædam oriuntur, de peccato oblito, & de peccato ignorato, ſi confitens diſcuſſa debitè conſcientia, vnius peccati in confeßione oblitus eſt, & ſacerdos ſcit, quia fortè vidit peccatorem illud peccatum commiſiſſe,

terem de peccato ex obliuione inculpabili omisso.
Solutio bimembris.

& videt quòd confitens desinit illud ex obliuione inculpabili confiteri, an teneatur confessor illum admonere, seu ei ad memoriam illud peccatum oblitum reducere. Respondetur, distinguendum esse, quia vel peccatum illud fuit solùm in offensam Dei commissum, vel etiam in damnum proximi.

I. SI PRIMVM, non tenetur confessor illud peccatum oblitum confitenti intimare, quamuis esset ei valde vtile. Exemplum: Si commisit confitens fornicationem, vel adulterium, vel incestum, vel blasphemiam contra Deum, vel Sanctos, vel votum, vel iuramentum sine alterius damno violauit &c. non tenetur confessor id sciens confitentem illius peccati inuincibiliter oblitum admonere, aut certiorem facere.

RATIO, quia vel esset id necessarium ad finem integrè confitendi, vel ad finem veniam, quo ad Deum vel Ecclesiam consequendi, vel ad finem pro illo satisfaciendi.

NON PRIMVM, quia ad integritatem confessionis seruandam satis est, si peccator omnia mortalia, quæ præmissa debita discussione conscientiæ, memoriæ eius occurrerint, confiteatur, paratus reliqua, cùm occurrerint, confiteri.

NEC SECVNDVM, quia ex quo talis confitens omnia ex parte sua fecit, quæ ad remissionem obtinendam tam à Deo quàm ab Ecclesia facere tenebatur, dignus est, quià Deo, & ab Ecclesia absoluatur, cùm ex parte sua nullum sit impedimentum, igitur ad finem consequendi veniam non est necessaria talis intimatio.

NEC TERTIVM, scilicet ad finem satisfaciendi offenso, quia quantum ad culpam, iam satisfecit per contritionem, quantum ad pœnam, iam ex parte satisfacit per confessionem, satisfacturus quo ad aliam partem per alia opera, vel in Purgatorio soluturus, nec plus ab eo Deus offensus exigit, igitur.

II. SI VERO peccatum sic oblitum, fuit in damnum proximi commissum, ex quo orta fuit obligatio restituendi, vel proximo iniustè læso satisfaciendi, vt si confessore vidente ille confitens proximum iniustè diffamauit, aut rem eius per vim, seu clàm, abstulit &c. tunc cõfessor tenetur de peccato oblito huiusmodi, eũ admonere, ad finem satisfaciendi proximo per eum iniustè lęso, alioqui confessori imputabitur culpa non satisfaciendi, quoniam ei incumbit non solùm confitenti, quæ illi necessaria sunt intimare, ex quo illi se subiicit, paratus quod necessarium esse dixerit, adimplere, sed etiam alterius tertij damnum vitare quando commodè potest. Iuxta illud Hieron. Prouerb. 20. Et habetur de furtis capit. Qui cum fure. vbi dicitur, quòd non solus, qui rem abstulit, reus sit furti, sed etiam is, qui quærente possessore non indicat. Sed de hoc aliâs, & procedit hoc casu, quo confessor certus est, aut dubius, an eius intimatio peccati obliti sit profutura ad finem prædictum, alioqui si nulla de hoc habetur spes, non tenetur confitenti huiusmodi peccatum intimare. Iuxta illud Augustini: Si scirem tibi non prodesse, non te admonerem, non te terrerem, & habetur de pœnitentia, distinct. 7. Si quis &c.

Aliud dubium. An confessor teneatur pœnitentẽ admonere de aliquo peccato commisso, quod putat ille ex ignorantia non esse peccatum.
Solutio bimembris.

SIMILITER dubitari solet in casu, quo confitens recordatur se certum opus fecisse, quod re vera alioqui erat mortale peccatum, sed illud ex ignorantia fecit, putans non esse peccatum, & in eadem persistens ignorantia desinit illud confiteri: An possit in casu absolui? & an sacerdos teneatur illum de veritate instituere? Respondetur distinguendo vt suprà de qualitate ignorantiæ. Nam si fuit vincibilis, peccauit homo ille, & tenetur de illo conteri, & confiteri, quod si non faciat, & absolutionem petat, peccat mortaliter, ac proinde in casu si absoluatur, peccat absoluens, & absolutio non tenet. Confessor tamen in casu tenetur illum de veritate informare, vt ea cognita doleat, &

I. confiteatur, vt dignus sit absolutione.

II. SI TAMEN ignorantia fuit inuincibilis, quia scilicet vel nunquam audiuit, sciuit, aut legit, illud factum fuisse prohibitum, & si audiuit, aut legit, fecit tamen, quod in se fuit, vt veritatem sciret, & à viris fide dignis intellexit, non esse peccatum, & ita illud fecit, & cum eadem ignorantia inuincibili confitetur, tunc si absoluatur, tenet absolutio.

An confessor teneatur in casu prædicto pœnitẽti veritatẽ aperire ante sacramentalem absolutionem.
Pro solutione notãda aliquot distinctiones.

AN AVTEM confessor teneatur eidem veritatem dicere, antequam eum absoluat, dubitant aliqui, ad cuius solutionem, multiplici opus est distinctione. Et primò distinguatur de ignorantia, quia vel fuit ignorantia iuris diuini, vel humani, quod scire spectat ad ipsum confitentem, vel est ignorantia facti. Si primum, iterum distinguatur de peccato, quia vel fuit peccatum transiens, quod dici solet momentaneum Aut est peccatum cõtinuatum, in quo verisimile est confitentem permansurum, aut in illud casurum, nisi de veritate instruatur, Si sit transiens, & non continuatum, iterum distinguatur, quia

A quia vel fuit commissum solùm in offensam Dei, vel in damnum proximi. Similiter distinguatur de ignorantia facti, ex qua peccatum, seu factum damnatum commissum est, quia vel commissum est cum damno proximi iniusto, vel non. Si sic, siue tale peccatum sit continuatum, siue momentaneum ad sciendum an confessor teneatur ignorantem de veritate iuris, vel facti, quod nescit certiorem facere, iterum distinguatur, quia aut est verisimile ipsi confessori, quòd eiusmodi informatio proderit ad satisfaciendum iniustè per pœnitentē læso, vel est verisimile, quòd non proderit ad hunc finem, vel est dubium, an proderit huiusmodi informatio, & conformiter ad hæc diuersimodè esset in diuersis casibus respondendum.

Sit primvm dictum, quòd si peccatum fuit momentaneum, in nullius tertij damnum commissum, nec timetur verisimiliter, quòd in simile peccatum talis confitens incidet, etiamsi in sua relinquatur ignorantia, tunc non tenetur confessor illum de veritate, quā ignorat, informare, siue sit ignorantia iuris, siue facti. Ratio huius clara est, quia vel esset id necessarium ad finem dolendi de illo peccato, vel ad finem illud confitendi, vel ad finem læso satisfaciendi, vel ad finem recidiuam vitandi, sed ad nullum tale est necessarium, in casu illum informare, de facto enim huiusmodi non tenetur pœnitere, nec illud confiteri, cùm in eo nullo modo peccauerit ignorantia inuincibili illum penitus excusante, vt in casu ponitur. Sed nec est illud necessarium ad finem læso satisfaciendi,
B cùm illud peccatum, in nullius damnum fuerit commissum, vt in casu ponitur. Nec ad finem recidiuam vitandi, quia in casu nulla talis recidiua timetur, vt in casu huius dicti ponitur. Potest siquidem totum dictum aliquando verificari, & ita in casu potest illi absolutio impendi, etiamsi priùs de veritate per eum ignorata non informetur à sacerdote.

Conclusio I. Quando peccatum in nullius tertij damnum commissum est neq; timetur pœnitentē in illud facilè relapsurum, non tenetur cū confessor de veritate informare. Ratio.

Sit secvndvm dictum, si ex informatione veritatis nulla penitus est spes, quòd ille confitens à peccato recedet, non tenetur confessor illum informare, sed sa[illegible]s est eum in sua ignorantia inuincibili relinquere, siue sit ignorantia iuris, siue facti, siue sit peccatum continuatum in damnum proximi, siue non. Cuius ratio etiam clara est, quia quando ex informatione veritatis nullus penitus speratur fructus, propter quem erat huiusmodi informatio facienda, non iam est necessaria, vt patet ex dicto Augustini suprà citato: Si scirem tibi non prodesse, non te monerem, non te terrerem. Et ex dicto Hieronymi ex Salustio sumpto: Frustra niti, & nil aliud laborando quàm odium quærere, extremæ dementiæ est. Inde est, quòd in simili casu cessat necessitas corrigendi fratrem, de quo in suo loco.

Conclusio II. Si nulla spes emendationis ex informatione veritatis consecutura videatur, relinquend⁹ itē est pœnitens in sua ignorantia inuincibili. Ratio.

Forte contra hoc obiicies dictum Ambrosij in sermone 84. Ego interdum parcens vobis tacere velim, sed malo vos contumaciæ causas reddere, quàm me negligentiæ sustinere iudicium &c. Et illud Apostoli Actorum 20. Mundus ego sum a sanguine omnium vestrûm, non enim præterfugi, quò minùs annuntiarem omne consilium
C Dei vobis. Vnde Gregorius infert: Mundus ergo à sanguine eorum non esset, si eis Dei consilium annuntiare noluisset, quia cùm increpare delinquentes voluerit, eos procul dubio tacendo pastor occidit &c. Vt habetur 43. distinct. capit. Ephesiis. Respondetur hæc, & similia procedere, casu, quo vel ex correctione, vel veritatis informatione aliquis fructus speratur in ipsis informatis, aut etiam in aliis, qualis speratur ex generali correctione, aut informatione, quæ multis, seu coram multis fit, de quibus omnibus non est facilè presumendum, quòd nulli eorum sit huiusmodi correctio profutura. Secus de informatione secreta per confessorem vni confitenti facta, de qua contingere potest, & sæpe, quòd non solùm non speretur fructus, sed damnum aliud timeatur, vt procedit dictum præsens.

Obiectio.

Solutio.

Corollarie sequitur ex dicto, quòd in casu venit ille confitens absoluendus, etiamsi nō informetur de veritate, quia tunc cùm in sua maneat ignorantia inuincibili, & est sufficienter confessus, & contritus, dignus est absolutione. Exemplum est clarum, saltem de ignorantia facti, imò & de ignorantia iuris. Sit casus, quo Maria contraxit cum Petro cum bona fide, quia credunt inuincibiliter priorem maritū Mariæ mortuum esse, confessor autem solus sciat oppositum, iam Maria cum bona fide exigit, & reddit coniugale debitum secundo viro, veniunt ad confessionem, & verè pœnitentes sua peccata confitentur, & de huiusmodi vita maritali nec dolent, nec confitentur, quia semper sunt in bona fide, & cum eadē ignorantia inuincibili, si confessor sciat, aut credat, quòd si de veritate

Corollarium. Pœnitēs in casu etiamsi non informetur de veritate, dignus tamen est absolutione: siue laboret ignorātia iuris, siue facti. Probatur.

veritate, id est, de vita prioris viri illos certiores faciat, nil penitus proderit ad hoc, quòd separentur, silere debet, & ad absolutionem procedere. Idem in casu, quo duo in gradu prohibito ex dispensatione Papæ contraxerunt, quam dispensationem solus confessor scit nullam esse. Pro quo facit cap. Quia circa cap. De consanguinitate, & affinitate. Vbi declaratur licitum esse Episcopo, vt dissimulet super matrimonio nullo partium in bona fide existentium, cùm ex separatione videt graue scandalum imminere. De ignorantia iuris etiam est exemplum. Sit casus, quo duo contraxerunt in gradu tertio, vel quarto consanguinitatis, ignorantes inuincibiliter ius, quod tale coniugium prohibet, si confessor videat, quòd ex informatione veritatis nullus penitus speretur fructus, satius est dissimulare, & eos in sua ignorantia relinquere, & potest, & debet eos absoluere, cùm obicem non ponant malæ voluntatis. Si fortè opponas sententiam Adriani, doctoris quidem celebris, ac subtiliter veritatem indagantis, qui tenet, quòd confessor teneatur confitentem de veritate iuris informare, quando videt confitentem ex iuris ignorantia peccatum continuaturum. Respondetur inprimis non esse necessarium, in omnibus cuiquam Doctori inhærere. Secundò, quòd Adrianus huic determinationi non contradicat, quia rectè suum processum attendens, agnoscet, quòd procedit, quando confitens laborat ignorantia vincibili iuris, quam in casu vincibilem esse dicit, ex quo habet confessorem, à quo potest sufficienter veritatem edoceri, qui si eum sentit minimè informationi veritatis pariturum, non tenetur eum informare, sed nec potest eum absoluere, quia in illo iam vincibilis est ignorantia, secundùm hunc doctorem: Vnde patet, quòd si adhuc esset in tali confitente inuincibilis ignorantia, siue facti siue iuris, quòd posset eum absoluere. Quòd autem talem ignorantiam inuincibilem habere possit, patet, si ipse confitẽs, alios viros doctos, & fide dignos, & doctiores, & fide digniores, quàm sit huiusmodi confessor, adierat, à quibus omnibus absque scrupulo fuit informatus, licitum sibi esse quod fecit, à quorum sententia non tenetur propter dictum confessoris minùs docti recedere: Iam in casu hoc diceret Adrianus, quod nos diximus. Similiter potest dictum verificari, & exemplificari de peccato in damnum proximi continuato ex ignorantia siue iuris, siue facti, vt si quis contractum vsurarium fecit, ignorans contractum vsurarium esse, cùm sit valde occulta, & palliata ibidem vsura, & non aperta, si confessor videt quòd illa ignorantia sit in confitente inuincibilis, & quòd si velit eum veritatem docere, nil penitus proderit, nec ad restituendum vsuram, nec ad recedendum ab opinione, cui inuincibiliter adhæret, tũc nec tenetur eum informare veritatem, nec debet absolutionem negare, debet tamen illi iniungere, vt rectè, & diligenter curet, à fide dignis de veritate ampliùs informari &c.

Alia obiectio. *Solutio.*

Conclusio III. Si speratur fructus ex informatione veritatis, tenetur pœnitẽti confessor veritatem aperire. Neq; necesse est vt id faciat ante absolutionem à peccatis. Ratio. Aliquando tamen ante absolutionem informandus est.

Sit tertium dictum. Si confessor verisimiliter sperat fructum ex informatione veritatis ipsi confitenti facta, quem videt ex ignorantia inuincibili peccatum etiam cum præiudicio tertij continuaturum, tunc tenetur confessor veritatem illi intimare, quod notum esse suppono. Sed an sit necessarium in hoc casu, quòd cõfessor priusquam illum absoluat, eum de veritate instruat: Et dicendũ, quòd non, imò potest eum absoluere, & postea eum de veritate informare. Ratio videtur clara, quia ex quo ille peccator sufficienter contritus est, & sufficienter & integrè confessus, nec ponit obicem, dignus est qui absoluatur, & ita sacerdos eum debet absoluere, etiamsi priùs eum de veritate per eum ignorata non informet. Si tamen confessori sit verisimile, quòd si confitentem absoluat priusquam de veritate eundem informet, quòd non proderit ad finem retrahendi illum à peccato assueto, maximè in præiudicium proximi continuato, & prodesset illum informare ante absolutionem, tunc confessor tenetur antea, quàm eum absoluat, de veritate præfata informare. Quòd si tunc promittat, aut proponat ab huiusmodi peccato abstinere, & proximo satisfacere, absoluat eum: Si verò id non absolutè proponat, sed quòd ita faciet, si fuerit à viris aliis fide dignis edoctus sic esse agendum, quia fortè confessor talis est, cui peccator in hoc fidem non teneatur adhibere, tunc etiam eum absoluat. Si tamen nec hoc, nec illud proponat, iam non verè pœnitet, & obicem ponit, ideo non est absoluendus, & absolutio si impendatur, erit nulla. Si tamen ex informatione veritatis ante absolutionem, aut etiam pòst facta, nullus fructus speratur, tunc faciat confessor quod suprà in secundo dicto positum est.

Corollarium.

Corollarie sequitur, quid debeat agere confessor, quando est sibi verisimile, quòd si confitenti veritatem per eum ignoratam notificet, scandalizabitur, quia si est

verisimile,

A verisimile, quòd ita scandalizabitur, quòd nunquam finis notificationis eueniet, scili-
cet quòd non ob id à peccato recedet, nec proximo læso satisfaciet, malè agit, eum de
huiusmodi veritate, quam inuincibiliter ignorat, informando, vt pono, sed sine huius-
modi informatione debet eum absoluere. Si autem scādalum, quod timet euenturum,
est momentaneum, & cum hoc confessor fructum, & finem suæ informationis sperat,
tunc tenetur eum informare, non obstante scandalo illo. Attamen consulerem, vt priùs
eum absolueret, ne absolutionis gratia priuaretur, & postea informaret illum de huius-
modi veritate.

An confessor teneatur absolutionem negare pœnitēti, quem ex ignorantia inuincibili putat à peccato aliquo non recessurum, nec proximo læso satisfacturum.

SED SI videat verisimiliter confessor, quòd nisi neget absolutionem confitenti,
non recedet à peccato continuato, seu frequentato, nec satisfaciet proximo per eum
læso, recedet autem, si absolutio negetur eidem, an possit confessor, & debeat absolutio-
nem negare ad finem prædictum, posito semper casu, quo confitens perseueret in sua
ignorantia inuincibili. Respondetur, videtur distinguendum de confessore, quia vel est
proprius curatus confitentis, qui ex officio tenetur subditis suis sacramenta ministrare,
vel est alienus. Si alienus, & certus est talis confessor, quòd confitens errat, & ex errore
perseuerabit in peccato, & in damni illatione, tunc puto huiusmodi confessorem licitè
posse, imò debere illi absolutionem denegare in casu posito, quia vnusquisque tenetur
per media licita, sine suo, aut alterius incommodo erranté contra Deum, & proximum

Solutio bimembris.

B reuocare, alioqui videretur consentire in peccato, & damno proximi, iuxta illud Augu- I.
stini. Fidentissimè dixerim, qui pro homine ad hoc interuenit, ne malè ablata restituat,
& qui ad se confugientem, quantum honestè potest, ad reddendum non compellit, so-
cium esse fraudis, & criminis. Et habetur 14. quæst. 6. Si res &c. Cùm igitur in casu con-
fessor præfatus habeat medium licitum, & honestum, quo possit præfata mala vitare, sci-
licet negando absolutionem confitenti, quod sibi licitum est, ex quo non tenetur illi sa-
cramenta ministrare, cùm ipsius curatus non sit, sequitur intentum. Si autem confessor II.
sit ipsius proprius, qui tenetur subditis sacramenta ministrare, tunc si informando illum
de veritate potest per authoritatem sufficientem, aut rationem conuincentem ipsi con-
fitenti errorem suum demonstrare, tenetur sic eum ante absolutionem informare, &
errorem demonstrare, & si parêre nolit aliter, quàm negando ei absolutionem, neganda
est illi absolutio. Ratio, quia iam se facit indignum tali absolutione, cùm sit sufficienter
illi veritas ostensa, & parere non velit. Et procedit hoc, quando confitens sic informatus,
nullum habet subterfugium, quò minùs ob demonstrationem veritatis ei factam, tenea-
tur sententiæ confessoris adhærere. Nam si excusationem habet, quia scilicet ab aliis fide
dignis oppositum audiuit, & exhibet se paratum ampliùs à viris doctis informari, quia
fortè reputat se inhabilem ad soluendum rationem, vel motiuum, quod illi confessor
affert, quod fortè alij soluere scient, tunc curatus non potest ei absolutionem denegare,
quia tenetur eam sibi ex officio impendere. Ideo ad fidem releuandi alios à grauamine
C per confitentem illato, vel inferendo, non debet negare subdito sacramentum illi debi-
tum. Si verò curatus non est omnino certus quòd erret confitens, aut si sit, non potest
veritatem euidenter illi demonstrare, non potest ei absolutionem negare, cùm semper
permaneat in ignorātia inuincibili, nec faciat se per hoc dignum, qui absolutione priue-
tur. Excepto, nisi confitens talis sit, qui teneatur fidem adhibere confessori, vt si subditus
sit simplex, qui in errorem suum incidit, non quia à viris doctis, & fide dignis fuerit in-
formatus, sed quia nunquam audiuit, nec legit peccatum esse, quod facit, tunc ex simpli-
citate errat, & tenetur confessori parere, & si nolit, iam culpabilis efficitur eius ignoran-
tia, & indignus est qui absoluatur. Itaque in hoc dubio hæc videtur responsio, quòd non
possit absolutio negari confitenti ad finem releuandi proximum à damno, quando à tali
confessore est eidem confitenti debita absolutio, est autem ei debita à suo curato, quan-
do indignus non est absolutione, id est, quando contritus est & integrè confessus, nul-
lum habens obicem, aut impedimentum. Non sic est ab alieno confessore debita huius-
modi absolutio.

Repetitur breuiter prædicta solutio.

Aliud dubium.

SEQVITVR IAM, quid dicendum in casu quo confitens, & confessor sunt contrariæ
opinionis in facto, vel contractu aliquo, quorum alter scilicet confessor, tenet opi-
nionem damnantem, confitens verò tenet opinionem liberātem, seu iustificantem.
Exemplum. Si confitens tenet plura beneficia incompatibilia ex dispensatione, putans
id licitum sibi esse, & veram esse opinionem liberantem: E contrà confessor est contrariæ

An confessor cõtrariæ opiniõis, debeat pœnitẽti nolenti opinioni suæ adhærere, denegare absolutionem.

opinionis: An confessor debeat confitenti, nolenti opinioni confessoris adhærere, absolutionem denegare &c. Respon. Si talis, & tam eminens est confessor, & confitens simplex, qui non putat ab aliis se posse meliùs edoceri, tenetur parere confessori, & si non pareat, videtur se indignum absolutione facere. Si tamen habet confitens alios ęquè, aut plùs fide dignos quàm sit confessor, à quibus informatus est, vel informari intendit, non tenetur adhærere confessori, nec ei parere, & ita confessor non potest ei absolutionem denegare. Excepto, nisi (vt suprà dixi) confessor sit alienus, & certus omnino de falsitate opinionis, quam tenet confitens, & quòd ex perseuerantia in eadem falsa opinione alij defraudantur, vel damnificantur iniustè, vt si sit error circa contractus, circà pedagia, talias, aut alias impositiones, circa scisionem lignorum de locis publicis, circa venationem, & piscationem in locis reipub. vel nõ propriis, sed alienis, in quibus solent Domini subditos aggrauare, tunc enim cõfessor potest absolutionẽ negare, si alienus sit, videns, quòd negata absolutione, alij à grauamine releuabuntur, & non aliâs. Si tamen contrarietas opinionũ sit in facto, sine alterius tertij præiudicio, aut damno iniustè illato, tunc nec proprius sacerdos, nec alienus, debet negare absolutionem confitenti contrariam opinionem tenenti, quamdiu laborat ignorantia inuincibili. Et per hoc venit limitandum, quod aliâs dixi contra Conradum, non ponens differentiam inter confessorem proprium, & alienum in casu, quo confessor, & confitens sunt contrariæ opinionis. Est quidem differentia ponenda, quando factum, vel contractus, de quo sunt variæ opiniones, fit in damnũ & pręiudicium tertij. Secùs aliâs, vt in casu de pluralitate beneficiorum, de qua diuersæ sunt opiniones, tunc parum refert, quòd confessor sit proprius, vel alienus, cùm illa pluralitas non sit in præiudicium, & damnum tertij. Aut si sit diuersitas opinionis, de circumstantia loci, quando nõ cadit sub obiecto voluntatis ipsius, qui peccat, an inducat nouam culpam, & sit confitenda, an non? similiter verum est, quod ibidem dixit, non esse differentiam inter proprium, & alienum, quantum ad hoc, scilicet quòd sola diuersitas in opinãdo, quæ est inter confitentem & confessorem, non est causa sufficiens, vt alienus debeat absolutionem confitenti negare, & non proprius, nisi (vt dictum est) quando absolutionis negatio prodesset ad finem releuãdi alios à grauamine iniustè per confitentem illato, vel inferendo, alioqui licitè potest absolui, tam ab alieno, quàm à proprio. Quod deberent attendere religiosi, qui magnatum, & potentum confessiones audiunt, qui tenent opiniones in sui fauorem & in damnum subditorum. Si viderint eos causam habere sufficientem ad eas tenendum, cùm sint per alios viros doctos sufficienter instructi, & excusati, non tenentur eis absolutionem negare, quamuis possint, ad finem præfatum, nisi omnino certus sit confessor, quòd errant, & quòd negatio absolutionis proderit, vt alij releuentur &c. quia tunc tenetur absolutionem negare, etiamsi laborent ignorantia inuincibili, qualiter non teneretur proprius curatus eam negare, nec posset, vt dictum est.

Pœnitenti falsæ opinioni adhærenti cum aliorum damno, neganda est absolutio.

Si opinionũ contrarietas sit in facto sine aliorũ damno, non est pœnitenti negãda absolutio. Explicatur sententia Conradi &c.

Nota.

Corollarium. Potest confessor cõtra propriam opinionẽ, pœnitenti, qui contrariæ sententiæ adhæret, aliquid consulere, & iubere.

COROLLARIE sequitur, quòd possit confessor contra propriam opinionem consulere, imò iubere confitenti, vt aliquid faciat, scilicet vt se confitens conformet opinioni, quam habet. Exemplum est, fœmina quę viuente priore marito contraxit cum secundo, & est à viris fide dignis informata, quòd in casu dubij de morte prioris coniugis teneatur reddere debitum secundo postulanti, iuxta cap. Dominus. de secund. nupt. cuius contrariũ opinatur, & tenet confessor, tunc confessor videns eam in sua opinione velle perseuerare, debet ei consulere, vt ita faciat, sicut informata est ab aliis doctoribus, quãuis ipse putet eos, & eam decipi. Sicut si solus confessor sciat impedimentum consanguinitatis, vel affinitatis esse inter eos, qui bona fide contraxerunt, potest, & debet eis consulere, vt viuãt maritaliter, cùm locus diuortiandi minimè pateat, idq; si viderit nil profuturum, si confessor veritatem, quam nouit, illis notificet. Et ita stat, quòd quis possit licitè alteri consulere aliquid, quod ipsi consulenti esset peccatum, si idipsum faceret. Quia in multis accidit vnum & idem opus vni homini esse peccatum, quia illi prohibitum, vel quia contra eius conscientiam fieret, quod alteri licitum est, quia non sic est alteri prohibitum, nec contra ipsius conscientiam. Exempla sunt clara.

De confeßione ficta iteranda.

QVÆSTIO XX.

TERTIVM

A TERTIVS caſus, in quo venit iteranda confeſsio ex parte confitentis, eſt ex defectu pœnitentiæ cordis, vt ſi ſuo curato integrè confiteatur ſine debita pœnitentia. Super quæ ſolet quæſtio moueri, an abſolutio impenſa fictè confitenti ſit verum ſacramentum. Et ſi tunc non præſtet gratiam, an præſtabit poſtea, quando fictio per contritionis ſuperuentum receſſerit? Et dixerunt aliqui, è quibus eſt Caietanus, quòd ſi confitens nullam prorſus habeat cordis pœnitentiam, tunc non ſit valida talis abſolutio, nec ſit verum ſacramentum, & ideo talis abſolutio nec tunc, nec poſtea vnquam proderit.

An abſolutio impenſa fictè cõfitenti, ſit ſacramentalis, & an gratiã conferat, recedente fictione per contritionem.

Sententia I. duo dicta cõtinens.

I. Ratio.

Ratio, quia illic deficit materia ſacramenti pœnitentiæ, quæ eſt peccator confeſſus pœnitens. Si tamen aliqualiter quamuis non perfectè pœniteat, & integrè confiteatur, tunc eſt verum ſacramentum, quod licet pro tunc gratiam ob fictionem, ſeu defectum veræ pœnitentiæ non præſtet, præſtabit tamen poſtea, quando acceſſerit vera pœnitentia. II.

Probatur I. pars ſecundi dicti. I.

Quòd autem in hoc caſu ſit illic verum ſacramentum abſolutionis, probant, quia hoc ſacramentum poteſt ſine fructu eius ſuſcipi, nam id commune videtur eſſe omnibus ſacramentis gratię ſcilicet quòd poſsit verum ſacramentum accipi, quando res ſacramenti non ſuſcipiatur propter obicem effectui ſacramenti poſitum. Quòd ſi vnquam id de ſacramento abſolutionis poteſt verificari, maximè in pręſenti caſu, quo confitens veram cordis contritionem non habet. Secundò, quia confeſsio ſacramentalis poteſt eſſe in- II.
B formis, & ſine gratia, alioqui homo nunquam eſſet certus, ſi verè confeſſus ſit, & verè ſacramentaliter abſolutus, cùm nunquam homo ſit certus, quòd ſit, aut operetur aliquid in gratia, & per conſequens ſemper deberet eſſe anxius, & perplexus, & ſemper deberet iterum eadem confiteri, & nunquam à confeſsione eorũdem peccatorum ceſſare, quod eſt abſurdum.

Probatur II. pars eiuſdem dicti.

Quo ſuppoſito probant ſecundum, ſcilicet quòd illa abſolutio, quæ actu non prodeſt, proderit tamen recedente fictione. Primò à ſimili de baptiſmo, qui ſi fictè ſuſceptus ſit, incipiet prodeſſe, quando fictio receſſerit, vt dicit Auguſtinus de conſecratione diſt. 4. tunc valere. Igitur pari forma abſolutio ſacramentalis incipit tunc prodeſſe. III.
Secundò, quia quando cauſa deſinit operari effectum ſuum propter impedimentum exiſtens, eo ſemoto, incipit operari. Cùm ergo in præſenti abſolutio præfata non cauſauerit gratiam propter fictionem impedientem, ſequitur, quòd ea remota, gratiam cauſabit. IIII.

Oppugnatur II. dictum quo ad vtramq; partẽ.

Argumentum cõtra I. partem.

VERVM hæc poſitio in vtroque videtur deficere. Primò in eo, quòd ait verum eſſe ſacramentum abſolutionis in caſu. Secundò, quòd incipiet prodeſſe ad gratiam, recedente fictione. Contra primum ſtat ratio, quia ſi verum eſſet ſacramentum abſolutionis in caſu, igitur verè eſſet à ſacerdote peccator ille abſolutus. Sicut ſi quis verum ſacramẽtum baptiſmi, vel ordinis, vel confirmationis accepit, verè manet baptizatus, confirmatus & ordinatus, vt patet. Sed in caſu ille confitens non manet verè abſolutus à ſacerdote, quia tunc etiam eſſet verè abſolutus à Deo, iuxta promiſsionem Chriſti, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis &c. à Deo tamen nõ manet homo ille abſolutus, cùm
C maneat eiſdem peccatis ligatus, quibus priùs, imò & plùs ligatus manet, eò quòd fictè confitendo, nouum peccatum addidit.

Occurritur obiectioni.

TVM ETIAM ſacramenta gratiæ, ſacramenta veritatis ſunt, non falſitatis, forma autem illa abſoluendi, qua confeſſor vtitur, in caſu eſt falſa, cùm dicat: Ego te abſoluo à peccatis, qui tamen verè huiuſmodi fictum non abſoluit. Si dicas, forma excuſatur à falſitate, quia intelligitur, quòd confeſſor, quantum eſt ex parte ſua illum abſoluit. Contrà ſtat ratio, quia quantumuis ex parte ſua conetur abſoluere, non tamen ideo verè abſoluit, cùm ipſe confitens impedimentum ponat abſolutioni. Sicut ſi aliquis ſit intra cameram incluſus, ſera exteriùs appoſita, & qui foris eſt mediante claue conetur aperire, & qui intus eſt, impedimentum apponat, conſtat, quòd qui extrà eſt conatur, quantùm eſt ex parte ſua ianuam aperire, non tamen ideo aperit, ſtante impedimento. Ita in propoſito, etſi confeſſor ex parte ſua conetur confitentem abſoluere, non tamen verè abſoluit, ob obicem, quem confitens ponit.

Argumẽta contra II. partem.

Contra ſecundum, in quo dicunt, quòd talis abſolutio ficto impenſa, incipiet valere, quando fictio per veram contritionem receſſerit, ſtat ratio. Tum, quia (vt dictum eſt) non fuit verum ſacramentum, & eſto fuiſſet, nõ ideo valere debet, recedente fictione. I.
Quia tunc ſi quis in peccato mortali Euchariſtiam recipiat, cùm verum ſit ſacramentum illud, & non valeat, quando actu ſuſcipitur, inciperet valere poſtea, accedente contritione, quod nemo dicit. Nõ enim valet corpus, & ſanguis Domini ei, qui indignè ea ſuſcipit, niſi ad condemnationem, vt dicit Paulus 1. ad Cor. 11.

N 2 Secundò,

Secundò, causa quæ non est, nil causare potest, quia effectus præsupponit existentiam causæ, sed quando fictio deponitur, iam transit absolutio, & non ampliùs manet, igitur.

Occurritur obiectioni.

Respondent, quòd licet non maneat causa in se tempore, quo fictio deponitur, manet tamen in suo effectu, seu semine scilicet in ornatu, qui est immediata dispositio ad gratiam sacramentalem. Contrà, quia superfluum omnino videtur ponere huiusmodi ornatum, quia cùm non ponatur nisi ad saluandum causalitatem sacramenti respectu gratiæ sacramentalis, vel ergo ponitur ad saluandum causalitatem efficientiæ, & hoc non, quia sacramentum non concurrit effectiuè ad gratiã, quæ à solo Deo effectiuè causatur, sicut à solo Deo effectiuè fit peccatoris iustificatio, & peccatorum remissio. Restat ergo, quòd ponatur ad saluandum sacramenti causalitatem sine qua non, sed ad hoc, vt sacramentum sit causa sine qua non gratiæ, impertinens omnino est præfatus ornatus, vt constat.

Tvm etiam, quia tunc etiam Eucharistia ab indigno suscepta, præstaret illi gratiam, si antequam resoluantur species, quæ ad stomachum descendunt, peccatorem ipsum commissi pœniteret, quia non minùs sunt huiusmodi species efficaces respectu gratiæ, quàm sit ornatus ex sacramento relictus. Iam ad rationes prioris sententiæ facilè respondetur.

Respondetur ad rationes oppositas.

Ad I. Ad primam, qua probabatur in casu esse verum sacramentum, etiamsi res non suscipiatur, respondetur negando illud. Et quamuis sit commune cæteris sacramentis posse ea suscipi sine re, in præsenti tamen sacramento non ita reperitur, quia non stat, quòd quis verè a sacerdote absoluatur, quin à Deo absoluatur. Ideo non stat, quòd confitens ponat obicem rei huius sacramenti, quin etiam ponat obicem sacramẽto ipsi. Nam dato opposito, staret hominem absolui à sacerdote, absque hoc, quòd à Deo absoluatur, quod ex dictis apparet falsum. In cęteris autem sacramentis bene stat ponere obicem rei, & non sacramento.

Ad II. Ad secvndam dicendum, quòd licet homo non possit habere certitudinem euidentiæ, aut fidei, quòd sit in gratia, vel quòd gratiam sacramenti suscipiat, potest tamen esse certus certitudine morali, seu probabili, vt si fecit, quod in se est, conterendo, & confitendo, & absolutionem accipiendo, & hæc certitudo sufficit ei ad euadendum prædictam perplexitatem, & periculum.

Ad III. Quando arguebatur, quòd postea recedente fictione incipiet valere sicut baptismus, dicendum non esse omnino certum, quòd baptismus valeat ad gratiam baptismalem, quando recedit fictio, quia aliquibus visum est, quòd tunc homo ille per solam contritionem assequatur gratiam. Et ad decretum Augustini potest dici, quòd intelligatur ex tunc hominem baptizatum in statu salutis reponendum, in quo per baptismum nõ fuerat propter obicem repositus. Et esto baptismus, & confirmatio, & ordo, quæ sunt sacramenta initerabilia, incipiant ad gratiam sacramentalem, recedente fictione, valere, hoc ideo est, quia alioqui homo gratia huiusmodi priuatus maneret, cùm non sit locus eam postmodum per iterata sacramenta recuperandi, quæ ratio in aliis sacramentis iterabilibus locum habere non potest.

Ad IIII. Ad rationem aliam, qua arguitur, quòd deposito obice, causa debet operari effectum suum, verum est, si causa in se maneret, obice remoto, absolutio autem non ita manet in ficto tempore, quo fictionem deponit, vt constat, alioqui Eucharistia indignè sumpta, postea similiter valere inciperet, vt suprà arguebatur.

Resolutio authoris, quæ sequentibus conclusionibus continetur.

Concluditur ergo, quod confessio verè sacramentalis non sit, nec ex opere operato possit vnquam prodesse, si in obice peccati mortalis facta fuit, pro quo particulariter ponuntur aliqua dicta.

Conclusio I. Primvm, quòd confitenti necessaria sit cordis pœnitentia, vt verè absoluatur. Hoc patet ex decreto Augustini de consecratione distinct. 4. Omnis homo, qui suæ voluntatis arbiter constitutus est, nouam vitam, scilicet gratiæ inchoare non potest, nisi pœniteat eum veteris vitæ.

II. Secvndvm dictum. Non sufficit atteri, sed necessarium est conteri. Patet ex illo Isaiæ 66. Ad quem respiciam, nisi ad pauperculum contritum corde, & trementem sermones meos?

III. Tertivm dictum. Non satis est in genere conteri, sed necessarium est in particulari pœnitere, sicut necessarium est in particulari confiteri. Patet hoc ex eo, quod dixit Isaias. Recogitabo tibi omnes annos meos, in amaritudine animæ meæ.

IIII. Qvartvm dictum. Non satis est sic de commissis conteri, sed necessarium est propositum postmodum à peccatis abstinendi. Hoc patet ex definitione pœnitentiæ à patribus

A patribus approbata. Pœnitentia eſt præterita mala plangere, & plangenda iterum non committere.

QVINTVM dictum. Non etiam ſatis eſt ſic dolere, niſi propter Deum ſummè dilectum hominem pœniteat. Patet hoc ex ſententia Auguſtini in libro de Confeſsione, dicentis: Sine amore Dei conſequetur veniam, ſine quo nemo vnquam inuenit gratiam? quaſi dicat, non. V.

SEXTVM dictum. Qui ſic pœnitet, etiamſi non intensè, & per certum tempus doleat, ſufficienter diſpoſitus accedit, vt gratiam tam ex opere operantis, quàm ex opere operato conſequatur. Hoc patet ex cap. Qualis. de pœnitentia diſt. 3. vbi dicitur: Quantulamcunque, & quantumlibet breui tempore geſtam pœnitentiam Deus acceptat. VI.

Fictè accedẽs ad confeſsionẽ indignus eſt abſolutione: & conſequẽtur cõfeſsio iteranda eſt.

QVI AVTEM non acceſſerit cum ea pœnitentia quæ dicta eſt, fictus accedit, & indignus, qui gratiam abſolutionis aſſequatur. Ac proinde ſi de facto fictus huiuſmodi à ſacerdote abſoluatur, verè non abſoluitur, cùm non vera materia abſolutioni ſubſiſtat, vbi confeſsio non ex vera cordis pœnitentia procedit, & per conſequens huiuſmodi confeſsio venit de neceſsitate iteranda. Pro quo etiam vltra ea, quæ ſuprà adduximus, *Ratio* I. videtur facere, quòd qui confitetur ſine vera pœnitentia, nõ ſatisfacit præcepto de confitendo, ſiue diuino, ſiue humano. De diuino ſupponatur. De humano etiam inde apparet, quia Eccleſia non præcipit immediatè confeſsionem, ſed eam, quam Deus fieri iuſ-
B ſit, iubet Eccleſia, vt tali tempore fiat, ac proinde qui confeſsionem iure diuino debitam non facit, præcepto Eccleſiæ de confitendo non ſatisfacit.

DEINDE pro eodem facit, quòd ſacerdos in caſu non verè intendit illum fictum abſoluere, niſi quia præſumit eum verè pœnitentem eſſe. Si autem ſciret eum fictum eſſe, & non verè pœnitere, eum non abſolueret. Et ita cùm ad veritatem ſacramenti neceſſaria ſit intentio miniſtrantis, ſequitur in caſu non eſſe verum ſacramentum abſolutionis, & ita confeſsionem illam debere iterari. *Ratio* II.

De confeſsione iteranda ob defectum confeſſoris.

QVÆSTIO XXI.

Quando ſit confeſsio iteranda ex defectu abſoluentis?

Requiſita in cõfeſſore, vt validè abſoluat pœnitentem.

NVNC BREVITER videamus, quãdo ſit de neceſsitate iteranda confeſsio ex defectu abſoluentis. Et in primis præſupponantur ea, quæ neceſſaria ſunt in abſoluente, vt valida ſit eius abſolutio, requiritur enim in abſoluente poteſtas ordinis ſacerdotalis, ſi enim ſacerdos non ſit, remittere peccata non poterit. Solis enim ſacerdotibus collata eſt huiuſmodi poteſtas peccata remittendi: Et ſolis eiſdem, tempore quo ad ſacerdotium promouentur, dicitur: Quorum remiſeritis peccata &c. I.

C SECVNDO requiritur in eiſdem poteſtas iuriſdictionis ſuper abſoluendum. Hoc patet ex Concilio Florentino, declarante ſacerdotem non poſſe quenquam à peccatis abſoluere, niſi iuriſdictionem habeat, vel ordinariam, vel commiſſam ſuper abſoluendũ. II.

TERTIO requiritur in abſolutione ſcientia, qua ſcilicet ſciat, qua forma vti debeat, vt verè abſoluat, alioqui ſi id neſciat, quo pacto verè valeat abſoluere, non apparet. III.

QVARTO requiritur in eodem intentio, ſicut requiritur in miniſtro cuiuſcunque ſacramenti, qua deficiente, nullum eſt ſacramentum, vt in eodem Concilio ſuprà citato declaratum eſt. IIII.

Reſolutio quæſtionis.

QVICQVID igitur horum deſit in abſoluente, abſolutio erit nulla, & per conſequens confeſsio erit de neceſsitate iterãda. Quanquã fieri poſſet difficultas in eo, quod tanquam certum ſupponitur ſcilicet,[a] an ſemper ſit neceſſaria in abſoluente iuriſdictio ſuper confitentem, vt valida ſit ipſa abſolutio.[b] Et dixerunt aliqui, quòd non, ſed ſufficiat poteſtas ordinis ſacerdotalis, eò quòd Chriſtus omnibus ſacerdotibus poteſtatem contulit remittendi peccata, quemadmodum & in eorum ordinatione ad eoſdem dicitur, Quorum remiſeritis peccata &c. Cùm igitur hanc poteſtatem non irritam, & inanem omnes ſacerdotes quando promouentur, accipiant, ſequitur, quòd eo ipſo, quòd ordinati ſunt, poſsint confitentes abſoluere. *Ratio* I. Deinde ſacerdos ſimplex poteſt Papam eidem confeſſum abſoluere, in quem tamen nullam videtur iuriſdictionem habere. *Ratio* II. Similiter & exiſtentem in articulo mortis, in quem nullã habet ſacerdos ſimplex iuriſdictionem, III.

a Alia quæſtio. An ſit ſemper neceſſaria in abſoluente iuriſdictio, vt validè abſoluat.

b Sententia I. negatiua.

potest absoluere. Parochianus etiam, qui curatum habet ignarum, potest alium simplicem adire, & eidem confiteri, quemadmodum qui licentiam habet confessorem quemcunque eligendi, siue ex Bulla à Papa concessa, siue ex licentia prælati &c. potest simplici sacerdoti confiteri. In quibus casibus valebit absolutio, etiamsi absoluens iurisdictionem in confitentem non habeat.

Sententia II. Dixerunt alij, quòd iurisdictio quidem in absoluente necessaria sit, sed hanc habeant omnes sacerdotes immediatè à Christo, seu de iure diuino.

Probatur. Nam eo ipso, quòd Christus omnes sacerdotes peccatoribus prætulit, visus est, omnes peccatores sacerdotibus subiecisse, & sacerdotes iudices eorum in foro pœnitentiali instituisse. Quod facto videtur posse confirmari, quia tempore Apostolorum etiam post Christi ascensionem vnusquisq; eorum, qui à Christo fuerant ordinati, poterāt omnem peccatorem absoluere, quod minimè potuissent, nisi à Christo cum potestate ordinis simul iurisdictionem accepissent.

Sententia III. Alij verò dixerunt quòd necessaria sit iurisdictio in absoluente, sed non nisi ea, quę voluntaria est, quam scilicet sacerdos sortitur ex voluntaria submissione, qua peccator se submittit sacerdoti, cui confitetur, à quo & iudicari vult.

Probatur. Quod probāt ex eo, quod suprà de Papa tetigimus scilicet quòd quilibet sacerdos quantumuis simplex, cui Papa se voluntariè submittit, habeat in eum sufficientem iurisdictionem, vt illum in illo foro valeat iudicare, sicut si contendentes ex voluntate propria se alicui arbitrio submittant, arbiter ille iurisdictionem in causa illa sortitur sufficientem.

Sententia authoris pro parte affirmatiua &c. Verùm quia hæc quęstio pendet ex illa alia, an possit quilibet sacerdos quemlibet confitentem de facto absoluere, si attentet, ita vt teneat absolutio, de qua quæstione inferius agetur, ideo præsens difficultas iam differatur. Satis sit ad præsens tenere, quod dictum est, & per Concilium Florentinum declaratum & approbatum, scilicet nullum sacerdotem posse peccatorem aliquem absoluere, nisi in eum potestatem habeat ordinis simul & iurisdictionis.

De confeßione confessori excommunicato scienter facta.

QVÆSTIO XXII.

An valida sit absolutio ab excommunicato impensa?

Rationes partis negatiuæ.

EST ETIAM aliud, quod ex parte absoluentis reddit absolutionem inualidam scilicet impedimentum Canonicum, vt si sit curatus excommunicatus maiori excōmunicatione, de quo est inter aliquos quæstio, an valida sit absolutio ab excommunicato impensa. Et dicebatur quòd nō, quia tunc confitens ab excommunicato verè esset absolutus, consequens est falsum, quia ponit obicem peccati, recipiens sacramētum

I. ab excommunicato, quē tenetur sub pœna peccati mortalis in sacris euitare, vt habetur

II. c. Sacris. de his, quę vi, metúsue causa fiunt. Confirmo hoc idem ex 2. Canonica Ioan. c. 1. Si quis, inquit, venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum, nec aue ei dixeritis, qui enim dicit ei, aue, communicat operibus eius malignis. Quod etsi de hæretico expresè dicatur, æquè veritatem habet de excommunicato, quem non minus quàm hæreticum vitare tenemur, iuxta dictum Christi, Matth. 18. Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus &c. Et ita non solùm huiusmodi confitens ponit obicem, quia communicat cum excommunicato, sed quia ei ad malum cooperatur.

Not. Curatus dupliciter esse potest excommunicatus. HIS NON obstantibus, videtur aliter sub distinctione respondendum, nam potest curatus esse excommunicatus dupliciter, scilicet nominatim, seu particulariter, & generaliter. Et iterum qui nominatim est excommunicatus, aut est declaratus, seu denuntiatus, aut non. Deinde si sit declaratus, stat quòd huiusmodi declaratio sit nota, vbi excommunicatus residet, aut ignota.

Conclusio I. ET SECVNDVM hæc potest ad dubium responderi per aliqua dicta. Primum sit. Si sit aliquis excommunicatus nominatim, & nobis scientibus denuntiatus, tenemur illum in occulto, & in publico euitare, maximè in diuinis. Hoc supponitur ex dictis & dicendis certum esse.

II. Conclusio. SECVNDVM dictum. Si quis sit excommunicatus particulariter, & non publicè denuntiatus, idq; mihi soli constet, teneor illum in occulto euitare, non tamen in publico. Id patet ex capit. Cùm non ab homine. de sententia excommunicationis. Vbi dicitur in sententia, quòd excommunicatum debes euitare, licet denuntiatus non sit, nisi fortè id tibi soli pateret, quo casu ipsum priuatim tantummodo euitabis, quamdiu ab Ecclesia toleratur.

A toleratur. Vnde colligitur, quòd vbi, & quando excommunicatus ab Ecclesia toleratur, non sit de necessitate vitandus, imò gesta per eum tenent, hoc est, quando duo concurrunt, scilicet titulus, & communis error facti, vt si Episcopus conferat beneficium cum cura alicui, qui in rei veritate est excommunicatus, attamen ignoratur cõmuniter ipsum excommunicatum esse, tunc eius gesta tolerantur ab Ecclesia, de quo aliàs in materia de excommunicatione. Nec tenemur illum vitare in publico: Si tamen ego solus sciam illum esse excommunicatum, teneor in occulto eum vitare, vt si sciam aliquem esse excommunicatum pro debito pecuniario, qui nondum est denuntiatus, teneor in occulto eum vitare, licet non in publico.

Corollarium. Excommunicatus ab Ecclesia toleratus nõ est de necessitate vitandus.

TERTIVM dictum. Si aliquis sit solùm generaliter excommunicatus, etiamsi sciam illum excommunicatum esse, non teneor illum vitare, nec in publico, nec in occulto, nec in ministratione, nec receptione Sacramentorum. Id patet ex Concilio Constantiensi & Basiliensi & Lateranensi, vbi statutum aut declaratum est, quòd excommunicatum generaliter, siue à iure, siue ab homine antequam sit declaratus, non tenemur vitare, etiam in sacris, nisi in casu, quo violentas manus in clericum iniecerit, adeò patenter, vt nulla posit tergiuersatione cælari, vt si sit lata sententia excommunicationis contra eum, qui furtum, aut crimen commissum per eum scitum, non reuelauerit, & ego sciam Petrum præfati furti aut criminis conscium esse, & factum non denuntiare, non teneor B Petrum etiam in sacris vitare.

III. Conclusio.

QVARTVM dictum. Absolutio à curato solùm generaliter excommunicato confitenti impensa, est valida, & ex consequenti confesio illi facta, non est de necessitate iteranda, excepto casu, de violenta manuum in clericum iniectione manifesta, quia tunc idem esset, ac si esset denuntiatus. Hoc patet ex præfatis Conciliis, quæ videntur æquiparare eos, qui solùm generaliter sunt excommunicati, his qui excommunicati non sunt, quantum ad hoc, quod est ministrare illis Sacramenta, aut de eorum manu ea recipere. Quod vniuersaliter de omnibus Sacramentis fuit institutum, nec fuit facta exceptio de Sacramento absolutionis, vt suppono, tum etiam, quia gesta per huiusmodi excommunicatos tenent, interim dum ab Ecclesia tolerantur. Cùm igitur tolerentur quamdiu non sunt nominatim excommunicati, nec declarati, sequitur &c.

IIII. Cõclusio.

QVINTVM dictum. Absolutio impensa ab excommunicato nominatim, siue declaratus sit, siue non, siue in publico, siue in occulto impendatur, est nulla, si confitens sciat confessorem sic excommunicatum esse, nisi per ignorantiam de vitando huiusmodi excusetur. Id patet, quia taliter excommunicatum tenemur saltem in occulto vitare, & cùm absolutio sacramentalis non nisi in occulto fiat, sequitur quòd in casu, homo qui absolutionem ab illo petit, aut recipit, peccet mortaliter, & ita ponat obicem, & per cõsequens absolutio sit nulla, & confesio iteranda. Idem si confessor fuit excommunicatus generaliter ob violentam manuum in clericum iniectionem, quæ nulla posset tergiuersatione cælari, iuxta Concilium Constantiense suprà citatum.

V. Conclusio.

C SEXTVM dictum. Absolutio impensa à curato, vel alio excõmunicato simul & denuntiato est nulla, & per consequens iteranda. Hoc patet, tum ex præcedente, à minori: Si enim, quando est excommunicatus occultè, sed nominatim, etiamsi denuntiatus non sit, confesio illi facta in occulto est nulla, cùm in occulto debuerit euitari, à fortiori ergo si sit denuntiatus. Tum etiam, quia excommunicatum publicè denuntiatum nõ dubium est quin teneamur vitare in sacris, vt patet ex dictis, & per consequens qui illi confitetur scienter, ponit obicem, & per consequens non verè absoluitur.

VI. Conclusio.

COROLLARIE sequitur non esse verum de iure, quod ait Caietanus in Summa, verbo, absolutio. quòd in duobus casibus solùm sit absolutio nulla ab excommunicato impensa, scilicet si sit nominatim denuntiatus, aut si notoriè violentas manus in clericũ iniecerit. Extra quos casus, ait huiusmodi excõmunicatos, nec in publico, nec in occulto esse vitandos, etiã in sacris. Hoc eñ falsum esse videtur ex c. Cùm non ab homine, suprà citato, scilicet si quis sit nominatim excõmunicatus, sed nõ denuntiatus, vitandus est ab his qui sciunt illũ esse excommunicatum, saltẽ in occulto, & absolutio sic in occulto impensa, non tenet. Nec suffragatur Caietano Concilium Constantiense, quia illud nõ loquitur nisi de his, qui à iure, vel ab homine sentẽtiam in generali latam inciderunt, quòd scilicet tales non sunt de necessitate vitãdi in publico, nec in occulto, antequam denũtiantur expresse. Nam in aliis nominatim & specialiter excõmunicatis, etiãsi denuntiati

Corollarium. Impugnatur dictum quoddam Caietani de hac eadem materia.

Diluitur fundamẽtum sententia Caietani.

non sint, nil per Concilium Constantiense iuri antiquo detractum est: Concilium enim hoc duas tantùm continet antiqui iuris coarctationes, seu moderationes, vna est, de non vitandis his, qui solùm sunt generaliter excommunicati, antequam denũtientur, secunda est, de non vitandis his, qui violentas manus in clericum iniecerunt occultè, vel nõ ita notoriè, vt nulla posit tergiuersatione cælari. Quas limitationes antiquum ius non videbatur habere, & ita antiquum ius in cæteris mansit in suo vigore. Dixi notanter illud Caietani non esse verum de iure, quia fortè consuetudo in hac re obtinet vim, vt scilicet nominatim excommunicati vitandi non sint ante denuntiationem, sicut nec generaliter excommunicati, esset enim consuetudo huiusmodi rationabilis, & si talis sit, tenebit veritatem, quod ait Caietanus. Verùm, vt videtur, ipse non cõsuetudini, sed statuto Concilij Cõstantiensis innititur. Per hæc patet responsio ad quæstionem simul & ad rationes suprà factas, in quibus probabatur, quòd nunquam licitum sit communicare cum excommunicatis, maximè in sacris, sed vitandi sint, & habendi sicut ethnici, & publicani, procedunt enim hæc de excommunicatis nominatim, aut de his, qui per iudicem sunt denuntiati, secùs de aliis, & sic possumus cum generaliter excommunicatis communicare, ita & cum hæreticis antequam sint per iudicem declarati. Nec obstat Canonica Ioan. suprà citata, nam illud dictum Ioan. procedit casu, quo illos vitare est necessarium ad eorum correctionem, vel proximorum cautelam, vel nostram præseruationem, vt dicunt Doctores. Aut casu, quo nostra cum illis conuersatio, est causa vt in sua hæresi permaneant, & non resipiscant, quod videtur magis literæ conuenire, quia tunc diceremur operibus eius malignis communicare.

Limitatur dictum Caietani.

Soluũtur rationes in oppositũ suprà allata.

CONTRA secundum dictum obiiciet aliquis, quòd pœnitens non teneatur vitare in occulto curatum excommunicatum, quando ipse solus scit illum esse excommunicatum, nam adueniente tempore necessariæ confessionis scilicet tempore Paschatis, curatus poterit iudicialiter compellere illum peccatorẽ, vt sibi, quia curatus ipsius est, confiteatur, si alius non sit, cui legitimè posit cõfiteri, & si parere nolit, iure poterit illum subditum ab ingressu Ecclesiæ arcere, iuxta cap. Omnis vtriusq; sexus. Igitur in casu subditus iure compulsus, tenebitur illi confiteri, nec in hoc peccabit, quia nemo legis authoritate peccat, & quod quis iure facit, iustè facit. Pro quo facit 22. q. I. Si peccatum. & 23. q. 4. Qui peccat &c. Inde arguitur contra quintum dictum, quòd talis confesio sit sacramentalis, & absolutio valida, & ex consequenti non iteranda, dico de ea, quæ fit curato nominatim excommunicato, & non denuntiato. Tum, quia ex quo iure potest peccator ad cõfitendum suo curato compelli, confesio erit legitima, & valida. Tum etiam, quia gesta per excommunicatum tenent interim dum ab Ecclesia toleratur. Dico gesta per excommunicatum facta, ratione publici officij. l. Barbarius. ff. de officio præt. Sed talis curatus interim dum non est denuntiatus, toleratur ab Ecclesia, & gesta per eum ratione publici officij, quale est cura animarum tenent, igitur absolutio per eum impensa tenebit. Postremò arguitur quòd confesio facta ei, qui est excommunicatus solùm generaliter, si id scit ipse confitens, non sit valida, quia talis pœnitens, qui illi confitetur, saltem extra tempus necesitatis peccat, & ita ponit obicẽ. Id patet, quia sicut ministrare sacramentum taliter excõmunicato extra necesitatem est peccatum, & contra legem Christi. Nolite sanctum dare canibus: ita accipere sacramentum de manu excommunicati extra necesitatem, est similiter peccatum cooperationis, cùm constet taliter excommunicatũ peccare ministrando sacramẽta extra necesitatem. Nec releuat statutum præfatum Concilij Constantiẽsis in quo dicitur, quòd nõ teneamur vitare generaliter excõmunicatos in datione, aut receptione sacramentorum, nam statutum humanũ non debet diuino iuri præualere, nec diuini iuris obligationẽ tollere. Cùm ergo iure diuino teneamur non ministrare sacramenta excommunicatis etiam generaliter, eodem etiam iure teneamur non cooperari ad peccatũ proximi, sequitur, præfatum statutum non valere ad excusandum à peccato subditum, qui curato generaliter excommunicato confitetur, & per consequens huiusmodi confesio erit iteranda, ita bene, sicut illa, quæ fit excommunicato nominatim, & denuntiato, cùm vtrobique concurrat eadem ratio nullitatis absolutionis, scilicet, obex peccati in confitente. Respon. ad primum. Esto quòd talis subditus per iudicem posit in foro iudiciali compelli ad hoc, vt suo curato confiteatur, non sequitur inde, quòd tutè posit id agere subditus, quia in foro iudiciali ad multa potest homo compelli, quæ cum bona conscientia agere non potest.

Obiectiones cõtra secundam conclusionem.
I.

Secũda obiectio cõtra quintam conclusionem.

III. Obiectio.

Confirmatio.

Respondetur ad primam.
In foro iudiciali ad multa quis compelli potest, quæ bona cõscientia facere non potest.

Vt

A Vt si quis publicè contraxit cum aliqua, qui tamen scit impedimentum esse inter eos, quod nemo alius scit, compelletur à iudice reddere debitum postulanti, & tamen non poterit tutè huiusmodi debitum reddere. Pro quo etiam facit casus, qui habetur capit. Dominus. de secundis nuptiis. & casus, qui habetur cap. Inquisitioni. de sententia excómunic. In casu igitur præsenti hoc idem accidit, quòd quamuis à iudice cõpellatur subditus ille suo curato confiteri, non tamen tenetur. Ratio, quia habet pręceptum Ecclesię in contrarium, quo tenetur excommunicatum vitare in occulto, maximè in sacris, & iudicis præceptum in casu procedit ex ignorantia, qua scilicet iudex nescit, illum curatum excõmunicatum esse, qui si id sciret, non illud præciperet, & esto sciret, & præciperet, nõ esset illi parendum, iuxta regulam magistralem: Si inferior iubeat aliquid, cuius contrarium superior iubet, non est inferiori parendum. vt patet 11. q. 3. Non semper. cum aliis sequentibus. Quod autem allegatur, qui peccat legis authoritate, non peccat, verum est de lege diuina, vt exponit Augustinus, et si ad omnem legem id velimus extẽdere, verum est quòd nulla lex tribuat authoritatem ad peccandum, etiamsi leges multa permittant peccata. Aliud enim est, legem peccata permittere, aliud verò ad peccandum authoritatem præstare. Ad secundum, nego illam confessionem validam esse, nec enim legitima est, imò contra legem iubentem vitare excommunicatum in occulto, quando scitur esse talis. Gesta etiam per excommunicatum ratione publici officij valent, quantum ad B forum iudiciale, quia non inualidantur in illo foro, quamdiu ab Ecclesia toleratur, secùs in foro pœnitentiali, & conscientiæ. Discrimen est clarum ex dictis, quia in gestis publicis per excommunicatum toleratum, defectus potest per leges publicas suppleri, ita vt facta teneant: Absolutio autem sacramentalis ab excommunicato occulto impensa, nõ ita tenet, quia eius defectus, per publicas leges humanas suppleri non potest, eò quòd absolutio impensa actu peccanti, seu obicem ponenti, de iure diuino est nulla, vt ex dictis apparet. Ad tertium dicẽdum, quòd quamuis, qui generaliter excommunicatus est, peccet Sacramenta ministrando, non tamen inde fit, vt semper peccent, qui de manu eius Sacramenta suscipiunt, ad minus non peccabunt contra Ecclesiæ præceptũ, quandoquidem statutum Concilij Constantiensis non prohibet suscipere Sacramẽta de manu illorum, ipsis tamen iure diuino vetitum est Sacramẽta ministrare, cùm indigni sint. Nefas enim est, vt ait Dionysius, immundis sacra tractare, & hãc culpam statutum Concilij non tollit. Et esto suscipientes cooperentur ad peccatum ipsorum, non tamen huiusmodi cooperatio culpanda est, quando ipsa cooperatio in nullo dat peccanti causam, vt peccet, vt si alioqui paratus sit sic peccare, vt dicit Adrianus. Sed statim obiiceretur, quòd ille sacerdos non audiret confessionem illius peccatoris, nisi ad instantiam ipsius, & ex consequenti videretur illi præbere causam indignè tractandi Sacramentum. Ideo potest aliter responderi, quòd cooperari de per accidens ad peccatum proximi, causa etiam data de per accidens, non sit semper peccatum, cùm excusetur per necessitatem, C vel aliquam spiritualem vtilitatem, de quo alias &c. Pro nunc tamen dicendum, quòd in tribus casibus sit peccatum cooperari ad peccatum proximi. Primus, quando est cooperatio ad aliquid de se malum. Secundus, quando cooperatio est causa, vt proximus peccet, qui alioqui non esset peccaturus, nec in peccato permansurus. Tertius, quando sola voluntate cooperamur ad peccatum, id est, sine necessitate, aut vtilitate. Erit autem licita cooperatio, quando est de per accidens, & fit ob necessitatem, vel notabilem vtilitatem, quæ non ita commodè aliter haberi posset. Exempla sunt clara.

Inferiori aliquid iubẽti, cuius superior iubet cõtrarium, nõ est parendũ.

Nonpeccat, qui legis authoritate peccat, quomodo sit intelligendum.

Ad II. Excommunicatus toleratus validè exequitur officia publica quo ad forũ iudiciale, secùs quo ad forum conscientiæ.

Ad III. Licet excõmmunicatus peccet Sacramẽta ministrando, non tamẽ ij semper peccãt, quibus ille Sacramẽta administrat.

Ad confirmationem eiusdem.

I. *Solutio.*

Reiicitur.

II. *Solutio.*

In tribus casib. peccatũ est, ad proximi peccatum cooperari.

I. II. III.

De confeßione nescienter facta excommunicato.

QVÆSTIO XXIII.

EX dictis oritur dubium, quia, vt videtur, ideo absolutio ab excommunicato impensa, est inualida, quia illi confessus, & absolutionem petens, ponit obicem peccati, communicando cum illo. Quod verum esse non dubitatur, quando ipse confessus scit confessorem excommunicatum esse. Pone igitur, quòd id nesciat inuincibiliter: An in tali casu absolutio sit nulla, & cõfessio iteranda. Et loquor de confessore excõmunicato, nominatim denuntiato. Et videri posset alicui, quòd confessio tũc sit valida, quia non ponit obicẽ ipse confessus, & ita absolutio nõ carebit effectu. Oppositũ tamen videtur

An casu, quo pœnitẽs nescit excommunicatũ esse confessorẽ, absolutio etiam nulla sit, & confessio iterãda.

Ratio pro parte negatiua.

Verior est pars affirmatiua. Probatur I.

videtur tenendum. Pro quo facit cap. Si celebret. de clerico excommunicato. Vbi dicitur, quòd excommunicatus minore excommunicatione grauiter peccet, si Sacramenta ministret, aut suscipiat, quamuis ministrata per eum, non careant virtutis effectu. Et datur pro causa, quia taliter excommunicatus, non est remotus à collatione, sed à perceptione, id est, nō est suspensus quo ad alios, sed quo ad se. Vnde à contrario videtur, quòd ministrata ab excommunicato maiore excommunicatione, carent virtutis effectu, ac proinde absolutio per talem impensa est nulla. Facit etiam cap. Duobus. de sententia excommunicationis, vbi sententialiter dicitur, quòd propter vinculum minoris excommunicationis non expiret potestas soluendi, & ligandi. Vnde à contrario videtur, quòd

II. expiret talis potestas propter vinculum maioris excommunicationis. Iam inde arguitur, quia vel expirat quo ad licentiam, ita vt excommunicatus non possit licitè soluere, nec ligare, & hoc dici non potest, quia illo modo etiam expirat per vinculum minoris excommunicationis: Vel expirat quo ad potestatem remotam, quæ est potestas ordinis, & hoc non, quia illa potestas ordinis in charactere fundata, est indelebilis, sicut & ipse character. Restat ergo, quòd expiret quo ad potestatem propinquam, & de facto, ita scilicet quòd si talis attentet quenquam soluere, vel ligare, non teneat factum, & ita sic absolutus, quantumuis cum bona fide confessus, tenetur aliam legitimam absolutionem procurare. Secùs de generaliter excommunicatis, & toleratis, quorum gesta tenent, vt suprà diximus. Consonat etiam rationi, quia qui ligatus est, quomodo potest alios soluere, aut ligare?

Corollarium I. *Cur absolutio impensa ab excōmunicato denuntiato sit nulla.*

Corollarie sequitur, quòd absolutio impensa ab excommunicato denuntiato sit nulla, non solùm propter obicem, quem illi confitens ponit, cōmunicando cum illo, sed etiam ob defectum potestatis propinquæ, quam talis excommunicatus non habet, qua tamen priuatus non est, qui solùm generaliter est excōmunicatus, cuius gesta ratione publici officij tenent. Sic tenent Adrianus in 4. fol. 85. post Angelum, excommuni. vltimo. §. 19. Sic Richard. in 4. distinct. 18. Et Innocent. & Panormit. in cap. Veritatis. de dolo, & contumacia. Vide Baptistam, verbo, Absolutio. §. 3. & 4.

Corollarium II. *Particulariter excommunicatus nō potest morientem absoluere.*

Corollarie sequitur, quòd particulariter excommunicatus non possit morientem absoluere, nec moriens teneatur taliter excommunicato confiteri. Vnde tunc si alium non habeat confessorem, perinde est ac si copiam confessoris nō habeat, ex quo ille excommunicatus propinquam potestatem non habeat ad soluendum quenquam, tunc enim satis erit, si Deo confiteatur, quanquam excommunicatus in illo articulo necessitatis possit à quolibet non præciso absolui, de quo aliâs.

De confeßione facta confessori prauo.

QVÆSTIO XXIIII.

An confessoris malitia reddat inualidam absolutionem.

Rationes partis affirmatiuæ. I. II.

ALIVD DVBIVM: An sicut excommunicatio confessoris facit absolutionem inualidam, ita etiam malitia confessoris reddat ipsam absolutionem nullā. Et arguitur, quòd sic, quia malitia confitentis reddit absolutionē nullam, igitur & malitia absoluentis; nam actus potiùs vitiatur ab agente ipsum, quam à patiente &c.

Praeterea ligandi, & soluendi potestas veris, non falsis sacerdotibus à Domino tradita est. Cuius argumentū est, quia Christus dicturus Apostolis; Quorum remiseritis peccata, remittētur eis, præmisit: Accipite Spiritum sanctū &c. vt cunctis euidenter ostenderet, eum qui Spiritum sanctum non haberet, peccata nō posse tenere, vel remittere, vt ait Alexander secundus, & habetur vigesimaquarta, quæst. prima &c.

Resolutio negatiua. Probatur I. II.

Oppositvm tamen videtur tenendum, iuxta cap. plerunq; 11. q. 3. vbi dicitur, quòd iudex sæpe ligat, & soluit, cuius ad locum vita minimè concordat. Et c. Consulendū. 28. distin. Vbi dicitur nō esse vitandū presbyterum habentem vxorem, aut criminosum, sed tolerandum. In cuius exemplū adducitur, quòd Christus Iudam criminosum tolerauit, ac proinde facta per clericum criminosum tenent, & per Ecclesiam approbantur.

III. Qvod clariùs patet ex capit. Sciscitantibus. 15. q. vltima. Vbi Nicolaus ad consulta Bulgarorum respondens, ait posse Sacramenta recipi de manu sacerdotis in adulterio deprehensi. Et datur ibidem causa, quia non potest aliquis, quantumcunq; pollutus sit,

A sit, Sacramenta diuina polluere &c. & additur: Qualiscunq; enim sacerdos sit, quæ sancta sunt, coinquinari non possunt. Idcirco ab eo (quousq; iudicio episcoporum reprobetur) communio percipienda est.

Facit etiam ratio, quia Sacramenta Ecclesiæ non merito ministrantium innituntur, sed Christi institutioni, & meritis eiusdem, quemadmodum de baptismo à criminoso sacerdote ministrato, & de Eucharistia à malo sacerdote confecta suo loco dictum est. IIII.

Deinde si absolutio impensa ab eo, qui est excommunicatus (saltem generaliter) valet, à fortiori igitur valebit impensa ab eo, qui nullo modo est excómunicatus, quamuis sit in peccato mortali. V.

Ad rationes ante oppositum respondetur, ad primam, quòd illa prima consequentia non valeat: Quamuis enim actus humanus quo ad bonitatem, vel malitiam magis pendeat ab agente, quàm à patiente, attamen quo ad efficaciam, vel effectum agendum in patiente, magis à patiente pendet, & ab eius dispositione, quàm ab agente, vt Eucharistia, & reliqua Sacramenta suam efficaciam in recipiente non habent, nisi iuxta dispositionem recipientis, quantumuis sanctus sit, qui ministrat, ac proinde non mirum, si malitia confitentis impediat absolutionis veritatem, & efficaciam, & non malitia absoluentis. *Ad rationes in contrarium. Ad* I.

B Ad secundam pro nunc illa glos. acceptetur, quæ ait: Sacerdotem, qui Spiritum sanctum non habet, non posse peccata remittere vitæ merito, posse tamen vi Sacramenti, et primo modo procedit decretum Alexandri citatum. *Ad* II.

Sequitur ex dictis non esse de necessitate iterandam confessionem ob id, quòd pœnitens sit oblitus pœnitentiæ priùs iniunctæ. Nec ob id, quòd pœnitentia iniuncta, sit in peccato adimpleta. Nec ob id, quòd confitens, tempore quo confitebatur, oblitus fuerit alicuius peccati mortalis à se commissi. Hæc omnia patent, quia cum his stat, quòd confessio priùs facta, simul & absolutio fuerit legitima & valida, & per consequens non iteranda. Nam pono huiusmodi pœnitentem cum debita contritione, & præmissa debita discussione conscientiæ, absq; aliquo impedimento fuisse suo proprio curato confessum, iam illa confessio, & absolutio fuit valida ex parte tam confitentis, quàm absoluentis, vt suppono, confessio autem, & absolutio semel legitimè facta, non potest reddi nulla per casum postmodum occurrentem, ac proinde si postea succedat iniunctæ pœnitentiæ obliuio, aut eiusdem in peccato adimpletio, non inde fit vt absolutio, quæ valida fuit, sit nulla. *Corollarium triplex.* I. II. III. *Ratio.*

Si tamen peccator velit in hoc sęculo pro peccatis cófessis satisfacere iuxta qualitatem & quantitatem peccatorum quæ commisit, & iniunctæ pœnitentiæ oblitus sit, tenebitur eadem peccata reconfiteri ad finem hunc, scilicet vt debita pœnitentia illi iniungatur. Attamen hoc voluntatis est, non necessitatis, quia liberũ est pœnitenti in hoc C sæculo satisfacere, aut satisfactionem ad Purgatorium relinquere, vt postea patebit. De pœnitentia etiam in peccato adimpleta, an sit iteranda, seu an sit satisfactoria patuit suprà, & iterum patebit inferiùs. De confessione etiam dimidiata ob obliuionem alicuius peccati, an sit de necessitate iteranda, suprà conclusum est. Et in præsentiarum breuiter dicendum, distinguendo de huiusmodi obliuione, quia si processit ex negligentia cófitentis, eò quòd non debitè suam conscientiam discusserat, culpabilis fuit talis obliuio, & ita absolutionem suscipiens posuit obicem, & ex consequenti nõ mansit verè absolutus, ac proinde tenetur reiterare confessionem illam. Si autem obliuio illa ei accidit absque negligentia sua, cùm fecit quæ debuit, vt omnia sua delicta ad memoriam reuocaret, & non potuit, tunc valida fuit confessio, & nõ iteranda. Satis erit, postquã peccatum oblitum ad memoriam fuerit reuocatum, illud cum cæteris, quæ post illam confessionem commisit, confiteri. Illud in hac materia notandum est, quòd si confessus certus sit de nullitate absolutionis sibi impensæ, siue ob defectum ipsius confitentis, siue ipsius confessoris, tunc teneatur reiterare confessionem, vt dictum est in casibus suprà positis. Si autem non sit de hoc certus, sed dubius, est videndum de huiusmodi dubio, an sit probabile, ita vt subsit iusta causa dubitandi, & tunc etiam est confessio iteranda, nec dubium temerè deponendum. Si autem sit dubium non ita probabile, sed leue, scilicet si nõ subsit iusta & rationabilis causa dubitandi, tunc vel deponatur dubium, vel reiteretur confessio, alioqui exponeret se homo periculo non habendi veram absolutionem.

Limitatio aliqua primi corollarij.

Examinatur tertium corollarium scilicet de confessione dimidiata propter obliuionẽ alicuius peccati &c.

Solutio bimembris. I. II.

Pœnitens si certus est absolutionem sibi impensã quomodocunq; nullã fuisse, tenetur reiterare cófessionem.

Sin autem dubius sit, quid faciendum?

Si av-

SI AUTEM hoc dubium habeat homo tempore quo confitetur, tunc stante dubio peccat, absolutionem petendo, quia exponit se periculo irritam faciendi absolutionem, & ideo tenetur confessionem iterare, cum confessione obicis.

An confessio iteranda fieri debeat in particulari, vel in genere tantùm? Resolutio bimembris.

ALIUD OCCURRIT dubium: An in illis casibus, in quibus est de necessitate reiteranda confessio, sit reiteranda particulariter, & explicitè, an sufficiat in genere dicendo, Confiteor me illa omnia commisisse, quæ olim vobis confessus fui &c. Respon. Si reiteratio confessionis fiat nouo confessori, & non ei cui priùs erat facta cófessio, tunc non dubium, quin in particulari sit reiteranda.

I. II.

SI AUTEM fiat priori confessori, distinguunt Doctores, quia vel peccata priùs confessa exciderunt à memoria illius confessoris, vel non. Si non, satis est confessionem in genere reiterare. Secùs si à memoria confessoris exciderunt. Contra tamen videtur, quòd non sit necessarium reconfiteri peccata eidem confessori in particulari, etiamsi peccata à memoria confessoris exciderint. Ratio, quia memoria peccatorum confessorum non est in confessore necessaria ad validitatem absolutionis. Probatur, vt si quis confiteatur multa peccata, cuius confessio duret per octo dies, vel per mensem, aut etiã per annum, si quis omnia peccata totius vitę velit confiteri, & in fine anni confessor eum absoluat, valebit absolutio, etiamsi confessor non teneat memoriam omnium, quæ in confessione audiuerat. Similiter si absolutio differatur ad petitionem confitentis, qui vult ampliùs suam discutere conscientiam, aut ad voluntatem confessoris, qui vult super certis casibus in confessione auditis, ampliùs per librorum inspectionem, aut virorum Doctorum instructionem informari, & differatur ad mensem, vel annum, & postea absoluat pœnitentẽ, valebit absolutio, etiamsi sacerdos non habeat memoriã omnium, quæ in confessione audiuerat. Sic tenet Palude in suo 4. sic Adrian. q. 4. de confessione. Sic Baptista confessio. 1. §. 8. Si arguas: Pœnitentia illi imponi dignè non potest, nisi iuxta quantitatem & qualitatem peccatorum, ad hoc autem necessarium est, vt confessor notitiam peccatorum habeat: dicendum, quòd si velit peccator per pœnitentiam condignam à sacerdote iniunctam in hoc sæculo satisfacere, necessarium sit peccata in particulari reconfiteatur, si à memoria confessoris exciderunt, attamen cùm pœnitentiæ iniunctæ sint arbitrariæ. vt habetur. c. Mensuram. de pœnitentia. distinct. 1. & cap. Deus. de pœnitentiis & remis. & sit in volũtate peccatorum velle hîc, vel alibi satisfacere, ideo non est simpliciter necessarium in particulari reconfiteri. Si secundò arguas, quia confessor absoluens pœnitentem quando à confessoris memoria peccata exciderunt, exponit se periculo absoluendi, quem absoluere non potest, quia fortè ille pœnitens habebat casus reseruatos, aut erat maiori excommunicatione ligatus, à quibus hîc cõfessor eum absoluere non potest, igitur peccat sine memoria peccatorum illum absoluens. Respon. Quòd si est ipsi confessori certum, vel probabile, aut dubium, quòd ille habuerit tales casus, peccat, illum vniuersaliter absoluendo, quia exponit se periculo præfato, in quo casu non procedit præfata responsio. Secùs si credat nullum tale fuisse impedimẽtum, quod potest licitè credere, si ipse pœnitens sit doctus, & fide dignus, & significet suo confessori, se nullum talem habuisse casum.

Sententia autoris de secundo mẽbro, satis scilicet esse eidem confessori peccata in genere tãtum confiteri, etiamsi cõfessor eorum fuerit oblitus.

Obiectio duplex. I.

Solutio.

II. *Obiectio.*

Solutio.

Casus.

SED PONE, quòd Petrus primò omnia sua peccata, quæ pro tempore habebat confessus sit vni confessori idoneo, deinde alio anno reliqua sua peccata alteri idoneo integrè confessus sit, vtraque tamen fuit inualida, vel ex defectu ipsius confitentis, vel ipsorum confessorum, & vtraque confessio reiteranda. Quærebatur, an satisfaciat ille pœnitens, si ad primum confessorem adeat, dicens: Confiteor me illa omnia commisisse, quæ tibi confessus fui &c. & ad secundum similiter, dicens: Confiteor me illa omnia commisisse, quæ tibi olim confessus fui &c. ita vt vterque illum absoluat. Respon. Cùm præfatæ confessiones ab homine in casu factæ inualidæ fuerint, similiter & absolutiones, perinde est, ac si non esset confessus, ideo si vult ab omnibus peccatis absolui non à diuersis confessoribus, sed ab vno, vnicam quærat absolutionem, & illi, à quo petit absolui, omnia commissa à quibus hactenus absolutus non est, confiteatur. Etsi illi vt aliquando, licet inualidè, aliqua peccata fuerit confessus, illa in genere eidem confiteatur, & reliqua quæ illi non erat confessus, reconfiteatur, vt ab illo omnium peccatorum integram assequatur absolutionem.

Solutio.

De facul

A *De facultate simul & fructu legitimam confeßionem iterandi.*

QVÆSTIO XXV.

An confeßio citra necessitatē licitè poßit ac fructuosè reiterari?
Sentētia prima affirmatiua respectu confeßionis.
Idem quæritur de absolutione similiter.

ALIA IVXTA materiam præfatam occurrit dubitatio. Esto quòd confessio legitima, & valida semel facta, non sit de necessitate iteranda, an saltem possit licitè, & fructuosè reiterari. In qua distinguendum videtur de confessione, & de absolutione, nam de confessione nulla est quæstio, quin possit eadem frequenter eidem, & diuersis confessoribus fieri. Nec dubium est, huiusmodi iteratam confessionem eorundem peccatorum fructuosam esse ex opere operantis, ratione humilitatis ipsius peccatoris, & ratione reiteratæ cōtritionis, ex qua reiterata confessio procedit, & ratione verecundiæ, quam in ipsa peccatorum confessione habet, & ratione consilij, & correctionis, quam ei confessor potest exhibere.

An absolutio iterata super eisdem peccatis licita sit & fructuosa.
Sentētia prima negatiua.
Ratio.

DE ABSOLVTIONE autem iterata super eisdem peccatis est dubium: An licita sit & fructuosa. Et dixit quidam Doctor de Rubione, quòd non sit licitum huiusmodi absolutionem in casu iterare. Cuius ratio est, quia secunda absolutio esset irrita, & inanis, & falsa, quia cùm talis peccator ab illis suis peccatis quæ reconfitetur, fuerit priùs verè
B sacramentaliter absolutus, igitur non mansit postmodum eisdem peccatis ligatus ac proinde quando sacerdos reiterata confessione ait: Ego te absoluo à peccatis tuis, quæ mihi confessus es, falsum dicit pro tunc, cùm nemo verè dicatur solui, qui immediatè ante ipsam solutionem ligatus non fuerat, & ita absolutio est irrita, & per consequens, qui absolutionem reiterat, & qui eam reiterari facit, ex parte sua facit Sacramentum irritum, & ita peccat, sicut qui semel est baptizatus, si iterum baptizaretur.

II. Sententia. Licitè quidem iterari posse, sed non salubriter.
Ratio I.
II.
III.

SCOTVS AIT in quarto confessionem simul & absolutionem iterari quidem posse licitè, non tamen salubriter, quia secunda absolutio nil in confitente operatur. Tum, quia opposito dato, per solam reiterationem confessionis sine alia satisfactione posset peccator totaliter à peccatis liberari. Tum etiam, quia sententia semel lata, claue nō errante, à Deo ratificatur in cœlis, ita vt non maneat peccator ampliùs ligatus. Tum etiā, quia ita videmus in foro contentioso, quòd sententia semel lata non reiteratur, & reiterata, non plus quàm prima operatur, igitur.

III. Sententia affirmatiua respectu tam confeßionis, quàm absolutionis.
Probatur I.
II.

OPPOSITVM tamen vtriusque videtur tenendum, tum ex communi Doctorum & Sanctorum sententia, qui commendant peccatorem sua peccata etiam priùs confessa, frequenter, & pluribus cum spe veniæ confitentem, vt patet ex cap. Quem pœnitet. de pœnitentia, distinctione 3. quod procedit de confessione sacramentali reiterata. Tum etiam, quia apud religiosos simul & apud alios viros deuotos & Deum timentes approbatur communiter, & commendatur consuetudo, qua solent multi, vel in sæculo
C manentes, vel religionem ingredientes confessionem totius vitæ repetere, & ab omnibus simul absolutionem recipere. Quòd etiam fructuosa sit huiusmodi iterata confessio, & absolutio ex opere operato, apparet, quia est illic verum Sacramentum, cùm concurrat debita materia, & forma, & minister idoneus, & intentio, vt suppono, igitur. Si dicas, deficere debitam materiam, quæ est peccata non priùs remissa: Contra, quia tunc si quis omnino contritus, præcedente feruida charitate, confiteatur, & absoluatur, non illi huiusmodi absolutio prodesset, quia deficit materia per te, scilicet peccata non priùs remissa, cùm constet illa omnino quo ad culpam & pœnam esse remissa, vt suppono in casu. Si dicas non esse remissa à sacerdote, licet sint à Deo condonata: Contra, quia id non obstat, nam quæro quis sit fructus absolutionis sacramentalis? quia vel est remissio peccatorum quo ad culpam, vel quo ad pœnam, vel est collatio gratię, seu augmentum eius. Si primum, sequitur quòd cùm peccata sint sufficienter à Deo remissa per contritionem præuiam in casu, quòd esto absoluatur à sacerdote, infructuosa erit talis absolutio impensa ei, qui contritus confitetur, sicut si iteratò confiteretur. Si secundum, aut tertium, sequitur quòd iterata absolutio super iterata confessione, habeat fructum suum facere, scilicet, dare augmentum gratiæ, & remittere aliquid de pœna temporali, si cui tali mansit homo obnoxius, & per consequens quòd peccata confessa, sint priùs à sacerdote remissa, vel non, nil obstat, quò minùs iterata absolutio super iterata confessione sit verum Sacramentum. Deinde vtrunque idem patet ex Extrauagante Martini Quinti III.

Occurritur obiectioni.
Alia quædam obiectio diluitur.

ſuprà citata, qui determinauit, quòd confeſsi fratribus generalem licentiam habentibus, nihilo minùs tenerentur iterum ſuis parochialibus confiteri, prout in Concilio generali Lateranenſi fuerat inſtitutum, cap. Omnis vtriuſque ſexus &c. Quod tamen ſtatutum non de ſola confeſsione agenda, ſed de ſacramentali cum abſolutione ſubſequuta intelligendum eſſe ſuprà deduximus. Et patet, quia ſi de confeſsione reiterata, & non cum ſpe abſolutionis loqueretur, non eſſet opus ſuo proprio reconfiteri, ſed cùm ſit talis confeſsio facienda proprio, ideo eſt, quia non poteſt niſi à proprio abſolui. Similiter

IIII. idem patet ex Extrauagante Benedicti Vndecimi, Inter cunctas. vbi ait ſententialiter, quòd religioſi, qui iuxta ſtatuta ſui ordinis tenētur ſuis prælatis confiteri, ſi aliis licentiatis confiteantur, nihilo minùs teneantur iterum ſuis prælatis iuxta ſua ſtatuta confiteri. Quæ conſtitutio licet ſit per Clementinam Dudum. de ſepulturis. iam reuocata, quantum ad obligationem reconfitendi, attamen ante reuocationem habebat vim, & poſt

V. reuocationem, licet ſit ablata obligatio reconfitendi, non tamen licentia. Adde, quòd Benedictus ibidem ait, quòd licet confeſsi fratribus licentiatis non teneantur ſuis propriis curatis reconfiteri, eſt tamen ſalutare, ideo prædicti fratres debent illis conſulere, vt iterum ſuis propriis curatis confiteantur.

Reſolutio quæſtionis bimembris.

DICENDVM igitur ad quęſtionem ſub diſtinctione, quòd duobus modis poſsit reiterari abſolutio ab eiſdem peccatis, vno modo, reiterata confeſsione, alio modo, ea nō

I. reiterata. Et quidem ſi confeſsio non reiteretur, ſed ea ſemel tantùm facta, reiteretur abſolutio bis, aut ter, aut pluries, tunc probabile eſt, talem abſolutionem nil plus quàm primam operari, ſicut ſi quis in eadē Miſſa plures hoſtias accipiat, nil plus, quàm ſi vnam perciperet, obtinebit.

II. SI TAMEN confeſsio iteretur, ſimul & abſolutio, tunc currit ſententia modò probata, quòd talis abſolutio toties proderit, quoties confeſsio iterabitur, modò nō ponat obicem ipſe confeſſus, ſicut quoties dignè celebrat, toties illi proderit ex opere operato Euchariſtiam ſuſcipere.

Ex duplici cauſa poteſt quis cōfeſsiōem et abſolutionem iterare. I.

DIXI NOTANTER, niſi confitens obicem ponat, quia qui cōfeſsionem reiterant, cum animo iteratam abſolutionem ab eiſdem peccatis recipiendi, poſſunt ſe dupliciter habere, quia vel id faciunt ex diffidentia præteritæ abſolutionis, quaſi illa prima abſolutio eis, ob grauitatem ſuorum peccatorum non ſuffecerit, & talis diffidentia, mortale peccatum eſt, & ad infidelitatem ſeu hæreſim pertinens, & ideo qui ex tali diffidentia confitetur, obicem ponit, & ita huiuſmodi iterata confeſsio ſimul & abſolutio nil illi proderit.

II. AVT CONFESSIONEM reiterāt ex humilitate, & deuotione, quam ad huiuſmodi Sacramentum habent, omni tali diffidentia, cæteriſq; obicibus ſecluſis, tunc licitè, & fructuoſè talis confeſsio cum abſolutione, vt ſuprà dictum eſt, iteratur. Verùm eſto non ſit fructuoſa iterata abſolutio ſuper eadem confeſsione non iterata, eſt dubium, an ſaltem ſit licita. Et videtur probabile, quòd nō, ſecundùm primam ſententiam, niſi ob cauſam iuſtam reiteretur, puta, ſi dubitat confeſſor, an primò abſoluerit, quia fortè oblitus eſt, an debita verba formauerit, an debitam adhibuerit attentionem, aut ad aliquem alium defectum, ſi quis fortè interuenerit, ſupplendum.

Abſolutio iterata, non iterata tamen confeſsione, neque fructuoſa eſt, neq; licita.

Corollarium.

EODEM MODO poteſt dici, quòd non ſit licita reiteratio verborum conſecrationis ſuper hoſtia conſecrata, niſi ob aliquam ſimilem cauſam, & generaliter nulla forma alicuius Sacramenti eſſet licitè iterabilis, non iterata materia, niſi ob cauſam. Inde eſt, quòd verba matrimonialia ſemel domi celebrata, in Eccleſia publicè reiterantur, quia ſubeſt iuſta, & rationabilis cauſa, ea in publico iterandi, vt occaſio calumniandi, ſeu perperam, & ſiniſtrè de illis cohabitantibus opinandi, tollatur. Iam ad rationes prioris ſententiæ reſponderi poteſt, ad primam, quòd falſum ſit iteratam abſolutionem ſuper iterata confeſsione irritam eſſe, & inanem, imò valeat ad augmentum gratiæ, & remiſsionem pœnæ, ſi qua ſoluenda poſt deletam culpam remanſit. Et quando arguitur, quòd forma ſit in caſu falſa, quæ ſignificat illum confitentem tunc abſolui, cùm tunc ligatus non eſſet. Dicendum primo, ſecundùm Magiſtrum facilè ſolui, qui ait ſenſum illius formæ eſſe: Ego te abſoluo, id eſt, te abſolutum eſſe iudico, & hoc verum eſt. Secundùm verò alios erit ſenſus: Ego te abſoluo quantum eſt ex parte mea, & ſimiliter verum eſt. Fortè etiam nō erat omnino à peccatis ſolutus, quia vt in plurimum poſt remiſſam culpam, relinquitur ligatura temporalis, à qua in toto, vel in parte poteſt confitens per ſacerdotem

Ad rationem primæ ſentētiæ negatiuæ de abſolutione reſpōdetur.

Quis ſit ſenſus formæ abſolutionis in confeſsione iterata.

A tem absolui. Adde, quòd si deberemus in sono verborum præfatæ formæ stare, per eandem rationem concluderetur, quòd esset falsa, irrita, & inanis prima absolutio ei, qui antè fuerat contritus, impensa.

Ad secvndam pro parte Scoti allegatam dicendum, quòd nil inconuenit dicere, quòd per iteratam confessionem, simul & iteratam absolutionem, tota pœna peccatis priùs dimissis debita, remittatur, sicut & per alia opera pœnalia & meritoria reiterata dimitti potest, quandoquidem non minoris virtutis, & efficaciæ sunt Sacramenta iterata, quàm humana opera similiter iterata. Ad aliud, quo arguitur, quòd sententia sacerdotis ratificetur in cœlis, fateor, ita scilicet, vt non ampliùs teneatur peccator ea, quæ semel confessus est, iterum confiteri, cum quo stat posse fructuosè confessionem simul & absolutionem iterari. Ad tertiam, esto quòd sententia in foro exteriore iterata super eadem causa nil plus, quàm prima sententia operetur, in nostro tamen casu potest aliquid ampliùs repetita absolutio operari, scilicet augmentum gratiæ, & pœnæ remissionem, vt dictum est. Et quia in foro contentioso non est, quòd secunda sententia iterata debeat aut possit conferre vltra id quod prima contulit, ideò non mirum, si effectum nouum non habeat.

Ad rationes secūdæ sententiæ. Ad I.

Ad II.

Ad III.

B

De his, qui confiteri tenentur.

QVÆSTIO XXVI.

Iam qvaeritvr, quis teneatur confiteri. In primis proponatur decretalis: Omnis vtriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis peruenerit, omnia sua peccata, solus proprio sacerdoti, saltem semel in anno confiteatur, & pœnitentiam iniunctam studeat pro viribus adimplere. Quòd si voluerit alieno confiteri, licentiam priùs postulet, & obtineat à proprio &c. Quæritur igitur de huiusmodi obligatione cōfitendi, an se extendat ad infideles? Et dixerunt aliqui, quòd obligatio confitendi, quæ est de iure humano, puta semel in anno, non se extendat ad infideles, de quibus Ecclesia non iudicat, iuxta illud Pauli: Quid ad nos de his, qui foris sunt, iudicare? Obligatio autem confitendi ex iure diuino orta, extendit se etiam ad infideles, eò quòd iuri diuino omnes tam fideles, quàm infideles subiiciuntur, maximè, quia quando Christus dixit: Quorum remiseritis peccata &c. nullam fecit inter hos & illos peccatores differentiam.

Quinam tenentur cōfiteri? Solutio.

An obligatio cōfitendi extēdat se etiam ad infideles? Sententia I. 1. Ad Corint. 5.

Respon. aliter dicendum esse, quòd d. s. nec iure humano, nec diuino teneantur infideles confiteri peccata tempore infidelitatis commissa. Probatur, quia vel tenentur ea confiteri antequam baptizentur, vel pòst. Non primum, quia baptismus est ianua alio-C rum Sacramentorum, & pœnitentia est secunda tabula post naufragium, & nulli sacerdoti data est potestas iurisdictionis super infideles in foro pœnitentiali, quæ omnia suppono certa, igitur in eis antequam baptizentur, absolutio sacramentalis locum habere non potest. Sed nec potest dici secundum, scilicet quòd post baptismum teneantur cōfiteri peccata, quæ tempore infidelitatis commiserunt, nam illa omnia in baptismo totaliter remittuntur, quo ad culpam, & pœnam, ac si commissa non essent. Et vt ait Ambrosius: Baptismalis gratia non requirit gemitum, nec planctum, nec vllam exteriorem satisfactionem, nec confessionem. Si dicas, ad minus si infidelis ponit obicem tempore quo baptizatur, peccata priora illi non remittuntur, sed in eo permanent post baptismū, & ita tenebitur postea ea confiteri, quia sub præcepto confessionis cadunt omnia mortalia post baptismum commissa, & permanentia.

II. Sententia verior. Infideles neque humano iure neq; diuino, tenētur confiteri peccata in infidelitate commissa. Probatur.

Obiectio duplex. I.

Respon. ad id dici posse, quòd etsi baptismus in casu non remittat peccata tempore, quo suscipitur, remittet tamen ea postea, quando fictio recesserit, iuxta decretum Augustini, Tunc valere. de consecrat. distinct. 4. Contra poterit replicari, quòd ex sententia quorundam, vt Scotus etiam tangit, quando fictio recesserit, non virtute baptismi remittentur peccata, sed virtute contritionis tunc aduenientis, & si ita sit, non videtur improbabile, quod cadant sub præcepto confessionis, sicut reliqua post baptismum cōmissa. Verùm quicquid sit de hoc, illud tenendum est cum communi sententia, quòd in casu, quo fictio, superueniente contritione, recedit, gratiam baptismalem consequatur,

Solutio.

II.

Solutio.

quam propter obicem malæ voluntatis priùs non fuerat consequutus, & ita huiusmodi gratia baptismalis idem nunc operatur, quod fuisset operata tempore baptismi, nisi obicem reperisset. Tunc autem certum est, quòd gratia illa omnia peccata tempore infidelitatis commissa omnino deleuisset, ita, vt nulla de illis opus esset confessione, aut satisfactione. Hoc igitur idem pòst operatur, cedente fictione.

** An obligatio cõfitendi ad oẽs omnino fideles se extendat?*

Fideles in quadruplici sũt differentia.

I. II. III. IIII.

De fidelibus est dubium: * An obligatio cõfitendi se extendat ad omnes fideles. Pro quo supponatur, posse fideles esse in quadruplici genere, vt primi sint, qui omni carent peccato mortali, & veniali, secundi sint, qui carent mortali, sed non veniali, tertij sint, qui carent mortali exteriore, sed non carent mortali mentali, quarti sint, qui sunt in peccatis mortalibus exterioribus.

An possit aliquis in hac vita omni prorsùs peccato carere.

Sed an sit dabile primum genus hominum, qui omni peccato in hac vita careant, saltem per notabile tempus in ætate adulta, nam de paruulis baptizatis non dubium, quin careant omni peccato. Similiter de adultis, non dubium, quin possint omni peccato carere per instans, vel saltem per breue tempus, vt si in adulta ætate baptizentur cum pœnitudine perfecta omnium suorum peccatorum, poterunt saltem ad breue tempus in innocentia permanere, non ita per notabile tempus, vt Augustinus ex intento probat. Tum, quia non est homo, cui non conueniat, orationem Dominicam quotidie dicere, in qua petimus, dimitte nobis debita nostra. Tum ex eo, quod ait Ioan. in sua Canonica: Si dixerimus, quòd peccatum non habemus, nosmetipsos seducimus, & veritas in nobis non est. Tum, quia non est homo qui non peccet, etiamsi iustus sit, non poterit gloriari se immunem esse à peccato, septies enim in die cadit iustus, vt ait scriptura. Si tamen aliquis talis sit, qui speciali Dei gratia ab omni peccato sit immunis, talis non erit astrictus confiteri, nec iure diuino, nec humano, quandoquidem confessio, de qua loquimur, non nisi de propriis peccatis fieri debet.

1. Ioan. 1.

Ecclesi. 7.

Prouer. 24.

Solutio quo ad primum genus fidelium.

Si aliquis caret omni pctõ, non obligatur ad cõfitendum.

Difficultas restat de secundo genere fideliũ, hoc est, de carẽtibus quidem omni mortali, sed nõ veniali.

De his avtem, qui mortali peccato carent, sed non veniali, est dubium, an teneantur confiteri. Et dixerunt aliqui, quòd licet non teneantur necessitate Sacramenti, eò quòd peccata venialia non sunt materia necessaria Sacramenti pœnitentiæ, tenentur tamen necessitate præcepti Ecclesiæ, quæ in præsenti decretali vnicuique fideli iubet, vt semel in anno confiteatur, cui quidem præcepto de necessitate obtemperandum est.

Resolutio.

Non tenẽtur fideles pctã venialia cõfiteri.

Probatur I.

Non esset opus ad hanc quæstiunculam nunc respondere, cùm suprà fuerit absoluta, nisi propter eos, qui opinionem suam specialiter fundant in decretali, Omnis vtriusque. Contra quos dicimus, per huiusmodi decretalem non teneri homines peccata venialia confiteri, etiamsi mortalibus coniuncta sint. Quod probatur, supponendo, quòd Ecclesia in hac decretali nõ induxit nouam obligationem confitendi, sed tantùm limitauit tempus, in quo homines præceptum diuinum de confitendo adimplerent, vt est communis Theologorum sententia, igitur per hanc decretalem homines non tenentur confiteri nisi ea, quæ iure diuino confiteri tenentur. Sed sic est, quòd diuinum ius non obligat quenquam vt venialia confiteatur, nam illud dictum Christi, vnde orta est obligatio confitendi, scilicet; Quorum remiseritis peccata, remittentur eis, & quorum retinueritis, erunt retenta, non potest de venialibus verè intelligi, ex quo venialia multis aliis modis remitti possunt, vt suprà dictum est, & ita hæc decretalis non obligat homines huius secundi generis.

II.

Secvndo idem patet ratione Doctoris sancti, quia Ecclesia non potest obligare ad impossibile, vel quasi, sed impossibile est hominem omnia peccata venialia confiteri, cùm sint innumera, quæ homo dinumerare non potest, igitur hæc decretalis non se extendit ad confessionem venialium, siue mortalibus sint adiuncta, siue non.

III.

Tertio, quia sacramentalis confessio non est necessaria, nisi ad liberandũ hominem à naufragio, est enim pœnitentia secunda tabula post naufragium. Cùm ergo homines per sola venialia naufragium pati non possint, cùm per ea charitas in nullo diminuatur, sequitur non esse necessarium ea confiteri.

IIII.

Postremo idem patet ex pœna in hac decretali posita, contra huiusmodi confessionem omittentem, scilicet, vt viuus arceatur ab ingressu Ecclesiæ, & moriens careat Ecclesiastica sepultura. Quam pœnam tam duram non est credendum Ecclesiam imposuisse propter non confessionem venialium. Peius enim est venialia committere, quàm commissa non confiteri, sed talis pœna imponi non debuit, imò nec poterit contra eos,

tra eos

A tra eos, qui venialia committunt, igitur multò minùs contra eos, qui venialia commissa non confitentur.

SEQVITVR ex dictis, non esse standum in sententia Caietani, qui ait, fratres nigros teneri ad confessionem venialium semel in mense, etiamsi communiter fideles ad huiusmodi confessionem non teneantur. Et ita dicit, quòd Clementina de statu monachorum, quæ ait, quòd fratres nigri teneantur semel in mense confiteri, procedat de monachis, sola etiam venialia habentibus. Contra quod militat ratio prima suprà facta, quia Ecclesia non induxit obligationem nouam confessionis, præter eam quæ est de iure diuino. Cùm ergo iure diuino nec fratres nigri nec alij teneantur confiteri venialia, siue sola sint, siue mortalibus coniuncta, sequitur præfatam Clementinam non ad venialia se extendere, sicut nec præsens decretalis, Omnis vtriusque sexus. Et quamuis religiosi, & etiam alij viri sæculares possint obligari ad confessionem venialium, hoc erit ex ipsorum voluntate, seu voto. Quòd autem inuiti ab Ecclesia, seu iure communi ad id obligentur, non apparet verum. Quòd si inter se habent statuta per quæ puniuntur hi, qui venialia non confitentur, in particulari, erunt statuta, quibus ipsi propria voluntate se subiecerunt. Itaque non video apparentiam, quòd vel religio, vel Ecclesia, vel commune ius obliget religiosos ad confessionem venialium in particulari, nam de hac loquimur.

Reiicitur sententia quadam Caietani de religiosis quibusdam quo ad cōfessionem venialium.

Ratio contra Caiet.

Quatenus religiosi aliqui teneātur venialia confiteri.

B

De confessione peccatorum cordis.

QVÆSTIO XXVII.

DE HIS ETIAM hominibus tertij generis, qui carent mortali exteriori, sed non mentali, est simile dubium, an teneantur peccata mentalia confiteri. Super qua quæstione olim fuerunt multi, qui tenuerunt partem negatiuam. Pro quibus facit ratio, quia peccatorum confessio prærequirit in confessione iurisdictionem, vt suprà patuit, sed confessor non habet iurisdictionem super actus cordis, sicut nec Ecclesia tota, cum occulta cordium iudicio Dei sint reseruata, vt quàm plura iura testantur. Etiā homo non iudicat nisi de his, quæ apparent, prout scriptura ait: Homines iudicant quæ vident, Dominus autem intuetur cor.

De tertio hominum genere, videlicet an habentes peccata mortalia solùm mentalia, teneantur ea confiteri.

Ratio partis negatiua.

Confirmatio.

1. Reg. 16.

OPPOSITVM tamen tenendum est, scilicet, quòd peccator habens mortalia peccata post baptismum commissa, teneatur ea omnia confiteri, non solùm exteriora, sed etiam mentalia, siue sola sint, siue exterioribus coniuncta. Id probatur ex dicto Christi sæpe citato: Quorum remiseritis peccata, remittentur eis, & quorum retinueritis, retenta erunt. Quæro, vel Christus hìc solùm de peccatis exterioribus loquutus est, vel
C etiam de interioribus?

Pars affirmatiua vera est.

Probatur I.

NON PRIMVM, quia tunc satisfaceret peccator diuino iuri, si sola exteriora confiteretur, & ab eisdem à confessore absolueretur, & confessor non haberet à Christo potestatem absoluendi, nisi ab exterioribus, quia in eodem loco dedit Christus sacerdotibus potestatem remittendi peccata, & præceptum peccatoribus de eis confitendis. Et ita si illic Christus de solis exterioribus peccatis loquutus est, nec peccator teneretur confiteri nisi exteriora, nec sacerdos absoluere posset, nisi ab exterioribus.

EX QVO hæc absurditas sequeretur, quòd Deus remitteret in confessione sola exteriora peccata, & non alia purè mentalia: Nam dixit Christus in sententia; Peccata, quæ vos sacerdotes remiseritis, ego remittam, quæ autem vos non remiseritis, per iudicium vestrum absolutiuum, nec ego remittam. Cùm igitur secundùm hanc responsionem sacerdos non remittat purè mentalia, sed tantùm exteriora, quæ in confessione audiuit, igitur Deus similiter non remitteret purè mentalia, sed solùm exteriora confessa à sacerdote remissa. Quod impium est dicere, quia Deus vel nullum mortale remittit, vel omnia: Nam vel in remissione gratiam infundit, vel non. Si sic, illa gratia omnia mortalia expellit: Si non, nullum igitur mortale expellitur, aut remittitur.

RESTAT ERGO, quòd Christus in loco allegato de omnibus mortalibus sit loquutus, etiam mentalibus, & per consequens iure illo diuino tenetur peccator mentalia confiteri, siue sola sint, siue exterioribus coniuncta. Quanquam proteruus dicere

Obiectio.

posset, rationem hanc non concludere, & quòd sentẽtia Christi de exterioribus tantùm procedat peccatis, & quòd illa remittantur per sacerdotis absolutionẽ, modò de illis debitam habeat contritionem propter Deum, & tunc Deum virtute contritionis remittere mentalia, quòd si talis contritio non adsit, nulla illi à Deo peccata mortalia remitti. *Solutio.* Contra tamen arguitur, quia illa remissio, qua Deus hæc peccata remittit vi cõtritionis, illa verò vi absolutionis, non habet locũ, nec habere potest, loquendo de remissione quo ad culpam, quam Deus facit, quam nunquã facit, nisi infusa charitate. Et patet hoc, quia non aliter remittit mentalia per contritionem, nisi dando gratiam, hæc autem gratia vi contritionis data, omnia mortalia excludit, igitur repugnat de lege, quòd Deus vi contritionis remittat aliqua mortalia, & non omnia. Similiter si vi sacramenti remittit exteriora, id non fit, nisi gratiam sacramentalem infundendo, hæc autem gratia iterum omnia etiam mentalia excludit, igitur repugnat, quòd vi Sacramenti sola exteriora remittat.

Secunda probatio sententiæ prædictæ. RATIO IGITVR facta, valida est, cui adde quòd suprà dictum est, quòd eodem iure diuino sit necessaria integritas confessionis, quo est necessaria ipsa confessio, & ita non satisfacit peccator iuri diuino, si sola exteriora, tacitis mentalibus, confiteatur, & per consequens nec satisfacit huic decretali, in qua præcipitur, vt illa confessio, quæ iure *Obiectio Caietani contra hãc probationem.* diuino necessaria est, fiat semel in anno, & ita intentum. Hanc rationem in integritate confessionis fundatam, non probat Caietanus, quia ait eam procedere, quando peccator confitetur exteriora, & non interiora, cùm habeat vtraque, non tamen procedere, *Diluitur.* quãdo nulla exteriora cõmisit, sed solùm interiora. Sed probo quòd eam debeat approbare, supposita necessitate integritatis de iure diuino, q̃a si habet peccator peccata mẽtalia simul & exteriora, & sola exteriora confitetur, agit contra diuinum ius, quo tenetur omnia per se commissa confiteri, & cùm non sit aliud expressius diuinum ius, quod id præcipit, nisi quod suprà allegatum est, scilicet, quorum retinueritis peccata, retenta erunt, id est, peccata, quæ vos sacerdotes non remiseritis, nec ego remittam, igitur talis peccator in casu, quo sola exteriora confitetur, & non interiora, peccat, quia confessionem interiorum omittit, igitur illo iure diuino tenetur peccata interiora confiteri, sicut & exteriora, cùm sententia Christi ad omnia etiam mentalia se extendat, alioqui si ad sola exteriora Christi præceptum se extenderet, satis seruaret peccator integrita-*Tertiò probatur eadem sententia.* tem confessionis, quando omnia exteriora præcisè confiteretur. Pro hac vera sententia facit etiam qualitas fori pœnitentialis, quod secretissimum est, sicut & esse debet, eò scilicet, quòd in illo de causis secretissimis tractetur, inter quæ sunt peccata occultissima *IIII.* cordis. Facit etiam, quòd sacerdos ea, quæ in foro pœnitentiali scit & audit, sciat vt Deus, non vt homo, sicuti dicitur, Deo autem etiam occultissima cordium sunt confi-*V.* tenda, cuius locum sacerdos tenet. Facit etiam ratio, quia Christus venit curare vulnera nostra, nec dicendum est, quòd fuerit imperfectus, & defectuosus medicus, qui reliquerit medicinam pro exterioribus peccatis curandis, & non pro mentalibus: Medicinę autem, quas reliquit Ecclesiæ, sacramenta sunt. Nec videtur, quòd aliud sacramentum reliquerit, ad curandum mentales morbos post baptismum cõtractos, quàm sacramentum pœnitentiæ, igitur non solùm exteriora sunt confitenda, sed & mentalia, vt huiusmodi medicina sacramentalis omnibus his morbis prodesse valeat.

VI. POSTREMO facit præsens decretalis, quæ dempta temporis limitatione, in quo confessionem fieri iubet, in reliquis quæ ad confessionem attinent, potiùs est diuini iuris declaratiua, quàm noui inductiua. Cùm igitur dicat, vt omnis fidelis omnia peccata confiteatur, & nomine Omnia, veniant etiam mentalia intelligenda, nam qui totum dicit, nil excludit, sequitur, obligationem confitendi ad purè mentalia se extendere. Specialiter etiam facit Concilium Complutense, in quo fuerunt condemnati magistri quidam Salmanticenses qui asserebant, peccata cordis non esse confitenda, sed per solam contritionem cordis deleri. Cuius condemnatio fuit per Sixtum Quartum approbata, vt suprà tetigimus.

Respõdetur ad ratiõem partis negatiuæ. AD RATIONES priores contra veritatem suprà positas, facile est respondere. Esto enim confessio prærequirat in confessore potestatem iurisdictionis, nego tamen, quòd *I.* confessor hanc non habeat in peccata cordis in foro pœnitentiali, in quo causæ oc-*II.* cultissimæ tractari debent, in quo etiam confessor tenet vicem Dei. Dicendum secundò, quòd licet confessor non habeat iurisdictionem coactiuam in peccata cordis, cum homo

A homo purus non posſit peccatorem compellere, vt occulta cordis confiteatur, habet tamen iuriſdictionem abſolutiuam ipſorum peccatorum, præſuppoſita ſpontanea ſubiectione, qua peccator in huiuſmodi occultis ſe ſubiicit cõfeſſori.[a] Ad aliud, quo di itur quòd homo non iudicet niſi de his quæ apparent, fateor, ſed peccata mentalia quando quis ea confitetur, iam apparent, & ita confeſſor poteſt de illis iudicare.

[b]De alijs hominibus quarti generis, qui habent peccata, non ſolùm mentalia, ſed exteriora, non eſt dubitandum, quin teneantur ea omnia confiteri, tam iure diuino, vt ſuprà deductum eſt, quàm humano, virtute præſentis decretalis.[c] Eſſet tamen dubitatio de Papa, & videri poſſet, quòd eſto, quòd ſub hoc quarto genere comprehendatur, non teneatur confiteri alicui ſacerdoti, ſed ſoli Deo.[d] Ratio, quia confeſsio ſacerdoti facienda, vt valida ſit, præſupponit in ipſo ſacerdote poteſtatem iuriſdictionis ſuper ipſum confitentem, hanc autem nullus ſacerdos videtur habere ſupra Papam, qui caput omnium eſt, cui omnes alij ſubiiciuntur, ipſum autem nulli niſi Deo conſtat eſſe ſubiectum.

Deinde quòd virtute huius decretalis non teneatur confiteri, apparet, quia Papa non videtur legibus humanis de neceſsitate ſubiectus, cùm omnes tales, ſaltem Eccleſiaſticæ, ſua authoritate, & voluntate ſint inſtitutæ, in quibus poteſt ipſe cum aliis homi-
B nibus, etiam pro voluntate ſua diſpenſare, ita vt teneat diſpenſatio, & diſpenſatus maneat liber ab obſeruantia huiuſmodi legum, igitur à fortiore ipſe eſt liber ab illis. Nec obſtat, quòd huiuſmodi decretalis facta ſit per Concilium generale, cui omnis fidelis, quacunque fulgeat dignitate, etiam papali, parere tenetur, vt in Concilio Conſtantienſi fuit declaratum. Non inquam obſtat, nam ſiue teneamus, quòd Papa ſit ſupra Concilium, vt communis Doctorum ſententia tenet, ſiue quòd ſit inferior Concilio, hæc quæ per Concilia ſtatuuntur, intelligenda veniunt, excepta ſemper authoritate Romani Pontificis, vt habetur cap. Significaſti. de electione & electi poteſtate.

Respondendvm videtur, quòd quamuis huic iuri humano de ſemel in anno confitendo non ſit de neceſsitate Papa ipſe aſtrictus, quod apparet, tum ex dictis, tum etiam, quia hæc decretalis loquitur de fidelibus illis, qui habent proprium ſacerdotem, & de quibus verificari poteſt, quòd poſsint confiteri proprio ſacerdoti, vel alieno de licentia proprij, petita, & obtenta, vt ait textus. de Papa autem id non verificatur, ac proinde hæc decretalis non ſe extendit ad Papam. Iuri tamen diuino de confitendo ſubditus eſt, ſicut cæteri fideles, imò grauiùs ipſe peccaret legem diuinam non ſeruando, quàm alij inferiores, eò quòd Chriſtus legem ſuam ſpecialiter ſuo vicario commiſit, vt eam ſeruaret, & per alios ſeruari faceret, pro cuius obſeruantia ſibi vſque ad ſanguinis effuſionem pugnandum eſt, vt ait decretum Vrbani Papæ. Et quamuis nullus homo in terris habeat poteſtatem iuriſdictionis coactiuam ſupra ipſum Papam, ha-
C bet tamen abſolutiuam, præſuppoſita eius ſpontanea ſubmiſsione, qua alicui confeſſori ſe ſubmittat. Nam poteſtas iuriſdictionis in foro pœnitentiali in re non addit ſupra poteſtatem ordinis, niſi hoc quod eſt habere materiam ſubiectam, in quam ſacerdos poſsit ſuam exercere poteſtatem. Materiam autem ſacerdotibus ſubiicere, conuenit originaliter Papæ, qui oues Chriſti diuerſis committit paſtoribus. Et ſicut ei conuenit alias oues ſubmittere, cui vult, ita eidem conuenit ſeipſum, quatenus peccator eſt, ſubmittere cui vult confeſſori, qua ſubmiſsione facta, ille quem eligit, dicitur iam iuriſdictionem in eum habere, qua poſsit eum ſoluere & ligare.

a Ad confirmationem.

b De quarto hominis genere reſponſio: Obnoxij peccatis mortalibus exterioribus tenentur ea confiteri.

c Dubiũ reſtat de Papa an ſi licet ſub hoc quarto hominum genere comprehẽdatur, atq; adeò teneatur confiteri ſacerdoti?

d Rationes pro parte negatiua.
I.
II.

Occurritur obiectioni.

Solutio dubij. Papa non tenetur humano iure confiteri.

Iuri tamen diuino de confitendo ſubiectus eſt, ſicut alij fideles.

Reſpondetur ad rationẽ I. in oppoſitum.

Poteſtas iuriſdictionis quid addat ſupra poteſtatem ordinis.

Cui debeat fieri confeſsio.

QVÆSTIO XXVIII.

Quæſtio trimẽbris.

Deinde quæri poteſt, cui ſit de neceſsitate facienda confeſsio? Laico ſcilicet in defectu ſacerdotis, an ſacerdoti excommunicato in defectu alterius idonei, an ſimplici ſacerdoti, ſeu alieno in defectu proprij? Et quæritur hoc, caſu quo peccator ſit in articulo neceſsitatis. Et dixerunt aliqui cum Magiſtro ſententiarum, quòd in tali articulo neceſſarium ſit confiteri laico. Id probant primò ex eo, quod Iacobus

I.
An in articulo neceſsitatis debeat aliquis confiteri laico, ſi nõ habeat copiam ſacerdotis.
Sententia I. affirmatiua.
Ratio I.

Iacob.5. dixit in sua Canonica: Confitemini alterutrum peccata vestra. Quam epistolam non ad solos sacerdotes scripsit, sed indifferenter ad laicos, & sacerdotes. Et cùm dicat, alterutrum, videtur innuere, quòd laicis etiam sit confitendum, idque maximè in articulo necessitatis.
II. Secundò idem arguitur ex ratione, quia cùm confessio sacramentalis à Deo iussa duo contineat, scilicet confessionem, & absolutionem sacramentalem, esto quòd in præfato casu absolutio haberi non possit ob defectum ministri, non ideo tolletur obligatio confitendi, quia de duabus seruitutibus, vna remota, altera relinquitur, vt tenet, & citat glossa cap. Omnis vtriusque sexus. de vsu pallij cap. ex tuarum. Et de priuilegiis cap. Pastoralis.

Resolutio negatiua.
Probatur I.

His non obstantibus dicendum, quòd etiam in articulo necessitatis non sit necessarium confiteri laico. Probatur, quia nec de iure diuino, nec humano. Primum patet, quia ius diuinum, vnde necessitas confitendi deducitur, solùm procedit de confessione facienda sacerdotibus, nam ad solos sacerdotes dixit Christus: Quorum remiseritis peccata &c. Igitur vbi non habetur copia sacerdotis, non tenetur peccator homini laico confiteri. Secundum etiam patet, quia potissimum ius humanum de confitendo, est præsens decretalis, hæc autem non obligat, nisi vt semel in anno quisque confiteatur proprio sacerdoti: Ex nullo igitur iure deduci potest necessitas confitendi laico.

II. Secvndo idem patet, quia confessio à Deo & Ecclesia iussa, est confessio sacramentalis, ea autem quæ laico fit, non est talis, nec esse potest, ob defectum ministri, qui necessariò debet esse sacerdos, & ita confessio facta laico, nunquam cadit sub præcepto diuino, vel humano, & ita si in articulo mortis peccator careat copia sacerdotis, non tenetur homini confiteri, satis est, si Deo contritus confiteatur. Poterit tamen si velit confiteri laico, tam in necessitate, quàm extra, ad finem habendi ab eo, si doctus sit, salutare consilium, seu consolationem, & ad finem amplius merendi, ob verecundiam ibidem habitam, non tamen ad finem suscipiendi ab eo absolutionem.

Soluūtur rationes opposita. Ad I. respondetur.

Ad primvm ex Iacobo citatum in oppositum dicendum, quòd Iacobus non loquatur ibidem de confessione iustificante, qualis est sacramentalis, sed de confessione humiliante, qua scilicet vnusquisq; se peccatorem esse recognoscat, & proximum suum delinquentem non ob id contemnat, sed vtrique agnoscentes culpam, pro se inuicem orent, vt suprà dixi.

Ad II.

Ad secvndvm dicendum, quòd procedat de diuersis seruitutibus, seu obligationibus, quibus aliquis ex æquo tenetur, non de his, quarum altera est principalis, altera accessoria. Exemplum primi, peccator semel in anno tenetur confiteri, & Eucharistiam recipere, & ad vtrunque videtur ex æquo teneri, ideo si potest confiteri, & non potest Eucharistiam suscipere, tenetur ad id quod potest, & econtrà. Secùs in nostro casu, in quo absolui sacramentaliter est principale, confiteri verò est accessorium. Nec cadit sub præcepto confessio, nisi propter absolutionem. In cuius signum Christus in authoritate sæpe citata, non directè & immediatè loquitur de confessione, sed de remissione peccatorum à sacerdotibus impetranda. Cùm igitur in casu præsenti peccator ille nullam speret absolutionem à laico, ideo cessat obligatio confitẽdi illi, quemadmodum cessat obligatio fraternæ correctionis, casu, quo nulla speratur emenda.

Obiectio.

Sed contra obiicies, quòd tunc non teneretur peccator, habens casus superiori reseruatos, eos suo curato confiteri, ex quo nullam ab ipso curato eorum remissionem sperat.

Solutio.

Respondetur si ita esset, quòd peccator nil haberet, quod esset necessariò confitendum, nisi casus superiori reseruatos, tunc non teneretur huiusmodi peccator suo curato confiteri. Attamen si habet alia peccata, quæ subsunt iurisdictioni curati, & simul habet alios casus alteri reseruatos, tunc tenebitur omnia simul confiteri, ne integritatem confessionis dirumpat, quam suprà ostensum est esse de iure diuino.

II. quæstionis membrum. An in articulo necessitatis debeat aliquis confiteri excommunicato, si non habeat alteri' idonei copiam.

Ad alivd, an scilicet in articulo necessitatis debeat peccator confiteri sacerdoti nominatim excommunicato, si non habeat alterius idonei copiam.

Rationes partis affirmatiuæ.
I.

Arguitur quòd sic, primò, quia in articulo necessitatis debet sacramentum baptismi de manu hæretici, & excommunicati suscipi, igitur etiam sacramentum pœnitentiæ, cùm vtrunq; sit de necessitate salutis. Antecedens patet, ex cap. Si quem fortè 24. q. 1. vbi ait

A ait Augustinus de quodam, qui in articulo necessitatis baptismum de manu hæretici suscepit, dicens: Factum illud non solùm non improbamus, sed securissimè, & veraciter laudamus. Secundò, quia si non esset sacramentũ pœnitentiæ à sacerdote excommunicato suscipiendum, esset propter prohibitionem Ecclesiæ, quæ prohibet communicationem cum excommunicatis, sed hoc in articulo necessitatis non obstat, tum ob id, quod dictum est in ratione præcedente, tum etiam, quia non obstante præfata Ecclesiæ prohibitione, potest in simili necessitate sacerdos communicare cum peccatore excommunicato, & eidem beneficium absolutionis impendere, vt patet ex capit. Non dubium. de sententia excommunic. Igitur non obstante præfata prohibitione, poterit pœnitens sacramentum absolutionis recipere de manu excommunicati. II.

RESPONDETVR oppositum tenendum esse, quia excepto baptismo, nullum aliud sacramentum potest recipi de manu hæretici, aut excommunicati, vt ait beatus Chrysostomus, vt habetur in libro Canonum pœnitentialium. Et Gratianus 24. quæstio. 1. capitul. Subdiaconus. concludit, quòd dempto baptismo, cætera sacramenta à præcisis, aut hæreticis, etiam in articulo mortis ministrata, aut nullum aut lethalem habent effectum.

Resolutio negatiua.
Nullum sacramentum, excepto baptismo recipi potest ab hæretico, aut excõmunicato.
Probatur I.

SECVNDO idem patet, si sacerdos est nominatim excommunicatus, non habet potestatem propinquam soluendi, & ligandi, vt suprà deduximus, ex capit. Si celebret. II.
B de clerico excommunicato celebrante. Et ex capit. Duobus. de sententia excommunic. ac proinde peccator, qui non habet sacerdotem, cui confiteatur, nisi excommunicatum, perinde est ac si copiam non habeat confessoris, & ita non tenetur illi magis quàm laico confiteri.

AD RATIONES ante oppositum dicendum, quòd etsi in necessitate possit, & debeat sacramentum baptismi de manu excommunicati vel hæretici formam Ecclesiæ seruantis recipi, non tamen sacramentum pœnitentiæ. Ratio, quæ solet assignari, est, quia sacramentum baptismi est de necessitate salutis, non ita sacramentum pœnitentię, cùm peccatoribus alia via salutis pateat. Sed non omnino placet hæc solutio, quia sicut peccatoribus patet via salutis per contritionem, & confessionem Deo factam, ita hominibus non baptizatis, saltem adultis, patet via salutis per veram cordis pœnitentiam, & amorem, & fidem Dei. Et sicut adultis datum est in præcepto, vt baptismum suscipiant, ita peccatoribus baptizatis datum est in præcepto, vt sacramentum pœnitentiæ suscipiant, igitur vtrunque videtur de iure diuino æquè necessarium adultis peccatoribus.

Soluũtur rationes contrariæ.
Ad I.
Solutio duplex I.
Reiicitur.

IDEO ALITER dicendum, quòd in articulo necessitatis possit, & debeat sacramentum baptismi de manu excommunicati & hæretici, recipi, quia talis idoneus minister est ad baptizandum, ad quod non requiritur nisi posse abluere, & verba sacramentalia proferre, quòd æquè conuenit hæreticis, & Catholicis. Sacramentum autem
C pœnitentiæ non potest in articulo necessitatis ab excommunicato recipi, quia nominatim excommunicatus non est minister huiusmodi sacramenti idoneus, eò quòd per excommunicationem maiorem expirat potestas soluendi, & ligandi, potestas inquam propinqua, ad quam requiritur vltra potestatem ordinis potestas iurisdictionis, qua excommunicatus per ipsam excommunicationem priuatur. Sed vltrà replicabis, quòd tunc ad minus sacramentum Eucharistiæ deberet in necessitate recipi de manu hæretici, aut excommunicati, sicut & baptismus, nam tanta necessitate videtur necessarium vnum ex his sacramentis, quanta reliquum, de quorum altero scriptum est: Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non potest ingredi regnum Dei. De altero verò: Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam &c. Cùm tamen textus citati solum baptismi sacramentum de manu hęretici recipi permittant, & tamen sicut hæretico non deficit potestas baptizandi, ita nec potestas consecrandi, si vtrobique formam seruet Ecclesiæ.

II. Solutio.
Quare liceat suscipere baptismum ab hæretico, aut excommunicato in necessitate, non item sacramentum pœnitẽtiæ.
Obiectio.
Ioan. 3.
Ioan. 6.

RESPONDETVR pro nunc non esse de necessitate salutis sacramentum Eucharistiæ, sicut est sacramentum baptismi. Nam illa verba ex Ioan. 6. suprà citata, scilicet, nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem &c. non de manducatione sacramentali, sed de manducatione spirituali, quæ per fidem est, exposita sunt per Innocentium Papam in Epistola super hac re ad beatum Augustinum missa, cùm Aphricanum Concilium celebraretur, cui aderat Augustinus. Significauit igitur, & expo-

Solutio.
Explicatur ille locus: Nisi manducaueritis carnem filij hominis.

& exposuit Innocentius id esse manducare carnem, & bibere sanguinem Christi, quod est eidem per fidem incorporari, & membrum eius fieri. Ac proinde dixit, illam Christi corporis manducationem, & sanguinis potationem in paruulis adimpleri, quando baptizantur, quia tunc per fidem, quam ibidem recipiunt, Christo incorporantur, & eius membra efficiuntur. Qua expositione audita, Augustinus gratias retulit eidem Innocentio, vnde patet discrimen inter baptismi sacramentum, & Eucharistiam, quantum ad eorum necessitatem ad salutem, sed de hoc aliàs. Ad secundam rationem supra factam, respondetur quòd falsum sit, ideo non esse confitendum sacerdoti excommunicato, quia Ecclesia prohibet communicare cum excommunicato, sed quia nominatim excommunicatus non habet potestatem propinquam soluendi, & ligandi, quam supra ostensum est per maiorem excommunicationem expirare.

Ad II.

III. prædictæ quæstionis membrũ, an scilicet cõfiteri quis debeat in necessitate simplici sacerdoti, si nõ sit copia proprij curati? Ratio pro parte negatiua. Resolutio affirmatiua. Ratio.

AD ALIVD, an scilicet in eodem articulo necessitatis sit necessariò confitendum sacerdoti simplici, aut alij cuicunque non præciso, quando proprij sacerdotis copia haberi non potest. Et arguitur quòd non, quia confessio sacramentalis præsupponit in absoluente potestatem iurisdictionis, cùm sola potestas ordinis non sufficiat, vt postea patebit, sacerdos autem simplex huiusmodi iurisdictionem non habet, nam suppono eum non habere licentiam à proprio sacerdote, sine qua neminem potest absoluere, vt dicitur in decretali præsenti, Omnis vtriusque sexus.

OPPOSITVM tamen tenendum est, quia in articulo necessitatis quilibet sacerdos, etiam simplex, non alioqui suspensus, aut excommunicatus, potest quemlibet absoluere, non solùm à peccatis communibus, sed à reseruatis, imò & à censura excommunicationis, vt patet ex capit. suprà citato, Non dubium. de sententia excommunicationis. Et per Extrauagantem Sixti quarti, in qua ponuntur casus de cœna Domini, a quibus ait neminem absolui posse, nisi per Papam, excepto articulo mortis, in quo poterit absolui, præmissa tamen satisfactione, vel sumpta cautione, vt illic dicitur. Itaque quamuis sacerdos simplex ordinariam potestatem non habeat, neq; à curato commissam, aut ab Episcopo, habet tamẽ facultatem à iure Pontificum sibi in tali articulo mortis concessam.

Respondetur ad rationem in oppositum. Alia ratio pro sententia affirmante.

QVOD AVTEM in huiusmodi articulo teneatur peccator confiteri sacerdoti simplici, si proprij copiam non habeat, patet, quia iure diuino tenetur peccator, saltem in articulo mortis, sua peccata confiteri sacerdoti, qui possit eum absoluere, alioqui per eum stabit, quò minùs sacramentaliter absoluatur, & ex consequenti decedet in peccato mortali, sed sic est quòd in illo articulo quilibet sacerdos simplex habet potestatem a iure, qua possit eum absoluere, si velit eidem confiteri, igitur &c.

De confeßione fratribus priuilegiatis facta.

QVÆSTIO XXIX.

Extra articulũ necessitatis confitendũ est proprio sacerdoti, vel de huius licentia alieno.

EXTRA TAMEN articulum necessitatis, si quæratur, cui sit confessio necessariò facienda, textus declarat, quòd proprio sacerdoti, vel alieno de licentia proprij, cùm non possit aliter absoluere. In quo tres partes notantur. Prima est præceptiua, qua præcipit Ecclesia, vt quilibet fidelis semel in anno suo proprio sacerdoti confiteatur. Secunda est prioris moderatiua, seu dispensatiua scilicet si velit alieno confiteri, licentiam priùs postulet à proprio, & obtineat. Tertia est definitiua, in qua dicitur, quòd non aliter possit absoluere, vel ligare. Ex quo apertè sequitur, quòd qui confitetur suo proprio sacerdoti, aut alieno de licentia proprij, satisfacit huic statuto, cùm non obliget, nisi sub disiunctione. [a] Sed est quæstio, an parochianus, qui confitetur religiosis priuilegiatis, quibus scilicet concessum est priuilegium audiendi confessiones, non priùs obtenta licentia proprij sacerdotis, id est curati, satisfaciat huic statuto, ita vt non sit ei necessarium iterum proprio curato confiteri. [b] Quæ quæstio duas inuoluit: altera est, an religiosi priuilegiati possint sine licentia curati parochianos audire, & vere sacramentaliter eos absoluere. [c] Altera est, præsupposito quòd sic, an confessi illis sine licentia curati, teneantur iterum suo curato confiteri.

a Quæstio bimẽbris.
b I. Quæstio. An religiosi priuilegiati possint absq; licentia curati, parochianos absoluere.
c II. An illis ita cõfessi, teneatur iterum suo curato confiteri.

AD PRI-

A Ad primam quæstionem dicit Ioan. de Poliaco, quòd religiosi, vt præfertur, priuilegiati, seu ab Episcopis licentiati, vt confessiones parochianorum audiant, non possint sine licentia curatorum eas audire, & si audiant, absolutiones per eos impensæ non sunt validæ, nec verè sacramentales. Pro cuius probatione supponit, quòd proprius sacerdos in præsenti decretali accipiatur strictè pro solo curato parochiali, cùm enim proprius sacerdos tripliciter soleat accipi, scilicet communissimè pro omni sacerdote potente absoluere ex potestate ordinaria, siue commissa, aut delegata: secundo modo, pro omni sacerdote potente absoluere ex potestate ordinaria tantùm, tertio modo strictè, pro solo curato parochiali, probant isti, quòd in præsenti decretali non possit accipi communissimè. Patet, quia proprius sacerdos, de quo hæc decretalis loquitur, potest licentiam audiendi confessionem alieno dare, & ita potest alium delegare, vt patet ex secunda clausula suprà citata. Hanc autem licentiam dare non potest quilibet sacerdos potens absoluere, scilicet ille qui solum habet potestatem commissam, quia delegatus non potest subdelegare, non igitur communissimè accipitur. Nec etiam accipitur secundo modo communiter, scilicet pro omni habente potestatem ordinariam. Id probat, quia tunc Episcopus & Papa dicerentur proprij sacerdotes horum parochianorum, cùm tamen sint communes, nam Papa communis pastor est omnium fidelium, Episcopus etiam communis pastor est omnium Ecclesiarum ad suam diœcesim pertinentium: Si igitur communes sunt, non erunt dicendi proprij, prout dicit Ambrosius, & habetur capitulo sicut quadragesima, septima distinctione: Nemo dicat proprium, quod commune est. Secundò idem patet ex Extrauagante Martini quinti, apud veterem vrbem edita, quæ tamen non habetur in corpore iuris, in qua ait, quòd qui fratribus fuerint confessi, teneantur nihilo minùs proprio sacerdoti parochiali semel in anno confiteri, prout in generali Concilio Lateranensi institutum est, in quo apertè declarat, sacerdotem propriũ in præsenti decretali esse sacerdotem parochialem, hic autem est curatus, restat igitur, quòd proprius sacerdos sit curatus, & ita intentum pro supposito suo.

Sententia I. negatiua propositæ quæstionis.
Suppositio dictæ sententiæ.
Dupliciter accipi solet proprius sacerdos.
I.
II.
III.

B (margin letter beside "Episcopus etiam communis pastor…")

Qvo praesvpposito, respondet ad quæstionem, quòd religiosi præfati scilicet priuilegiati, aut ab Episcopo licentiati, non possint sine licentia curati confessiones parochianorum audire. Probatur primò, quia si possent, maximè ratione priuilegij à Papa illis concessi, prout eisdem concessum est in Clementina Dudum. de sepulturis. sed tale priuilegium non potuit illis concedi in præiudicium curatorum, nec Papa intendit alicui præiudicare, quando priuilegia concedit, vt colligitur ex cap. Ex tuarum. de authoritate, & vsu pallij, & determinat similiter Gratianus 25. q. 1. cap. fina. Sed tale priuilegium fratribus concessum, esset in præiudicium curatorũ, quibus de iure conuenit, vt eorum parochiani nulli alteri cõfiteantur, nisi de licentia ipsorum curatorum. Pro quo facit, quod dicitur, cap. Peruenit 11. q. 1. Si vnicuique Episcopo iurisdictio non seruatur, quid aliud agitur, nisi vt per nos, per quos Ecclesiasticus ordo custodiri debuit, confundatur? Quod etiam currit de parochiali presbytero, cui sua iurisdictio in suos parochianos conuenit. Secundò idem probatur ex clausula postrema, in qua dicitur, quòd alienus non possit aliter soluere, nec ligare, nisi de licentia proprij, id est curati, vt in supposito prætendit. Tertiò facit glossa ibidem, in verbo, alieno. vbi dicit, quòd fratres priuilegiati absoluere parochianos nõ possint, nisi de licentia curati. Vnde infert, quòd stante statuto huiusmodi Concilij generalis repugnet, vt alienus sacerdos possit quenquam absoluere sine licentia curati, nec Papa potest super hoc dispensare, nisi dissoluto statuto.

Rationes pro sententia prædicta. I.
C *Confirmatio.*
II.
III.

Respondetvr, hanc opinionem errare in vtroq; tam in eo quod præsupponit, scilicet sacerdotem propriũ accipi solùm pro curato parochiali, idq; tenendo communiorem sententiam, quæ ait, proprium sacerdotem opponi alieno, quàm in conclusione principali. Quòd enim falsum sit proprium sacerdotem pro solo curato accipi, patet, quia tunc Episcopus, & Papa non essent proprij sacerdotes, & ex consequenti essent alieni, cùm alienus, & proprius videantur ex opposito se habere, iuxta tenorem decretalis, & si Papa esset alienus, sequeretur non posse Papam quenquam parochianum absoluere, nisi de licentia à curato obtenta, quod est absurdum, cùm Papa habeat plenissimam potestatem ordinariam super omnes fideles in vtroque foro, nec eius potestas

Reiicitur & oppugnatur prædicta sententia.
Probatur I. falsam illius esse suppositionem.

quenquam

quenquam absoluendi pendet ex licentia curati, ac proinde error videtur dicere, quòd proprius sacerdos in præsenti decretali pro solo curato accipiatur, & non se extendat huiusmodi nomen ad Episcopum, & Papam. Itaque in hoc puncto, sacerdos proprius, dicitur sacerdos qui habet potestatem ordinariam absoluendi Parochianos, & ita se extendit huiusmodi nomen ad Episcopum, & Papam, & non solùm ad curatum, vt isti volunt, restringitur. Nec obstat, quod suprà allegatum est ex decreto Ambrosij, dicentis: Nemo dicat proprium, quod commune est &c. quia proprium dicitur dupliciter. Vno modo, vt opponitur contra commune, & sic potest accipi decretum Ambrosij, qui loquebatur de bonis temporalibus, quæ tempore necessitatis communia sunt, id est, indigentibus communicanda, & non ipsis possidentibus approprianda. Alio modo, vt opponitur contra alienum, & ita in præsenti decretali accipitur secundùm communem sententiam, ac proinde nil impedit, Papam esse sacerdotem, seu pastorem communem, & proprium, quandoquidem vnusquisq; fidelis potest verè dicere, Papa est meus pastor, quod quia quilibet fidelis potest id de Papa dicere, est communis pastor. Et quia potest dicere, quòd sit suus pastor, est vniuscuiusque proprius, quia non alienus. Quòd si obijci, quia Papa est communis omnium pastor, non esset proprius cuiusque, ita nec curatus vnius parochiæ diceretur proprius pastor alicuius parochiani, cùm curatus etiam communis sit multorum parochianorum pastor.

Respondetur ad probationes dictæ suppositionis. Ad I. Dupliciter dicitur aliquid esse proprium. I. II.

Ad II.

Nec obstat, quod secundò ex Extrauaganti Martini allegabatur, in qua dicit, sacerdotem proprium esse sacerdotem parochialem. Nam sacerdos parochialis dicitur is, cui cura parochiæ commissa est, constat autem curam parochiæ esse à Christo commissam Papæ, à Papa Episcopo, & ab Episcopo curato inferiori, cui ministerium incumbit, ac proinde in præfata Extrauagante, sacerdos parochialis se extendit ad Episcopum & Papam, sicut & sacerdos proprius, quanquam de sacerdote proprio quis sit, iuxta præsentem decretalem aliter quàm communiter tenetur sentiendum est, vt patebit postea.

Refutatur eadẽ sententia quo ad solutionem propositæ quæstionis.

Conclusio I. Episcop⁹ authoritate propria potest audire confessiones parochianorũ, eosdemq; absoluere sicut et curatus.

Iam svperest ostendere, conclusionem præfati doctoris falsam, & erroneam esse, pro quo præmittendę sunt tres propositiones præambulæ. Prima est, quòd Episcopus potest propria authoritate ordinaria confessiones parochianorum audire, & eosdem sicut & curatus absoluere. Hæc patet, quia quod potest inferior, potest à fortiori superior, cùm igitur Episcopus sit curato superior, poterit ergo sua authoritate absoluere eos, quos potest curatus, idque sine licentia ipsius curati. Quod inde magis confirmatur, quia Episcopus potest limitare potestatem curati, & nõ econtrà, quia potest ob causam illi prohibere, ne confessiones audiat, imò ne baptizet, vt habetur 16.q.1.cap. Cunctis. & in aliis capitulis.

Conclusio II. Potest Episcop⁹ absoluendi potestatẽ aliis committere &c. Probatur.

Secvnda propositio. Episcopus potest vices suas, hoc est, absoluendi potestatem committere aliis capacibus, prout vult. Hæc patet extrà de officio ordinarij. his quibus & de consecratione Ecclesiarum, cap. Aqua. vbi apertè dicitur, quòd ea, quæ sunt iurisdictionis, possunt aliis committi: Cùm igitur absoluere pœnitentem ad iurisdictionem pertineat, sequitur &c. Quod simul cum præcedenti confirmatur ex his, quæ de officio ordinarij dicuntur, cui inter cætera iura id conceditur, vt in cathedralibus Ecclesiis & collegiatis ordinarij assumant sibi viros idoneos coadiutores in officio prædicationis & audientia confessionum, hoc autem esse non posset, nisi Episcopi possent sua authoritate ordinaria confessiones audire, & vices suas aliis committere.

Conclusio III. Idq; nõ tantùm sacerdotibus secularibus, sed etiã religiosis. a Probatur.

Tertia propositio. Episcopi possunt vices suas audiendi scilicet confessiones committere non solùm sacerdotibus secularibus, sed etiam religiosis. [a] Hæc patet, quia religio non facit hominem incapacem huius potestatis iurisdictionis, cùm de essentia religionis sit paupertas, castitas, & obedientia, hæc autem perfectè fuerunt in Apostolis qui tamen non fuerunt incapaces huiusmodi potestatis. Multi etiam Episcopi sunt & fuerunt religiosi, quibus conuenit potestas huiusmodi absoluendi, ac proinde religio non obstat, quò minùs Episcopus possit illis facultatem audiendi confessiones concedere. Nec obstant decreta 16.q.1.cap. Placuit. & cap. Interdicimus. & alia, in quibus expressè prohibetur monachis, ne audiant confessiones, quia hoc intelligitur sine licentia Episcoporum, quia de licentia Episcoporum bene possunt, vt habetur eâdem causa, & quæstione, cap. Ex authoritate. & cap. Sic viue.

Corollarium I.

Qvibvs præmissis corollariè sequitur, quòd religiosi ab Episcopis licentiati, possint confessiones parochianorum audire, etiam sine licentia curatorum. Nã licentiati à cura-

A à curato poteſt confeſsiones audire, igitur à fortiori licentiatus ab Epiſcopo & huiuſmodi licentiatus habet poteſtatem ordinis & iuriſdictionis in caſu, igitur. Inde ſequitur quòd religioſi à Papa priuilegiati, poſsint etiam ſine conſenſu curatorum confeſsiones audire parochianorum, quandoquidem non minus operatur priuilegium à Papa conceſſum, quàm licentia & commiſsio Epiſcopi.

Religioſi habita licentia à ſolo Epiſcopo poſſunt parochianorum audire confeſsiones.

SEQVITVR SECVNDO confeſsionem taliter licentiatis factam, verè eſſe ſacramentalem, quia illic concurrunt omnia, quæ ſunt de eſſentia huius ſacramenti ſcilicet debita materia, ſcilicet peccator pœnitens, debita forma abſolutionis, & competens & idoneus miniſter, ſcilicet ſacerdos habens poteſtatẽ ordinis, & iuriſdictionis &c. igitur.

II. *Eiuſmodi confeſsiones eſſe verè ſacramentales.*

SEQVITVR TERTIO errorem eſſe, dicere, ſtante ſtatuto præſenti Concilij Lateranenſis Papam non poſſe religioſos licentiare, vt ſine curatorum licentia confeſsiones parochianorum audiant. Hoc patet, quia quod potuit facere Papa ante ſtatutum Concilij, poteſt facere poſt ſtatutum, iuxta cap. Significaſti. de electione & electi poteſtate, vbi dicitur, quòd in omnibus ſtatutis per Concilia generalia intelligatur excepta authoritas Romani Pontificis, ſed ante ſtatutum potuit Papa licentiare religioſos, vt confeſſiones audirent, igitur etiam poſtea, quandoquidẽ ſtatutum in nullo abſtulit aut imminuit poteſtatem Papę. Quibus quidem rationibus cùm Ioan. de Poliaco ſatisfacere non B poſſet, coactus fuit errorem ſuum reuocare. Et ita per Alexandrum Papam, & per Clemẽtem quartum, & per Ioannem 22. declaratum fuit, præfatos religioſos priuilegiatos, poſſe de licentia Papæ, aut Epiſcopi, parochianos confitentes abſoluere, inferiorum aſſenſu minimè requiſito. De quo vide Clementin. Dudum. de ſepulturis. & Extrauagan. Ioan. 22. Vas electionis.

III. *Hanc licentiam etiam Papa religioſis concedere poteſt.*

NVNC RESPONDENDVM eſt ad rationes ante oppoſitum factas. Arguebatur primò quòd tale priuilegium non eſſet conceſſum fratribus in præiudicium curatorum. Illo admiſſo dicendum, quòd nullum ex tali priuilegio præiudicium fiat curatis, quia vt ait Thomas tunc priuilegium datur in præiudicium tertij, quando per priuilegium auffertur à tertio aliquid, quod erat eidem cõceſſum in fauorem ſuum, modò autem quòd parochiani poſsint ſuo curato confiteri, aut alieno de licentia proprij, hoc cedit in fauorem parochianorum, quibus datur libertas & optio vnum de duobus eligendi. Deinde præfatum priuilegium etiam cedit in gratiam, & fauorem ipſorum curatorum, nam per tale præfatum priuilegium exonerantur curati ab onere, quo per ſeipſos tenebantur confeſsiones ſuorum parochianorum audire. Neque ſpecialiter eſt curatis conceſſum, vt ipſi ſoli poſsint licentiam ſuis parochianis concedere, vt alieno confiteantur, nam facultas dandi huiuſmodi licentiam, proprio ſacerdoti conceditur, quo nomine intelligatur, non ſolus curatus, ſed Epiſcopus, & Papa, & ideo, quando Epiſcopus, aut Papa conferunt licentiam fratribus vt confeſsiones audiant, ſuo iure vtuntur, etiamſi conſenſum curatorum non requirant.

Reſpondetur ad rationes ſententiæ negatiuæ.

Ad I. *Religioſorũ priuilegia audiẽdi confeſsiones parochianorum, non cedunt in præiudicium curatorum.*

C AD CAP. Peruenit. 11. quæſtio. 1. dicendum, quòd procedat de coërcitiua iuriſdictione, quam pro vtilitate ſubditorum, & communis boni, neceſſe eſt vnicuiq; Epiſcopo ſeruari, ne confuſio ad impunitatem criminum vel turbationis fiat, & vt inferiorum ad ſuperiores debitus ordo & reuerentia ſeruetur; Secùs de iuriſdictione fori pœnitentialis, quæ magis innititur voluntariæ ſubmiſsioni ſubditorum. Ad ſecundam ſumptam ex clauſula tertia, ſcilicet quòd non poſsit alienus aliter ſoluere vel ligare, niſi de licentia proprij, id eſt curati, dicendum, quòd procedat ex falſo ſuppoſito, ſcilicet quòd in hac decretali proprius ſacerdos accipiatur pro ſolo curato, quod oſtenſum eſt eſſe falſum, ac proinde licentia fratribus à Papa vel Epiſcopo conceſſa ſufficit, vt poſsint abſoluere. Ad tertiam ex gloſſa præſentis decretalis dicendum, quòd errarit, & ab ea recedendum ſit.

Ad confirmationem eiuſdem.

Ad II.

Ad III.

ESTO IGITVR, quòd licentia Epiſcopi aut Papæ religioſis conceſſa ſufficiat, vt audire poſsint parochianorum confeſsiones, & eos abſque curati licentia abſoluere, eſt quæſtio, an parochiani fratribus confeſsi, teneantur iterum curato confiteri, ſeu confeſsionem reiterare? Et dixerunt nonnulli Iuriſtæ quòd ſic, vt Ioan. Monachus, & Archidiaconus, & alij.

De altera quæſtione ſuprà propoſita ſententia I. *affirmatiua.*

PRO QVORVM ſententia arguitur primò, ex Extrauaganti Martini quinti, qui inter alia ait: Volumus autem, vt hi qui fratribus confitebuntur, eiſdem ſuis parochialibus ſacerdotibus ſemel ſaltem in anno confiteri, prout generale Concilium ſtatuit, nihilo

Ratio I.

minùs teneantur, & vt iidem fratres eos ad hoc diligenter & efficaciter secundùm datam sibi à Domino gratiam exhortentur.

II. SECVNDO arguitur, quia licentia alicui concessa ad aliquid, non tollit obligationem præcepti, quando ambo composibilia sunt. Quod exemplis apertis constat, quia paulò ante Christi passionem erat baptismus institutus, & erat de consilio, quando circumcisio erat de præcepto, & licentia tunc data de baptismo, non auferebat obligationē de circumcisione, imò tunc baptizatus, tenebatur præcepto de circumcisione, quam suppono non cessasse ante Christi passionem. Similiter licentia alicui data, vt posit Missam in die Dominica extra parochiam suam audire, non tollit obligationem audiendi Missam solennem in propria parochia, quam de iure audire tenetur. Et licentia, quam quis habet eundi ad sanctum Iacobum, non tollit obligationem vòti, si quod emisit, de eundo in Hierusalem, cùm in his casibus illa sint composibilia. Cùm igitur in præsenti casu parochianus habeat licentiam confitendi fratribus priuilegiatis, cum qua confessione facta, se compatitur iterata confessio facta proprio sacerdoti, iuxta statutum Concilij Lateranensis, sequitur quòd confessi prędictis fratribus, teneantur iterum suo proprio confiteri semel in anno.

III. *Prouerb. 28.* TERTIO idem videtur, quia ad officium curati pastorale pertinet inuigilare super oues sibi commissas, & vitam earum agnoscere, iuxta illud: Diligenter agnosce vultum pecoris tui, tuosque greges considera. Curatus autem non potest vultum pecoris agnoscere, nisi pręuia confessione, non igitur poterit curatus impediri, quò minùs confessiones suarum ouium audiat, & ita, esto parochiani sint fratribus confessi, tenentur iterum eadem suo curato confiteri.

IIII. *Matth. 7.* QVARTO. Ex præcepto Euangelico curati non debent dare sanctum canibus, id est, non debent iniquis, & peccatoribus sacramenta ministrare, nec aliam spiritualem doctrinam, ex qua nullus speratur fructus, ad curatum autem pertinet, cùm sacramenta confert, scire, an sint digni, qui sacramenta suscipiant, hoc autem scire non potest, nisi agnita vita, & correctione, & pœnitētia suorum parochianorum, quod sine præuia confessione, scire non poterit, igitur, esto parochiani sint fratribus confessi, tenentur suo sacerdoti proprio confiteri &c.

Resolutio negatiua. RESPONDETVR his non obstantibus, tenendum esse contrarium, quòd scilicet confessi fratribus priuilegiatis non teneantur reconfiteri proprio sacerdoti. Pro cuius manifestatione pono aliquas propositiones. Prima est. Confessio facta prædictis fratribus priuilegiatis, est verè sacramentalis, & absolutio per eos impensa, valida. Hæc probatur ex dictis, quia si aliquid deesset, quò minùs esset sacramentalis, maximè idoneitas ministri, sed hoc non, quia præfati fratres habent potestatem tam ordinis quàm iurisdictionis per licentiam, aut priuilegium illis concessum, vt patet, igitur.

Conclusio I. Confessio facta religiosis priuilegiatis, verè est sacramentalis, & absolutio valida.

Ratio.

II. Conclusio. Neq; est necessariò iteranda. SECVNDA propositio. Confessio prædictis fratribus facta, non est necessariò iteranda. Hæc probatur primò ex Extrauagante Benedicti vndecimi, Inter cunctas, vbi dicitur: Absurdum est eos, qui semel legitimè absoluti sunt, rursus eodem debito teneri.

Probatur I. Secundò idem patet ex Extrauagante Ioan. 22. Vas electionis. vbi in sententia dicitur,

II. quòd confessi huiusmodi religiosis priuilegiatis, non teneantur eadem iterum confiteri,

III. ri, magis quàm si propriis curatis fuissent confessi. Tertiò idem patet ratione, quia si esset illis parochianis necessarium iterum suo curato eadem confiteri, vel esset id necessarium de iure diuino vel humano. Non primum, quia iuri diuino iam satisfactum est per hoc, quòd peccator semel fuit à sacerdote idoneo legitimè absolutus. Nec secundum, quia ius humanum non potest quenquam obligare ad confitendum peccata, quæ alioqui iure diuino non sunt de necessitate confitenda.

Corollarium I. Inde est, quòd Ecclesia non possit obligare fidelem baptizatum, vt confiteatur peccata, quæ ante baptismum commisit.

II. Nec etiam Ecclesia potest quenquā obligare, vt particulariter sua peccata venialia confiteatur, quia scilicet nec hæc, nec illa alioqui sunt de iure diuino necessariò confitenda. Nam tolle diuinum ius de confessione agenda, nullum aliud ius potest quenquam obligare ad confitendum. Cùm igitur de iure diuino peccata confessa, & à sacerdotibus sacramentaliter remissa, non sint de necessitate confitenda, sequitur quòd Ecclesia non posit quenquam obligare ad reconfitendum peccata priùs confessa &c.

Conclusio III. TERTIA propositio. Qui confitetur fratribus vt suprà dictum est, ab Episcopo vel Papa licentiatis, satisfacit huic statuto, de confitendo semel in anno. Hæc probatur, quia

A quia hæc decretalis non obligat fideles ad confeſsionem ſemel in anno faciendam, niſi ſub diſiunctione ſcilicet vt confiteantur proprio ſacerdoti, vel alieno de licentia proprij, cui quidem præcepto ſatisfacit, qui alteram partem diſiunctiuæ adimpleuerit. Cùm igitur confeſsi fratribus priuilegiatis alteram partem diſiunctiuæ compleant, quia confitentur alieno, ſcilicet fratri, de licentia proprij, quo nomine venit intelligendus Epiſcopus, & Papa, ſicut & curatus ex communi ſententia, ſequitur &c.

Confeſsi religioſis priuilegiatis ſatisfaciūt præcepto de confitēdo ſemel in anno.
Ratio.

QVARTA propoſitio eſt, quòd licentia data parochianis in generali, vt fratribus confiteantur, in nullo relaxat rigorem & obligationem præſentis ſtatuti de ſemel in anno confitendo proprio &c. Hæc etiam patet, quia totus rigor huius ſtatuti in hoc puncto eſt, vt quilibet confiteatur proprio, vel alieno de licentia proprij, ab hac autem obligatione non ſolùm non eximitur qui fratribus ex pręfata licentia confitetur, ſed eo ipſo quòd pręfata licentia vtitur, adimplet in rigore huiuſmodi generale ſtatutum, vt ſatis de ſe patet. Vnde fit, vt confeſsi huiuſmodi fratribus, liberi ſint ab obligatione eadem peccata ſuo curato, aut alij reconfitendi.

Concluſio IIII. Satisfaciunt etiam ſtatuto de confitendo proprio curato.
Ratio.

AD RATIONES ante oppoſitum, dicendum ad primam, quæ videtur difficultatem facere, eò quòd videntur pontifices contraria in præſenti articulo declarare, cùm per plures pontifices declaratum ſit huiuſmodi confeſsiones fratribus factas validas eſſe, & non reiterandas, per Martinum autem decretū ſit, quòd confeſsi fratribus teneantur iterum ſuo curato confiteri &c. Sed pro concordia, videtur de licentia fratribus conceſſa diſtinguendum, alia enim eſt licentia illis conceſſa ſecundùm formam & tenorem Clementinæ, Dudum. de ſepulturis. alia verò, quam Martinus præfatis fratribus conceſſit. Prima licentia confeſsiones audiendi eſt illis conceſſa cum quibuſdam circumſtantiis, ſcilicet vt ſuperiores ordinum Minorum & Pręedicatorum compareant coram Diœceſano, aut vicario eius, vt de eius conſenſu eligant religioſos, qui confeſsiones audiant, quo habito, eligunt huiuſmodi confeſſores, & hi electi, pręſentantur Epiſcopo, vt electio confirmetur, & ipſi electi, confeſsiones audire poſsint, & tales habent abſolutam, ſeu categoricam licentiam confeſsiones audiendi, & qui his fuerint confeſsi, non tenentur iterum proprio ſacerdoti confiteri. Licentia verò à Martino fratribus conceſſa, ſimplicior eſt, ſcilicet vt ſuperiores pręfatorum ordinum eligant, quos volunt, & confeſsiones audiant, abſque pręfatis ſolennitatibus. Et hanc licentiam dedit Martinus non abſolutè, ſed reſeruata obligatione præſentis ſtatuti generalis, quo ſemel in anno fideles tenentur peccata ſuo proprio curato confiteri. Et qui hac licentia vti volentes fratribus confitentur, manent obligati, proprio ſemel in anno confiteri, cùm non aliter ſit huiuſmodi licentia fratribus conceſſa.

Ad rationes oppoſitas reſpondetur.
Ad I.
B
Duplex eſt religioſis conceſſa poteſtas audiendi confeſsiones.
I.
II.

Si opponas contra hoc, quòd ex quo ſunt ſacramentaliter & verè abſoluti parochiani his fratribus confeſsi, etiam iuxta licentiam à Martino conceſſam, non igitur tenentur reconfiteri proprio ſacerdoti, cùm Eccleſia ſemel abſolutum obligare non poſsit, vt iterum confiteatur. Reſpondetur, quòd in caſu præfatæ licentiæ, obligatio iterum confitendi non ſit ob ius Eccleſiaſticum, quod neminem poteſt cogere, vt confeſſa iterum confiteatur, ſed ob voluntatem ipſius, qui licentia taliter data vti vult, cùm non aliter data ſit à Martino licentia confitendi, niſi hac lege, vt taliter confeſsi, confiteantur ſemel in anno ſuo ſacerdoti. Et hoc ipſum etiam poſſet curatus facere, quòd ſcilicet parochiano volenti pro ſua deuotione alieno confiteri, licentiam conferat, hac lege, vt ipſimet iterum confiteatur. Et valet hæc licentia, non ad eximendum parochianum ab obligatione proprio confitendi, ſed vt ipſe pœnitens ampliorem gratiam amplioremque peccatorum remiſsionem conſequatur.

Obiectio.
Solutio.
C

SED QVAERI poteſt, an qui fratribus taliter licentiatis fuerit confeſſus ſine voluntate iterum proprio curato confitendi, teneatur iterum proprio confiteri? Si ſic, non ergo huiuſmodi obligatio reconfitendi naſcitur ex voluntate pœnitentis. Si non, ergo non ſtat decretalis Martini V. Reſpond. diſtinguendum eſſe ex parte ſic confitentis, quia vel ſcit licentiam, qua vtitur fratribus confitendo, eſſe conceſſam cum reſeruatione obligationis reconfitendi proprio, vel id ignorat. Si primum, & vtens licentia non proponit iterum curato confiteri, tunc ponit obicem peccati, & ita non manet verè abſolutus. Si ſecundum, & ignorantia ſit inuincibilis, tunc tenetur iterum confiteri, eſto quod ſit verè ſacramentaliter abſolutus. Ratio, quia etſi non propoſuerit formaliter iterum confiteri, propoſuit tamen virtualiter ex quo cum bona fide voluit licentia præfata vti, & virtualiter paratus legem ſeruare, ſub qua huiuſmodi licentia conceſſa fuit.

Dubium. An cōfeſſus huiuſmodi religioſis abſq; voluntate iterum proprio curato confitēdi, teneatur iterum proprio confiteri?
Solutio duplex.
I.

II. Solutio.

Potest secundo dici, quòd intentio Martini fuerit dare licentiam fratribus, vt intra annum confeßiones audiant, & tales erunt validæ, attamen illa confeßio, quæ semel in anno, scilicet in Quadragesima agenda est, reseruetur agenda proprio curato, non quidem de peccatis priùs confeßis, & per fratres licentiatos remißis, sed de peccatis (si quæ sint) post vltimam confeßionem fratribus factam commißis, si autem postea nulla peccata homo commiserit, tunc teneatur se suo curato præsentare dicens, se nil habere, quod debeat confiteri, & hoc credendum est Martinum prætendisse, quanquam esset particulariùs videndum eius decretum.

Respondetur ad II. Argumentũ principale.

Ad secundum quo arguebatur, quòd licentia alicui ad aliquid concessa nõ tollat obligationem præcepti, quando ambo compoßibilia sunt, fateor. Et quando arguitur, igitur confessus fratribus licentiatis tenetur iterum proprio confiteri, consequentia nil valet, & procedit argumentum ex falso presupposito, scilicet quòd hec decretalis obliget categoricè fideles, vt suis propriis sacerdotibus confiteantur, quod tamen falsum est, quia non nisi sub disiunctione obligat, vt dictum est, ac proinde, qui fratribus priuilegiatis confessus est in Quadragesima, satisfacit huic statuto, cùm sit de illo verum dicere, quòd confessus sit proprio vel alieno de licentia proprij.

Ad III.

Ad tertium quo arguebatur, quòd ad officium curati pertineat inuigilare &c. respondetur, si ratio probaret quod prætendit, etiam probaret quòd confessus alieno de licentia expressa ipsius curati, teneretur eadem peccata iterum ipsimet curato confiteri, cùm non aliter poßit vitam subditi cognoscere, quod tamen est falsum. Ideo dicendum, quòd illic non iniungatur curato & pastori, nisi quod est in ipsius potestate agere, non quod ex alterius pendet voluntate. Debet igitur vigilare super subditos, vt si viderit eos, non sicut debent, viuere, illos sua correctione reuocet, ne pereant: Cognoscere autem subditorum peccata per confeßionem secretam, non in eorum potestate est, sed subditorum, si scilicet velint omnia illi confiteri, ideo citata authoritas non se extendit ad confeßionem pœnitentialem.

Ad IIII.

Ad quartum scilicet non esse dandum sanctum canibus, dicendum quòd curatus sacramenta dare non debeat nisi dignis, hoc est, quos putauerit esse dignos, quandoquidem realem eorum dignitatem, quæ per gratiam Dei est, non potest ipse humanitus scire. Iustè autem putat suum subditum dignum esse, quando asserit ei, se sufficienter alteri confessum esse, & conscientiam peccati non habere.

Summa totius quæstionis.

Habemus igitur ex prædictis, quòd sola licentia Episcopi, aut Papæ sufficiat, vt parochiani alicuius curati poßint sine licentia curati fratribus, aut aliis taliter licentiatis confiteri, quodque illis confeßi satisfaciant præcepto Ecclesiæ de semel in anno, ita vt non teneantur confeßionem reiterare, quodque sacerdos proprius in præfata decretali non strictè pro solo curato parochiali accipiatur, sed largiùs, vt se extendit ad omnem habentem potestatem ordinariam, vt dictum est, idque secundùm communem sententiam.

Dubium. De proprio sacerdote.

Esset tamen hîc dubium, an poßit teneri, vt proprius sacerdos in præsenti decretali non nisi strictè accipiatur, ita scilicet, vt in ordine ad parochianos alicuius parochiæ solus curatus dicatur illis parochianis proprius sacerdos, iuxta Extrauagantem Martini suprà citatam. Et dico notanter in ordine ad parochianos, nam in ordine ad peccatores indifferenter, non dubium quin proprius sacerdos se extendat ad Episcopos, & Archipresbyteros, & ad Papam. Respondetur, quòd non solùm probabilis sit talis assertio, sed vera, vt apparet, si sano modo intelligatur, quia Papa est proprius sacerdos Cardinalium, & Episcoporum. Episcopi verò sunt proprij sacerdotes Archipresbyterorum, & aliorum inferiorum Prelatorum. Archipresbyteri autem sunt proprij sacerdotes presbyterorum, seu curatorum parochialium. Parochiales verò sunt proprij sacerdotes parochianorum &c. Ac proinde, esto quòd proprius sacerdos se extendat, vt dictum est, ad Episcopos, & Papã simpliciter, non tamen ita, vt Papa respectiuè sit omnium proprius sacerdos, nec Episcopus sit omnium subditorum proprius sacerdos, sed communis. Itaque proprius sacerdos in præsenti est alius & alius, respectu diuersorum, sed vnicuiq; est proprius sacerdos ille, qui propinquus est & immediatus, cui ipse immediatè subiectus est. Et ita respectu laicorum alicuius parochiæ, curatus illius parochiæ est illis proprius sacerdos, non Episcopus, nec Papa. Contra quod fiebat ratio, quia si Papa, & Episcopus non essent proprij sacerdotes talium parochianorum, igitur essent alieni, cùm

Resolutio. Respõdetur quorum sit propri' sacerdos Papa, item Episcopus, Archipresbyter, Parochus, &c.

Obiectio.

A cùm proprius,& alienus ex oppoſito ſe habeant in textu,& ex conſequenti iuxta textum non poſſet Papa parochianum abſoluere ſine licentia ſui curati. Reſpondetur,quòd ratio ſit apparens, ſi ita eſſet quòd alienus immediatè diſtingueretur contra proprium in præfata decretali,vt communiter dicitur,non tamen ita eſt,vt videtur,ſed alienus opponitur ſuo, & non proprio, modò autem reſpectu parochianorum curatus dicitur ſacerdos ſuus. Epiſcopus etiam eſt paſtor ſuus, & Papa ſimiliter eſt paſtor ſuus, vt conſtat. Dempto quòd curatus eſt paſtor ſuus proprius, id eſt, immediatus & propinquus, Epiſcopus autem eſt ſuus remotior,Papa verò longè remotior, non quòd non habeant poteſtatem,qua immediatè poſsint præfatos parochianos abſoluere,ſed quia inter Papam & illos mediat Epiſcopus, & inter Epiſcopum & illos mediat curatus, & inter curatos & illos non mediat aliquis alius paſtor ſuus,ideo eſt proprius.Ac proinde,cùm omnes illi, quorum alter alteri ſubordinatus eſt, ſint ſui, id eſt ipſorum parochianorum, ſequitur nullum eorum eſſe eiſdem alienum,ſed reliqui,qui non ſunt ſui,erunt illis alieni.Et tunc ait textus,quòd parochiani,qui volunt alienis confiteri,priùs licentiam poſtulent & obtineant à propriò ſuo,id eſt,curato. Et curati,qui volunt ſibi alieno cõfiteri,etiam priùs poſtulent licentiam à ſuo ſcilicet proprio,ſiue ſit Archipresbyter,ſiue Decanus,ſiue Epiſcopus. Et Epiſcopus,qui vult ſibi alieno confiteri, licentiam habeat à Papa,qui eſt proprius ipſius Epiſcopi. Ex dictis patet quod dixi,ſcilicet proprium & alienum in præſenti *Corollarium.*
B non immediatè opponi, quia datur ſacerdos,qui reſpectu parochianorũ alicuius parochiæ nec proprius eſt nec alienus,vt eſt Epiſcopus,& Papa,qui alieni non ſunt,vt conſtat ex dictis,nec etiam proprij reſpectu illorum,quia non ſunt immediati & propinqui confeſſores eorum. *Sacerdos propri⁹ & alienus, opponuntur immediatè in propoſito.* Nec valet dicere; ſequitur bene, eſt proprius, ergo non eſt alienus, & econtrà; eſt alienus, ergo non eſt proprius, igitur immediatè opponuntur proprius, & alienus. Non inquam valet, ex quo datur inter proprium & alienum aliquis medius, vt patet intuenti. *Diluuntur obiectiones quædam cõtra prædicta.* *I.* *Solutio.* Si obiicias, quòd igitur parochianus non poſsit alieno confiteri, niſi de licentia ſui curati,& per conſequens cùm fratres priuilegiati ſint alieni,ſequitur &c. *II.* Reſpondetur,quòd quamuis de iure ita diſpoſitum ſit, vt illatum eſt, intelligitur tamẽ ſemper excepta authoritas & poteſtas ſuperiorum, ſcilicet Epiſcopi, & Papæ &c. *Solutio.* Itaque vbi Papa, aut Epiſcopus licentiam præbent Parochianis alieno confitendi, illa ſufficit ſine licentia curati. Si tamen parochianus non habeat licentiam ſuperiorum, non poterit alieno confiteri ſine licentia curati.

Sed adhvc replicaret aliquis, confirmando præcedentem obiectionem, nam tunc parochianus non poſſet confiteri fratribus priuilegiatis,niſi à ſuo curato licentiam peteret,& obtineret,quod eſt contra ſuprà poſitam determinationem.Et patet ſequela, quia talis parochianus non habet licentiam à ſuperiori, ſcilicet à Papa,nec ab Epiſcopo, vt poſsit confeſſorem alium à curato eligere,vt ſuppono,igitur neceſſaria eſt illi licentia curati, vt fratribus confiteatur. III. Reſpondetur negando ſequelam, quia ſecluſa licentia *Solutio.*
C curati,ſufficit parochiano licentia,quam habet à Papa.Hanc autem quamuis immediatè & directè Papa non acceperit, accepit tamen eam mediatè, quia eo ipſo quòd Papa, aut Epiſcopus concedit licentiam fratribus,vt audiant confeſsiones eorum,qui illis volunt confiteri, ex conſequenti licentiat quoſcunque alios, vt illis liberè confiteantur. Sicut econtrà, ſi Epiſcopus concedit licentiam alicui ſubdito vt confiteatur cui velit,eo ipſo ex conſequenti concedit licentiam ſacerdoti per huiuſmodi ſubditum electo, vt confeſsionem illius audiat.Id patet ex capit. Si Epiſcopus.de pœnitentiis & remiſsionibus, vbi dicitur,quòd ſola licentia ab Epiſcopo data vt ſubditus eligat confeſſorem, ſufficiat, vt ſic electus eum abſoluat. *Data facultate alicui à Papa vel Epiſcopo eligendi confeſſorem, hoc ipſo poteſt electus eum abſoluere.* Idem patet de accipientibus Bullas, quibus conceditur facultas eligendi confeſſorem,qui electus,eo ipſo poteſt eum abſoluere. Idem patet de capellanis,quos curati coadiutores accipiunt,quibus immediatè ſuas vices committunt, & eo ipſo ſui parochiani ſine alia licentia particulari poſſunt illis confiteri. *Ratio.* Huius ratio eſt,quia ſacerdos quicunque poteſtatem habet ordinis, qua poteſt vnumquenque peccatorem abſoluere, ſi ipſi legitimè ſubiiciatur,nam ſine materia ſubiecta, vſum ordinis exercere non poterit, ſed eo ipſo, quòd ſacerdoti datur à Papa, vel ab Epiſcopo, vel à curato facultas audiendi volentes eiſdem confiteri, ex conſequenti datur libertas peccatoribus, vt ſe illi ſacerdoti ſubiiciant, ſi velint. Et ita eo ipſo quòd peccator ſe illi in confeſsione ſubiicit, ex quo id legitimè facit, eſt materia idonea, in quam poſsit ille ſacerdos vſum ordinis exercere. Eodem modo ſi prælati dant peccatoribus licentiam

eligendi confessores, non opus est alia licentia pro confessoribus, quia taliter licentiati, eo ipso quòd se electo subiiciunt, efficiuntur materia idonea, in quam possit electus vsum ordinis exercere &c.

De licentia curati alieno confitendi.

QVÆSTIO XXX.

An seclùso omni priuilegio debeat parochianus se nperà proprio curato petere licentiam alieno confitendi.

Sententia I.

Ratio I.

SED EST QVAESTIO, an quando parochianus non habet licentiam à Papa, nec ab Episcopo, nec aliquod priuilegium, sit necessarium semper eidem licētiam à proprio curato petere & obtinere, vt alieno confiteatur. Et dixerunt aliqui sub distinctione respondentes, quòd si sit ex parte curati defectus notabilis, siue naturæ, siue vitij, aut impedimenti canonici, tunc possit paróchianus alieno confiteri, non habita licentia curati, vt si curatus sit mente captus, aut infirmus, aut excommunicatus, aut solicitator mulierum, quę illi confitentur, aut reuelator confessionis &c. Id probant ex cap. Placuit. de pœnitentia. distinct. 6. vbi dicitur, tam in textu quàm glossa, quòd si curatus sit ignarus, & indiscretus, possit eius subditus sine licentia curati alieno confiteri &c. Igitur paritate rationis, quando curatus est defectuosus aliquo defectu ex dictis, poterit parochianus alieno confiteri sine licentia curati, cùm non minores defectus sint hi, quos diximus, quàm ignorantia, & indiscretio &c. Sic videtur tenere Thomas in 4. distinct. 21. in

II. fine. Et Gabriel post Palude in 4. dist. 17. q. 1. dubio 4. Pro qua sententia etiam facit, quòd vbi quis requisitus tenetur in petito consentire, sufficit licentiam ab eodē petere, etiamsi eam actu non concedat, cùm consensus debitus æquiparetur consensui actuali. argu-

Confirmatio. mentum est capit. Licet. de regularibus & transeuntibus ad religionem &c. Exemplifica de eo, qui alienum retinet, aut dispensat, seu distrahit de licentia, seu consensu Domini debito, etiamsi actu non consentiat. Cùm igitur in casu curatus præfatos defectus patiatur, & subsit iusta causa, qua existente, non possit curatus rationabiliter licentiam subdito denegare vt alieno cōfiteatur, sed rationabiliter debeat consentire, sequitur &c. Si autem in curato nullus talis defectus sit, tunc dicunt necessariam esse licentiam cura-

II. Sentētia verior trimēbris. ti, iuxta textum præsentē. His non obstantibus, videtur aliter respondendum, & distinguendum est de confessione, nam quædam est merè voluntaria, quæ fit sine necessitate, quædam necessaria, quæ fit necessitate ex iure diuino, quædam necessaria, quæ fit necessitate ex iure humano, puta quæ semel in anno debet fieri &c. Si loquamur de confessione voluntaria, tunc supposita idoneitate proprij curati, non dubium quin ad eam requiratur licentia proprij sacerdotis curati, si is qui confessurus est, sit eius parochianus. Id patet ex textu præsenti, Omnis vtriusque sexus, vbi dicitur, quòd si voluerit alieno confiteri, priùs postulet & obtineat licentiam à proprio &c. Vbi cùm ait, si voluerit, occasionē præstat intelligendi, quòd loquatur de confessione voluntaria, qualis potissimùm ea est, quæ intra annum extra Quadragesimam fit.

Conclusio I. *Confessio voluntaria sine licentia proprij curati, alieno fieri non potest.* *Probatur.*

Exploditur quorundam opinio.

ERRANT igitur qui dicunt, posse parochianum voluntariè confiteri alieno sine licentia proprij extra tempus, quo tenetur necessariò confiteri, quasi in sola Quadragesima indigeat parochianus licentia curati, vt alieno confiteatur, maximè cùm textus dicat, non aliter posse alienum confitentem absoluere, nisi habita proprij sacerdotis licentia. De his tamen latiùs infrà.

Conclusio II. *Confessio iure diuino necessaria alieno fieri potest absque licētia proprij curati.*

SI AVTEM loquamur de confessione necessaria de iure diuino, qualis est quæ fieri debet in articulo seu periculo mortis, vndecunque mors euentura timetur, siue ex bello, siue ex mari, siue ex peste, siue ex morbo &c. tunc etiam non dubium, quin possit talis pœnitens confiteri cuicunque alieno idoneo, non expectata licentia proprij curati, iuxta capit. Pastoralis. de officio ordinarij, & ex multis aliis iuribus. Si verò loquamur de confessione necessaria ex iure humano, quæ scilicet semel in anno fieri debet, videtur absque præiudicio melioris sententiæ, loquendo de rigore iuris in casu præsentis dubij, quòd fieri non possit huiusmodi confessio alieno sacerdoti, nisi proprij curati obtenta licentia, qualiscunque sit ipse proprius curatus, excepto casu, quo curatus sit ignarus, & indiscretus. Id probatur, quia videmus ius commune præsentis decretalis, in qua dicitur, vt nullus confiteatur alieno sine licentia obtenta à proprio, cum

Conclusio III. *Confessio iure humano necessaria fieri non potest alieno sine proprij curati licentia, nisi hic esset ignarus & indiscretus.*

Probatur I.

A cùm alter non poſsit ſoluere. Videmus etiam ius particulare in ca. Placuit. de pœnitentia. diſtin. 6. in qua ſtatuitur, vt ſi curatus ignarus ſit, poſsit parochianus, ſine licentia curati alieno confiteri. Cùm igitur ius non excipiat niſi hũc caſum particularem, ſequitur quòd extra hunc caſum ſtandum ſit communi iuri, ſcilicet neceſſariã eſſe licentiam obtentam à proprio. Quòd ſi proprius eam non concedat, aut concedere poſsit, tunc poteſtas licentiandi parochianos deuoluitur ad Epiſcopum, à quo petenda eſt, & ſi Epiſcopus haberi non poſsit, facultas licentiandi deuoluitur ad Papam, à quo tunc petenda eſt, quem ſi peccator adire, aut eius licentiam habere non poteſt, tunc perinde eſt, ac ſi peccator non habeat copiam confeſſoris, & ſatis ei erit Domino intus confiteri &c. Loquor in hoc dicto caſu, quo pœnitens nõ eſt in periculo mortis. Nec per hoc impeditur, quò minùs tempore debito poſsit celebrare, aut Euchariſtiam ſuſcipere. II.

NOTA. Si in caſu dicto proprius curatus licẽtiam nõ concedat, ad Epiſcopũ, vel Papam recurrendum eſt.

SI OBIICIAS, quòd exiſtente aliquo defectu ex dictis in curato, ſubſit iuſta cauſa eum relinquendi, & ad alium adeundi &c. Igitur &c. Reſpon. quòd huiuſmodi iuſta cauſa ſufficiat ad relinquendum eum, & non illi confitendum, non tamen ſufficiat, vt ſubditus alieno confiteri poſsit. Id patet ex textu præſenti, vbi dicitur, quòd ſi voluerit ob iuſtam cauſam alieno confiteri, licentiam priùs obtineat à proprio. Vnde apertum eſt, iuſtam cauſam ſubſiſtentem non ſufficere, vt quis alieno confiteatur ſine licentia proprij, extra caſum iure exceptum.

Obiectio. Solutio.

B PER HAEC reſponderi facilè poteſt ad rationes priores. Ad primam ex ca. Placuit. dicendum, quòd illic ſolùm excipiatur caſus ignorantiæ ipſius curati, quo caſu ius ipſum præſtat licentiam parochiano, vt alieno confiteatur. Nec habet locum hic argumentum à paritate rationis, quia res præſens magis pendet ex voluntate, & diſpoſitione iuris humani quàm ex ratione, ad minus non ex pura ratione pendet, ideo magis ſtandum eſt iuris diſpoſitioni quàm meræ rationi. Quod autem communiter dicitur, vbi eſt eadem ratio, eſt idem ius, in multis fallit, & tenet quando ius ſoli rationi innititur, & non potiùs voluntati diſponentis. In cuius confirmationem videtur facere ipſum cap. Placuit. vbi dicitur: Placuit, vt deinceps nulli ſacerdotum liceret quemlibet commiſſum alteri ſacerdoti ad pœnitentiam ſuſcipere, ſine eius conſenſu, cui priùs ſe commiſit, niſi pro ignorantia illius prioris &c. Ex quo patet quòd dicens, deinceps, ſignificet quòd ante illud tempus ob multas cauſas ſolebant pœnitentes proprios curatos relinquere, & alienos adire, quas omnes cauſas textus ipſe excludit, & ſolam cauſam ignorantiæ prioris admittit, ac proinde gloſſ. ibidem non ſatis rationabiliter extendit decretum ad alias iuſtas cauſas.

Soluũtur rationes contrariæ. Ad I. reſpondetur.

Vbi eadem eſt ratio, idẽ quoq; ius eſſe, quomodo intelligendum.

AD SECVNDAM dicendum, quòd non ſemper conſenſus debitus ęquiparetur cõſenſui actuali, ita vt idem operentur, vt ſi quis baptizetur exteriùs, multum refert ẽum actu intus conſentire aut conſentire debere quo ad hoc, quod eſt eum manere verè baptizatum; qui etiam verba matrimonialia exteriùs ad aliquam profert, multum refert C intus actu conſentiat, & quòd conſentire debeat, quo ad hoc, quod eſt verum eſſe illic matrimonium; ad hunc modum de aliis. Tunc autem conſenſus debitus operatur idem quod actualis, quando ius, vel manifeſta ratio ſupplet defectum actualis conſenſus, quemadmodum in cap. Licet. de regularibus, &c. ſuprà citato, vbi dicitur in ſententia, quòd ſi religioſus velit ad arctiorem tranſire religionem, ſatis ſit licentiam à ſuo prælato poſtulare, vt tranſire poſsit, etiamſi prælatus eam deneget, vbi ius ipſum ſupplet defectum licentiæ prælati. Sic in propoſito, cùm ius ſuppleat defectum licentiæ curati ignari, idem operabitur conſenſus debitus curati quod conſenſus actualis eiuſdem. Secùs in aliis caſibus, in quibus adeſt iuſta cauſa relinquendi curatum, in quibus etſi curatus licentiam petitam debeat concedere, ſi tamen eam non concedit, non ſupplet ius eius defectum.

Ad II. Conſenſus debitus non ſemper æquiparatur cõſenſui actuali.

Ad eiuſdem cõfirmationem.

AN AVTEM in caſu huius decreti, Placuit. ſit neceſſarium parochiano petere licentiam à curato, etſi eam obtinere non oporteat. Videtur quòd ſic, quia cùm diuerſa ſint, petere licentiam, & eam obtinere, & de iure communi vtrunq; ſit neceſſarium parochiano, volenti alieno confiteri, ſequitur quòd ſi ab altero eorũ deobligetur, remaneat ad reliquũ obligatus, quia ex duabus ſeruitutibus, ſi altera tollatur, remanet alia, vt ſuprà tetigimus. Adde quòd ius particulare in pręſenti caſu, nõ ſuppleat petitionẽ licentiæ, ſed eius obtẽtionem. Si obiicias, quòd ceſſante principali, ceſſet acceſſorium, & quando aliquid eſt neceſſarium ad aliud obtinendum, non ſperato illo obtinendo,

Dubium. An petenda ſit licentia à curato, etſi eam obtinere nõ oporteat. Solutio affirmatiua. Obiectio.

cessat necessitas prioris, vt patet de confessione, quæ propter absolutionem obtinendam est necessaria, & cessante spe absolutionis, vt si audiens confessionem non possit absoluere, cessat necessitas confitendi, & quando non speratur emenda fratris, cessat necessitas eum corrigendi, & quando non speratur salus infirmi, cessat necessitas ei medendi, &c. igitur quando non speratur licentia curati, cessat necessitas eam petendi &c. Respondetur quòd quando primum non recipitur nisi propter secundum, secundo non sperato, cessat obligatio primi, vt in exemplis allegatis. Si tamen primum præcipitur propter secundum, sed non præcisè propter secundum, tunc cessante secundo, non opus est cesset primum, sicut in præsenti casu præcipitur parochiano volenti alieno confiteri, vt licentiam petat à proprio, & quamuis petitio fiat, & fieri debeat propter licentiam obtinendam, non tamen propter id solùm præcipitur petitio licentiæ, sed vt subditus debitam obedientiam, & reuerentiam suo superiori exhibeat, quod fit, quando subditus humiliter à suo prælato licentiam petit. Et etiam vt vitentur inconuenientia, quæ alioqui sequi possent, si subditus pro sua voluntate ab obedientia sui prælati se subtraheret, vnde scandala sæpe oriri solent. Id confirmat cap. Licet. suprà citatum, de regularibus. Itaq; extra articulum necessitatis, si parochianus velit alieno confiteri, licentiam priùs postulet, & obtineat à proprio, siue proprius habeat defectus prædictos naturæ, vel vitij, siue non, excepto casu ignorantiæ indiscretionis ipsius curati, quo casu, satis est licentiam petere, licet non obtineatur. Nec obstat, quòd existentibus prædictis defectibus in curato, non sit idoneus, qui per se confessiones audiat, quia cum hoc stat, quòd sit idoneus ad conferendum præfatam licentiam. Exemplum est clarum de curato nondum ordinato, qui cùm per se non possit confessiones audire, potest tamen confessorem, qui audiat, instituere.

Solutio.

De multiplici licentia alieno confitendi.

QVÆSTIO XXXI.

De quibusdam vagabundis & peregrinis qui sine licētia proprij curati alienis confiteri solent.

Fundamentum vniuersale.

SED ADHVC relinquitur dubium de peregrinantibus, & vagabundis & sacerdotibus, & scholaribus, qui sæpe confitentur alienis, non habita priùs licentia proprij curati, quorum tamen confessio communiter approbatur.

RESPONDETVR, illud generaliter tenendum esse, quòd nullus possit alieno confiteri, nisi de licentia proprij expressa, vel tacita, idque accipiendo proprium, pro omni habente iurisdictionem ordinariam, quemadmodum in decretali communiter accipitur, iuxta ea quæ dicta sunt. Pro quo illud notandum quòd aliquando habet peccator licentiam alieno confitendi à iure, aliquando à consuetudine, aliquando ab homine. Exemplum à iure, vt in casu necessitatis, puta in periculo mortis, & in casu, quo proprius sacerdos est ignarus, tunc ius concedit licentiam alium adeundi. Exemplum à consuetudine, vt sacerdos potest, dimisso proprio, cuicunque sacerdoti confiteri, quæ consuetudo ideo vim obtinuit, quia est à superioribus cognita, & approbata, quia cùm eam sciant, minimè contradicunt. Exemplum ab homine clarum est, vt si Papa, Episcopus, vel curatus licentiam suis subditis conferant, vt alienis valeant confiteri, & qualitercunque quis sit licentiatus alieno confiteri, dicitur habere licentiam à proprio, id est, à superiore potestatem ordinariam habente: Nam si ius concedit præfatam licentiam, conditor iuris, id est, Papa, eam concedit. Si consuetudo similiter dat licentiam, Papa qui consuetudinem scit & approbat, eam dedisse censetur, & cùm Papa sit sacerdos proprius, iuxta communem intellectum decretalis, sequitur intentum.

Subditus triplicē habere potest licentiam alieno confitendi.

Omnibus III. modis dicitur habere licentiā à proprio &c.

Conclusio I. SACERDOTES igitur, qui sibi inuicem confitentur sine licētia sui proprij, id obtinuerunt ex consuetudine per superiores approbata:
II. Peregrinantes etiam, vbi se repererint in Quadragesima, tenentur confiteri curato, quem elegerint, si plures ibidem sint:
III. similiter & vagabundi, qui non possunt simplicem eligere, aut alium, quem volūt, ne videantur esse melioris conditionis, quàm plebei eiusdem loci, prout Eugenius Quartus dicitur declarasse, & tales dicuntur ad id licentiati à iure vel consuetudine approbata. De Scholaribus aūt illud tenetur communiter, quòd in illa parochia teneantur cōfiteri in qua

A in qua per maiorem partem anni diuina audierunt officia. Sed de his & aliis minutis quæstionibus vide Summistas. Sed obiicies contra id quod de consuetudine dictum est, cap. Si Episcopus. de pœnitentiis & remiss. lib. 6. vbi dicitur, quòd nulla possit consuetudine introduci, vt aliquis præter sui superioris licentiam eligat confessorem, qui eum soluere possit &c. Respon. ita esse, quòd sola consuetudo nulli det ius huiusmodi. Verùm si consuetudo sit superiori nota, & cùm prohibere illud possit, non prohibeat, tunc superior ipse est, qui sua approbatione, & consensu dat ius eligendi confessorem, & sic electo potestatem confert absoluendi, vt dictum est.

Diluuntur aliquot obiectiones. I.

Solutio.

Contra id opponitur, quia tunc approbatio superioris, & ratihabitio sufficeret, vt præteritæ confessiones sine superioris licentia factæ essent validæ, & non reiterandæ. Probatur hoc, tum ex data solutione, tum etiam, quia ratihabitio retrotrahitur, & mandato comparatur: Si autem superior id mandasset alicui confessori, vt audiret quorundam confessiones, tenuissent huiusmodi confessiones, igitur etiam per ratihabitionem tenebunt. Quod etiam confirmatur, de Episcopo ordiãte subditum alterius Episcopi sine licentia eius, attamen si talem ordinationem proprius Episcopus postea sciens approbat & ratam habet, tenebit ac si de propria licẽtia fuisset ille ab alieno Episcopo promotus. Respond. ad primum, quòd approbatio superioris subsequens confessionem sine legitima licentia factam, non sufficiat vt illa fuerit valida, & sacramentalis,

II. Obiectio.

Confirmatio.

Solutio.

B Sacramentum enim, quo ad sui veritatem, non pendet ex futuro, vt suprà tetigi, ideo si quando absolutio impenditur, est verè Sacramentum, per nullum postmodum subsequentem casum fieri potest, vt Sacramentum non fuerit, et si tempore, quo absolutio impendebatur, non fuit verè Sacramentum, per nullum actum, aut approbationem, seu consensum postmodum subsequentem fieri potest, vt fuerit verè Sacramentum. Itaque approbatio cognitæ consuetudinis à superiore habita, non sufficit vt præteritæ confessiones, quæ huiusmodi approbationem præcesserunt, fuerint verè sacramentales, sufficit tamen, vt confessiones post huiusmodi approbationem factæ, verè sacramentales sint.

Corollarie sequitur, quòd ratihabitio superioris nil agat ad hoc vt Sacramentum fuerit, quod non fuit. Quod autem allegatur, scilicet quòd ratihabitio retrotrahatur, & mandato comparetur, tenet verum, quando solum mandatum suffecisset vt teneret factum, seu vt res fieret, veritas autem sacramentalis absolutionis non ex solo mandato alicuius pendet, sed materiam, & formam, & ministrum, & intentionem debitam ex Dei institutione requirit, vt constat, quæ si non concurrunt, nec mandatum hominis, nec ratihabitio sufficit, vt verum sit, aut fuerit Sacramentum. Valet autem ratihabitio in contractibus, in gestis ad forum publicum pertinentibus, & in delictis perpetratis, quæ ratihabenti solent imputari, & in multis aliis, quæ ex humana dispositione pendent. De quo vide gloss. 19. quæst. 2. in principio. Et quod de ordinis Sacramento

Corollarium I.

Superioris ratihabitio nil facit ad hoc, vt verum fuerit Sacramentum confessionis, vel nõ fuerit.

In quibus valeat superioris ratihabitio.

C obiectum est, soluitur ex dictis, quòd scilicet ratihabitio proprij Episcopi etiam sit impertinens, vt fuerit vel non fuerit verum Sacramentum ordinis. Id tamen illa ratihabitio factæ ordinationis operatur, quòd taliter ordinatus possit post ratihabitionem ordinibus vti susceptis.

Ad confirmationem secũdæ obiectionis.

Corollarie sequitur ex dictis, quòd non sit necessaria expressa licentia curati, vel superioris ad hoc vt parochianus alieno confiteatur, nam sufficit vt sit tacita, seu rationabiliter præsumpta, vt in casu consuetudinis à superiore cognitæ prohibere potente & non contradicente, ex tunc valebit tacita superioris licentia. Ac proinde si curatus videt alienum siue secularem, siue religiosum suorum parochianorum confessiones audire & tacet, iam tacitè videtur eos licentiare, ac proinde non est rationabile quod aliqui Doctores dicunt esse necessariam licentiã expressam superioris, & non sufficere præsumptam. Ne tamen ab illis differamus, videtur distinguendum, quod de præsumpta licentia dicunt, eam scilicet non sufficere, quia id potest dupliciter intelligi, vel quòd non sufficiat vt parochianus licitè alieno confiteatur, vel quod non sufficiat, vt sit sacramẽtalis absolutio ab alieno impensa. Et quidem si præsumptio sit rationabilis (nam de hac loquor) sufficit vt iuxta eam licitè parochianus confiteatur alieno, & alienus eum absoluat, quandoquidem præsumptio rationabilis, quantum ad hoc quod est eos à culpa noua excusari, æquiparatur scientiæ, seu expressæ licentiæ. Attamen ad hoc vt sit vera absolutio sacramentalis, non sufficit præsumptio, si in oppositum sit veritas.

Corollarium II.

Vt aliquis alieno confiteatur, necessaria non est expressa curati licẽtia, sufficit vel tacita, vel etiam rationabiliter præsumpta.

Examinatur quorundã sententia asserentium non sufficere licentiam præsumptam.

Interim

Interim tamen, quia de veritate præsumptioni opposita non constat, licitè potest s[...] præsumptioni. Cùm aũt veritas constiterit, scilicet quòd curatus nunquam verè confes-serit in præfatis confesſionibus alienis sacerdotibus factis, tunc erit cõfesſio reiterand[a].

CorollariũIII. COROLLARIE sequitur, quid dicendum in casu, quo parochianus adit curatu[m] suum eidem confessurus, & tamen curatus non vult eum audire, vel quia non potest, v[el] quia indispositus est, vel quia simpliciter nõ vult, an talis parochianus posſit liberè aliu[m] adire sine licentia expressa petita, & obtenta? Et arguitur quòd sic, quia talis parochia-nus iustam causam habet alium adeundi, ex quo illius proprius eum audire nõ vult, ma-ximè, si sit tempus Quadragesimæ, aut Paschatis, & subditus ille velit communicare &c. *Quomodo habere iustam causam alieno confitendi, non sufficiat, absq; licẽtia obtẽta à proprio curato, vel superiore.* Verùm ex dictis patet responsio, quòd habere iustam causam alium adeundi, non suf-ficiat sine licentia obtenta à suo curato, vel superiore, quia præsens decretalis, Omnis, v[bi] concurrit iusta causa alienum adeundi, ait esse necessarium obtinere licentiam à propri[o] sacerdote, igitur in casu hoc, quo curatus eum audire non vult, est distinguendum, qu[ia] vel dat licentiam vt alium adeat, vel eam expresſè negat, vel nec vnum, nec alterum. [Si] primum, adeat alium. Si secundum, alium adire non potest, non præhabita licentia sup[e]riorum. Si tertium, recurrendum est ad præsumptionem, quia si iustè & rationabilit[er] prȩsumitur, quòd curatus in casu contentus esset, vt suus parochianus alieno confitere-tur, poterit alieno confiteri, aliàs non. Præsumptio autem haberi potest, si nulla indici[a] nec causa in curato appareant, ad negandum huiusmodi licentiam, tunc videtur esse ta-cita aut præsumpta licentia, & hæc sufficit, vt dictum est.

De licentia vicecurati ad alieno confitendum.

QVÆSTIO XXXII.

An sufficiat habere licẽtiam à Vicecurato, alieno confitendi? ALIVD DVBIVM, an sufficiat parochiano licentiam habere à vicecura-to, vt posſit alieno confiteri? Et arguitur, quòd non, quia secundùm i[u]ra delegatus non potest subdelegare, si delegatus sit ab inferiore or-*Ratio partis negatiuæ.* dinario particularem habente commisſionem, talis est, qui habet v[i]cem curati. Quod apertiùs apparet ex cap. fi. de officio iudicis dele-gati. §. cæterum. vbi dicitur: Nulli cui commissum fuerit prædica[re] crucem, excommunicare, vel absoluere aliquos, dispensare cum irregularibus, vel i[n]iungere pœnitentias, liceat hoc de cætero aliis demandare, salua legatorum sedis Ap[o]stolicæ authoritate, & datur ibidem causa, quia non eis iurisdictio, sed certum minist[e]rium committitur in hac parte. Vnde visum est Richardo Anglico in suis Quodlibet[is] quòd vicecuratus non posſit licentiam dare alteri sacerdoti, vt confesſiones audiat, [&] *Solutio bimembris.* multò minùs eam dare posſit subditis vt confessores eligant. Aliter tamen videtur [in] præsenti respondendum, sub distinctione, scilicet quia vel curatus intendit suo vicec[u]-

I. rato omnes suas vices plenè conferre, vt id faciat in parochia, quod ipse curatus, quo[ad] Sacramentorum administrationem, esset facturus, & si sic, sufficit licentia vicecurati [sa]cerdoti alieno ad confesſiones audiendum, vel parochiano ad confessorem eligendu[m] concessa. Id patet, quia hanc vbique videmus consuetudinem seruari & approba[ri] quòd scilicet vicecurati cùm à loco vbi sunt instituti ad tempus recedunt, relinqu[unt] alios sacerdotes loco sui, qui Sacramenta ministrent. Similiter id vbique seruatur & a[p]probatur, quòd scilicet in tempore Quadragesimæ vicecurati solent coadiutores [as]-

II. sumere vt confesſiones audiant. Si autem curatus non tam plenè vices suas alteri co[m]mitttit, sed solùm vt ipse vicecuratus personaliter confesſiones audiat, quia ad id ob m[e]rita personalia, & personalem industriam electus fuit, tunc non poterit licentiam alt[eri] *Solutio rationis oppositæ.* dare, quia purum ministerium, & nulla iurisdictio illi commissa est, & in tali casu proc[e]dit præfatum, cap. fi. de officio iudicis delegati, vt patet ex causa in textu data, in qua [di]-*Alia obiectio.* citur, quòd non eis iurisdictio, sed certum ministerium committatur. Sed vltrà obici[tur] quòd licentiatus à vicecurato non posſit sacramentaliter alieno confiteri. Patet, q[uia] nullus potest alieno confiteri sine licentia proprij, vt suprà ostensum est, ille autem vic[e]curatus non est proprius, sed alienus, vt constat, igitur ipsius licentia, sine licentia c[u]-*Solutio.* rati nil operatur. Respon. quòd in casu licentia per vicecuratum data, valida sit, ex co[n]sensu curati expresso vel tacito, qui eo ipso quòd plenas vices vicecurato commi[sit]

co[n]-

A consensit & approbauit licentiam per vicecuratum datam. Itaque licet vicecuratus ratione sui non posit licentiam præfatam dare, potest tamen consensu curati. Pro quo facit, quòd delegatus posit ex consensu ordinarij subdelegare, vt habetur de offic. deleg. cap. Super eo.

De confeßione mulieris, quæ cum suo curato est fornicata.

QVÆSTIO XXXIII.

An peccãs cum proprio suo curato, poßit absque illius licentia confiteri alieno.

Rationes partis affirmatiuæ.

EX DICTIS sequitur, quid dicendum casu, quo mulier fuerit cum suo curato fornicata, an scilicet posit alium quærere confessorem sine licentia proprij curati? Et dixerunt aliqui quòd sic, vt Richardus in suo 4. Pro qua sententia facit primò, quòd illa habeat iustam causam alium quærendi confessorem, maximè si ex confesione proprio facta verisimiliter timeat sibiipsi, vel curato periculum offendēdi, igitur poterit alium adire. Nam ob eandem causam licitum est parochiano alienum quęrere, casu, quo proprius sit ignarus. I. Facit secundò cap. Licet. de regularibus. suprà citatum, ex quo apparet, quòd licitum sit monacho ad arctiorem volare religionem, sine licentia obtenta II.
B à suo prælato, ob solam ipsius monachi vtilitatem, vbi de transitu nullum habeat præceptum, igitur à fortiori licebit ei, qui habet iustam causam recusandi curatum, alium quęrere confessorem, cùm hîc non sola vtilitas peccatoris id postulet, sed præceptũ de confitendo concurrat. Nec valet dicere, vt suprà, quòd in hoc casu ius non prouidit de confessore, nec suppleuit defectum consensus curati. *Occurritur quibusdam obiectionibus.* Non valet, vt apparet, quia nõ est verisimile, quòd ius prouiderit de remedio in defectum prælati, ob solam hominis vtilitatē, I. & non de eo prouiderit, ob hominis necesitatem. II. Si dicas nõ esse necesitatem hanc in casu alicui homini confitendi, quando licentia non habetur à curato, quia sufficit ei cõfiteri Deo, & conteri: Contra, quia sæpe fit, vt contritio seu cordis pœnitentia non sufficiat peccatori, vt se in statu gratiæ reponat, cum qua tamen Sacramentum absolutionis sufficeret, igitur casus est necesitatis, & non vtilitatis.

Resolutio negatiua. *Nunquam licet alieno confiteri absque curati licẽtia, duobus casibus exceptis.*

HIS NON obstantibus dicendum, quòd nec in hoc casu, nec in quocunq; alio licitum sit alieno confiteri sine licentia proprij, exceptis casibus, quibus ius supplet defectũ, & licentiam præstat, vt suprà dictum est. Hanc autem non videtur ius præstare, nisi quãdo quis est in periculo mortis constitutus, aut quando proprius est ignarus, ac proinde in casu præsenti, nisi à proprio habeatur licentia, non poterit eius parochianus alieno confiteri, nec sufficit eam petere, sed opus est eam obtinere, & per hæc facilè patet ad rationes. *Ad rationes oppositas.* Ad primam dicendum, quod non sufficiat iusta causa alium adeundi, vt iam suprà ostensum est, sed cum hoc requiritur licentia proprij obtenta, iuxta præsentem te- *Ad I.*
C xtum. Et falsum est, quòd ob id solùm licitum sit parochiano alium quærere, quando proprius est ignarus, quia scilicet adest iusta causa illum recusandi, sed ideo quia ius supplet defectum, seu licentiam proprij. Ad secundam similiter dicendum, quòd in *Ad II.* casu illius cap. Licet. ius suppleat defectum prælati, qui non vult, cùm debeat, licentiam præbere, non sic in præsenti casu, & similibus, in quibus non legitur ius prouidisse. Ad replicam dicendum, quòd oporteret ostendere ius, quod suppleret defectum proprij in huiusmodi casibus, quod tamen non apparet. *Ad I. obiectionem.* Aliud enim est iustum esse, vt prouiderit ius de remedio; aliud est, ius prouidisse. Quod vltimò arguebatur, quòd scilicet *Ad II.* sæpe est Sacramentum absolutionis necessarium ad salutem peccatoris, quia scilicet non semper sufficit cordis pœnitentia, procedit secundùm Scotum & alios, qui dicunt esse necessariam intensionem, aut continuationem huiusmodi pœnitentiæ cordis, vt valeat per se ad salutem, quod tamen non omnino probamus, de quo suprà, quando de pœnitentia cordis agebamus.

Dubium restat. *An aliquis in casu proposito debeat suo curato confiteri.* *Respondetur cũ distinctione.*

VERVM ESTO, præfata mulier alium adire confessorem sine licentia proprij non posit, an posit, & debeat in casu curato suo confiteri. Respon. Si timet vehementer, quòd confesio illi facta, cedet ipsi mulieri in damnum animæ, quod erit quasi imposibile sibi euitare, puta si ipsa est valde fragilis, & per experiētiam, vel aliâs scit, quòd quoties præfatum curatum videt, aut alloquitur, vehementer tentetur, tunc non potest illi confiteri, sed tenetur eum vitare, alioqui peccaret, exponendo se pręfato periculo. Idem dicen-

dicendum, si sit eidem verisimile, quòd ex confeſsione curato facta, ipse curatus ex fra-
gilitate incidet in peccatum, secùs si periculum, quod timet, leue est, quia tunc potest, &
debet curato confiteri, vnde à fortiori ad idem tenetur, si nullum timeatur periculum.
Si enim periculum probabiliter timeatur, quòd illi curato confitendum non sit, patet:
quia quando confeſsio alicui facta, est contra charitatem confitentis, vel confessoris, n[on]
est necessariò facienda, iuxta regulam iuris: Quod pro charitate institutum est, contra
charitatem militare non debet, & ita in casu non habita licentia proprij, perinde est, a[c]
si copiam non habeat confessoris.

Sentētia affirmatiua in casu proposito probabilis est.

SED QVONIAM opinionem oppositam, quæ tenet in huiusmodi casibus, in quibus
iusta causa ad recusandum proprium curatum, & alium quærendum concurrit, pos-
se subditum alienum confessorem sine licentia proprij adire, probabilem esse cen-
semus, nec præsumendum est, in huiusmodi casibus humanum ius de remedio minime
prouidisse, videtur de iusta causa alium confessorem adeundi, distinguendum, quia vel
causa talis est, vt pœnitenti non relinquatur facultas proprio curato simpliciter, aut
salubriter, aut sine notabili damno confitendi, & tunc satis est petere ab eo licentiam,
etiamsi non obtineatur, vt liberè posſit subditus alieno confiteri. Exempli gratia, vt si
curatus sit excommunicatus, aut infirmitate grauatus, aut in aliis rebus magis necessa-
riis occupatus, aut subditum simpliciter audire in confeſsione nolit, tunc enim deest

Respondetur alio modo ad prædictam quæstionem cum distinctione de iusta causa confitendi alieno quæ duplex esse potest.

I. parochiano posſibilitas proprio curato confitendi simpliciter. Similiter si sacerdos talis
sit, de quo verisimiliter præsumitur quòd confitentem ad malum sollicitabit, aut non
sciat quæ necessaria sunt ad debitam absolutionem impendendam, aut quæ necessaria
sunt nesciat interrogare, aut salutare consilium ipsi confitenti præbere, tunc enim etsi
non desit simpliciter facultas confitendi, deest tamen facultas salubriter confitendi, si-
militer si de curato verisimiliter timetur, quòd reuelabit confeſsionem, idque in nota-
bile damnum confitentium. In his, & huiusmodi casibus probabile est, posse pœniten-
tem liberè quem velit adire, & satis erit licentiam petere à curato, etiamsi non obti-
neatur.

II. ALIA POTEST esse iusta causa relinquendi proprium curatum, & alienum quæ-
rendi, cum qua stet posſibilitas salubriter proprio curato confitendi, etiamsi ex confes-
sione alteri facta maior fortè vtilitas speretur, & in hoc casu non satis est licentiam pete-
re, sed eam opus est obtinere. Et de hac iusta causa potest competenter accipi, quod in
præsenti decretali dicitur, scilicet si quis voluerit ex iusta causa alieno confiteri, licen-
tiam priùs postulet, & obtineat à proprio, ita scilicet vt intelligatur de iusta causa non
excludente posſibilitatem salubriter suo curato confitendi, vt si subditus verisimiliter
credit, quòd si sua peccata detegat proprio confessori, scilicet episcopo, abbati, aut cu-
rato, non promouebit eum ad bonum aliquod, ad quod alioqui esset eum promoturus,
aut eum non habebit in ea æstimatione aut opinione, in qua eum alioqui esset habitu-
rus, aut non eam amicitiam, & conuersationem cum eo habebit, quam alioqui esset ha-
biturus. Tales & huiusmodi causæ, etsi iustæ sint & rationabiles, vt pœnitens cupiat alie-
no confiteri, ex quo tamen posſibilitatem salubriter confitendi proprio non adimunt,
non sufficiunt, vt sine licentia proprij alienos adeant confessores.

De sacerdote alieno per parochianum eligendo ex licentia proprij.

QVÆSTIO XXXIIII.

Habens licentiam alieno confitendi, an eligere posſit simplicem sacerdotem, à quo validè absoluatur?

VTRVM PAROCHIANVS habens licentiam à suo curato vt alteri, cui
velit, confiteatur, posſit virtute talis licentiæ eligere sacerdotem sim-
plicem, & illi confiteri, ita vt absolutio per talem impensa sit valida? Et
dixerunt nonnulli Iuristæ, quòd non posſit virtute talis licentiæ sacer-
doti simplici confiteri, nisi habenti curam. Pro quo facit gloss. huius de-
cretalis, Omnis vtriusq; &c. similiter gloss. in Clement. I. de priuileg.

Rationes partis negatiuæ. I.

II. FACIT ETIAM secundo, cap. Adiicimus. 16. q. I. vbi dicit Gratianus, quòd mona-
chi, & cæteri sacerdotes, etsi in sua ordinatione potestatem accipiant, non tamen exe-
quutionem habeant, nisi sint à populo electi, & de consensu Abbatis ordinati.

FACI[T]

A Facit tertiò, cap. Ad hæc. de rescriptis. vbi dicitur in sententia, quòd confessio iudicis incerti non valeat. Cùm igitur in præsenti casu licentia confessorem eligendi parochiano à suo curato concessa, sit concessio iudicis incerti, ex quo curatus nullum sacerdotem illi parochiano determinat, sequitur &c. III.

Facit quartò ratio Panormit. quòd scilicet sacerdos simplex sic electus non possit talem parochianum absoluere, eò quòd non habet potestatem iurisdictionis, quia nec ordinariam, vt patet, nec delegatam, ex quo à nullo proprio sacerdote seu ordinario delegatus est. IIII.

Oppositvm tamen videtur tenendum cum Theologis, & probatur primò, quia Episcopi qui habent à iure licentiam, qua possunt sibi eligere confessorem, iuxta cap. Ne pro dilatione. de pœnitentiis & remiss. lib. 6. virtute huiusmodi licentiæ possunt simplicem sacerdotem eligere, & valet absolutio, vt est communis practica, & consuetudo, quæ est optima legum interpres, igitur etiam parochianus habens licentiam à curato, vel Episcopo, vel alio ordinario, poterit virtute talis licentiæ eligere sacerdotem simplicem. Patet consequentia, quia sub eadem forma & tenore conceditur his & illis præfata licentia. Secundò idem probatur, quia si aliquid deesset in casu, quare absolutio à simplici sic electo non valeret, maximè potestas iurisdictionis, sed hoc non, quia potestatem habet iurisdictionis ille sacerdos simplex in ipsum eligentem, nam iurisdictio in foro B pœnitentiali non addit supra potestatem ordinis, nisi materiam subiectam, in quam sacerdos valeat potestatem exercere, vt suprà dixi, hanc autem habet ex voluntaria subiectione, qua talis parochianus se illi subiicere vult, qui licentiam habet se cui vult subiiciendi, igitur. Id patet à simili de sacerdote simplici, cui Papa se subiicit, qui eo ipso habet iurisdictionem super ipsum Papam, & non ob aliud, nisi quia cum potestate ordinis habet materiã subiectam, Papam scilicet, qui potuit, & voluit se illi subiicere. Quòd etiã alia iurisdictio præter potestatem ordinis, & materiam subiectam necessaria non sit, apparet, quia si curatus sit excommunicatus, potest sacerdotem simplicem pro confessionibus audiendis deputare, & tamen curatus excommunicatus nullam iurisdictionem potest in alium transfundere, vt dicit Petrus de Palude. *Resolutio affirmatiua. Probatur* I. II. III.

Ad rationes ante oppositum. dicendum ad primam sumptam ex gloss. cap. Omnis vtriusq;. & ex gloss. in Clementi. de priuilegiis &c. illos glossatores fuisse illius opinionis, à qua tamen nos cum Theologis recedimus. *Respõdetur ad rationes cõtrarias. Ad* I.

Ad secvndam ex cap. Adiicimus. dicendum, quòd illud dictum sit contra quosdam monachos, qui eo ipso quòd essent ad sacerdotium promoti, præsumebant Sacramenta ministrare, & confessiones sine legitima licentia audire, quod illis iure prohibitum est. Et quamuis dicat illic Gratianus, quòd tales exequutionem nõ habeãt, nisi sint à populo electi, & de consensu abbatis ordinati, non excludit licentiam curatorum, sed C intendit, quòd ordinariè non possint confessiones laicorum audire (vbi non adest licentia curati) nisi sint à populo electi. *Ad* II.

Ad tertiam ex cap. Ad hæc. de rescriptis dicendum, quòd procedat in foro cõtentioso, vbi necessaria est potestas iurisdictionis de nouo iudicibus electis, seu deputatis collata; Secùs in foro pœnitentiali, in quo præter potestatem ordinis, non requiritur alia noua iurisdictio, nisi materia subiecta. Et patet hoc, quia si ratio valeret etiam in hoc pœnitentiali foro, non igitur valeret concessio Episcopi facta, de eligendo cõfessorem, Nec valeret gratia in Bullis Papæ, cuicunque Bullam accipienti concessa, vt eligat quem velit confessorem, Nec virtute licentiæ à curato suo parochiano concessæ posset ipse licentiatus alium curatum eligere, cùm in his omnibus sit facta confessio iudicis incerti, quæ tamen omnia sunt falsa. *Ad* III.

Ad Qvartam dicendum, quòd nil probet, quia falsum est, quòd simplex in casu electus, non habeat iurisdictionem saltem delegatam, consequutiuè, seu mediatè, quia eo ipso, quòd curatus dat parochiano licentiam confitendi ei, quem elegerit, ex consequenti vices suas committit taliter electo; alioqui generaliter licentiatus ad eligendum sibi confessorem, siue per ius, siue per Bullam, aut priuilegium, non posset eligere alium curatum, quia vnus curatus non potest alterius subditos absoluere, si non sit eorum iudex ordinarius, aut delegatus, nisi dicas, illum esse mediatè & consequutiuè delegatum, id quod nos dicimus. *Ad* IIII.

An habens licētiam alieno cōfitendi, eligere poſsit religioſū.

SI QVAERAS, an virtute præfatæ licentiæ poſsit parochianus eligere ſacerdotem re-ligioſum, reſpondetur, inter religioſos poſſe eſſe triplicem diuerſitatem, quia ſta-quòd quidam ſint præſentati, ſeu deputati ad audiendum confeſsiones, alij verò, qui prohibiti ſint, à prælatis ſuis eas audire, alij verò medij, qui ſint liberi, ſcilicet qui nec de-putati ſint ad eas audiendas, nec prohibiti eas audire. Si de præſentatis ſeu deputatis ſit quæſtio, reſpon. quòd parochianus à curato licentiatus, poſsit liberè eos adire, etiamſi li-centiã à curato non habeant, nedum eam habentes, vt ex ſuprà dictis patet. Si loquamur de religioſis liberis, qui nec prohibiti ſunt, nec deputati, dicendũ, quòd parochiani licē-tiati poſsint eos adire, & eiſdem fructuosè confiteri, ſicut & poſſent ſacerdotibus ſecula-ribus ſimplicibus. Ratio, quia ſi aliquid obſtaret, quò minùs eis poſſent confiteri, vel eſſet votũ religionis, vel prohibitio ſuperiorum, vel defectus iuriſdictionis. Primum & ſecun-dum nõ, vt ſuppono. Sed nec tertium, quia, vt ex dictis patet, nõ requiritur aliud ad hoc, vt ſacerdos poſsit peccatorem abſoluere, niſi vt habeat abſoluens poteſtatem ordinis, & materiam ſubiectam, in quam poteſtatem poſsit exercere, & hoc ſufficit, vt iuriſdictionē habere dicatur, quæ ſecundùm communem ſentẽtiam ſupra ordinis poteſtatem nil no-uum addit, niſi materiam ſubiectam, vt ſæpe dictum eſt. Si autem loquamur de religio-ſo, cui prohibitum eſt per ſuos prælatos, ſeu per ſtatuta ordinis, ne confeſsiones audiat, eſt videndum, an ſit illi id prohibitum ſub pœna peccati mortalis, aut per viam ſuſpen-ſionis, aut ſub pœna peccati venialis, aut ſub alia pœna temporali, vel particulari. Et qui-dem ſi per viam ſuſpenſionis à iure vel ab homine ſit illi prohibitum confeſsiones au-dire, confeſsio illi facta, ſiue ex licentia curati, ſiue non, erit nulla, iuxta cap. Si celebret, de clerico excommunicato vel interdicto celebrante. Si autem ſit illi prohibitum ſub pœna peccati mortalis, diſtinguendum eſt de confitente eidem, quia ſi ſcienter quis illi confitetur, idque ad inſtantiam ipſius confitentis, tunc qui eidem confitetur, etiamſi à curato ſit licentiatus, peccat, quia illum inducit ad peccandum, vel ad agendum, quod eſt illi peccatum mortale, & ſic confitens ponit obicem, ob peccatum cooperationis, & ita abſolutio taliter impenſa, ratione obicis erit nulla. Si verò ex ignorantia inuincibili parochianus eum eligat, & eidem confiteatur, tunc valebit confeſsio, etiamſi religioſus ille peccet, talem abſoluendo, quia ſolum peccatum abſoluentis non vitiat, nec inuali-dat Sacramentum. Si verò illi ſit prohibitum confeſsiones audire ſub pœna peccati ve-nialis, aut ſub alia pœna temporali leuiori, tunc præfatus parochianus licentiatus pote-ſt tam ſcienter quàm ignoranter eum adire, & ab eodem ſacramentaliter abſolui, quia tūc etiamſi ſcienter id fiat, nõ ponitur obex peccati mortalis; & hæc diſtinctio habet locum ſimiliter, quando quis licentiatus à curato, vel iure, vel Epiſcopo, vel Papa, adit quem-cunque alium ſacerdotem ſecularem.

Religioſi ſunt in triplici differentia.

Reſolutio trimembris.

I.

II.

III.

Variè poteſt religioſus aliquis prohiberi à ſuis prælatis, ne confeſsiões audiat.

I.

II.

III.

Corollarium.

COROLLARIE ſequitur, quòd nõ obſtante ſynodali conſtitutione, qua cauetur, ne quis ſacerdos ſecularis, aut religioſus ſub pœna peccati, vel ſub alia pœna audiat con-feſsiones parochianorum, quòd habens licentiam eligendi confeſſorem, ſiue à iure, ſiue à prælato, ſiue à curato, poſsit talem ſacerdotem eligere, & valeat talis confeſsio, nec ſit de neceſsitate reiteranda, idq; attenta ſuprà poſita diſtinctione. Quanquam hîc non-nulla eſſet dubitatio, ſi prelatus prohiberet, ne quis ſacerdos, antequam ſit per prelatum examinatus, confeſsiones audiat, vt in conſtitutionibus ſynodalibus prohiberi ſolet, & parochiani liberam habeant à curato licentiam, vt quibus velint confiteantur, confi-teãtur autem alicui ſacerdoti nondum per prælatum examinato, & approbato, an tene-bit confeſsio cum bona fide facta? Et ratio dubij eſt, quia contra prohibitionem ſupe-rioris, licentia inferioris præualere non debet. Cùm igitur prælatus, qui ſuperior eſt, prohibeat ſacerdoti nondum examinato confeſsiones audire, igitur contra huiuſmodi prohibitionem licentia à curato conceſſa non valebit. Secundò, ſi curatus daret licen-tiam ſacerdoti ad confeſsiones ſuorum parochianorum audiendas, econtrà verò præ-latus eidem ſacerdoti interdiceret, ne huiuſmodi confeſsiones audiret, talis ſacerdos non poterit confeſsiones audire; alioqui ſi contra ſuperioris prohibitionem valeret in-ferioris licentia, poſſet etiam curatus præbere licentiam confeſsiones audiendi ei, qui per ſuperiorem fuerit ſuſpenſus, & tales confeſsiones forent in caſu validæ, quod ſup-pono falſum. Et ſequela apparet, quia vtrique eſt vſus & exequutio ordinis in hac re pro-hibitus, ſcilicet ei, qui ſuſpenſus eſt, & ei, qui nondum examinatus eſt. Reſpondetur ſtan-do in dictis, quòd in præſenti caſu valebit confeſsio, quæ cum bona fide de licentia cu-rati

Dubium.

An valida ſit confeſsio facta bona fide ſacerdoti nondũ per prælatũ examinato & approbato?

Ratio dubij duplex. I.

II.

Reſolutio affirmatiua.

A rati fit illi ſacerdoti non examinato, quamuis ipſe ſacerdos peccet, confeſsiones contra ſuperioris prohibitionem audiendo. Nam de iure cap. Omnis vtriuſq; ſexus. poteſt confeſsio de licentia proprij alieno fieri, niſi alioqui ſit excommunicatus, ſuſpenſus, vel interdictus, talibus enim iure ordinis miniſterium interdicitur. Per prohibitionem autem prælati ſynodalem, is qui examinatus non eſt, nulla ob id cenſura eſt innodatus, nec verè dici poteſt ſuſpenſus eſſe, quandoquidem ſuſpenſio culpam in ſuſpenſo præſupponit, ob quam à iure, vel à iudice ſuſpendendus venit. Eſt itaq; ſimplex prohibitio, non ſuſpenſio, qua prælati ſtatuunt, ne quis antè quàm ſit probatus, confeſsiones audiat. Quæ quidem inſtitutio, etſi prohibeat factum, non tamen illud annullat, cùm clauſulam annullantem non contineat, ſed ſolùm in virtute obedientiæ illis iniungatur, ne ante probationem confeſsiones audiant. Vnde fit, vt ſi ſacerdos ex licentia curati confeſsiones audiat, ſit quidem inobediens, factum tamen teneat: Multa namque prohibentur fieri, quæ tamen facta tenent.

Probatur.

Quatenus prælati prohibeāt, ne quis non approbatus, audiat confeſsiones.

De alieno ſine licentia proprij de facto quenquam abſoluente.

QVÆSTIO XXXV.

B CIRCA EVNDEM textum, in quo dicitur, quòd alienus ſacerdos non poſsit ſine licentia proprij alienum parochianum abſoluere, quæritur, an id verum ſit de facto, hoc eſt, eſto, quòd alienus alienum abſoluere de iure non poſsit ſine licentia proprij, an ſi de facto eum abſoluat, ſit valida abſolutio. Et dixerunt quidam, quòd ſic (ſecluſo obice confitentis, quia ſic procedimus.) Pro qua ſententia facit primò, quòd quilibet ſacerdos habet à iure diuino poteſtatem, qua poteſt peccatorem abſoluere, iuxta authoritatem ſæpe citatam, Ioannis vigeſimo: Quorum remiſeritis peccata, remittentur eis &c. vbi nulla ſit ſacerdotis exceptio, nec peccatoris, nec peccati: Quilibet igitur ſacerdos à Chriſto accepit huiuſmodi poteſtatem reſpectu cuiuſcunque peccatoris, & cuiuſcunque peccati. Nec obſtat prohibitio Eccleſiæ prohibentis, ne quis alienum abſoluere tentet, ſine conſenſu proprij, quia etiam Eccleſia prohibet, ne quis Epiſcopus alienum ordinet ſine conſenſu proprij, & tamen ſi attentet alienum ordinare, tenet ordinatio. Prohibet etiam Eccleſia, ne excommunicatus celebret, aut conſecret, & tamen ſi attentet celebrare, tenet conſecratio. Et ita poteſt de multis aliis exemplificari, quandoquidem multa prohibentur fieri, quæ tamen facta tenent. Nec obſtat ſecundò dicere, quòd ex præfata authoritate non colligatur Chriſtum contuliſſe omnibus ſacerdotibus poteſtatem abſoluendi propinquam, id eſt, poteſtatem iuriſdictionis, ſed remotam, quæ poteſtas ordinis eſt in charactere fundata.

C Non, inquam, obſtat, quia ex quo Chriſtus contulit poteſtatem ſacerdotibus vt peccata hominum remitterent, conſequens eſt, quòd illis dedit id, ſine quo huiuſmodi remiſſio per eos fieri non poteſt, & cùm abſolutio ſine iuriſdictione fieri non poſsit, ſequitur &c. Fruſtra enim dediſſet poteſtatem abſoluendi, ſi requiſita ad illum finem non dediſſet. Id confirmatur, quia antequam eſſet facta parochiarum diuiſio, Apoſtoli poterant peccatores abſoluere, & poteſtate ſibi à Chriſto conceſſa vti, igitur habuerunt poteſtatem iuriſdictionis in peccatores, etiam reſpectu omnium peccatorum, & illam iuriſdictionem non acceperunt à Papa, nec à puro homine, vt ſuppono, igitur à Chriſto, & per conſequens omnes ſacerdotes, qui Apoſtolis ſuccedunt, vel in toto, vt Epiſcopi, vel in parte, id eſt, in poteſtate abſoluendi in foro pœnitentiali, vt cæteri ſacerdotes minores, habent à Chriſto immediatè poteſtatem iuriſdictionis ſuper omnes peccatores, & ſuper omnia peccata, igitur ſi quicunque ſacerdos attentet aliquem abſoluere, erit valida abſolutio. Nec obſtat tertiò dicere, quòd ſi omnes ſacerdotes habuerint à principio poteſtatem iuriſdictionis in foro pœnitentiali, potuerunt tamen & iuſtè ea per Chriſti Vicarium ob iuſtam cauſam priuari, aut eorum poteſtas potuit coarctari, prout debito Eccleſiæ regimini expediret, ſicut expedire videtur, quòd diuerſæ oues diuerſos habeant paſtores proprios &c. Hoc, inquam, non obſtat, imò nec verum eſſe videtur, quia quod ex Chriſti inſtitutione aliquibus conceſſum eſt, per homines non poteſt illis auferri. Nam oppoſito dato, poſſet Papa à ſacerdote tollere poteſtatem con-

An ſacerdos alienus validè poſſit alienum abſoluere ſine proprij licētia?

Argumēta partis affirmatiua.

I.

Occurritur quibuſdā obiectionibus cōtra primum argumētum factis.

I.

II.

Confirmatio eiuſdem.

III.

secrandi,& baptizandi, & ordinandi, quod suppono falsum,igitur non potest Papa à sacerdotibus tollere potestatem propinquam absoluendi, si eam à Christo omnes immediatè acceperunt.

II. *Argumentum.*

FACIT secundò pro eadem sententia ratio,quia si Papa confiteatur alicui sacerdoti quantumlibet simplici, ille sacerdos poterit de facto verè Papam absoluere, & cùm id non possit nisi iurisdictionem habeat in absoluendum,sequitur, quòd habeat eam supra Papam,& ex consequenti supra quemcunq; alium inferiorẽ,qui velit tali sacerdoti confiteri,iuxta regulam:Si vinco vincẽtem te,à fortiori,vincam te &c. Iam quæro, à quo habet sacerdos ille simplex huiusmodi iurisdictionem? Si à Christo, habeo intentum:Si ab homine,maximè à Papa, sed hoc non,quia Papa nõ habet iurisdictionem supra seipsum, qua posit seipsum absoluere,igitur non potest alteri dare iurisdictionem supra seipsum, cùm nemo dare posit, quod non habet, igitur.

III.

FACIT tertiò, quia si sacerdotes non haberent prefatam iurisdictionem,nisi hi quibus à iure humano cura animarum commissa est, idque respectu certarum ouium,sequeretur, quòd alienum parochianum existentem in articulo mortis non posset absoluere alius sacerdos,quod suppono falsum ex iuribus suprà inductis. Si dicas in illo articulo posse vnumquemque à quocunque absolui, iam quæro à quo habet quicunque sacerdos in illo articulo iurisdictionem super infirmum? Si à Christo, igitur habeo intentum,& si in illo articulo, igitur etiam extra illum habet eandem iurisdictionem à Christo,cùm non videatur,vbi & quando omnes sacerdotes eam à Christo acceperint,nisi quando dixit: Quæcunque solueritis in terris,erunt soluta &c. Aut quando dixit: Quorum remiseritis peccata, remittentur eis &c. sed in his non distinguit inter articulum necessitatis,& extrà &c.

IIII.

FACIT postremò quod suprà tactum est, scilicet, quòd Episcopus si attentet alienum ordinare etiam sine licentia proprij, tenebit ordinatio, nec venit iterum ordinandus,igitur sacerdos si attentat absoluere alienum parochianum, tenebit absolutio. Nec obstat dicere,quòd in casu huiusmodi absolutio decernitur irrita & inanis,vt habetur; q.2. per totum. Non, inquam, obstat, quia ibidem etiam decernitur irrita, & inanis ordinatio ab alieno Episcopo facta, sine licentia proprij, & tamen realiter tenet ordinatio, & manet talis verè ordinatus. Vel igitur vtrumque erit irritum, & inane, scilicet ordinatio,& absolutio de facto attentata, vel vtrumque erit validum,quod hi Doctores prætendunt.

Occurritur cuidam obiectioni contra dictũ argumentum quartum.

Resolutio negatiua.

Conclusio I. *Nullus sacerdos potest aliquem absoluere, nisi habeat in eum iurisdictionem vel ordinariã, vel delegatam. Probatur.*

HIS NON obstantibus oppositum videtur esse tenendũ,pro cuius probatione,premitto aliquas propositiones.Prima propositio sit:Nullus sacerdos potest quenquam absoluere, nisi in eum habeat iurisdictionem ordinariam, vel delegatam, seu commissam. Hæc patet ex Concilio Florentino,sub Eugenio IIII. vbi in forma ponitur huiusmodi propositio,& patet etiam ratione sumpta ex natura huius Sacramenti absolutionis,quia absolutio hæc est sententia lata in fauorem,& gratiam cõfitentis, in causa quæ erat inter peccatorem, & Deum, est igitur huiusmodi absolutio actus iudicialis, & per cõsequens necessarium est,vt sit valida,vt feratur à iudice competente,iurisdictionem habẽte,alias qui sententia à non suo iudice lata,nulla est de iure.

II. *Conclusio. Sacerdos nõ habet iurisdictionem in foro pœnitentiali, nisi subditos habeat, in quos eam exercere valeat.*

SECVNDA propositio. Sacerdos non potest habere iurisdictionem in foro pœnitentiali,nisi habeat subditos, in quos eam valeat exercere. Hæc patet, tum ex sententia omnium pro maiori parte,& communiter approbata, scilicet quòd potestas iurisdictionis in hoc foro non addit à parte rei supra potestatem ordinis, nisi materiam subditam seu peccatores subditos. Tum etiam, quia habere iurisdictionem, & subditos in eodem foro sunt correlatiua,& sunt simul natura. Est enim iurisdictio quædam dominatio, seu dominium,licet nõ despoticum, quale est Domini ad seruum, nec ciuile, quale est Domini ad res sibi appropriatas,est tamen velut politicum,quale est Principis,seu prelati ad suos subditos. Cùm igitur Dominus sit correlatiuum subditi, non stat aliquem habere dominium quodcunq; ex dictis sine subdito. Vnde & Augustinus ait, Deum non fuisse Dominum, antequam mundum crearet, quia non habebat, quibus dominaretur. Sed quamprimum cœpit aliquid creare,cœpit esse Dominus,& ita patet propositio. Impertinens autem est, quòd potestas iurisdictionis addat in sacerdote aliquam realitatem vltra potestatem ordinis, vel non, quia si secludamus relationes, nullam addit realitatem, sed tantum ex nominis connotatione requiritur habere subditos. Si verò admittamus relatio-

A relationes, addit quidem relationem rationis, habentem esse per actum voluntatis eius, qui sacerdoti aliquos subditos fecit, quicunque is sit.

TERTIA propositio. Non quilibet sacerdos habet subditos in foro pœnitentiali. Patet de simplicibus sacerdotibus, quibus nullius confitentis, seu peccatoris cura commissa est. Hæc probatur, quia si eos haberet, vel ergo iure humano, vel diuino, sed neutrum videtur dicendum. Non primum, vt suppono, quandoquidem animarum cura nō omnibus sacerdotibus est de iure humano cōmissa. Nec secundum, quia Christus nulli sacerdoti quenquam peccatorem subiecit, nisi Vicario suo, cui omnes oues & agnos cōmisit, quando dixit ad Petrum: Pasce oues meas, pasce agnos meos. In quo voluit, & instituit Petrum pastorem vniuersalem omnium fidelium, cui voluit omnes alios esse subditos, non solùm in foro contentioso, sed etiam in pœnitentiali. Inconueniens namque est, quòd Christus, qui magis spiritualia quā temporalia quærebat, suo Vicario oues suas in his quæ ad forum contentiosum pertinent, & non in his, quæ ad forum pœnitentiale, commiserit. Itaq; soli Petro Vicario suo omnes fideles subiecit, & ex consequenti soli Vicario suo plenam contulit iurisdictionem, vt ab eo in cæteros inferiores huiusmodi potestas iurisdictionis dimanaret.

III. Conclusio. Nō quiuis sacerdos habet subditos in foro pœnitentiali. Probatur.

Christus instituit Petrū vniuersalem pastorem omnium fidelium.

QVARTA propositio. Non quilibet sacerdos, imò nullus præter Papam, habet iurisdictionem immediatè à Christo. Hæc patet ex præcedenti, quia idem est iurisdictionē, B & subditos habere, solus autem Papa habet subditos immediatè à Christo, igitur solus ipse habet iurisdictionem de iure diuino. Iam sequitur conclusio responsiua, quòd non quilibet sacerdos possit quemlibet peccatorem absoluere, etiam de facto, ita vt si absoluat, de facta teneat absolutio. Hæc patet, quia nullus sacerdos potest quenquam absoluere, nisi iurisdictionem habeat in eum. Patet ex prima: hanc autem non habet quilibet sacerdos, nec de iure humano, nec diuino. Patet ex tertia & quarta, igitur non quilibet potest quemlibet absoluere, nisi sit proprius, vel à proprio licentiatus, iuxta præsentem decretalem. Nunc veritate ostensa, conuenit opinionem primò recitatam impugnare, vnde contra eam arguitur, quia si quilibet sacerdos haberet de iure diuino iurisdictionem in omnes, sequeretur primo, quòd nullus sacerdos posset huiusmodi iurisdictione per homines, aut per Ecclesiam priuari, vt suprà pro opinione arguebatur, & ex consequenti per excommunicationem iuris, vel iudicis non expiraret potestas absoluendi, quod suprà probatum est esse falsum ex cap. Si celebret. de clerico excommunicato celebrante. & ex cap. Duobus, de sententia excommunicationis, in antiquis. Secundò sequeretur, quòd si sacerdos tam simplex, quàm curatus ad confessiones electus attentaret peccatorem absoluere ab his, quæ Papæ aut Episcopo sunt reseruata, quòd valeret absolutio, & maneret verè absolutus ab eisdem; consequens est contra cap. Si Episcopus. de pœnitentiis, & remissio. lib. 6. vbi dicitur, quòd sacerdos ad confessiones electus, nullam prorsus potestatem habeat absoluendi à reseruatis, & talis est do- C ctrina communis Ecclesiæ. Tertiò sequeretur quòd confessio facta alieno sine licentia proprij, esset valida, & non reiteranda, iuxta Extrauagantem Benedicti Vndecimi sæpe allegatam, vbi dicitur: Absurdum est eum, qui semel sacramentaliter absolutus est, rursus eodem debito teneri, vt suprà adduximus. Postremò facit clausula præsentis textus, cuius occasione mota est quæstio, in qua dicitur, quòd alienus non possit quenquam absoluere sine licentia proprij, vbi illa negatio, non, cadens super verbum, potest, nō solùm negat actum, sed etiam possibilitatē ad actum, vt notat gloss. in prima regula iuris, lib. 6. Alioqui si solus actus negaretur, seu prohiberetur, idem esset dicere, quòd alienus non absolueret extraneum, & quòd non posset absoluere extraneum, quod suppono falsum, ex præfata regula, & gloss.

IIII. Conclusio. Nullus præter Papā habet immediatè iurisdictionem à Christo.

V. Conclusio pro parte negatiua propositæ quæstionis.

Impugnatur I. sententia affirmatiua.

I.

II.

III.

IIII.

SVPEREST ad rationes respondere, quæ ante oppositum factæ sunt. Ad primam in qua arguebatur, quòd Christus omnibus sacerdotibus contulerit potestatem peccata remittendi, nulla posita exceptione, respon. quòd illic Christus contulerit potestatē remotam, quæ dicitur potestas ordinis, non tamen propinquam, quam dico potestatē iurisdictionis, & ex quo Christus nō determinauit, quis quem deberet absoluere, & cui sacerdoti qui peccatores deberent esse subiecti, id reliquit determinatum Vicario suo, cui plenitudinē potestatis iurisdictionis concessit, cui etiam omnes oues, & agnos subiecit, ac proinde, qui ex voluntate summi Pontificis subditos habuerit, ille habebit iurisdictionem, & potentiam propinquam absoluendi, & non alius. Et quando replicatur in secunda

Respōdetur ad eiusdem sententia affirmatiua argumenta.

Ad I.

Solutio cuiusdā Replicæ suprà dictæ.

cunda, non obstare, quòd Christus, qui dedit potestatem absoluendi, ex consequenti dederit iurisdictionem, sine qua absolutio fieri nō potest. Respondetur negando illud, si ad omnes sacerdotes extēdatur, satis est quòd reliquerit, à quo sacerdotes huiusmodi iurisdictionem acciperent, scilicet, Papam Vicarium suum. Facit ad id exemplum de dominio, quod Deus contulit in vniuersali omnibus hominibus in principio mundi respectu piscium, volucrum, & bestiarum, & arborum terræ, vt patet ex Genes. 1. & tamen quia non disposuit Deus per seipsum, quis, quam rem, vt propriam possidere deberet, id reliquit per homines disponendum, & ita postea facta fuit per homines rerum diuisio & præparatio, & ex tunc potuit homo dicere, hæc res est mea, illa tua. Ita videtur in proposito; Deus dedit in genere sacerdotibus potestatem absoluendi peccatores, sed non determinauit quis quem deberet absoluere, id Vicario suo reliquit determinandum & ordinandum.

Ad confirmationem eiusdem.

Ad confirmationem respondetur, esto quòd Apostoli habuerint à Christo immediatè potestatem absoluendi, sicut & Petrus Vicarius Christi non solùm potestatem ordinis, sed iurisdictionis, eos tamen subiecit Petro, sicut & cæteros fideles, quorum omnium voluit Christus Petrum Principem, & caput esse, ac proinde Petrus de plenitudine potestatis sibi collatæ, potuit aliorum Apostolorum iurisdictionem coarctare, seu limitare, aut etiam auferre, maximè si causa subesset.

Quatenus potuerit Petrus aliorum Apostolorum iurisdictionem limitare &c.

Quòd si Apostoli aliquando hac potestate iurisdictionis in communi vsi sunt, id credendum est ex Petri consensu factum, vel approbatum fuisse, tacitè, vel expressè: Post primos autem Ecclesiæ fundatores, Ecclesia Christi, atque numero credentium in diuersis regionibus crescente, expediebat in Ecclesia diuersos pastores particulares instituere, & non omnibus sacerdotibus omnes Christi oues indistinctè subiectas esse, inde diuisæ sunt diœceses, & parochiæ &c.

Ad III. replicam.

Nec valet consequentia hæc: Non potuit Papa ab Apostolis amouere potestatem consecrandi, & baptizandi, igitur nec potestatem iurisdictionis absoluendi. Non, inquam, valet, quia in potestate ordinis Christus cæteros Apostolos Petro parificauit, in potestate autem iurisdictionis cæteros eidem Petro subiecit. Vnde fit, vt illi, qui iure diuino sunt subditi Vicario Christi, non possint aliis subiici, nisi de consensu tacito, vel expresso ipsius Vicarij Christi, & ex consequenti nulli sacerdoti possit competere iurisdictio, nisi de licentia tacita, vel expressa Romani Pontificis, qui Christi Vicarius est, & Petri successor.

Ad II. argumētū principale.

Quatenus sacerdos etiā simplex absoluens Papam, habeat in eum iurisdictionem.

Ad secundam de sacerdote absoluente Papam eidem confessum &c. dicendum, verum esse, scilicet quòd talis habeat iurisdictionem super illum in foro pœnitentiali, in quo illi se subiecit. Hanc autem iurisdictionem habet voluntate ipsius Papæ, qui spontè se illi subditum fecit, quia cùm habere iurisdictionem, sit habere subditum, dare iurisdictionem est dare illi subditum, & ita cùm Papa sua voluntate faciat se subditum illi sacerdoti, cui confitetur, sequitur, quòd Papa det illi supra se iurisdictionem.

Potest aliquis dare iurisdictionem alteri, quā ipse non habet.

Nec inconuenit, quòd aliquis det iurisdictionem alteri, quam ipse non habet: Id patet de curato, qui nondum est sacerdos, & ex cōsequenti non habet potestatem, qua potest absoluere suos parochianos, & tamen potest eos subiicere alicui capellano alioqui simplici, vt patet, & ita ille capellanus sortietur iurisdictionem super præfatos parochianos. Similiter si curatus sacerdos sit excommunicatus, cùm per se non possit parochianos absoluere, poterit tamen eos alicui alteri non præciso subiicere, quo facto, ille alius sortietur iurisdictionem in illos: Ita igitur de Papa, qui quamuis non possit seipsum absoluere, potest tamen seipsum alteri subiicere, vnde ille alter obtinebit iurisdictionem super Papam.

Diluitur quadam obiectio.

Nec sequitur, talis sacerdos habet in casu iurisdictionem super Papam, igitur ex consequenti super omnes alios fideles, qui volunt se eidem sacerdoti subiicere. Et discrimen est clarum, quia Papa, ex quo de iure diuino aut humano nulli homini subditus est in terris, potest pro sua voluntate se subiicere cui vult, & valebit subiectio; cæteri autem fideles, ex quo habent in terris superiorem, cui de iure diuino, vel humano subditi sunt, non possunt se propria voluntate subiicere, quibus volunt, sine licentia suorum superiorum. Nec sententia, seu absolutio alicui impensa sine consensu Papæ, vt dictum est, erit valida, cui poterit illud Pauli obiici: Tu quis es, qui iudicas alienum seruum?

Ad Roman. 14.

Ad III.

Ad tertiam, esto ita sit, quòd infirmus, vel in periculo mortis existens possit à quocunque sacerdote, etiam simplici absolui, non tamen inde fit, vt extra illum articulum possit, & quamuis diuinum ius non distinxerit inter articulum necessitatis, & non necessitatis, poterat tamen diuinum ius huiusmodi ἐπιείκειαν admittere. Deinde non est certum, an in tali articulo pos-

sac

A sacerdos simplex, aut quicunque sacerdos eum absoluere, imò oppositum est verisimilius, tum quia si adsit proprius infirmi pastor, non poterit ab alieno absolui. Tum quia si sacerdos excommunicatus sit, non poterit eum absoluere, etiamsi attentet, cùm per excommunicationem maiorem expiret potestas propinqua absoluendi, quæ tamen non expiraret, si de iure diuino esset vnicuique sacerdoti potestas iurisdictionis in vnumquenque existentem in periculo mortis concessa. Ad postremam dicendum, quòd non sit simile de ordinatione, & absolutione, quia ordinatio non est actus iudicialis, nec iurisdictionem requirens, cùm sit purum sacramentum, ideo tenet ordinatio ab alieno Episcopo facta. Absolutio verò est actus iudicialis, & iurisdictionem requirens, qua deficiente, non tenet absolutio. Quòd si ordinatio sine licentia proprij facta dicatur irrita & inanis, intelligitur quantum ad ordinationis exequutionem, non quantum ad veritatem ordinationis.

Ad IIII. Ad ordinationē non requiritur iurisdictio, bene tamen ad absolutionem.

SED EST dubium, si quis sacerdos absoluat eum, quem absoluere non potuit, seu à casibus superiori reseruatis, pœnitens autem cum bona fide confessus, putat se verè absolutum esse, cùm non sit, an teneatur præfatus confessor illum pœnitentem certum facere de defectu absolutionis, vt legitimam & validam quærat absolutionem. Quæ quæstio dicitur disputata fuisse in Concilio Basiliensi, quamuis ibidem ob varia Doctorum iudicia non fuerit decisa. Vnde videbatur aliquibus, quòd talis confessor in casu nō B teneretur pœnitētem de defectu absolutionis instruere, quia si sic, maximè ne salus pœnitentis periclitaretur, ad cuius salutem necessarium est verè à sacerdotibus absolui, sed hoc non habet locum in casu. Cuius ratio videtur aperta, quia aut ille pœnitens est verè contritus, aut non: Si primum, igitur iam est in gratia, & iustificatus, & sic decedens, nisi reincidat, saluabitur. Si secundum, damnabitur ob peccata sua, de quibus non verè pœnituit, & ita defectus præfatæ absolutionis impertinens omnino est in casu, ad hoc, vt salus illius periclitetur, vel non. Quòd si non sit in casu verè absolutus, non est sibi imputandum ad culpam, cùm bona fides, & ignorantia inuincibilis excuset illum, ne aliam absolutionem teneatur quærere. Aliis verò videbatur, confessorem teneri in casu illum pœnitentem de defectu absolutionis informare, quorum sentētia mihi probabilior est. Cuius ratio hæc est, quia quāuis pœnitens ille per bonam fidem excusetur, ne legitimam teneatur quærere absolutionem, attamē non desinit diuinum ius in re ipsa violari, quod vnicuique peccatori Christiano iubet, vt præuia confessione à sacerdote curet verè absolui, quod huiusmodi pœnitens ob ignorantiam, in qua est, minimè curabit. Hæc autem iuris violatio, cùm alicui eorum sit imputanda, scilicet, vel sacerdoti, vel ipsi pœnitenti, ex quo vterque est causa præfatæ violationis, vt constat. Non autem est pœnitenti imputanda, cùm hic per bonam fidem, & inuincibilem ignorantiam à culpa inobedientiæ excusetur, superest ergo, vt sacerdoti imputetur, qui ex culpa sua scienter dedit causam præfatæ violationi, ac proinde ne huiusmodi iuris violatio continuetur, tenebitur sa-C cerdos in casu illum pœnitentem de defectu absolutionis informare, vt iuxta diuinum, & humanum ius legitimam quærat absolutionem. Præterea qui scienter causam dat, vt alius vel in damnum incidat, vel re alioqui sibi debita careat, tenetur dare operam, vt ille alius suo debito non defraudetur: Talis est sacerdos, qui in casu scienter dedit causam præfato pœnitenti, ne gratiam sacramentalem ratione præuiæ confessionis sibi alioqui debitæ consequeretur, & procedit ratio, maximè in casu, quo pœnitens ille tempore, quo debuit, confessus est. Præterea, qui baptizat aliquem sine intentione eum verè baptizandi, postea tenetur eum de defectu baptismi certum facere, alioqui datur illi occasio alia sacramenta, ordines etiam sacros sine vero baptismo suscipiendi. Et idem argui potest de Episcopo, qui aliquem ad sacerdotium promouet, non habens intentionem verè eum ordinandi, aut in forma, seu materia ordinationis deficiens, qui nisi ipsum promotum certum de defectu faciat, dat causam, vt is, qui verus sacerdos non est, Missam celebret, confessiones audiat &c. quæ tamen inconuenientia tenetur de necessitate vitare, cùm eis omnibus ipse causam præbuerit, igitur pari forma in præsenti casu. Idem videtur de sacerdote absoluente aliquem ab excommunicatione, quem tamen absoluere non potuit, nam causam illi præstat, vt sacramentis se ingerat inabsolutus. Idem etiam videtur de quocunque alio iudice, qui tulit sententiam, quam iure ferre non potuit, quæ in damnum alicuius cessit, tenetur in conscientia ratione damni vitandi, sententiæ defectum propalare ei, qui possit prodesse,

Dubium. An sacerdos absoluens pœnitentē inualidè, teneatur eum de defectu absolutionis admonere?

Sententia I. negatiua.

Ratio.

II. Sententia affirmatiua probabilior.

Ratio I.

II.

III.

IIII.

V.

VI.

VII.

alioqui satisfacere tenebitur læso. Idem de eo, qui cùm sacerdos non sit, fingit se talem, & confessiones audit, & absoluit, quòd tenetur eos, quos ita seduxit, certos facere, quatenus veram quærant absolutionem. Concluditur igitur ex superioribus, sacerdotem simplicem non esse quenquam de iure, nec de facto absoluere, nisi ad id sit licentiatus.

Corollarium.

De confeßione voluntate, & non neceßitate facta.

QVÆSTIO XXXVI.

An necessaria quoq; sit curati licentia confitēdi alieno peccata venialia, aut semel confessa, aut etiam mortalia nunquam confessa extra Quadragesimā.

Sententia I. negatiua.

Ratio.

EX DICTIS oritur quæstio alia, an sicut est necessaria licentia proprij ad hoc, vt peccator alieno sua mortalia confiteatur, sit etiam necessaria talis licentia ad hoc, vt venialia alieno confiteatur, similiter an sit necessaria ad hoc, vt peccata semel confessa reconfiteatur, similiter an sit necessaria ad hoc, vt intra annum extra Quadragesimam confiteatur etiam mortalia non priùs confessa. Et dixerunt aliqui, quòd in his casibus propositis, liberum sit peccatori se subiicere, cui velit, etiam simplici, vel alieno sine licentia proprij. Ratio, quia in huiusmodi confessionibus, & reconfessionibus peccator nulli sacerdoti determinato subditus est. patet de confessione venialium, quia liberum est homini confiteri, & non confiteri. Similiter de peccatis iam confessis liberum est homini ea reconfiteri, & non reconfiteri: Similiter de confessione mortalium extra Quadragesimam, liberum est homini talem confessionem facere, & non facere, cùm ad illam confessionem, quæ extra Quadragesimam fit, nullo iure quis teneatur, nec diuino, nec humano, vt patet, igitur in huiusmodi confessionibus homo sui iuris est, & per consequens liberè potest in eisdem, cui vult, se sine licentia proprij subiicere. Et pro hoc vltimo casu facit specialiter, vt cùm ait text. si voluerit alieno confiteri, licentiam priùs postulet &c. In quo videtur loqui de confessione, quæ semel in anno agenda est, nam de hac fuerat textus loquutus, igitur in alia confessione, quę intra annum fit, homo non est sic subditus curato, vt eius licentia indigeat.

Confirmatio I. PRO HIS facit, quod dictum est de Papa, scilicet, quòd quia nulli determinato sacerdoti subditus est, & sui iuris, possit se, cui velit, subiicere. Facit etiam quod de vagabundis dicitur, nullibi domicilium habentibus, qui quia nulli determinato subditi sunt,
II. possunt se, cui volunt subiicere, vbi se repererint. Facit etiam generaliter, quòd in his, in quibus homo sui iuris est, & nulli subditus, possit se subdere cui vult, vt maritus, qui dempto actu coniugali, in quo vxori debitor est, potest in cæteris se alij subiicere, & religiosus demptis his, quæ regulam, & statuta ordinis concernunt, potest alia vota emittere, & alias obligationes subire; Ad hunc modum de cæteris.

Sentētia II. affirmatiua probabilior est.
Probatur I.

OPPOSITVM tamen videtur probabilius, scilicet, quòd in casibus propositis non possit quis confiteri, nisi vel proprio, vel alieno de licentia proprij, iuxta præsentem decretalem. Id patet ex dictis, quia cùm absolutio à peccatis sit actus iudicialis, nullus potest quẽquam absoluere, nisi in eum habeat iurisdictionem ordinariam, vel commissariam: sacerdos autem alienus, seu simplex, nullam talem habet, quia nec de iure diuino, nec
II. humano. De diuino constat ex dictis, quia maximè ex illo: Quorum remiseritis &c. & quæcunque ligaueritis. sed si ex his haberent omnes sacerdotes immediatè à Christo iurisdictionem in peccatorem super venialibus, à fortiori eandem haberent super mortalibus peccatis, quod ex dictis constat esse falsum, ex quo præfata authoritas potius de mortalibus, quàm de venialibus intelligitur. Deinde potestatem iurisdictionis in omni causa spirituali Christus immediatè, & plenissimè suo vicario contulit, de cuius consensu, & voluntate debet huiusmodi iurisdictio in alios dimanare. Cùm igitur Papa talem iurisdictionem non dederit sacerdotibus simplicibus respectu venialium, aut mortalium, quæ homo confessus est, aut non confessus, videtur fictum, seu voluntariè dictum dicere, quòd quilibet sacerdos possit vnumquenque à peccatis venialibus sacramentaliter absoluere, similiter & à confessis, aliisque suprà propositis. Ac proinde periculosum videtur, homines alienis sacerdotibus confiteri, & ab eisdem absolutionem in his casibus sine licentia proprij petere, quia tales homines iniuriam faciunt sacramento, quod ex parte sua irritum, & inane faciunt, cùm sententia in quacunque causa lata à non iudice sit nulla.

Soluuntur rationes partis affirmatiuæ.

Ad I.

A NEC OBSTANT ea, quæ suprà dicta sunt, quæ supponunt in dictis casibus homines esse sui iuris, eò scilicet quòd in huiusmodi confessionibus prædictis nulli determinato sacerdoti subditi sint. Quod quidem negandum est, aut potiùs de subiectione distinguendum, quia est duplex, quædam, qua homo alicui subditus est in actu confessionis absolutè, seu ex necessitate iuris diuini, vel humani. Et hac subiectione, quam absolutam dico, subiecti sunt omnes fideles suis propriis sacerdotibus in confessione peccatorum mortalium, quę non antè confessi sunt, quia scilicet ea tenentur suo proprio, aut alteri de licentia proprij confiteri, quod nisi suo tépore fecerint, peccabunt. Alia est subiectio cõditionata, seu ex suppositione, qua scilicet, si peccator vult ab aliquibus peccatis aliquo tempore absolui, debet ea confiteri suo iudici in eum iurisdictionem habenti, tali subiectione subditi sunt fideles suo proprio sacerdoti in peccatis venialibus, & in peccatis mortalibus priùs confessis, & in mortalibus extra Quadragesimam confitendis, non quòd simpliciter teneantur ea tunc proprio confiteri, sed quia si volunt ab huiusmodi peccatis sacramentaliter absolui, tenentur eidem proprio se subiicere, vel alieno de licentia proprij, ac proinde hæc consequentia non valet: Peccator non est alicui sacerdoti in confessione venialium, & in casibus prædictis de necessitate, vel absolutè subditus, igitur poterit licitè se cui vult subiicere, & de manu eius pœnitentiam suscipere. Patet exemplo claro, nam hæc consequentia non valet: Clericus subditus vni Episcopo, B non est illi de necessitate, & absolutè subditus in recipiendo ordines sacros, cùm sit liberum eos petere, & non, ergo est sui iuris, ita vt licitè possit sine licentia proprij Episcopi ordines ab alio Episcopo suscipere. In quo exemplo patet, quod dixi de subiectione conditionata, quia huiusmodi clericus licet simpliciter non teneatur ordines à proprio Episcopo suscipere, si tamẽ eos suscipere vult, debet eos à proprio Episcopo, vel ab alieno de licentia proprij suscipere, vt constat. Potest etiam hæc duplex subiectio in actu iudiciali appellari, altera necessaria, altera voluntaria, cui quidem duplici subiectioni respondet in absoluente seu iudice duplex iurisdictio, altera coactiua, qua iudex in illo foro potest subditum compellere, aut compelli facere, vt tempore debito confiteatur, & hæc est respectu mortalium non priùs confessorum. Altera est iurisdictio voluntaria, ad cuius vsum, seu absolutionem recipiendam, subditus non potest compelli, si ipse nolit, & est respectu venialium, & similiter mortalium iam confessorũ, & etiam mortalium confitendorum intra annum, extra scilicet Quadragesimam.

Duplex subiectio, qua homo alicui subiectus est quoad actũ confessionis. I. II.

Mala consequētia.

Peccator in prædictis casibus nõ est alicui sacerdoti subiectus, ergo licite potest cui velit se subiicere absque licētia proprij curati.

Duplici subiectioni respondet etiā duplex iurisdictio in absoluente. I. II.

Ad I. confirmationem.

IAM AD exempla superiùs allata de Papa, fateor, quòd possit se subiicere, cui velit, etiam simplici in foro pœnitentiali, sed hoc ideo, quia nullum habet in terris superiorem, à quo debeat licentiam petere: Cæteri autem fideles, cùm suos habeant pastores, & superiores, non ita possunt se cui volunt subiicere, sine consensu suorum.

Ad II. confirmationem.

AD ALIVD de vagabundis, falsum est, quòd ita sint sui iuris, vt possint se subiicere pro voluntate, cui velint, etiam simplici, sed tenentur confiteri curato loci, in quo pro C tempore se reperiunt. Quia si possent etiā simplici pro voluntate, se subiicere, essent melioris conditionis vagabundi, quàm incolæ, cùm incolæ non possint pro voluntate se, cui velint subiicere, nisi de consensu proprij, quod Eugenius quartus ob rationem hanc dicitur declarasse. Itaque tales, qui curato loci confitentur, non id faciunt sine licentia Papæ tacita, vel expressa.

Ad III. confirmationem.

AD ALIVD de marito, qui dempto actu coniugali, & cæteris, ad quos iure coniugij tenetur, potest in reliquis se subiicere, cui vult, sine licentia vxoris. Respondetur, hoc admisso, eò quòd vir caput mulieris est, nõ sequi, quòd propterea in casu præsenti possit peccator sine licentia proprij alieno se subiicere, & discrimen est clarum, tum quia si maritus id potest sine licentia vxoris, est, quia est caput eius, & ideo econtrà vxor non posset se aliis seruitutibus aliorum subiicere sine licentia viri, quia vir superior est ea, ideo nec peccator potest se alieno subiicere, sine licentia proprij, qui eius superior est, vnde hoc exemplum magis militat pro nobis, quàm contra. Deinde si maritus se potest in aliis actibus alteri subiicere, talis subiectio non requirit iurisdictionem in eo, cui se subiicit, quia licet actionem ex contractu acquirat, nõ tamen iurisdictionem. In præsenti autem casu de confessione, subiectio peccatoris requirit in eo, cui se subiicit, iurisdictionem in ipsum, quam nullus habet, nisi accedente licentia proprij, prout suprà expositum fuit. Quòd si rursus obiiciatur de duobus inter se contendentibus, qui sine licentia ordinarij possunt se cui volunt in illa contentione subiicere, per quam subiectionem arbiter huiusmodi

Maritus secluso actu coniugali, potest aliis se subiicere absq; licentia vxoris: hac autem minimè, absque licentia viri &c.

Obiectio.

Solutio:

huiusmodi sortitur iurisdictionem in illos, igitur ita erit in præsenti. Respondetur, non esse simile, quia etsi contendentes posint se arbitris, quibus volunt, sine licentia proprij ordinarij subiicere, habent tamen licentiam à iure, & ex consequenti, à superiori; in præsenti autem casu pœnitentialis fori non ita, imò ius ipsum prohibet, ne quis alieno sine licentia proprij se subiiciat, & declarat confessionem aliter factam, nullam.

Sententia authoris duas continens conclusiones.

I. Non est necessaria curati licentia ad confessionem venialiũ, vel peccatorum iam semel confessorum.

Explicatur decretalis de petẽda licentia à curato confitendi alieno.

NE TAMEN reprobare videamur, quod ab aliis Doctoribus approbatum est, potest dici, quòd in confessione venialium, & mortalium iam remissorum, non sit peccatori necessaria licentia expressa proprij, sed posit peccator, cui velit, pro voluntate se subiicere. Quòd si in præsenti decretali statutum est, vt si quis voluerit alieno confiteri licentiam priùs postulet, & obtineat à proprio, id procedit de confessione mortalium non priùs sacramentaliter remissorum, eò quòd hæc decretalis non nisi de mortalibus peccatis non priùs confessis instituta, & intelligenda sit. Ac proinde sicut quod dicitur quòd quilibet fidelis teneatur semel saltem in anno omnia sua peccata suo proprio sacerdoti confiteri, de solis mortalibus non confessis intelligitur, ita id quod additur postea, scilicet si voluerit alieno confiteri, licentiam obtineat à proprio, de confessione eorundem mortalium est intelligendum. Ita & quod postremò ait, cùm aliter alieno absoluere non posit &c. de absolutione ab eisdem peccatis venit accipiendum. Vnde probabile est, quòd nil de venialibus & mortalibus iam confessis in hac decretali statutum sit, & ex consequenti confessionem huiusmodi peccatorum Ecclesia reliquerit agendam, absque hoc quòd seruentur ea, quæ hîc de mortalibus non confessis disposita sunt. Et ita tacitè videtur Papa licentiare peccatores, vt venialia, & peccata mortalia priùs confessa confiteantur, cui velint: Secùs tamen de confessione mortalium extra

II. Conclusio. Necessaria est curati licentia ad cõfessionem mortalium nunquam confessorum etiam extra Quadragesimam.

Quadragesimam agenda, quia talis agenda est, secundùm dispositionem huius statuti alioqui non valebit. Nam hoc statutum non loquitur præcisè de confessione agenda in Quadragesima, sed vniuersaliter de confessione mortalium, quocunque tempore fiat quòd scilicet debeat fieri proprio, vel alieno de licentia proprij, & illa particula, saltem semel in anno, non ponitur, vt limitetur confessio, de qua loquitur textus, sed vt limitetur obligatio confitendi.

De confeßione per curatum audienda, quoties subditus confiteri vult.

QVÆSTIO XXXVII.

An curatus extra Quadragesimam teneatur audire cõfessiones subditorum toties, quoties illi velint confiteri?

Rationes partis affirmatiuæ.

OCCASIONE sumpta ex dictis, potest dubitari, an curatus teneatur audire confessiones subditorum, non solùm in Quadragesima, sed etiam extra eam toties quoties illi volunt confiteri. Et dixerunt aliqui, quòd sic, modò curatus impeditus non sit, nec aliquam legitimam, & iustam excusationem habeat, quò minùs talem pœnitentem audiat.

I. *Matth. 26.*

PRO QVA opinione arguitur primò ex parabola talentorum, quæ seruis erant commissa, vbi seruus, qui non reddidit Domino talentum cum vsura, damnabiliter à Domino reprehenditur, & in tenebras exteriores eiici iubetur. Talis videtur curatus, cui Dominus potestatem spiritualem simul & curam ouium commisit, vt illis sacramẽta ministraret. Nec videtur satisfacere curatus, si tempore necesitatis solùm ea ministret, quia hoc non est talentum acceptum Domino cum vsura reddere, vt videtur, si non vltra tempus necesitatis aliquid Domino lucrifecerit.

II. SECVNDO, non minùs tenetur curatus suis subditis in spiritualibus prouidere quàm tenetur pater carnalis suis filiis in temporalibus, vtrique enim cura commissa est, huic corporis, illi verò animæ subditi: sed carnalis pater non solùm tenetur filiis ministrare cibum necessarium ad vitam, sed etiam cibum necessarium ad hoc, vt filius ad debitam quantitatem perueniat, igitur & curatus tenetur non solùm tempore necesitatis sacramenta suis subditis ministrare, sed etiam extra huiusmodi necesitatem, vt anima ad debitum, & conueniens perueniat spirituale augmentum.

III. TERTIO, quia subditus habet ius petendi à curato suo, quoties vult, vt eum in confessione audiat, & eidem confesso, sacramentum absolutionis impendat, igitur econtra curatus tenebitur subdito hoc sacramentum ministrare quoties ipse requisiuerit. Patet toti-

A totum à simili, quia vxor habet ius petendi à marito, quoties vult debitum coniugale, & econtrà maritus toties tenetur eidem postulanti reddere, vbi non adest legitima excusatio &c. igitur.

QVARTO idem probatur ex obligatione, qua curatus ratione iniuncti officij tenetur solicitus esse pro ouibus sibi commissis, iuxta illud Ezech. 34. Væ pastoribus Israël, qui pascebant semetipsos, nónne greges à pastoribus pascuntur? Lac comedebatis, & lanis operiebamini. Et sequitur: Quod infirmum fuit, non consolidastis, quod ęgrotum, non sanastis, quod confractum, non alligastis, & quod perierat, non quęsistis &c. Ex quibus colligitur, curatos obligatos esse pascere gregem sibi commissum, non solùm quando sunt in necessitate, sed extra, si aliqua ouis sit confracta, si ægra &c. Igitur cùm peccator confractus sit, & ægrotus per peccatum à se commissum, sequitur curatum non excusari à peccato mortali, si quoties petierit subditus sanari, & consolidari, sacramentum pœnitentiæ ab eodem petitum, non ministretur. IIII.

POSTREMO arguitur, quia si curatus non habet legitimam excusationem negandi præfatum sacramentum, videtur agere contra charitatem proximi, cùm præferat suam quietem corporalem, seu spiritualem tanto bono spirituali proximi, quantum ex tali confessione esset illi euenturum, imò fortè per confessionem à peccato ad gratiam resurgeret, virtute sacramenti, ad quam cordis pœnitentia, quam habet, illi non sufficit, & B ita negatio huius sacramenti illi cederet in perniciem animæ. V.

Resolutio negatiua.

Extra casum, quo peccator tenetur confiteri, non tenetur curatus sub mortali eũ audire.

Probatur I.

Eccles. 17.

HIS NON obstantibus videtur oppositum tenendum, quòd scilicet extra casum, quo peccator tenetur confiteri, non teneatur curatus sub pœna peccati mortalis eum audire. Probatur, quia si sic, vel ad id teneretur ex lege charitatis fraternæ vel ratione officij pastoralis. Non primum, quia lex fraternæ charitatis omnes videtur æqualiter respicere, secundùm quod scriptum est: Vnicuique mandauit Dominus de proximo suo. Sed alius à curato, etsi posset sacramentum Eucharistiæ, aut pœnitentiæ alicui petenti ministrare, non tamen peccat contra charitatem fratris, si nolit ea illi ministrare, sed ad curatum suum eum remittat. Quod patet, tum ex communi sententia, tum etiam quia non est contra charitatem proximi illi denegare, quod non est debitum, etiamsi esset eidem vtilissimum, sed alienus sacerdos non debet alieno parochiano ministrationem sacramentorum, vt constat, igitur non est contra charitatem proximi, illi extra necessitatem sacramenta denegare. Confirmatur, quia negare eleemosynam corporalem fratri eam extra necessitatem petenti, non est contra charitatem proximi, vt constat, igitur negare sacramenta fratri, ea extra necessitatem petenti, non est contra charitatem fratris. Similiter si frater sufficienter instructus in his, quæ sunt illi necessariò credenda, & quæ illi sunt ad salutem sufficientia, petat in cæteris altioribus, & secretioribus ab aliquo instrui, non erit contra charitatē fratris suę petitioni non condescendere, vt certum suppono, satis erit ea, quando & quibus necessarium fuerit tradere, & patefacere; igitur non C agit contra legem charitatis fraternę curatus, qui subdito sacramēta extra necessitatem petenti, ea denegat, quando scilicet ex denegatione nullum fratris verisimile periculum & notabile timetur. Quòd etiam non teneatur ad id curatus ratione officij sibi iniuncti, probatur, quia officio suo satisfacit, si onera sibi à iure, vel superiore iniuncta, compleat, sed nec ius, nec superior iniungit curato sacramentum absolutionis, aut Eucharistiæ subditis ministrare, nisi in necessitate, qua subditis necessariũ est ea recipere; de iure quidem diuino, quando sunt in periculo mortis, de humano verò in Quadragesima, & Paschate, igitur ratione officij in casu proposito curatus non tenetur eum audire.

Confirmatio.

Probatur II.

CONFIRMATVR id, quia si curatus est certus, quòd subditus velit solùm venialia confiteri, aut alia peccata, de quibus legitimè absolutus est, reconfiteri, non tenetur curatus huiusmodi confessiones audire sub pœna peccati mortalis, etsi vtile esset, & meritorium vtrique, idq; ex sententia omnium, & non ob aliam causam, nisi quia tales confessiones non sunt ipsi subdito necessariæ, cùm nullum sit periculum eas non facere, vt suppono, igitur ob eandem rationem, si velit extra necessitatem sua mortalia confiteri, non tenebitur curatus ex officio eum pro tunc audire, vbi ex denegatione nullum verisimile timetur periculum. Postremò idem patet, quia Episcopus nō tenetur ratione charitatis, nec ratione officij sacramentũ ordinis subditis extra tempora determinata ministrare, non obstante vtilitate, quæ ipsi promouēdo esset ex ordinatione euentura, igitur nec curatus tenetur ex lege charitatis, nec ratione officij subditis ministrare sacramentum

Confirmatio.

Probatur III.

tum Eucharistiæ aut pœnitentiæ, non obstante vtilitate, quæ illi esset alioqui euentura.

Ad rationes oppositas.

Ad I.

Explicatur loc⁹ ex D. Matthæo allatus.

Iam ad rationes ante oppositum, dicendũ ad primam, quòd illa parabola dicta sit contra desides, & ignauos, qui cùm gratiam à Domino receperint, qua possint sibiipsis, & cæteris prodesse, illam in se inutiliter retinent, sinentes alios quo ad animam, vel corpus sua ignauia perire, quos per doni communicationem sustinere ne caderẽt, & cadentes, ac lapsos Deo lucrificare possent, quod ita intellectum in nullo contrariatur sententiæ propositæ. Qui enim indigenti proximo tempore necessitatis gratiam à Domino acceptam non communicat, proximum, ne labatur, sustinendo, vel lapsum erigendo, non inutiliter talentum à Domino dicitur accepisse, nec in sudario absconditum retinere, sed patet, qualiter retinet, qui talento à Domino ad communem vsum, & vtilitatem accepto, ad sui tantùm commoditatem vtitur, hic talentum reddit sine vsura: Qui autem talento vtitur ad aliorum vtilitatem, saltem in necessitate, talis talentum cum vsura reddere dicitur.

Ad II.

Ad secundam, fateor vtrique parenti commissam esse curam filij, carnali scilicet & spirituali, sed sicut satisfacit pater dando filio cibaria illi necessaria, aliis delicatioribus, aut abundantioribus denegatis, ita & curatus satisfacere videtur, sacramenta necessaria tempore, quo indiguerit, subdito ministrando. Nec putandum est, quòd pater carnalis teneatur ad illa duo immediatè, scilicet ad dãdum necessaria vitæ, & ad dandum alia ad corporis quantitatem pertinentia: Nam si det quæ ad vitam sunt necessaria, quantitas inde naturaliter consequetur, & siue consequatur magna quantitas, siue parua, nil ad obligationem patris, qui dando necessaria vitæ satisfacit. Ita sub obligatione curati non cadit procurare augmentum gratiæ subdito suo vltra id, quod illi ex ministratione necessarium est euenturum.

Ad III.

Quatenus pœnitens ius habeat petendi sacramentum confessionis à curato, quoties velit.

Ad tertiam, quamuis subditus habeat ius, id est, licentiam & facultatem petendi sacramentum à curato, quoties velit confiteri, non tamen habet ius coactiuum, quo possit contra curatum agere & eum ad ministrandum sacramenta compellere, extra necessitatem subditi. Nec valet simile adductum de coniugibus, quia vxor habet ius coactiuum ad petendum debitum carnis, quoties vult, eo quòd vir non habet potestatem corporis sui, sed vxor, & econtrà, vt ait Paulus, ideo habet ius coactiuũ vtendi re sua, id est, corpore viri, quoties ipsa vult, & econtrà.

1. Corinth. 7.

Ad IIII.

Ad quartam respondetur, illud Ezechielis procedere contra pastores cupidos, & negligentes, qui cùm videant oues sibi commissas pastu, aut medicamine, aut defensione à lupis indigere, nil tamen de earum salute curant, vt patet ex ipso textu; Secùs in nostro casu, quo cum hoc, quòd extra tempus necessitatis curatus sacramenta non conferat, tempore tamen, quo subditi indigent, præstò est illis per sacramenta subuenire.

Ad V.

Licitè aliquando min⁹ bonum maiori præfertur.

Ratio.

Ad postremam, illud videtur probare, quòd sit contra ordinem charitatis, eligere propriam quietem, quando ea postposita, magnum possumus spirituale beneficium proximo conferre. Attamen non est contra ordinem de necessitate seruandum, eò quòd si duo sunt alicui licita, quorum alterum melius est, modò de præcepto non sit, non peccat, nec contra debitum ordinem charitatis agit, si minus bonum, alio prætermisso, eligat. Patet, quia aliâs peccaret, qui dimissa religione, in seculo maneret, qui dimissa castitate virginali vxorem duceret, qui dimissa paupertate, diuitias curaret, & sic de multis aliis, in quibus sicut non agit quis contra charitatem ad se habendam, ita nec agit contra charitatem fraternam, si dimisso bono maiori fratris, suum proprium, quod minus est, curet, quando curare de tali bono proximi non est præcepti, sed superabundantis beneficij, quale in proposito esset.

Quando censeatur aliquis peccare contra ordinem charitatis.

Tunc igitur dicitur quis peccare contra ordinem charitatis, quando postposito eo, quod ei, vel fratri ad salutem corporis, vel animæ est necessarium, aliud minus bonum, seu non necessarium eligit: Si verò id quod postponitur non sit, vt dictum est, necessarium, non igitur contra ordinem charitatis debitum, de quo aliâs.

Refutatur error quorundam Scotistarum de continuatione contritionis.

Ad id autem, quod in ratione subiungitur, quòd sæpe accideret subditum perire ex defectu sacramenti, quando scilicet pœnitentia cordis illi non sufficit, quæ tamen cum sacramento sufficeret, dicendum quòd hoc currat contra Scotum & alios, qui dicunt esse in pœnitentia cordis certam intensionem, aut temporum continuationem necessariam, vt valeat ad salutem, de quo aliâs. Imò & secundùm Scotum, esto illud teneatur, nõ tamen potest peccator ad talem statum peruenire, in quo perfectum habeat vsum rationis, quin per se sine sacramento pœnitentiæ actu suscepto, possit se in statu gratiæ reponere, si velit, vt si defectum continuationis in pœnitentia cordis suppleat per intentionem, & conatum voluntatis, faciendo quod in se est.

A STAT ERGO sententia suprà probata, quòd curatus non teneatur audire confessiones subditorum, quoties volunt illi confiteri, sed quoties indigent, & illis necessarium est confiteri. Est autem eis necessarium confiteri, non sòlùm tempore, quo infirmi sunt, aut in Quadragesima, sed in multis aliis, vt suprà ostensum est, quando agebatur de tempore, quo necessarium est actu confiteri. Vide suprà. *Summa quæstionis totius.* *Quando subditis necessarium sit confiteri.*

De effectu absolutionis sacramentalis.

QVÆSTIO XXXVIII.

NVNC DE effectu, seu fructu absolutionis sacramentalis breuiter videamus quis sit, an scilicet huiusmodi absolutio valeat ad remisionem peccatorum, seu quod idem est, an valeat ad conferendum primã gratiam, per quam fit peccatorum remisio. Pro affirmatiua parte facit ipsa forma sacramentalis, scilicet; Absoluo te à peccatis tuis, quæ cùm vera sit, & efficax, oportet operetur id quod significat, sicut & cætera sacramenta Euangelica. Pro negatiua facit ratio, quia si qui absoluitur à sacerdote, venit cum debita cordis pœnitentia, iam in gratia venit, & ita non consequitur gratiam primam per B absolutionem huiusmodi: Si verò sine cordis pœnitentia accedit, nil sibi valet huiusmodi absolutio, imò potiùs obest, & ita patet ratio dubitationis &c. super qua quæstione magna est inter Doctores controuersia, & diuersæ opiniones. *An sacramentalis absolutio valeat ad remissionem peccatorũ?* *Ratio partis affirmatiuæ.* *Ratio partis negatiuæ.* *Varia Doctorũ sententiæ.*

PRIMA est Magistri sententiarum tenentis, quòd absolutio sacramentalis non sit operatiua, sed ostensiua remissionis peccatorum quo ad culpam, & pœnam æternam, de qua primò videndum est. Dixit igitur Magister in 4. distinct. 18. quòd hæc absolutio non valeat ad remissionem peccatorum quo ad culpam, nec pœnam æternam, & ita non valeat ad conferendum gratiam primam. Mouetur ex illo Psalm. Dixi confitebor aduersùm me iniustitiam meam Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei. Vbi Cassiodorus ait: Magna pietas Dei, qui ad solam promissionem dimittit peccata, nondũ pronuntiat, sed promittit se pronuntiaturum, & peccata remittit. Vnde apparet, peccatorem antequam à sacerdote absoluatur, esse à Deo iustificatum, & veniam peccatorum consequutum. *I. est Magistri sententiarũ pro parte negatiua.* *Ratio I.*

SECVNDO idem probat, quia si huiusmodi absolutio valeret ad remittendum culpam, & æternam pœnam, sequeretur, quòd sacerdos culpam remitteret per suam absolutioné, quod inde videtur falsum, quia remittere peccata solius Dei est, iuxta illud Isaię: Ego solus deleo iniquitates, & peccata populi, & Ambrosius idem testatur dicens: Ille solus peccata dimittit, qui solus pro peccatis nostris mortuus est, & habetur de pœnitentia, distinct. 1. cap. Verbum Dei, & Augustinus contra Iulianum: Nemo tollit peccata, ni- C si solus Deus, qui est Agnus, tollens peccata mundi. *II.* *Isaiæ 44.*

TERTIO facit pro eodem, quod legitur de Lazaro in Euangelio, quem Christus priùs intùs viuificauit, & postea soluendum à ligaturis discipulis suis tradidit. Ex quo Augustinus colligit, peccatorem priùs à Deo intus per gratiam viuificari, quàm à sacerdote à ligaturis peccati absoluatur. Pro quo etiam facit quod de leprosis scriptum est, quos scilicet Christus priùs sanauit à lepra, deinde eos ad sacerdotes misit, quorum iudicio ostenderentur esse mundati. Quod quidem figura fuit eius rei, quæ in hoc tempore fit, quando peccatores à lepra animæ curantur. *III.* *Ioan. 11.* *Confirmatio.*

QVARTO facit, quod ait Hieronymus super illud Matthæi 12. Tibi dabo claues regni cœlorum: Hunc, inquit, locum quidam non intelligentes, aliquid sumunt de supercilio Pharisæorum, vt damnare innoxios, vel soluere se putent noxios, cùm apud Deum, non sententia sacerdotum, sed reorum vita quæratur. In Leuitico se ostendere sacerdotibus iubentur leprosi, quos illi non faciunt leprosos vel mundos, sed discernunt, qui mundi, vel immundi sint. Vbi apertè videtur sacerdotes Euangelicos legalibus æquiparare, in hoc quòd sicut illi non mundabant leprosos, sed eos mundos esse iudicabant, ita sacerdotes Euangelici non iustificant peccatores, nec eos mundant, sed eos mundos iam esse ostendunt, & ita absolutio sacerdotis non est, quæ primò iustificat, seu peccatorum remisionem confert. Itaque absolutio sacramentalis non actu dimittit peccata, sed ostendit ea iam esse dimissa, operatur autem in confitente gratiæ augmentum, quod *IIII.*

Quid conferat absolutio sacramentalis ex sententia Magistri.

commune est sacramentis legis nouæ, & remittit pœnam temporalem in toto, vel in parte, eam dico, in quam per contritionem fuerat æterna pœna commutata. Facit pro hac positione glossa super illud Ioan.20. Quorum remiseritis peccata &c. id est, quos dignos remissione iudicaueritis. Vnde apparet, non esse sacerdotibus datam potestatem, qua actu peccata remittant, sed qua iudicent, qui sint digni, aut indigni ipsa remissione.

Oppugnatur dicta Magistri sententia.

CONTRA tamen hanc opinionem Magistri videntur aliqua militare, quæ faciunt pro secunda opinione, quam alij contra Magistrum tenent. Primò quia sacramenta legis
I. Euangelicæ id efficiunt quod significant, vt patet ex definitione sacramenti per eundem Magistrum data: Sacramentum est inuisibilis gratię visibilis forma, sic vt ipsius imaginem gerat, & causa existat. Similiter ex differentia sacramentorum veteris legis, & nouæ, illa enim figurabant, & non operabantur, nec præstabant quod significabant, vt patet de hostiis, quæ pro peccatis fiebant, quæ licet iustificationem à peccatis significarent,

Ad Rom.3.

neminem tamen iustificabant, iuxta dictum Pauli: Ex operibus legis nemo vnquam iustificatus est. Sed sacramentum pœnitentiæ significat per ipsum fieri remissionem peccatorum, vt ipsa forma absolutionis ostendit.

II. SECVNDO Deus peccata non remittit, nisi sint per sacerdotes remissa, ipso dicente: Quorum remiseritis peccata, remittentur, & quorum retinueritis, id est, non remiseritis, erunt retenta. In quo significat satis apertè, quòd sententia sacerdotis in terris præcedat sententiam Dei in cœlis, non enim dixit, quorum remiseritis peccata, iam sunt remissa, sed remittentur in cœlo, quemadmodum alibi dixit, quæcunque solueritis in terris, erunt soluta in cœlis. In quo innuit, quòd sententia à sacerdote in terris data approbabitur in cœlo, approbatio autem sententiæ præsupponit sententiam latam esse, igitur falsum est, quòd illa forma; absoluo te, valeat tantũ hoc, te absolutũ esse ostendo.

Ioan.20.

Confirmatio duplex.

Quod inde confirmari potest, quia si ille sit sensus absolutionis, id est, te absolutum esse ostendo, quæro à quo absolutũ esse peccatorem ostendat, vel à Deo, vel ab Ecclesia? Non
I. secundum, cùm antea ab Ecclesia absolutus non sit. Nec primum, quia tunc magis conduceret, vt peccator suam iustitiam confiteretur sacerdoti, quàm sua peccata, quia vt sacerdos iudicet illum hominem esse à Deo absolutum, magis conuenit iustitiam talis hominis cognoscere, quã vitia, & peccata ab eo commissa, quandoquidem per opera charitatis meretur homo à Deo absolui, & per eadem dignus esse cognoscitur, non per peccata. Cùm igitur teneatur non iustitiam, sed sua peccata confiteri, sequitur, quòd non ad id teneatur, vt iudicetur dignus, & à Deo absolutus, sed vt à vicario Christi absoluatur.

II. Cõfirmatio.

QVOD iterum confirmatur, quia si sacerdotibus non est data maior potestas in hac re, quàm ad ostendendum quis sit absolutus, seu absolutione dignus, sequitur, authoritatis suprà tactæ sensum esse; Peccata quæ ostenderitis esse remissa, non erunt remissa, quod videtur absurdum. Nam si remissio per Deum facta, præcedit remissionem & sententiam sacerdotis, nil igitur ad remissionem peccatorum agit, vt sacerdos postea ostendat illum esse absolutum vel non.

III. TERTIO sacramentum pœnitentiæ est secunda tabula post naufragium, sicut baptismus est prima, igitur sicut baptismus actu liberat hominem à naufragio, præstando gratiam primam, ita & pœnitentia sacramentalis, alioqui si homo semper est iustificatus antequam huiusmodi sacramentum accipiat, quomodo conuenit de hoc sacramento dicere, quòd sit secunda tabula post naufragium? Confirmatur etiam, quia extrema vnctio confert gratiam primam, & peccata tollit, dicente Iacobo in sua Canonica: Infirmatur quis in vobis, inducat presbyteros, vt orent super eum, vngentes eum oleo sanctitiæ, & oratio fidei saluabit infirmum, & si in peccatis sit, dimittentur ei. Igitur id faciet à fortiori pœnitentiæ sacramentum, quod specialiter in remissionem peccatorum institutum est.

IIII. QVARTO facit glossa Matthæi 16. quæ exclusis aliis opinionibus, dicentibus sacerdotem non à peccatis absoluere, sed absolutos eos ostendere, neque à peccatis, sed à reliquiis peccatorum absoluere, subdit, dicens: Alij veritati, & Euangelio adhærentes, ministros Ecclesiæ à peccato soluere dicunt. Pro quo etiam facit Augustinus contra 5. hæreses, dicens: Nec eos audiamus, qui negant Catholicam Ecclesiam omnia peccata posse dimittere, illi enim in Petro petram non intelligunt, & non intelligentes Ecclesiæ datas esse claues regni cœlorum, eas de propria manu amiserunt.

QVINT-

A QVINTO facit ad idem capit. Si quis presbyter 26.q.6. vbi dicitur, quòd presbyter denegans pœnitentiam, id est absolutionem morientibus, reus sit animarum. Et rursus ibidem capit. Agnouimus. de presbytero negante absolutionem morientibus, eam petentibus, ait Cœlestinus Papa: Quid aliud rogo id est, quàm morienti mortem addere, eiusque animam sua crudelitateq; ne absoluta posſit esse, occidere? In quibus apertè videtur significari, quòd absolutio in casu præstet vitam his, qui moriuntur, alioqui, ea denegata, non daretur causa condemnationis ipsis morientibus. V.

PROPTER has, & alias rationes concludunt alij, absolutionem sacramentalem operari actu remisſionem peccatorum, quo ad culpam, & pœnam æternam, & non solùm quo ad temporalem. Cuius opinionis fuerunt Thomas Scotus, Gerson, & alij, & ita absolutio sacramentalis non est ostensiua solùm, sed actu operatiua eius quod significat. Et quamuis vt in plurimum reperiantur peccata iam per primam contritionem remissa quo ad Deum, attamen ex parte sua, ea secluso obice remitteret, si remissa non essent. Pro qua sententia videtur facere Concilium Florentinum, vbi declaratum est, quòd effectus sacramenti pœnitentiæ sit, absolutio à peccatis.

Propter dictas iam ratiões est II. aliorum sententia, pro parte affirmante, quo ad culpã & pœnam, tam æternam, quàm temporalem.

CONTRA tamen hanc secundam opinionem specialiter facit ratio, vltra ea, quæ suprà pro magistro sunt allegata. Nam cùm dicant hi, quòd sacramentum hoc pœnitentiæ actu remittat peccata, & conferat gratiam primam, quæro quomodo accedat confitens ad suscipiendum hoc sacramentum. Nam potest tribus modis accedere, vno, absq; B obice malæ voluntatis, sed sine pœnitentia cordis, secundò cum pœnitentia cordis, sed imperfecta, tertiò cum pœnitentia cordis perfecta, quæ dicitur contritio: Sed in nullo ex his casibus possunt verificare quod dicunt. Patet, nam si sine pœnitentia cordis accedat, etiamsi obicem alium malę voluntatis non habeat, non iustificabitur per absolutionem. Nam certum est per scripturam, peccatorem non posse de lege veniam à Deo consequi, sine pœnitentia cordis, dixit enim per Ezechielem: Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, vita viuet &c. & iterum: Quacunq; hora ingemuerit peccator, non recordabor ampliùs suorum peccatorum. Et Christus in Euangelio: Nisi pœnitentiam egeritis, omnes peribitis. & Petrus in actibus: Pœnitemini, & conuertimini, vt deleantur peccata vestra. & Augustinus: Nemo suæ voluntatis arbiter constitutus, potest nouam vitam gratiæ inchoare, nisi pœniteat eum veteris vitæ, à qua pœnitentia soli paruuli immunes sunt, & sunt alia innumera loca scripturæ sanctæ, & testimonia sanctorum Doctorum pro hac parte; non igitur stat, quòd absolutio sacramentalis conferat gratiam primam, in casu, quo confitens sine pœnitentia accedat per solam non positionem obicis.

Impugnatur hæc eadem sententia.

Tribus modis accedere potest pœnitens ad suscipiendum confessionis sacramentum, & secundùm omnes probatur absolutionem non remittere peccata.

I.

NEC POSSVNT, vt videtur, dicere secundum, scilicet quòd si accedat cum pœnitentia cordis imperfecta, posſit virtute absolutionis consequi gratiam primam, & remisſionem peccatorum actu. Nam quatuor modis contingit huiusmodi pœnitentiam esse C imperfectam scilicet vel quia peccator dolet de quibusdam à se commisſis, & non de omnibus, vel quia si de omnibus commisſis dolet, non tamen cum proposito abstinendi in posterum, vel tertiò, quia non dolet de commisſis ob amorem Dei, sed ex timore, vel ex alia causa humana, vel quartò quia pœnitentia cordis est remissa gradualiter, seu parum continuata: Sed in nullo ex his casibus possunt verificare quod dicunt, quòd scilicet absolutio sacramentalis actu remittat peccata mortalia quo ad culpam, & æternam pœnam. Patet, nam quando habetur pœnitentia cordis imperfecta primo, & secundo modo, non fit peccatorum remisſio, quia ponitur obex malæ voluntatis, saltem omisſiuè, cùm teneatur peccator absolutionem petens, pœnitentiam veram de commisſis habere, quæ pœnitentia includit dolorem de omnibus commisſis, & propositum in posterum abstinendi, vt suppono. Si autem habetur pœnitentia imperfecta tertio modo, qua scilicet homo doleat de peccatis, non tamen propter Deum ab eo dilectum, non poterit veniam, aut gratiam consequi, dicente Augustino, sine amore Dei neminem vnquam gratiam inuenisse, imò & ipsi Doctores Thomas & Scotus dicunt esse necessariam pœnitentiam propter Deum. Si autem habetur pœnitentia imperfecta quarto modo, scilicet, quia est remissa gradualiter, aut parum continuata, talis imperfectio non impedit, quò minùs per eam posſit quis sufficienter se in statu gratiæ reponere. Nam ad acquirendum gratiam, nec est necessaria intensio gradualis, nec temporis continuatio, modò efficax sit, quia quantulamcunq;, & quantumlibet breui tempore gestam pœnitentiam

II.

Quatuor modis contingit imperfectam esse pœnitentiam.

I. II.

III.

IIII.

Probatur in nulla pœnitentia eiusmodi, absolutionem peccata remittere.

I. & II. modo.

III. modo.

IIII. modo.

Deus acceptat. de pœnitentia. distinct. 3. cap. Talis &c. de quo suprà tractatu de pœnitentia cordis.

Obiectio pro II. sententia.

Sed forte dicent, quòd posit esse pœnitentia imperfecta, qua quis dolet de omnibus peccatis suis cum proposito abstinendi, & propter Deum dilectum, dilectione, quæ de se non sufficit ad gratiam, quia stat peccatores in peccato existentes Deum diligere, & propter Deum aliqua facere, nec propter hoc se in statu gratię reponere. Et talis pœnitentia, quæ per se non sufficit, sufficit cum sacramento, & ita tunc verificaretur, quod opinantes dicunt. Verùm hoc etiam habet difficultatem, quia quæro qualis sit illa dilectio Dei: Nam vel est obedientialis, qua homo proponit firmiter Deo in omnibus placere propter ipsummet Deum: Vel est dilectio alia simplicis tendentiæ, qua placet ipsi homini, quòd Deus sit, & omnibus præsit & dominetur, seu quòd sit optimus, & infinitus, aut quòd illi omnes seruiant, eumque reuereantur &c. Si hanc solùm habeat homo dilectionem Dei, fateor illam non sufficere ad salutem, & gratiam, sed nec cum sacramento sufficere ad gratiam. Probatur, quia ad gratiam primam, & remissionem peccatorum quo ad culpam, necessaria est vera pœnitentia cordis, de qua scriptura loquitur. Hæc autem est, quam Sancti exposuerunt, scilicet, Pœnitentia vera est, præterita mala plangere, & plangenda iterum non committere, idque propter Deum, hanc autem pœnitentiam certum est includere amorem Dei obedientialem, nam taliter pœnitens paratus est in omnibus necessariis Deo placere, ex quo proponit in nullo postmodum eum offendere, & talis dilectio est immediata dispositio ad gratiam, & per consequens siue pœnitentia illa sit propter Deum primo modo dilectum, siue secundo modo, non verificant, quod dicunt, scilicet quòd taliter pœnitens consequatur virtute absolutionis sacramentalis gratiam primam, & remissionem peccatorum quo ad culpam & pœnam æternam.

Solutio. Dilectio Dei duplex.

Alia ratio pro cõfirmatione datur solutiõis: scilicet homini necessariam esse pœnitentiam propter Deum obedientialiter dilectum, ad veniã consequendam.

Confirmatur hoc idem, scilicet quòd sit homini necessaria pœnitentia propter Deum obedientialiter dilectum, si velit veniam consequi, quia non potest quis saluari, nisi seruet mandata, secundùm quod scriptum est: Si vis ad vitam ingredi, serua mandata, & iuueni enarranti mandata, quæ seruauerat, respondit Christus: Hoc fac, & viues. Cùm igitur non sit necessarium omnia mandata semper actu seruare, vt homo saluetur, alioqui vix esset qui saluaretur, restat vt sit necessarium omnia mandata seruare secundùm mentis propositum, vt homo sit Deo acceptus. Ac proinde si velit peccator veniam peccatorum, & gratiam consequi, quando absoluitur, necesse est eum in mentis proposito omnia mandata seruare: Hoc autem est Deum diligere obedientialiter, quod quidem per se ad gratiam sufficit, igitur &c.

I.

II. Idem etiam colligitur ex eo, quod habetur Ezechielis 18. Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, & custodierit omnia præcepta mea, vita viuet, & non morietur. In quo iterum significatur, necessariam esse pœnitentiam propter Deum obedientialiter dilectum, & taliter pœnitenti promittit Deus vitam.

III. Praeterea idem probatur ex eo, quod ait Augustinus libro de vera, & falsa pœnitentia cap. 17. vbi declarat, quis dicatur conuerti ad Deum. Ille, inquit, qui non solùm à peccato auertitur, sed qui iam totus & omnino vertitur, qui iam non pœnas timet, sed ad bonum Deum tendere festinat. & Gratianus de pœnitentia. dist. 1. c. Quis aliquando declarans conuersionem in Deum nobis necessariam, ait: Conuerti dicitur, qui omnino vertitur, cuius opus, vox & cogitatio ita mortificationi peccati desudant, sicut prius serui erant iniquitatis. Quòd autem vltra pœnitere, sit necessarium ad Deum conuerti, vt quis remissionem peccatorum assequatur, clarè docet Petrus in Actibus, dicens: Pœnitemini, & conuertimini, vt deleantur peccata vestra. Ex quibus apertũ esse videtur, quod nisi peccator pœniteat propter Deum obedientialiter dilectum, non posit, etiam interueniente sacramento, Dei gratiam, & remissionẽ peccatorum consequi, & ita concluditur, quòd si debeat confitenti valere absolutio sacerdotis, nõ satis sit si accedat peccator sine obice malæ voluntatis, nec satis sit, si accedat cum pœnitentia imperfecta, vt supra discussum est, sed necessarium sit, vt accedat cum pœnitentia vera, quæ dilectionem Dei obedientialem includit, aut præsupponit. Et si cum hac accedat, iam per eam est veniam consequutus, antequam à sacerdote absoluatur, & per consequens huiusmodi absolutio non operatur actualiter remissionem peccatorum, quo ad culpam, & æternam pœnam.

Summa probationum contra II. sententiam allatarum.

III. modus accedendi ad sacramentum confessionis suscipiendum.

III. Sententia, scilicet absolutionem sacra-

Est alia tertia opinio Hugonis lib. 2. de sacramentis, similiter & Richardi de sancto Victore, parte prima, lib. de potestate soluendi, & ligandi, qui tenent mediam viam, dicentes,

mentalem non operari remißionem peccatorũ quo ad culpam, sed quo ad reatum pœnæ æternæ.

A dicentes, quòd absolutio sacramentalis non operetur remissionem peccatorum quo ad culpam, sed quo ad reatum æternæ pœnę. Pro quo supponunt, quòd peccator ob culpam mortalem ligatus sit dupliciter scilicet obduratione mentis, & debito futuræ damnationis. Primum remittit Deus, interueniente contritione peccatoris. Secundum verò remittit sacerdos per suam absolutionem, præuia peccatoris confessione. Pro qua opinione quo ad primam partem faciunt, quæ suprà citata sunt pro Magistro sententiarum, specialiter quod de Lazaro adduximus, qui priùs fuit à Christo intus suscitatus, & postmodum Apostolis traditus, vt à ligaturis mortis solueretur.

Suppositio huius sententiæ.

Rationes eiusdem. I.

II. Facit etiam dictum Christi: Quorum remiseritis peccata, remittentur eis; &, quæ solueritis in terra, erunt soluta in cœlis &c. In quibus innuitur, præcedere sententiam sacerdotis, & subsequi absolutionem Dei in cœlis, quod cùm non posit intelligi de absolutione ostensiua, vt suprà contra Magistrum arguebatur, sed de absolutione operatiua, & non de absolutione à peccatis quo ad culpam, vt suprà pro Magistro argutum est, nec de absolutione à peccatis quo ad pœnam temporalem, ad cuius remissionem non opus erat confiteri peccata, quandoquidem talis pœna hîc, & in purgatorio solui poterat, restat, vt intelligatur de absolutione à peccatis quo ad reatum æternæ damnationis. Facit III. etiam, quod ait Psal. Dixi, confitebor aduersùm me iniustitiam meã Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei, vbi non dicitur, & tu remisisti peccatum meum, sed impie-
B tatem peccati, seu cordis mei, vt intelligamus, quòd Deus per contritionem dimittat cordis impietatem, quæ est mentis obduratio, & cæcitas interior, & relinquatur debitum æternæ damnationis postmodum remittendum, quod fit in confessione: Itaque per contritionem præuiam Deus remittit culpam, per absolutionem sacramentalem sacerdos remittit æternam pœnam. Nec aliter in cœlis huiusmodi æterna pœna peccatori remittetur, nisi sententia sacerdotis interueniente, excepto, quando per peccatorem non steterit, quò minùs à sacerdote absoluatur, quia tunc defectum sacerdotis supplebit Dei misericordia.

Oppugnatur hæc III. sententia. I.

Contra tamen hanc opinionem videntur aliqua militare. Primò, quia si dimissa culpa per gratiam infusam maneret reatus æternæ pœnæ, idem ergo homo esset filius regni, & perditionis, regni quidem, quia per gratiam & charitatem est Deo reconciliatus & amicus ipsius, perditionis verò, quia est obnoxius æternæ damnationi. Quod videtur falsum, iuxta dictum Augustini dicentis; sola charitas vestis nuptialis est, quæ diuidit inter filios regni, & filios perditionis &c.

Praeterea, quòd remissa culpa per infusionem gratiæ, & charitatis non maneat II. homo obnoxius æternæ pœnæ, probatur ex eo, quod ait Deus per Ezechielem: Quacunque hora ingemuerit peccator, non recordabor ampliùs peccatorum suorum. Id quod ait, non recordabor, non potest intelligi dictum esse per obliuionem commissorum, quæ nulla potest in Deo reperiri, igitur intelligitur per non imputationem pecca-
C torum ad æternam pœnam, cùm non aliter intelligi posit. Igitur eo ipso, quòd peccator per contritionem assequitur gratiam, & remissionem peccatorum, fit vt non ampliùs maneat obnoxius æternæ pœnæ sicut priùs erat.

Confirmatvr hoc idem per Augustinum super Psalmum: Beati quorum re- III. missæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. Et rursus: Beatus vir, cui non imputauit Dominus peccatum, nec est in spiritu eius dolus, vbi Augustinus ait: Hoc est Deum peccata remittere, quod est ea ad pœnam nõ imputare. Si igitur peccata à Deo per contritionem remittuntur, non igitur ampliùs ad pœnam imputantur.

Praeterea si remissa culpa per gratiam manet homo ordinatus ad pœnam ęter- IIII. nam antequam confiteatur, quæro vel manet ad æternam pœnam ordinatus secundùm præsentem iustitiam, vel secundùm finale iudicium. Non primum, nam si homo ille decederet in statu in quo ad præsens est, absque dubio euaderet æternam damnationem. Nec secundum, quia stat quòd sit de numero prædestinatorum, non igitur stat, quòd sint peccata remissa quo ad culpam per infusionem charitatis, & quòd maneat ordinatus homo ille ad pœnam æternam.

Praeterea, cùm dicunt, quòd ablata culpa relinquatur reatus æternæ damnatio- V. nis, quæro quid per culpam formaliter intelligant. Si dicant, quòd culpa manens transeunte actu peccati formaliter sit cæcitas, seu tenebrę, seu macula mẽtis, cùm hæc omnia non sint alia quàm priuatio gratiæ, vt dicunt, sequeretur quòd sola priuatio gratiæ suffi-

 ceret,

ceret, vt qui ea caret, esset in culpa, quodque non minùs esset in culpa, qui vnum peccatum commisisset, quàm qui centum, quorum secundum cùm constet esse falsum, probatur falsitas primi, quia probabile est, secundùm quorundam sententiam, hominem primum esse sine charitate creatum, similiter & angelum, qui etsi gratia carerent in primo suo instanti, non tamen ob id dicti sunt creati in culpa.

Obiectio pro III. sententia. SI DICANT, culpam illam manentem transeunte actu peccati esse indignitatem positiuè sumptam, vt dicit Gerson, id est, dignitatem, qua homo dignus est æternaliter *Diluitur.* puniri, quodque hæc tollatur per gratiam contritionis, & maneat reatus, id est, ordinatio ad æternam pœnam, hoc dici non potest, quia vel post habitam contritionem manet homo dignus æterna pœna, vel non. Si primum, quomodo igitur per contritionem tollitur culpa? Si secundum, quomodo igitur ordinatur iustè ad æternam pœnam, qui non est ea dignus? Si dicant, quòd culpa manens transeunte actu peccati non sit nisi ordinatio, seu imputatio ad pœnam, cùm re vera nil aliud videatur in peccatore post actum peccati relinqui, sequitur, quòd cùm per contritionem tollatur culpa, non maneat reatus, vel ordinatio ad æternam pœnam, & ita intentum.

VI. PRAETEREA, demus hominem ex toto conatu de omnibus suis peccatis dolentem, & opere pro viribus satisfacientem qui nondum confessus sit, huic remissa sunt peccata quo ad culpam, & secundùm opinionem manet in reatu æternæ damnationis, quæro, an maneat æternaliter damnandus pro illis peccatis, de quibus, prout potuit, contritus est, an pro negligentia confeßionis, si fortè sit negligens in confitendis commissis? Si primum, igitur tam acriter, & æternaliter punietur homo ille in inferno pro peccatis, de quibus toto corde contritus est, & pro quibus pro viribus satisfecit, ac si nil horum fecisset bonorum, quod videtur absurdum. Si secundum: falsum igitur est, quòd homo post adeptam gratiam, & remißionem peccatorum commissorum sit obnoxius æternæ pœnæ pro illis, quamuis sit pœnæ æternæ obnoxius pro negligentia prædicta, quod nec opinio communis negaret, & ita videtur præfata opinio suas pati difficultates.

VII. POSTREMO arguitur, quia Christus æqualiter, & simul legitur dedisse sacerdotibus potestatem soluendi, & ligandi, remittendi, & retinẽdi peccata. Nam pariter dictum est: Quorum remiseritis peccata, remittentur eis, & quorum retinueritis, retenta erunt. Pariter etiam dictum est: Quæ solueritis in terra, erunt soluta in cœlis, & quæ ligaueritis erunt ligata, sed sacerdos nõ potest ita hominem ligare, vt sua sententia faciat hominem æternæ damnationi obnoxium, cùm id sine proprio demerito hominis fieri non possit: igitur nec etiam potest sacerdos per suam sententiam efficere, vt homo sit à reatu æternæ damnationis liber, quandoquidem cui Christus soluendi potestatem contulit, eidem potestatem ligandi concesit.

Sententia IIII. scilicet absolutionem operari peccatorum remißionem quo ad culpã & pœnã æternam in voto seu proposito non autẽ actu susceptam. Probatur.

EST ALIA quarta opinio, & satis communis, quæ tenet, absolutionem hanc sacramentalem operari remißionem peccatorum, etiam quo ad culpam, & pœnã æternam, nõ in actu susceptam, sed in voto, seu proposito mentis habitam. Quòd enim operetur remißionem peccatorum, patet ex dictis, quia cùm sit sacramentum legis nouæ, id operatur quod significat. Quòd verò non operetur peccatorum remißionem actu suscepta, patet similiter ex dictis, quia quando actu suscipitur huiusmodi sacramentum iam præcesit peccatorum remißio virtute contritionis præuiæ. Restat igitur, quòd præfatam peccatorum remißionem operetur in voto, tunc scilicet, quando peccator prius habuit contritionem, in qua si vera fuit contritio formaliter, in ea virtualiter includitur propositum confitendi sacerdoti, tempore debito. Itaque vera manet sententia Christi, scilicet quòd nullus peccator consequatur in cœlis peccatorum remißionem, nisi à sacerdote sit absolutus scilicet in voto, & proposito ipsius peccatoris, quemadmodum in baptismo statutum est, quòd nisi quis fuerit renatus ex aqua, & Spiritu sancto, non potest ingredi regnum Dei, saluatur statutum in eo, qui proponit, cùm poterit, aut debuerit baptismum aquæ suscipere. Sufficit igitur peccatoribus, vt gratiam acquirant, si propositum habeant tempore debito baptismum, & pœnitentiam suscipiendi: Et ita illis valet ad salutem baptismus, & pœnitentia in voto, relinquitur tamẽ in eis obligatio suo tempore huiusmodi sacramenta recipiendi, saltem ob præceptum. Vnde apertum est, quòd absolutio sacramentalis in voto præstet, & operetur remißionem peccatorũ quo ad culpã, & pœnam æternã, quia absolutio in voto idem operatur, quod ipsa contritio, in qua formaliter

A formaliter vel virtualiter præfata absolutio continetur. Quando verò suscipitur liberat hominem à debito confitendi illa peccata, quia nō tenebitur ea amplius confiteri. Quæ positio, etsi vera sit, adhuc tamen suas patitur difficultates, quia non videtur saluare ea, quæ de huiusmodi Sacramento pœnitentiæ tenentur. Primò de hoc Sacramento sicut de cæteris Sacramentis Ecclesiæ id approbatur, & tenetur, quòd operetur, & præstet ex opere operato id quod significat, significat autem peccatorum remissionem, & hanc nō præstat ex opere operato, nec quando actu suscipitur, nec quando in voto, seu mentis proposito retinetur. Patet hoc, quia quando in voto habetur, quicquid boni spiritualis homo assequitur, siue sit gratia, siue peccatorum remissio, virtute contritionis, & ex opere operantis assequitur, vt constat. Quando verò actu suscipitur, non operatur peccatorum remissionem, cùm per præuiam contritionem peccata fuerint remissa, vt suppono.

Oppugnatur etiam hæc sententia. I.

SECVNDO non videtur satis commodè saluari ordo remissionis à sacerdote, & à Deo faciendæ, prout in præfata authoritate Ioannis 20. significatur: Quorum remiseritis &c. in qua docemur, quòd sacerdos debeat priùs saltem natura absoluere, & deinde eius sententia absolutiua in cœlis approbari, nec aliter homini peccata esse remittenda à Deo. Si enim, quando habetur confessio in voto, peccata à Deo remittuntur, antequam à sacerdote remittantur, non saluatur præfatus ordo remissionis, vt videtur. II.

B TERTIO, & est confirmatio præcedentis, sacerdotibus concessa est à Christo potestas remittendi peccata, igitur vel possunt remittere ea, vel nō. Si secundum, frustra igitur esset illis huiusmodi potestas collata. Si primum, quæro quando peccata remittuntur: vel quando actu peccatorem absoluunt, & habeo intentum, contra opinionem præsentem: vel quando peccator habet in voto propositum confitendi sacerdoti. Sed hoc non conuenienter dicitur, quia quando confessio, & absolutio solùm habentur in voto, nil sacerdos operatur, sed solius contritionis virtute assequitur homo remissionem, nō igitur propriè tunc sacerdotes peccata remittunt &c. III.

QVARTO non saluant formæ absolutionis veritatem, sed potiùs secundùm hunc modum videtur forma falsa, quæ est hæc: Absoluo te à peccatis tuis, quæ cùm sit de præsenti, vt constat, significat tūc fieri absolutionem à peccatis, quando ipsa verba actu proferuntur. Si igitur tunc realiter peccata non remittuntur, sed priùs erant per confessionem in voto remissa, falsa igitur est forma illa tunc, quando profertur. Nec valet dicere, quòd vera sit, quia tūc de facto absoluitur homo à debito confitendi, nō valet, nam aliud videtur esse hominem absolui à debito cōfitendi peccata, aliud absolui ab ipsis peccatis. Nec absolutio significat hominem absolui à præfato debito, sed à peccatis: igitur necesse est dicere, quòd tunc, quando homo absoluitur à peccatis, realiter ab eisdem absoluatur, & ita ad saluandum effectum, & efficaciam, & veritatem formæ huius Sacramenti, nō opus est ad votum, seu propositum recurrere. IIII.

C VIDETVR ergo aliter ad quæstionem propositam respondendum, modum quendam lectoribus proponendo. Suppono primò, quòd ex peccato contra Deum commisso, homo maneat inimicus Deo, maneat debitor pœnæ æternæ, & maneat exul à regno cœlorum, quod illi ob huiusmodi peccatum clausum est.

Pro resolutione quæstionis quatuor suppositiones. I. *Effectus peccati mortalis.*

SVPPONO secundò, quòd pro offensa, & iniuria Deo per peccatum illata, necessarium sit illi satisfacere, nec potest homo aliter Deo satisfacere, nisi illi reddendo, quod ipse Dominus in vim satisfactionis exegerit, & interim dum huiusmodi satisfactio Deo non fit, non dicetur homo omnino à peccato liber.

II. *Quomodo peccator Deo offenso satisfacere teneatur.*

SVPPONO vltrà, quòd Deus à peccatore pro offensa contra eum commissa duplicem exigat satisfactionem, scilicet interiorem, & exteriorem. Per primam debet se homo à peccato auertere, & ad Deum conuerti, cum proposito exteriùs satisfaciendi. Per secundam debet se homo Deo humiliare, & eidem sua peccata confiteri, & ab eo veniam petere, quæ cùm fieri non possint coram Christo localiter in terris habitante, cùm in cœlis tantùm visibiliter resideat, opus est fiant coram eius Vicario, quem in terris reliquit, cui in hac re vices suas commisit, hoc est sacerdoti, cui potestatem remittendi peccata concessit.

III. *Deus à peccatore duplicē exigit satisfactionem.*

SVPPONO etiam, quòd per primam satisfactionem, id est, cordis veram pœnitentiā, homo Deo reconcilietur, & consequatur Dei amicitiā, simul & remissionē pœnæ inferni. Et ita tunc peccata illi, quo ad illa duo, remittuntur, attamen homo manebit exul à regno

IIII. *Quid cōsequatur pœnitēs per vtramq; satisfactionem.*

regno Dei, quod illi clausum erit, nisi secundam satisfactionem adimpleuerit. Vnde ad hoc datæ sunt sacerdotibus claues regni cœlorum, id est, potestas remittendi peccata, vt per sacerdotes huiusmodi potestate vtentes, & peccatores à suis peccatis absoluentes, eis regnum cœlorum, quod illis ob peccata priora clausum fuerat, aperiatur. Et hoc modo completur remissio peccatorum per huiusmodi sacerdotalem absolutionem, quę cœpta fuerat priùs per contritionem. D

Quid remittatur pœnitēti per contritionem, quid item per absolutionem sacramentalē.

DEVS IGITVR per contritionem remittit peccata, quantum ad maculam, & debitum æterni cruciatus; quantum tamen ad exulationem & clausuram regni cœlorum, reliquit peccata sacerdotibus remittenda.

EXEMPLVM huius est clarum in patribus sanctis, qui erant in sinu Abrahæ, vbi nullā habebant culpam, nec pœnam, præter eam, quòd illis ob peccatum erat clausum regnum cœlorum, quod illis minimè erat aperiendum, nisi peracta satisfactione à Deo instituta, quæ in passione Christi fuit adimpleta, & ex tunc præfatis Sanctis fuit apertum regnum cœlorum, & illicò viderunt gloriam Dei. Inde vsque ad Christi passionem dicebantur omnes in peccato esse, quantumuis Sancti, & amici Dei, interim dum in eis præfata pœna exulationis à regno cœlorum permanebat.

Resolutio proposita quæstionis.

IAM SEQVITVR apertè, quòd absolutio sacramētalis actu remittere dicatur peccata confitentis, etiamsi priùs fuerint per contritionem quodammodo remissa, non tamen plenè, quousq; à sacerdote remittantur. E

Conciliatio sententiarum prædictarum.

ET HOC modo omnia cohærent, & saluantur, scilicet quòd huiusmodi absolutio sacramentalis id actu operetur quod significat, quòd per contritionem priùs sint peccata remissa quo ad culpam, & æternum cruciatum, quòd sacerdotibus collata sit potestas peccata actu remittendi, quòd ipsi habeant claues ad aperiendum regnum cœlorum, quòd effectus huius Sacramenti sit absolutio à peccatis, quòd solus Deus sit, qui deleat iniquitates, & peccata populi quo ad maculam, & debitum æternæ pœnæ, quodq; pœnitentia sit secunda tabula post naufragium, ex quo liberet hominem à peccato; Et ita de aliis, quæ videbantur non satis cohærere.

Argumenta quędam cōtra hāc quæstionis resolutionem.

SED CONTRA hunc modum dicendi, sunt nōnulla, quæ difficultatem faciunt. Primò, si peccator per contritionem redit in gratiam, & amicitiam Dei, sequitur quòd eo ipso sit filius regni, & ita ad gloriam ordinatus, igitur eo ipso tollitur illa exulatio, qua
I. perpetuò erat à regno cœlorum exulaturus, & ex consequenti nō manet illi clausum regnum cœlorum, quod est per sacerdotes aperiendum, alioqui dabis, quòd homo simul sit in gratia, & amicitia Dei, & ordinatus ad pœnam perpetuam damni, quæ est exclusio à regno cœlorum, quæ tamen secundùm veritatem non stant.

II. SECVNDO, demus hominem contritum in gratia decedere, antequam habeat copiam confessoris potentis, aut volentis eum absoluere, quęro, vel perpetuò exulabit à regno cœlorum, vel non. Primum dici non potest, quia alioqui homo in charitate decedens, nunquam saluaretur, quod suppono erroneum. Si secundum, igitur regnum cœlorum fuit illi apertum, & non nisi per contritionem, & alia pia opera, quòd si cōtritio fuerit tanta, & ex tanto feruore charitatis elicita, vt in totum peccata extinguat, etiam quo ad pœnam omnem purgatorij, quam alioqui esset passurus, talis sine absolutione sacerdotis decedens, illicò volabit ad gloriam. Si dicas, licet decedat sine absolutione sacerdotis in actu, non tamen in voto, & hoc illi sufficit, vt regnum cœlorum sibi aperiatur, contra, quia tunc prædicta absolutio actu suscepta, non est quę regnum cœlorum aperit, sed contritio. F

III. TERTIO sæpe homo contritus à sacerdote sacramentaliter absoluitur, & est vera absolutio sacramentalis, & tamen non aperit tunc, quando impeditur, regnum cœlorum. Patet, quia pro maiore parte relinquitur in taliter confessis pœna magna in purgatorio soluenda, & quousque hæc soluatur, regnum cœlorum semper manet illi homini clausum, quomodo igitur verum est, quòd absolutio sacerdotis semper actu aperiat regnum cœlorum?

IIII. QVARTO ex communi sententia potest homo secundò sua peccata confiteri, à quibus fuerat priùs sacramentaliter absolutus, illa absolutio iterata ab eisdem peccatis est verè sacramentalis sicut & prima, & eiusdē rationis cum illa, sed hęc secunda nō est aperitiua regni cœlorū, nec de facto illud aperit in casu, quia iam illi homini per primā erat apertū, igitur vel illa secūda forma, sacramentalis nō est, sed irrita, & inanis, vel sacramentum

A tum nouæ legis non operatur quod significat, si talis absolutio significat remissionem peccatorum quo ad clausuram cœli, vel falsum est, quòd effectus huius Sacramenti sit apertio regni cœlorum.

QVINTO demus hominem ex vehementi feruore charitatis contritum, cui scilicet nulla relinquatur pœna in purgatorio soluenda, quia sufficienter in hoc mundo, antequam confiteatur, purgatus est, in illo interim ait hæc opinio, quòd sit illi clausum regnum cœlorum, etiamsi sit in gratiã Dei restitutus, sequitur, vt nuper arguebatur, quòd in illo interim, sit homo ille ordinatus ad pœnam damni, quæ est exclusio à regno cœlorum, sed hoc non videtur dicendum. Probatur, quia vel est ad illam pœnam damni ordinatus secundùm præsentem iustitiam, vel secundùm finale iudicium, sed neutrum dici potest, quia pono, quòd talis sit de numero prædestinatorum, talis enim finaliter saluabitur, ex quo est prædestinatus, & ita non est ordinatus ad præfatam exclusionem secũdùm finale iudicium, sed nec secundùm præsentem iustitiam, quia si decederet in statu, in quo ad præsens est, illico volaret ad gloriam: Nullo igitur modo est ordinatus ad præfatam exclusionem. V.

SEXTO, & est confirmatio præcedentis. De tali homine in illo interim, quæro an sit dignus excludi à regno cœlorum, vel ad illud admitti. Si secundum, non igitur Deus illi claudit regnum cœlorum, alioqui iniustè cum illo agi videretur. Si primum, quæro iterum, vel est dignus à regno cœlorum excludi, propter peccata priora, vel propterea, quia B illa non est sacerdoti confessus. Non primum, quia priora iam sunt plenè remissa, & obliuioni tradita, quantum ad imputandum ea ad pœnam, iuxta dictum per Ezechielem: Quacunque hora &c. vt suprà arguebatur contra Hugonem. Nec secũdum potest dici, quia in casu non est illi peccatum, ea confessum non esse, quia suppono, quòd nondum venerit tempus, quo ex præcepto deberet ea confiteri. Et ita videtur, quòd ob nullam causãm in casu sit dignus, qui à regno cœlorum excludatur, vel excludi ordinetur, & ita non manet ei clausum regnum cœlorum. VI.

Soluuntur ordine eadem argumenta.

RESPON. tenendo hanc postremam sententiam, non esse difficile respondere ad has rationes. Vnde ad primam dicendum, quòd eo ipso, dum peccator verè de peccatis suis conteritur, redeat in gratiam, & amicitiam Dei, & ex consequenti sit ad gloriam eo ipso ordinatus, sed secundùm præsentem iustitiam taliter, vt si in tali statu gratiæ decederet, in quo ad præsens est, finaliter gloriam obtineret, cum hoc tamen stat, quòd sit ordinatus ad pœnam damni perpetuam cõditionaliter, scilicet, si per eum stat, quò minùs sacerdoti confiteatur, & ab eodem absoluatur. *Ad I. respondetur.*

AD SECVNDAM dicendum, quòd homo in casu illo iret ad regnum cœlorum, & esset illi apertum sine absolutione sacerdotali, sed hoc ideo, quia summus sacerdos, qui Deus est, suppleret defectũ sacerdotis nolentis, aut nõ potentis peccatorẽ absoluere. Et ideo id supplet, quia non stat per hominẽ illum in casu, quò minùs sacerdoti cõfiteatur. *Ad* II.

C AD TERTIAM dicendum, esto ita sit, quòd vt plurimum maneat homo post absolutionem sacerdotalem alicui pœnæ temporali, hîc, vel in purgatorio soluendæ obnoxius, qua durante, cœlum erit illi clausum, hoc tamen erit ad tempus. Clausura verò, quã sacerdos per suam absolutionem amouet, est clausura perpetua, quia peccator propter mortalem culpam erat ordinatus, vt perpetuò exularet à regno cœlorum. Et hanc perpetuam exclusionem tollit sacerdos, & ita aperit in hoc sensu cœlum per vsum clauium suarum. *Ad* III.

AD QVARTAM, de iterata absolutione dubium est apud aliquos, an sit verè sacramentalis, & alicuius virtutis, vt suprà tetigimus. Sed esto sit sacramentalis, & eiusdem rationis, & virtutis cum prima, id operatur ex parte sua, quod fuit prima operata, & si de facto idem non operatur, est, quia reperit illud iam factum, scilicet quia reperit clausuram perpetuam amotam, ideo de facto eam non amouet, attamen efficit, quod potest, scilicet quia præstat augmentum gratiæ sicut prima, & remittit pœnam temporalem in quam æterna erat commutata. Et excusatur forma illa à falsitate, quia est sensus: Ego te absoluo à peccatis tuis, quo ad perpetuam exclusionem à regno cœlorum, principiatiuè, quia scilicet per illam formam præstatur gratia pœnitentialis, quæ principium est immediatum aperiendi cœlum. *Ad* IIII.

Quomodo in iterata confessione absolutionis forma excusetur à falsitate.

AD QVINTAM dicendum, quòd in casu homo ille, quãtumuis iustificatus, sit ordinatus ad perpetuam exclusionem, cõditionaliter tamen, vt suprà dictũ est, scilicet, si per *Ad* V.

cum

cum steterit, quò minùs sacerdoti confiteatur. Et ideo si esse ordinatum ad pœnam damni secundùm præsentem iustitiam, sic exponatur, scilicet si decederet in statu præsenti, nimirum gratiæ, æternaliter careret gloria, dico quòd talis non sit secundùm præsentem iustitiam ordinatus ad perpetuam illam pœnam, nec etiam secundùm finale iudicium. Vnde stante illa expositione, nil inconuenit, dare medium inter ordinatum ad pœnam secundùm præsentem iustitiam, & secundùm finale iudicium, loquendo, vt loquimur, de ordinatione ad pœnam conditionali, aliam scilicet diuersam conditionem apponendo, vt quòd homo ille excludetur perpetuò à gloria, si per eum steterit. D

Ad VI.

INDE PATET ad sextam, quòd in casu homo ille non sit dignus perpetuò excludi à regno Dei, & ideo non sit absolutè ad talem exclusionem ordinatus, cum quo stat, quòd sit ad eam ordinatus conditionaliter, scilicet si per eum steterit, quò minùs commissa confiteatur. Vnde ratio non probat, nisi quòd non sit absolutè secundùm præsentem iustitiam ad exclusionem ordinatus, sicut nec secundùm præsentem iustitiam dignus est à regno Dei excludi. Sed nec etiam absolutè dignus est ad regnum Dei admitti, nisi conditionaliter, scilicet si debitam fecerit satisfactionem, quæ est, se sacerdoti vicem Dei tenenti humiliter præsentare, & eidem confiteri, & veniã petere &c. Quod si non faciat, iam se dignum facit absolutè, vt perpetuò excludatur à cœlo, vbi aliâs erat ad eandem exclusionem conditionaliter ordinatus. Vnde hæ rationes, & aliæ huiusmodi videntur difficiles, ob id, quòd non attenditur ad conditiones subintelligendas, vel apponendas ad intelligentiam opinionis, & veritatem multarum propositionum saluandam. E

Vnde oriatur difficultas argumentorũ contra datam resolutionem quæstionis.

Dubium. An verè quidẽ cõtritus, ob negligentiã tamẽ absq; confessiõe decedẽs, sit damnandus? Solutio affirmatiua.

SED QVAERES, posito quòd homo priùs contritus postea sit negligens, & decedat sine confessione, an excludetur perpetuò à cœlo, propter peccata priora, de quibus sufficienter contritus fuit, an propter illam postremam negligentiam? Si secundum, igitur priora iam fuerunt plenè remissa, & per consequens ad eorum completam remissionem non opus erat sacerdotali absolutione. Si primum, quomodo igitur verum est dictum Ezechielis: Quacunque hora ingemuerit peccator, non recordabor peccatorum suorum ad puniendum ea? Respon. quòd verè in casu excludetur perpetuò à cœlo propter vtrumque, scilicet propter neglectum confessionis, & propter priora peccata, quæ nondum erant plenè remissa. Et quod ait Propheta non obstat, quia illa promissio Dei, qua gementi salutem æternam promittit, intelligitur, modò alia fecerit, quæ sibi de necessitate sunt agenda, talem enim conditionem & legem admittunt sæpe diuinæ promissiones. Et quando dixit Christus, qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit, certè hæc promissio non excludit necessitatem aliorum, puta pœnitentiæ, & obseruationis aliorum mandatorum. Similiter quando dixit: Qui manducat carnem meam, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam, nõ propter hoc excluditur aliarum rerum necessitas. ad hunc modum de aliis. Per hæc omnia datur modus defendendi opinionem Hugonis suprà improbatam, nam hæc parùm differt ab illa. Sed nec propter hanc volumus aliorum sententiis præiudicare, quãdoquidem probabiles eas esse putamus, & vnaquæq; earum suos habet graues fautores. F

Quid sentiendum de aliis supradictis sentẽtiis.

Obiectio contra vltimam sententiam veriorem.

ADHVC tamen manet aliud diluendum, quod contra præfatam opinionem militare videtur, quia Christus sacerdotibus pariter dedit potestatem soluendi & ligandi, quandoquidem dixit: Quæcunq; solueritis in terra, erunt soluta, & quæcunq; ligaueritis erunt ligata, sed potestatem ligandi realiter non habent, qua scilicet possint solutos vinculo perpetuæ exclusionis à regno cœlorum ligare, vt constat, igitur nec potestatem soluendi realiter habent, qua possint ligatos ab eodem vinculo soluere. Respondetur, quòd ratio habeat apparentiam, si ligare in foro pœnitentiali accipiatur positiuè sicut & soluere, qualiter possunt sacerdotes in foro contentioso soluere, & ligare per excommunicationem. Attamen in foro pœnitentiali non ligant positiuè, seu effectiuè ipsos peccatores, qui seipsos per peccata propria ligauerunt, sed ligant negatiuè, quia scilicet non absoluunt. Sicut in eodem foro pœnitentiali non retinent peccata hominum positiuè, sed negatiuè, quia scilicet non remittunt, ideo sacerdote non remittente, nec hominem à peccatis soluente, manet ligatus, eo autem soluente, & remittente, soluitur ligatura. Et sic patet ad rationem, simul & ad quæstionem, qua quærebatur de forma absolutionis sacramentalis, an sit ostensiua solùm, an operatiua, & quomodo sit operatiua remissionis peccatorum.

Solutio.

Quatenus sacerdotes dicantur in confessione pœnitentem ligare aut soluere.

Alia quæstio. An forma absolutionis sit operatiua gratiæ primæ.

A COROLLARIE sequitur responsio ad aliam quæstionem prætactam, an scilicet præfata forma absolutionis sit operatiua gratiæ primæ, quam libet ampliùs in confirmationem eorum quæ dicta sunt, examinare. Pro parte affirmatiua faciunt rationes suprà factæ contra Magistrum in fauorem secundæ opinionis.

Ratio dubij.

OPPOSITVM tamen sequitur ex suprà dictis, arguendo contra eandem secundam opinionem, per quas conclusum esse videtur, pœnitentiã sacramentalem non conferre gratiam primam, eò quòd non operatur remissionem peccatorum, quo ad culpam, & pœnam æternam. In cuius confirmationem faciunt tres propositiones veræ, ex quibus colligitur veritas quæsita. Prima propositio, quòd nemo possit gratiã, & iustificationem *Conclusio* I.
consequi, nisi pœniteat eum veteris vitæ. Hæc supponitur probata ex aliâs dictis.

SECVNDA, quòd huiusmodi pœnitentia cordis debeat esse propter Deum dilectũ, II. *Conclusio.*
& ex amore Dei procedere, & non ex solo timore. Hæc patet, tum ex consensu opinantium oppositum, vt suprà tactum est; tum ex sentẽtia beati Gregorij tractantis illud de *Genes.* 3.
Adam, quomodo se abscondit; ait enim: Cùm ex peccato pœna metuitur, & amissa Dei facies nõ amatur, timor ex tumore est, non ex humilitate. & ex sententia Augustini: Quẽ pœnitet, oportet non solùm timere iudicem, sed diligere, quia sine charitate non potest esse salus. de pœnitentia, distin. 7. cap. Nullus.

TERTIA propositio, quòd si amor Dei est talis, qualis debet esse, puta obedientia- III. *Conclusio.*
B lis, sufficiet ad reponendum ipsum diligentem in gratia, cùm nõ sit alia sufficientior dispositio ad gratiam, quàm huiusmodi Dei dilectio, qua peccator vero corde ad Deum confugit, & taliter ad Deum confugientes, Deus ex sua promissione astrictus est in sui gratiam admittere, iuxta sententiam Augustini super epistolam ad Roman. 5. vulgatam: Si Deus confugientes ad se non reciperet, esset in eo iniquitas, seu iniustitia. Id autem promisit Deus tam in veteri, quàm in nouo Testamento, dicens: Conuertimini ad me, & conuertar ad vos. & iterum: Ego sto ad ostium, & pulso, si quis aperuerit, intrabo ad eum &c. & Christus in Euangelio ait: Si quis diligit me, diligetur à Patre meo, & ad eum veniemus &c. & in multis aliis locis. Ex quibus tribus propositionibus apertè sequitur, IIII. *Conclusio responsiua ad quæstionem negatiua.*
absolutionem sacramentalem non præstare gratiam primam aut iustificationẽ, seu peccatorum remissionem quo ad culpam. Quia si peccator quando à sacerdote absoluitur, accedit verè pœnitens, vt debet, iam per illam pœnitentiam cordis gratiam fuit conse- *Probatur* I.
quutus, si non, illam per Sacramentum non recipit.

PRAETEREA facit pro eadem sententia Augustinus contra Donatistas, libr. 7. & II.
habetur de consecratione, distinctione 4. cap. Solet. Vbi dicit in sententia, baptismum non præstare fructum spiritualem baptizato, nisi in charitate Dei suscipiat illum. Et fundat hoc in eo, quod ait Paulus: Si fidem habeam, & cætera bona faciam, charitatem autem non habeam, nil mihi prodest. Ex quo apparet, Augustinum loqui de charitate, qua sumus Deo grati, & accepti, quæ non stat cum peccato mortali. Vnde sequitur,
C quòd baptismus non possit gratiam primam adultis præstare, igitur nec pœnitentia sacramentalis.

CONFIRMATVR hoc ex decreto eiusdem Augustini, & habetur de cõsecratione, III.
distinct. 4. tunc valere, vbi ait in sententia, baptismum fictè susceptum tunc incipere ad salutem valere, quando fictio veraci contritione recesserit. Ex quo arguitur ad rem. Non minoris efficaciæ est baptismus per fictionem à suo effectu suspensus, quàm sit baptismus à non ficto susceptus, cùm idem sit Sacramentum, & eiusdem efficaciæ, sed baptismus à ficto susceptus non potest recedente fictione gratiam sine contritione conferre, vt ex decreto patet, igitur nec baptismus à non ficto susceptus potest gratiam præstare, nisi præteritorum peccatorum habita contritione, & per consequens si contritio præfuit, per eam fuit homo gratiam primam assequutus, & ita baptismus non confert adultis gratiam primam, & ex consequenti, imò à fortiori nec absolutio sacramentalis. Facit IIII.
etiam gloss. Matthæi 16. Nota, inquit, Christum per se intus viuificare, ministris potestatem soluendi post vitam tribuere, non enim soluere aliquem possunt, nisi viuat, quem soluunt. Vnde apparet intentum, quòd absolutio sacerdotis non conferat primò vitam, seu gratiam, sed eam collatam præsupponat. Sed quia contra hanc responsionem suprà pro parte contrariæ opinionis aliquas rationes fecimus, ad quas etsi ex dictis pro maiori parte responsio pateat, conuenit tamen ad duas earum respondere, nam aliæ ex dictis satis solutæ sunt.

EST

Argumēta duo cōtra quartam conclusionem.

I.

II.

EST PRIMA, quæ sumebatur ex eo, quòd ait Iacobus in Canonica, quòd extrema D
vnctio valeat ad hoc, vt peccata infirmi, si quę habet, dimittantur ei, igitur ad id valebit à fortiori pœnitentia sacramentalis. Deinde est alia ratio sumpta ex cap. Si quis presbyter. 16. q. 6. & cap. Agnouimus, ibidem. Vbi de presbytero negante absolutionem infirmo morienti, dicitur, quòd addat mortem morti, & animam eius occidat, qui causa est, vt non absolutus decedat &c. Ex quibus videtur, quòd absolutio illi impensa, vitam spiritualem in casu tribueret &c.

Respōdetur ad primum.

Quomodo per extremam vnctionem remittantur infirmo peccata.

DICENDVM ad primam, quòd etsi per extremam vnctionem peccata infirmi dimitti contingat, non inde fit, vt gratia prima per ipsam vnctionem præstetur. Tum quia qui extremam vnctionem percipit, præsupponitur iam confessus, & pœnitens, & vt plurimùm communicatus, per quæ omnia si iustificatus, & gratiam consequutus non fuit, non est verisimile, quòd per vnctionem eam consequatur. Tum etiam, quia extrema vnctio, vt in plurimum datur infirmis, nil fermè sentientibus & vsu rationis quasi carentibus, quibus si gratiam non præhabuerint, parum proderit vngi. Itaque si valet vnctio, eisdem valebit ad dimittendum peccata venialia, si quæ habent. Valebit etiam ad delendum mortalia, quo ad pœnam temporalem, in quã fuit æterna commutata, non autem ad delendum mortalia quo ad culpam, nec ad gratiam primam conferendam.

Ad II.

Solutio prima.

Ad secundam, quam magnifacit Adrianus, dicendum, quòd illi textus procedant de absolutione ab excommunicatione, vt patet ex tota illa causa, & quæstione, in qua specialiter quæritur, an possit presbyter ab excommunicatione pœnitentes absoluere sine cõsensu Episcopi, & cõcluditur quòd non, nisi vltima necessitas cogat. Et patet id ex gloss. ibidem, cap. Is qui. vbi per pœnitentiam morientibus impendendam, intelligit absolutionem ab excommunicatione. Ac proinde si per illos textus probaretur, quòd absolutio sacramentalis præstaret gratiam primam, similiter, imò à fortiori probaretur, quòd absolutio ab excommunicatione idem præstaret ex opere operato, quod suppono esse falsum. E

Solutio secūda.

Sed his dimissis, est intelligentia horum textuum, quòd presbyter negans absolutionem morientibus eam petentibus, fit reus animarum, & addat mortem morti occasionaliter, quia scilicet dat occasionem, vt moriens desperatus decedat, qui non desperaret, sed potiùs ad spem, & fiduciam promoueretur à sacerdotibus adiutus, & etiam, quia per eorum adiutorium magis defenderetur à dæmonibus tunc infestantibus illum, qualiter non infestaretur, si absolueretur.

Ad quid infirmo prosit absolutio sacramētalis.

Cur excommunicato morienti sacramentalis absolutio sit impendenda.

Et habet locum hæc solutio, etiamsi textus illi de pœnitentia sacramentali loquantur, per quam non dubium est morientes notabiliter adiuuari ad spem, simul & ad tentationibus tunc occurrentibus resistendum, quibus facilè succumberet infirmus, sacramentali absolutione à peccatis sibi denegata, ideo meritò illorum æterna mors sacerdoti, morientem absoluere nolenti imputatur. Et hæc est causa, quare morienti excommunicato sit sacramentalis pœnitentia impendenda, antequam à censura absoluatur, quando, si aliter fieret, infirmus sine absolutione sacramentali probabiliter decederet, vt suprà dixi. F

De absolutione ab oblitis.

QVÆSTIO XXXIX.

An sacramētalis absolutio se extendat etiam ad peccata oblita?

Sentētia prima affirmatiua.

Ratio I.

EST DVBIVM circa huius Sacramenti efficaciam, an absolutio sacramentalis se extendat ad peccata oblita, ita vt virtute absolutionis sacramentalis sit homo ab oblitis sicut & à confessis absolutus. Et video communem positionẽ pro parte affirmatiua, vt dicunt Doctores post Thomam in 4. distinct. 21. quæst. 2. ad secundum. Pro qua facit ratio, primò, quia vnum mortale sine alio remitti non potest, sed vel omnia simul remittuntur, vel nullum, ac proinde si absolutio sacramentalis remittit peccata confessa, oportet etiam & oblita remittat.

II. SECVNDO si sacerdos non remittit nisi confessa, igitur Deus non remittit nisi cõfessa, quandoquidem Christus dixit: Peccata quæ remiseritis, erunt remissa, quæ autem non remiseritis, non erunt remissa, & ita Deus quædam peccata remitteret, & quædam non, cùm tamen impium sit, dimidiam à Deo sperare veniam, & certum sit, Deum quem sanat, perfectè sanare.

TERTIO,

A TERTIO, quia absolutio sacramentalis præstat gratiam ex opere operato ipsi confitenti, sed gratia illa sacramentalis æquè repugnat de lege peccatis oblitis in confessione, atque ipsis confessis, igitur omnia tam confessa, quàm oblita remittit huiusmodi absolutio. III.

HIS NON obstantibus videtur oppositum tenendum, & probatur primò ex conditione, & qualitate ipsius absolutionis sacramentalis, quæ est sententia quædam à sacerdote in causa, quæ est inter Deum offensum, & peccatorem reum lata. Cùm ergo nullus iudex possit ferre sententiam, quæ iusta, & valida sit, sine agnitione causæ, super qua debet proferre sententiam, & sacerdos in casu de oblitis nullam habeat cognitionem, sed tantùm de confessis, consequens est, sententiam sacerdotis non se extendere nisi ad confessa. Nec valet dicere, quòd licet sacerdos non habeat notitiam peccatorum oblitorum in particulari, habeat tamen in genere, prout pœnitens in genere confitetur, se alia, quorum non recordatur, commisisse. Hoc, inquam, non valet, quia confessio in genere non est sacramentalis, cùm necesse sit in particulari peccata confiteri, ita vt in notitiam particularem veniat confessoris. Quod inde probatur, quia alioqui nõ esset necessarium in particulari confiteri de iure diuino, nam id maximè deduceretur ex illo sæpe citato: Quorũ remiseritis peccata &c. Vnde colligitur necessarium esse peccatori, vt à sacerdote absoluatur, sed à sacerdote absolui nõ potest, nisi cognoscat peccata, quæ remittit, hæc autem cognoscere non potest, nisi præuia propria ipsius peccatoris cõfessione, igitur necesse est peccatorem particulariter confiteri. Quæ deductio nil probaret, si sufficeret peccatori sua peccata in genere confiteri, aut sacerdotem ea in genere cognoscere, ac proinde, vel non deducitur de iure diuino esse necessarium in particulari confiteri, vel in casu sacerdos non remittit oblita, sed solùm confessa. Secundò, idem probatur, quia si peccator post præfatam confessionem manet à sacerdote absolutus, etiam ab oblitis, sequitur eum non ampliùs teneri ad confitendum oblita magis, quàm ad confitendum confessa, cùm ab omnibus iam sit absolutus. Qui enim à debito aliquo semel est legitimè absolutus, non consonat rationi nec iustitiæ, vt rursus eodem teneatur debito: Sed cùm ex sententia omnium ille peccator postea teneatur peccata oblita, quando scilicet ad memoriam venerint, Ecclesiæ confiteri, sequitur illũ priùs non fuisse ab illis oblitis absolutum. Vnde stante obliuione illorum peccatorum, suspẽditur quidem obligatio ea confitendi, non tamen tollitur, sicut si debitor pecuniæ sit in extrema necessitate, in qua soluere nõ potest, suspenditur obligatio soluendi, sed nõ tollitur debitum, nec est à debito absolutus, ita videtur in præsenti. Et ita videtur contra cõmunem sententiam posse non improbabiliter dici, quòd absolutio sacramentalis nõ se extendat ad remittẽdum peccata oblita, sed solùm confessa. Ad rationes ante oppositum. ad primam dicendum, quòd licet vnũ mortale non possit sine alio à Deo remitti, bene tamen ab homine. Quod patet ex his, quæ suprà dicta sunt de eo, qui habet casus superiori reseruatos, qui cùm omnia primò suo curato cõfitetur, solùm tamen absoluitur per curatum à peccatis non reseruatis, & pro reseruatis remittitur ad superiorem. Sicut etiam contingit hominem multis excommunicationibus illaqueatum, ab vna earum absolui, & nõ ab aliis. Ad secundam stando in suprà dictis, scilicet quòd peccata mortalia bis remittantur, semel à Deo solo, virtute contritionis, & iterum à sacerdote, virtute absolutionis, primò remittuntur quo ad culpam, & æternam pœnam, secundò remittuntur quo ad perpetuam exclusionem à regno cœlorum, à quo peccator exulat ob peccatum suum, & vsq; ad hanc secundam absolutionem peccata nondum sunt plenè remissa. Et tunc sicut sacerdos nõ remittit actu nisi peccata sibi confessa, ita Deus tunc virtute absolutionis in actu non remittit nisi confessa, quandoquidem sententiam sacerdotis in terris datam, Deus approbat in cœlis, & illa absolutio à sacerdote data, & à Deo approbata, id operatur, scilicet vt illa peccata confessa, non sint ampliùs impedimentum homini intrandi in regnum cœlorum, quale impedimentum sunt peccata oblita, quę nondum sunt per sacerdotem remissa, si per ipsum peccatorem steterit, quò minùs ab illis oblitis absoluatur. Nec inconuenit, quòd de pluribus peccatis ab homine in vita commissis quædam sint eidem plenè condonata, & quædam non, sicut patet de peccatis, quæ diuersis temporibus committuntur & remittuntur. Patet etiam de peccatis, quæ quo ad pœnam temporalem remittuntur, quorum quædam remittuntur plenè, aliis irremissis remanentibus. Itaque in remissione, quæ à Deo solo per contritionem fit, nunquam vnum mortale sine alio remittitur.

II. Sentẽtia negatiua verior est. *Probatur I.*

Diluitur quædam obiectio.

B

II. Probatur eadem sententia.

Stante obliuione peccatorum aliquorum, suspenditur quidẽ obligatio ea cõfitendi, non tamen tollitur.

Ad rationes oppositas. *Ad I.*

C

Ad II.

Peccata nõ nisi per absolutionẽ sacramentalem plenè remittũtur.

Quatenus possit Deus vnum peccatum mortale absq; alio remittere.

titur. In remiſsione verò, qua Deus peccata ad remiſsionem ſacerdotis remittit, bene ſtat, quòd Deus vnum remittat, & nō aliud, vt ex dictis patet. D

Ad III.

Quomodo oblita per abſolutionem ſacramentalem dimittātur.

Ad tertiam dicendū, quòd probet bene, per abſolutionem ſacramentalem dimitti tam oblita, quàm confeſſa aptitudinaliter, ſeu potiùs principiatiuè quo ad culpam, quia ſcilicet gratiam præſtat, quæ de ſe eſt apta nata excludere omne mortale etiā oblitum, non tamen inde fit, vt actu omnia talia peccata remittat, neq; quo ad culpam, nec quo ad pœnam æternam, neq; quo ad pœnam temporalem, nec quo ad debitum confitendi Eccleſiæ.

Alia probatio ſecundæ ſententiæ.

TENENDO etiam opinionem Magiſtri, eſt valde probabilis reſponſio data ad propoſitum dubium, quia abſolutio ſacramentalis ſi actu remitteret oblita, ſicut & cōfeſſa, vel ergo ea remitteret quo ad culpam, & hoc non, quia iam per præuiam contritionem fuerāt remiſſa, vel quo ad pœnam temporalem, in quam fuit æterna commutata, & hoc non oportet. Sicut patet de baptiſmo, quem ſi quis fictè ſuſcepit, & poſtmodum veram habet contritionem, baptiſmus omnem pœnam debitam peccatis ante baptiſmum cōmiſsis remittit, non ita remittit pœnam omnē debitam peccato fictionis, & aliis peccatis poſt baptiſmum commiſsis. Ita igitur eſt probabile, quòd Sacramentum pœnitentiæ deleat virtute clauium, peccata confeſſa, quo ad pœnā temporalem, non ita peccata oblita.

Sacerdotem abſoluere à cōfeſſis et oblitis, quomodo ſit intelligendum.

Quod autem communiter dicitur, quòd ſacerdos abſoluat à cōfeſsis & oblitis, procedit ſecundùm eos, qui dicunt, quòd ſufficiat attritio in confitente, vt per Sacramentum ei peccata remittantur, quia tunc poterit præſtare gratiam primam, quæ formaliter excludit omnia peccata confeſſa, & oblita. E Et quando gratiam primam non confert, qui peperit eam præhabitam, tunc ſi non actu, ſaltem aptitudine remittit etiam oblita ſicut & confeſſa, quo ad culpam, & æternam pœnam. Nos autem oppoſitum diximus ſuprà eſſe probabilius.

Corollarium.

Ineptus modus quorundā abſoluendi à peccatis.

COROLLARIE ſequitur, non rectè facere ſacerdotes, qui quando peccatorem abſoluunt, dicunt: Ego abſoluo te à peccatis tuis confeſsis & oblitis & contritis. Oblitis, dicere non debent, quia, vt videtur, eſt falſum, quòd ab oblitis abſoluant. Contritis, dicere non debent, quia multorum ſententia eſt, & probabilis, quòd ſine cōtritione poſsit quis abſolui, modo attritus ſit. Et dicendo: Abſoluo te à peccatis tuis contritis, non eum abſolueret, niſi contritus fuiſſet, & ita ſi attritus fuiſſet, relinqueret illum inabſolutum.

Dubium.

An infirmus in quo ſigna tantùm aliqua cōtritionis apparēt, poſsit ſacramētaliter abſolui, nulla priùs facta confeſsione.

Solutio affirmatiua.

SED OCCVRRIT dubium, quia ſi ſacramentalis abſolutio ad peccata oblita non ſe extendit, eò quòd eorum confeſsio in particulari non præceſsit, ſequitur quòd infirmus, in quo ſigna contritionis apparent, aut præceſſerunt, non poſsit ſacramentaliter à peccatis abſolui, ex quo confeſsio non præceſsit, quia confiteri non potuit, conſequens videtur contra multa decreta, quæ habentur 26.q. 6. ſpecialiter cap. Is qui in infirmitate pœnitētiam petit, ſi caſu dum ad eum inuitatus ſacerdos venit, oppreſſus infirmitate obmutuerit, vel ſi in phrænesim conuerſus fuerit, dent teſtimonium qui eum audierunt, & accipiat pœnitētiam. Vnde apparet, quòd in tali neceſsitate veniat abſoluendus, etiam confeſsione non præcedente. Reſpondetur negando primam cōſequentiam F quia quamuis ſecundùm communem legem nemo ſit ſacramentaliter à peccatis abſoluendus, niſi confeſsione præuia in particulari, ab hac tamen communi lege caſus neceſſitatis exceptus eſſe videtur, quia neceſsitas legibus minimè ſubiicitur, ſaltem in huiuſmodi poſitiuis. Adde, quòd per pœnitentiam illic ſecundùm gloſſam intelligitur abſolutio ab excommunicatione, & ita nihil contra dicta.

De pœnitentia iniuncta.

QVÆSTIO XL.

Triplex eſt pœnitentia iniuncta.

I.

A quo, & quibus imponi poſsit.

DE POENITENTIA iniuncta breuiter aliqua tangenda ſunt, eſt enim triplex huiuſmodi pœnitentia, quædam dicitur ſolennis, quædam publica, quædam priuata. Solennis nō poteſt à minoribus ſacerdotibus alicui imponi, ſed tantùm ab Epiſcopis, nec niſi pro crimine grauitotius vrbis ſcandalizatiuo. Nec ſacerdotibus debet imponi, ſed ſecularibus tam mulieribus quàm viris, ſi eorum exigant delicta. Excepto quòd viris ſtatutum ſit caput radi, non tamen mulieribus, & ſemel impoſita non eſt iteranda. Modus autem ſeruandus in imponendo huiuſmodi pœnitentiam, & eam adimplendo, ponitur in decreto d. I. cap. In capite Quadrageſimæ, prout in Concilio Agathenſi

A thensi fuerat ordinatum. Sed quæres, an fuerit conuenienter instituta talis pœnitentia. Et videtur quòd non, quia est infamatiua ipsius pœnitentis. Dicendum, quòd pœnitens ipse priùs per peccatum suum publicum, & manifestum se infamauerit, nam nõ nisi pro crimine publico potest imponi. Itaq; ipsa pœnitentia potiùs est commendatiua pœnitentis, quàm infamatiua, nam per eam innotescit, illum peccatorem ad Deum esse conuersum, & eius peccatum esse detestatum. Deinde quare talis pœnitentia non est iterabilis, cùm Sacramentum non sit, nec sacramentalis? Respon. ne incontemptum veniret, qualiter veniret, si frequẽter iteraretur, ita vt homines timore illius parum à perpetrandis criminibus grauibus reuocarẽtur. Secundò in significationem eiectionis, qua Adam fuit de Paradiso eiectus, cuius eiectio vnica fuit, & non iterata, taliter enim pœnitens in principio Quadragesimæ presentatur Ecclesiæ, sacco indutus, & cinere super caput eius sparso, & ita ab Ecclesia eiicitur, sacerdotibus versiculum illum canentibus: In sudore vultus tui vescêre pane tuo.

An pœnitentia solennis fuerit cõuenienter instituta? Solutio affirmatiua.

Cur solẽnis pœnitẽtia iterari non possit.

DEINDE, quare talis pœnitentia non imponitur clericis, cùm contingat eos tam grauia crimina committere, quàm laicos? Respon. propter dignitatem ordinis sacerdotalis, nam posset facilè sacerdotium in contemptum, & irrisionem hominum venire, si viderent clericum talem pœnitentiam, & infamiam sustinere, & quia taliter pœnitentes manẽt infames, & inhabiles, vt ad ordines possint promoueri, ideo non conuenit hanc B pœnitentiam sacerdotibus iniungere. Sed quare mulieribus hanc pœnitentiam agentibus non raditur caput, & viris sic? Respon. quia vt ait Paulus ad Corinth. Turpe est mulieri tonderi, cui dati sunt capilli in signum subiectionis, qua subiecta est viro, quandoquidem vir caput est mulieris, prout etiam in Genesi ad mulierem dictum est: Sub viri potestate eris &c. Itaq; Ecclesia voluit huiusmodi significationem seruari, etiam tempore solennis pœnitentiæ. Verùm quia hæc pœnitentia solennis, etsi olim fuerit in vsu, & soleret imponi, iam tamen ab vsu recessit, ideo de ea hactenus.

Cur eadem pœnitentia clericis imponi nequeat.

Alterius dubij resolutio.

ALIA EST pœnitentia publica, & hanc possunt sacerdotes minores pro peccatis publicis imponere, nec enim inconuenit peccata publica publicè puniri. Sed est dubium, an confessor possit iniungere pœnitentiam publicam pro peccato occulto. Et dicitur communiter quòd non. Ratio, quia talis pœnitentia publica sic iniuncta, videtur infamatiua ipsius pœnitentis, cuius peccatum supponitur fuisse occultum. Similiter videtur talis pœnitentia manifestatiua confessionis, quia scilicet talis pœnitentia non iniungitur, nisi pro peccato mortali, & graui, & ideo ea visa, facilè videntes colligere poterunt, illum pœnitentem grande mortale commisisse, pro quo grandis est sibi pœnitentia imposita, ac proinde videtur scandalosa. Imò & cognito, quòd ille homo de peccato infamatus non fuerit, & talis ei pœnitentia iniungitur, fit, vt confessio reddatur odiosa. Respond. quamuis non conueniat publicam pœnitentiam pro peccato occulto imponere, non tamen negandum est, quin licitè possit imponi. Probatur, quia C ipsemet pœnitens potest pro peccato occulto pœnitentiam publicam sponte assumere, etiamsi sacerdos eam non iniungat, igitur poterit sacerdos ad petitionem pœnitentis eam determinare, & iniungere, vt virtute clauium illi magis prosit, quàm alioqui esset eidem profutura, nec hoc videtur dubium.

Secũdum genus iniunctæ pœnitentia.

An possit hæc pœnitentia iniungi pro occulto peccato.

Ratio pro parte negatiua.

Solutio. Etsi non conueniat, licitè tamen id fieri potest.

Ratio.

RATIONES etiam suprà factæ minimè probant oppositum, quia pœnitentia illa publica per aliquem publicè facta, nec est infamatiua pœnitentis, nec confessionis manifestatiua, nec scandalosa de se. Id patet, quia possibile est, vt illam pœnitentiam sponte susceperit ob deuotionem, vel ob leuitatem, vel vt alium similiter publicè pœnitentem comitetur, vel vt eam non pro se, sed pro alio faciat, quandoquidem potest vnus pro alio satisfacere, & potest etiam ob alias causas fieri, etiamsi à sacerdote iniuncta non fuerit, igitur nec manifestatiua est confessionis, nec infamatiua pœnitentis de se, vt constat. Quòd etiam de se scandalosa non sit, certum est cùm de se opus bonum sit, & satisfactorium, etiam prouocatiuum aliorum hominum, vt sua peccata recognoscentes pœniteant, alliciat etiam videntes ad commiserendum illi pœnitenti, & orandum pro illo, & ita intẽtum. Si tamen esset verisimile aliquod damnum, vel scãdalum inde sequuturum, incauta esset, & damnanda talis pœnitentia publica, siue iniuncta esset, siue voluntariè assumpta. Reprehensibilior tamen esset iniuncta, si sciretur esse iniuncta, quàm si sciretur esse voluntariè assumpta ob ea, quæ suprà dicta sunt.

Respõdetur ad rationem negatiuam.

Limitatur prædicta solutio quæstionis.

De pœnitentia iniuncta acceptanda.

QVÆSTIO XLI.

Tertium genus iniunctæ pœnitentiæ.

Quanta sit pro quouis peccato pœnitentia iniungenda, nõ est iure decretum.

Origo pœnitentia septem annorum in Ecclesia primitiua.

An pœnitẽs iniunctam sibi pœnitentiam à sacerdote teneatur acceptare? Sensus q̃stionis. Rationes partis affirmatiuæ.

Alia est pœnitentia secreta, & hanc non dubium est posse per sacerdotes iniungi. Quanta autem sit pro vnoquoque peccato pœnitentia iniungenda, non est iure decretum, quia etsi olim iuxta Canones pœnitentiales, pro vnoquoque peccato mortali septennis saltem pœnitentia imponeretur ad imitationem pœnitentiæ, quam Deus Mariæ sorori Moysi propter peccatũ murmurationis imposuit, quia voluit eam septem diebus extra castra manere: Attamen huiusmodi pœnitentiæ secretæ, nunc sunt arbitrariæ, vt habetur cap. Deus qui. de pœnitentiis, & remis. lib. 6. & cap. Mensuram. de pœnitentia distinct. 1.

Sed est dubium, an pœnitens teneatur acceptare pœnitentiam à sacerdote iniunctam. Loquor de pœnitentia moderata, ad cuius repulsam, seu non acceptationem, nullam iustam causam ipse pœnitens habeat. Et dixerunt multi Doctores Thomas, Richard. & alij, quòd sic. Pro qua sententia arguitur primò ex cap. Omnis vtriusque sexus, vbi de eo, qui sua peccata tenetur confiteri, dicitur, vt pœnitentiam iniunctam propriis viribus studeat adimplere.

I.

II. Secvndo arguitur ex verbis Christi, quæ ad sacerdotes dixit: Quæcunq; solueritis in terra, erunt soluta in cœlis, & quæ ligaueritis, erunt ligata. Ex quibus patet, quòd ligatio per sacerdotem in terris facta, à Deo approbetur in cœlis, ac proinde idem est, ac si Deus ligaret. Si enim Deus ligaret peccatorem, imponendo illi pœnitẽtiam aliquam, teneretur eam acceptare, igitur nõ minùs eam acceptare tenetur, si sacerdos vicem Dei tenens, eam iniungat.

III. Tertio facit ratio, quia subditus alicui iudici, tenetur eius sententiæ parere & obtemperare, si in ferendo sententiam, modum, & potestatem sibi commissam non excesserit. Cùm ergo peccator sit in foro pœnitentiali subditus confessori, & confessor audita confessione & causa pœnitentiam moderatam, iuxta facultatem, quam habet, imponit, sequitur quòd teneatur pœnitens eam acceptare.

IIII. Qvarto, peccator tenetur sub pœna peccati ad pœnitentiam, quam sæpe ostensum est esse illi ad salutem necessariam, pœnitentia autem sic necessaria cõtinet tres partes, contritionem, confessionem, & satisfactionem, igitur sicut tenetur ad contritionem & confessionem, pariter tenebitur ad satisfactionem, sed pœnitentia iniuncta ad id apponitur, vt satisfaciat, igitur &c.

Resolutio negatiua.

Ratio.

Respon. his nõ obstantibus videri oppositum cum Scoto tenendum. Et probatur vnica ratione, quia si esset pœnitenti necessarium pœnitẽtiam iniunctam acceptare, aut esset necessarium ad hunc finem, scilicet vt Deo reconciliaretur, aut vt Deo satisfaceret. Non primum, quia supponitur, quòd homo ille sit Deo per cõtritionem sufficienter reconciliatus. Sed nec secundum, quia quamuis peccator teneatur Deo satisfacere, cùm hoc debitum posit multis viis, & modis soluere, sequitur quòd non teneatur ad vnũ determinatum modum satisfaciendi, scilicet per pœnitentiã iniunctam; potest enim aliter scilicet per pœnitentiã voluntariè assumptam, & per alia opera charitatis, & per feruorẽ charitatis satisfacere. Et potest etiam satisfactionẽ ad purgatorium remittere, cùm post quam fuit culpa remissa, nõ manserit peccator obligatus nisi ad pœnam temporalem in hoc sæculo, vel in alio soluendam, in quam scilicet fuerat æterna cõmutata. Iam ad rationes in oppositum, dicendum ad primam, quòd ex illa clausula non colligatur obligatio acceptandi pœnitentiã. Nam illud verbum, studeat, non necesitatẽ importat, nec obligationẽ, vt constat. Tum etiam, esto quòd obligationem diceret, esset ad implendũ pœnitentiã, vt dicit textus, studeat adimplere. Et cùm adimpletio præsupponat acceptationem, potest intelligi textus de pœnitentia iniuncta, & acceptata, nisi velis contendere, quòd sola iniunctio pœnitentiæ sufficiat, vt eam pœnitens teneatur complere, ita vt non sit necessaria acceptatio, alioqui de acceptatione mentionem textus ipse fecisset. Sed hoc est, quod quærimus. Ad secundam dicendum, quòd clausula illa Matthæi 26. non de foro pœnitentiali procedat, sed de contentioso, nam loquitur de absolutione ab excommunicatione, & de ligatione excommunicationis. Quod patet, quia præmi-

Varijs modis potest aliquis pro peccatis satisfacere.

Respõdetur ad rationes oppositas.

Ad I.

Ad II.

A præmiſit, ſi Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & Publicanus. Et ſtatim in confirmationem poteſtatis excommunicandi Apoſtolis collatæ, ſubiungit: Amen dico vobis, quæcunque ſolueritis, erunt ſoluta, & quæcunque ligaueritis &c. Adde, quòd in foro pœnitentiali locum habet remittere, & retinere peccata, non autem ligare peccata, ſi ligare poſitiuè accipiatur, quomodo non eſt idem retinere peccata, & ligare peccata, quia retinere idem eſt, quod non remittere, vt ſuprà tetigimus. Ligare autem poſitiuum quid videtur importare, quale eſt, quando prælatus aliquem excommunicat.

Si obiicias, quòd ſacerdos in foro pœnitentiali teneat vicem Dei, igitur cùm pœnitentiam iniungit, perinde eſt ac ſi Deus eam iniungat, & ita tenetur pœnitens eam acceptare. Dicendum quòd in hoc teneat vicem Dei, ſcilicet in remittendis, aut retinendis peccatis, ad hoc enim ſibi data eſt poteſtas miniſterialis in hoc foro, & quantùm ad hoc, voluit Deus, vt peccator ſacerdoti locum Dei tenenti ſe ſubiiceret &c. Cæterùm ſicut voluntatis eſt ipſius ſacerdotis pœnitentiam iniungere, ita voluntatis eſt ipſius pœnitentis eam acceptare. Ad tertiam patet ex his reſponſio, quòd ſubditus in his, in quibus de neceſsitate ſubditus eſt, teneatur iudici parere, & obtemperare, non tamen in his, in quibus non neceſsitate, ſed voluntate ſubiicitur. Sicut religioſus non tenetur prælato in omnibus obedire, ſed in his, in quibus neceſsitate eſt illi ſubiectus, qualia ſunt ea quæ regulam, & ſtatuta ordinis concernunt, & ad regulæ obſeruantiam conferunt. Cùm igitur peccator ſit de neceſsitate confeſſori ſubditus, quantùm ad iudicium remittendi, aut retinendi peccata, ad quod prærequiritur confeſsio, non tamen ſic eſt de neceſsitate ſubditus confeſſori, quantum ad taxationem ſatisfactionis, vel modum ſatisfaciendi, quia in hoc ipſe pœnitens ſui iuris eſt, licet non in primo. Et quamuis pœnitentia iniuncta ſit ſalutaris, & valeat ad ſatisfaciendum pro commiſsis, ſimiliter & ad præſeruandum à recidiua, cùm ipſi pœnitenti alia via vtrumque procurandi, & aſſequendi pateat, non videtur, quòd ad illam determinatam ſit aſtringendus. Ad quartam, eſto ita ſit, quòd pœnitens teneatur ad ſatisfactionem, ſicut ad contritionem, & confeſsionem, non tamen ad talem, vel talem ſatisfactionem, vt dictum eſt.

Occurritur obiectioni. — *Ad III.* — B — *Quatenus pœnitens confeſſori ſubditus ſit.* — *Ad IIII.*

Sed obiicies fortè, quod ait Auguſtinus libr. de pœnitentia, cap. 15. Ponat ſe omnino in poteſtate iudicis, paratus omnia facere, eo iubente, pro recipienda animæ vita, quæcunque faceret, pro vitanda corporis morte. Verùm id conſilij eſt, non præcepti: Quamuis enim ſalutare ſit pœnitenti multa bona cõſilia confeſſoris accipere, & eadem opere complere, non tamen eſt illi neceſſarium niſi conſilium tale ſit, ſine quo ſalus ipſius confitentis periclitetur, de hoc enim videtur Auguſtinus in loco allegato intelligendus.

Obiectio. — *Solutio.*

Corollarie ſequitur ex dictis, quòd ſi pœnitens nolit acceptare pœnitentiam à ſacerdote iniunctam, etiamſi moderata ſit, non ideo ſacerdos debeat ei abſolutionem denegare, cuius contrarium diceret Richard. & alij. Probatur corollarium, quia per hoc quòd pœnitentiam non acceptat, non peccat, cùm ſit ſui iuris in hoc, & per conſequens non ponit obicem, nec ſe indignum abſolutione facit, ac proinde non eſt ſibi abſolutio deneganda. Et ſi proprius curatus ſit, peccat, eam denegando, cùm ei incumbat ex officio obligatio tradẽdi Sacramenta ſubditis, ſaltem tempore neceſsitatis. Alius verò, qui alienus eſt, poteſt quidem illum abſoluere pœnitentiam non acceptantem, non tamen tenetur ſicut ipſius proprius.

Corollarium. — *Pœnitenti nolenti acceptare pœnitentiã aliquam non ideo negãda eſt abſolutio.* — C

Sed pone, quòd ſacerdos nolit parochianum abſoluere, niſi pœnitentiam moderatam iniunctam acceptet, an teneatur tunc eam acceptare, cognito, quòd non aliter abſoluetur? Et arguitur quòd ſic. Primò, quia ſi in caſu eam non acceptat, per eum ſtabit, quo minùs ſibi peccata remittantur, tam in terris, quàm ex conſequenti in cœlis, cùm in eius poteſtate ſit remiſsionem in caſu obtinere. Cùm ſit igitur ei neceſſarium remiſsionem illam procurare, ſequitur, quòd ex conſequenti ſit ei neceſſarium pœnitentiam illam acceptare. Confirmatur hoc: Qui tenetur ad finem, tenetur ex conſequenti ad medium licitum, & poſsibile, ſine quo finem illum obtinere non poteſt, ſed peccator tenetur procurare remiſsionem peccatorum in terris, & in cœlis, & in caſu non apparet medium aliud, niſi acceptando pœnitentiam, quæ ſibi licita, & conueniens eſt, igitur tenetur &c. Secundò confirmo à ſimili, de eo qui habet paruulum morti propinquum, nec eſt qui poſsit eum baptizare, niſi ſimoniacus, qui illum baptizare

An pœnitẽs teneatur acceptare pœnitẽtiam, ſi ſacerdos alioqui nollet eum abſoluere? — *Ratio pro parte affirmatiua.* — *Cõfirmatio triplex eiuſdem.* — I. — II.

ptizare non vult, nisi oblata sibi certa pecunia, quam facilè homo ille offerre potest, in D tali casu homo ille tenetur pecuniam exactam offerre, vt paruulo Sacramentum baptismi ministretur, alioqui videretur pecuniam paruuli saluti spirituali præferre: Igitur pari forma in præsenti tenebitur pœnitens pœnitentiam illam acceptare, ne inabsolutus decedat, maximè si sit infirmus, & timeat mori. Tertiò confirmatur per aliud simile. Si

III. homini occurrant latrones in via, à quo exigunt centum ducatos, quos nisi dederit, eum occident, talis tenetur ad finem hunc, scilicet, vt vitam corporalem saluet, pecunias exactas tradere: Igitur à fortiore ad finem obtinendi remissionem peccatorum ab Ecclesia in terris, & ex consequenti in cœlis, tenetur pœnitens in casu pœnitentiam illam acceptare.

Resolutio negatiua. Respõdetur ad rationes cõtrarias. Ad I.

RESPONDETVR his non obstantibus tenendum esse oppositum, cõsequenter ad dicta respondendo. Quòd autem rationes factæ non probent, quod prætendunt, constat, quia tunc non solùm teneretur pœnitens in casu acceptare pœnitentiam moderatam, sed etiam immoderatam, modò esset licita, & possibilis ipsi pœnitenti. Imò & si sacerdos loco pœnitentiæ, vel per viam exactionis, seu extorsionis iniungat illi, vt det ipsi confessori centum ducatos aut aliud huiusmodi, alioqui non eum absoluturus, teneretur pœnitens illi pecuniam exactam dare, quod nemo diceret. Et patet sequela, quia alioqui per eum staret, quò minùs remissionem peccatorum in terris assequeretur. Ideo

Quãdo dicatur stare per aliquẽ quò minùs sacramentaliter absoluatur.

dicendum, quòd tunc dicatur per aliquem stare quò minùs sacramentaliter absoluatur, quando omittit facere quod debet, ad præfatam absolutionem obtinendam. Cùm E igitur in casu homo ille fecerit, quod ex parte sua debuit, quia se sacerdoti humiliauit, & eidem integrè confessus est, & de peccatis dolens humiliter veniam, & absolutionem petit, tunc si confessor ei absolutionem simpliciter denegat, aut aliquid in debitum ab eo exigit, vt eum absoluat, iam non stat per pœnitentem, quò minùs remissionem obtineat, sed per confessorem, qui non vult ex parte sua facere, quod debet, scilicet cum absoluere, nil à pœnitente in debitum exigendo, vnde in casu, si sacerdos non remittit

Occurritur cuidam obiectioni.

illi peccata, Deus remittit. Nec obstat dictum Christi: Quorum retinueritis peccata, retenta erunt, id est: Peccata, quæ vos non remiseritis, nec ego remittam, nam hoc intelligitur, quando per peccatorem steterit, quò minùs à sacerdotibus absoluatur, quod in casu non contingit. Sed nec simpliciter est pœnitenti necessarium absolutionem obtinere, sed eam sibi procurare, nil omittendo, quod ex parte sua sit necessarium. Et

Ad primã confirmationem.

inde patet ad confirmationem primam, quòd procedat de eo, qui simpliciter tenetur ad finem, aut cui simpliciter est finis ille necessarius, quod in præsenti non reperitur, quia nullus tenetur simpliciter ad actum ex aliena voluntate pendentem, qualis est absolutio per sacerdotem impendenda, nec illa est simpliciter pœnitenti ad salutem necessaria, vt patet.

Ad secundã & tertiam confirmationem.

AD SECVNDAM confirmationem, & tertiam facilè patet responsio, quia si in illis casibus est necessarium exactum tradere, ideo est, quia non aliter potest salus corporalis, aut spiritualis haberi, seu conseruari; Secùs in casu præsenti, vbi si sacerdotis absolutio F desit, quia eam impendere non vult, sufficit homini contritio propria.

Dubium. An sacerdos vnus possit cõmutare pœnitẽtiã ab alio impositã pœnitenti. Sentẽtia prima trimembris. I. II. III.

EX DICTIS oritur aliud dubium, an vnus sacerdos possit commutare pœnitẽtiam per alium impositam. Et video communiter distingui de huiusmodi sacerdotibus, quia vel sunt pares, ita vt neuter altero superior sit, & tenetur quòd potest: Vel alter est altero superior, & tunc superior poterit commutare pœnitentiam impositam ab inferiore, non autem econtrà, tunc saltem, quando pœnitentia fuit à superiore imposita pro peccato, à quo inferior absoluere non poterat, secùs in aliis. Pro causa etiam vel necessaria, vel vtili, bene potest sacerdos inferior pœnitentiam à superiore impositam relaxare, sicut & Episcopus potest pœnitentiam à Papa impositam, vel in toto, vel in parte remittere, prout dolor, & vita atque cõuersio pœnitentis postulauerit. Pro quo

Dicta sentẽtia supponit pœnitentiam à sacerdote iniunctam esse de necessitate acceptandam.

allegant cap. Lectorem. 33. q. 2. Hæc tamen, quæ communiter dicuntur, videntur procedere secundùm opinionem communem, quæ tenet, pœnitentiam à sacerdote iniunctam esse de necessitate acceptandam, quia eam iniungit confessor, quatenus iudex est confitentis, & superior eo, & ita obligatio adimplendi talem pœnitentiam, nascitur ex potestate iudiciaria confessoris, & non ex voluntate acceptantis. Tunc enim apparenter, & verè diceretur, quòd sacerdos possit pœnitentiam per alium ęqualem impositam relaxare, vel commutare pro causa, ex quo vtriusq; æqua est potestas super illum

pœni-

A pœnitentem, quodque inferior pœnitentiam à superiore impositam non possit relaxare, nisi quando præsumitur superior consentire, quod est, quando necessitas vrget, aut pia vtilitas exposcit.

II. Sentẽtia supponens non esse pœnitentiam necessariò acceptandam, asserit nõ facilè pœnitentias commutari posse.

TENENDO tamen contrariam opinionem suprà tactam, scilicet quòd pœnitens non teneatur acceptare pœnitentiam in foro pœnitentiali iniunctam, videtur quòd quamuis vtilitas talis pœnitentiæ iniunctę ex potestate clauium in parte procedat, obligatio tamen eam adimplendi, non nisi ex voluntate acceptantis proueniat, & in tantum obligetur eam adimplere, in quantum intendebat se ad eam obligare. Et secundùm hoc non ita apparet, quòd sacerdos possit commutare pœnitentiã per alium sacerdotem parem vel superiorem iniunctam. Sicut in obligationibus ex propria voluntate contractis, non habet potestatem confessor eas mutare, vt patet de obligatione, quæ oritur ex voto, iuramento, aut promissione ipsius obligati, ad quorum amotionem maior authoritas necessaria est, quàm sit in curato vel confessore inferiori. Et inde fortè est, quòd inferiores sacerdotes pœnitentias iniunctas relaxare non possunt, nec in toto, nec in parte, vt innuitur cap. final. in Clementina, de pœnitentiis, & remissionibus. Ac proinde si primam responsionem velimus tenere cum communiter loquentibus, intelligatur illa responsio procedere, quando confitens se subiicit confessori, non solùm quo ad remitti, vel retineri peccata, sed etiam quo ad iniunctionem, & taxationem pœnitentiæ. Quia

Vtraq; sentẽtia probabilis est. Verus sensus I. sententiæ.

B tunc, eo supposito, sicut absolutio à peccatis est actus iudicialis, in quo est confessor supra pœnitentem, ita & pœnitentiæ iniunctio. Et ita puta confitentes vt in plurimum se confessoribus in vtroque subiicere, tam scilicet in remittendis, & retinendis peccatis, quàm in iniunctione pœnitentiæ, modò sit moderata. Si tamen aliqui nollent se confessori, nisi in primo subiicere, curreret secunda responsio.

Explicãtur quidam textus ad hanc quæstionẽ nihil facientes.

ILLVD TAMEN addendum est, quòd nec Clementina fin. de pœnitentiis, & remiss. nec cap. Latorem. suprà citatum faciunt ad præsentem quæstionem. Nam Clementina loquitur contra quæstores, qui cùm potestatem non habeant, tertiam tamen, & quartam partem de pœnitentiis iniunctis per viam indulgentiæ relaxant. ca. etiam Latorem. procedit de pœnitentia, in casu reseruato imposita, non in foro pœnitentiali, sed contentioso, ob peccatum graue, & enorme, quod ipse delinquens fuerat Papæ non sacramentaliter confessus, ac proinde non satis pertinenter Doctores præfatos textus ad propositum citant.

An sit mortale peccatum iniũctam pœnitentiam & acceptatam absque vlla causa non adimplere?

ALIVD DVBIVM iuxta dicta, an sit peccatum mortale pœnitentiam iniunctam, & acceptatam non adimplere, vbi nulla esset causa iusta non adimplendi: Et dixit Caietanus, quòd non, quia si sic, vel hoc esset ratione præcepti ipsius confessoris, qui pœnitentiam iniungit, vel quia ad salutem ipsius pœnitentis eam adimplere sit necessarium, vel quia est necessaria talis adimpletio ad satisfaciendum Deo. Non primum, quia multa humana præcepta sunt, quæ non obligant sub pœna peccati mortalis. Nec

Ratio partis negatiua.

C secundum, quia sine tali pœnitentia potest homo salutem præsentem, id est, gratiam habere, & finalem similiter consequi. Nec tertium, quia poterit homo hoc, & illo, & alio modo Deo satisfacere, hîc, & in purgatorio &c. igitur.

Respondetur cũ distinctione, iuxta duplicẽ opinionẽ de acceptanda pœnitẽtia.

RESPONDETVR siue teneamus primam sententiam, scilicet quòd confessor iniungens pœnitentiam obliget ipsum pœnitentem, siue teneamus secundam, quòd pœnitens ad eam non obligetur, nisi eam acceptet, obligatio eam adimplendi non excedit limites voluntatis, vnde orta est. Ac proinde si primum teneamus, tunc ad intentionem iniungentis est recurrẽdum, quia si voluit pœnitentem obligare sub pœna peccati mortalis, vt pœnitentiam iniunctam adimpleat, videtur ad eam sub eadem pœna teneri, maximè si talis pœnitentia notabiliter illi pœnitenti ad eius salutem conueniat. Si tamen non hoc animo eam iniunxit, sicut nec iniungere debuit, ob id, quòd austera, & difficilis sit, aut quia tam parum conferens ad salutem pœnitentis, vt indigna sit, quæ sub pœna peccati mortalis imponatur, tunc curreret responsio Caietani. I.

SED SI alteram sententiam teneamus, scilicet quòd pœnitens non teneatur pœnitentiam acceptare, tunc ex voluntate ipsius, qui pœnitentiam acceptat, nascitur obligatio hæc, vel illa, ad complendum eam. Itaque non est ad quæstiunculam indistinctè respondendum, vt tamen arbitror, peccatores pro maiori parte ad pœnitentiæ impletionem se obligatos esse sub pœna peccati mortalis reputant, & tunc ratione conscientiæ tenebuntur sub eadem pœna eam adimplere. II.

De pœnitentia iniuncta extra gratiam adimpleta.

QVÆSTIO XLII.

An pœnitens iniunctam sibi pœnitentiā teneatur in gratia adimplere? Ratio pro parte affirmatiua.

SED SVPPOSITO, quòd pœnitens teneatur ſub pœna peccati mortalis pœnitentiam acceptam implere, an teneatur eam in gratia adimplere. Et dixerunt quidam, quòd ſic, eò quòd pœna æterna per contritionem fuerit in pœnam temporalem Deo gratam, & acceptam commutata, eò quòd talis commutatio fuerit ex gratia Dei facta, qui ſibi peccatorem amicabiliter reconciliauit, volens, vt ſibi amicabiliter ſatisfaceret. Hoc autem fieri non poteſt, niſi in gratia Dei talis ſatisfactio fiat, cuius loco pœnitentia fuit per ſacerdotem iniuncta. Tum etiam quia pœnitentia, nō ad aliud principaliter fuit iniuncta, niſi vt pœnitens per eius adimpletionem Deo pro offenſa prius commiſſa ſatisfaceret, ad hoc autem gratia opus eſt, vt ſtatim dicetur.

Pars negatiua vera eſt.

Probatur I. OPPOSITVM tamen videtur tenendum, ſcilicet quòd non teneatur pœnitens facere pœnitentiam iniunctam in gratia ſub pœna noui peccati. Probatur, quia vel teneretur ad id ratione præcepti ſacerdotis pœnitentiam iniungentis, vel ratione finis, quem ſacerdos intendit, ſcilicet vt pœnitens Deo ſatisfaciat. Neutrum videtur dicendum. Nō primum, quia præceptum ſacerdotis non debet eſſe magis priuilegiatum, quàm præcepta Dei, & Eccleſiæ, ſed huiuſmodi præcepta non ſunt ſub pœna peccati in gratia adimplenda, vt pro nunc ſuppono, igitur nec præceptum ſacerdotis pœnitentiam iniungentis debet ſub pœna peccati in gratia adimpleri. Nec poteſt dici ſecundum, quia intentio finalis præcipientis non cadit ſub præcepto, vt ſi Deus præcipit aliqua opera hac intentione, vt ea complendo vitam æternam mereamur, ſatisfacimus præceptis, illa agendo, etiamſi per ea nō mereamur, alioqui omnes, qui in peccato mortali exiſtentes, debitam parentibus reuerentiam exhiberent, aut pauperibus eleemoſynam ex pietate elargirentur, aut quicquid aliud eis iuſſum ex bono fine, & intentione facerent, peccarent mortaliter, ob id ſolùm, quia ſine charitate ea facerent.

II. *Probatur.* Præterea ſi tenerentur pœnitentes ſub pœna peccati pœnitentiam in gratia complere, ſequeretur hoc inconueniens, quòd ſemper eſſent perplexi, & dubij, an eam in gratia compleuiſſent, an non, & ita ob dubium tenerentur eam reiterare. Sequela patet, quia quamuis homo conſcientiam peccati non habeat, tempore quo pœnitentiam complet, non tamen poteſt certus eſſe, ſe habere tunc gratiam, iuxta illud Pauli: Nil mihi conſcius ſum, ſed non in hoc iuſtificatus ſum, & illud Iob: Si ſimplex, aut iuſtus fuero, hoc ipſum ignorabit anima mea. Et inde ſequitur, malè agere pœnitentem, acceptando pœnitentiam iniunctam, quia exponit ſe periculo peccandi, ex quo obligat ſe ad aliquid, de cuius adimpletione certus eſſe non poteſt.

III. Præterea arguitur, quia tunc ſequeretur aliud inconueniens, ſcilicet quòd huiuſmodi pœnitentiæ iniunctio eſſet occaſio obſtinationis ipſius pœnitentis, quia ſi ſit illi iniuncta pœnitentia ieiunandi decem diebus (exempli cauſa) certis, & ſignatis, & poſt eam acceptatam ieiunet vna die in peccato, iam manet impoſsibilitatus totam pœnitentiam in gratia facere, quod attendens ipſe pœnitens, facilè deſiſtet à ieiunio aliorum dierum, quod eſſet ei peccatum. Aut ſi proponeret aliquid vetitum facere, vel aliquem contractum illicitum exercere, hoc ipſo deſiſteret à pœnitentiæ adimpletione, ſciens in caſu nil ſibi impletionem pœnitentiæ profuturam.

Soluitur ratio contraria.

Ad rationem autem pro contraria ſententia ante oppoſitum tacta, dicendum, quòd videatur ſupponere duo falſa, ſcilicet quòd ſatisfactio Deo fieri non poſsit, niſi in gratia, de quo pòſt. Alterum, quòd vi contritionis non commutetur æterna pœna abſolutè in temporalem, ſed cum hac lege, & conditione, quòd illa temporalis in ſe, vel æquiualenti ſoluatur in gratia, ſeu amicabiliter, vt dicunt.

Falſum eſſe probatur, ex vi contritionis non cō mutari æternā pœnam in temporalem, niſi cū hac conditione, vt hæc in gratia ſoluatur.

Quod tamen inde patet falſum eſſe, quia tunc ſequeretur, ſi homo de peccatis contritus, pœnam illam in hoc ſeculo amicabiliter non ſolueret, & finaliter in mortali decederet, quòd æternaliter puniretur pro peccatis, de quibus contritus fuit. Patet hoc, quia ex quo commutatio æternæ pœnæ non fuit in temporalem commutata, niſi

I. ſub illa conditione, ſequitur, quòd non ſubſiſtente conditione, commutatio non tenuit, & ita æternaliter punietur pro peccatis dimiſsis quo ad culpam, ac ſi dimiſſa non fuiſſent. Nec valet, quod ait Adrianus ad id reſpondens, quòd licet verum ſit, quòd pro dimiſsis punietur æternaliter, non tamen adeò acerbè, ſicut ſi remiſſa non fuiſſent.

Huius

A Huius enim oppositū suadet hęc ratio, si commutatio non fuit facta nisi sub conditione.

SECVNDO eadem falsitas patet ex alio, quia posita absolutè causa alicuius effectus, ponitur absolutè talis effectus, sed tempore contritionis absolutè ponitur causa remittendi pœnam æternam debitam peccatis commissis, puta contritio, & gratia, seu charitas, igitur absolutè ponitur effectus, scilicet remissio talis pœnæ æternæ. Vnde rursus fit, vt etiamsi pœnitens omnino omittat pœnitentiam adimplere, non puniatur æternaliter pro peccatis dimissis. II.

ESTO IGITVR, non teneatur pœnitens in gratia facere pœnitentiam iniunctam sub pœna noui peccati: An saltem ad id sit illi necessarium in gratia facere, vt talis pœnitētia sit Deo pro commissis satisfactoria. Et tenetur satis communiter, quòd sic, quia pœnitentia per hominem completa, non est de se satisfactoria, nisi quia à Deo acceptatur, acceptari autem à Deo de lege non potest sine charitate, sine qua nil Deo placere potest, igitur pœnitentia in peccato completa non est satisfactoria apud Deum. Minor patet, de omnibus tribus operibus, quæ sunt partes satisfactionis, scilicet de oratione, ieiunio, & eleemosyna. De oratione quidem, iuxta illud Esaiæ: Si multiplicaueritis orationes, non exaudiam. Et datur pro causa, quia manus vestræ sanguine plenæ sunt, id est, peccaminosæ, seu pollutæ. De ieiunio similiter ex illo Esaiæ: Ecce in die ieiunij vestri inuenitur voluntas vestra, & omnes debitores vestros repetitis. Et alia huiusmodi addit, B in quibus significat causam, quare ieiunium eorum non acceptet, scilicet propter commixta alia peccata. De eleemosyna similiter patet ex illo Pauli: Si distribuero omnem substantiam meam in cibos pauperum, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest. Igitur pœnitentia iniuncta in peccato mortali facta, non est satisfactoria pro peccatis apud Deum. Oppositum tamen videtur probabiliter esse tenendum, scilicet quòd pœnitentia in peccato mortali adimpleta, sit apud Deum satisfactoria, saltem largè, ita scilicet vt valeat ad dimissionem pœnæ temporalis peccatis dimissis debitæ. Et probatur primò, quia, vt ex dictis patet, per contritionem fuit æterna pœna in temporalem commutata, idque non conditionaliter, sed absolutè, vt nuper probabam, igitur si peccator illam pœnam soluat, siue in gratia, siue extra gratiam, cedet ei in solutum, & erit apud Deum satisfactoria. Præterea, & est confirmatio eiusdē; Non sunt deterioris conditionis viatores, quàm qui sunt in inferno damnati, in hoc, quod est à debito pœnæ liberari, ex quo in hac vita est locus misericordiæ, & in futura est locus iustitiæ, & rigoris, sed damnati in inferno pœnam temporalem, in quam fuerat æterna commutata, sustinentes, satisfaciunt Deo pro dimissis, ita vt maneant liberi ab illo debito. Minor autem patet, quia alioqui damnati punirētur æternaliter pro peccatis dimissis, quo ad culpam, sicut & pro non dimissis, quod ostensum est suprà falsum esse. Præterea debitor soluendo debitum creditori, liberatur à debito, etiamsi solutio non fiat in gratia, & amicitia creditoris. Id patet siue creditor sit homo, siue Deus. De homine quidem patet, quia si C debeo decem ducatos Petro, soluendo eos Petro, satisfacio, etiamsi Petrus sit mihi inimicus. De Deo etiam patet. Si voui, iuraui, aut promisi, me aliquid in cultum Dei facturum, si illud compleo, etiam cùm amicus Dei non sim, satisfacio, ità vt non tenear rursus eodem debito. Similiter de præceptis Dei idem patet, si illa adimpleo etiam in peccato mortali, satisfacio, ita vt non tenear rursus eodem debito, cùm præcipientis intentio non cadat sub præcepto, igitur pari forma si pœnitentiam iniunctam in peccato mortali adimpleam, satisfacio apud Deum, ita vt cedat mihi in solutum. Præterea, multorum opera in peccato mortali facta legitur Deus præmio temporali remunerasse, vt patet de Romanis, quibus Deus imperium mundi, ob eorum iusta opera tradidit, vt ait Augustinus in lib. de ciuitate Dei. Similiter Ægypti regnū dedit Deus Nabuchodonosor viro Gentili, & idololatræ ob strenua opera, quæ veluti Dei minister in bello gessit, vt habetur Ezech. 29. Et obstetricibus Ægyptiis Deus ædificauit domos, ob pietatē, quam ad paruulos Hebræorum habuerunt, vt legitur, in Genes. Igitur non mirum, si pœnitentiam peccatoris in peccato mortali factā Deus remuneret tali præmio temporali, quale est, remittere pœnam temporalem pro dimissis debitam, si præmium dicitur cōuenienter. Nec obstat ratio contrariæ opinionis suprà facta. Nam quamuis humana opera non sint apud Deum satisfactoria de se, nisi quia à Deo acceptata sunt, falsum tamen est, quòd Deus non acceptet bona opera in peccato facta, non quidem ad vitam æternam, cùm mortua sint, sed ad temporalem remunerationem, & pœnæ temporalis remissionem,

Dubium. An necesse sit pœnitentiam in gratia adimplere, vt ea sit Deo satisfactoria? Ratio pro parte affirmatiua. Confirmatur tripliciter. I. *Esaia 1.* II. *Esaia 58.* III. *Ad Rom. 13.*

Resolutio negatiua. Pœnitētia etiā in peccato adimpleta est satisfactoria apud Deum. Probatur I. II. III. IIII. V.

Soluitur ratio contraria suprà allata.

Respondetur ad loca sacræ scripturæ pro confirmatione adducta. nem. Quemadmodum dictum est, Deum sæpe bona opera in peccato mortali facta, ad D temporale præmium acceptasse. Quod autem ex Esaiæ 1. allegatur, scilicet quòd Deus non exaudiat orationes, eò quòd orantes sint in peccatis, nō facit contra hanc sententiam, nam ex ipsomet textu, scilicet ex antecedentibus, & sequentibus apparet, Deum *Ad I.* intendere dicere, quòd orationes à Iudæis multiplicatæ non erant eis profuturæ, ad hoc scilicet, vt liberarentur à pœnis, & flagellis, quæ Deus illis in hoc seculo inferre parauerat, qualia erant bella, captiuitas, & paupertas, quæ Deo volente, Iudæi ob suam pertinaciam erant passuri, sicut & passi sunt. Similiter videtur dicendum ad illud, quod de ieiunio *Ad II.* dictum est per Esaiam 58. quòd illic innuat Dominus, ieiunium hominum non sibi profuturum, ad euadendum pœnas huius seculi. Quod inde colligitur, quia ait textus in persona eorum, qui de Deo queruntur: Quare ieiunauimus, & non aspexisti, humiliauimus animas nostras, & nescisti? Ex quo apparet, illos conqueri, quòd à pœnis visibilibus huius seculi non liberarentur, nec illis ad id ieiunare prodesset. Quæ querela de pœnis alterius seculi non videtur locū habere, cùm in hoc seculo homines nondum sciant, nec *Occurritur cuidam obiectioni.* videant, quòd ab illis per ieiunia liberentur. Sed fortè quæres, quare oratio, & ieiuniū, & alia bona opera in peccato facta valent ad hoc, vt homines liberentur à pœnis saltem temporalibus alterius seculi, quę longè grauiores sunt, & non valent, vt liberentur à pœnis huius seculi? Respondetur, quia pœnas huius seculi Deus, nec de iustitia legis infligit, nec de iustitia legis eas tollit, sed præsuppositis demeritis, eas pro voluntate infert, & pro E voluntate tollit. Pœnas autem alterius seculi de legis iustitia infert, similiter de legis iu*Ad III.* stitia eas tollit, & remittit ob opera vel satisfactionem ipsius debitoris. Ad aliud ex Paulo allegatum, in quo ait, eleemosynam sine charitate nil prodesse, intelligitur communiter ad vitam æternam; Secùs ad alia bona temporalia. Concluditur ergo probabiliter, quòd pœnitentia iniuncta, & in peccato mortali adimpleta satisfactoria sit apud Deum satisfactione liberante, licet non satisfactione reconciliante, nam ad hanc est necessaria charitas, sed de hoc postea.

Aliud dubium. An eiusmodi pœnitentia in peccato facta, sit de necessitate iteranda. SED VLTRA esset dubitatio, an huiusmodi pœnitentia in peccato facta, sit de necessitate iteranda. Dicit Thomas cum aliis distinguendo de tali pœnitentia, quia vel relinquit post se effectum pœnalem, vel non. Si sic, non est de necessitate iteranda, eò quòd adueniente charitate talis pœnitentia in peccato facta incipiat esse satisfactoria, ratione effectus perdurantis vsque ad superuentum charitatis, ad modum baptismi, qui *Sententia I. bimembris.* si in peccato suscipiatur, postea incipit prodesse, quando fictione recedente charitas superuenit, idq; ex eo, quia post se relinquit effectum, scilicet characterem permanentem. *I.* *II.* Si verò talis pœnitentia in peccato facta non relinquit effectum pœnalem, qui vsque ad superuentum charitatis duret, talis pœnitentia venit reiteranda, quia nec quando fit, nec quando charitas superuenit, est satisfactoria, vt quando eleemosyna, & ieiunium post se relinquunt præfatum effectum, nam ieiunium relinquit corporis debilitatem, eleemosyna verò priuationem alicuius boni temporalis, oratio autem nullum talem F effectum pœnalem relinquit, ideo ieiunium, & eleemosyna, etsi in peccato fiant, nō sunt de necessitate reiteranda, oratio autem sic.

Oppugnatur prædicta sententia. I. Quatenus ieiunium, eleemosyna, & oratio relinquant aliquando post se effectum pœnalem. CONTRA hanc positionem videtur primò non esse semper verum, ieiuniū & eleemosynam præfatum relinquere effectum, & orationem non, nam sæpe accidit, quòd post ieiunium non solùm non relinquatur corporis debilitas, sed melior ipsius valetudo, & dispositio, quandoquidem per inediam, seu abstinentiam à cibo & potu, multi humores crassi, qui corporis valetudinem impediebant, consumuntur, vnde corpus remaneat fortius, & meliùs dispositum. Et esto, aliquando maneat debilius, illa tamen debilitas sæpissime expellitur citiùs, quàm charitas superueniat. Idem de eleemosyna videtur, quod quamuis relinquat post se priuationē boni temporalis illius scilicet, quod in eleemosynam datum est, stat tamen, quòd aliud tantundem illico restauretur, vel per viam donationis, vel per industriam, vel alio modo, quod alioqui euenturum non erat. Econtrà verò de oratione sæpe accidit, vt post se relinquat corporis debilitatem, vt si fiat cum vehemēti contemplatione, quam certum est digestionem sæpe impedire, & ea impedita necesse est membra corporis non nutriri, ac proinde debilitari. Itaque accidit huiusmodi pœnitentiis sic adimpletis, vt post se pœnalem relinquant effectum. Ex his autem, quæ tam contingenter accidunt, velle inferre conclusionem certam, nō est rationabile. Secundò, esto ita sit, quòd tales pœnitentiæ effectum præfatum relinquant, qui duret

A vſque ad ſuperuentum charitatis, non tamen videtur verum, quòd ille effectus incipiat eſſe ſatisfactorius, charitate veniente. Nam quæro, vel hoc conuenit illi effectui ex natura ſua, vel ob cauſam ſuam, ſcilicet pœnitentiam priùs factam, ex qua effectus ille relictus eſt, vel ratione charitatis ſuperuenientis, vel ratione nouæ complacentiæ, qua homo ille in illo effectu complacet. Sed nullum horum videtur dicendum. Non primum, quia nulla actio, aut paſsio hominis eſt de natura ſua ſatisfactoria Deo pro peccatis commiſsis. Nec ſecundum, quia ſi effectus incipit ſatisfactorius eſſe propter pœnitentiam, ex qua relictus eſt, à fortiori igitur illa pœnitentia inciperet eodem modo eſſe ſatisfactoria, adueniente charitate, quia ꝓpter quod vnumquodq; tale, & illud magis. Conſequens inde videtur falſum, quia ſecundùm opinantes, nil poteſt eſſe Deo ſatisfactorium, niſi quod viuit vita gratię, ſed pœnitētia in peccato facta, quādo fit, non eſt viua, ſed mortua: quando venit charitas, non eſt viua, quia non eſt, nec reuiuiſcit, quia nunquam vixit. Nec de illa in caſu poteſt verificari per ſuperuentum charitatis, quòd ſit ex charitate facta, igitur nunquam de ea verificatur, quòd ſit ſatisfactoria. Sed nec poteſt dici tertiũ, ſcilicet quòd effectus præfatus incipiat eſſe ſatisfactorius ratione charitatis ſuperuenientis, quia tunc ſi ſola charitas ſuperueniens id efficeret, ſequeretur, quòd vndecunque talis effectus pœnalis eſſet relictus, inciperet eſſe ſatisfactorius per eandem charitatem, ſiue talis effectus ex natura ꝓueniat, ſiue ex vitio, ſiue ex alio indifferente exercitio, quod ſuppono falſum.

B Nec etiam poſſunt dicere quartum, ſcilicet quòd ratione nouæ complacentiæ incipiat prædictus effectus eſſe ſatisfactorius. Tum, quia talis ſatisfactio magis eſſet illi complacentiæ attribuenda, quàm effectui naturaliter relicto. Tum etiam, quia talis complacentia æquè haberi poteſt de pœnitentia non relinquente effectum, atque de relinquente, & ita omnis ea, de qua haberetur complacentia, diceretur incipere eſſe ſatisfactoria. Adde, hunc modum dicendi præſupponere, quòd pœnitentia in peccato completa, non fuerit ſatisfactoria, nec vtilis, quod iam ſuprà probatum eſt eſſe falſum, quia quamuis de rigore iuſtitiæ ſatisfactoria non ſit, valet tamen per viam impetrationis. III.

CAIETANVS à præfata opinione recedens, ait, quòd nulla pœnitentia iniuncta, & in peccato adimpleta ſit de neceſsitate iteranda, ſiue relinquat effectum, ſiue non. Ratio eius eſt, quia omnis talis ſuperueniente charitate incipit eſſe ſatisfactoria, eò quòd ſit opus ſacramentale: Omne autem opus ſacramentale, quod, quando fit, effectum ſuum non operatur ob obicem peccati, recedente obice, eum operatur, vt dicit hoc de omni ſacramento verificari, pœnitentia autem virtute clauium iniuncta eſt ſacramentalis, & ſi in gratia fieret, eſſet ſatisfactoria, igitur etiam erit ſatisfactoria, gratia ſuperueniente. II. *Sententia negatiua. Ratio.*

Verùm hæc poſitio deficere videtur. Primò in eo, quod ait, omne ſacramentum in peccato ſumptum incipere prodeſſe ſuperueniente charitate, quod licet admittatur de ſacramentis initerabilibus, vt de baptiſmo ſolet exemplificari, iuxta capit. Tunc valere. de conſecrat. diſtinct. 4. attamen de aliis ſacramentis, quæ iterari poſſunt, non ita veriſimile C eſt. Abſurdum enim videtur quòd Euchariſtia indignè ſumpta, quæ valet ad iudicium, & condemnationem ſumentis, poſtea adueniente charitate incipiat ad ſalutem æternam prodeſſe; ita de aliis videtur. *Impugnatur etiam hæc II. ſententia.* I.

SECVNDO deficit, vt videtur, opinio, quia æquiparat quantùm ad rationem ſacramentalitatis, pœnitentiam iniunctam ipſis ſacramentis, cùm tamen valde ſint diſparia, nam ſacramenta ſunt opera Dei diuinitùs inſtituta, quorũ valor innititur meritis Chriſti, non merito operantis. Econtrà verò pœnitentia iniuncta, & per hominem adimpleta, opus hominis eſt, & eius valor merito innititur operantis, nil enim præſtat ex opere operato, ſicut ſacramenta præſtant, maximè ſi pœnitentia iniuncta in tantùm liberat præcisè pœnitentem à pœna, in quantum iudicio diuino conformis eſt, vt multis placet. Et ſi quid virtute clauium, aut ex opere operato illa pœnitentia iniuncta, & adimpleta præſtat, tale eſt, quod abſque charitate præſtari poteſt, puta remiſsio pœnæ temporalis, & ita ante ſuperuentum gratiæ, ipſa pœnitentia in peccato facta, ſuum operaretur effectum, virtute clauium. II.

TERTIO falſum videtur ſecundùm eos, quòd illæ pœnitentiæ in peccato factæ incipiant eſſe ſatisfactoriæ adueniente charitate, quia tunc etiam eſſet dicendum, quòd incipiant eſſe meritoriæ. Tum, quia ſi in charitate factæ fuiſſent, non ſolùm ſatisfactoriæ, ſed meritoriæ fuiſſent, igitur ſi valent adueniente charitate, quod valuiſſent, ſi in charitate factæ fuiſſent, ſequitur intentum. Tum etiam, quia ex fundamento poſitionis, III.

quæ

quę ait,opera in peccato facta non prodesse,iuxta illud Pauli: Si distribuero substantiam meam &c. charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest, videtur, quòd præfatæ pœnitentiæ incipiant valere ad vtrunque, scilicet ad merendum, & satisfaciendum, vel ad neutrum. Nam Paulus secundùm opinantem vtrunque excludit ab operibus in peccato factis, igitur adueniente charitate, isti sic opinantes vtrunque debent admittere, vel vtrunque excludere. Primum aliâs ostensum est esse erroneum,igitur admittant secundum. D

Respondetur ad dubium cum distinctione.

I. II.

Conclusio.

Neutro modo necessarium est, pœnitentiam in peccato factam iterare.

Probatur de I. modo.

Probatur de II. modo.

Dicendvm igitur ad quæstionem,quòd duobus modis posit intelligi esse necessarium reiterare pœnitentiam iniunctam in peccato factam. Vno modo,quòd sit necessarium absolutè sub pœna noui peccati. Alio modo,quòd sit necessarium conditionaliter,vel ex suppositione,scilicet,si vult homo Deo pro peccatis satisfacere. Et dicendum, quòd neutro modo sit necessarium præfatam pœnitentiam iterare. Patet hoc de primo sensu, quia nil est homini necessarium sub pœna noui peccati, ad quod nulla lege, aut præcepto astringitur; Vbi enim non est lex,non est præuaricatio; sed nullo præcepto diuino naturali, aut humano, tenetur homo præfatam pœnitentiam iterare,quia non habet aliud præceptum de implenda illa pœnitentia, nisi præceptum sacerdotis eam iniungentis,sed tali præcepto iam est satisfactum per adimpletionem pœnitentiæ,etiamsi in peccato sit adimpleta, cùm sacerdos non obligauerit illum, vt in gratia pœnitentiam expleret,vt ex dictis patet. De secundo etiam sensu idem patet,quia esto non reiteretur illa pœnitentia, patet homini alius modus satisfaciendi Deo pro peccatis, scilicet per feruorem charitatis,per repetitam contritionem,per alia varia opera,& officia charitatis;poterit etiam satisfactionem ad Purgatorium remittere. E

De effectu pœnitentiæ iniunctæ.

QVÆSTIO XLIII.

An complens iniunctam sibi pœnitentiã, omnino liber à peccatis cõmissis maneat.

Sententia I. negatiua, si minor fuit iniũcta pœnitentia quàm sit pœna à Deo pro peccatis taxata: affirmatiua autem, si maior vel æqualis.

Probatur I. pars huius sentẽtia.

Alivd dvbivm, an pœnitens complens pœnitentiam sibi iniunctam in gratia,maneat omnino liber à peccatis commissis,ita vt nulli pœnæ amplius sit pro illis obnoxius. Et dixerunt aliqui, Thomas, Durandus, Alexander, quòd vel sacerdos iniunxit pœnitentiam minorem, vel æqualem,vel maiorem quàm sit pœna à Deo pro commissis taxata. Si minorem, non erit homo ea adimpleta ab omni pœna liber. Si maiorem aut æqualem, ea adimpleta, erit liber. Et cùm hoc secundum sit certum, primum probatur,quia sententia sacerdotis non mutat sentẽtiam Dei,ac proinde si Deus, quando remisit culpam per contritionem, aut per confessionem, eam commutauit in temporalem,certam,& determinatam, sequitur, quòd illi erit homo obnoxius,quamcunq; pœnitentiam illi sacerdos iniungat. Vnde fit,vt pœnitentia iniuncta, si debeat pœnitentem ab omni pœna purgatorij pro commissis liberare, necessariò sit conformis diuino iudicio,& diuinę taxationi. Inde iterum fit,vt si pœnitentia iniuncta sit citra condignam à Deo taxatam, & eam peccator hîc soluat, residuum soluet,vel hîc,vel in Purgatorio. Si autem sit iniuncta maior quàm ea,quam Deus taxauit,& impleat eam non in toto,sed in ea parte,quæ diuinæ taxationi respondet,pro residuo non punietur in Purgatorio, si sic decedat. F

Oppugnatur dicta sententia.

I. Contra hanc opinionem arguitur rationibus Scoti. Primò,quia ex quo sacerdos habet potestatem iniungendi pœnitẽtiam peccatori, hæc autem potestas est arbitraria, cùm sit arbiter constitutus in causa hac ad forũ pœnitentiale pertinente, sequitur,quod sacerdotis sententia sit rata,& valida,etiamsi non sit punctualiter conformis iudicio,seu taxationi diuinæ. Nam irrationabile omnino videtur, quòd alicui sit concessa potestas arbitrandi in aliqua causa,si eius iudicium non sit ratum,& validum,nisi à casu, quale esset taxatio sacerdotis, quam esse taxationi diuinæ conformem, contingens, & casuale omnino est.

II. Secvndo, irrationabile etiam omnino videtur, quòd alicui sit commissa potestas arbitrandi in causa partiũ, si arbitrari non posit nisi secundum voluntatem vnius partis. In præsenti autem causa, partes sunt Deus offensus, & peccator reus, inter quos iudex arbiter est sacerdos constitutus. Si igitur arbitrari non posit nisi secundùm voluntatem Dei determinatam,sequitur intentum.

Tertio

A TERTIO si sacerdos iniungat pœnitenti pœnitentiam aliquantulùm maiorem quàm sit pœna à Deo taxata, non erit liber peccator, nisi eam soluat, igitur etiamsi sacerdos iniunxerit pœnam aliquantulùm minorem, quàm sit pœna à Deo taxata, erit pœnitens eam complens omnino liber. Probo consequentiam, quia Deus pronior est ad miserendum, quàm ad puniendum. III.

VNDE CONCLVDIT hic Doctor, quòd sicut iustitia commutatiua non consistit in indiuisibili, sed habet suam latitudinem, intra quam est gradus rigidus, infimus, & medius, vt solet in pretio rei venalis exemplificari, ita & iustitia punitiua habet suam latitudinem, intra quam possunt similiter tres hi gradus assignari, & pœnitentia citra hanc latitudinem imposita, non sufficit ad liberandum pœnitentem, & pœnitentia imposita vltra illam latitudinem, non erat homini necessaria, nec illi imponenda. Verùm illa, quæ intra hanc latitudinem fuerit imposita, siue attingat punctuale medium, siue ab eo deficiat, siue excedat, est quæ hominem ab omni pœna liberat, & cui homo subiectus & obnoxius est. Ac proinde contingit, vt per pœnitentiam iniunctam citra diuinam taxationem, homo maneat omnino à commissis liber. In cuius confirmationem addo, quòd alioqui, si scilicet taxatio sacerdotis, vel plenè liberet pœnitentem, opus sit, vt taxationi Dei respondeat, non viderentur claues sacerdotis in hac re aliquid pœnitenti prodesse, cùm tamen ex Euangelio sententialiter deducatur, sententiam sacerdotis in terra datam, in cœlis approbari.

Sententia II. Scoti: Iustitiam punitiuã habere latitudinẽ, & gradus quosdam, atq; adeò pœnitẽtiam intra eam latitudinem impositã sufficere ad liberandum hominem ab omni pœna.

Probatur hæc sententia.

B SED CONTRA hanc imaginationem occurrit dubitatio, quia tunc si in gradu rigido illius latitudinis sit iniuncta pœnitentia, & ob aliquod impedimentum non adimpleta, sequitur, quòd ille punietur in Purgatorio pro peccatis suis plùs, quàm si pœnitentia non fuisset sibi iniuncta, & ita noceret huiusmodi pœnitentias pœnitentibus iniungere. Consequentia patet, quia pœnitentia iniuncta in illo gradu rigido excedit taxationem à Deo factam. Respondetur, ex quo sententia sacerdotis intra illam latitudinem data in cœlis approbatur, consequenter esse illatum concedẽdum, quia illam iniunctam debet peccator soluere hîc vel alibi, scilicet in Purgatorio. Nec inde sequitur, esse nociuas huiusmodi pœnitentias iniunctas, quia multò maior est vtilitas talium pœnitentiarum iniunctarum, quàm sit damnum hoc, quod euenit ex rigida pœnitentia, quia acceptando illam, meretur augmentum gratiæ & gloriæ. Et similiter eam implendo, ratione iniunctionis factæ, est magis meritoria, quàm si voluntariè fieret, saltem propter obedientiam ex qua fit. Et si non fiat, quia fieri non potuit, voluntas tamen eam faciendi, pro opere reputatur, quantum ad meritum gratiæ, & gloriæ, quod sine comparatione maius bonum est, quàm sit malum aliquantulùm plus in Purgatorio detineri.

Obiectiones aliquot cõtra eandem. I.

ALIVD ETIAM quenquam contra præfatam opinionem mouere posset, quia illa latitudine in punitione peccati admissa, tam incertum erit, an sit rata sententia arbitraria sacerdotis, ac si latitudo huiusmodi non ponatur, quia sine reuelatione, illa latitudo C quanta sit, sciri non potest. Tum, quia id pendet ex sola Dei voluntate, nulli homini in hac re cognita. Tum, quia nesciri ab homine potest, quanta sit pœnitentis contritio, aut quàm satisfactoria sit, quia secundùm veritatem contritionis, varia esset latitudo assignanda. Respondetur ita esse, quòd scilicet exactè sciri non possit huiusmodi latitudo à Deo signata, attamen facilius est, sacerdotem pœnitentiam iniungere intra illam latitudinem, quantacunque sit, quàm attingere punctuale medium à Deo inuincibiliter taxatum. Si igitur hanc positionem teneamus, respondendum est ad rationem prioris, verum esse, quòd Deus quando remittit culpam, commutet pœnam æternam in temporalem certam, & determinatam, non absolutè, sed conditionaliter, scilicet nisi peccator subierit sententiam sacerdotis, quia tunc si fuerit lata intra latitudinem iustitiæ punitiuæ, ratificabitur in cœlis, & illi manebit peccator obnoxius. Itaque qui per sacerdotes iudicati non fuerint, soluent pœnam à Deo taxatam: Qui verò fuerint per sacerdotes iudicati, vt dictum est, illam soluent, quã sacerdos, claue non errante, taxauerit. Et ita patet, ꝙ sententia sacerdotis non mutet sententiam Dei, quæ nõ nisi conditionaliter erat lata. II.

Solutio.

SED ADHVC curiosiùs quæres, supposito quòd latitudo iustitiæ punitiuæ respectu alicuius peccatoris sit 10. 15. & 20. & 15. erat pœna punctualis à Deo taxata, imponat tamen sacerdos pœnitentiam scilicet, vt 9. iam est extra totam latitudinem. Quæritur, an completa illa pœnitentia, vt 9. maneat peccator obligatus soluere hîc, vel in Purgatorio residuum vsque ad 15. quod erat à Deo taxatum, an vsque ad initium latitudinis, scilicet III.

vſque ad 10. Si hoc ſecundum detur, videtur ratio in oppoſitum, quia ſententia lata [illegible] totam latitudinem iuſtitiæ, non approbatur in cœlis, & ita ſtandum erit taxationi [illegible] & per conſequens ſoluet peccator vſque ad 15. Quod ſi detur, ſtat contra ratio, quia ſi fuiſſet iniuncta pœnitentia, vt 10. nil ampliùs eſſet ſoluendum, igitur ſi fuit iniuncta, & ſoluta, vt 9. nil vltra vnum, debebitur. Deinde eſſet dubium, an illa latitudo iuſtitiæ pœnitiuæ habeat locum in pœnitentia voluntariè aſſumpta, an ſolùm in iniuncta. Nam ſi in vtraque habet locum, ſequitur, quòd implens pœnitentiam voluntariam intra latitudinem dictam, etiamſi medium punctuale Dei non attingat, maneat peccator liber omnino, ac ſi fuiſſet in eodem gradu pœnitentia iniuncta, & per conſequens parum, aut nil operetur pœnitentia iniuncta virtute clauium, quantum ad liberãdum hominem à debito ex peccato contracto.

Solutio.

RESPONDETVR, quantulacunq; pœnitentia ſit à ſacerdote iniuncta, & per ipſum pœnitentem adimpleta, etiamſi totam latitudinem ſuprà tactam nõ attingat, valere ipſi pœnitenti per viam ſatisfactionis, plus, quàm ſi voluntariè eſſet aſſumpta, quia iniuncta pœnitentia nonnihil valoris habet virtute clauium, quod non habet, quando ſola voluntate pœnitentis aſſumitur: Adimpleta igitur pœnitentia voluntariè aſſumpta, ſi deficit ab ea, quam Deus taxauerat, reſiduum patietur homo in Purgatorio; adimpleta etiam pœnitentia iniuncta, quæ fuit extra totam latitudinem præaſsignatam, ſcilicet, vt 9. prout in caſu ponitur, reſiduum vſque ad pœnitentiam à Deo taxatam ſoluet ipſe pœnitens, E excepto, quòd valor iniunctæ maior ſit, quàm voluntariè aſſumptæ. Et ita nil inconuenit dicere, quòd ſi ſacerdos pœnitentiã, vt 10. iniunxiſſet, homo eam complens, eſſet omnino liber, & ſi tantùm, vt 9. pœnitentiam iniunxit, ea completa, ſoluet vſque ad 15. Itaque aliter acceptat Deus pœnitentiam intra latitudinem prædictam iniunctam; aliter verò eam, quæ latitudinem non attingit. Primam acceptat ad omnimodam remiſsionem, ſecundam verò ad remiſsionem pœnæ, prout meritum operantis, & virtus clauium exegerit. Verùm hæc tam exactè inquirere, curioſum eſt; ea autem definire periculoſum, aut temerarium eſſe videtur. Definiat, qui velit.

Diſcrimen inter valorem pœnitentiæ iniunctæ, & voluntariè aſſumptæ. Diuerſimodè acceptat Deus pœnitentiam intra prædictam latitudinem iniunctam, & quæ latitudinem eam non attingit. Sententia authoris prædictæ quæſtionis.

SOLET inſuper quæri, an ſi homo, cui pœnitentia iuſta impoſita eſt, per aliam viam Deo pro peccatis commiſsis, antequam iniunctam pœnitentiam complet, ſatisfecerit, & morte præuentus eam non compleat: An loco pœnitentiæ iniunctæ, & non adimpletæ, exigetur ab illo pœna correſpondens pœnitentię iniunctę, ita vt ob id remoretur in Purgatorio. Et dixit Adrianus, quòd ſic. Pro quo videtur ratio, quia ex quo pœnitentia illa fuit à ſacerdote rectè, & iuxta poteſtatem ſibi collatam, & claue non errante iniuncta, eius ſententia eſt in cœlis approbata, & per conſequens tenetur pœnitens illam hîc, vel in Purgatorio ſoluere. Pro quo ipſe affert exemplum. Si quis vouit ieiunare, aut eleemoſynam erogare, & violauit votum, vltra pœnam, quæ pro voti violatione ab illo exigetur, ſimul exigetur pœna correſpondens ieiunio, aut eleemoſynæ, quam vouit. Cuius ratio eſt, quia violatio voti non releuat eum à ieiunio, ſeu eleemoſyna promiſſa. F Verùm id reſpondet Adrianus in caſu, quo homo ex negligẽtia, ſeu culpa omiſit pœnitentiam, aut votum adimplere. Et certè ratio ipſa cogit, vt idem reſpondeat, caſu, quo ſine culpa fuit pœnitentiæ & voti adimpletio omiſſa. Tum, quia ſententia ſacerdotis fuit in cœlis approbata, cuius approbatio non pendebat ex omiſsione culpabili, aut inculpabili futura: Tum etiam, quia ſicut violatio voti culpabilis non releuat vouentem à ieiunio, & eleemoſyna, quam vouit, ſi complere poteſt, ita nec violatio voti inculpabilis releuat vouentem ab eodem debito, ſi complere poteſt. Si autem complere non poteſt, liber eſt à tali debito, ſiue violauerit votum ex culpa, ſiue non. Itaque impertinens eſt culpa violationis, ad hoc, vt teneatur vouens, vel non teneatur ad præfatum debitum.

Dubium. An loco pœnitẽtiæ iniunctæ & nõ impletæ, exigẽda ſit à pœnitente pœna correſpondens iniũctæ pœnitentiæ, licet alio modo Deo pro peccatis ſatisfecerit? Solutio I. Adriani affirmatiua. Ratio. In quo ſenſu procedat dicta ſolutio.

Triplex ſuppoſitio pro reſolutione dubij.

OPPOSITVM tamen videtur mihi tenendum. Pro cuius probatione ſupponetur
I. primò, quòd qui eſt in purgatorio, quamprimum fuerit purgatus à peccatis, volabit ad gloriam, idq; poſt Chriſti paſsionem, per quam regnum cœlorum apertum eſt; ſecùs ante paſsionem Chriſti, cùm non eſſet antea cœlorum regnum apertum &c.
II. Secundò ſupponitur, quòd poſsit peccator purgari in hoc ſeculo æquè bene ac in purgatorio, imò longè fructuoſiùs, atq; breuiùs, eò quòd ſatisfactioni, quæ fit in hoc ſeculo, vt plurimum eſt admixtum meritum gratiæ & gloriæ, quod non eſt admixtũ ſatisfactioni, quæ in Purgatorio ſit.
III. Tertiò ſupponitur, quòd ſit debitum ex peccato contractum, quo tenetur

peccator

A peccator pro illo satisfacere, & sit debitum ex præcepto contractum, quo tenetur homo illud adimplere, seu obseruare. Differunt autem hæc debita, quia debitum ex peccato contractum, debet solui hîc, vel in purgatorio, seu alio seculo, & ita nõ expirat per mortem debitoris. Debitum verò ex præcepto contractum, debet solui hîc, nec obligatio præceptiua se extendit ad aliud seculum, quia præcepta hominibus data, obligant eos in hac vita, ideo per mortem hominis dissoluitur præfata præceptorum obligatio. Quibus suppositis, respondetur ad dubium propositum, quòd homo, qui sine adimpleta pœnitentia iniuncta decessit, & in hac vita pro peccatis suis per aliam viam satisfecit scilicet per contritionem, & confessionem reiteratam, per feruorem charitatis, seu per alia opera meritoria charitatis, talis non detinebitur in purgatorio, nec ab eo exigetur pœna proportionata pœnitentiæ iniunctæ, & non adimpletæ. Probatur, quia vel huiusmodi pœna exigetur ab eo propter debitum ex peccato contractum, quo tenebatur pro peccatis satisfacere: Et hoc non, quia illud debitum iam soluit in hac vita sufficienter per aliam viam, vt in casu ponitur, non igitur est iustum, vt debitum semel sufficienter solutum, iterum repetatur. Non enim Deus punit bis in idipsum, nec consurget duplex tribulatio, vt ait per Nahum. Aut talis pœna exigetur in Purgatorio propter debitum ex præcepto sacerdotis contractum; & hoc non, quia debitum ex præcepto per mortem debitoris expirat, vt dictum est, igitur non apparet causa, propter quam in casu debeat exigi huiusmodi pœnitentia, correspondens pœnitentiæ iniunctæ. Nec obstat ratio suprà facta, qua arguebatur, quòd sententia arbitraria sacerdotis, si iusta sit, approbatur in cœlis. Nam hoc ideo dicitur, quia si talis pœnitentia sit intra præfatam latitudinem, Deus erit contentus, nec aliud exiget, si peccator eam compleuerit. Nec propter hoc tollitur, quin peccator Deo possit alia via satisfacere, quod si fiat, non amplius exigit Deus per viam satisfactionis.

Differentia inter debitum cõtractum ex peccato, & contractum ex præcepto.

Resolutio propositi dubij negatiua.

Probatur.

B

Soluitur ratio Adriani.

Corollarie sequitur, id quod de voto, seu promissione dicebatur, non esse verum, siue enim vouens ex culpa violauerit votum, siue non, & voto non adimpleto, in gratia decesserit, si vel in hac vita, vel in Purgatorio sufficienter à peccatis sit purgatus, non retinebitur in Purgatorio, nec ab eo exigetur pœna proportionata ieiunio, vel eleemosynæ promissæ, & non completæ. Id patet ex dictis.

Corollarium I.

Corollarie sequitur, quòd si defunctus in testamento mandauit hæredibus, vt sua debita creditoribus soluerentur, & hæredes essent negligentes, & ea non soluerent, negligentia hæredum non sufficeret, vt defunctus in Purgatorio detineretur. Patet hoc, tum ex dictis suppositionibus, tum etiam, quia culpa hæredum non debet nocere defuncto. Nam quamuis Deus soleat in hoc seculo quosdam pro peccatis aliorum punire, defunctos tamen tam in Purgatorio, quàm in inferno existentes nõ nisi pro suis propriis peccatis punit. De quibus illa sententia Dei verissimè accipitur: Filius non portabit iniquitatem patris, nec pater filij; Secùs in hoc sæculo, nam constat filium C Dauid fuisse mortuum propter peccatum patris, & tempore diluuij multos insontes periisse ob scelera aliquorum, & multos ex Ægyptiis plagas graues sustinuisse propter obstinationem Pharaonis, & propter peccatum numerationis, quod Dauid commisit, eius populum, peste diuinitùs missa, fuisse punitum, In alio autem seculo non sic.

Corollarium II. Defunctus sufficienter alioqui purgatus, nõ detinebitur in purgatorio propter hæredum suorũ negligentiam.

Ac proinde si defunctus sit illic sufficienter purgatus, non reprobabitur ampliùs in Purgatorio propter negligentiam hæredum. Nec obstat dictum Augustini dicentis: Non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum, nam procedit contra eos, qui nec actu, nec voto restitunnt, quod debent, quod in casu non contingit. Fateor tamen, quòd debita defunctorum soluere, prosit defunctis, qui in Purgatorio sunt, vt citiùs purgentur? Si tamen sint sufficienter purgati, non illis oberit negligentia hæredum, debita non soluentium &c.

Diluitur obiectio contra prædictum corollarium.

Seqvitvr ampliùs, quid dicendum in casu, quo defunctus decessit ex hac vita in gratia habitibus vitiosis plenus, an postquam soluerit pœnam pro commissis debitam detinebitur in Purgatorio, quousque paulatim habitus vitiosi expellantur, cùm constet ex scriptura, nil coinquinatum posse regnum cœlorum ingredi? Respondetur, ex dictis patere solutionem, scilicet quod si homo ille sit sufficienter hîc, vel in Purgatorio purgatus, non remorabitur ampliùs in Purgatorio, non obstantibus vitiosis habitibus, in quibus decesserat. Tum etiam patet idem de homine, qui habitibus vitiosis plenus, tandem ad Deum conuersus, pro Christo mortem sustinet, qui statim volabit ad

Corollariũ III. Homo sufficienter purgatus nõ detinebitur in purgatorio propter habitus vitiosos, in quibus decesserat. Ratio I.

gloriam, vt tenet communis Sanctorum & Ecclesiæ doctrina, nec propter habitus vitiosos remorabitur in Purgatorio. Tum etiam idem patet de Gentili vitiosis habitibus pleno, qui tandem venit ad Christum, & baptizatur, & illicò moritur, ille statim in gratia baptismali volabit ad cœlum, non obstantibus habitibus vitiosis. Pro quo etiam facit ratio, quia per habitus nec laudamur, nec vituperamur, sed per actus, nec habitus faciunt nos dignos præmio, aut supplicio, sed opera. Igitur soli habitus, quantumuis vitiosi, non sufficiunt, vt homo in Purgatorio remoretur, si homo sit iam sufficienter à peccatis per solutionem pœnæ purgatus. Nec obstat quod dictum est, nil coinquinatum intrare in gloriam. Fateor: Sed Deus cùm defunctum ad gloriam perduxerit, ipse illum ab omni scoria peccati, & habitibus vitiosis antea purificabit. Nec opus est, vt tales habitus relinquantur paulatim per naturam corrumpendi, sicut in glorificatione corporum Deus non naturam expectabit, quæ corporum membra tam dispersa reuniat, & perficiat, sed ipse Deus per se omnia necessaria faciet. D

II.

III.

Quomodo intelligendum sit illud, Nil coinquinatum intrabit in gloriam.

De pœnitentia iniuncta tẽpore, quo missa celebratur, adimpleta.

QVÆSTIO XLIIII.

An pœnitens tẽpore sacrificij Missæ possit iniũctam sibi pœnitentiam adimplere?

Sententia I. negatiua, si Missa sit alioqui præcepta.

ALIVD DVBIVM, an satisfaciat, qui tempore quo missam audit, pœnitentiam iniunctam adimplet. Sit, exempli gratia, pœnitentia iniuncta, orationes dicendæ, seu Psalmi recitandi. Et dixit Angelus verbo, feriæ. §. 46. distinguendo de missa, quam audit, quia vel est quam ex præcepto audire tenetur, vel solùm de consilio. Si secundum, nil obstat, quò minùs possit, tempore quo missa celebratur, pœnitentiam complere, & satisfacere. Si primum, non satisfaciet, nec à peccato erit immunis. Ratio, quia cùm teneatur ex casu tunc missam audire, tenetur consequenter mentis contemplationem in mysteria missæ dirigere, & ad eam attentionẽ habere: Ad id enim iussum est missas totas diebus festiuis audire. Cum hoc autem non se compatitur, vt orationes iniunctas recitet, sicuti debet. Facit pro eadem sententia cap. Ex literis. de probationibus verbo, vices. vbi Doctores dicunt, quòd vnus non possit vicem duorum gerere, maximè quando illa duo sunt incompatibilia, sicut in præsenti. Pro quo etiam facit dictum Christi: Nemo potest duobus dominis seruire, scilicet si contraria & opposita iubeant. Cùm igitur in casu confessor iusserit orationes, vel Psalmos dicere, Ecclesia verò iubeat missam attentè audire, & hæc simul incompatibilia sint, consequens est intentum. Vnde infertur, sacerdotem horas Canonicas dicentem, tempore quo missam de necessitate est auditurus, non satisfacere. E

Ratio I.

II.

III.

Resolutio affirmatiua.

Probatur I.

RESPONDETVR his non obstantibus, videri oppositum tenendum. Et probatur, quia simul se compatiuntur adimplere præceptum Ecclesiæ de audiendo missam, & preceptum confessoris de dicendis illis orationibus. Nam præceptum de missa non obligat, nisi ad assistendum eidem, non ad audiendum eam auribus, nec ad habendum attentionem ad eius mysteria, alioqui non satisfaceret huic præcepto, qui assisteret missę, quæ submissa voce dicitur, & ab astantibus non auditur, nec ille, qui in Ecclesia existens, longè à celebrante distaret, quod suppono falsum. F

II. PRAETEREA, quamuis Ecclesiæ intentio missam audiri præcipientis sit, vt fideles mentem in missæ mysteria eleuent, specialiter in passionem Christi, cuius specialis commemoratio in missa fit, hæc tamen Ecclesiæ intentio non cadit sub præcepto, sed materia ipsius præcepti, qualis est, missę celebrationi integræ adesse, de consecratione, distinctione 1. Missas totas &c. Adde, quòd actus mentis interior non cadat sub præcepto Ecclesiæ, ac proinde præcepto Ecclesiæ satisfacit homo, si intersit. Cum quo stat, quòd simul orationes & Psalmos iniunctos tunc cum debita attentione legere, & ita vtrique præcepto satisfacere possit. Et idem iudicium est de clerico horas canonicas recitante, tempore quo missæ ex præcepto interest. Et per hoc patet ad rationes prioris sententiæ, quæ procedunt in casu, quo illa plura sunt incompatibilia. Nec obstat capitul. Ex literis. de probationibus. suprà citatum, quia ex illo potiùs colligitur, quòd possit vnus vices duorum gerere, nam in causa aliqua potest vnus simul esse actor, & reus, prout textus ipse disponit.

III.

Soluuntur rationes cõtrariæ sententiæ.

HAEC

A HAEC VLTIMA sententia probatur, quia non minùs obligamur præcepto de sanctificando Sabbathum ad cessandum à seruili opere, quàm obligemur præcepto de audiendo missam ad cessandum ab alio opere spirituali, sed præceptum sanctificandi Sabbathum permisit multa alia opera, quæ ex genere sunt similia, vt trahere ouem aut bouem ex fouea, & cætera, quæ sine dispendio rerum dimitti non poterant, & pro hominis recreatione permisit lex mille passus à loco habitationis elongari, vt tradunt Doctores super illum locum Actorum 1. de monte Olíueti, quòd iter Sabbathi habeat à Hierusalem: Ergo præceptum audiendi missam non prohibet exercitium orationis, aut alterius operis spiritualis. Verùm contra posset quis obiicere: Si ita esset, quòd præceptum de missa audienda non obligaret nisi ad assistendum eidem, sequeretur quòd satisfaceret quis huiusmodi præcepto, si interesset missæ, semper tamen confabularetur, aut alia negotia profutura cum mercatoribus tractaret. Imò & idem præcepto satisfaceret, si missæ interesset, ad finem videndi mulierem pulchram, vel ob alium malum finem. Respondetur, ex quo sub præcepto Ecclesiæ non cadit intentio finalis, nec qualitas operis, sed substantia operis, non videri, quare non sit illatum concedendum. Nec inconuenit, vt quis per actum peccaminosum satisfaciat alicui præcepto, vt aliâs deduximus.

Alia probatio pro II. sententia affirmante. Matth. 12.

Obiectio.

Solutio.

B ALIVD DVBIVM, an ille, cui iniunctum est, vt vna feria sexta ieiunet, seu vt vnam missam audiat, satisfaciat ieiunando vna sexta feria, in qua alioqui tenebatur ieiunare, aut audiendo vnam missam, quam alioqui audire tenebatur. Dixit Palude, quòd non, quia nemo satisfacit soluendo, quod alioqui debitum est, nec potest quis vna solutione pluribus debitis satisfacere, vt patebit, quando de satisfactione agetur. Respondetur, aliud esse satisfacere Deo pro peccatis, aliud satisfacere præcepto. Satis fit Deo pro peccatis, quando pœnam pro peccatis debitam, peccator soluit in se, vel in æquiualenti, hîc, vel in Purgatorio. Satisfacit autem præcepto, quando id, quod sibi præceptum est, complet, in quo intentio præcipientis est attendenda potiùs quàm verba, intentio, inquam, non finalis, sed obiectiua, alioqui non satisfiet præcepto, iuxta regulam iuris: Non dubium est in legem impingere, qui verba legis amplexus, contra legis nititur voluntatem. Verba insuper præcipientis sunt accipienda secundùm communem hominum intelligentiam, vt habetur cap. Ex literis. de sponsalibus.

Aliud dubium. An si alicui iniungantur pro pœnitentia opera alioqui præcepta, possit per ea satisfacere. Sententia I. negatiua. Not. Aliud esse satisfacere Deo pro peccatis, & aliud satisfacere præcepto.

DICENDVM igitur in casu, hominem illum satisfacere Deo pro peccatis, saltem in parte, non tamen præcepto sacerdotis, qui pœnitentiam iniunxit. Primum patet, quia talia opera si iniuncta non essent, essent pro peccatis satisfactoria, & cùm per iniunctionem sacerdotis suum valorem non perdant, sequitur quòd iniuncta etiam sint pro peccatis satisfactoria. Secundum etiam patet, quia intentio sacerdotis iniungētis ieiunium vel eleemosynam, vel missæ auditionem &c. est iniungere aliud ab eo, ad quod aliâs ipse pœnitens erat obligatus, & hæc etiam est communis hominum intelligentia, igitur non C satisfacit præcepto iniuncto in casu. Excepto, nisi ipse confessor aliud exprimat scilicet, quòd sua intentio sit obligare pœnitentem, vt missam vnam audiat tali die, etiamsi sit, quam alioqui deberet audire, nam tunc missæ illius auditio satisfactoria est Deo pro peccatis, similiter & præcepto iniuncto. Et valebit illa pœnitentia sic iniuncta & completa virtute clauium vltra valorem, quem alioqui habuisset.

Resolutio affirmatiua. Probatur I.

In casu non satisfaceret talis præcepto & intentioni sacerdotis.

VNDE APERTVM est, hominem satisfacere posse per opus alioqui debitū. Apertum etiam est, posse hominem vnica solutione satisfacere pluribus debitis seu obligationibus. Quod aliis exemplis manifestum est, quia potest aliquis pluribus obligationibus teneri ad vnum & idem opus, igitur illud opus agendo satisfaciet pluribus debitis. Antecedens patet, de homine baptizato, qui ad legem Euangelicam tenetur ex lege Dei, & etiam ex promissione propria, quam in baptismo facit. Clarius exemplum est in clerico beneficiato, qui ratione beneficij seorsum tenetur ad horas Canonicas, & ratione ordinis seorsum tenetur ad easdem. Similiter de religioso, qui ratione voti tenetur ad continentiam, & ratione sacerdotij seu ordinis sacri tenetur ad eandem. Vnde sicut per omissionem vnius operis contingit hominem plura committere peccata, ita vnum & idem opus agendo, contingit hominem pluribus debitis seu obligationibus satisfacere.

Corollarium. Vnico actu pluribus præceptis quis satisfacere potest. Exemplis probatur.

ALIVD DVBIVM, an confessor debeat iniungere pœnitentiam, iuxta quantitatem delictorum commissorum. Et arguitur quòd sic, ex Apocalyp. 18. Quantum glorificauit se in deliciis, tantum date ei tormenti. Et Deuteronom. Iuxta quan-

Aliud dubium. An pœnitentia iniungi debeat iuxta quantitatem delictorum commissorum.

Argumentum pro parte affirmatiua.

titatem delicti erit plagarum modus. & Esaiæ 26. In mensura contra mensuram cùm obiecta fuerit, iudicabo eam &c. Si igitur hęc est diuina iustitia, Dei vicarius, qualis est confessor, debet in imponendo seu taxando pœnitentiam, Deum imitari &c.

Rationes pro parte negatiua.

CONTRA, quia in lege veteri debebatur pro vno peccato pœnitentia septem dierum, vt scilicet septem diebus immundi essent, & tamen Ecclesia pro vno peccato imponit pœnitentiam septem annorum. Præterea pro homicidio à laico perpetrato, imponit Ecclesia pœnitentiam septennem, & pro fornicatione à sacerdote commissa, imponit pœnitentiam decennem, cùm tamen longè grauius peccatum sit homicidium, quam fornicatio. Præterea pro effusione sanguinis Christi in altari imponitur pœnitentia quadraginta dierum, aut paulò plus, & tamen pro fornicatione simplici imponitur pœnitentia septennis, secundùm Canones, cùm tamen grauius peccatum sit sanguinis Christi effusio, quàm simplex fornicatio.

Resolutio. Discrimē inter taxationem pœnæ quam Deus facit, & eam quã Ecclesia vel confessor facere debet.

Respondetur, multùm referre inter taxationem pœnæ, quam Deus facit, & inter eam, quam Ecclesia, vel confessor facere debet. Nam in prima habetur respectus ad quantitatem culpę commissæ, Deus enim in inferno aut Purgatorio non exigit pœnã, vt à peccato committendo præseruet, sed vt commissa iustè puniantur. In taxatione autem per Ecclesiam vel confessorem facta, habetur respectus non solùm ad commissa, sed etiã ad committenda, ideo pœnitentia ab Ecclesia imposita, est non solùm curatiua, sed etiã præseruatiua à recidiua, non solùm ipsius pœnitentis, sed etiam aliorum.

I. II. *Cur aliquando pro minori peccato maior pœnitentia iniungatur varia causa.*

Et inde euenit, quòd sæpe pro minori peccato maior solet pœnitentia imponi, vel quia peccato vnius difficiliùs potest resisti, quàm peccato alterius, sicut iuueni pro fornicatione simplici maior pœnitentia iniungitur, quàm seni pro eadem. Esto quòd fornicatio in sene sit grauius peccatum, quàm in iuuene, qui vehementiùs tentatur, & plura & maiora allectiua habet ad fornicandum quàm senex.

I.

Vel quia in vno peccatum est periculosius & magis scandalosum, quàm in alio. Vt fornicatio in sacerdote vel religioso magis scandalosa est, quàm homicidium in laico, ideo maior illi pœnitentia imponitur, etiamsi eius peccatum leuius sit.

II.

Vel quia multitudo pronior est ad vnum peccatum, quàm ad aliud, quod grauius est, vnde maior pœnitentia imponitur pro primo, quàm pro alio grauiori.

III.

In casu debet cōfessor pœnitentiam taxare secundùm quantitatem delictorum.

Si tamen velit pœnitens, vt sibi imponatur pœnitentia qua possit in hoc seculo Deo plenè satisfacere, tunc sacerdos debet pœnitentiam taxare, iuxta diuinam iustitiam, vel iuxta quantitatem commissorum, attenta quantitate contritionis ipsius pœnitentis.

Ad rationes oppositas responde tur.

ET ITA patet ad rationes suprà factas. Quamuis enim sacerdos teneat vicem Dei, & eius iustitiam debeat imitari in puniendo commissa prout iudex, debet tamen præseruare à futuris, prout medicus, quia non purus iudex, sed medicus simul est constitutus.

De pœnitentia septem dierum veteris legis.

Ad illud allegatum de pœna septem dierum, quę in lege veteri imponebatur, dicendum, quòd illa pœnitentia non imponebatur tanquam expiatiua, seu satisfactoria pro peccato commisso, sed tanquam expiatiua irregularitatis legalis: Manebant enim irregulares & immundi septem diebus, quibus elapsis, ad castra & cætera officia admittebantur.

Aliud dubium. An pœnitentia iniũcta per aliũ possit adimpleri?

COROLLARIE sequitur responsio ad aliud dubium, scilicet an ille, cui pœnitentia est à sacerdote iniuncta, satisfaciat, si eam per alium compleat.

Resolutio affirmatiua quo ad satisfactionem Deo pro peccatis, non tamen satisfactionem præcepti sacerdotis pœnitentiam iniũgētis.

Respondetur, pœnitentiã per alium adimpletam, prodesse quidem ei, pro quo fit, & satisfactoriã esse Deo pro peccatis, iuxta illud Pauli ad Galat. Alter alterius onera portate. Et etiam quia charitas non minus valet apud Deum, quàm apud homines, sed apud homines valet, vt vnus pro altero possit debitum soluere, igitur etiam apud Deum valebit. Non tamen satisfacit præcepto sacerdotis ille, cui pœnitentia fuit iniuncta, eò quòd illi fuerit iniuncta non solùm vt pro commissis satisfaceret, sed vt à recidiua præseruaretur, & caro eius domaretur, & bonis operibus assuefieret, ad quæ illi non proderit pœnitentia per alium adimpleta, vt constat.

Ratio II. partis.

Inde cap. Omnis vtriusque sexus. dicitur, vt pœnitentiam iniunctam propriis viribus studeat adimplere.

Sensus II. partis datæ solutionis.

Et procedit, quãdo ipse potest per se eam complere, nec habet aliquam iustam excusationem non complendi eam, nam si hanc habeat, per alium poterit satisfacere, tam pro peccatis, quàm iniuncto præcepto, quia non est credendum, quòd intentio iniungentis fuerit, vt pœnitens per se compleret pœnitentiam, etiamsi eam commodè aut sine notabili damno complere non posset. Non enim habuit confessor intentionem, nec habere potuit, obesse pœnitenti sed prodesse.

Obiectio duplex I.

SED CONTRA obiicitur primò, quia contritio aut confessio vnius non potest alteri prodesse, igitur nec pœnitentia ab vno adimpleta proderit alteri, pro quo fit.

PRAETEREA,

A PRAETEREA, si vnus posset pro alio satisfacere, igitur quamprimum alter in se susciperet obligationem adimplendi pœnitentiam pro altero, ille alter illicò esset à debito liber, & si decederet, statim volaret ad gloriam, antequam per alterum esset adimpleta pœnitentia, alioqui si detinebitur in purgatorio, quousq; alter pro eo soluat, bis punietur pro peccato, semel ipse per se in Purgatorio, & iterum per amicum in terra. II.

RESPONDETVR non esse idem de contritione, confessione, & satisfactione, quia Deus ita statuit, vt nulli peccata quo ad culpam dimittat, nisi pœniteat & confiteatur, vt sæpe probatum est, nec reddet Deus mercedem alicui, nisi iuxta sua opera. De satisfactione verò aliud est, quia charitas id operatur, vt quod quis soluere tenetur, per alium posit soluere. Ad secundum dicendum, quòd ex quo alter pro altero se obligauit ad pœnitentiam complendam, vterque maneat obligatus, licet differenter. Primus pœnitens manet obnoxius pœnæ hîc vel in Purgatorio sustinendæ, pro à se commissis, sed conditionaliter, scilicet nisi alter pro eo soluat. Secundus manet obligatus adimplere promissum, & obligationem, quam spontè in se pro alio suscepit, de adimplendo illam pœnitentiam taxatam. Quòd si primus ante completam pœnitentiam decedat, punietur in purgatorio ob debitum suum; alter verò manebit obligatus, vt dixi, pœnitentiam susceptam hîc adimplere pro illo defuncto, quia se ad eam obligauit, et si non compleat, punietur ipse, quia omisit, quod debuit soluere. Alter verò defunctus, punietur
B in purgatorio pro suis peccatis. Et ita non sequitur, quòd bis aliquis puniatur pro eodem peccato, vt patet.

Ad I. *Ad II.* *Si quis obliget se ad complendam pœnitentiam pro altero, vterq; manet obligatus, licet diuersimodè.*

De confessione celanda.

QVÆSTIO XLV.

An confessio sit celanda, & quo item iure? Resolutio communis. Triplici iure celanda est.

IAM DE CONFESSIONE celanda superest vt aliqua inquiramus. Primò, an sit de necessitate celanda, & quo iure. Respondetur, communem omnium sententiam esse, quòd sit de necessitate salutis celanda, idque iure naturali, diuino, & humano. Naturali quidem, quia tenemur proximum non infamare, sicut nec illum, in bonis animæ, corporis, aut fortunæ lædere, quem sicut nosipsos diligere tenemur, & illi velle, quæ nobis volumus. Quod ius Christus in Euangelio explicuit dicens: Quæcunque vultis vt faciant vobis homines, hæc illis facite &c. Constat autem, nos velle famam nostram per alios non dilacerari, seu denigrari; igitur &c. *I. Naturali.* *Probatur I.* *Matth. 7.*

DEINDE præfatam confessionem reuelare est contra fidelitatem, quam seruare tenetur is, cui secretum aliquod commissum est, quale ab ipso cõfitente sacerdoti committitur. Hanc autem fidelitatem seruare de iure naturæ est, quod Scriptura sacra ex-
C plicat, dicens: Qui ambulat fraudulenter, reuelat arcana, qui fidelis est, celat amici commissum. II. *Prouerb. 11.*

DEINDE est contra promissionem tacitè à sacerdote factam, de celando secreto confessionis, non enim aliter peccator sua vitia occulta sacerdoti panderet, nisi sciret sacerdotem ad celandam huiusmodi confessionem obligari, ac proinde tacitè videtur sacerdos promittere, se celaturum, promissionem autem adimplere sicut & iuramentum, de iure naturæ est, vt leges dicunt. Nil scilicet esse naturalius, quàm pacta & promissiones hominum seruanda esse. Patet igitur confessionem de iure naturæ esse celandam. Quòd sit etiam de iure diuino celanda, hinc apparet, quia confessio ipsa est iure diuino instituta, & iussa, & per consequens hominibus necessaria; sed iure diuino tenemur non dare causam hominibus, vnde diuina instituta, & præcepta violentur, hoc enim esset scandalizare proximos, de quo dictum est à Christo: Qui scãdalizauerit vnum ex pusillis his, expedit ei, vt suspẽdatur in collo eius mola asinaria, & demergatur in profundum maris: Reuelare autem confessiones, est dare causam peccatoribus, qui famæ suæ zelatores sunt, vt non confiteantur, vt patet, igitur. III. *II. Diuino.* *Probatur I.* *Matth. 18.*

TVM ETIAM, quia Deus, qui supremus iudex est, celat & tegit peccata sacramentaliter confessa, prout dixit Psalmista: Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. Et iterum in alio Psalmo: Non congregabo conuenticula eorum de sanguinibus, nec memor ero nominum eorum per labia mea. Et ipse Dñs per II. *Psalm. 31.* *Psalm. 15.*

Ezech.13. Ezechielem dixit: Quacunq; hora ingemuerit peccator, non recordabor ampliùs peccatorum suorum. Quæ autem Deus tegit, delegatus ipsius, scilicet sacerdos detegere nõ potest, alioqui vices, & potestatem delegati videretur excedere. Quòd denique sit de iure humano celanda confessio, apertum est ex cap. Omnis vtriusque sexus. Vbi contra confessorem, confessionem, verbo, aut signo prodentem, graues pœnæ imponuntur, scilicet vt deponatur, & perpetuam agat intra monasterium pœnitentiam. Similiter de pœnitentia, distinctione 6. cap. sacerdos. idem præcipitur districtè, vt scilicet nec pro scandalo vitando possit confessor vllo modo confessionem sub grauibus pœnis ibidem contentis detegere. Et ita patet, omni iure vetitum esse sacerdotibus confessionem reuelare.

Tertiò humano. Ratio.

Dubium. An in aliquo casu liceat reuelare confessionem.

SED QVAERITVR, an supposita obligatione celandi confessionem, sit aliquando licitum eam reuelare in aliquo casu. Et tenetur communiter quòd non, quia rationes factæ vidētur in omni casu procedere. Sed in oppositum arguitur quòd liceat. Nam rationes factæ non sufficienter probant tam strictam obligationem confessionem celandi, vt in nullo casu sit licitum eam reuelare. Primò quod dicitur de fama proximi seruanda, non probat vniuersaliter intentum, quia in multis casibus licitum est peccatum occultum proximi publicare, non obstante, quòd proximus infametur, quando scilicet id necessitas pro bono publico seu priuato ipsius infamati, vel alterius, exposcit. Et de publico bono patet, nam pro illo licitum est vitam exponere, alioqui viri fortes peccarent, morti pro Republica se exponendo. De priuato bono similiter patet, quia si frater nostra correctione non vult à peccato recedere, licitum est secundùm Euangelicum præceptum, illud Ecclesiæ denuntiare, esto quòd peccatum fratris occultum sit, secundùm quod dixit Christus, si peccauerit in te frater tuus, & correctus non audierit, dic Ecclesiæ &c. Similiter si video aliquem iniustè ad mortem seu patibulum duci, ob furtum falsò cõtra illum probatum, ego sciens quis illud furtum admiserit, possum publicè, quod scio, dicere, ad finem eruendi innocentem à morte illa iniusta, iuxta illud, quod scriptum est: Erue eos, qui ducuntur ad mortem. Idque maximè, si facto possim demonstrare furtum verè commissum, vt si sciam, quòd fur verus rem furtiuam in sinu teneat absconditam, & tunc ex tali mea reuelatione manet fur ille alioqui occultus, infamatus. Similiter si homo in platea occisus appareat, & lateat quis eum occiderit, & ego solus id sciam, si à iudice sim sub iuramento interrogatus, debeo veritatem dicere, & patratorem occultum, nec de hoc aliâs infamatum, prodere. In quibus omnibus & in multis aliis debemus crimen occultum fratris detegere, quando necessitas similis postulauerit, non obstante infamia eiusdem, igitur sola fama proximo seruanda nõ sufficit, tam strictam obligationem inducere, vt in nullo casu liceat confessionem reuelare, ne scilicet proximus infametur.

Rationes supradictæ pro parte negatiua velut insufficiẽtes impugnãtur. I. Ex iure naturali.

Matth.18.

Prouer.24.

II. QVOD etiam fidelitas amico, qui secretum commisit, seruanda, tam strictam obligationem non inducat, probatur, quia in secreto nudo alicui extra confessionem commisso de iure naturæ est huiusmodi fidelitas seruanda, sicut in secreto confessionis; sed cum hoc stat, quòd tale secretum nudum possit in multis casibus prodi, vt si celatio illius secreti cedat in perniciem Reipub. vt si tractetur de comburenda ciuitate, de occidendo principe &c. aut si cedat in perniciem seu mortem iniustam alterius, aut in damnũ aliud maius, quàm sit, committentem infamare. Nam in talibus casibus non potuit homo se obligare ad illud secretum in tantam aliorum perniciem celandum, ac proinde si non potest illis malis, quæ parata sunt, obuiare, nisi prodendo secretum, nõ solùm potest, sed tenetur illud prodere. Huius exemplum habemus 2. Regum 17. de consilio, quod clàm dedit Achitophel Absaloni, contra Dauid patrem suum, quod consilium Chusai reuelari fecit ipsi Dauid, vt se & populum suum seruaret.

III. QVOD etiam promissio tacita vel expressa sacerdotis de celando confessionẽ non sufficiat tam strictam obligationem inducere, patet primò, quia stat quòd sacerdos nullo modo id promittat, nec tacitè, nec expressè, imò quòd oppositũ intendat, scilicet cõfessionem reuelare, si, & quando viderit expedire. Iam in tali casu non obstat promissio, quò minùs possit aliquando confessio reuelari. Tum etiam, quia esto quòd sacerdos id verè promiserit etiam expressè, etiam sub iuramento, non inde fit, vt sit necessarium in omni euentu talem promissionem cõplere, si promissionis, aut iuramenti adimpletio, in damnum publicum vergat, quia tunc promissio & iuramentum essent vinculum iniqui-

A iniquitatis, quod suppono falsum esse. Adde quòd promissio & iuramentum semper intelligantur adimplenda, nisi iuri seu præcepto superioris obuiauerit. Sæpe autem accidit, promissionis adimpletionem esse contra præceptum superioris. Tunc enim locum habet quod dictum est; In malè promissis rescinde fidem, in turpi voto muta decretum. Tum etiam, quia huiusmodi promissio seruandi secretum concurrit in secreto nudo; sed hoc non obstante, potest & sæpe debet tale secretum reuelari, vt ex dictis patet; igitur sola promissio sacerdotis de celanda confessione, non inducit tam strictam obligationem.

DEINDE, quod ad probandum articulũ inducebatur, scilicet id esse de iure diuino & humano, nõ sufficit ad probandam præfatam obligationem celandi confessionem in omni euentu. Nam sæpe accidit, vt necessitas compellat, aut charitas suadeat, præcepta humana & diuina positiua non adimplere. Et de præceptis ac legibus humanis non dubitatur, nam in multis casibus licitum est non ieiunare, horas Canonicas prætermittere, confessionem & Eucharistiam iuxta Pascha non suscipere, & ita de aliis multis, quorum rigor in multis casibus cessat. De præceptis etiam positiuis Dei idem patet, quia in multis casibus cessat similiter eorum rigor, vt patet de præcepto in lege dato, quo solis sacerdotibus concedebatur, panes propositionis comedere, quos tamen in necessitate comedit Dauid, cùm laicus esset. Præceptum erat de seruando Sabbathum ad literam, B & tamen commendantur Machabæi, quòd ob necessitatem in Sabbatho arma sumebant, & bellabant. In lege etiam Euangelica præceptum de corrigendo fratrem delinquentem datum est, & tamen suam habet ἐπιείκειαν & moderationem. Præceptum est etiam peccatoribus, vt sacerdotibus integrè confiteantur, & tamen in multis casibus licitum est cõfessionem dimidiare, & etiam in toto eam omittere, etiam in articulo mortis. Pro quo non solùm humanum, sed & diuinum ius currit, & ita de aliis. Dicere igitur, quòd celare confessionem, sit de iure diuino positiuo, non arguit sufficienter, quod in nullo casu licitum sit eam reuelare. Quod insuper adducebatur, Deum, qui summus iudex & sacerdos est, tegere peccata confessa, non probat præfatam obligationem tam strictam; tum quia Deum tegere peccata, non est nisi Deum nolle ea æternaliter punire, vt sancti Doctores exponunt, hoc autem impertinens est, ad hoc, vt sacerdos non possit reuelare confessionem, si viderit expedire; tum etiam, quia sicut Deus peccata illa tegit ad non puniendum ea, ita stat, quòd sacerdos ea tegat, ad non puniendum ea, & simul quòd ea detegat, ad obuiandum aliis periculis, citra omnem punitionem ipsius confitentis; tum etiam, quia tunc sequitur, quòd si Deus peccata confessa non tegat, nec sacerdos teneatur ea tegere. Cùm ergo Deus peccata eius, qui fictè confessus est, aut dimidiatè, aut cum proposito manendi in peccato, aut alium obicem ponendo, nõ tegat, sequitur, quòd nec huiusmodi cõfessiones tegere teneatur sacerdos. Tum deniq;, quia si sacerdos non absoluat ipsum pœnitentem, quia non potest, vel quia C non vult, tunc sequitur quòd sacerdos possit talem confessionem reuelare, cùm Deus talia peccata non tegat, quandoquidem sacramentaliter remissa non sunt. Quòd si ad hoc vt Deus ea tegat sufficit peccatorem esse contritum, tunc sequitur, quòd sacerdos peccata alicuius contriti extra confessionem sciens, non possit ea detegere, seu denuntiare, cùm sciat esse à Deo tecta, quæ omnia suppono falsa: Non igitur efficax est ratio illa, quæ in hoc fundatur scilicet, quòd Deus peccata confitentis tegat. Si igitur aliqua ratio habet vim ad probandam præfatam obligationem semper celandi confessionem, illa videtur probabilis, scilicet quia habita facultate reuelandi confessionem, ipsa confessio redderetur odiosa hominibus suæ famæ zelatoribus, & hac occasione homines reuocarentur seu retraherentur à confessione suorum omnium peccatorum facienda, quod in magnam iacturam spirituale cederet animarum; tum quia confessio est hominibus necessaria ad suam salutem; tum, quia etsi necessaria non foret, est valde salutaris medicina, quæ à commissis curat, & præseruat à committendis &c. Ab hac igitur tam necessaria & salutari medicina homines retrahere, est dare illis causam licentiosiùs & liberiùs peccandi, & nunquam peccatorum remissionem consequendi, quo nullum perniciosius malum posset euenire.

IIII. Ex iure diuino.

V.

VI. Ratio est solidior pro parte negatiua, scilicet quòd alioqui hominibus efficeretur odiosa confessio.

VERVM adhuc contra hoc fundamentum arguitur, quia tunc sequitur, causam, quare nunquam licitum sit confessionem reuelare, esse periculũ, quod inde euenturũ timetur, s. homines à confessione fore reuocandos, & confessionẽ inde illis odiosam

Impugnatur etiam hæc sexta ratio. *I.*

odiosam fore. Sequitur iam quòd vbi hoc periculum non timetur, possit confessio prodi, quia cessante causa, cessare debet effectus, modò autem constat, in multis casibus nō esse probabiliter timendum tale periculum, vt si confessor reuelet confessionem alteri confessori, idq; in confessione ob causam aliquam, vel necessariam, vel vtilem, scilicet ad integrè confitendum, vel vt salutare consilium peccatori confesso præbeat, idq; in casu, quo nulla prorsus habeatur credulitas, aut suspicio, quòd ille secundus confessor publicabit confessionem sibi reuelatam. Similiter non timetur tale periculum, si cōfessor reuelet cōfessionem alicui illicò morituro. Aut si reuelet eam vni existenti inter infideles, inter quos nullum ex reuelatione periculum tale timeri potest. In his igitur, & similibus casibus, quando reuelatio non prodit in publicum, nec prodire timetur, cùm ad notitiam Christianorum minimè perueniat, videtur quòd cesset præfata ratio celandi confessionem, & per consequens obligatio. D

II. SECVNDO, datur casus, in quo non minùs redditur odiosa confessio si celetur, quàm si reueletur: nec minùs reuocantur homines à confessione facienda, celando illam, quàm eam detegendo, imò periculosiùs reuocabuntur ab illa, eam celando, quàm eam reuelando, igitur in tali casu non erit ob causam prædictam necessarium eam celare. Antecedens patet, si peccator qui confitetur, est vir doctus, & magnæ apud populum æstimationis, & authoritatis, & inter alia peccata, quæ confitetur, vnum est, propositum docendi, & seminandi hoc dogma, scilicet quòd confessio non sit hominibus, sed soli Deo facienda, vt nonnulli hæretici sunt opinati, idque proponat, credens ita esse, iam facta confessione, si confessor eam celet, acquiescent homines, vt suppono, illi hæretico, & acquiescentes eius doctrinæ reuocabuntur à confessione, admissa hæresi seminata. Si autem reueletur confessio, non aliud periculum timendum erit ex hoc fundamento, quod impugnamus, nisi quòd reddetur confessio odiosa, & ab hominibus omittetur, igitur in casu celata confessione timetur periculum confessionem omittendi, simul & hæresis; ex reuelatione autem timetur solùm periculum omittendi confessionē sine hæresi &c. E

III. TERTIO, esto quòd inter multos confessores vnus reuelaret confessionem, & non alij, non inde fieret, vt confessio redderetur vniuersaliter odiosa, sed solùm illa, quæ tali confessori esset agenda, à confessione enim illi confessori agenda abstinebunt homines, non à confessione aliis viris religiosis, & bonis agenda. Vt si inter multos medicos corporales vnus sit pessimus repertus, qui soleat medicinam mortiferam infirmis applicare, esto, quòd inde curatio illius reddatur odiosa, & infirmi abhorreant illum medicum, non inde fit, vt infirmi omnes alios medicos negligant, si periti sint, & boni: Ita igitur in proposito.

IIII. QVARTO, & est confirmatio eiusdem, esto, quòd ex reuelatione confessionis sequeretur præfatum periculum, scilicet quòd homines abhorrerent confiteri sacerdotibus tempore sanitatis, non tamen inde fit, vt horreant confessionem in articulo mortis, quando scilicet est necessaria de iure diuino. Quia si quid retraheret homines à confessione ob confessionis reuelationem, maximè esset infamia, aut alia pœna temporalis, seu dedecus, qualia solent accidere, quamdiu inter homines viuitur, sed in articulo mortis magis præsumendum est, quòd homines procurabunt salutem animæ suæ, quàm infamiam, aut aliam iacturā temporalem apud homines vitare, tunc enim omnia pro animæ salute postponi solent. F

V. QVINTO, esto, quòd vniuersaliter omnes homines abstinerent à confessione etiam in articulo mortis, ne scilicet confessio eorum vnquam reuelaretur, hoc non est contra salutem animarum, eò quòd salutem possint per veram cordis contritionem consequi, nam tunc perinde est, ac si copiam non habeant idonei confessoris, vt quando quis verisimiliter timet, quòd confiteri sine scandalo suo, vel sacerdotis non possit, cessat obligatio confitendi illi, & tunc si alterius idonei copiam non habeat, satis est Deo confiteri. Et econtrà si confessio in casu non reueletur, sequitur Reipub. damnum, cuius salus absque alio remedio est periculo exposita, vt potest exemplificari in multis, & ita in casu erit necessaria reuelatio ad salutem multorum, & celatio non ita erit ad salutem necessaria, cùm sine confessione vocali possint homines saluari, igitur falsum est, quòd ex reuelatione confessionis sequatur periculum animarum, cui non possit aliter obuiari.

SEXTO,

A SEXTO, sigillum confessionis includit secretum nudum, & super illud non addit vinculum iuris naturalis, sed positiuum, scilicet sacramentale. Nam primum fit extra confessionem, & sigillatur per fidelitatem eius, cui committitur. Secundum fit in confessione sacramentali, & sigillatur per ipsam confessionem sacramentalem. Illud autem sacramentale additum supra nudum secretum pertinet ad ius positiuum, etsi diuinum. Iam arguitur, quòd licitum sit sigillum confessionis reuelare, quando scilicet necessarium est ad salutem confitentis, vel confessoris, vel communitatis, nam in tali casu cessat obligatio iuris naturalis de seruando secreto, vt suppono. Quòd autem similiter cesset obligatio positiui iuris patet, quia ob illam causam cessat obligatio confitendi etiam in articulo mortis, vt si fieri non posit confessio sine scandalo alicuius, aut sine interitu salutis alicuius, igitur ob eandem causam cessabit obligatio sigilli sacramẽtalis, cùm positiui iuris sit. VI.

POSTREMO, & est confirmatio eiusdẽ, ideo necessarium est confessionem celare, quia necessarium est confiteri, nam si necessarium non esset confiteri, nullum esset animarum periculum, si homines à confessione abstinerent. Cùm igitur in multis casibus cesset obligatio confitendi, sequitur, quòd in eisdem non currat obligatio celandi confessionem, ob hanc scilicet causam, quæ nunc examinatur. Sequela patet, quia propter quod vnumquodq; tale, & illud magis. Respondetur admisso, quòd rationes factæ ex fama proximi seruanda, & ex fidelitate, & promissione non sufficiente probent hanc tam strictam obligationem celandi in omni euentu confessionem, admisso etiam, quòd rationes factæ ex hoc, quòd talis celatio iussa sit iure positiuo, diuino, & humano, aut ex hoc, quòd Deus peccata confessa celat, idem intentum non sufficienter probent, vt ostensum est suprà, illa tamen postrema ratio videtur intentum probare. Sed pro responsione ad instantias contra hanc rationem finalem adductas, est notandum, quòd multum referat reuelare confessionem de facto, & reuelare confessionem de iure, seu licitè. Primum non fit impunè. Secundum autem sic. Primum non se ad omnes confessores extendit. Secundum autem sic. Non enim ex eo, quòd aliquis confessor prauus sit, & confessionem reuelet, ideo omnes similiter sunt praui & reuelatores confessionum. Attamen si iure esset alicui concessum in aliquo casu confessioné reuelare, cùm non potiùs id vni quàm alteri esset concessum, ideo talis licentia, vni competens, ad omnes confessores se extenderet. Inde fit, vt ex reuelatione confessionis, quæ de facto per aliquem confessorem fit, non ita timeatur probabiliter generale periculum odiendi confessionem, sicut timeretur ex concessa licentia confessionem reuelandi, nam reuelata de facto confessione per vnum, abstinebunt homines à confessione illi facienda, sed non protinus abstinebunt à confessione reliquis facienda. Si tamen omnibus esset concessa licentia reuelandi confessionem, ab omnibus vt in plurimum homines abstinerent. Et rursus, quando de facto reuelatur confessio, adest iam institutum remedium, ne periculum contra confessionem eueniat, quia scilicet qui confessioné reuelat, grauissimè per Ecclesiam punitur, & deponitur, vt ipse pro delicto puniatur, & alij Christi fideles aliis confiteri sine periculo possint. Deinde, multi sunt curati habentes inimicitias & odia cõtra suos parochianos tam mulieres, quàm viros, idq; ob multas & diuersas causas, qui vellent vindictam per fas, perq; nefas de illis sumere, si impunè possent, & si illis liceret impunè cõfessionem reuelare, multi auderent eorum, quos oderunt, confessiones reuelare, dicentes eos hæreticos esse, aut contra illos de variis criminibus testificari, idque ex eorum confessione certò se scire dicentes. Similiter clerici contra clericos, quos in confessione audiunt, solent similes inimicitias habere, & hac via possent seipsos vindicare, alios de hæresi, vel alio crimine, siue verè, siue falsò infamando dicentes, se id ex eorum confessione agnoscere. Idem possent religiosi contra religiosos facere, inter quos solet inuidia, rancor, & odium regnare. Si enim possent impunè cõfessionem reuelare, daretur iisdem via, qua possent se inuicem prodere, & accusare, quod in quantam religionis, & totius Ecclesiæ perniciem cederet, non est, qui non videat. Ideo ratio ipsa naturalis dictat, & docet, vt stante diuina institutione de confessione agenda, strictissimè seruetur præceptum de celando confessionem in omni euentu. Hanc etiam fuisse Christi institutionem, putari potest, etiamsi in scriptura apertum non sit, ideoque Ecclesia tam districtè præcepit, & sub tam graui pœna, vt confessor, nec verbo, nec signo aliquo confessionem vnquam reuelaret, in quo non tam aliquid noui instituit, quàm

Margin notes:

VII.

Resolutio quæstionis.

B — *Etsi aliæ ratiões supradictæ minus sint efficaces, sexta tamen sufficienter probat nunquam licere confessionem reuelare.*

Notandũ discrimen inter hæc duo, reuelare cõfessionem de facto, et reuelare eam de iure seu licitè.

Plurima incõmoda sequerẽtur ex concessa licẽtia reuelãdi confessionẽ.

I.

C — *Reuelanti confessionem grauissima pœna sunt constituta.*

II.

III.

IIII.

Probabile est Christum præcepisse secretum confessionis.

Respōdetur ad obiectiones contra sextā rationem magis solidam.

quàm iuris naturæ, & Dei institutum declarauit. Iam ad rationes patet responsio. Ad primam, esto, quòd ex reuelatione, quæ de facto fit, in certis casibus non timeatur periculum odiendi confessionem, vt dictum est, semper tamen esset timendum, si posset in aliquo casu licitè, & impunè reuelari. Vnde pro maiori parte homines sua occulta vitia sacerdoti confiterentur, scientes eum non posse vllo vnquam tempore audita reuelare, qui si scirent, posse sacerdotem ea reuelare, potiùs mortem subire, quàm vitam suam homini confiteri eligerent.

Ad I.

Ad II. Ad secvndam similiter respondetur, admisso, quòd celata confessione sequatur tantum aut maius incommodum, quātum sequeretur ea reuelata de facto, cum hoc tamen stat, quòd ipsa facultas, & licentia de iure reuelandi confessionem, de se sit apta nata directè, vel indirectè reddere odiosam ipsam confessionem, quæ cùm de se sit difficilis, vt reddatur hominibus amabilis, necessarium est præcludere cōfessoribus omnem huiusmodi facultatem. Et esto, quòd reuelando confessionem in casu argumenti obuietur hæresi præfatæ, attamen non est licitum illi per tale medium obuiare, scilicet per reuelationem confessionis, cùm tam strictè triplici iure prohibita sit.

Ad III. Ad tertiam patet similiter solutio, scilicet verum esse, quòd ex reuelatione, quæ fit de facto per aliquem confessorem, reuocabuntur homines à cōfessione illi facienda, non aliis. Si tamen liceret de iure, & impunè aliquando eam reuelare, iustè posset timeri periculum confessionem omnino omittendi, vt suprà est expositum, non solùm tempore sanitatis, sed etiam in articulo mortis, vt nonnullos ego agnoui, paratos potius in peccato mori, & ad infernum descendere, quàm certa vitia per se commissa, suo sacerdoti confiteri. Quod multò certiùs facerent, si scirent, sacerdotem de iure posse huiusmodi confessionem aliis reuelare. Et per hæc patet etiam ad quartam.

Ad IIII.

Ad V. Ad qvintam, si omnes confessores reuelarent confessionem de facto, aut si non omnes, saltem illi, inter quos peccator hic habitat, nullum esset huic peccatori periculum non confiteri, quia illo dato, cessaret obligatio confitendi, si alterius copiam habere non posset. Attamen si de iure, & impunè possent omnes confessores reuelare confessionem, non amota obligatione confitendi, tunc esset periculum, imò peccatū mortale non confiteri, & ita hominibus non sufficeret contritio. Ac proinde necessarium est, data facultate reuelandi confessionem, vt cesset obligatio confitendi, ne ex præfata facultate aliquod timeatur animarum periculum. Et ita patet, quòd ratio non procedat, nisi quando ob causam reuelandi confessionem cessat obligatio confitendi.

Ad VI. *Sigillum cōfessionis addit supra nudum secretum vinculum naturale.*

Ad sextam dicendum, quòd falsum sit, sigillum confessionis non addere supra sigillum nudi secreti vinculum naturale. Nam vt dictum est, stante Dei institutione de necessitate confessionis, ius naturale dictat, vt semper sigillum confessionis seruetur, quia ius naturale dictat, ne quis agat, aut dicat aliquid, vnde Christiani à Sacramento eisdem ad salutem necessario retrahantur, quale est Sacramentum cōfessionis, stante Dei institutione, quod ius naturale longè fortius est, quàm ius naturale, quod iubet seruare nudum secretum, & longè etiam maius est, quàm ius obligans ad confitendum. Sicut stante præcepto Dei iubentis aliquid fieri, quantumlibet leue sit, ius naturale dictat, illud esse inuiolabiliter obseruandum, iuxta voluntatem instituentis Dei. Itaque quanquam sit de iure positiuo confessio sacramentalis à Deo instituta, attamen stante huiusmodi institutione, naturale ius strictissimū est, vt fiat ipsa confessio, sicuti Deus iubet, & vt nemo retrahat homines ab obedientia Deo debita, qualiter retraherentur per confessionum reuelationem.

Ad VII. *Maius est vinculum celandi confessionem, quā confitendi.* *Quomodo intelligendum: Propter quod vnūquodq; tale, & illud magis.* *Occurritur cuidam obiectioni.*

Ad postremam ex dictis patet responsio, quòd maius sit vinculum celandi cōfessionem, quàm vinculum confitendi. Ac proinde quamuis posit quis confessionem ob certas causas omittere, non inde sequitur, quòd posit quis confessionem reuelare. Et quod dicitur; Propter quod vnumquodq; tale &c. procedit, quando aliquid præcisè est tale, propter aliud esse tale, quod in præsenti falsum est, quia confiteri est necessarium solùm de iure positiuo, celare autem confessionem est tale, non solùm positiuo iure, sed naturali, & humano, vt ex dictis patet. Adde, quòd multæ confessiones fiunt voluntariè sine obligatione, vt sunt illæ, quæ intra annum extra articulum necessitatis fiunt, & tamen illas necessarium est celare, sicut & eas, quæ necessitate fiunt. Itaque obligatio celandi confessionem non solum oritur ex obligatione confitendi, vt constat. Si autem velit quis dicere, sigillum confessionis nil nisi positiuum addere supra sigillum nudi secreti,

A creti,& ita sigillum confessionis prout sic, esse de iure positiuo, & per consequens non esse necessariò in omni casu seruandum, sicut nec alia, quæ sunt de iure diuino positiuo. Dicendum, imò etsi ita esset, scilicet quòd huiusmodi sigillum esset de iure positiuo, non inde fit, vt in casu possit reuelari. Nam multa sunt de iure positiuo, quæ pro semper obligant, vt quòd coniuges permaneant indissolubiliter, ita vt nunquam, quo ad vinculum, separentur, & tamen stando in sola lege naturali, posset accidere casus, in quo conueniret, coniuges separari, sicut in veteri lege ob multas causas separabantur: Similiter ius positiuum diuinum est, ne quis simul duas vxores habeat, & tamen in nullo casu licitum est duas simul habere: Ius etiam positiuum est, solùm ordinatum in sacris posse cõficere, & pœnitentes absoluere &c. & tamen in nullo casu licitum est nec de lege possibile laicum conficere, aut pœnitentem absoluere: Non igitur verum est, quòd stante lege possint in aliquo casu omnia, quæ sunt de iure positiuo diuino, licitè violari.

Quamuis esset sigillum confessiõis de iure tãtùm positiuo, ad huc tamen in nullo casu reuelari posset.

SVPEREST iam ad alia respondere, quæ suas habent contra præsentem articulum difficultates. Et arguitur, quòd in multis casibus sit licitum confessionem detegere. Quia aliquando celatio confessionis cedit in præiudicium communitatis, aliquando in præiudicium tertij, aliquando in præiudicium confitentis, aliquando in præiudicium confessoris, aliquando in præiudicium confessionis. Exemplum primi, vt si confitens confessus est, se habere propositum seminandi dogma, quod re vera est hæreticum, aut propositum occidendi principem, aut ciuitatem hostibus tradendi, aut aliquid huiusmodi, cui damno non aliter obuiari potest, quàm confessionem detegendo. Iam in casu tenetur sacerdos interitum spiritualem, aut corporalem communitatis, ex præcepto charitatis, & lege naturæ impedire. Si ergo aliter id impedire non potest, nisi reuelando confessionem, sequitur quòd teneatur eam reuelare. Nec in casu hoc videtur, habere vim illud præceptum de celando confessionem, cùm id pro charitate sit institutum: Quæ autem pro charitate singulorum instituta sunt, non debent contra charitatem boni publici militare. Adde decretum Symmachi, distinctione 83. Mortem languentibus videtur infligere, qui hanc, cùm potest, non excludit &c. Igitur in casu damnum, & interitus Reipublicæ imputabitur confessori, qui cùm obuiare possit, non obuiat.

Argumenta ad probandum in aliquibus casibus licitum esse detegere cõfessionem.

I.

B

RESPONDETVR, ex dictis patere responsionem, quia etiam in præsenti casu non licet confessionem detegere. Et si confessor potest alia via præfato damno publico obuiare, tenebitur, non tamen aperiendo confessionem, etiamsi aliter obuiare non possit; quia nemo tenetur bonum publicum procurare, aut damnum publicum impedire per media illicita, vt per mẽdacium, aut per fornicationem, aut aliud huiusmodi; tale est reuelare confessionem, quod semper illicitum est: Non enim sunt agenda mala, vt eueniant bona, nec vt maiora vitentur mala.

Solutio.

Bonum commune non est procurandum per media illicita.

ET QVOD dicitur: Mortem languentibus infligit, qui hanc, cùm potest, non excludit, procedit, quando potest de iure eam excludere, quod in præsenti locum non habet.

C

ET QVOD dicitur, quòd celare confessionem in casu, militet contra charitatem, dicendum non ita esse, imò potiùs esse contra charitatem eam prodere posse, cùm inde sequatur, vt dictum est, communis animarum iactura, & interitus. Et ita celatio confessionis non in quorundam salutem est instituta, sed in communem totius Ecclesiæ vtilitatem.

AD HVNC casum reducitur alius, scilicet si abbas ex confessione monachi, cui aliqua cura, vel officium commissum est, scit quòd eum in tali officio permanere vergat in perniciem religionis, an possit abbas illum ab officio semouere? Dicendum quòd sic, sine tamen reuelatione confessionis. Ratio, quia aliæ causæ possunt dari, quare illum ab officio remoueat, absq; hoc, quòd peccatum monachi prodat, puta si abbas solet pro nutu, & voluntate monachos à similibus officiis amouere, aut si id solet, non ob culpam commissam ipsius monachi, sed ob periculum eam committendi, si diu monachi in officio permaneant, aut quia in confessione confessus est monachus, se ad officium illud inhabilem esse, aut optare se aliis rebus studere. Itaque ex huiusmodi facto non reuelatur peccatum monachi. Quòd si videntes eum amouere, inde concipiunt monachum aliquod notabile peccatum commisisse, illis erit hæc suspicio imputanda, qui temerè, & in peiorem partem rem interpretantur. Si tamen talis sit casus, quòd nullam

Resolutio cuiusdam casus.

Ratio.

ob causam soleant monachi à talibus officiis amoueri, nisi propter commissam culpam, tunc abbas eum amouendo, facto videretur confessionem reuelare, & per consequens teneretur monachum sustinere, quousque occurreret alia causa eum amouendi. D

II. Argumentum. SECVNDO, aliquando celare confessionem, est in præiudicium alterius tertij, vt si confitens infamauit Petrum, illi falsum crimen imponendo, propter quod Petrus est ad mortem condemnatus. In tali casu, si confitens crimen suum non prodat, puta se falsò testificatum esse cōtra Petrum, videtur quòd confessor posit hoc ipsum publicare, quia licitum est pro alio facere, quod ille alius facere debuisset.

VT SI DIVES non vult patienti extremam necessitatem succurrere, possum ego de bonis diuitis tali pauperi subuenire, si aliter non possum, quia id facio, quod ille diues facere debuisset.

ET SI SIM intra onustam nauem tempore tempestatis, & Dominus mercium non velit eas in mare proiicere, cùm necessarium sit, ego potero eas proiicere, etiam eo inuito, nec illi in aliquo tenebor, quia id facio, quod ipse facere debuisset.

CVM IGITVR in casu ille confitens deberet suum crimen prodere ad finem restituendi famam Petro, quem tam iniustè damnauerat, & ad finem eruendi eundem Petrum à morte iniusta, cui ipse confitens causam declarat, & id non velit confitens facere, videtur sequi, quòd id ipsum posit facere confessor pro confitente &c. Respondetur, falsum esse fundamentum huius rationis, si vniuersaliter accipiatur, scilicet quòd vnicuique licitum sit pro alio facere, quod ille alius facere debuisset. Patet, si vxore petente à viro debitum, vir ille non reddat, non ideo erit licitum alteri in aliena vxore facere, quod maritus facere debuisset. E

Solutio.

Quomodo intelligendum sit: quod vnicuiq; licitum sit pro alio facere, quod ille alius facere debuisset.

SIMILITER si latro, aut homicida est iustè ad mortem condemnatus, non erit licitum personæ priuatæ, latronem illum à carcere fugientem suspendere, quod iudex facere debuisset.

NEC SI debitor nolit soluere debitum creditori, cùm posit, erit mihi licitum sine consensu illius, bona debitoris accipere, & creditori soluere, quod ipse debitor facere debuisset. Nec si ego debeo Petro decem, qui Ciceroni totidem debet, potero sine consensu Petri illa decem, quæ Petro debeo, soluere Ciceroni, quod Petrus facere debuisset. Et ita patet, rationem factam falso inniti fundamento, maximè in casu, quo aliquid dicere aut facere, vni homini licitum est, alteri verò illicitum, vt accedere ad fœminam, suo viro licitum est, non alieno.

SVSPENDERE criminosum & morte dignum, licitum est publicam authoritatem habenti, non alij.

RES ALIENAS, aut alteri debitas distrahere, licitum est domino earum, non alij. Ita igitur in proposito, prodere crimen falsi testimonij licitum est ei, qui falsum imposuit crimen, non confessori, qui sola via confessionis illud scit, vt patet ex dictis. Nec valent exempla de eo, qui de bonis alterius succurrit pauperi, & qui merces alienas in mare proiicit, & similia, quia tunc necessitas succurrendi excusat, non hoc, quod est alium idipsum facere debuisse. F

Obiectio. SI OBIICIAS, quòd simili modo in præsenti casu posset excusari sacerdos reuelando confessionem, ad finem saluandi innocentem à morte iniusta, quia id necessitate facit, non voluntate: Dicendum, negando consequentiam, nec esse simile, quia in aliis casibus, vbi necessitas excusat eum, qui rem alienam contrectat, non interuenit alia iactura, quàm rerum temporalium, quæ postponendæ & exponendæ sunt pro vita fratris. In præsenti verò casu ex reuelatione facta, alia lōgè maior, quàm sit famæ & rerum temporalium iactura interuenit, scilicet contemptus vniuersalis, vel vt plurimùm integræ confessionis, ideo præfata necessitas saluandi vitam innocentis, non releuat reuelantem confessionem.

Solutio.

III. Argumentum. TERTIO ad idem arguitur, quando celatio confessionis cedit in damnum corporis vel animæ confitentis, vt si Petrus ingressus est locum meretricum hora certa, in qua illi erat prohibitum illuc adire, & vltrà, ingressus ipsius fuit scandalosus, & in illa eadem hora apparuit homo alibi occisus, & propter indicia aut præsumptiones apparentissimas, puta quia Petrus erat inimicus occisi, & illi fuerat mortem comminatus, incarceratur Petrus, & ad mortem damnatur, nisi probet, in illa hora absentem fuisse à loco occisionis. Quod sciens sacerdos, & videns illum aliter à morte liberari non posse, nisi reuelet

A ueletiudici, quòd tali hora abſens in talem locum, ſcilicet meretricum ingreſſus ſit, quodque ipſe Petrus non velit hoc manifeſtare ob infamiam, quam inde incidet, reuelat ipſe ſacerdos, quod per confeſsionem ſciuerat. Iam in tali caſu celatio confeſsionis cederet in damnum vitæ corporalis ipſius confitentis. Similiter ſi confeſſor frequenter audiuit Petrum in confeſsione, in eodem præcepto perſeuerantem, nec ad monita confeſſoris reſipiſcere volentem, quem putat confeſſor errores emendaturum, & ſe correcturum, ſi ſuper eodem peccato, ab alia certa perſona redarguatur &c. iam celare confeſsionem, cedit in interitum animæ ipſius confitentis, quem ſaluare poſſet confeſſor, reuelando rem illi alij perſonæ, quæ poteſt prodeſſe & non obeſſe; igitur in huiuſmodi caſibus poterit reuelari confeſsio, quando ſcilicet cedit in ſalutem corporis aut animæ ipſorum confitentium. Maximè, quòd in huiuſmodi caſibus non videtur habere locum fundamentum ſuprà poſitum, quia per huiuſmodi reuelationes confeſsionum in talibus caſibus non reuocabuntur peccatores à confeſsione, ſed potiùs ad eam allicientur, videntes ad eorum ſalutem fore ſæpe & neceſſarium confeſsionem reuelari.

Solutio.

Neq; pro ſalute alicuius hominis ſiue corporali ſiue ſpirituali, licet cõfeſſionem reuelare.

RESPONDETVR quòd ex quo pro ſaluanda tota Republica non eſt licitum reuelare confeſsionem, à fortiori non erit licitum eam reuelare, pro ſaluanda vita vnius hominis, ſiue corporali, ſiue ſpirituali, propter fundamentum poſitum. Quia etſi accidente caſu, quo à morte liberatur confitens per reuelationem confeſsionis, in hoc ipſo gaudeat ipſe confitens, poteſt tamen accidere caſus, vt potiùs eligat mori, quàm vt crimen ſuum occultum detegatur. Et ante euentum caſus, eſt clarum, quòd data confeſſoribus facultate reuelandæ confeſsionis, de ſe ſit hoc reuocatiuum à confeſsione integra agenda. Vnde in caſu propoſito in argumento, ſi confeſſor vult occurrere damno corporali, vel ſpirituali confitentis per reuelationem confeſsionis, licentiam priùs impetret ab ipſo confitente, quam ſi dare nolit, taceat ſacerdos. Sed de hac licentia poſtea videbitur.

B

IIII. Argumentum.

QVARTO ad idem arguitur, quando celatio confeſsionis cedit in damnum corporis vel animæ ipſius confeſſoris. Exemplum, ſi confeſſor in teſtem productus, & à iudice ſuo iureiurando aſtrictus, ſe reſpõſurum ad ea ſuper quibus fuerit interrogatus &c. quo iurante, interrogat eum iudex ſuper caſu quodam, quem tamen per ſolam confeſsionem ſcit ipſe confeſſor, tunc tenetur reſpondere, quia iurauit, & non poteſt deponere falſitatem, quia peccaret mortaliter; igitur debet deponere veritatem, hanc autem non poteſt deponere, niſi reuelando confeſsionem, vt videtur; igitur. Vnde patet, quòd celatio confeſsionis in caſu cederet ipſi confeſſori in detrimentum animæ, quia ſcilicet eſſet periurus.

Confirmatio eiuſdem.

AD HVNC caſum refertur alius, ſi ſacerdos nemus aliquod fuerit ingreſſus cum aliis hominibus, qui conſpirauerunt inter ſe, vt ſacerdotem in medio nemoris occiderent, quorum alter, pœnitentia ductus, ab aliis ſegregatus, confitetur illi ſacerdoti, qui confeſsione audita, niſi retrocedat, ſcit ſe ab illis occidendum, ſed retrocedendo videtur reuelare facto cõfeſsionem, cùm nulla alia cauſa videatur ſeu appareat, quare ſacerdos deſerat in caſu ſocietatem illorum, niſi quia per confeſsionem illius agnouit coniurationem contra eum factam.

C

Reſpõdetur ad caſum priorẽ. I.

RESPONDETVR, ad caſum primum dici ſolere, quòd talis ſacerdos poſsit iurare, ſe nil de caſu illo ſcire, quia ex quo illud ſcit, vt Deus, & non vt homo, nam in audiendo confeſsionem tenet vicem Dei, poterit igitur ſine mendacio in foro hominum dicere, ſe neſcire id, quod in perſona alterius alioqui ſcit. Sicut econtrà poteſt aliquis in perſona alterius aliquid de ſe affirmare, quod in perſona propria loquens falsò affirmaret, vt quando Angelus ad Moyſem loquens dicebat in perſona Dei: Ego ſum Dominus Deus tuus. Et iterum: Ego ſum Deus patris tui Abraham, Iſaac, & Iacob. Quæ conſtat ab Angelo eſſe dicta, ſed in perſona Dei, vt dixit Stephanus, & habetur in Actibus Apoſtoloru, & Paulus in epiſtola ad Hebræos.

Exod. 3.

Actor. 7.
Ad Hebr. 2.

Oppugnatur hæc ſolutio à Scoto.

CONTRA hanc ſolutionem videtur ratio Scoti, quòd confeſſor audiat vt homo confeſsionem ſibi factam, nam eam auribus corporalibus audit, & mente humana, quæ audit, percipit, & ſcit. Quod & ipſa forma cõfeſsionis ſignificat, in qua ait peccator: Ego confiteor Deo, & beatæ Mariæ, & omnibus Sanctis, & tibi pater, me in his & illis peccaſſe, quæ forma per totam Eccleſiam eſt approbata; igitur non loquitur ad confeſſorem tanquam ad Deum, ſed tanquam ad hominem & miniſtrum Dei.

DEINDE sacerdos in persona sua absoluit, quando ait: Ego te absoluo, non in persona Dei, nam tunc non opus esset dicere: Ego authoritate Dei te absoluo, sed verè dicere posset: Ego authoritate mea te absoluo, si in persona Dei loqueretur. Sicut verè dicebat Angelus ad populum Israël: Ego eduxi te de Ægypto; Ego creaui te, &c.

PRAETEREA, si in persona Dei absolueret, non ergo posset rectè dicere: Ego authoritate Petri & Pauli mihi commissa te absoluo, esset enim blasphemare, si id in persona Dei diceretur.

POSTREMO, si in persona Dei vt Deus, & non vt homo sciret, quæ per confessionem scit, sequeretur quòd loquens extra confessionem, siue in iudicio siue extrà, dicens se scire in genere aliqua peccata committi in Repub. quæ correctione indigēt, vt scilicet corrigantur, vel vt ipse confessor consilium conueniens ab aliquo accipiat, mentiretur, nec id vllo modo dicere posset, vt homo. Extra confessionem autem non loquitur vt Deus, vt constat, sed vt homo, igitur &c.

Solutio Scoti ad prædictum casum. SCOTVS VERO dicit, quòd in casu confessor nec debeat dicere, scio, nec nescio, sed debeat tacere, & nil respondere. Et tacendo non prodit confessionem, sed tacere potiùs est de se celatiuum confessionis, quàm manifestatiuum. Quòd si inde aliqui suspicentur quod quærunt, illis imputetur, qui perperam id præsumunt, non sacerdoti tacenti. *Reiicitur.* Verùm hoc non satisfacit, quia iurauit sacerdos, se ad interrogata responsurum, ac proinde non satisfacit iuramento, si nil respondeat. E

Verior solutio eiusdem argumenti siue casus. IDEO DICENDVM, quòd confessor posit dicere in casu, se nil scire, idque sine mendacio, quia illa verba admittunt hunc sensum, scilicet nil scio super hoc ad reuelandum vobis, prout Augustinus interpretatur, quod Christus de seipso dixit, scilicet filius nescit diem iudicij, nimirum ad reuelandum hominibus.

AVT SIC interpretatur; scilicet nil scio de hoc, super quo intendis me interrogare. Et verè respondet, sicut debet, quia debet responderi ad mentem interrogātis. Mens autem interrogantis hæc debet esse, scilicet inquirere de his, quæ in foro illo tractanda sunt, & quorum cognitio ad potestatem ipsius iudicis pertinet. Modò autem, quæ in sola confessione scita sunt, non sunt de his, quæ in illo foro sunt tractanda, nec de his, quæ ad potestatem humani iudicis pertinent, vt constat, quia ad illud forum non pertinent, nisi quæ alioqui possunt in illo foro probari, & quorum testificatio seu depositio possunt ad illud forum deferri, qualia non sunt, quæ in sola confessione sciuntur. Quòd si mens iudicis sit interrogare sacerdotem, si sciat de casu proposito aliquid, etiam per cōfessionem, iam excedit potestatem sibi concessam, & non oportet ad mentem illius, quam habet, respondere, sed ad mentem, quam debet habere.

Corollarium. COROLLARIE sequitur, quòd si crimen alicuius sit omnino occultum, aut fidei alicuius sub secreto commissum, de quo nec indicia, nec clamosa insinuatio, nec semiplena probatio præcesit, interrogatus à iudice, non teneatur se prodere, si reus sit, nec reum posit prodere, qui sub secreto rem illam accepit, sed posit vterque respondere, F se nil scire, ad sensum scilicet prædictum, id est, se nil scire in hoc, quod ad forum suum pertineat. Et ita verè respondet ad mentem interrogantis; nam hæc debet esse eius mens, vt de se satis constat. Pro quo facit cap. Qualiter & quando. de accusationibus, de quo aliâs.

Respōdetur ad confirmationē, siue ad casum posteriorē. I. AD SECVNDVM casum in hoc argumento propositum dicit Scotus, quòd confessor ille posit retrocedere sine reuelatione confessionis, quia ob multas alias causas potest se à nemore diuertere, scilicet quia non bene valet, vel quia reliquit negotium cœptum in aliquo loco, quod sibi sit necessarium perficere, vel tenebatur aliquid facere, cuius nunc recordatur. Et ita illa digresio, qua sacerdos à nemore diuertit, cùm tam æquiuoca sit, non est de se manifestatiua cōfessionis, & ita poterit sacerdos curare quod sibi conuenit, diuertendo, suspicentur alij quod volunt.

II. ALITER respondet Adrianus, quòd esto nulla alia causa posset in casu dari, nisi quòd per confessionem cognouerit conspirationem contra se factam, quòd posit retrocedere & diuertere à nemore ad saluandam vitam suam. Et in casu non reuelat crimen in confessione scitum, cùm illud iam ante confessionem esset illis conspiratoribus notum, quòd si facto confessor ille aliquid confessionis reuelat, est pœnitentia & bonitas illius confitentis, hoc est enim, quod in notitiam illorum ex facto sacerdotis deducitur, scilicet quòd ille confessus sit crimen, quod contra sacerdotem parabatur.

VERVM

A Vervm hęc reſponſio procederet,ſi ratio,quare vetitum eſt confeſsionem reuelare,eſſet non infamare confitentem, qualiter in caſu non infamatur,& ideo conſequenter in caſu poteſt ſacerdos confeſsionem reuelare,quando ſcilicet huiuſmodi reuelatio cedit in laudem & bonum nomen ipſius confitentis, & nõ in eius dedecus & infamiam. Sed ſi ita eſſet,ſcilicet quòd ſolùm habendus eſſet reſpectus ad famam confitentis, certè in multis caſibus eſſet reuelanda confeſsio, ſcilicet in omnibus illis, in quibus fama proximi eſt aliis bonis poſtponenda,quod eſt contra dicta. *Oppugnatur hac ſecunda reſponſio Adriani.*

Deinde quoties aliquis confitens eſt de aliquo crimine infamatus, poſſet ſacerdos ore dicere & propalare,ſe ſcire per confeſsionem,illum pœnitentem tale & tale peccatum commiſiſſe,de quo ſcilicet eſt infamatus:Ideo dicendum, quòd nullo modo licitum ſit confeſsionem prodere,ob cauſam iam datam,quia ſcilicet inde redderetur confeſsio hominibus odioſa. Quod etiam in caſu præſenti videre licet, quia ille ſocius conſpirantium in mortem ſacerdotis grauiter doleret in caſu, ſi ſacerdos proderet aliis, quòd ipſe conſpirationẽ eidem ſacerdoti intimauiſſet,& ſi ſciuiſſet,quòd confeſſor eſſet confeſsionem reuelaturus, fortè nullo modo illi fuiſſet confeſſus, cùm ob id in odium aliorum ſociorum grauiſsimum incurrerit. Ideo conuenientior eſt reſpõſio Scoti, quòd ſi nulla alia cauſa ſubſiſtere poſsit, ob quam debeat ſacerdos in caſu à nemore diuertere, præter confeſsionem ſibi factam, potiùs deberet vltrà procedere, & ſe Deo commendare, exponendo ſe martyrio pro lege Dei ſeruanda, quæ ſtrictiſsimè iubet confeſ-
B ſionem celare. *Solidior eſt prima ſolutio Scoti.*

Qvinto ad idem arguitur. Quando celatio confeſsionis cedit in præiudicium ipſius confeſsionis, puta in fractionem ipſius,oppoſitam eius integritati, vt ſi in vno loco ſunt duo ſacerdotes nunquam inde egreſsi,& alter eorum Epiſcopum ſimoniacum illuc diuertentem in confeſsione audiuit, ſimul & eum abſoluit, quem tamen, cùm ſimoniacus eſſet, abſoluere non potuit. Deinde hic confitetur alteri ſacerdoti ſocio eiuſdem, cùm alterius copiam habere non poſsit. Iam vel talis tenetur confiteri, ſe Epiſcopum ſimoniacum abſoluiſſe, quem non potuit abſoluere,& tunc reuelat confeſſionem, vel ſi celare id oportet,dimidiat confeſsionem, quod eſt contra integritatem in eadem ſeruandam. *V. Argumentũ.*

Ad hoc facilè reſpondetur,quòd non debeat confiteri in ſpecie peccatum,quod abſoluendo ſimoniacum commiſit, quia fortius eſt vinculum celandi confeſsionem, quàm eam non dimidiandi. Nam in multis caſibus eſt dimidianda, vt ſuprà dixi,in nullo tamen reuelanda. Ideo in caſu ſatis eſt, ſi confiteatur illud peccatum in genere, dicens ſe malè & perperam adminiſtraſſe Sacramentum abſolutionis, quia hoc dicens, culpam ſuam confitetur, & confeſsionem Epiſcopi celat, vt conſtat. *Solutio.*

C

De his, qui confeſsionem celare tenentur.

QVÆSTIO XLVI.

Circa ea qvae dicta ſunt, dubitatur, quis teneatur celare confeſsionem?An ſolus cõfeſſor, cui facta eſt,an etiam alij audientes?Reſpondetur,quòd non ſolus ſacerdos,cui facta eſt,ſed quicunque alius, qui confeſsionem licitè, vel illicitè audiuit, vt ſi quis fortè confitetur per interpretem, aut ſi laicus fingit, ſe ſacerdotem eſſe, aut dolo, ſeu ex propoſito,aut à caſu audit confeſsionem, quæ confeſſori fit, omnes tales tenentur illam celare. *Quinam celare confeſsionẽ teneantur. Reſolutio. Quicunq; eam licitè vel illicitè audiuit.*

Ratio conſtat ex dictis, quia omnes illi tenentur confeſsionem celare, per quorum detectionem redderetur odioſa, & ab ea homines retraherentur, ſed ſi pœnitentes ſcirent, aliquos tales poſſe licitè confeſsionem reuelare,cùm ſciant,poſſe de facto multos ipſum confitentem audire,id timentes, non ita auderent confiteri. *Ratio.*

Si tamen confeſſor confeſsionem alicui reuelaret extra confeſsionem, ſiue occultè,ſiue publicè ſine licentia confitentis, ille alius, an teneatur celare auditum, ſicut & ipſe confitens? Crederem quòd non, quia ille non per viam confeſsionis illud ſciuit ex caſu. *Reſolutio caſus cuiuſdam.*

De his, quæ á confessore celanda sunt.

QVÆSTIO XLVII.

An non solùm peccata, sed etiam omnia alia in confessione audita, celãda sint.

Sententia communis.

Omnia illa celanda sunt, ex quorum reuelatione redderetur odiosa cõfessio.

ALIVD DVBIVM, quæ sunt ea, quæ necessariò celanda sunt? An scilicet sola peccata confessa, an reliqua omnia etiam non peccata in confessione audita? Respondetur quòd vniuersaliter illa omnia necessariò celanda sint, per quorum detectionem redderetur onerosa, seu odiosa ipsa confessio, & quia ex reuelatione peccatorum, & circumstantiarum, & complicum redderetur odiosa confessio, ideo omnia illa cadunt sub sigillo confessionis. Inde etiam fit, vt aliquando sub eodem sigillo cadat virtus & bonitas ipsius confitentis cognita per confessionem, vt si sacerdos aliis videntibus duas mulieres audiuit in cõfessione, & coram astantibus volens alteram commendare, dicit eam esse castam & virginem. Quod cùm de vna affirmet, & non de altera, secundùm communem hominum intelligentiam significat, illam alteram non esse talem, iuxta cap. Nonne. de præsumptionibus.

Conclusio I.

SED PRO maiori huius dubij explicatione, pono aliqua dicta. Primum. Licitum est ob causam in publico, vel aliâs reuelare cõfessionem, id est, peccata in confessione scita prodere, non prodendo personam directè, vel indirectè, vbi & quãdo nullum subsequatur scandalum. Vt si confessor cõmunicat alicui casum, quem in confessione cognouit, ad finem sciendi, an sit reseruatus, vel non, an sit mortale, vel non, & quæ pro illo sit pœnitentia imponenda, vt habetur cap. Officij. de pœnitentiis & remiss.

Conclusio II.

AVT SI prædicator dicat in genere, peccata talia, vel talia cõmitti, ad finem notificandi audientibus, opus illud vetitum esse & perniciosum, & ab hominibus vitandum.

SECVNDVM dictum. Licitum est reuelare, hoc est in publico, vel occulto dicere in genere, peccata per confessionem cognita, etiam personam seu cõfitentem exprimendo. Vt si confessor dicat de Petro: Petrus confessus est sua peccata, quia sic dicendo, nec Petrum infamat, nec confessionem odiosam reddit, cùm omnes sciant, neminem confiteri debere, nisi peccata, quodq; non sit, qui à peccatis sit prorsus immunis, nõ enim est homo qui non peccet. Et si dixerimus, quòd peccatum non habemus, nosmetipsos seducimus, vt ait beatus Ioannes. Inde patet, esse licitum cõfessori dicere de Petro: Petrus confessus est sua peccata venialia, modò per hoc non significet, Petrum confessum mortalium omisisse.

3. Regum 8.

In Canon. ca. 1.

Conclusio III.

TERTIVM dictum. Licitum est confessori peccatum in particulari simul & personam confitentem dicere, si peccatum tale alioqui publicum est, & omnibus notum. Vt si dicat de publica meretrice, quòd confessa sit turpitudinem suam, & de publico homicida, quòd confessus sit homicidium. In quo duo significat confessor, scilicet Petrum esse cõfessum, & Petrum esse homicidam. Et primum est occultum, cuius reuelatio cedit in laudem ipsius confitentis. Secundum est publicum, etiam ante confessionem auditam. Ideo per hoc non dicitur confessor reuelare confessionem, quia nõ dicitur reuelari, nisi quod priùs occultũ erat, quod in casu non accidit. Huius dicti ratio aperta est, quia tale dictum cõfessoris, nec est infamatiuum cõfitentis, nec reddit confessionem odiosam.

Limitatio dictarum conclusionum.

SI TAMEN inde timetur scandalum, tenebitur cõfessor silere: Quod quia vt plurimum timetur ex similibus dictis, satius est tacere, nisi fortè aliqua necessitas cogat.

Dubium.

An etiam pctã cõmittenda cõfessa cadãt sub sigillo cõfessiõis.

ALIVD DVBIVM, An sub sigillo confessionis cadat peccatum committendum, quod peccator confessus est, sicut & peccatum commissum. Et dixerunt multi, & in scriptis reliquerunt, quòd non, sed quòd talia peccata possit confessor ob causam reuelare.

Rationes partis negatiuæ. I.

PRO QVA sententia facit, quòd Deus illa peccata cõfessa non tegat, quamdiu sunt in proposito confitentis, igitur nec sacerdos debet ea tegere. Tum etiam, quia talis confessio non est sacramentalis, eò quòd cõfessio sacramentalis debeat esse lachrymosa, id est, ex cordis pœnitentia procedens, qualiter non procedit confessio prædicta, cùm pœnitentia cordis sit præterita mala plangere, & plangenda iterum nõ committere: In casu autem deest huiusmodi pœnitentia. Tum etiam, quia Sacramentum non in confessione consistit, sed in absolutione: In casu autem præsenti talis confitens nec absoluitur, nec absolui potest, igitur eius confessio sacramentalis non est.

II.

III.

RESPON-

A RESPONDETVR cum aliis communiter loquentibus, quòd sub sigillo confessionis cadant non solùm commissa, sed etiam committenda cõfessa. Quia cùm ad integritatem confessionis pertineat confiteri non solùm quę præterierunt, sed etiam propositum habitum ea postmodum comittendi, si esset sacerdoti cõcessa facultas, huiusmodi proposita reuelandi, nõ dubium, quin daretur occasio, vt vel confessio dimitteretur, vel saltem dimidiaretur. Tum etiam, quia etsi talia peccata sint postea in re committenda, iam tamen sunt in voluntate commissa, igitur celanda sunt, sicut & reliqua commissa, seu præterita. *Resolutio affirmatiua. Probatur I. II.*

NEC OBSTANT rationes in oppositum factæ, quia confessio hæc sacramentalis est, ad quod nec necessarium est confessionem ex vera cordis pœnitentia procedere, nec Deum peccata sic confessa tegere. Id patet, quia tunc confessio fictè facta cum subsequente absolutione, nõ esset sacramentalis, sed posset ob causam reuelari, quod est contra communem sententiam. Et sequela patet, quia nec ex vera cordis pœnitentia procedit, nec Deus illa peccata tegit. *Soluuntur rationes pro parte negatiua adducta.*

DEINDE, vt sacramentalis sit confessio facta, non est necessarium, vt confitens absoluatur sacramentaliter, quia tunc si confessor nõ absolueret confitentem, eò quòd confessio nondum sit perfecta, vel quia vult super casu aliquo confessor alium consulere, vel ob aliquam causam, seu pro voluntate absolutionem differre, vel negare, seque- *Quòd sit confessio sacramentalis. Sententia I.*
B retur quòd tunc non esset sacramentalis huiusmodi confessio, & per consequens posset ob causam reuelari, quod iterum suppono falsum.

NEC ETIAM videtur dici sacramentalis confessio, quia peccator poterit postea ab illis peccatis sacramẽtaliter absolui absq; hoc, quòd eorum confessionem reiteret; nam tunc si peccator in via narret sacerdoti vitam suam, sicut qui historiam narrat, qualiter eam narraret alteri nõ sacerdoti, esset dicenda huiusmodi narratio, confessio sacramentalis, quia absq; repetitione huiusmodi narrationis potest talis peccator postea ab illo sacerdote sacramentaliter absolui per hoc solum, quòd ille peccator postea contritus, fateatur se reũ esse in omnibus, quæ illi prænarrauerat, etiamsi confessionẽ non reiteret. *II.*

IDEO VIDETVR ad præsens illa confessio dicenda sacramentalis, quæ fit à peccatore in recognitionem suæ culpæ, & sacerdoti, quatenus iudex est in foro pœnitentiali, seu quatenus tenet vicem Christi, & cum spe veniæ seu absolutionis à sacerdote illo impetrandæ. Nam hæc est confessio, quæ iure diuino & humano nobis præcepta est, in cuius præceptione, fundatur necessitas celandi in omni euentu confessionẽ. Hæc etiam est, à qua si homines reuocentur, periculosum est, & perniciosum. Cùm igitur talis sit confessio, qua quis commissa & cõmittenda confitetur alicui sacerdoti, quatenus Christi vicarius est, & iudex ipsius confitentis, sequitur illam sacramentalem esse, & necessariò celandam. Et quamuis qui confitetur, spem veniæ illicò impetrandæ non habeat, sed postea, nihilominus erit sacramentalis. Imò etsi non habeat spem illicò, vel postea re- *III. Verior.*
C missionem à sacerdote impetrandi, modò confessionem illam faciat animo adimplendi præceptum Dei aut Ecclesiæ, de integrè confitendo, videtur confessio sacramentalis, & per consequens celanda.

COROLLARIE sequitur, quòd si peccator confiteatur Episcopo, se sæpe & vehementer tentari ad occidendum ipsum Episcopum, quodq; nondum animum occidendi eum deposuerit, Episcopus ille non possit directè, nec indirectè ante occisionem attentatam arma & alias defensiones parare, si sit verisimile, quòd inde prodetur confessio, quia fortè alij, qui Episcopum ita parari viderint, suspicabuntur, priùs ipsum confitentem necem Episcopi procurare, & ita firmabuntur in sua opinione. Sed tamen pro hoc, & aliis similibus casibus, quando facta, seu verba confessoris ęquiuoca sunt, & possunt ob diuersas causas fieri citra cognitionem per confessionem habitam, poterit confessor illis factis æquiuocis vti pro bono Reipub. & suo, & proximi. *Corollarium I.*

SEQVITVR vltrà, quòd si quis sit excommunicatus, populo nesciente, & sacerdote id per confessionem cognoscente, non debeat confessor illum excommunicatum vitare, nec in publico, nec in occulto. Ratio clara est, quia quamuis vitando illum in occulto non reuelet confessionem, attamẽ reddit eam odiosam, & onerosam. Vnde videns peccator, se à sacerdote etiam in occulto vitari, cum id cedat sibi in pœnam & cõfusionem, quã sine confessione non fuisset passus, verisimile est, quòd à confessione simili reuocabitur. Itaque confessor audita confessione, ita se postmodum habere debet, ac si nil per *II. Corollariũ. Ratio.*

confessionem illam cognouisset. Nec obstat cap. Cùm non ab homine. de sententia excommunicationis. vbi dicitur, quòd qui scit in occulto, aliquẽ esse excommunicatum, debeat in occulto eum vitare, quia textus ille non se extendit ad casum præsentem, sed loquitur, quando extra confessionem, aut aliter cognoscitur excommunicatus. D

Corollariũ. III. INDE VLTRA videtur sequi, quòd peracta confessione, & absolutione impensa, non possit confessor etiam in occulto exprobrare illi confitenti peccata confessa, vel eum reprehendere, nec de illis cum illo confabulari, nisi de consensu ipsius pœnitentis. Ratio, quia quamuis non sit hoc prodere, seu reuelare confessionem, est tamen eam onerosam facere & odiosam, cùm omnibus molestum sit, sua peccata, quæ in confessione detexerunt, extra confessionem per ipsum confessorem significari, tam in publico, quàm in occulto. Quanquam Adrianus in his duobus casibus non reputat inconueniens, oppositum dicere & tenere, vt confessor vitet in occulto eum, quem per confessionem scit esse excommunicatum, & quòd confessor, peracta cõfessione, extra confessionem reprehendat confessum de peccatis confessis, idque si viderit illi confitenti profuturum; nec in hoc dicitur confessionem prodere, aut reuelare, in quo taxat Scotum, oppositum cum suprà dictis tenentem. Verùm cùm ratio potissima, quare sit necessarium celare confessionem sit, ne reddatur odiosa & onerosa hominibus, quicquid faciet eam similiter odiosam & onerosam, erit similiter vitandum. Alioqui peccabit confessor, quamuis non peccet contra præceptum de celanda confessione, nec incidat pœnas contra reuelantes statutas. E

Adriani sententia contra II. & III. Corollariũ.

Reiicitur.

IIII. *Corollarium.* SEQVITVR ampliùs, quòd, si duo volunt in facie Ecclesiæ contrahere, inter quos est impedimentum, quod est à curato per confessionem cognitum, vt quòd frater sponsi cognouerit illam, quam ducere vult, non possit tale impedimentum dicere in publico nec in occulto, nec debeat abstinere à celebrandis, seu benedicendis nuptiis illis, cùm nullam habeat causam legitimam abstinendi ab vsu sui officij in casu. Nec obstat, quòd videtur cooperari ad actum lege diuina damnatum, scilicet vt illi alioqui impediti, coniugium contrahant: Nam nõ id facit sacerdos voluntate, sed necessitate, vt scilicet scandalum vitet, & confessionem non prodat. Nec in casu cooperatur ad actum, qui de se est illicitus ex circumstantia, quæ tamen latet, & quam publicare non licet. Sicut etiam potest curatus Eucharistiam ministrare subdito, publicè cum aliis eam petenti, etiamsi sciat, eum in peccato mortali, sed occulto esse.

Diluitur quadam obiectio.

V. *Corollarium.* SEQVITVR iam, iniquum esse mandatum, quod dicuntur nonnulli inquisitores dedisse de manifestanda seu denuntianda hęresi, qualitercunq; scita, etiam per viam confessionis, aut secretæ commissionis, &c. Iniquum etiam esset, tali mãdato parere, saltem si non aliter hæresis illa sciretur, quàm per confessionem, siue sit hæresis præterita, siue seminanda.

Aliud dubium. An sublata necessitate confitẽdi, cesset etiam obligatio eam celandi, atque adeò liceat in aliquo casu eas reuelare confessiones, quæ absq; necessitate fiunt? Rationes affirmantes.

SED ADHVC superest scrupulus, quia vt videtur, ideo celanda est confessio, ne homines à confessione sibi necessaria retrahantur, sequitur hinc, quòd si confessionis necessitas cessaret, ex consequenti cessaret obligatio, tam strictè eam celandi, nam semota necessitate confitendi, non esset periculum animarum, si homines à confessione agenda abstinerent, cùm alioqui sufficeret eis, Deo confiteri. Et si sic, sequitur, quòd illas confessiones esset in casu aliquo licitum reuelare, quas homines sine necessitate, seu sola voluntate faciunt: Quales sunt, quas faciunt extra articulum necessitatis, & extra tempus ab Ecclesia statutum: Quales etiam sunt, quas faciunt aliqui per scriptum, aut per interpretem, & quas aliqui ex deuotione pluribus simul sacerdotibus faciunt, aut vni, coram tamen aliquo alio, qui adiuuet sacerdotem ad iudicandum inter lepram & lepram, inter reseruata & non reseruata. Nam ad confessiones taliter factas, nulla compellit necessitas, sed sola mouet voluntas, vt suprà diximus, à quibus si homines abstineant, nullum videtur animarum periculum. Sicut nullum est animarum periculum, homines non ingredi religionem, quod de consilio est, non de necessitate. F

I.

II. TVM ETIAM, quia videtur in casu licitum, reuocare homines à confessione facienda, non solùm extra tempus ab Ecclesia statutum, sed etiam in ipso tempore, scilicet in Quadragesima, imò & in tempore, quo est homo positus in articulo mortis. Vt si necessitas compellat pugnare pro Reip. defensione, aut nauem dirigere & exonerare pro salute eorum, qui in ea existunt, & in aliis similibus, suadendum est, vt illo tempore homines

A hominès à confeſsione ceſſent,ſi,quæ ad vitam neceſſaria ſunt, per confeſsionem illam impediantur. Igitur ſi in multis caſibus licitum eſt directè homines à confeſsione reuocare, non erit illicitum reuelare confeſsionem, ob id ſcilicet, quòd ex tali reuelatione detur occaſio,vt homines à confeſsione reuocentur.

Reſolutio negatiua. Probatur.

RESPONDETVR, quòd non ſolùm neceſſarium ſit confeſsionem celare propter neceſsitatem confitendi; nam ad committendum alteri ſecretum nudum nulla compellit neceſsitas, ſi tamen alicui committatur, neceſſarium eſt ei, cui tale ſecretum commiſſum eſt, illud celare, & non detegere. Ita etſi ſæpe homines voluntariè confiteantur abſque aliqua neceſsitate,eſt tamen neceſſarium confeſſori, ipſam confeſsionem celare,idque multò ſtrictiùs,quàm ſi eſſet ſecretum nudum confeſſori commiſſum.

VNDE ETSI omnino eſſet ſublata neceſsitas vocaliter confitendi, ſuppoſita tamen vtilitate ipſius confeſsionis,adhuc eſſet neceſſariò celanda confeſsio.Quia non ſolùm illicitum eſt per confeſsionis reuelationem dare occaſionem hominibus,vt à confeſsione ſibi neceſſaria abſtineant, ſed etiam, vt confeſsionem, quæ tam ſalutare remedium eſt ad curandum commiſſa, & præſeruandum à recidiua, homines abhorreant, etiã eo tempore, quo confeſsio vtiliſsima hominibus foret. Et ad id datur occaſio,conceſſa licentia confeſsionem reuelandi. Et per hoc patet ad rationes antè factas: Reuocare enim homines à confeſsione directè, eo tempore, quo neceſsitas aliis rebus ſeu

Soluuntur rationes oppoſitæ.

B actionibus inſiſtere cogit, non eſt reuocare homines à confeſsione,pro tunc illis neceſſaria aut vtili. nam in tali caſu poſtponenda eſſet confeſsio. Reuelare autem confeſsionem, de ſe dat occaſionem, vt confeſsio ſiue quando eſt neceſſaria, ſiue quando ſalutaris,prætermittatur,& hoc eſt illicitum.Sicut eſto,quòd confeſsio eſſet quidem vtilis,ſed non neceſſaria, & aliquis diſſuaderet eam omnibus, ne ſcilicet vllo vnquam tempore confiterentur,certè peccaret mortaliter,vt conſtat,ſicut qui diſſuaderet hominibus,ne vllo vnquam tempore opera conſilij facerent, abſque dubio peccaret mortaliter.

De diſpenſatione ſuper confeßione reuelanda.

QVÆSTIO XLVIII.

An Papa diſpẽſare poßit cum aliquo ſacerdote, vt auditam reuelet confeßionem? Rationes affirmantes.

ALIVD DVBIVM, an poſsit Papa diſpenſare cum confeſſore, vt poſsit reuelare confeſsionem. Et arguitur pro parte affirmatiua primò, quia poteſt diſpenſare in præcepto de confitendo, ſaltem ſemel in anno; igitur etiam in præcepto de celanda confeſsione,quandoquidem qui poteſt remouere prius, poteſt ex conſequenti remouere poſterius.

SECVNDO, poteſt Papa diſpenſare in voto & iuramento, vt patet ex eorum titulis, non obſtante, quòd ſit de iure diuino, ſeruare votum & iuramentum, I. II.
C igitur etiam poteſt diſpenſare in præcepto de celanda confeſsione, eſto quòd ſit de iure diuino.

TERTIO, poteſt Papa diſpenſare in gradibus conſanguinitatis iure diuino prohibitis,vt quòd poſsit vir ſucceſsiuè duas ſorores in cõiuges accipere, quòd poſsit patruus cum amita contrahere, & ita in aliis gradibus, quod tamen conſtat in Leuitico eſſe iure diuino prohibitum. III. *Leuit. 20.*

QVARTO,non obſtante,quòd iure diuino vir teneatur debitum reddere vxori poſtulanti,& eam nõ defraudare,prout Paulus docet, poteſt tamen Papa cum viro diſpenſare, vt poſsit cum cruce ſignatis in terram ſanctam peregrinari, etiam non habito conſenſu vxoris,vt habetur c.Ex multa.de voto,& voti redemptione.Similiter poteſt diſpenſare cum coniuge, ne debitum perſoluat ob ægritudinem, non obſtante iure diuino in oppoſitum,igitur etiam in præſenti caſu poterit diſpenſare,vt confeſſor poſsit reuelare. IIII. *1. Corinth. 7.*

Reſolutio negatiua. Probatur I.

HIS NON obſtantibus tenenda eſt oppoſita ſententia,ſcilicet quòd Papa non poſſit diſpenſare cum confeſſore,vt reuelet confeſsionẽ. Et probatur,quia Papa non poteſt diſſoluere, quod iure naturæ, & diuino eſt inſtitutum, quale eſt confeſsionem in omni euentu celare.Id patet,quia,vt ait Paulus, non eſt data poteſtas Papæ ad deſtructionem, ſed ad ædificationẽ.Et quod à Deo inſtitutum eſt,per homines diſſolui non debet. Vnde & Vrbanus Papa dixit,diuina mandata ſeu inſtituta,vſque ad ſanguinem eſſe defendenda,& non violanda,conſtat autem, confeſsionem omni iure eſſe celandam. *1. Corinth. 10.*

SECVNDO,

II. Secundo, non poteſt Papa diſpenſare in præcepto de baptiſmo, aut de confeſſione facienda, ſaltem tempore neceſsitatis, quando de iure diuino tenetur homo confiteri; igitur nec poteſt diſpenſare in præcepto de celanda confeſsione. Conſequentia patet à minori, quia maior eſt obligatio celandi confeſsionem, quàm ſit obligatio confitendi, vt ex ſæpe dictis patet. D

III. Tertio, non poteſt Papa diſpenſare in præcepto de vitando ſcandalo; igitur nec in præcepto celandi confeſsionem. Nam non minus, imò maius eſt vinculum celandi confeſsionem, quàm ſit vinculum vitandi ſcandalum, prout colligitur ex capitul. Sacerdotes. de pœnitentia, diſtinct. 6. vbi dicitur, quòd nullo vnquam tempore aut caſu licitum ſit confeſsionem detegere, etiam pro vitando ſcandalo: Qui autem non poteſt in minus, nec poterit in maius, iuxta regulam iuris; Si vinco vincentem te, à fortiori vincam te.

Ad rationes contrarias respondetur.

Ad I. Ad rationes priores reſpondetur, conceſſo quòd poſsit Papa diſpenſare in præcepto de confitendo ſemel in anno, non valere conſequentiam. Quia præceptum de ſemel in anno eſt humanum, ex voluntate Pontificum procedens; quæ autem ex humana voluntate proficiſcuntur, per voluntatem humanam poſſunt diſſolui, iuxta regulam iuris: Res per quas cauſas naſcitur, per eaſdem diſſoluitur.

Ad II. *Papa diſpenſare poteſt in votis & iuramentis, ſed non in caſu propoſito.*

Ad secundam fateor, quòd poſsit Papa diſpenſare in votis & iuramentis, non obſtante quòd obligent ad ſui obſeruantiam de iure diuino, ſed non inde ſequitur, quòd poſsit in caſu præſenti diſpenſare. *Ratio.* Ratio eſt, quia ſunt obligationes, quæ ex humana voluntate naſcuntur, vt ſunt obligationes voti & iuramenti, quæ oriuntur ex animo vouentis, iurantis, aut promittentis. *Duplicis generis obligationes.* I. *Vouens aut iurans eatenus obligatur, quatenus ſe ad id obligare intendit.* In tantum enim obligatur qui vouet, iurat, aut promittit, in quantum ſe ad id obligare intendit. Vnde fit, vt ſi quis doloſè iuret, voueat, aut promittat, nulla inde naſcatur obligatio in conſcientia, niſi in fraudem ſeu damnum alterius factum ſit votum, iuramentum, ſeu promiſsio, quia tenebitur is, qui doloſè iurauit, aut promiſit, ad reſarciendum damnum ſua culpa alteri illatum. *Error quorundam.* Ac proinde falluntur, qui dicunt, quòd obligatio iuramenti naſcatur ex deliberata verborum atteſtatione, etiamſi animus ſe obligandi defuerit. E Aliæ ſunt obligationes, quæ habent ortum ex diuina voluntate, ad quas tenentur homines inuiti, vt ſunt obligationes præceptorum Decalogi & aliorum, quæ Deus per ſe iuſsit, non expectata hominis voluntate. II. *Papa in priori genere obligationum diſpenſare poteſt.* Tunc dico, quòd in prioribus obligationibus, quæ ex humana voluntate profectæ ſunt, poſsit Papa diſpenſare, non tamen in his, quæ ex diuina voluntate oriuntur. Ratio eſt clara, tum quia quando homines per votum, aut iuramentum, ſeu promiſsionem ad aliquid ſe obligant, id intelligitur, excepta authoritate ſuperioris: Tum etiam, quia voluntas humana eſt obliquabilis ab eo, quod rectum eſt. Vnde accidit, hominem incautè ſæpe iurare aut vouere, ac proinde iuſtum eſt, vt inferiorum voluntates alicui ſuperiori ſubiiciantur, per cuius voluntatem inferiorum voluntas reguletur & dirigatur. Inde patribus conceſſa eſt facultas irritandi vota per filios emiſſa; & viris ſimiliter diſſoluendi vota per vxores emiſſa; Ita etiam & Papæ conceſſa eſt facultas in votis & iuramentis diſpenſandi ob cauſam iuſtam occurrentem, vt patet ex titulo de voto cap. Magnæ &c. Sed indignum eſt, & abſurdum dicere, quòd voluntas Dei obliquabilis ſit, quodque hominum voluntati ſubiiciatur; *Non autem in poſteriori.* ideo nec dicendum eſt, quòd Papa poſsit obligationes, quæ ex diuina voluntate ſunt ortæ, diſſoluere aut limitare, quamuis eas poſsit declarare. F *Soluitur obiectio.* Nec obſtat, ſi quis obiiciat, matrimonium habere ortum ex voluntate contrahentium, & nihilominùs Papam non poſſe in eo diſpenſare, ita vt poſsint, qui legitimè contraxerunt, quo ad vinculum ſeparari: Id, inquam, non obſtat, quia hunc caſum Deus ſibi ſoli in lege Euangelica reſeruauit, de quo aliâs.

Ad III. Ad tertiam dicendum, admiſſo quòd Papa diſpenſare poſsit, vt in gradibus lege diuina prohibitis aliqui contrahant, nil contra concluſionem propoſitam; quia lex illa Leuitica, in qua prohibitum eſt coniugium in gradibus illic contentis, erat iudicialis, ideo ceſſauit cum cæteris præceptis legis veteris iudicialibus & cæremonialibus, exceptis gradibus in linea recta aſcendentium & deſcendentium.

Ad IIII. *Papa in multis caſibus non diſpenſat propriè, ſed declarat quid fieri debeat aut poſsit.*

Ad quartam dicendũ, ꝙ in illis caſibus Papa ꝓpriè nõ diſpenſet, ſed declaret, quid fieri debeat, aut poſsit. Nã in c. Ex multa, nõ ponitur verbũ diſpenſationis, nec caſus talis eſt, qui diſpenſatione indigeat, quia in fauorẽ fidei viros cruce ſignatos vxores ad tẽpus relinquere,

A relinquere,& in subsidium terræ sanctæ adire, non est qui dubitet esse licitum, modò viri huiusmodi, tales sint, qui ad præfatum finem possint armis, aut consilio prodesse. Similiter si infirmitas coniugis talis sit, vt si alteri coniugi commisceatur, timeatur verisimiliter periculum mortis, aut aliud notabile damnum, quod alioqui vitandum sit, possit Papa declarare illum liberum esse à debito persoluendi, nec opus sit tunc dispensatione. Et quòd in his, quæ sunt de iure naturali aut diuino, Papæ non sit concessa facultas dispensandi, sed declarandi, seu iudicandi, vbi aliquod dubium occurrit, patet ex Deuteron. 17. vbi dicitur: Si difficile, & ambiguum apud te iudicium esse perspexeris inter sanguinem & sanguinem, causam & causam, lepram & non lepram, & iudicium intra portas tuas videris variari, surge, & ascende ad locum, quem elegerit tibi Dominus, veniesque ad sacerdotes Leuitici generis, & ad iudicem, qui fuerit illo tempore, quæresque ab eis, qui indicabunt tibi iudicij veritatem, & facies quodcunque dixerint & docuerint te iuxta legem eius. Ex quibus verbis apparet, quòd Pontifici concessa sit potestas declarandi in casu dubij, quid tenendum sit, aut agendum, quod longè differt à potestate dispensandi. Ac proinde non satis pertinenter citatur hic textus ad probandum, posse Papam in dubiis super iure naturæ aut diuino dispensare, & multò minùs, si dubitatio ipsa sit, an Papa possit dispensare in aliquo nécne. Nam si super hoc variè sentiunt Doctores, ita vt re hinc inde perspecta, maneat res æquè dubia, si Papa dispenset, peccat, exponens se periculo agendi, quod non potest, & dispensatus non erit tutus dispensatione vtens, nisi per conscientiam inuincibilem excusetur, vt si putet inuincibiliter, quòd Papa non dispensasset, nisi fuisset sufficienter instructus, se posse dispensare. Quam præsumptionem rationabiliter habere seu formare poterunt simplices, interim dum illis de contrario non constat. Si enim Papa posset dispēsare, quoties esset probabile dubium, an posset dispensare, nunquam esset tale probabile dubium, quia ad positionem talis dubij, sequitur depositio eiusdem, vt constat. Si etiam est dubium, an causa, ob quam dispensatio petitur, sit sufficiens ad dispensandum, seu ad posse dispensare, tunc etiam non potest dispensare sine peccato, antequam sit sufficienter de sufficientia informatus, quia ex dubio de sufficientia causæ ad dispensandum, sequitur dubium de potestate dispensandi, & tunc etiam ad positionem dubij de potestate dispensandi, sequitur depositio eiusdem dubij, quia scilicet non potest dispensare. Si verò sit dubium, an causa sit sufficiens, vt homo possit libere agere contra votum, aut iuramentum, aut aliud positiuum ius, tunc habet locum dispensatio. Sed de his aliâs.

In qua materia Papa dispensare non possit.

B

In dubiis Papa sæpe non dispensatione, sed tantùm declaratione vti debet.

In dubiis Papa ante sufficientē informationem dispensare neq; debet, neque potest.

De licentia confitentis ad reuelandum confessiones.

QVÆSTIO XLIX.

C EST ALIA DVBITATIO, an confessor possit ex licentia confitentis reuelare confessionem ob causam necessariam, vel vtilem. Et dixerunt multi Doctores, quòd non. Primò, quia celare confessionem est necessarium de iure naturali & diuino, ad huius autem iuris violationem non sufficit vnius hominis licentia, sicut nec ad idem sufficit licentia aut dispensatio Papæ, igitur.

An sacerdos possit in aliquo casu ex licētia confitentis, reuelare cōfessionem. Rationes negatiuæ.

I.

SECVNDO, confitens non potest cedere iuri suo, quando id institutum est in fauorem multorum, sicut clericus non potest iuri suo cedere, quando eius cessio cedit in præiudicium ordinis clericalis, vt habetur cap. Si diligenti. de foro competenti. & cap. Contingit. de sententia excommunicationis. Ex quibus colligitur, clericum non posse se laico iudici subiicere, cùm clericorum exemptio data sit ordini clericali, & non personæ. Nec potest etiam clericus se subiicere alicui, vt ab eodem verberetur loco iniuriæ, quam fortè illi priùs irrogauerat. Et qui in clericum, etiam volentem, manus iniecerit, est excommunicatus. Cùm igitur celatio confessionis sit inducta in fauorem omnium peccatorum, ne confessionem odiosam habeant, sequitur, quòd vnius confitentis licentia non sufficiat, vt confessor valeat confessionem reuelare. II.

TERTIO, Licentia data alicui, vt licentiantem occidat, vel mutilet, non sufficit, vt licentiatus eum occidat, vel mutilet, igitur nec sufficiet, vt ipsum licentiantem infamet, qualiter infamaretur per confessionis reuelationē. Et consequentia apparet, quia III.

sicut

sicut vnusquisq; tenetur vitam & membrorum integritatem seruare, ita & famam, prout D
Prouerb. 22. scriptum est: Curam habe de bono nomine &c. Et Augustinus ait, vitam nobis esse ne-
Eccles. 7. cessariam, famam autem proximis.

IIII. QVARTO, si licitè posset confitens licentiare confessorem ad reuelandam confessionem, sequeretur, quòd superiore præcipiente ipsi confitenti, vt licentiam confessori præberet, teneretur eam præbere, tum quia in licitis opus est, vt superioribus obediamus, tum etiam, quia si superiore id iubente, nollet confitens licentiam dare, vehementer præsumeretur contra ipsum confitentem, quòd ipse reus esset criminis, de quo inquiritur, & ita sibi noceret negare licentiam.

V. QVINTO, præfata confessionis reuelatio esset scandalosa, & multis damnis præberet occasionem, si ex licentia confitentis posset reuelari, quia inde daretur via sacerdotibus volentibus infamari confitentes, vt eos infamarent, eorum confessiones reuelando, dicendo se ad id licentiam à confitentibus habere. Daretur etiam via sacerdotibus dissoluendi matrimonia, alioqui legitima, quia possent dicere, se scire esse impedimentum canonicum inter coniuges, idque scire per confessionem, ad idq; dicendum, se licentiam habere à confitentibus; & ad hunc modum præberetur causa ad multa alia inconuenientia.

Resolutio affirmatiua. SED HIS non obstantibus, videtur contraria sententia tenenda cum Thoma, Bonauentura, Palude, & aliis multis, quòd scilicet de licentia expressa confitentis possit E
Probatur I. confessio reuelari. Et probatur primò, quia in tali casu cessat obligatio celandi confessionem, nam cessat ratio fundamentalis præfatæ obligationis, quæ erat, ne ex reuelatione confessionis reddatur odiosa, & nimis onerosa ipsa confessio: sed vbi constat confessorem reuelare confessionem ex expressa licentia confitentis, non ideo fit odiosa confessio ei, qui licentiam propria voluntate dedit, nec aliis, quibus sua relinquitur libertas negandi licentiam præfatam, & concedendi, si velint: Igitur cessat in casu ratio obligationis, & per consequens cessat ipsa obligatio celandi confessionem, quia cessante causa &c. & ratio legis est anima legis &c.

II. SECVNDO, vnusquisque potest cedere iuri suo absque præiudicio tertij, quando ius illud in fauorem ipsius cedentis est constitutum, sed celatio confessionis est inducta in fauorem confitentis directè, & non in fauorem ordinis, status, officij, aut dignitatis, cùm huiusmodi ius se extendat ad omnes peccatores, qui nec ordine, nec in officio, aut dignitate aliqua sunt constituti, vt constat, ac proinde in fauorem personæ confitentis est institutum, & ita potest quilibet confitens iuri suo cedere.

III. TERTIO, quia id potest quis per alium facere, quod per se facere potest, cùm causa iusta id postulauerit; sed confitens potest suum crimen occultum ob causam per ipsum prodere, imò non solùm potest, sed debet aliquando, vt si homicidium perpetrauit, de quo non est accusatus, nec infamatus, sed alius innocens, & homicida probatus, licet falsò, ducitur ad crucem seu gladium, id sciens verus homicida, potest, & debet se pro- F
Prouerb. 24. dere, vt innocentem illum à morte iniusta eripiat, prout scriptum est: Erue eos, qui ducuntur ad mortem; igitur in simili casu poterit suum crimen per confessorem ad id licentiatum prodere.

IIII. QVARTO, quia si quis secretum nudum commisit amico, iure naturali & diuino tenetur illud celare, vbi necessitas reuelandi non cogit ad oppositum, & tamen licentia committentis sufficit, vt his, quibus commissum est, reuelet; igitur pari forma licentia confitentis sufficiet, vt confessor ob causam, secretum confessionis reuelet.

Respondetur ad rationes contrarias. HANC IGITVR positionem tenendo, potest ad rationes pro priori sententia adductas, responderi.
Ad I. Ad primam dicendum, quòd in casu non violetur ius diuinum aut naturale; quod est intelligendum, confessionem in nullo casu esse reuelandam sine consensu & licentia confitentis.
Cur licentia cõfitentis sufficiat ad reuelandum confessionẽ, non item Papæ. Cuius limitationis causa est, quia data licentia à confitente, cessat causa præfatæ obligationis, vt suprà dictum est, quæ quidem causa quia non cessat ad licentiam seu dispensationem Papæ, ideo licentia Papæ non sufficit, vt confessor alterius confessionem reuelet, & sufficit licentia ipsius pœnitentis; Sicut licentia Papæ non sufficit, vt Petrus vestem meam accipiat, & ad id sufficit licentia mea, seu per me voluntariè data; Sicut si Petrus iurauit se soluturum mihi certum debitum liquidum ad terminum, licentia Papæ de vltra differenda solutione non releuat debitorem, & tamen licentia per me illi ad idem data, releuat illum à periurio, vt constat.

AD SE-

A Ad secvndam ex dictis patet responsio, quòd ius celandi confessionem, personale sit, & in fauorem personæ confitentis directè, & immediatè concessum, quamuis ex consequenti sit in fauorem omnium peccatorum: Ideo non est simile, quod pro simili de clericis inductum est. *Ad* II.

Ad tertiam, admisso antecedente, consequentia non valet, quia aliud est de vita & membris hominis loqui, in quibus ipse non est sui iuris, nec se potest vnquam occidere aut mutilare, & ita quod per se facere non potest, non poterit per alium facere, quando illud est in se prohibitum, aut malum. Famam autem potest homo per se perdere seu amittere, vt ex dictis patet, scilicet si causa postulauerit, ideo famam per alium ad id licentiatum perdere potest, imò & aliquando, etiamsi licentiatus non sit, vt facilè potest exemplificari. Nec obstat, quod ex scriptura & ex Augustino citatum est, quia inde id colligitur, scilicet quòd homo nō debeat esse prodigus, seu contemptor famæ suæ citra causam id postulantem, quia sicut temerè perdere bona temporalia peccatum est, à fortiori, temerè famam amittere, est culpandum, quod in casu non ponitur. *Ad* III. *Homo sui iuris est respectu famæ propriæ, non item membrorum aut vitæ.*

Ad qvartam respondetur, illā supponere vnum falsum, scilicet quòd in omnibus licitis sit superiori obtemperandum, quod non ita est, vt patet, si iubeat alicui, vt religionem ingrediatur, vt continens sit, & vxorem non ducat, cùm dicat Hieron. Castitas suaderi potest, imperari non potest, & tamen non solùm licita sunt hæc, sed multò meliora B quàm eorū opposita. In illis igitur opus est superiori præcipienti obtemperare, in quibus est aliquis illi subditus, seu ad quæ eius potestas dominandi se extendit: Humani enim iudices potestatem habent limitatam, vt sicut non omnes excessus punire possunt, ita nec omnia peccata prohibere; Et multò minùs possunt omnia quę licita sunt, pręcipere. Et quamuis confitens à superiore iussus nolit licētiam confessori dare, vt confessionem reuelet, non ideo periculum incurrit, nec per se dat causam astantibus aliquid sinistrè de illo suspicandi, eò quòd nolle dare licentiam ad præceptum superioris, alias iustas causas habere posit, scilicet ne iniquæ iudicis voluntati condescendatur, qui illud iubendo, metas suæ superioritatis excedit; Et etiam ne alij à plena confessione agenda deterreantur, qualiter deterreri possent, si ad iussum superioris licentiam præfatam daret. Quòd si inde sinistra suspicio contra confitentem nolentem licentiam præbere oriretur, non posset superior ex tali suspicione contra illum procedere. Et si coactus licentiam præberet, non deberet sacerdos huiusmodi licentia vti, cùm extorta sit, non voluntariè concessa. *Ad* IIII. *Quatenus superiori obtemperandum sit, & in quibus.* *Pœnitens etiāsi à superiore iussus, non tenetur dare licentiam sacerdoti reuelandi confessionem, si nolit.*

Ad qvintam respondetur, illam parum valere, quia si prauitati & malitiæ locus in casu daretur, ita etiam malitia locum haberet imponendi crimen falsum alicui, confessione non præuia, & contra illum falsò testificandi. Haberet etiam locum ad fingendum impedimenta canonica inter coniuges, etiam sine confessione pręuia, sicut ea pręcedente. Posset etiam confessor prauus, audita confessione, fingere se licentiam habere C à confitente, & multa alia falsa, quæ in confessione non audiuisset, confitenti imponere. Itaque hæc ratio omittatur. *Ad* V.

Videtvr igitur tenendum, quòd non qualiscunque licentia confitentis sufficiat vt confessor posit confessionem reuelare, nisi constet sufficienter de licentia his coram quibus huiusmodi confessio reueletur, nam per hoc tollitur scandalum & odium confessionis. *Qualis nam licentia confitentis requiratur, vt confessor possit confessionem reuelare.*

Secvndo requiritur, vt detur præfata licentia propter aliquod notabile bonum procurandum, vel malum euitandum, quod præponderet famæ confitentis: Alioqui nec debet dari talis licentia, nec ea data vti licitum erit.

Est avtem ratio, quare licentia confitentis sufficiat in casu, non obstante præcepto naturali & diuino de seruando huiusmodi secreto, quia data licentia prædicta, iam desinit esse materia secreti. Sicut data licentia ab eo, qui secretum nudū alteri commisit, desinit esse materia secreti. Sicut quando creditor differt, seu prolongat debitori terminum solutionis vltra terminum, quem sub iuramento præfixerat, iam solutio in termino non est materia iuramenti. *Etsi secretū confessionis sit de iure naturali & diuino, non tamen id violatur facta licentia à confitente illud reuelādi.*

Corollarie sequitur, quòd posit confessor publicè dicere crimina in confessione cognita, sine licentia ipsius confitentis, vt si pœnitens publicè confessus est illa, quia tunc illa crimina non sunt materia secreti, quę autem dicta sunt, procedunt de confessione secreta. Nota etiam quòd quando confessor ex licentia confitentis prodit *Corollarium* I.

X confes-

confeßionem, opus esse ad vitandum scandalum dicere & ostendere, se confeßionem illam reuelare ex licentia expressa confitentis. D

II. Corollarie sequitur, quòd non sufficiat licentia præsumpta, nisi sit expressa & actu concessa, alioqui reuelans confeßionem ex sola licentia præsumpta, non minùs de se facit confeßionem odiosam, quàm si absque vlla licentia eam reuelaret, vt de se patet.

III. Corollarie sequitur, quòd nec etiam sufficiat licentia debita, nec consensus debitus, non enim idem operatur consensus debitus & actualis. Id patet in multis, vt suprà exemplificauimus, scilicet si Petrus dolosè contrahat cum fœmina, deberet quidem ad vitandum dolum consentire, vbi consensus actualis sufficeret ad cõiugium, ad quod non sufficit consensus debitus. Similiter in baptismo, positis aliis necessariis, ad verum baptismum sufficeret consensus actualis ipsius baptizati, & tamen non sufficit consensus debitus eiusdem; Idem in cęteris sacramentis exemplificari potest. Similiter in sacramento absolutionis, si quis vult ob causam alieno confiteri, extra articulum necessitatis, sufficeret licentia actualis proprij sacerdotis, & non sufficeret licentia debita eiusdem. Similiter, vbi causa aliqua exigeret, vt Papa dispensaret in matrimonio consanguineorum, dispensatio actu data sufficeret, & nõ sufficeret dispensatio debita. Ita dico in proposito, quòd licentia confitentis debita dari ad reuelandam confeßionem, non sufficiat, & sufficeret licentia actu data. Quanquam in distractione rerum temporalium, si consensus actualis sufficit, ita etiam sufficit consensus debitus & præsumptus Domini ipsarum rerum; In sacramentis autem dandis aut recipiendis non ita, habent enim hæc diuersas leges, ideo non mirum, si ad diuersos casus diuersimodè respondeatur. Ac proinde cùm licentia actu data tollat scandalum, alioqui ex confeßionis reuelatione prouenturum, quod per licentiam debitam, seu præsumptam, & non actu datam non tollitur, ideo &c. E

Ad reuelãdum confeßionẽ non sufficit licentia confitentis debita dari, sed actu data.

De confeßione celanda, casu, quo factum per aliam viam cognitum sit.

QVÆSTIO L.

An cõfessor poßit in aliquo casu reuelare peccatum in cõfeßione cognitum, quod per aliam etiam viam nouit, absq; licentia confitentis.

Rationes partis negatiuæ.

I.

II.

1. Corinth. 7.

Aliud dubium, an si confessor peccatum, quod per confeßionem scit, per aliam viam extra confeßionem sciat, poßit illud ob causam manifestare, sine licentia confitentis? Et dixerunt aliqui quòd non, siue confessor illud sciuerit per aliam viam ante cõfeßionem, siue post confeßionem. Pro qua opinione arguitur primò, quia districtè prohibitum est confessori, ne reuelet confeßionem, id est, id quod per confeßionem sciuerit aut cognouerit: sed confessor eo ipso, quòd reuelat crimen per confeßionem cognitum, etiamsi aliunde illud cognouerit, verè dicitur confeßionem reuelare. Nec valet excipere casum, quo alia via illud cognouerit, nam Ecclesia nil tale excipit; igitur nec nos excipere debemus. Pro quo etiam facit Augustinus, qui videns Paulum in Epistola ad Corinthios concedere hominibus, vt poßint ad secundas nuptias transire, concludit esse etiam licitum, transire ad tertias & quartas &c. dicens, quòd vbi Paulus non limitauit, nec nos limitare debemus. Et habetur 31. quæst. 1. cap. Quòd si dormierit &c. F

III. Tertio pro eadem sententia facit ratio, quia si Petrus extra confeßionem sciat, quia scilicet vidit Ioannem aliquod crimẽ committere, cui deprecatur, vt nemini, quod vidit, pandat Ioannes promittens se celaturum, tenetur illud celare, ratione promißionis, etiamsi alioqui, scilicet per euidentiam facti illud cognouerit. Igitur à fortiori, confessor aliàs sciens crimen confitentis, tenebitur illud celare, ratione promißionis, qua tacitè confessor se obligat celaturum, quod per confeßionem agnouerit.

Resolutio affirmatiua si neceßitas aut vtilitas id postulauerit.

Probatur I. Respondetvr, his non obstantibus tenendum esse oppositum, scilicet quòd quando neceßitas aut vtilitas postulauerit, poterit confessor manifestare peccatum in confeßione cognitum, etiam relatum ad personam, si alia via illud cognouerit. Probatur, quia confessor extra confeßionem sciens crimen alicuius, si producatur in testem, aut à iudice inquiratur, est obligatus ob publicam iustitiam dicere quod sciuerit: Igitur si illud

A si illud ipsum quoque sciat per confessionem sacramentalem, siue subsequentem siue præcedentem facti cognitionem, non minùs tenebitur à iudice inquisitus, aut in testem productus, illud manifestare, alioqui confessio esset vinculũ iniquitatis, & impeditiuum publicæ iustitiæ.

SECVNDO, quia fraus & dolus nemini debet patrocinari, patrocinaretur autem, si prior sententia esset vera. Patet, quia si latro coram sacerdote calicem, aut rem aliam furetur, sciens quòd si illud illi sacerdoti confiteatur, non possit super illo testificari, seu denuntiare, adibit illicò ad sacerdotem eundem, & confitebitur illi furtum illud, iam fraus & dolus latronis illi patrocinaretur. II.

TERTIO, quia opposito dato, sequeretur aliquod absurdum, scilicet quòd prælatus, cui incumbit super adulterio, vsura, aut concubinatu cognoscere, & illud in foro exteriore iudicare & punire, non posset aliquem talem criminosum per testes omni exceptione maiores probatum, talem iudicare, & sententiam contra eum ferre, supposito quòd ille prælatus per confessionem sacramentalem ab illo criminoso factam cognouerit eius crimen, de quo est in iudicio conuictus. Patet sequela, quia in sententia contra illum ferenda debet declarare, illum esse tali crimine irretitum. III.

QVARTO sequeretur alia absurditas, quòd si sacerdos vidit Petrum in loco profano fornicantem, de quo Petrus confitetur eidem sacerdoti, quòd sacerdos videns B Petrum ab aliis accusari, quòd in loco sacro fornicationem commiserit, non posset sacerdos in accusationem illius dicere, quòd non in loco sacro, sed in profano esset fornicatus, ipso sacerdote vidente. Potest igitur, & aliquando debet confessor crimen per confessionem scitum prodere, si per aliam viam extra confessionem illud cognouit. IIII.

PRO VITANDO tamen scandalo debet, quando id reuelauerit, dicere modum quo illud sciat, scilicet quia vidit illud perpetrari, vel quia audiuit extra confessionem. Caueat tamen, ne dicat, se illud scire per confessionem, quia hoc dicere non poterit sine reuelatione confessionis: Habet enim sacerdos in casu cognitionem illius facti duplicem, alteram per viam confessionis, & ex hac notitia nil potest dicere, vt patet; alteram per euidentiam facti, vel aliquorum relationem, & ex hac via licitum est peccatum illud ob causam iustam manifestare. Exemplum huius est clarum. Iudex ex coniecturis non potest aliquem iudicare, si tamen vltra coniecturas habet sufficientem certitudinem ex euidentia facti, aut ex testificatione, seu ipsius rei confessione iudiciali, tunc ex tali notitia poterit ad iudicandum procedere; Ita in proposito. Per hæc patet ad rationes ante oppositum. *Limitatio prædictæ solutionis.* *Soluuntur rationes oppositæ.*

AD PRIMAM dicendum, quòd quando sacerdos reuelat crimen per confessionem cognitum, non ex notitia per confessionem habita, sed ex alia extra confessionem acquisita, tunc non dicatur reuelare confessionem. Aliud enim est reuelare peccatum C confessum, aliud confessionem, vt ex dictis patet. *Respondetur ad* I.

AD SECVNDAM ex Augustino allegatam dicendum, quòd quamuis Ecclesia præcipiens confessionem celari, nullum casum excipiat formaliter, ratio tamen ipsa cogit nos excipere, quia alioqui sequerentur absurditas & inconuenientia magna, vt suprà argutum est. Sicut etiamsi Ecclesia non excipiat casum, quo confitens ipse licentiam conferat confessori, ratio tamen cogit nos, talem exceptionem admittere. Sicut & Ecclesia quando iubet, vt peccator omnia sua peccata semel in anno confiteatur, non excipit venialia; attamen ratio cogit nos, ea ab illa obligatione excipere. *Ad* II.

AD TERTIAM dicendum, quòd illa promissio in casu obligauit promittentem ad celandum, quando nec necessitas, nec vtilitas publica nec priuata oppositum postulauerit. Si tamen causa iusta, aut salus ipsius delinquentis, siue alterius, aut præceptum superioris iustum postulauerit, non est standum in promissione, vt constat, ita & in præsenti casu, qui disputatur, dicendum est. Debent tamen confessores esse valde cauti, quando de peccatis aliorum loquuntur, siue in iudicio, siue extrà, ne inde aliqui scandalizentur, quia facilè suspicabuntur astantes, quòd illa aliena peccata per confessionem cognouerit scientes, illum ex officio esse confessorem. Ideo nisi necessitas postulet, silere debent aliena peccata, & si necessitas ea prodere cogat, causam & notitiam extra confessionem habitam reddant. *Ad* III. *Alia limitatio eiusdem sententiæ.*

De secreto nudo celando. D

Dubium. An secretũ nudum sit de necessitate celãdum? Solutio affirmatiua.

Ratio I. II. III.

SEQVITVR iam responsio ad aliud dubium, scilicet an sigillum secreti nudi alicui commissi, sit de necessitate celandum. Et dicendum quòd sic, tum quia iure naturæ tenemur proximum in fama non lædere, accideret autem sæpissime contra famam committentis, aut alterius, huiusmodi sigillum reuelari. Tum etiam, quia de iure naturæ tenemur esse fideles, seu fidelitatem proximis seruare, hanc autem non seruat, qui reuelat arcana sibi ab amico commissa. Tum denique, quia de iure naturæ tenemur seruare promissum, sed in secreti commissione semper vel tacitè vel expressè interuenit promissio eius, cui secretum committitur, alioqui non sibi committeretur.

Limitatio. Quãdo licitum sit einsmodi secretũ reuelare. Ratio. Solutio rationũ pro parte affirmatiua.

CVM HOC tamen stat, quòd licitum sit, huiusmodi sigillum aliquando reuelare, vt si eius celatio vergat in perniciem reipub. aut salutis corporalis ipsius committentis, aut eius, cui committitur, aut alterius. Huius limitationis ratio est clara, quia in his casibus, in quibus non potest aliter præfatis damnis obuiari nisi reuelando secretum, cessat obligatio celandi. Nec rationes factæ tunc habent vim, quia fama proximi postponenda est saluti reip. aut alicuius alterius, maximè spirituali. Fidelitas autem tunc non obligat, quia non dicitur quis perfidus per hoc, quòd arcanum reuelat simpliciter, sed per hoc, quòd temerè, & sine causa cogente reuelat.

PROMISSIO etiam tunc cessat, quia nemo potuit se per promissionem contra rempub. obligare, aut contra salutem corporalem, aut spiritualem alicuius, ad quam charitas ipsa obligat. E

Corollarium. Discrimen inter secretum nudum & confessionis.

COROLLARIE sequitur, quantum intersit inter sigillum secreti commissi, & sigillum confessionis, quia hoc in nullo casu potest reuelari, saltem formaliter, dicendo per confessionem scitum esse tale, vel tale factum, nisi habita expressa licentia confitentis. Secretum verò nudum commissum, sæpe potest reuelari ob causam cogentem, sine licentia committentis.

FINITVR CODEX DE CONFESSIONE.

DE SATISFACTIONE PRO PECCATIS.

QVÆSTIO PRIMA.

An homo purus possit Deo pro peccatis cõmissis satisfacere? Sententia I. per se non, sed tantùm in virtute passiõis Christi. Probatur I. Pars I.

SVPEREST DE SATISFACTIONE, quæ tertia pars pœnitentiæ dicitur, aliqua breuiter pertractare, & in primis quærendum occurrit de possibilitate satisfaciendi, an scilicet homo purus possit Deo pro peccatis commissis satisfacere. Et F est multorum sententia, quòd per se non possit, bene tamen in virtute passionis Christi. Primam partem probant propter duo, primum est, quia offensa contra Deum commissa est infinita, attenta conditione ipsius offensi, quantò enim maior & melior est qui offenditur, cæteris paribus, tantò offensa seu iniuria eidem illata est maior: Cùm ergo Deus sit infinitus, & infinitè bonus, sequitur offensam contra eum commissam esse infinitam. Homo autem nil infinitum potest Deo reddere, in recompensam offensæ infinitæ; ergo non potest illi satisfacere. Hæc consequentia patet, quia satisfactio est redditio æquiualentis &c. Secundum est, quia homo

II.

non dicitur satisfacere creditori, reddendo aliquid alioqui eidem debitum. Cùm ergo homo debeat Deo, quicquid boni habet, & quicquid boni agere potest, ob beneficium creationis, & redemptionis, quod ab ipso Deo recipit, sequitur quòd per nil possit Deo satisfacere, pro iniuriis eidem illatis. Secundam partem probant, scilicet quòd in virtute passionis Christi possit homo Deo satisfacere, eò ꝙ satisfactio, qua Christus pro nobis satisfecit, fuerit quodãmodo infinita, cùm esset Deus infinitus ipse, q. ꝓ bonis satisfecit.

Probatio II. partis.

Oppugnatur ꝓdicta sententia.

QVANQVAM id communiter dicatur, oportet tamen rem ampliùs distinguere, & quid veritatis habeat inuestigare. Vnde contra hanc sentẽtiam currit ratio, quòd scilicet illa

A illæ duæ partes simul non stent: nam quæro, vel intelligunt de satisfactione sumpta secundùm liberalem & gratiosam Dei acceptationem, qui scilicet dignatur contentus esse cum eo, quod homo reddit; vel de satisfactione sumpta secundùm rigorem iustitiæ, quæ requirit æqualitatem rei &c. Si primum, quæro rursus, an de potentia absoluta loquantur, an de ordinata. Si loquantur de satisfactione secundùm liberalem Dei acceptationem, & de potentia absoluta, falsa est prima pars, in qua dicunt, quòd homo purus non potuit per se sine passione Christi satisfacere Deo. Patet hoc, quia alius fuit modus Deo possibilis ad redimendum genus humanum, etsi alius conuenientior non fuerit, quàm per incarnationem & passionem Dei, vt ait Augustinus. Potuit etiam Deus de potentia absoluta remittere peccata vnicuique liberalissimè, nil in recompensam ab ipso peccatore exigendo. Potuit ergo eidem peccata remittere absolutè, aliquam recompensam paruam exigendo, scilicet pœnitentiam cordis, aut solam peccati confessionem, aut aliud obsequium quodcunque Deo gratum &c. quo reddito, diceretur homo ille satisfacere Deo secundùm eius liberalem acceptationẽ, etiam non concurrente passione Christi. Si autem loquantur de satisfactione secundùm Dei acceptationem, & de potentia ordinata, tunc vera est præfata sententia pro vtraque parte. Attamen rationes adductæ pro prima parte sunt impertinentes, & falsæ. Patet hoc, quia impertinens est, offensam esse finitam aut infinitam ad hoc, vt homo possit Deo satisfacere secũdùm

Duas illas partes simul stare non posse.

In quo sensu falsa sit I. pars illius sententiæ.

Conuenientissimus fuit modus ad liberationẽ humani generis, incarnatio & passio Dei.

In quo sensu vera sit I. sententia quo ad vtramque partem.

Reiiciuntur tamẽ rationes pro priori parte eiusdẽ sententiæ.

B ipsius Dei liberalem acceptationem, vt constat. Impertinens etiam est id, quod homo Deo reddit in recompensam offensæ, esse alioqui debitum vel indebitum ad hoc, vt homo satisfaciat Deo secundùm ipsius liberalem acceptationem, vt similiter de se constat, cùm liberum sit ipsi Deo, acceptare opus hominis bonum in remissionem peccati, siue alioqui sit illi debitum, siue non &c. De falsitate autem rationum illarum statim patebit. Et ita apparet, præfatam sententiam falsam esse, vel impertinenter probatam, si de satisfactione secundùm liberalem Dei acceptationem loquantur. Si autem loquantur de satisfactione secundùm rigorem iustitiæ, quæ rei æqualitatem requirit, falsa est pro secunda parte, quia passio Christi non fuit satisfactoria pro peccatis secundùm rigorem iustitiæ, seclusa Dei gratiosa & liberali acceptatione, vt statim patebit. Et quanquam sit vera sententia pro prima parte, attamen rationes ad eam probandam non videntur veræ. Patet de prima, in qua dicunt, quòd offensa fuerit infinita, & homo purus nil infinitum possit Deo reddere in recompensam &c. Nam cùm dicunt, offensam esse infinitam, vel intelligunt, quòd sit infinita secundùm substantiam actus vel secundùm intensionem actus, vel secundùm durationem actus, vel solùm obiectiuè, quia contra Deum infinitum. Prima tria dicere non possunt, vt constat; Et si quartum dicant, iam falsum est, quòd non possit homo in recompensam offensæ sic infinitæ reddere Deo aliquid infinitum, quia omne opus bonum propter Deum summè dilectum factum, erit similiter obiectiuè infinitum. Adde quòd possit homo purus reddere Deo

I.

II.

In quo sensu falsa sit II. pars dictæ sententiæ.

Ratiões pro priori parte sententiæ prædictæ arguuntur falsitatis.

I.

C actum tam bonum, quàm malus fuit actus, quo Deum offenderat. Id patet, supposito quòd actus malus de formali importet carentiam rectitudinis inesse debitæ, vt si debuit homo actum facere propter Deum, & non fecit propter Deum, aut si debuit homo facere conformiter ad rectam rationem, & non ita fecit. Tanta ergo erit malitia actus formaliter, quanta rectitudo qua caruit & erat inesse debita, hæc autem rectitudo inesse debita finita erat, & per hominem postmodum reddi, & apponi potest. Vt si defuit priùs dilectio Dei, potest postmodum homo Deum diligere, si defuit priùs actui rectitudo, potest postmodum homo actum cum tanta rectitudine agere, quanta defuit actui offensiuo, & ita potest homo purus reddere Deo actum, qui sit tam bonus, quàm malus erat formaliter actus offensiuus, & ita apparet, rationem primam esse falsam.

Praeterea ad idem falsum est, quòd omnis offensa sit infinita obiectiuè. Patet, quia multæ offensæ seu peccata ab homine fiunt, quæ non habent Deum pro obiecto, vt si homo nil de Deo cogitans peccet conuertendo. Si dicas, non omnem offensam esse infinitam conuersiuè, bene tamen auersiuè, quia omnes auertunt à Deo &c. Contrà, quia si hac ratione dicerentur infinitæ solùm, quia à Deo auertunt, sequeretur, omnia peccata mortalia esse æqualia, quia omnia æqualiter à Deo auertunt, vt constat. Et ita esset incidere in errorem Stoicorum, qui omnia vitia æqualia esse dicebant, cùm tamen certum sit de fide, vnum peccatum altero esse grauius.

Nõ omnis offensa est infinita obiectiuè.

Occurritur cuidam obiectioni.

Qvod etiam in secunda ratione dicebatur, scilicet hominem debere Deo ratione

II. Ratio impugnatur.

tione beneficij creationis quicquid boni agere potest, non videtur verum, maximè loquendo de debito necessitatis, quia hoc modo homo non debet Deo, nisi ea quæ Deus ab homine exigit, scilicet vt mandata seruet, in reliquis autem homo sui iuris est, & liber, & non seruus, nec amplius ab homine exigit Deus ob beneficium creationis &c. & ex consequenti nihil obstat, quò minùs possit homo per alia opera supererogationis quodammodo Deo pro peccatis satisfacere.

Resolutio quæstiõis. Homo per se potuit satisfacere de potẽtia absoluta, de ordinaria autem nõ nisi per Christi passionẽ &c. secundùm liberalem acceptationẽ loquendo.

DICENDVM ergo, quòd loquendo de satisfactione secundùm liberalem acceptationem offensi, potuit homo de potentia absoluta satisfacere pro peccatis, etiamsi merita & passio Christi non interuenissent; de potentia tamen ordinata non potuit homo sine meritis & passione Christi Deo pro peccatis satisfacere, ex quo Deus ita ordinauit neminem iustificare, nisi [a] per filium suum incarnatum & passum, quem Deus mittere decreuit, vt eos qui sub lege erant, redimeret, quod suppono tanquam certum de fide.

a *Ad Galat 4.*

b *Restat difficultas, an homo purus per se possit satisfacere Deo secundùm rigorẽ iustitiæ, absq; meritis Dei? Resolutio negatiua.*

c *Probatur* I.

d *Neq; per opera præcepta.*

SI AVTEM aliquid in quæstione præsenti difficultatem habet, [b] illud est, an possit homo purus per se, vel cum passione Christi satisfacere Deo secundùm rigorem iustitiæ, quæ rei æqualitatem requirit, seclusa gratiosa Dei remissione & eius liberali acceptatione. Et quidem si loquamur de homine puro, excludendo merita & passionem Christi, non dubitatur, sed certum esse videtur, hominem purum per se non posse Deo pro peccatis satisfacere, secundùm æqualitatem, & de rigore iustitiæ. [c] Probatur, quia si sic, vel esset agendo aliquod bonum opus post offensam commissam, quod sit de præcepto, vel agendo bonum opus, quod sit de consilio, vel sustinendo, seu assumendo aliquod laboriosum, seu pœnale opus. [d] Non primum, quia homo non potest suo creditori, vel offenso satisfacere per opus alioqui eidem debitum de rigore iustitiæ, quod de se constat, & ita etiam significat ratio ipsa satisfactionis, quæ est voluntaria redditio æquiualentis, aliâs indebiti.

PRO QVO etiam facit quod Christus per Lucam dixit: Cùm feceritis quæcunque præcepta sint vobis, dicite, serui inutiles sumus, quod debuimus facere, fecimus &c. In quo satis docemur, opera nostra, quæ ex præcepto facimus, de se non esse meritoria, nec satisfactoria apud Deum. Secundum etiam non est dicendum, scilicet quòd purus homo possit de rigore iustitiæ satisfacere per opera de consilio. Nam licet illa Deus de facto non exigat ab homine, posset tamen iustè, si vellet, ea exigere pro beneficio creationis & redemptionis, & aliis innumeris bonis, quæ quotidie à Deo recipimus. Irrationabile autem est dicere, quòd homo possit Deo satisfacere pro peccatis de rigore iustitiæ, per id, quod Deus iustè alioqui exigere posset, si vellet. Repugnat enim, quòd homo per opus bonum Deo satisfaciat de iustitia, seclusa ipsius Dei gratiosa & liberali acceptatione. Tum etiam, quia nemo secundùm rigorem iustitiæ, satisfacit offenso, seu damnificato, nisi eidem tantundem reddendo de suo, non de bonis ipsius offensi. Vt si dispensator, cui Dominus bona sua commisit, suum Dominum offendat, certè non satisfacit offenso, dando illi de bonis ab ipso Domino sibi commissis, ergo etiam viator, cui Dominus omnia quæ habet, commisit, si Deo iniuriam inferat, non poterit per bona quæ à Domino recepit, eidem satisfacere, cùm illa bona potiùs sint Dei, quàm hominis. Ita enim dicitur primo Paralipomenon, cap. 29. Omnia bona Domine tua sunt, & quæ de manu tua suscepimus, reddimus tibi. Vnde & Paulus: Quid habes, quod non accepisti? & Augustinus: Cùm Deus remunerat, potiùs remunerat dona sua, quàm opera nostra, & cætera. Adde, quòd omnes iustitiæ nostræ sunt velut pannus menstruatæ, ac proinde per opera nostra quamuis alioqui bona & de consilio sint, non possumus de rigore iustitiæ, seclusa ipsius Dei misericordia & liberalitate, ac gratiosa promissione, eum in aliquo nobis obligare, & per consequens si operanti peccata remittit, non est hoc de rigore iustitiæ, sed ex sua bonitate &c. Nec etiam potest dari tertium, scilicet quòd per pœnæ voluntariam tolerantiam possimus secundùm iustitiam satisfacere Deo. Ratio est clara, quia satisfactio secundùm puram iustitiam requirit æqualitatem, hæc autem non potest reperiri inter iniuriam, pro qua pœna infinita de iustitia debetur, & inter pœnam, quam homo in via potest voluntariè sustinere. Nam si comparemus pœnam, quam toleramus, ad culpam commissam, sine comparatione peius quid est culpa, quàm pœna vitę præsentis. Quod inde apertè constat, quia de duobus malis semper id, quod minus est, est eligendum, sed secundùm rectam rationem potiùs est eligendum malum pœnæ, quantumlibet acerrimum sit, quàm malum culpæ quãtumuis leue. Si etiam comparemus pœnam vitæ

Marginalia: II. *Neq; per opera consiliorum.* I. II. *1. Corinth. 4.* III. *Isai. 64.* III. *Neq; per pœna voluntaria perpessionem. Ratio.*

A vitæ præsentis ad pœnam debitam pro peccato mortali,absq; dubio longè maior est, quę pro peccato debetur,quia infinita, quàm quæ in præsenti vita sustinetur,vt constat. Non ergo potest in hac re æqualitas reperiri, & ita certum est, hominem purum per se non posse Deo pro peccatis satisfacere, secundùm rigorem iustitiæ.

Restat adhuc difficultas, An scilicet hõ possit de iustitia Deo satisfacere in virtute passionis Christi? Idem de Christo quæritur, an ex pura iustitia Deo satisfecerit pro nobis? Sentẽtia prima affirmatiua. Suppositio huius sententia.

RESTAT ERGO videre, an homo possit de iustitia satisfacere Deo, in virtute passionis Christi. Quæ quæstio pendet ex illa: An scilicet Christus satisfecit pro nobis Deo ex pura iustitia, seclusa Dei liberali acceptatione. In quo multi contenderunt partem affirmatiuam defendere, & publicè prædicare dicentes, Christum per mortem suam omnibus de iustitia meruisse remissionem peccatorum, & gratiam, & gloriam, ita vt omnibus hæc omnia de iustitia debita sint, nisi per eos steterit, quò minùs ea assequãtur. Stat autem per eos, si fidem, quæ per dilectionem operatur, nõ habeãt, nec in eadem decedant. Pro quo supponunt, quòd Deus gratis & liberaliter dedit Christo omnia bona quæ habet, vel habuit ex quo fuit conceptus, scilicet esse naturale, esse gratuitum, & esse beatificum, ita vt pro illis nullum manserit in Christo debitum, quo Deo quicquam deberet. Iam probant intentum suum.

Rationes pro eadem. I.

PRIMO, quia Christus multa obsequia alioqui indebita præstitit Deo, qui iustissimus est, ergo ex iustitia debuit Deus illa Christi obsequia remunerare, non in Christo ipso, cui maior gratia aut gloria præstari de lege non potuit, quàm quæ ab instanti conB ceptionis illi fuit data, vt supponimus, ergo debuerunt de iustitia remunerari in membris ipsius Christi, pro quibus ipse illa omnia obsequia Deo impendit, quibus & sua merita, ardentissimè applicauit, & ex consequenti de iustitia satisfecit pro illis, & eisdem de iustitia gratiam & gloriam promeruit &c.

II.

SECVNDO. Non minùs meritoria fuerunt Christi obsequia ex feruentissima charitate Dei procedentia, quàm fuerint demeritoria hominum peccata ex amore ipsorum, aut mundi facta. Nam cõparando amorem Dei, quem Christus habuit, ad amorem hominum, quem de seipsis habuerunt, & habent, longè maior fuit in Christo amor Dei, quàm in homine amor sui, aut mundi, idq; tam quo ad affectum, quàm quo ad effectum. Quo ad affectum quidem, quia in Christo fuit amor Dei feruentissimus ex toto conatu voluntatis, summa charitate coadiuuante elicitus, & cum eodem feruore ab instanti conceptionis, per totam vitam continuatus: In hominibus autem amor sui & mundi, non fuit tam intensus, nec tam feruidus, nec tam continuus, nec tam purus. Quo ad effectum etiam, quia Christus vitam suam pretiosissimam ex amore Dei pro nobis tradidit, & quamuis homines aliquãdo pro amore sui, aut pro amore mundi vitã suam tradiderint, nunquam fieri potest, vt etiam omnes simul tantum tradãt pro sui amore, quantum Christus tradidit pro amore Dei, quia vitæ omnium peccatorum, qui fuerunt, sunt, & erunt, si congregentur, & pro amore sui, vel mundi tradantur, non possunt æquari vitę Christi, quam tradidit pro nobis, quæ sine comparatione excellentior est, quàm omnes C vitæ peccatorum. Et ita quo ad affectum, & effectum fuerunt maiora merita Christi, & maior amor Dei, quàm fuerint, & sint demerita peccatorum & amor sui. Adde, quòd obedientia Christi, qua Deo fuit obediens vsque ad mortem, fuit longè maior, & excellentior, quàm fuerit inobedientia hominis. Et ita colligunt, Christum de rigore iustitiæ tantum, imò plus, Deo exhibuisse, quàm homines peccando à Deo abstulerint, & per consequens satisfecisse de rigore iustitiæ.

III.

TERTIO idem suadent, quia merita Christi fuerunt infinita, saltẽ ex parte personę quæ meruit & satisfecit pro nobis, erat enim Deus & ita Deus meruit pro nobis, & Deus passus, & mortuus est pro nobis, & seipsum infinitũ obtulit pro nobis, & per consequens infinita fuit satisfactio, quia satisfecit pro nobis, & ita intentum.

Oppugnatur hæc sententia. I.

CONTRA hunc modum arguitur. Primò falsum videtur id quod supponit, scilicet Deum dedisse Christo omne bonum naturale, gratuitum, & beatificum, & reliqua alia, ita liberaliter, vt in nullo voluerit Christum ipsi Deo manere obligatum, sed in omnibus sui iuris esse. Nam Christus, prout homo, subditus fuit legi naturæ, quæ omnem creaturam rationalem obligat ad diligendum Deum, eumq; glorificandum, atq; colendum, vti verum Deum, & creatorem omnium, quam quidem legem nullatenus Christo licuit violare, ad quã tantò magis tenebatur, quantò plura, & maiora à Deo beneficia recepit. Tum etiam, Christus nõ fuit liber ab obseruantia diuinæ legis, & de lege Decalogi constat, in qua charitas Dei & proximi iubetur, & vt mala proximis non inferantur.

Christus vt homo subditus erat legi naturæ. Christus nõ fuit liber ab obseruatione legis diuinæ.

Constat autem, Christum obligatum fuisse ad non peierandum, non occidendum, non D
adulterandum &c. similiter & ad parentes honorandū, & illis seruiendum, quemadmodum & seruiuit, de quo ait Euangelista, quòd Christus erat subditus illis. De lege etiam
Lucæ 2. diuina positiua veteri, patet etiam, quòd fuerit illi subditus, & eam melius quàm reliqui
Matth. 5. iudæi obseruarit, dixit enim: Non veni soluere legem, sed adimplere. Et Paulus ad Galatas 4. Misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub lege &c. Et ad Philippen. 2. Factus est obediens Patri vsq; ad mortem, obedientia autem præceptum seu mandatum præsupponit. Ioannes etiam cap. 10. & 14. dicit, Christum mādatum habuisse à Patre ponendi animam suam. Et iterum dixit idem Christus: Cibus meus hic est, vt faciam volūtatem eius, qui misit me. Non enim quia à superiore ad aliquid agendum mittitur, est omnino liber à debito obediendi, & ipsum adimplendi. Christus autem ad id à Patre in mundum missus est, vt verbo & opere mundum illuminaret, & ad veram Dei cognitionem & ad amorem nos adduceret, quod & fecit &c. igitur falsum est, quòd Christus in nullo fuerit Patri debitor: Falsum etiam est, quòd in omnibus suis operibus fuerit sui iuris, ita vt sibi liberum, & licitum fuerit ea facere & non facere.

Esto etiam ita sit, quòd Deus noluit Christum ad aliquid obligare ob beneficia illi collata, non inde fit, vt per obsequia sua Christus meruerit de rigore iustitię nobis remissionem peccatorum, ex quo Deus iustè poterat à Christo talia obsequia tanquam debita ob præfata beneficia exigere si vellet, vt supra de puro homine. E

II. *Quid requiratur ad satisfactionē de rigore iustitia.* Secvndo arguitur, quòd Christus de rigore iustitiæ non satisfecit, quia satisfactio de rigore iustitiæ requirit æqualitatem inter damnum illatum & recompensam pro illo factam, talis autem non est inter peccatum contra Deum commissum & passionem Christi. Probatur, quia offensa fuit infinita, nō solum obiectiue, vt communiter dicunt, sed aliundè, nil autem quod Christus egit, aut passus est, fuit infinitum. Patet id, si consideremus in peccato tria. *Tria in peccato consideranda.* I. Primum est damnum, quod peccatum est aptum natum inferre Deo, si Deus damni esset capax. II. Secūdum est malitia ipsius peccati. III. Tertium est, pœna peccato debita.

Si primvm consideremus, peccatum, vt ex dictis opinantium apparet, de se est aptum natum auferre à Deo bonum infinitū, imò & totum suum esse, ex eo scilicet, quia si Deus esset capax tristitiæ, sicut est homo, iniuria & offensa contra Deum cōmissa de se esset illatiua tristitiæ Deo offenso, & ex consequenti priuaret Deum sua fœlicitate, cum qua nulla tristitia se compatitur, & ex consequenti priuaret eum diuinitate, & per consequens suo esse. Hæc omnia patent, quia Deus per essentiam est, & Deus est, & beatus est, ita vt idem sint in Deo esse, & Deum esse, & beatum esse, igitur quod est aptū natum inferre Deo tristitiam, ex consequenti est aptum natū Deum suo esse priuare, & ita peccatum ex parte sua est aptum natum Deo infinitum damnum inferre, & ita est infinite damnificatiuum. Christus autem per qualiacunq;, & quantacunq; obsequia non potuit ex parte obsequij reddere Deo infinitum esse, quia esto, quod Deus esset capax gaudij accidentalis, seu aduenientis, nil aliud ex obsequio Deo grato illi posset euenire, præter huiusmodi gaudium accidentale, sed non inde fit, vt tale obsequium reddat Deum summe fœlicem & beatum, cùm non in extrinseco, sed in se beatificetur, sicut peccatū de se erat ex consequenti ablatiuum seu destructiuum fœlicitatis Dei essentialis. F

Si consideremvs secundum, hoc est, malitiam ipsius peccati, patet ex dictis, eam esse infinitam, tantò enim est maior malitia offensæ, seu iniurię, quantò de se est magis damnificatiua personæ offensæ. Cūm ergo peccatū de se sit infinitè damnificatiuum ipsius Dei, ad sensum dictum, sequitur, omnem talem offensam in Deum cōmissam, esse infinitæ malitiæ. Cum ergo Christus non potuerit Deo reddere pro nobis aliquod obsequium, quod esset infinitę bonitatis ex se, sequitur quòd non satisfecit pro nostris peccatis ad æqualitatem iustitiæ.

Si deniqve consideremus tertium in peccato, quod est pœna, qua peccator dignus est ob offensam in Deum cōmissam, idem apparet, nam pœna inferni pro peccato debita secundum intensionem longè acerbior est, & intensior, quàm fuit pœna, quam Christus in via pertulit. Et si pœnæ debitæ omnibus peccatoribus adunarentur, & in vnū redirent, non dubium, quin essent longè intensiores, quàm pœna, quam Christus tolerauit. Non ergo Christus persoluit pœnam æqualem in intensione, cum pœna debita pro peccatis omnium hominum. Pœna insuper pro peccatis debita secundum extensionem est infi-

A est infinita, quia æterna, pœna autem Christi non nisi ad tempus fuit, igitur ex nulla parte fuit æqualitas inter id, quod Christus Deo pro nobis persoluit, & inter offensam cōtra Deum commissam, & ita non fuit satisfactio ad æqualitatem rei.

TERTIO arguitur, quia si meritum Christi fuit satisfactorium de condigno, seu de rigore iustitiæ, aut tale fuit ratione ipsius operis in se considerati, aut ea ratione, qua ex gratia tanta processit, aut ea ratione, qua erat personę infinitæ, scilicet verbi Dei, cui humanitas erat coniuncta. Primum dici non potest, quia tale omnino opus & idem specie potuit illa humanitas à verbo deposita operari, & tale secundùm naturā rei potuit à puro homine fieri, quod tamen nō esset de rigore iustitiæ pro tot & tantis peccatis hominū satisfactorium de se, quod certum esse suppono. Nec potest dici secundum, scilicet quòd opera Christi ratione gratiæ summæ, ex qua procedebant, erant ad æqualitatem satisfactoria. Tum, quia gratia Christi, etsi summa fuerit secundùm potentiam ordinatam, non tamen fuit infinita, vt tenent Thomas, Scotus, & cæteri Doctores, peccata autem contra Deum cōmissa, & quæ committi possunt, sunt infinita, & esto finita essent numero, sunt tamē quo ad indignitatem infinita, cùm digna sint pœna infinita intensiuè & extensiuè, vt teneri solet secundùm Cancellariū Parisiensem, gratia aūt Christi finita est: Non ergo facit opus tam meritorium, quàm meritorium fuit hominis peccatum. Tum etiam, quia tantā gratiam potuit Deus dare puro homini, quantam dedit Christo, & ex consequenti B purus homo posset in casu satisfacere pro peccatis omnium de condigno, seu de rigore iustitiæ, si illa satisfactionis cōdignitas procederet in Christo ex tanta gratia illi collata. Tum etiam quia si ex quātitate gratię Christi ꝓuenit, vt opera Christi fuerint de se meritoria, & satisfactoria pro tot & tantis peccatis, igitur si gratia esset subdupla, essent similiter in subduplo satisfactoria, & si subquadrupla, in subquadruplo, & ita de aliis, & per cōsequens vnusquisq; homo habens gratiam, posset ex virtute gratiæ pro peccatis suis, vel alienis satisfacere, saltem in parte, secundùm exigentiam, seu quantitatem gratiæ, idque seclusis meritis Christi, quod iterum est falsum, & erroneum.

NEC POTEST dici tertium, scilicet quòd opera Christi fuerint de condigno, & ex rigore iustitiæ satisfactoria ratione personæ, cui humanitas erat cōiuncta. Probatur, quia Christus etsi fuerit persona diuina, & Deus, non tamen Christus meruit nobis, nec satisfecit pro nobis secundum quod Deus, sed secundùm quod homo. Id patet, quia nec fleuit secundum quod Deus, nec orauit secundum quod Deus, nec passus est & mortuus est secundùm quod Deus, vt constat. Cùm igitur per hæc, & alia humana opera Christus nobis meruerit, & pro nobis satisfecerit, sequitur ergo, quòd etsi Christus fuerit Deus, non inde opera, quæ faciebat vt homo, erant infinita aut infiniti valoris, seclusa Dei liberali acceptatione.

CONFIRMATVR hoc, quia tunc omnia merita Christi fuissent æqualia, saltem omnia fuissent infiniti valoris, & meriti, & dignitatis, & ex consequenti Christus tantùm satisfe- C cit ex rigore iustitiæ per merita, quæ in vita sua fecit, quantum per passionem & mortem quam pro nobis sustinuit, & per consequens antequam actu pateretur, iam erat hominibus debita ex iustitia peccatorū remissio, & per consequens ianua regni cœlestis aperta, & ita si quis iustus decessisset viuēte Christo, antequam inciperet pati, introisset regnum cœlorum, quod suppono erroneum. Et sequela patet, quia non ob aliud erat iustis ante aduentum Christi clausum regnum cœlorum, nisi quia nondum aduenerat satisfactio, hæc autem iam ante passionem Christi aduenerat per alia opera meritoria Christi, quæ ex opinione erāt infinitæ virtutis, in ratione meriti, & satisfactionis, idq; de rigore iustitiæ, & ita omnes Patres, qui erant in sinu Abrahæ fuissent in cœlum translati antequam Christus pateretur, ex quo ante Christus sufficienter pro illis satisfecerat ex iustitia.

Confirmatio duplex eiusdem argumenti. I.

DEINDE confirmatur. Quicquid Christus fecit secundùm quod homo, potuit facere purus homo, si ergo Christus satisfecit de rigore iustitiæ secundùm quod homo, igitur hoc ipsum potuit purus homo, consequens est à nemine concessum, & maior non potest rationabiliter negari, igitur minor est falsa. II.

QVARTO arguitur. Si Christus ad æqualitatem satisfecit, & de rigore iustitiæ pro peccatis nostris, sequitur quòd Deus de iustitia debuit esse contentus cum obsequiis & passione Christi, loco offensarum in Deum cōmissarum, & ex consequenti non potuit iustè pro eisdem offensis amplius à peccatoribus exigere. Si enim creditori suum debitum sufficienter & abundè solutum est, non erit iustum amplius à debitore pro eodem debito IIII.

debito exigere. Deus autem vltra passionē Christi, qua pro peccatoribus satisfecit, exigit ab eisdem pœnitentiam cordis, confessionem, & satisfactionem propriam, vt manifestum est, argumentum ergo certum est, quòd Christus non satisfecit ad æqualitatem de rigore iustitiæ. Quod ampliùs confirmatur, quia si Christus ad æqualitatem satisfecit secundùm rem, non opus fuisset illi orare Patrem, vt sua opera & passionem dignaretur pro nobis acceptare, quod est falsum. Et sequela satis patet de se; sequitur ergo, quòd nō fuit passio Christi secundùm naturam rei, & secūdùm rigorem iustitiæ satisfactoria, nisi quia fuit à Deo ex sua gratia & misericordia ad eundem finem acceptata, cui liberū erat eam acceptare, & non acceptare. Et ita purus homo, nec per se, nec adiunctis meritis Christi potest ad ęqualitatem satisfacere, de rigore iustitię: Præsupposita tamen lege ordinata per quam Deus statuit & promisit se placandū, & veniam his, qui pœnitentiā egerint, se concessurum, idque interuenientibus precibus & meritis Christi, tunc certum est hominem satisfacere posse mediantibus meritis Christi secundùm iustitiam hanc, quæ non ex æqualitate rei ad rem sumitur, sed ex statuto & promissione Dei, quam quia iustus, verax, & fidelis est, tenetur adimplere stante lege. D

Confirmatio eiusdem.

Resolutio secunda q̄stionis, de Christi satisfactione, eam scilicet non fuisse secundùm rigorem iustitiæ.

Respōdetur ad rationes pro sententia affirmatiua.

Ad I.

NVNC ad rationes prioris sententiæ respondetur. Ad primam, esto Christus multa obsequia Deo Patri impenderit, illa tamen nō erant omnino indebita, imò ea tenebatur impendere, cum ad id fuerit à Patre missus, & ad id à Patre mādatum acceperit, vt ex dictis patet. Verùm dato, quòd illa omnia aut multa libere, & nō ex debito fecerit, falsum est quòd Deus tenebatur de rigore iustitiæ illa remunerare, quandoquidem illa omnia poterat Pater ab illo iustè exigere pro beneficio creationis, & aliorum donorū accumulatione. Et dato adhuc, quòd teneretur ea remunerare, non tamen in aliis à Christo, sed poterat ea in eodem Christo remunerare, augendo gratiam & gloriam, & alia innumera dona illi conferendo. Ac proinde nullo modo probant, quòd Deus ex rigore iustitiæ esset obligatus peccatoribus sua delicta remittere ob obsequia Christi, & multò minùs ob eadem eisdem peccatoribus gratiam & gloriam conferre. E

Ad II.

AD SECVNDAM admisso, quòd amor Dei, quē Christus habuit, fuerit maior quàm amor sui, quē homo habuit, non sequitur inde, Christum ad æqualitatē satisfecisse: tum ob ea quæ dicta sunt; tum etiā, quia si hoc sufficeret ad satisfaciendū ad æqualitatem, sequeretur hominē purum sine meritis Christi posse ad æqualitatē satisfacere, & vnum hominē purum iustū pro alio peccatore de rigore iustitiæ posse satisfacere. Patet, qa homo postquam peccauit per amorē sui, aut mundi, potest cōuerti & amare Deum multò feruentiùs, quàm seipsum aut mundū amauerat: Et potest vnus iustus feruētiùs amare Deū quàm alius peccator odierit. Similiter etiā de amore secundùm effectum obiici posset.

Ad III.

TERTIA soluta est suprà, quod merita Christi non fuerunt infiniti valoris de se, nec ratione personæ diuinæ coniunctę, sed quia à Deo gratiosè fuerunt acceptata. Et quamuis Christus, qui Deus est, seipsum obtulerit cruci, nō tamen secundùm quod Deus, sed secundùm quod homo, & ideo nil contra dicta. F

SED ADHVC manet dubium, nam qualitercunq; Christus pro nobis satisfecerit, ad æqualitatem siue secundùm Dei acceptationem, communis tamen sententia est omnium, quòd satisfecit pro omnibus sufficienter. Cùm igitur sufficiētia vnius excludat necessitatē alterius, sequitur quòd non esset peccatori alia satisfactio necessaria, prēter eam, quam Christus fecit, & tamen Deus exigit à peccatore cōtritionem, confessionem, & satisfactionem, vt ex dictis satis patet; igitur. Respondetur, quod illa sufficientia, q̄ dicitur esse in meritis Christi & satisfactiōe Christi intelligatur ex parte sua taliter, quòd si homines ex sua parte fecerint, quod in ipsis est, & quod ab eis à Deo exigitur, p̄ merita & passionem Christi, fit vt actu à peccato redimantur, qualiter nō redimerentur seclusis meritis & passione Christi, etiamsi agerent quicquid in ipsis sit, nil illis profuisset, sicut iam prodest ob Christi merita & passionē. Itaq; fuit passio Christi sufficiēs, vt nostra pœnitentia & opera in Deum relata, Deo grata essent, & à Deo acceptarentur, qualiter sine Christi meritis non acceptarentur. Aut aliter id exponatur, scilicet quod Christus pro nobis sufficiēter satisfecit ex parte sua, quia scilicet ex parte Christi nihil amplius requirebatur ad satisfaciendum, & mundum redimendū, quàm quæ egit, & passus est, imo nec requirebatur tantum, quātum egit, & passus est, cum minus suffecisset. Vnde ait Psalmista: Copiosa apud eum redemptio. Et vna gutta sanguinis Iesu Christi suffecisset pro omnibus ad eorum redemptionē, vt dicitur in Extrauagante Clementis 6. c. vnigenitus.

Etsi Christus satisfecerit pro nobis Deo sufficiēter, requiritur tamen adhuc à peccatore aliqua satisfactio.

Qualiter Christus pro nobis Deo satisfecerit.

Opera nostra nō acceptarētur à Deo sine meritis Christi.

Aliter exponitur, quomodo Christus satisfecerit Deo sufficienter.

Psal. 129.

VBI

A VBI NOTA, quod ait, ſcilicet quòd vna gutta ſanguinis ſuffeciſſet pro omnibus, propter vnionem ad verbum, quod videtur militare contra reſponſionem ſuprà ad quęſtionem datam: Ad quod dicendum, quòd non inde ſequatur, paſsionem Chriſti infiniti valoris ſecundùm naturam rei fuiſſe, ita vt de pura iuſtitia ſatisfecerit propter vnionem ad verbum, vt ex dictis patet. Nec Clemens in illa Extrauagante intendit excludere liberalem Dei acceptationem, ſed intendit dicere, quòd Chriſti opera & paſsio tãtam excellentiam propter vnionem humanitatis ad verbum contrahebant, vt vnica gutta ſanguinis pro nobis effuſa ſuffeciſſet inclinare diuinam clementiam, ad noſtrã redemptionem, niſi ſtatutum eſſet, Chriſtum completè per mortem ſatisfacturum. Non enim ait, quòd vna gutta ſanguinis ſuffecit de facto, alioqui nil opus fuiſſet Chriſtum mori ad redimendum mundum, & animas ſanctorum Patrum de limbo liberandas, ſed dixit, quòd vna gutta ſuffeciſſet, ad ſenſum dictum.

Quomodo ſit intelligẽdum vnã guttam ſanguinis Chriſti ſuffeciſſe pro omnib. propter vnionẽ hypoſtaticam.

EST IGITVR reſolutio, quòd purus homo nõ poſsit nec per ſe, nec virtute paſsionis Chriſti de pura iuſtitia, ſecluſa liberali Dei acceptatiõe pro peccatis ſatisfacere Deo, quin liberum ſit, de potentia Dei abſoluta, nec opus hominis, nec paſsionem Chriſti acceptare in remiſsionem peccati, abſq; hoc, quòd alicui iniuſtitiam faciat, ſtante tamẽ lege, homo ſatisfacit de iuſtitia pro peccatis in virtute paſsionis Chriſti, quia iuſtum eſt Deus ſua ſeruet promiſſa & decreta. Eſt autem differentia in propoſito inter iuſtitiã rei,
B & iuſtitiam legis, quia prima requirit æqualitatem inter debitum, & redditum. Secunda verò non hanc ęqualitatem requirit, ſed vt id reddatur, quod in lege exigitur. Et ſicut ſolutio, quæ ſecundùm legem fit, obligat Deum, ſtante lege, vt illa contentus ſit, & debitũ remittat; ita ſolutio quæ ſecundùm æqualitatem rei fit, ſi qua eſſet, obligaret eundem Deum, vt ſimpliciter debitum remitteret. Cùm autem nec homo purus, nec Chriſtus potuerit Deum ſimpliciter obligare ad remittendum offenſam contra ipſum cõmiſſam aliquid illi reddendo, vel pro eo patiendo, conſequens eſt, quòd nec homo purus, nec Chriſtus potuerit ad æqualitatem ſatisfacere ſecundum iuſtitiam rej; ſecus ſecũdùm iuſtitiam legis. Addo amplius, quòd eſto teneamus, vt quibuſdam placet, merita Chriſti fuiſſe valoris infiniti in ratione meriti, & ſatisfactionis, idque propter vnionem ad verbum, quodq; Chriſtus ſatisfecerit ad æqualitatem rei reddendo tantum, imò plus in valore, quàm debuerit peccator Deo propter offenſam, adhuc tamen nõ ſatisfecit de pura iuſtitia, excludendo liberalem acceptationem. Ratio eſt, quia Deus non tenebatur de iuſtitia cõtentus eſſe cum ſolutione per Chriſtum facta, etiamſi in re eſſet æqualis, & ſuperabundans, quia in debitis ratione differẽtibus non tenetur creditor acceptare vnum pro alio. Vt ſi debes pecunias, & reddis triticum, liberũ eſt creditori triticum acceptare, & non; etiamſi æquale ſit pecuniis debitis; ſecus in rebus, quæ admittunt functionem. Cùm ergo id quod debebat peccator pro offenſa, ratiõe differat ab obſequiis & paſsione Chriſti, vt conſtat, quantumuis ſolutio per Chriſtum facta æquiualeret debito pecca-
C toris, & excederet, non tenebatur Deus de iuſtitia talem acceptare ſolutionem ſi nollet; & ita ſemper ſequitur intentum, quòd erat neceſſaria liberalis acceptatio Dei, vt Chriſtus diceretur ſatisfeciſſe per paſsionem ſuam.

Reſolutio prioris q̃ſtionis ſupra propoſitæ: purum. ſ. hominẽ neq; in virtute paſsiõis Chriſti poſſe de rigore iuſtitiæ Deo pro peccatis ſatisfacere ſecluſa liberali Dei acceptatione

Diſcrimẽ inter iuſtitiam rei, et iuſtitiã legis.

Neq; hõ purus, neq; Chriſtus ſatisfacere potuit ad æqualitatẽ ſecundum iuſtitiam rei. ſecus ſecundum iuſtitiam legis.

Etſi Chriſti ſatisfactio fuiſſet infiniti valoris propter vnionẽ hypoſtaticã, adhuc tamen non ſatisfeciſſet de pura iuſtitia, ſecluſa liberali acceptatione.

PRAESVPPOSITO igitur, quòd non poſsit homo Deo ſatisfacere pro peccatis non dimiſsis, quo ad culpam ex pura iuſtitia, ſecundùm ęqualitatem rei, eſſet dubium, an ſaltem poſsit pro dimiſsis, quo ad culpã ex pura iuſtitia ſatisfacere. Et videtur quòd ſic, eò quòd dimiſſa culpa per contritionem, æterna pœna ſit in temporalem commutata, quam quidem temporalem tenetur homo hic, vel in purgatorio ſoluere; igitur, ſi illam ſoluat, ſatisfaciet ad æqualitatem, & ex pura iuſtitia. Et certè ita videtur dicendum, ſi pœna voluntaria huius vitæ poſſet eſſe tanta, quæ æquaretur pœnæ purgatorij debitæ pro peccato dimiſſo.

Aliud dubium.

An hõ ſatisfacere poſsit Deo ſaltem pro peccatis, quo ad culpã dimiſsis, ex pura iuſtitia.

Sentẽtia prima affirmatiua.

VERVM ex ſententia Sanctorum illa pœna longè acerbior eſt, quàm quæcunque pœna vitę pręſentis, quod ita eſſe putandum eſt, comparando pœnam purgatorij ad pœnam præſentis vitæ ſecundùm intenſionem, poſſet tamen intenſio per durationem ſuppleri, vt ſi homo eſſet in purgatorio, paſſurus pœnam vnius diei intenſam vt 20. ſi in hoc ſeculo patiatur pœnam intenſam vt vnum per 20. dies, videtur æqualitas inter hãc & illam, quia quod in vna deficit ex parte intenſionis, ſuppletur per duratione͂, & ſecundùm hoc poſſet homo iuſtus pro peccato dimiſſo ſatisfacere, ad æqualitatem in caſu, præſuppoſito vt dico, quòd peccatum fuerit dimiſſum & non manſerit homo ille debitor pro illo

Secunda ſententia negatiua.

In quo ſenſu vera ſit prima ſententia.

Eadem resolutio intelligenda etiã est de peccatis venialibus.

illo nisi pœnæ temporalis determinatæ. Eodem modo posset dici de venialibus, quòd D
posit homo iustus pro illis satisfacere ad æqualitatem, præsupposito quod transeunte actu peccati venialis, non relinquatur in homine nisi debitum pœnæ temporalis soluendæ, attamen talis satisfactio etsi ad æqualitatem fieri posit, hoc tamen est præsupposita gratia & liberalitate Dei, qui cùm longè maiorem pœnam potuerit iuste à peccatore exigere, tam pro veniali, quàm pro mortali quo ad culpam dimisso, ex misericordia tamen sua non exigit maiorem, qua misericordi voluntate præsupposita procedit, quod dico, scilicet posse hominem pro huiusmodi peccatis ad æqualitatem, & ex iustitia satisfacere, excepto vt suprà tetigi, nisi pœna purgatorij, in quam fuit æterna commutata, sit alterius rationis à pœna vitæ præsentis, quia tunc præsupposita præfata Dei misericordia, certam & determinatam pœnam pro dimisso taxantis, necessaria est gratiosa acceptatio Dei pœnæ hic voluntariæ assumptæ, quia vt dixi in libertate creditoris est, petere debitum idem, nec tenetur esse contentus, si loco vnius debiti aliud specie differens soluatur, etiamsi illud aliud sit priori æquiualens, aut superabundans.

In quo sensu vera sit secunda sententia.

QVÆSTIO SECVNDA.

Quid principaliter hic quæratur.

An opera bona extra charitatẽ facta, valeant ad remissionem culpæ sine vera pœnitentia?

Ratiões pro parte affirmatiua.

QVAERITVR DEINDE an posit homo Deo satisfacere pro peccatis, per opera extra charitatem facta, & quia ad id conuenit scire, ad quid E
opera huiusmodi valeant apud Deum, ideo de hoc prius aliqua breuiter tangamus. Primò; An opera bona extra charitatem facta valeat ipsi operanti ad remissionem culpæ prius commissæ, etiamsi vera pœnitentia non præcesserit. Et dixerunt quidam quòd sic; tum ex eo quod habetur Danielis 4. quando Daniel dedit consilium regi Nabuchodonosor, dicens: Peccata tua eleemosynis redime. Et loquebatur ad hominem infidelem & gentilem. Tum etiam ex eo quod Christus dixit, Lucæ 11. Quod superest, date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis. & loquebatur ad Pharisæos, de quibus ipse Christus dixit, quòd intus essent iniquitatibus pleni, igitur his qui in peccato mortali sunt, potest eleemosyna prodesse ad peccati remissionem, & ita intentum.

I

II.

Resolutio negatiua.

Opera extra charitatem facta, neq; ad gratiam, neque ad gloriam, neq; iustificatiõem hominis absque vera pœnitẽtia prosunt.

Probatur I. II. III. IIII.

RESPONDETVR oppositum esse tenẽdum, scilicet opera extra charitatem facta, nec ad gratiam nec gloriam, nec ad iustificationem hominis sine vera cordis pœnitentia de lege prodesse posse. Hoc enim ait Paulus 1. ad Corinth. 13. Si omnem substantiam meam consumam in cibos pauperum, charitatem autem non habeam, nil mihi prodest. Et Gregorius in homilia super Ioannem 15. ait: Opera humana, nisi ex radice charitatis procedant, nihil habent viriditatis, ac proinde ad gloriam & gratiã aut iustificationem nil possunt fructificare. Facit etiam Augustinus, & habetur de pœnitentia distinctio. 7. cap. Nullus. Quem pœnitet, oportet non solum timere iudicem sed diligere, quia sine charitate non potest esse salus. Facit etiam ratio, quia quamdiu manet homo Deo inimicus, opera eius Deo accepta esse de lege nõ possunt, iuxta illud Gene. 4. Respexit Dominus ad Abel, & ad munera eius. Itaque si opera hominis Deo grata esse debent, & ad gratiam & iustificationem accepta, opus est personam ipsam esse acceptam, qualis non est, qui adhuc in peccato aliquo perseuerat. F

Ad primam rationem oppositam respondetur primò.

II.

AD ILLVD autem, quod ex Daniele citatum est dicendum, quòd, vt ait Thomas, consilium Danielis fuit, vt Nabuchodonosor pœnitentiam ageret, & se Deo subiiceret, & deinde eleemosynam faceret ad sua peccata redimenda, etiamsi in textu non omnia hæc explicentur, sic tamen est cõsilium præfatum accipiendum. Potest aliter dici, quòd Daniel illic ad literam non loquebatur de redemptione peccatorum quo ad culpam, & æternam pœnam, cùm loqueretur ad hominem ethnicum & infidelem; sed loquebatur de redemptione peccatorum quo ad pœnam temporalem vitæ præsentis, quam Deus contra Regem illum ob eius delicta infligere decreuerat. Erat enim decretum Dei, vt Nabuchodonosor fieret velut bos pascens herbam, & vt regno suo saltem ad tempus priuaretur, quemadmodum eidem explicuit ipse Daniel. Cùm igitur Nabuchodonosor cuperet huiusmodi pœnam euadere, cõsuluit illi Daniel, vt eleemosynam faceret. Quod autem non loqueretur de remissione peccatorum quo ad culpam, hinc apparet, quia statim adiecit, forsan ignoscet tibi Deus, quod verbum dubitandi locum non haberet, siue de eleemosyna ex vera pœnitentia cordis procedente loqueretur, siue de eleemo-

syna

A syna sine pœnitentia cordis facta, nam certum erat, quòd si veram cordis pœnitentiam ageret, Deus remitteret, si autem de eleemosyna sine pœnitentia facta loquebatur, certum etiam est, Deum peccata quo ad culpã non remissurum, vt suprà in tractatu de pœnitentia vtrumq; patuit. Poterat autem dubitari, an Deus pœnam, quam illi pro peccatis parauerat, esset per eleemosynam remissurus, & ideo habet locum quod adiecit per modum dubitantis, scilicet, forsan ignoscet tibi Deus.

Ad alivd dictum Christi ex Luca sumptum respondet Augustinus & gloss. quòd procedat de eleemosyna ordinatè facta, hæc autem est, quæ à seipso incipit. Supponitur enim quod eleemosynæ nomine veniat intelligendum omne beneficium alicui impensum ad eius indigentiam seu miseriam releuandam, siue sit indigentia corporalis, cibi, vel potus, vestitus, aut hospitij, siue sit spiritualis indigentia, scilicet correctionis, consilij, atque doctrinæ. Supponitur etiam, quòd peccator in mortali existens, sit in miseria culpæ, qui indiget beneficio aliquo, vt ab huiusmodi miseria releuetur, ad quod nullum conuenientius est beneficium, quam pœnitentia quæ dicitur, & est eleemosyna, quam sibiipsi peccator debet impendere ad suiipsius indigentiæ subueniendum. Si igitur peccator sibiipsi non subuenit ad propriam releuandam indigentiam, curans alienam releuare, non videtur huiusmodi eleemosyna ordinata, & ideo illi ad salutem animæ non valet. Quod igitur dixit Christus: Date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vo-
B bis, intelligitur de eleemosyna ordinatè facta, quæ à seipso incipere debet, iuxta illud Sapientis: Miserere animæ tuæ placens Deo. Breuius dici potest, quod Christus loquebatur de eleemosyna ex fraterna charitate vera, & non simulata procedente, nam statim addit: Væ vobis Pharisæis, qui decimatis mentham & rutam, & omne olus, & iudicium & charitatem præteritis. In quo significat, eleemosynam & alia opera Deo & proximis facta, si salutaris esse debeat, ex charitate vera debere procedere, quam quidem si quis ad proximum habeat, hoc ipsum sufficit, vt omnia munda sint homini. An autem sit necessarium omnia, quæ supersunt, in eleemosynas erogare, ad aliam spectat cõsiderationem.

Ad II. Solutio prima. Quid eleemosyna nomine intelligatur. Verus sensus dicti Christi: Date eleemosynã, & omnia munda sunt vobis. Eccl. siast. 30. Solutio secũda.

Svpposito ergo, quòd opera extra charitatem facta ad gratiam, gloriam, seu iustificationem non prosint: An saltem valeant ad aliquam remunerationem, seu bonum apud Deum? Et pro parte negatiua facit Paulus, vbi suprà, qui de prædicatione ac doctrina loquens, & de fide, quæ montes transferat, & de abundanti eleemosyna ait, quod si hæc fiant sine charitate, nil omnino prosint ipsi facienti, vbi videtur omnem vtilitatem prorsus ab operibus sine charitate factis excludere.

Aliud dubium. An opera extra charitatem facta valeãt saltẽ ad aliquam remunerationem apud Deum. Rationes negãtes. I.

Facit etiam Ecclesiastici 17. A mortuo, velut qui non est, perit confessio, scilicet laudis: Laudare igitur Deum extra charitatem, nil prodest. Et iterum cap. 34. Qui baptizatur à mortuo, & iterum tangit mortuũ, quid illi prodest lauatio? sic homo qui ieiunat in peccatis suis, & iterum eadem faciens, quid proficit humiliando se? orationem il-
C lius quis exaudiet? quasi dicat nemo. II.

Pro qvo etiam facit, quod ait Augustinus de peccatore dicens, indignus est peccator etiam pane, quo vescitur, & vita ipsa. III.

Facit etiam Esaiæ 58. Vbi Deus in sententia inquit, quòd orationes & ieiunia hominum in peccatis permanentium non exaudiat, nec acceptet, dans pro causa, quia in peccatis sunt, igitur. Et iterum idem Esaiæ 64. Vniuersæ iustitiæ nostræ sunt velut pannus menstruatę, igitur nil apud Deum valent nostra opera, quamdiu sine charitate fiunt, cuius est, omnem immunditiam operum purgare. IIII.

His non obstantibus videtur, quòd opera bona extra charitatem facta valeant apud Deum, ad aliquam remunerationem, & bonum saltem temporale. Id communiter colligunt Doctores ex sententia Hieronymi, & habetur de pœnitentia, distinct. 3. cap. Si quando. vbi ait: Si quando videris inter multa mala opera facere peccatorem quemcunque aliqua quæ iusta sunt, non est tam iniustus Deus, vt propter mala multa obliuiscatur illorum paucorum bonorum. Facit & Augustinus, & habetur ibidem cap. Pium est credere, & nostra fides hoc expostulat, vt cùm gratia Christi destruxit mala priora in homine, etiam remuneret bona. Et sequitur: Et cùm destruxerit, quod suum non inuenit, amat, & diligit bonum, quod in peccante plantauit. Vnde colligitur, Deum aliquãdo in homine peccante plantare aliquod bonum opus, & illud amare, & diligere, & nõ nisi illud remunerando. Facit etiam Chrysostomus apertiùs ibidem cap. Quid ergo. tollere II.

Conclusio I. Valent ad bonũ saltem temporale. Probatur I.

volens admirationem simul & turbationē eorum, qui vident in hoc mundo malos prosperari, & bonos multa aduersa sustinere, cuius ipse causam vnam assignat dicens, quia non potest vel malus in omnibus malus esse, sed habet aliqua bona, nec bonus in omnibus esse bonus, sed habet aliqua mala. Cùm ergo prosperitatem malus habet, malo capitis sui est. Cùm enim pro illis paucis bonis retributionem hic accipiat, illic iam plenius punietur. Facit & Ambrosius, vt glossa refert ad Roman. 2. dicens: Nullum malum impunitum, nec vllum bonū irremuneratum. Ex quibus patet, his bonis operibus, quæ extra charitatem fiunt, aliquod præmium respondere. D

III.

IIII. IBIDEM ETIAM patet exemplo obstetricum Ægyptiarū, quæ pro beneficio, quod erga paruulos Hebræorum exercuerant, nolentes eos ad iussum Pharaonis suffocare, remunerationem à Deo acceperunt, nam Deus illis ob id domos ædificauit: Exodi 1. cùm tamen essent infideles & idololatræ. Similiter regi Nabuchodonosor Deus regnū Ægypti saltem ad tempus dedit, pro eo, quod aduersus quasdam pessimas nationes Deo aduersantes, bellum cum magno labore gesserat, vt habetur Ezech. 29. Similiter & Augustinus quinto de ciuitate Dei ait, Romanos imperiū meruisse ob strenua & iusta opera, quæ faciebant, cùm tamen infideles essent, & in peccato. Ex quibus patet, opera bona extra charitatem facta, non esse etiam apud Deum prorsus inutilia.

V.

VI.

Conclusio II.

Valent nō tantum ad præmiū temporale, sed ad multa etiā bona spiritualia.

SED NON solùm valent ad temporale præmiū, cùm ex sententia omnium ad multa alia bona spiritualia similiter valeant, scilicet ad facilius obtinendam à Deo gratiam conuersionis, qua citius resipiscant; Valent ad acquirendos bonos mentis habitus, quibus facilius homo virtutes exerceat, & vitiis resistat: Valent ad impetrandas intercessiones Sanctorum: Valent etiam ad hoc, ne Angelus nos custodiens, nos omnino deserat, sicut desereret, si semper in vitiis viueremus, eius monitis & inspirationibus atq; consiliis acquiescere nolētes: Valent etiam ad vitandam nouam culpam, quam incurrimus, si talia opera cùm in peccato sumus, omittamus, si erant opera alioqui nobis præcepta, & ex consequenti, ne si damnaremur, grauiùs torqueremur. E

I. II. III. IIII. V.

Ad primam rationem in oppositum. AD ILLA autem, quæ prius in oppositum allegata sunt, respōdetur, quòd Paulus secundùm cōmunem sententiā doctorum intelligitur sic, quòd illa opera, quę extra charitatem fiunt, nil omnino prosint ad vitam æternā, cùm talia opera mortua sint, & principio vitæ careant, ideo nil ad viuificandū hominē in peccato mortuū prodesse possunt.

Ad II. AD ALIVD ex Ecclesiastici 17. citatum dicendum primò, quòd illic Sapiens non

Solutio I. de confessione laudis, vt Scotus putat, loquatur, sed de confessione fraudis & peccatorum, & loquatur ad hominem lapsum, exhortans eum, vt ad Dominum conuertatur, dum viuus est, & sanus, & errorem suum confiteatur, nec mortem ad id expectet, quia post mortem nil proderit, errorem suum recognoscere, & confiteri, & hoc est ad literam, & ideo illud nil agit contra responsionem datam. Quòd si de confessione laudis, qua quis in peccato existens Deum laudat, id velimus accipere, dicendum, quòd huiusmodi confessio à mortuo facta perire dicitur, quia ad consequutionem æternæ vitæ perinde est, ac si non fieret. F

Solutio II.

Ad alterā partem eiusdē argumenti respōdetur. AD ILLVD etiam ex eodem cap. 34. citatum dicendum, quòd loquatur contra homines, qui cùm semel pœnitēt, postmodum in peccatum relabuntur, quibus nil prodest ad vitam latos fuisse, nec oratio in peccato post lapsum facta, per quam vitam & remissionem à Deo petunt, exaudietur, eò quòd talium pœnitentia vera non est, quæ per relapsum interrumpitur. Itaque non excludit Sapiens valorem omnem operum, quæ in peccato fiunt, sed valorem ad gratiam & remissionem peccatorum. Sic enim in eodem cap. ait, quòd dona & oblationes iniquorum Deus non acceptabit, nec propitiabitur peccatis eorum.

Ad III. AD ALIVD ex Augustino sumptum, quòd peccator non sit dignus pane, quo vescitur, valet ad dicendum, quòd peccator nil boni mereatur apud Deum de condigno; secùs ex gratia & liberalitate ipsius Dei.

Ad IIII. AD ALIVD ex Esaia allegatū dicendum, quòd ieiunia & orationes in peccato mortali facta non valebant illis Iudæis ad iustificationem, vt dictum est, nec ad euadendum pœnas temporales & mala, quæ in hoc seculo patiebantur, de quo postea.

QVOD vltimò allegatum est, scilicet quòd iustitiæ nostræ sunt velut pannus menstruatæ, confessio est hominis pœnitentis, & misericordiam à Domino postulantis; ita enim est, quòd nil purum possit in peccatore reperiri, cùm mixtum sit vitiis & sordibus

peccati,

A peccati, sed cum hoc stat, quòd si quod bonum est in peccatore, quamuis sordibus peccati sit admixtum, illud valeat ad aliquod præmium, vt dictum est. Vnde patet, errare eos, qui ex hoc loco colligi putant, omne opus hominis sine charitate factum, esse vitium & peccatum; aliud enim est opus vitiosum esse, aliud verò opus vitiis esse commixtum. Sed de hoc aliâs.

Error quorundam.

Aliud dubium.

An eiusmodi opera valeāt ad prædictā remunerationē apud Deum ex iustitia, an verò ex liberalitate pura?

DATO IGITVR, quòd opera bona extra charitatem facta valeant ad remunerationem apud Deum, est dubium, an valeant ad idem de iustitia, an de pura gratia & liberalitate Dei, quemadmodum nonnulli Doctores dicunt, moti ex rationibus nuper in dubio præcedenti solutis; si enim talia opera valerent ad præmium aliquod de iustitia, nō ergo dixisset Augustinus, peccatorē non esse dignum pane quo vescitur, si de condigno aut de iustitia esset illi pro suis operibus aliquid à Deo reddendum. Itaq; si Deus pro talibus operibus aliquid retribuit, erit hoc, quia decet Dei bonitatem, nō quia ex iustitia peccatori aliquid ob illa opera debeatur.

Ratio ad probādum ex liberalitate tātùm &c.

Rationes aliæ ad probandum ex iustitia &c.

SED CONTRA hanc opinionem videntur aliqua militare. Primò decretum Hieronymi suprà citatum. Si quādo. vbi de peccatore, qui inter multa mala quæ egit, aliqua pauca bona operatur, ait, quòd non sit Deus tam iniustus, vt propter illa multa mala, obliuiscatur illorum paucorū bonorum, quæ interim in peccato fecit. Vbi significat, Deum iniustum fore, si illa opera bona inter peccandum facta non remuneraret, igitur ea ex B iustitia remunerat, non ex pura liberalitate, & gratia. I.

FACIT ETIAM decretum Augustini suprà citatum, vbi ait: Pium est credere, & nostra fides expostulat, vt Deus remuneret bona, quæ in peccante plantauit. Vbi non dixit solùm pium est, sed addidit, fides nostra expostulat id credere: Si igitur fides nostra expostulat credere, quòd Deus remuneret bona, quæ in peccante plantauit, sequitur, quod non ex mera gratia & liberalitate ea remuneret, sed ex iustitia saltem legis; alioqui salua veritate legis posset ea non remunerare, & per cōsequens non expostularet nostra fides credere, quòd ea remuneret &c. II.

FACIT ETIAM, quod de Nabuchodonosor citauimus Ezech. 29. vbi dicitur, quòd cùm multa onera sustinuisset aduersus Tyrum, merces non sit reddita ei, nec exercitui suo de seruitute, qua seruiuit mihi aduersus Tyrum, propter quod ait Dominus: Ego dabo eum Regem in terra Ægypti. Et sequitur: Et erit merces exercitui eius, & operi quo seruiuit. Vnde arguitur, si merces fuit, non ergo pura gratia, nam ei, qui operatur, non imputatur merces secundùm gratiam, sed secundùm debitum, vt ait Paulus ad Rom. 4. Vnde & Hieronymus super Ezechielem ibidem ait: Cæterùm ex eo quòd Nabuchodonosor mercedem accepit boni operis, intelligimus, etiam Ethnicos, si quid boni fecerint, non absque mercede, Dei iudicio præteriri. Vbi cùm mercedem nominat, debitum significat, & ita puram gratiam, & puram liberalitatem excludit. III.

Confirmatio.

C FACIT ETIAM dictum Ambrosij, suprà quoque citatum: Nullum malum impunitum, nec vllum bonum irremuneratum, vbi æqualiter de malo & bono loquitur: sicut ergo malum omne ex iustitia punitur, ita bonum omne ex iustitia remuneratur. IIII.

FACIT DENIQVE ratio, quia ad hoc, vt operi alicui impenso debeatur ex iustitia merces, non est necessaria charitas, aut amicitia cum illo, cui opus impensum est. Vt si quis faciat alteri obsequium aliquod, rem eius vtiliter agens, ex iustitia meretur retributionem, quantumcunque illud ex charitate & amicitia illius non fecerit. Si igitur aliquis Deo seruiat, vtiliter rem eius agens, etiamsi ex charitate id nō faciat, meretur apud Deum aliquam remunerationem. Talis est homo, qui cum in peccato sit, in Ecclesia Dei vtiliter laborat docendo, prædicando, corrigendo, & alia opera in filiorum Dei vtilitatem agendo. V.

PER HAEC posset aliquis moueri ad dicendū, quòd homini ex iustitia deberetur aliqua remuneratio pro operibus extra charitatem factis, & ita non ex pura gratia venirēt alia opera remuneranda. Attamen quia durum est dicere, Deum obligatum esse peccatoribus in inimicitia Dei permanentibus aliquid de iustitia debere, nisi de iustitia distinguamus, ideo notandum est, quòd humana opera possint de iustitia ad aliquod præmium valere tripliciter, scilicet ex natura operis, ex debito promissionis, seu legis, qua Deus promisit talia opera remunerare, & ex decentia ipsius Dei remunerantis.

Pro solutiōe notandū opera nostra tripliciter valere de iustitia ad aliquod præmium.

Primo modo, opera nostra siue ex gratia, siue extra gratiam fiant, non sunt meritoria alicuius præmij apud Deum, nec æterni, nec temporalis, ita vt Deus sit de rigore iustitiæ astrictus ea remunerare.

II. Secvndo modo, opera nostra ex gratia & amore Dei facta valent ad præmium æternum ex iustitia, nam pro huiusmodi operibus ex charitate factis Deus in lege sua promisit, & se quodammodo obligauit, æternum præmium largiturum, aliaque dona & bona temporalia se daturum, quatenus ad salutem æternam consequendam necessarium foret.

III. Tertio modo opera nostra bona in peccato facta valent ad aliquam remunerationem ex iustitia, prout scilicet diuinam bonitatem decet, non tamen ita, vt Deus iniustus sit, si talia opera non remuneret, sicut videtur esse, agendo contra iustitiam primo & secundo modo sumptam, iuxta dictum Augustini sæpe allegatum: Si Deus confugientes ad se non admitteret, esset iniustus &c. qui scilicet per se promissa non compleret. Cùm igitur in lege non occurrat, vbi Deus se obligauerit ad remunerandum opera in mortali peccato facta, quamuis legatur, quòd ea aliquãdo de facto & pro voluntate remunerauerit, ideo non videtur ab opinione proposita omnino recedendum, quæ quidem tenet, quod talia opera in peccato facta non sunt meritoria de condigno, seu ex iustitia primo & secundo modo sumpta.

Ad rationes probantes valorem ex iustitia.

Ad I. Conformiter ad quam posset ad rationes contra eam factas responderi. Ad primum ex Hieronymo allegatum, respondet Gratianus, illud procedere de operibus bonis ex gratia factis ab homine, qui nunc cadit, nunc autem resurgit, significans quod illa talia opera mortificata, postea per pœnitentiam reuiuiscant. Attamen Hieronymus aliter sensisse videtur, scilicet de operibus ipsis bonis, quæ in peccato mortali fiunt, vt patet ex eo, quod super Ezechielem dixit de Ethnicis, quorum opera bona suam habitura esse mercedem asseruit. Ideo dicatur, quòd cùm ait: Non est tam iustus Deus &c. loquatur de iustitia tertio modo sumpta, & significet iustum esse (iustitia sumpta ex decentia diuinæ bonitatis,) vt bona illa etiam ab iniquis facta remunerentur. E

Ad II. Ad secundum ex Augustino citatum dicendum, quòd non intendat Augustinus dicere esse necessarium & de fide credendũ, semper huiusmodi opera bona, quæ à peccatoribus fiunt, à Deo remunerari, sed intendat dicere, quòd fides, quam de diuina bonitate & liberalitate habemus, faciat nos pie credere, quòd Deus præfata bona remuneret, ideo præmisit dicens: Pium est credere &c. Cum quo tamen stat, quòd Deus ad id nullatenus sit astrictus.

Ad III. Ad tertivm de Nabuchodonosor allegatum, dicendum quòd illa remuneratio sibi facta, fuit ex liberalitate & gratia pura Dei, non ex iustitia, quandoquidem bona mundana & caduca libere dat, quibus vult, & quibus vult negat, & non ea ex iustitia dat cuicunque bene operanti. vt experientia docet. Et quamuis illic nomine mercedis scriptura vtatur, non tamen inde fit, vt debito, & ex iustitia propriè sumpta regnum Ægypti F regi fuerit traditum, sed merces illic largè accipitur, & ad omnem remuneratione͂ etiam gratiosam se extendit.

Ad confirmationem eiusdem. *Ad Rom.* 4. Quod vero ait Paulus: Ei qui operatur, non imputatur merces secundum gratiam, sed secundum debitum, accipitur de mercede propriè, & strictè sumpta, qualis est ea, quam aliquis ex operis condignitate meretur, nam loquebatur contra Iudæos, qui adeo legis operibus fidebant, vt putarent sibi ex illis potius quàm ex gratia iustificationem, & regnum Dei deberi.

Ad IIII. *Solutio prima.* Ad alivd ex Ambrosio citatum potest dici, quòd ita sit, nullum scilicet bonum esse irremuneratum, eo quod omne opus bonum secum habet suum præmium, scilicet bonitatem, sicut & omne malum secum suam pœnam habet, iuxta illud Augustini: Iussisti Domine, & ita est, vt pœna sit sibi vnusquisq; inordinatus animus.

Solutio secũda. Aut secundò potest dici, quod loquatur Ambrosius de bono meritorio, & de malo demeritorio, quod nec illud præmio, nec hoc carebit supplicio, attamen in peccatore non pœnitente nullum tale opus bonum meritorium propriè reperitur, scilicet de condigno.

Ad V. Ad postremvm dicendum, quod non sit simile, quod pro simili adducunt, quia homo ad hominem comparatus, potest alter apud alterum mercedem aliquam de condigno etiam ex natura operis mereri, non sic apud Deum, apud quem opera nostra nullam de se habent condignitatem respectu alicuius mercedis, nisi quatenus ab ipso Deo ad aliquam remunerationem acceptãtur; tum quia nil nos de nostro illi tribuere possumus,

A mus, tum etiam, quia quicquid boni agere possumus, iustè si vellet, posset ratione creationis à nobis exigere, vt suprà dicebam.

Aliud dubium. An sicut eiusmodi opera bona pro præsenti vita operãti valent, ita etiã pro futura valeãt?

Sentẽtia prima affirmatiua.

Oppugnatur dicta Sententia.

VTCVNQVE igitur valeant operanti opera bona, quę extra charitatem facit, esset aliud dubium, an sicut pro præsenti vita valent operanti, ita etiam valeant eidem pro futura, puta si ad infernum descenderit, & in præsenti pro illis remuneratus non fuerit. Et dixerunt quidam, vt Glossator decreti, quòd valebunt etiam in inferno, vt mitius illic torqueantur, prout videtur dicere Augustinus, quod scilicet tales mitius in inferno punientur. Quod sic intelligunt, quia scilicet ratione bonorũ operum, quæ peccatores in peccato fecerunt, minorem pœnam in inferno passuri sunt, quàm si ea nõ fecissent, idq; pro peccatis, de quibus nulla præcessit pœnitẽtia, quod tamen erroneũ esse videtur. Probatur primò, quia opera meritoria non valent his, qui reincidunt, & in peccato decedunt, ad hoc, vt pro peccatis non dimissis mitius torqueantur, igitur à fortiori alia opera bona non meritoria in peccato mortali facta non valebunt ad idem. I. Antecedens patet ex his, quæ ex Ezech. citata sunt, c. 18. & 33. vbi traditur, priora opera bona seu antiquas iustitias nil penitus profuturas recidiuanti, & in recidiua perseueranti: Omnia enim talia in casu obliuioni tradentur, vt inquit textus. II. Secundo, quia si aliquod opus bonum in peccato factum, valeret ad remissionem vnius gradus pœnæ inferni, sequeretur quod tot & tanta opera bona potuisset peccator in peccato facere, quot sufficerent

B ad tollendam omnem pœnam inferni, saltem sensus, & ita staret, aliquem sine charitate, & in multis peccatis mortalibus decedere, & in inferno nullam sentire pœnam, quod suppono esse contra fidem, qua credimus, in inferno nunquam ignem cruciantem extinguendum, nec vermem moriturum, nec pœnam vnquam finiendam. *Matth. 25. Esaia 66.* Et tamen sequela patet, quia cùm pœna illa finita sit secundùm intensionem gradualem, si vnum bonum opus sufficit vnum gradum remittere, secundum opus tale valebit secundum gradum tollere, & tertium, & ita de aliis.

Occurritur quibusdã obiectionibus. I.

Nec valet dicere, quod illa opera bona in peccato facta valeant ad diminuendam pœnam, non secundum æqualitatem, sed secundum proportionem. Non, inquã, valet, quia omnino videtur irrationabile dicere, quod opera fuerint in bonitate penitùs æqualia, & quod non valeant ad æqualem remissionem. II. Nec valet secundò dicere, quòd opera talia nil de pœna inferni diminuant, áttamen ita animam illic existentem confortant, vt facilius toleret pœnam sibi illatam, ad modum, quo quis onus aliquod portans, si cibum & potum sumat onere non diminuto, facilius illud sustinebit, & portabit, quàm si cibum non percepisset, eo scilicet, quod per cibum sit confortatus. Id, inquam, non valet, quia si hic cibus corporalis ab homine sumptus hominem confortat, vt facilius onus sustentet, ideo est, quia per cibum virtus prius debilitata reuiuiscit, & augetur, in damnatis autem, nec augetur virtus corporis, nec animæ per opera bona, quæ in peccato fecerunt.

III. IDEM probatur, quia si in damnatis aliqua fieret confortatio ratione operum bo-

C norum, quæ antea fecerant, maximè esset ob aliquod gaudium, quod de bonis per eos factis haberent, sed gaudium in inferno habere non possunt, vbi nullus ordo, nulla requies, sed sempiternus horror cum fletu & stridore dentium inhabitat. *Iob 10. Lucæ 3.* Deinde si de illis operibus gauderent, quæro, aut gauderent de illis, quatenus bona fuerunt; & hoc non, quia cum sint in peccatis obstinati, bonam voluntatem habere non possunt, aut complacent in illis bonis ob alium finem malum, & tunc non est rationabile dicere, quòd huiusmodi complacentia eos ab aliqua pœna releuet, vel eos, vt facilius pœnam sustineant, confortet, cum ob id potius esset augenda pœna quàm diminuenda.

Resolutio dubij propositi.

Quomodo valeant opera facta in pctõ, etiã pro futura vita.

Sensus duplex. I. II.

SI IGITVR valent præfata opera, vt peccatores mitius in inferno torqueantur, intelligatur cum Augustino in hoc sensu, quia scilicet si peccator illa bona opera quæ fecit, non fecisset, si scilicet de præcepto fuisset, ex consequenti acerbius fuissent puniti, quàm ea faciendo, & hoc prætendit Augustinus vbi suprà. Aut aliter, scilicet quod opera bona in peccato facta valent ad remissionem peccatorum quo ad pœnam temporalem, in quam fuerat æterna per contritionem commutata. Sed de hoc sensu sequenti dubitatione tangetur.

Quæstio principalis initio proposita: An scilicet opera bona extra charitatẽ facta sint apud Deum pro peccatis satisfactoria de lege ordinaria?

Sentẽtia prima negatiua.

NVNC DE EO, quod principaliter quærebatur, an scilicet opera bona, facta extra charitatem sint apud Deum pro peccatis satisfactoria de ordinata lege. In quo vide per Doctores tripliciter responderi. Quidam enim simpliciter tenent partem negatiuam. Ratio eorum est, quia nulla opera sunt apud Deum satisfactoria, nisi

quia ab ipso acceptata, opera enim nostra quãuis in charitate fiant, nõ sunt ex natura sua D
meritoria aut satisfactoria, vt suppono, sed opera extra gratiam facta à Deo nõ acceptãtur, nec illi grata sunt, siue sit ieiuniũ siue oratio, siue eleemosyna. De ieiunio patet ex eo,
Esaia 58. quod suprà ex Esaia citauimus. Vbi dicitur, quòd cum Iudæi ieiunarent, & de Deo quererentur, quòd eorum ieiunium non acceptaret, Deus illis causam quare suum ipsorum ieiunium non acceptaret, ait: Ecce in die ieiunij vestri inuenitur voluntas vestra, & omnes debitores vestros repetitis, ad lites & contentiones ieiunatis, & percutitis pugno impiè. De oratione etiam Esaiæ primo dicitur: Cùm multiplicaueritis orationes, non exaudiam. Et datur pro causa, manus enim vestræ sanguine plenæ sunt, id est, pec-
1. Corinth. 13. cato. De eleemosyna similiter patet ex Paulo ad Corinthios: Si distribuero omnem substantiam meam &c.

Secunda sententia affirmatiua. *Prima ratio.* E CONTRA verò alij tenent simpliciter partem affirmatiuam, scilicet quòd opera bona extra charitatem facta, sunt apud Deum de lege ordinata satisfactoria. Quorum ratio est, quam suprà tetigimus, quia scilicet transeunte actu peccati, non relinquitur in peccatore nisi reatus ad pœnam æternam, quæ per contritionem in temporalem commutatur, & ita non remanet aliquod debitum soluendum nisi debitum pœnæ temporalis, idq; ex lege ordinata, ergo quomodocunq; homo huiusmodi debitum soluat siue in gratia, siue extra gratiam, cedit sibi in solutum, & ita satisfacit.

Confirmatio eiusdem. CONFIRMATVR hoc à simili de alijs debitis, quæ tam Deo, quàm hominibus de- E
bentur. Si debeo proximo decem ducatos, soluendo illi totidem, satisfacio, etiamsi in gratia & amicitia illius non sim. Si debeo aliquod opus vel obsequium Deo ex voto, aut iuramento, aut lege seu præcepto, satisfacio, si illud agam, ad quod teneor, etiamsi extra gratiam illud faciam, quod quamuis mihi ad gratiam & gloriam non valeat, valet tamen
Secunda ratio. ad hoc, vt à debito, quo tenebar, manẽ absolutus, & liber. Secundò idem probant, quia non sunt deterioris conditionis homines in via existentes, quàm qui in inferno sunt æternaliter condemnati, cùm hic sit locus misericordiæ, illic verò iustitiæ, sed sic est, quod damnati in inferno soluentes pœnam temporalem prioribus peccatis quo ad culpam dimißis debitam, liberantur à reatu, & debito pœnæ temporalis, cui ob illa erant obnoxij, vt patet ex his, quæ suprà in tractatu de confeßione adduximus, quemadmodum & Thomas fatetur, in 4. distinct. 22. quæst. 1. Igitur & viatores si in peccato existentes pœ-
Tertia ratio. nam temporalem pro dimißis soluant, satisfaciunt. Tertiò ad idem: Opera bona extra gratiam facta de lege valent ad aliquam remunerationem apud Deum, vt ex dictis patet, igitur etiam valere possunt ad remissionem pœnæ temporalis. Consequentia patet, quia non minus, imò maius quid esse videtur, Deum opera nostra acceptare ad cõferendum præmium alioqui indebitum, quàm ad remittendum aliquod temporale illi debitum, quale est debitum pœnæ temporalis pro peccatis prius dimißis. Assumptum autem patet, tum de obstetricibus Ægyptijs, & de Nabuchodonosor, tum etiam de Rahab mere-
Iosue 2. & 6. trice, quæ cùm Gentilis esset, suam à Domino remunerationem accepit eò quòd ex- F
ploratores Hebræorum suo modo ab hostibus liberasset.

Tertia sententia media inter vtramque prædictam. SVNT ALII, qui sub distinctione respondent, medio modo procedentes, qui tenẽt, quòd si loquamur de satisfactione propriè, opera extra charitatem facta, quantumuis bona sint, satisfactoria tamen apud Deum non sunt. Ratio, quia satisfactio propriè actus iustitiæ est, ratione cuius ipse, qui læsus aut offensus fuit, sic cum ea debet de iustitia esse contentus, vt pro eodem debito non poßit iustè amplius exigere. Deus autem non ita astrictus est, vt opera hominis in peccato facta debeat ex iustitia acceptare. Cum quo tamen stat, quòd huiusmodi opera valeant apud Deum per viam liberalitatis & gratiæ ipsius Dei, cui liberum est ea acceptare & non acceptare si velit, quemadmodum suprà diximus eadem valere ad aliquam aliam remunerationem, seu bonum aliquod à Deo impetrandum, non quidem secundùm iustitiam rei, nec secundùm iustitiam legis, ex quo Deus in lege non promisit peccatori præmium, nec culpæ aut pœnæ remißionem propter opera in peccato mortali facta, secus secundum iustitiam, quæ sumitur ex decẽtia bonitatis & liberalitatis Dei, quem decet benignum & liberalem esse erga eos, qui
Verior est tertia sententia, quæ ex parte coincidit cum prima. bona opera faciunt, etiamsi extra gratiam ea faciant. Stando igitur in hac tertia sententia, dicendum quòd prima opinio vera sit in se, in eo quòd ait, præfata bona opera non esse satisfactoria secundum iustitiam propriè sumptam, vt distinguitur à liberalitate & gratia Dei. Verum quia per fundamentum pro illa allegatum vidẽtur illi prætendere,
quòd

A quòd talia opera non solùm satisfactoria non sint, sed quòd nec apud Deum quicquam valeant, dicendum quòd id falsum sit, vt ex dictis patet. Et quod ex Paulo & Esaia citatum est, potest accipi vt suprà, scilicet quod talia nil prosint ad gratiam & gloriam, seu ad vitam æternam, ad quam nulla talia opera acceptantur à Deo: Valent tamen & valere possunt ad alia multa bona, vt notum est. Quanquam quod ex Esaia citatum est, aliter exponi posset, vt suprà etiam exposuimus, scilicet quod Deus illorum orationes & ieiunia non acceptabat, ad finem, quem illi prætendebant, scilicet vt à plagis & malis vitæ præsentis, quæ tunc frequenter patiebantur, liberarentur, quod colligitur ex eo quod Iudæi conquerebantur dicentes: Quare ieiunauimus, & non aspexisti? humiliauimus animas nostras, & nesciuisti? Vnde apparet, causam quereiæ huiusmodi fuisse, quia videbant, & cognoscebant seueritatem Dei, qui illos à malis non eriperet. Cum autem illi scire non possent, an Deus interiora mala, id est, culpam aut pœnam pro peccato debitam amoueret, vel non, consequens est, pro amotione malorum, quæ sentiebant, eos orasse & ieiunasse, in quo minimè fuerunt exauditi.

Respondetur ad rationem I. sententiæ. I. II.

COROLLARIE sequitur, posse opera hominis Deo esse accepta ad bonum aliquod temporale, seu ad remissionem pœnæ temporalis absque hoc, quod persona ipsius hominis sit ad gratiam & gloriam accepta, ac proinde potest homo satisfacere Deo largè ad sensum dictum, etiamsi ad pristinam amicitiam non redierit. Et quòd de ratione satisfactionis non sit amicitiæ restitutio, patet de satisfactione, quæ homini fit pro iniuria sibi prius illata, quam potest luere in corpore vel in bursa, vel in alio contrapasso, idque secundùm iustitiæ æqualitatem, etiamsi in offensi amicitiam non redeat, nec forte antea vnquam animus fuerit in eam redire. Ac proinde quod Doctores dicunt, quòd in satisfactione restituta amicitia debeat iustitiæ æqualitas seruari, procedit de satisfactione, quæ Deo fit secundùm iustitiam legis, secundùm quam nemo potest Deo satisfacere taliter, vt Deus de iustitia manere debeat contentus, nisi satisfactio huiusmodi in gratia & charitate fiat, quia, vt sæpe tactum est, solis his, qui in charitate sunt, & operantur, legitur Deus promisisse præmia & peccatorum veniam, non aliis, ad quos dicere absque iniustitia potest: Amen dico vobis, nescio vos.

Corollarium.

B *De ratione satisfactionis non est amicitia restitutio.*

Quomodo sit intelligendum, in satisfactione amicitia restituta, seruādam esse iustitiæ æqualitatem.

Matth. 25.

AD RATIONES autem secundæ opinionis suprà positæ dicendum, quòd vt quibusdam placet, in contritione non fuit æterna pœna in temporalem qualitercunque soluendam commutata, sed hac lege, vt in gratia soluatur, sed hoc nec verum est, nec sic dicere ad defensionem huius tertiæ sententiæ, necessarium est. Quod etiam falsum sit dictum illud, patet, quia per contritionem absolute fuit peccatum quo ad culpam remissum, & non cum conditione ex futuro pendente; tū quia absolute & sine præfata conditione fuit per cōtritionem gratia gratū faciens collata; tum quia si temporalis illa pœna in gratia non solueretur, veniret homo ille priùs contritus æternaliter puniendus pro peccatis iā dimissis, & non minùs quàm si dimissa non fuissent, quod suppono falsum ex C dictis in tractatu de pœnitentia. Tum etiam quia videtur contra Dei promissum, qui per Ezechielem promisit dicens: Quacunque hora ingemuerit peccator, non amplius recordabor peccatorum suorum, supple ad puniendum ea æternaliter, de quo alias.

Ad I. rationem II. sententiæ. Solutio triplex. I. *Reiicitur.* II. *Solutio.*

QVOD ETIAM non sit necessarium sic dicere ad defendendam hanc tertiam sententiam patet, quia bene stat, quòd pœna æterna sit per contritionem in temporalem absolutè & sine conditione commutata, & quòd si illam pœnam temporalem quis in peccato voluntariè assumat, non satisfaciat secundùm iustitiam, sed secundùm liberalitatem & gratiam ipsius Dei acceptantis, vt patet ex dictis; quam si nolit ad remissionem præfatæ pœnæ temporalis acceptare, non inde fit, vt æternaliter in inferno pro dimissis puniatur, imò patiendo illic pœnam illam à Deo taxatā, tandem ab illa liberabitur, idq; de iustitia, eo quòd in inferno non satisfactio, sed vindicta locum habet, & pœna illic illata potius opus est Dei, quàm ipsius damnati, satisfactio autem opus est satisfacientis, quod quando in peccato fit, non cedit de iustitia in solutum, sicut cedit passio, qua inferno debita pœna soluitur.

Reiicitur.

IDEO AD rationem aliter dicendum, concesso quòd post contritionem non maneat nisi debitum temporalis pœnæ, non sequitur, quòd quomodocunque homo eam soluat, cedat sibi de iustitia in solutū, quia pœna temporalis in quam fuerat æterna commutata, non est quæcunque pœna, quam homo velit assumere aut pati, sed est pœna purgatorij, vbi locum habet vindicta, & si Deus illam pro peccato homini infligeret in vita præsenti,

III. Solutio. Etsi post contritionem maneat tātùm debitum pœnæ temporalis, nō quomodocunq; tamen homo eam soluat, cedit sibi de iustitia in solutū.

præsenti, etiamsi in peccato esset, fateor quòd cederet sibi de iustitia in solutum, quia non erat alterius pœnæ debitor. Si tamen homo sua voluntate opus aliquod pœnale in peccato factum assumat, quantumcunq; pœnale sit, non cedit sibi de iustitia in solutum, quia non est illa pœna, quam pro peccato dimisso debebat, ideo liberum erit Deo ex gratia sua illam pœnam sic assumptam loco debiti acceptare. Ad confirmationem dicendum, quòd non sint similia, quæ illic pro similibus afferuntur, quia inter homines locum habet satisfactio sicut & restitutio ad æqualitatem rei, non sic inter homines & Deum. Alia etiam debita ex voto & lege seu præcepto solui possunt in peccato, quia intentio præcipientis sub præcepto non cadit, nec ponitur sub præcepto modus aut qualitas operis, sed opus ipsum. Vt tamen quis Deo secundum iustitiam pro peccatis satisfaciat, non sufficit opus, sed modus, & qualitas requiritur, puta q́ sit hominis Deo grati. D

Ad confirmationem eiusdem I. rationis.

Ad II.

AD SECVNDAM, quòd non sint deterioris conditionis viatores quàm damnati, respondetur, illam solutam esse ex dictis, quòd damnati non satisfaciant, sicut nec viatores in mortali existentes, quamuis damnati soluendo pœnam temporalem à Deo taxatam, eam scilicet patiendo, liberentur ab illa, vt tandem finem habeat, quod vindicta est, non satisfactio, ideo nil probat ratio illa.

Ad III.

AD TERTIAM patet etiā ex dictis solutio, quòd talia opera posśint valere non per viam meriti aut satisfactionis propriȩ, sed per viam gratiæ & liberalis impetrationis, siue ad remunerationem, siue ad pœnæ remisśionem. E

QVÆSTIO TERTIA.

An opera facta extra charitatē superueniente postea charitate incipiant esse meritoria? Sententia I. affirmatiua. Argumentū I.

DE EISDEM operibus extra charitatem factis quęri similiter solet, cùm meritoria non sint quando fiunt, nec satisfactoria, an superueniente charitate incipiant esse meritoria. Et dimisso vocabulo meriti insistendo in re, dixerunt aliqui, quòd præfata opera incipiant valere ad gratiam & gloriam per nouam complacentiam ex charitate habitam, vt videtur tenere Gratianus de pœnitentia. distinctione 3. capit. Quærat hic &c. & alij post ipsum. Pro qua sententia facit Augustinus, & habetur de Consecratione. distinct. 4. cap. Tunc valere ad salutem incipit baptismus, quando fictio veraci contritione à corde recesserit, ergo similiter opera bona in peccato facta incipiunt prodesse

II. ad salutem, veniente charitate. Secundo, quia quod illis operibus deerat, quando fiebant, ne ad salutem prodessent, scilicet relatio in Deum, hoc ipsum apponitur, superue-

III. niente charitate per nouam complacentiam. Tertio, iustus si aliquid à Deo petat, obtinebit, iuxta dictum Christi: Si quid petieritis patrem in nomine meo, fiet vobis. Cum ergo superueniente charitate petat à Deo, vt opera bona, quæ antea fecerat, dignetur acceptare, sequitur intentum, non enim minus misericors est & liberalis, quàm homo magnificus, & nobilis: hic autem obsequia eidem, tempore quo reus exulabat, impensa ex F liberalitate, solet post condonatam culpam in se commissam remunerare, maximè ad petitionem ipsius, qui iam reconciliatus est, & hoc est in homine laudabile, igitur non

IIII. est Deo negādum. Quartò facit decretum Augustini suprà citatum, scilicet Pium est. de pœnitentia distinct. 3. vbi ait: Pium est credere, & sic fides nostra expostulat, vt cum destruxerit mala peccatoris, remuneret bona, quæ in peccante plantauit. Ex quo intelligi-

V. mus, quòd Deus remuneret bona in peccato facta, postquam peccatum fuerit per superuentum charitatis remissum. Postremò idipsum videtur ex eo, quod habetur de pœnitentia. distinct. 4. capit. Intermittentes. vbi dicitur: Hæc sicut peccando fiunt irrita, ita per pœnitentiam reuiuiscunt, & ad meritū æternæ vitæ singula prodesse incipiunt, etiam illa, quæ peccatis inueniuntur admixta, sed opera bona peccatis mortalibus admixta, fiunt extra gratiam, igitur illa superueniente charitate incipiunt ad vitam prodesse.

Resolutio negatiua. Opera facta in mortali, nō incipiunt aduenien te charitate esse meritoria: licet complacētia illa ex charitate procedens sit meritoria.

HIS NON obstantibus dicendum est, quòd illa noua complacentia, qua homo complacet in præfatis bonis operibus, quatenus honesta erant, & proximis conuenientia, si in Deum ordinetur, bona sit & meritoria, valens ad gratiam & gloriam. Quod tamen illa priora opera in peccato mortali facta incipiant superueniente charitate valere ad gratiam, & gloriam propriam, vltra gloriam, quæ præfatæ complacentiæ respondet, non est verum de lege ordinata, sed falsum. Verùm cum nonnulli Doctores contenderent, posse præfatam opinionem tanquam piam teneri, probo non piam sed impiam esse,

A esse, quandoquidem quod legi Euangelicę, & Dei ordinationi aduersatur, pium dici non
potest, sed impium.

Eius I. sententia ab aliquibus vt pia censeatur, eã tamen falsam esse probatur.

I.

Christus nõ nisi operibus ex charitate factis, mercedem æternæ vitæ promisit.

Matt. 10. & 16.

Et primo arguitur contra eam, quia Christus non legitur promisisse vitam æter-
nam, quæ merces boni operis est, nisi propter opera facta ex amore ipsius Christi, & Dei.
Patet hoc Matthæi 5. de tolerantia malorum, quæ in vita præsenti ab iniquis inferuntur,
ait enim: Beati estis vos, cùm maledixerint vobis homines, & persequuti vos fuerint, &
dixerint omne malum aduersùs vos, propter me, gaudete, & exultate, quoniam merces
vestra copiosa est in cœlis. Et Matthęi 10. & 16. Qui perdiderit animam suam propter me,
inueniet eam. Et ca. 19. Omnis qui reliquerit domos, aut fratres, aut sorores, aut patrem,
aut matrem, aut vxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum acci-
piet, & vitam æternam habebit. Idem docet cap. 10. de eleemosyna facta alicui prophe-
tæ iusto, vel discipulo, aut cuicunque alij, quòd scilicet debeat propter Christum fieri, si
debet habere mercedem. Vnde huiusmodi amorem Christi commendans ait: Qui ama-
uerit patrem, aut matrem, aut filium supra me, non est me dignus. Et sequitur: Qui per-
diderit animam suam propter me, inueniet illam. Et qui vos recipit, recipit me, & qui me
recipit, recipit eum, qui misit me. Qui recipit prophetam in nomine prophetæ, merce-
dem prophetæ accipiet. Qui recipit iustum in nomine iusti, mercedem iusti accipiet. Et
qui dederit ad bibendum vni ex pusillis his poculum aquæ frigidæ, tantum nomine di-
B scipuli, amen dico vobis, non perdet mercedem suam. Et cap. 18. Qui recipit vnum pue-
rum in nomine meo, me recipit. Et cap. 25. hoc idem docet, scilicet quòd illi reportaturi
sunt mercedem vitæ, qui propter Christum pauperibus cibum, potum, ac vestitum tri-
buent, & alia illis opera misericordiæ impendent. Si igitur secundum statutum & legem
Christi non est promissa merces æterna nisi pro operibus bonis ex amore seu charitate
Christi factis, temerarium est & erroneum dicere, quòd propter alia opera in peccato
mortali extra Dei charitatem facta, sit aliquis præmio æternæ vitæ secundum legem re-
munerandus.

II.

Opera nostra nisi ex charitate tanquam ex radice procedant, non valent ad vitam æternã.

Secvndo, contra eandem positionem & pro veritate facit, quod opus hominis
nisi ex fundamento & radice charitatis procedat, non valeat ad vitam æternam, imò
perinde sit ac si non fuisset, saltem respectu vitæ æternæ consequendæ. Hoc docet Chri-
stus Matthæi 7. per parabolam aut similitudinem loquens de eo, qui ædificat super pe-
tram, id est, de eo, qui opera facit fundata supra Christum, quòd tale ædificium stabit, &
non corruet. Ratio, quam ibidem Christus dat, est, quia fundatũ est supra petram, econ-
tra vero ædificium operum, quod supra petram fundatum non est, sed super arenam,
corruet & deiicietur. Ex quo apparet, quòd opera hominis, si remuneranda æternaliter
sunt, & non peritura, opus sit, Christum esse in ipso operante, velut fundamentum illa
sustentans, ac proinde vbi non est Christus, non posit opus subsistere. Idem docet cap.
13. in parabola de seminante, cuius semen cecidit in petrosam terram, quod quidem or-
C tum est, sed quia non habebat radicem, exaruit, vbi glossa ait, esse id accipiendum de
radice charitatis. Et in eadem parabola docet Christus, quis fuerit ille, qui facit fructus,
id est, opera permanentia, quæ ad vitam valeant, scilicet ille, qui verbum Dei audit, & in-
telligit, & in corde retinet per fidem, cui est adiuncta dilectio, talis enim fructificat, vnus
quidem centesimum, alius sexagesimum, alius trigesimum, hi enim sunt, qui figurantur
per terram bonam, qualis non est ille, qui est in peccato mortali, sed ille, qui est filius re-
gni, vt idem Christus exponit in parabola de zizaniis dicens, quòd semen bonum sit fi- *Matth. 13.*
lius regni, hic autem est, qui habet charitatem, quæ sola diuidit inter filios regni & perdi-
tionis, vt habet glossa in Canonica Ioannis. Igitur is, in quo non est Christus & charitas
& fides, quæ per dilectionem operantur, non potest operari fructus, qui posint ad vi-
tam æternam valere. Idem etiam docuit Christus Ioannis 15. dicens: Sicut palmes non
potest ferre fructum, nisi manserit in vite, ita & vos, nisi in me manseritis. Et subiungit:
Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum. Ex quo patet, quòd cùm nullus
dicatur esse in Christo, & Christus in ipso, nisi qui charitatem habet, consequens sit, nul-
lum opus factum ab eo, qui manet in peccato mortali, posse de lege ad vitam æternam
prodesse. Super quo ait Augustinus in quadam homilia: Nisi quis mundus sit, non
potest ferre fructum. Et idem Augustinus super Genesim ait, gratiam Dei esse semina-
rium gloriæ. Et beatus Gregorius in quadam homilia super Ioannem ait, nullam esse
veram virtutem, quæ ad gloriam conferat, nisi ex radice charitatis procedat, dicens:

Multi

Multi enim arboris rami ex vna radice prodeunt, sic multæ virtutes ex vna charitate generantur, nec habet aliquid viriditatis ramus boni operis, si non manserit in radice dilectionis. D

III. Tertio idem ex doctrina Pauli in multis locis colligitur, in Epistola ad Ephesios 3. precatur illis, vt Christus in illis habitet, per fidem in corde, vt sint radicati in fide & charitate, & in eadem fundati, vt possint cum Sanctis cognoscere, quæ sit latitudo, longitudo, sublimitas, & profunditas. Vbi glossa sublimitatem charitatis interpretatur relationem operum bonorum in æternam mercedē, quę Deus est, in quam, inquit, si opera nostra bona non referuntur, pereunt, hoc est, nisi propter Deum fiant. Rursus ibidem c. 4. quamuis per verba obscura doceat modum, quo homines crescunt secundum ædificium spirituale, quo Ecclesia Christi ædificatur, & quo vnusquisque etiam ædificatur, & crescit in virum perfectum, cuius ædificij spiritualis fundamentum est charitas & fides Christi, vt illic docet, dicens scilicet: Veritatem sectantes in charitate adolescamus in illo per omnia, qui est caput, nempe Christus, in quo totum corpus compactum & connexum per omnem iuncturam subministrationis iuxta actum in mensura vniuscuiusque membri incrementum corporis facit, in ædificationem suiipsius per charitatem. Idem significat ad Colossen. 2. Idem etiam prima ad Corinth. 3. Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id, quod positum est, quod est Christus Iesus, id est, fides Christi, quæ per dilectionem operatur, vt exponit Augustinus, & statim docet, quæ ædificatio sit permansura, & quæ opera approbanda, puta bona opera & vera doctrina super dictum fundamentum fundata: reliqua vero in igne probationis ardebunt, & peribunt; in Christo autem non dicuntur opera aliqua fundari, nisi ea, quæ ex fide & amore Christi procedunt. Similiter sæpe idem Paulus docet, opera nostra, si debeant ad vitam prodesse, in Deum esse referenda. Vnde ad Colossenses 3. Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt, quærite, nam vita nostra abscondita est cum Christo in Deo. Non autem aliud est quærere, quæ sursum sunt, nisi ob amorem supernorum operari, nam per alia opera, quæ ob alium finem facimus, non dicimur superna quærere, quod prius etiam Christus docuerat dicens: Nolite thesaurizare super terram, sed in cœlis. & addit: Vbi enim est thesaurus tuus, ibi & cor tuum erit. Vbi significat, quod qui non ex amore supernorum, scilicet Dei facit eleemosynam, non thesaurizat in cœlis, ex quo non habet cor in cœlestibus, igitur nec præmia cœlorum reportabit, propter opera absque prædicto amore facta, qualia sunt, quæ extra charitatem fiunt. Vnde & ibidem, similiter 1. ad Corinthios 10. hortatur, vt omnia, quæ agimus, in gloriam Dei referamus, dicens: Siue comedatis, siue bibatis, siue quid aliud agatis, omnia in gloriam Dei facite. Nec videtur, ad quid sit nobis id necessariū, nisi vt opera nostra nobis ad vitam prodesse valeant: nam reliqua opera ad id non prodesse, satis significat ad Galatas 6. dicens: In Christo Iesu nec circumcisio aliquid valet, nec præputium, sed noua creatura, & quicunque iuxta regulam hanc incedunt, pax super eos & misericordia. Vbi apertè docet, solam nouam creaturam esse aliquid in Christo. Est autem noua creatura, quæ deposito veteri homine, Christum induit, & iuxta Christi regulam ambulat, ac proinde cùm opera facta extra charitatem, non sint opera nouæ creaturæ, nec nouam creaturam faciant, sed potius ad veterem hominem pertineant, sequitur quòd illa nil sint in Christo ad obtinendam pacem & Dei æternam misericordiam. Quod apertius idem Paulus docet dicens: Si linguis hominum loquar & angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans. Et post: Si distribuero totam substantiam meam in cibos pauperum, & fidem habeam, ita vt montes transferam, charitatem autem non habeam, nil sum, scilicet ad obtinendam gratiam & gloriam. Ex quibus & innumeris aliis, quæ afferri possent, patet, quòd opera in peccato mortali facta, nunquam æterno præmio remunerabuntur, nec ad gloriam vnquam prodesse valebunt, etiamsi postmodum ex charitate superueniente complaceant. E F

Opera nostra bona nisi referantur in Deū, pereunt.

Matthæi 6.

Quid sit, nouā esse creaturam.

1. Corinth. 13.

IIII. Qvarto arguitur ratione, quia ex sententia omniū, nullum opus potest esse æternæ vitæ meritorium, nisi sit in Deum relatū, sed opera, quę in peccato mortali facta fuerint, de quibus postea complacentia habetur, nunquam sunt in Deum relata. Patet, quia non quando fiebant, vt suppono, nec etiam quando superuenit complacentia cum charitate. Patet hoc, q̃a tunc talia opera nō sunt, sed p̄terierunt, igitur tunc non referuntur in Deū: hoc enim est, opus in Deum referri, quod est ipsum ex amore Dei actualiter, vel virtualiter pro-

A ter procedere & fieri. Cùm ergo per nouam complacentiam non fiat, vt opera, quæ pręterierunt, fiant ex amore Dei, vt constat, sequitur intentum.

QVINTO, si opera in mortali facta, postea per nouam complacentiam valent ad gloriam, quęro iuxta quam charitatem veniant remuneranda. Non iuxta charitatem, ex qua fuerunt facta, vt constat, igitur secundùm charitatem, ex qua homo in illis factis complacet: sed hoc est inconueniens, quia tunc sequeretur, quòd homo maiorem gloriam obtineret ob opera facta in peccato mortali, quàm ob opera ex charitate facta. Patet, si quis ex charitate, vt vnum, fecit opera meritoria, & alio tempore in peccato mortali, fecit aliqua bona opera, de quibus resurgens complacet ex charitate vt quatuor, & patet iam illatum. Si dicas, vt inconueniens euites, quod si ex charitate eadem complaceat in bonis, quæ ex gratia fecerat, sicut in bonis, quæ extra gratiam fecerat, tunc per hanc nouam complacentiam ampliùs remunerabitur ob opera meritoria facta, quàm ob alia extra gratiam facta. Contrà, quia tunc sequitur, quòd idem opus non semel, sed pluries ad nouam gloriam acceptetur, toties scilicet, quoties quis in gratia de illo complacet, & ex consequenti dabis, quòd ob vnum opus paruum & paruæ vtilitatis, si de illo frequenter quis complaceat, remunerabitur tantum, quantum pro multis & magnis meritis ex charitate factis, quod est inconueniens. V. *Obiectio.* *Solutio.* *Corollarium triplex.* I.

B SEQVITVR amplius, quòd ob peccata prius dimissa quo ad culpam punietur homo æternaliter. Patet, si postea in illis complaceat; non enim minus operatur complacentia in peccato, vt pro illo æternaliter puniatur homo, quàm complacentia in bono, vt pro illo æternaliter præmietur, consequens suppono falsum. II.

SEQVITVR amplius, quòd homo propter vnum & idem opus ordinetur ad vitam æternam & ad pœnam æternam successiuè. Patet si homo fecit, cùm in peccato esset, vnum opus, quod de se est referibile in bonum & malum finem, deinde eo elapso superueniat complacentia de eodem propter Deum, iam ordinabitur ad vitam. Postea superueniat alia complacentia de eodem ob peruersum finem, tunc ordinabitur ad æternam mortem: nec enim est maior ratio, quod per bonam complacentiam ordinetur ad vitam, quàm per malam ad mortem; Ad hunc modum possent alia inconuenientia inferri. Tenendum igitur est, quòd opera extra charitatem facta, sicut meritoria gratiæ, & gloriæ non sunt, quando fiunt; ita nec postmodum superueniente charitate, & noua complacentia meritoria erunt, sed ipsa noua complacentia ex charitate procedens erit meritoria. III. *Summa quæstionis.*

IAM AD rationes pro priori sententia factas respondendum. Ad primam, quòd si baptismus ficte susceptus, incipit recedente fictione prodesse, ideo est, quia baptismus valorem non habet ex dispositione baptizantis, neq; baptizati, sed ex solis meritis Christi, & fide Ecclesiæ, quæ merita cum semper in Dei acceptatione viua sint, ita & baptismus in se semper est viuus. Quòd si non illicò eum, qui fictè baptizatur, viuificat, ideo est, C quia ponit obicem, quo semoto, suum operatur effectum. Et quamuis hoc non sit omnibus sacramentis commune, his scilicet, quæ iterari possunt, attamen his, quæ iterari non possunt, secundùm communem sententiam conuenit gratiam præstare, quando suscipiuntur, si obicem non reperiant, vel si reperiant, quando per superuentum charitatis fictio recesserit, non quidem virtute nouæ complacentiæ, sed virtute sacramenti suscepti, ad quod impertinens est, siue accedat, siue non accedat huiusmodi complacentia. *Respondetur ad rationes I. sententiæ.* *Ad I.* *Causa, quare baptismus fictè susceptus, recedente fictione, consequatur effectum suum.*

AD SECVNDAM, fateor, quòd quando illa opera fiebant, deficiebat circumstantia vltimi finis necessaria, vt meritoria esset. Sed quamuis postea, charitate superueniente, homo in illis propter Deum complaceat, non tamen inde fit, vt eisdem operibus circumstantia, quæ deerat, apponatur. Id patet ex dictis, quia circumstantia, vt actum circumstet, tunc debet apponi, quando opus fit, ex quo necesse est opus in certum finem relatum, ex amore talis finis procedere, & causari, quod nullo modo potest fieri, si post opus factum quis in illo propter finem nullum complaceat. Adde, quòd si ratio aliquid probaret, similiter probaret, quòd si quis, quando baptizatur fictè, nõ verè intus consentiens ratione, cuius verum sacramentum non est, quòd si postea consensum, qui defuit, apponat, incipiet esse verum sacramentum baptismi, quod est erroneum. *Ad II.* *Quid desit operib⁹ bonis in peccato factis, ad meritum.*

AD TERTIAM respondetur, iustum iustè à Domino petentem quod bonum est, & ad æternam salutem simul & ad gloriam Dei conferens, exaudiri. Petere autem à Domino, vt opera in peccato mortali facta remunerentur à Domino præmio æternæ *Ad III.*

vitæ,

vitæ, ac si in charitate facta fuissent, non est iusta petitio, cùm sit de eo, cuius oppositum D
Dominus ordinauit, qui statuit non nisi iustos, & pro operibus iustis propter Deum & in charitate factis præmio vitæ æternæ remunerare, vt ex dictis patet. Nec contrà facit simile de homine magnifico, obsequia eidem tempore inimicitiæ facta remunerante, nam etiam Deus similia obsequia remunerat longè ampliùs, quàm homo, tam temporaliter, quàm spiritualiter, vt sibi placet, citra tamen præmium finale æternum.

Ad IIII. AD QVARTAM ex Augustino sumptam solet responderi, inde non colligi, nisi quòd Deus remuneret bona opera in peccato mortali facta, sed citra æternum præmiũ. Videtur tamen decretum Augustini procedere de remuneratione gloriæ æternæ & finalis præmij. Nam si de temporali præmio loqueretur, non dixisset, vt cùm destruxerit mala ipsius peccatoris, remuneret bona, quæ in peccante plantauit. Quia ad remunerandum temporaliter bene operantem, non opus est, peccata prius destrui, quandoquidem multos peccatores temporaliter remunerat, antequam eisdem peccatum dimittat. Et ita videtur, quòd loquatur de remuneratione ęterna, qua remunerat, non quidem opera bona ex charitate facta, sed opera meritoria, quæ per peccatum sequens fuerant mortificata. Et ita hoc decretum valet ad probandum quod supra diximus, scilicet opera meritoria mortificata reuiuiscere ad æternum præmium, quando homo à peccato ad gratiam resurgit.

Ad V. AD POSTREMAM ex decreto de pœnitentia distinct. 4. citatam dicendum, quòd E
sit dictum Gratiani, qui fuit illius sententiæ, quam impugnauimus, non alterius Sancti. Quòd si quid authoritatis habet, seu veritatis, intelligatur de operibus mortificatis, quæ reuiuiscunt ad æternum præmium, quemadmodum nuper dicebamus.

Aliud dubium. An opera extra charitatem facta superueniẽte charitate saltẽ incipiant esse satisfactoria?

PRAESVPPOSITO ergo, quòd opera bona extra charitatem facta nõ incipiant esse meritoria gloriæ per nouam complacentiam ex charitate superueniente habitam, quærebatur secundò, an saltem incipiant tunc esse satisfactoria. Quam quæstionem ex dictis arbitror notam esse; dixit tamen Thomas in 4. distinguendo huiusmodi opera:

I. *Sentẽtia duo genera eiusmodi operum distinguit.*

I. Nam sunt quædam, quæ post se in pœnitente effectum pœnalem relinquunt, vt eleemosyna, post quam erogatam manet homo commodo temporali in parte priuatus, & ieiunium, post quod manet homo in parte secundùm corpus debilitatus. Et talia bona licet satisfactoria non essent, quando fiebant, ob defectum charitatis, ea tamen superueniente, incipiunt satisfactoria esse, nec opus est ea iterare, idque ratione effectus pœnalis, quem reliquerunt.

II. Alia verò sunt opera in peccato facta, bona quidem, sed nullum talem post se effectum pœnalem reliquerunt, qui postmodum à Deo acceptetur, ideo talia non incipiunt satisfactoria esse per superuentum charitatis, & veniunt reiteranda, saltem si vult homo pro dimissis peccatis in præsenti satisfacere.

Oppugnatur dicta sententia.

I. Hanc opinionem suprà, quando de pœnitentia iniuncta agebamus, probauimus non omnino veram esse, tum quia ex dictis opinantis, nullum opus potest de lege satisfactorium apud Deum esse, nisi meritorium sit, & ex charitate factum, vt ipsemet Thomas ait, cùm omne tale debeat esse Deo gratum & acceptum: Si igitur opera bona in peccato facta per superuentum charitatis meritoria esse non incipiunt, nec in se, nec in effectu suo, apertum est, ea non incipere satisfactoria esse, nec in se, nec in effectu suo. F

II. Tum etiam, quia non semper ex ieiunio aut eleemosyna relinquitur effectus prædictus pœnalis, qui duret vsq; ad superuentum charitatis, vt suprà exemplificauimus, econtrà verò ex oratione aliquando relinquitur talis effectus vsque ad superuentum charitatis, non igitur valet differentia inter orationem & alia præfata opera posita.

III. Deinde demus, quod ex illis operibus præfatus relinquatur effectus vsquequò charitas superueniat, quæro, quid est quod incipit satisfactorium esse? opus iam elapsum, an effectus illius remanens? Non primum, vt satis ex dictis constat. Nec secundum, quia satisfactio esse non potest, nisi voluntaria sit, vt à vindicta distinguatur, ille autem effectus remanens non sic est voluntarius in se, cum actu priore transeunte non subiaceat potestati voluntatis. Quòd si voluntarius dicatur antecedenter, q̃a scilicet ex actu voluntario elapso relictus est, id non sufficit, vt satisfactorius dicatur, quia nil est satisfactorium virtute voluntatis prioris, tempore peccati habitæ, vt suppono.

Occurritur obiectioni. Si dicatur, effectum illum esse voluntarium noua voluntate complacentiæ, & hoc sufficere vt satisfactorius sit. Contrà, quia tunc ipsa complacentia, quæ ex charitate fit, erit satisfactoria, non præfatus effectus, qui ex charitate non fit; & iterum, quia complacere in actu bono præterito, etiamsi effectum non reliquerit, erit satisfactorium; & iterum,

A iterum, complacere in effectu pœnali, vndecunque fuerit relictus, siue ex actu bono, siue ex malo, erit similiter satisfactorium; Ad hunc modum possent alia inferri. Adde quòd Thomas nullam de huiusmodi complacentia mentionem facit, sed de solo charitatis superuentu.

IDEO ALITER videtur iuxta ea, quæ dicta sunt respondendum, quòd loquendo propriè de satisfactione, prout iustitiam dicit, qua scilicet offensus, de iustitia debet esse contentus cum tali solutione, quòd opera præfata sicut satisfactoria non fuerunt tempore quo fiebant, ita nec satisfactoria esse incipiunt, tempore quo charitas superuenit, cùm Deus nec ex natura solutionis huiusmodi, nec ratione legis per eum statutæ debeat esse contentus, nec teneatur talem solutionem ad remissionem pœnæ per se peccato debitæ acceptare; Secus si loquamur de satisfactione largiùs sumpta, secũdum iustitiam ex decentia diuinę bonitatis, & liberalitatis consideratam, quia tunc teneri potest, quòd præfata opera sint hoc modo satisfactoria per superuentum charitatis, maximè si effectum pœnalem, vt dictum est, reliquerint. Sed hoc modo largè de satisfactione loquendo, æquè potest dici, quòd opera præfata bona erant satisfactoria, quando fiebant extra charitatem, quemadmodum suprà in tractatu de confessione ex parte defensabatur. An autem de facto Deus acceptet præfata opera ad remissionem pœnę temporalis dimissis peccatis debitæ, tempore quo fiunt, an tempore quo superuenit charitas, an nunquam, cùm hoc sibi liberum sit salua lege, incertum est. Vnum tamen est, quod difficultatem doctoribus facit, qui dicunt, præfata opera nec quando fiunt, nec quando superuenit charitas, satisfactoria esse, & est glossa interlinearis, quæ habetur Leuit. 25. super illud: Si frater tuus attenuatus &c. Vbi ait glossa, quod fructus bonę conuersationis computetur à tempore, quo vendidit, id est peccauit, & reliquum satisfactionis opponet emptori, id est, diabolo; igitur opera bona in peccato facta valent superueniente charitate, ad hoc, vt homo animam suam à potestate diaboli, qui eam detinebat, redimat. Sicut & fructus medij temporis computantur in sorte, & valent vt homo, qui possessionem vendiderat, eam à potestate emptoris redimat. Et licet textus ad literam sumptus clarus sit, glossa tamen spiritualiter textum exponens, videtur obscura, & diuersimodè per Doctores intellecta. Thomas ait, quòd illi fructus bonæ conuersationis, qui ad animæ redemptionem seu satisfactionem valent, non sint opera facta extra charitatem, sed ea, quæ post contritionem habitam de peccato, quo homo animam diabolo vendiderat, facta sunt.

Conclusio I. Opera prædicta non sunt satisfactoria, propriè loquendo de satisfactione.

II. Conclusio. Satisfactoria vero sunt, largiùs sumpta satisfactione, id est, ratione liberalitatis diuinæ, & ex congruo.

In quo consistat tota huius dubij difficultas.

B

Argumentum quoddam cōtra asserentes eiusmodi opera nunquam esse satisfactoria.

Solutio I. D. Thomæ.

VERVM hæc expositio non placet beato Bonauenturæ, quia fructus bonæ conuersationis, de quibus glossa loquitur, sunt fructus qui fiunt, antequam anima sit à potestate diaboli emptoris redempta, qui fructus significantur per fructus possessionis medij temporis inter venditionem & redemptionem possessionis. Si autem fructus bonæ conuersationis essent opera bona post contritionem facta, vt vult Thomas, non essent fructus medij temporis inter venditionem & redemptionem, cùm iam fuerit anima à potestate C diaboli per præuiam contritionem redempta, & in Dei gratiam & amicitiam restituta: Ideo Bonauentura & alij dicunt, illos fructus bonæ conuersationis esse opera in peccato mortali facta, quamdiu scilicet anima est sub potestate emptoris diaboli.

Reiicitur à S. Bonauentura.

II. Solutio eiusdem Bonauenturæ.

ET AD argumentum quando arguitur, quòd tunc opera bona in peccato facta essent satisfactoria, saltem superueniente charitate: Respondent negando sequelam, quia huiusmodi fructus bonæ conuersationis non deducuntur nec cedunt in solutum pœnæ debitæ pro peccato, quia illa pœna Deo debetur, non diabolo emptori, sed deducuntur de eo, quod diabolo emptori proueniret, qui nos suæ seruituti astrictos tenet, postquam ære peccatorum nosipsos illi vendiderimus, ita scilicet vt ratione seruitutis huiusmodi omnia nostra opera deberent diaboli vtilitati cedere, cuius nosmet seruos fecimus. Si quæ igitur opera bona durante seruitute hac facimus, illa deducuntur ab eo, quod diabolo ratione seruitutis erat euenturum, non tamen inde fit, vt valeant ad remissionem pœnæ.

Occurritur obiectioni.

VIDETVR tamen, quòd sit aliquantulùm violenta expositio, quam glossa ponit, nec consonet ipsi textui; nam ait textus, quòd fructus possessionis venditæ, ex quo cesserunt in vtilitatem emptoris, computentur in pretio redemptionis, & quod residuum fuerit, reddatur emptori, modò autem fructus bonæ conuersationis animæ venditæ, siue facti ante animæ redemptionem, siue post, non cesserunt in vtilitatem emptoris diaboli, nec etiam residua satisfactio & correctio redditur diabolo, sed Deo, sicut & omnis

Impugnatur expositio glossæ in argumento allata.

Reiicitur II. solu. io.

bona conuersatio. Verùm admissa præfata glossa, hæc secunda expositio adhuc non satisfacit, quia secundùm textum fructus possessionis computati in pretio, & residuum pretij, valent vt possessio redimatur de manu emptoris, vt constat, igitur si glossa debet textui correspondere, fructus bonæ conuersationis medij temporis computati cum residuo satisfactionis debent similiter valere ad redimendam animam à potestate diaboli emptoris: hoc autem esse non posset, si fructus bonæ conuersationis essent opera in peccato facta, vt ait secunda expositio, igitur. Ideo videtur dicendum cum Thoma, quod illi fructus bonæ conuersationis sunt contritio cum reliquis virtutum operibus, qui fructus, si cum residuo satisfactionis côiunguntur, valent ad redimendam animam, quę per peccatum erat diabolo vendita. Redimitur autem à potestate diaboli, non illi dando quod vult, sed contrarium illi opponendo, vnde venditor fuit homo, emptor diabolus, res vendita anima, pretium pro quo fuit vendita, delectatio aliqua & propriæ voluntatis expletio. Loco huius pretij, si vult homo animam à potestate diaboli redimere, debet illi reddere non idem pretium per peccatum acceptum, sed aliud loco eius, & eidem contrarium, scilicet contritionem, confessionem, & satisfactionem per vitæ & morum correctionem, & hęc Deo propriè redduntur, & eadem diabolo opponuntur, & locum pretij redemptionis tenent, quoad hoc, quod est, animam de manu diaboli redimere. Ideo si hęc omnia bona opera coniungantur, animam per peccatum prius venditam omnino redimunt. D E

Approbatur I solutio D. Thomæ.

Argumentum B. Bonauẽturæ contra solutionem D. Thomæ. Solutio.

SI OBIICIAS primò, quod contra Thomam obiectum est, scilicet quòd anima per contritionem sit à potestate diaboli redempta, igitur per fructus bonæ conuersationis, qui ad redemptionem agunt, non intelliguntur opera post contritionem facta. Respondetur, quamuis sit anima per contritionem redempta, non tamen omnino, quousque sit omnino à peccato & pœna peccati immunis & libera. Quamuis igitur per contritionẽ culpa peccati & æterna pœna tollatur, manet tamen adhuc temporalis soluenda. Ideo vt plenè anima à diabolo redimatur, cuius est animam, quæ peccauit, habere subiectam, saltem quantum ad pœnam, ideo ad perfectam animæ redemptionem conferunt non solum contritio, & bonæ vitæ conuersatio, sed residuum pretij addendum est, scilicet confessio, & exterior satisfactio, & hoc modo fructus bonæ conuersationis, cum residuo satisfactionis, tenent locum pretij perfectæ redemptionis, & valent ad remissionem culpæ & pœnæ æternæ, & temporalis, simul & ad gloriæ consecutionem. Attamen omnia hæc ex charitate fiunt, vel in charitate, vt constat, in qua animæ à diaboli redemptione, non opus est diabolo aliquid reddere, quod in eius commodum cedat, sed potius opponere, quod ipsum diabolum vincat, iuxta glossam prætactam.

Ad perfectam animæ liberationem à diaboli potestate, non solùm contritio, sed confessio & satisfactio etiã requiritur.

QVÆSTIO QVARTA.

An omnia opera bona in charitate facta; itẽ etiã prima contritio, sint Deo satisfactoria? Sententia Durandi.

PRAETEREA de operibus meritoriis seu in charitate factis, solet quæri, an omnia talia sint Deo satisfactoria, quod specialiter potest quæri de prima contritione, per quam homo à peccatis resurgit, quę de lege meritoria est. Similiter de operibus bonis aliunde debitis. De primo dixit Durandus, quod non omnis talis contritio prima, sit satisfactoria, etiã gratię sit de lege meritoria, nisi sit superabundans. Vnde putat, aliud requiri ex parte peccatoris ad remissionem culpæ mortalis, aliud vero ad remissionem pœnæ temporalis, in quam æterna fuit commutata. Et ita si contritio tam tenuis sit, vt non sit maior quàm sit necessaria ad remissionem culpæ, talis est meritoria gratiæ, per quam culpa deletur, non tamen est satisfactoria, quia non tollit aliquid de pœna temporali prædicta. Si tamen sit maior, quæ dicitur superabundans, tollit vltra culpam, pœnam temporalem in toto vel in parte, & ita est satisfactoria. F

Primam contritionem etiamsi meritoria sit, nõ tamen esse satisfactoriam, nisi sit superabundans.

Suppositio Dur. Oppugnatur hæc sententia.

DE QVA tamen opinione cum suprà in tractatu de pœnitentia nõnihil dixerimus, breuiter nunc conuenit eam expedire. Et videtur quòd sit falsa. Primò, quia videtur supponere, quod sit certa & determinata pœna temporalis, in quam venit æterna per contritionem commutanda. Supponit secundò, quòd sit dabilis contritio determinata, quę valeat ad remissionem culpæ mortalis & pœnæ æternæ, quæ tamen ad præfatæ pœnæ temporalis remissionem non valet. Quod potest dupliciter intelligi, scilicet vel quòd detur minima contritio per naturam quo ad intensionem, vel quòd requiratur ex Dei ordinatione certa intensio in contritione, vt ad remissionem valeat mortalis culpæ,

I.

II.

vt vi-

A vt videntur Thomas & Scotus sentire, ita vt citra illam intensionem contritio non sit, & tunc talis minima contritio valeret ad remissionem culpæ & æternæ pœnæ, non tamen ad remissionem pœnæ temporalis. Si tamen inde excederet, valeret ad præfatæ pœnæ temporalis remissionem.

PRIMVM tamen, quod de minimo naturali dictum est, non videtur esse certum, nec à Doctoribus approbatum, etiam ab his, qui in certis rebus minimum naturale ponunt, cum illud in intensione qualitatis non ponatur, quia, vt ait Gregorius de Arimino, quacunque qualitate remissa data, potest dari remissior. Secundum etiam, quod de intensione requisita ad contritionem dictum est, non est certum, quia vt aliâs probauimus, omnis contritio quantumlibet minima, seu omnis pœnitentia cordis quantumlibet remissa (modò efficax sit) est de lege sufficiens ad gratiam & remissionem mortalis culpæ. Ideo hoc supposito, apparet falsitas opinionis ex duobus. Primò, quia contritio, quę valet ad remissionem pœnæ æternę, etiam potest valere ad remissionem pœnę temporalis, talis est omnis contritio. Nec refert in hac re, æternam pœnam fuisse commutatam in temporalem, specie ab æterna differentem siue non differentem, de quo suprà. Nam siue differant specie, siue non, prima contritio est eiusdem virtutis cum secunda & tertia, & tamen constat, secundam & tertiam contritionem valere ad remissionem pœnæ temporalis præfatæ, & tantò magis, quantò frequentius illa contritio reiteratur; igi- III.

B tur & prima valet saltem in parte ad remittendam huiusmodi pœnam. Hic tamen obiicies, quòd tunc omnis contritio etiam prima sufficeret omnem pœnam illam temporalem tollere, ex quo sufficit, aliam in infinitum maiorem amouere, puta æternam, quia quod potest in maius, potest in minus, maximè si specie non differant, & ita non esset locus purgatorius ponendus. Respondendum, si contritioni ex natura sua competeret pœnam æternam delere, ratio videretur probare, quòd etiam deleret & temporalem. Verum non ita est, nam diuina iustitia vult, vt peccator post remissam culpam, & æternam pœnam satisfaciat, quod ex dictis alibi probatum suppono. Attamen non est aliqua contritio, quantulacunque sit, quæ non tollat aliquid de temporali pœna, prout Deus dignatur contritionem acceptare.

Obiectio.

Solutio.

SECVNDO facit contra dictam opinionem ratio, quia non est aliqua contritio, quę non sit superabundans, id est, maior, quàm sit necessaria ad remissionẽ culpæ mortalis, & ęternę pœnæ; igitur omnis talis est pro parte satisfactoria. Antecedens probatur, quia quacunque contritione data, est dabilis maior, cùm sit in infinitum remissibilis, & ita intentum. IIII.

ITAQVE videtur tenendum, quòd nec sit certa & determinata contritio, quæ requiratur ad remissionem culpæ, nec sit certa & determinata pœna temporalis, in quam veniat ęterna commutanda, sed huiusmodi commutatio fit secundùm exigentiam contritionis. Nam si magna est contritio, cæteris paribus, in minorem pœnam æterna commutatur, si parua, in maiorem. Vbi tamen æqualis est contritio, si multa peccata commissa sunt, æterna pœna in magnam temporalem commutatur, si pauca, in minorem; Ad hunc modum puto fieri commutationem. Vnde nulla est contritio, quæ non habeat vim, vt æterna in minorem pœnam commutetur, quàm per aliã contritionem esset commutanda, & ita omnis talis est satisfactoria, saltem pro parte.

C

Resolutio q̃stionis contra Durandũ affirmatiua, scilicet prima contritionem etiam saltẽ pro parte esse satisfactoriam.

SED DVBITATVR de opere meritorio, an sit tantæ gratiæ & gloriæ meritorium, cùm satisfactorium est pro peccatis, ac satisfactorium non esset. Et pro parte negatiua videtur, quia aliàs per vnum & idem opus consequeretur homo duplex præmium, scilicet gloriam & remissionem pœnæ, quod ideo videtur inconueniens, quia vnico operi, vnicum debet præmium correspondere, ac proinde si per collationem gloriæ tantæ sufficienter remuneratur opus ex charitate factum, sequitur quòd de iustitia non valebit ad remissionem pœnæ. Secundò arguitur, quia aliàs sequitur, quòd æqualiter merentes, inæqualiter præmiabuntur. Patet, si Socrates & Plato faciant eleemosynam omnino æqualem ex æquali gratia & conatu voluntatis, alter tamen sit obnoxius pœnæ temporali pro peccato, alter verò non, iam æqualiter merentur, & tamen non æqualiter præmiabuntur, quia cùm vtrique æqualis gratia & gloria ob præfatum opus conferatur, alteri tamen amplius debitum pœnæ, cui erat obnoxius, condonatur: consequens tamen est contra Paulum dicentem, quòd vnusquisque reportabit secundùm ea, quæ gessit.

Aliud dubium. An opus bonum cùm est satisfactorium, non minus gratiæ et gloriæ mereatur, quàm si non esset satisfactorium.

Rationes negatiuæ.

I. II.

 TERTIO,

III.

TERTIO, quia nemo meretur præmium de iustitia per hoc, quòd soluit id, quod D creditori debebat. Sic enim significat Paulus dicens: Si euangelizauero, quæ gloria est mihi, necessitas enim mihi incumbit. Cùm ergo quod quis alteri debet, necessitate teneatur hoc ipsum soluere, sequitur, quòd si homo per opus aliquod satisfaciat Deo, soluendo quod illi debet, non mereatur gloriam aliam, aut gratiam.

Resolutio affirmatiua.

Ratio I.

RESPONDETVR, his non obstantibus tenendam esse contrariam sententiã, scilicet quòd opus bonum ex charitate factum, etsi satisfactorium sit, non minus gratiæ & gloriæ mereatur, quàm si de facto satisfactorium nõ esset. Huius ratio videtur nota, quia de lege communi vnicuique operi ex charitate facto, correspondet sua gratia & gloria perpetua, quæ quantumlibet parua sit, sine comparatione tamen longè superat remissionem pœnæ, pro qua satisfactorium est, scilicet pœnæ temporalis. Vnde si loco pœnæ temporalis, quæ ratione operis meritorij tollitur, priuatur homo aliquo gradu gloriæ perpetuæ, alioqui sibi per opus ipsum debitæ, iniustè ageretur cum tali homine; quia sine proportione plus esset id, quo priuatur, quàm bonum, quod consequitur, vt constat. Tum, quia quod perdit, est bonum æternum, quod autem ob satisfactionem consequitur, est temporale, scilicet remissio pœnæ temporalis. Tum etiam, quia etsi vtrunque esset temporale, quod perdit, & quod consequitur, adhuc esset longè præstantius quod perdit, scilicet gradus aliquis gloriç essentialis, quàm quod consequitur, quod est remissio pœnæ temporalis.

Ratio II.

Secundò eadem sententia hinc patet, quia tunc imprudenter & E malè agerent sacerdotes pœnitentias confitentibus imponendo, quas debeant hic pro peccatis adimplere, imprudenter etiam ipsi pœnitentes eas acceptarent, quod tamen est contra Ecclesiæ & Sanctorum præcepta seu statuta, & doctrinam communem, qua passim Sancti exhortantur peccatores, vt hic opera pœnitentiæ faciant, neque vnquam ab illis cessent: Ecclesia etiam instituit, longas pœnitentias pro peccatis esse iniungendas, quamuis hodie sint arbitrariæ. Et sequela patet, si ita esset, quòd opera ex charitate facta per hoc, quòd satisfactoria sunt, non merentur tantam gloriam essentialem, quantã, si satisfactoria non essent, mererentur. Et ita satius esset homini sua omnia opera ita propter Deum facere, vt nullo modo ea ordinaret ad remissionem pœnæ temporalis.

Respondetur ad rationes in ganntes.

Ad I.

NEC OBSTANT, quæ suprà adducta sont in oppositum. Ad primum enim dicendum, nullum esse inconueniens, quod illic illatum est, nam homo per vnam, & eandem contritionem, primam consequitur gratiam, & ius ad gloriam, & remissionem culpæ commissæ, simul & æternæ pœnæ. Igitur non mirum, si homo per vnum opus consequatur ius ad gloriam simul & remissionem pœnæ temporalis, nec minorem gratiam & gloriam consequitur homo per contritionem, si illi centum peccata per illã remittantur, quàm si vnum tantum remittatur, si non nisi vnum commisit, alioqui daretur, quòd tot essent peccata, quæ per contritionem primam remittuntur, vt per eam nullam prorsus gratiam contritus assequeretur, sequela patet calculanti.

Ad II.

AD SECVNDVM dicendum, quòd argumentum æquè militet contra arguentem. F Nam demus duos, quorum alter sit in solo originali, alter verò sit in originali simul & alio mortali, & ambo æqualiter omnino in Deũ per amorem conuertantur, tales æqualiter merentur, & tamen vni solum originale deletur, alteri verò originale simul & mortale. Aut pone duos baptizatos, quorum alter vnum mortale commisit, alter verò centum, & æqualiter omnino in Deum ambo conuertantur, æqualiter operentur, & tamen vni centum, alteri verò non nisi vnum peccatum dimittitur. Itaque quod communiter dicitur: scilicet æqualiter operantes, æqualiter præmiabũtur, procedit de præmio essentiali per collationem gratiæ & gloriæ essentialis, non de aliis præmiis seu donis accidentalibus, aut aliis bonis gratiam ipsam & gloriam concomitantibus. Adde, quod remissio pœnæ debitæ pro peccatis non est propriè prçmium bonis operibus præcisè correspondens, cum talis pœna bonis & malis remittatur, postquàm vel ipsi satisfecerint, vel de ipsis debita vindicta sumpta fuerit.

Ad III.

AD TERTIVM, quamuis apud homines, vt in plurimum, remunerationem non mereatur quis per hoc solum, quòd debita soluit, apud Deum tamen secus est: nam homo debet Deo præceptorum obseruantiam, ob eam tamen Deus vitam promittit æternam, prout scriptum est: Si vis ad vitam ingredi, serua mandata. Et iterum cùm de mandatis mentionem fecisset, dixit Christus homini illi: Hoc fac, & viues. Ita igitur, si homo velit satisfacere pro peccatis per opera extra charitatem facta, ad vtrumque Deus ea

Matth. 19.

Luca 10.

acceptat,

A acceptat,scilicet ad gloriam,& ad pœnæ remisionem.Vtrumq; enim ex charitate operantibus in lege promisit. Nec obstat,quod ex Paulo citatum est,quia in loco illo id docet,scilicet huiusmodi homini nullam mercedem à Deo deberi pro opere,quod inuitus fecit,& velut coactus, vt si ex solo timore pœnæ id faciat, secùs si ex amore & spontanea voluntate propter Deum faciat; quemadmodum operatur, qui ex charitate agit, qui non solam pœnæ remisionem quærit, sed principalius Dei gloriam.

HIC ORITVR alia quæstio, scilicet an posit homo Deo satisfacere per opera alioqui debita? Et dicit Palude,& quidam alij,quòd non. Tum, quia definitio satisfactionis sic sonat, ꝙ sit redditio ęquiualentis aliàs indebiti. Tum etiam,quia nemo potest pluribus debitis, sicut nec pluribus creditoribus per vnum & idem opus, seu per vnicam solutionem satisfacere, quando illud ob alteram tantum causam debitum est sufficienter. Exemplum videtur clarum. Si sacerdos mihi imponat vt ieiunem 40.dies, non satisfacio ieiunando Quadragesimam ordinariam, cùm eam alioqui essem obligatus ieiunare,etiam seclusa sacerdotis iniunctione.Similiter si iniungat mihi, vt dem pauperi certam eleemosynam, non satisfacio, si eam dem pauperi extremam necesitatem patienti, quia ad id alioqui eram obligatus. Similiter si debeo Petro 10. ducatos, quos furtim surripui,& ex altera parte idem Petrus mihi decem ducatos mutuauerat,non satisfacio vtrique debito, si 10. soluam.

Aliud dubium. An homo Deo satisfacere posit per opera alioqui debita. Rationes negatiuæ. I. II.

B HOC INSVPER videtur confirmari per id,quod Christus dixit Lucæ 17. Cùm feceritis quæcunq; præcepta sunt vobis,dicite, serui inutiles sumus, quod debuimus facere, fecimus. Igitur opera, quæ alioqui, scilicet ob præceptum debita sunt, non sunt satisfactoria, etiamsi in charitate fiant. III.

FACIT DENIQVE,quod ait Anselmus lib. Cur Deus homo. dicens: Per illa fit satisfactio,quę non possent ab homine exigi,nisi peccasset;sed præcepta possent ab homine exigi, etiam si non peccasset, & ita per opera, quæ de præcepto sunt,non posset satisfactio fieri. IIII.

CONTRA tamen præfatam sententiam sic indistinctè positam arguitur, quia ieiunium quadragesimale ab Ecclesia præceptum, est satisfactorium pro peccatis, etiamsi alioqui ratione præcepti sit debitum. Id patet, quia tale ieiunium si ab Ecclesia præceptum non fuisset, esset pro peccatis satisfactorium, igitur æquè satisfactorium est, si ab Ecclesia sit pręceptum,cùm præceptum Ecclesię valorem ieiunij non tollat,alioqui imprudenter Ecclesia tale ieiunium & alia opera satisfactoria præcepisset, si huiusmodi opera valorem spiritualem ob præceptum amitterent.

Oppugnatur hac sententia negatiua. I.

DEINDE, martyrium ex necesitate ac præcepto Dei toleratum, ne scilicet fides pusillorum periclitetur, est satisfactorium pro peccatis, cùm martyr statim ad gloriam volet, nec aliorum orationibus ad id indigeat, dicente Augustino: Iniuriam facit martyri,qui orat pro illo; & tamen tale martyrium in casu est alioqui debitum, etiamsi martyr ille non peccasset. II.

C

PRAETEREA opera bona ex voto facta, non minùs satisfactoria sunt, quàm si ex voto non fierent, sicut nec sunt minus meritoria, atque si sine voto fierent, & tamen seclusa obligatione satisfaciendi pro peccatis commisis,essent huiusmodi opera ratione voti emisi debita. III.

SIMILITER eleemosyna facta pauperi extremam necesitatem patienti, satisfactoria est,non minus,quàm si extra extremam necesitatem pauperis fieret. Quod hinc apparet,quia talis eleemosyna videtur Deo magis grata, nam Deo magis placet, vt necesitatibus eorum, qui omni sunt destituti subsidio, subueniamus, quàm aliorum, qui suam aliter possunt necesitatem releuare. Vnde magis ad primam eleemosynam,quàm ad secundam nos Christus sua lege compellit, & secunda propter primam est postponenda, & tamen in casu est talis eleemosyna ratione præcepti debita. Ad hunc modum de aliis possemus exemplificare. IIII.

PRAETEREA quòd opus sit satisfactorium Deo,non ex natura,sed ex Dei acceptatione est;opus autẽ à Deo acceptatur ratione charitatis ex qua fit,& tantò magis,quantò ex maiori charitate fit. Igitur non obstante, quòd opus sit de præcepto, ita vt si non fiat,peccetur, ea tamen ratione, qua ex charitate, aut ex magna charitate fit,non est de præcepto:igitur,ob illam causam nil obstat,quò minus sit satisfactorium. V.

ET CONFIRMATVR, quia ob illam causam est meritorium gloriæ æternæ, non VI.

 obstante,

obstante, quòd sit opus de pręcepto, igitur ob eandem causam erit satisfactorium, quod D longè minus est, quàm primum, vt constat. Et ita sicut vim meritoriam & satisfactoriam sortitur opus ex charitate, à qua fit, ita & similem vim sortitur, si à pœnitentia seu cordis contritione procedat, idq; ex opere operantis. Similiter etiamsi virtute clauium iniunctum sit opus alioqui ex præcepto debitum, & per ipsum pœnitentem acceptatum & adimpletum, sortietur vim satisfactoriam, quia opus eo modo factum, & ex tali vel tali radice procedens, non est alioqui debitum, vt suppono.

Resolutio affirmatiua. Opera ex charitate facta, quomodocunq; aliás debita sunt, esse satisfactoria.

ITAQVE videtur tenendum, opera ex charitate facta, satisfactoria esse, etiamsi alioqui sint de præcepto debita, non solùm si præcepta sint ad finem satisfaciendi pro peccatis commissis, sed etiam si ob aliam causam præcepta sint, qualia sunt, quæ tenentur peccantes & non peccantes adimplere, vt sunt præcepta Decalogi, & alia, quę ad legem naturæ, & charitatis officium spectant.

Respondetur ad rationes negatiuas.

Ad I.

AD RATIONES autem prioris sententiæ dicendum. Ad primam, qua arguitur ex definitione satisfactionis, dicendum, quòd procedat illa definitio per Scotum posita & communiter approbata, de satisfactione, quæ fit ex pura iustitia, quæ rei æqualitatem requirit, qualis est, quæ inter homines fit, non tamen de satisfactione facta secundùm iustitiam mixtam, qualis fit Deo pro peccatis, in qua sicut rei ad rem æqualitas non requiritur, ita nec requiritur vt id, quod in satisfactionem redditur, sit alioqui indebitum, cùm liberum sit Deo, opera debita & indebita, si ex charitate fiant, acceptare, sicut & de E facto secundùm legem acceptat, & se acceptaturum promisit.

Ad II.

Vnum & idem opus potest multis obligationibus esse debitū, atq; adeò omnibus per illud ipsum satisfieri.

EODEM modo respondetur ad secundam, quando arguebatur, quòd nemo possit per vnicum opus pluribus debitis satisfacere, quod procedat de satisfactione ex pura iustitia facta pro offensa aliqua, vel pro debito reali. Nā si accipiatur de satisfactione, qua quis tenetur præcepto satisfacere, compertum est, esse falsum, quia vt suprà in tractatu de confessione ostendimus, stat, vnicum & idem opus multis obligationibus esse debitum, scilicet ratione legis, ratione præcepti, ratione voti, aut iuramēti, & per illud vnum opus si fiat, satis fit pluribus debitis & obligationibus, vt constat.

Ad exēpla eiusdem argumēti.

Alia quadam dubitatio, An satisfaciat quis implens pœnitētiam operis alioqui debiti à confessore sibi iniūctam, non nisi tempore, quo ex præcepto aliorū ad idē opus obligatur.

Solutio trimembris.

I. II. III.

QVANTVM verò ad exempla illic adducta attinet, alia tangitur quæstio, scilicet si sacerdos iniunxerit peccatori in pœnitentiam aliquod opus, ad quod alioqui homo erat obligatus; An satisfaciat iniuncto sacerdotis, illud agendo, vt si iniunxerit ieiunium 40. dierum, & ieiunet pœnitens Quadragesimam ordinariam; aut eleemosynam, & eam det pœnitens pauperi in extrema necessitate existenti. Ad quam quęstiunculam breuiter dicendum, vt suprà diximus, quòd id pendeat ex intentione sacerdotis huiusmodi pœnitentiam iniungentis. Nam si eius intentio fuit iniungere pœnitenti, vt ieiunaret 40. diebus, quicunque illi essent, & id constet pœnitenti, tunc satisfacit ieiunando Quadragesimam, & facta tali iniunctione, duplici vinculo tenebitur ad quadragesimale ieiunium, scilicet ex præcepto Ecclesiæ, & præcepto sacerdotis, & valebit etiam dupliciter tale ieiunium, scilicet quia ex charitate fit, & virtute clauium. Si autem certum sit, quòd intentio sacerdotis fuit, vt pœnitens ieiunaret 40. diebus extra dies, quibus alioqui erat obligatus ieiunare, tunc certum est, illum non satisfacere iniuncto sacerdotis, si Quadragesimam ordinariā ieiunet. Si autem dubium sit, quid sacerdos iniungens intenderit, tunc præsupponendum est, quòd intenderit imponere ieiunium, ad quod alioqui pœnitens non esset astrictus. Sic enim communiter verba iniungētis veniunt interpretanda, puta secundùm communem hominum intelligentiam, iuxta capit. Ex literis. de sponsalibus. nisi contrariam intentionem ipse sacerdos explicet. Ad hunc modum videtur dicēdum de quacunq; alia pœnitentia à sacerdote iniuncta, quæ potest per opus alioqui debitum adimpleri, quòd scilicet ad intentionem iniungentis sit recurrendum. F

Corollarium I. Quare possit homo, per vnicum opus satisfacere pluribus debitis legalibus, non item pluribus debitis realibus.

COROLLARIE sequitur, quæ sit ratio, quare homo possit per vnicum opus pluribus debitis legalibus satisfacere, & non pluribus debitis realibus. Quia scilicet in legalibus debitis seu obligationibus, quales sunt, quæ ex lege, præcepto, voto, aut iuramento oriuntur, ad intentionem eorum est recurrendum. Et cùm intentio legis, voti, & iuramenti possint in vnum & idem opus tendere, vt constat, ideo qui lege, præcepto, voto, & iuramento astrictus est ad certam eleemosynam erogandam, eam erogando, satisfacit omnibus illis debitis. In aliis autem debitis realibus, qualia sunt, quæ in iustitia commutatiua consistunt, vt obligatio ex mutuo, emptione, aut venditione, ex furto, aut alio damno dato, ad æqualitatem rei est attendendum. Ideo si aliquid loco satisfactionis per

vnam

A vnam viam sufficienter debetur, & tantundem per aliam, tunc non satisfacit, qui id reddit, omnibus illis debitis, vt constat, nisi concurrat liberalis remissio seu gratia ipsius offensi, vel creditoris, qualis concurrit in satisfactione, quæ Deo pro peccatis fit, vt sæpe dictum est.

INDE ITERVM fit, vt clericus beneficiatus, qui tenetur ad horas Canonicas ratione ordinis, & ad horas in choro canendas ratione beneficij, satisfaciat vtriq; præcepto per vnum opus, scilicet si horas in choro cantet, maximè si id admittat communis consuetudo, quod probabilius est, quàm eius oppositum. II.

AD ALIVD, quod ex Luca citatum est, scilicet: Cùm feceritis, quæcunque præcepta sunt vobis, dicendum, quòd si per id probaretur, opera quæ sunt de præcepto, non esse satisfactoria, per idem probaretur, eadem non esse de lege meritoria, nec ad gloriam acceptari, quod suppono falsum. Ideo dicendum, quòd illic intendat Christus docere, quàm parum valeant opera nostra de se ad gloriam, & quàm parum debeat nobis Deus ob illa, si ea secundùm se consideremus, quia vt sic, nec meritoria sunt, nec satisfactoria; Secùs si diuinam bonitatem & liberalitatem consideremus, cui soli fidere debemus, & non operibus nostris. *Ad III.*

AD POSTREMVM, quod ex Anselmo est allegatũ, dicendum non esse ad propositũ, si mentem ipsius attendamus, quæ est, esse nobis Deo satisfaciendum pro peccatis per B opera pœnalia: hæc enim sunt, quę si peccatum non præcessissent, non exigerentur: modò autem aliud est quærere, an possit homo satisfacere Deo per opera alioqui debita, aliud verò, an debeat satisfacere per opera pœnalia, de quo postea. *Ad IIII.*

QVÆSTIO QVINTA.

PRAETEREA quæri solet, an possit vnus homo pro alio homine satisfacere Deo? Et pro parte negatiua arguitur, quia non potest vnus homo alteri mereri, igitur nec potest pro alio satisfacere. Et vtrumque probatur ex Paulo dicente: Omnes nos stabimus ante tribunal Christi, & reportabit vnusquisque secundùm ea, quæ in proprio corpore gessit. Et Psalmista: Dabit vnicuique Dominus secundùm opera sua. Et Paulus: Quæ seminauerit homo, hæc & metet. Igitur non venit homo à Deo ob aliena opera remunerandus, nec puniendus, sed ob sua propria. *An possit vnus pro alio satisfacere Deo? Partis negatiua rationes.* I. *2. Corinth. 5.* *Ad Galat. 6.*

Secundò idem videtur ex Ezechiele 14. Si misero in terrã famem, pestem, gladium, aut bestias terræ, & fuerint in medio eius tres viri, Noe, Daniel, & Iob, viuo ego, dicit Dominus, quia nec filios, nec filias liberabũt, sed ipsi soli liberabuntur, terra autem desolabitur. Si igitur iustitia, & sanctitas, ac preces Sanctorum aliis prodesse non possunt, vt iram Dei euadant, sequitur, quòd vnus homo quantumuis iustus pro alio satisfacere non possit. II.

Tertiò, si ita esset, quòd posset vnus C pro alio satisfacere, sequeretur, quòd si aliquis susciperet in se obligationem satisfaciendi pro alio, & ille alter ante adimpletam satisfactionem ab hoc seculo decederet, quòd volaret ad gloriam, nam ipse iam nullius pœnæ debitor est, ex quo alius pro illo suscepit obligationem debitum soluendi, seu satisfaciendi, & ex consequenti si alter, qui obligationem suscepit, satisfactionem susceptam omittat, erit in gloria is, qui decessit absque debiti solutione. Si autem decedens iret ad purgatorium, & viuus compleret satisfactionem pro illo susceptam, bis puniretur peccator decedens pro eodem debito, aut saltem duplex pœna pro eodem debito exigeretur, vna à defuncto, alia à viuente pro defuncto satisfaciente. III.

Postremò, satisfactio est medicina spiritualis morbi curatiua, ad id enim Deus satisfactionem exigit à peccatore, vt curetur, non vt puniatur, quandoquidẽ Deus in pœnis non delectatur, iuxta illud Esaiæ 10: Heu consolabor super hostibus meis. Nec vult Deus mortem peccatoris, sed vt conuertatur, & viuat. Cùm ergo medicina vni applicata non valeat curare morbum alterius, sed eius, qui eam suscipit, sequitur, vnum hominem pro alio satisfacere non posse. IIII.

QVIBVS non obstantibus, tenendum est oppositum cum cõmuni sententia, quòd scilicet possit vnus pro alio, saltem de congruo satisfacere. Tum quia potest vnus alteri gratiam primam impetrare, & culpæ remissionem, saltem mediatè, iuxta dictum Christi ad paralyticum: Videns Iesus fidem illorum, dixit paralytico: Confide fili, remittuntur tibi peccata tua. Per quod Ambrosius probat, aliena opera alteri ad gratiam prodesse, *Resolutio affirmatiua, saltem de congruo. Probatur* I. *Matth. 9.*

igitur à fortiori poterunt prodesse alteri ad impetrandam ei remissionem pœnæ temporalis. D
II. Tum etiam, potest viuus pro defuncto satisfacere, faciendo pro illo suffragia, vt Ecclesia tenet, & communis Sanctorum doctrina, igitur poterit similiter pro viuo satisfacere, cùm vtrobique eadem sit ratio, scilicet charitatis communio, quæ omnia facit communia, & quæ nostra sunt, aliena, & econtrà.
III. Tum etiam, quia inter homines, vbi magis iustitia, quàm misericordia locum tenet, potest alter pro altero satisfacere, quia nil refert, an debitor soluat per se vel alium, quod creditori debetur, modò soluatur: Igitur sic erit apud Deum, cui gratum est, vt proximorum onera supportemus, iuxta consilium Pauli: Alter alterius onera portate. *Ad Galat. 6.*

IIII. Qvod etiam posset quamplurimis exemplis cõprobari, quibus docemur Deum ad iustorum preces sæpissime fuisse placatum, & iram, quam contra alios peccatores conceperat, deposuisse, & sententiam punitiuam reuocasse. Abrahæ namq; Dominum interroganti, an parceret Sodomitis, si inter eos essent 50. iusti, aut 40. aut 20. respondit Dominus, quòd sic, etiamsi tantùm 10. iusti inter eos reperirentur. *Genes. 18.* V. Similiter Dominus propter peccatum Salomonis pręcidit regnũ filio suo Hieroboam, parcens eidem Salomoni propter Dauid patrem suũ. *3. Reg. 11.* VI. Similiter legitur, Deum liberasse Loth propter Abraham, cuius est Dominus recordatus. *Genes. 19.* Dimitto alia, quæ notissima sunt. Et ita non dubiũ, posse hominem iustum pro alio satisfacere per viam saltem gratiæ & liberalis impetrationis, quamuis non de iustitia pura. E

Respõdetur ad rationes negatiuæ.

Ad I. Ad rationes igitur suprà factas respondendum. Ad primam ex Paulo & Psalmista citatam dicendum, quòd procedat de finali remuneratione seu iudicio, in quo vnusquisq; præmium essentiale aut supplicium reportabit secundùm exigẽtiam suorum meritorum aut demeritorum, non autem de remuneratione seu retributione, quę interim fit per collationem boni temporalis, aut mali temporalis remotionẽ: alioqui si vniuersaliter illa testimonia essent accipienda, in nullo possent defuncti suffragiis viuorum adiuuari, quod erroneum esse suppono.

Ad II. Ad secvndam ex Ezechiele allegatam, dicendum, quòd procedat de pœnis seu malis, quæ Deus decreuit absolutè aliquibus in vita præsenti inferre, ad quorum amotionem non prosunt Sanctorum preces, cùm stet firma sententia Dei, iuxta illud Hieremiæ 7. & 11. Tu ergo noli orare pro populo hoc, & non assumas pro eis laudes, & orationes, quia non exaudiam. Vbi glossa; Prophetæ præcipitur, ne pro eis oret, in quos est iam consummata sententia, ne videatur oratio eius infirma, & meritò non exaudita. Quod maximè verum est, quando pro obstinatis & pertinacibus oratur. Cum quo tamen stat, valere Sanctorum orationes & merita aliis peccatoribus pœnitentibus ad multa bona simul & ad peccatorum remissionem. *Pro quibusnã peccatoribus nõ sit orandum.*

Ad III. Ad tertiam dicendum post Thomam, quod ille decedens (de quo in casu argumenti) erit in purgatorio vsquequo soluat per se, vel per alium, quod Deo ratione peccatorum debebat. Quòd si ipse in purgatorio per se patiendo soluerit, tenebitur viuus, F qui se obligauit etiam hic soluere, quod soluendum suscepit, & tunc non exigit Deus duplicem punitionem pro eodem debito, sed à defuncto exigit pœnam pro commisso debitam, & à viuente exigit, quia se ad eam obligauit, & tunc quicquid viuus persoluerit, cedet ei in solutum pro ipsomet, iuxta id quod scriptum est: Oratio mea in sinu meo cõuertetur. *Psalm. 34.* Quòd si ipse non indiguerit, conuertetur in sinum Ecclesiæ, à qua poterit dispensari per viam indulgentiæ.

Ad IIII. Ad postremam dicendum cum Bonauentura, quòd satisfactio habeat duplicẽ vtilitatem, adhibetur enim tanquam medicamentum ad sanandum morbum, valet etiã ad soluendum debitum ex peccato contractum. Tunc dico, quòd quatenus satisfactio est medicamentum, nõ valeat alteri, sed ipsi operanti: Si enim alius pro me ieiunet, etiãsi millies id agat, non ob id extinguitur in me concupiscentia, attamen quatenus tenet rationem pretij, & solutiua debiti est, valet alteri ad pœnæ remissionem. *Duplex vtilitas satisfactionis.*

Corollarium I. *Propria satisfactio plus valet aliena, idq; propter tria.* I. II. III.

Vnde sequitur, plus valere satisfactionem propriam, quàm alienam, idq; quo ad tria, scilicet quo ad gratiæ & gloriæ augmentum, ad quod valet propria & non aliena. Secundò quo ad sanandum morbum, & sequelas morbi præscindendas, ad quod valet propria & non aliena. Tertiò ad remissionem pœnæ pro commissis debitæ, ad quod valet etiam propria, plusquam aliena. Vnde si quis vult per se satisfacere, non est ei necessaria tanta satisfactio, quanta esset si per alium satisfaceret, vt si vnus facit pro alio pœni-

A pœnitentiam septennem, non tantùm prodest ei pro quo fit, quantum prodesset, si ab ipsomet fieret. Cuius nonnullum argumentum est, quia parua pœnitentia voluntariè assumpta in hoc seculo, valet ad remittendam magnam pœnam purgatorij, cùm hęc voluntate sit assumpta, illa verò à Deo illata. Inde etiam fit, vt magis satisfactoria sit parua pœna, voluntate propria assumpta, quàm magna pœna in hoc seculo à Deo illata, quantumuis patienter toleretur. Cuius indicium est, quia multò maiora sunt mala, quæ solet Deus pro peccatis infligere, quàm quæ pœnitens assumere potest, & quàm pœnitentiæ, quas Ecclesia iniungere instituit. Solet enim Deus immittere pestem, bellum, & bestias, quibus multi homines intereunt, idque pro peccato vnius hominis, vt constat de peste immissa populo Israël propter peccatum Dauid. Et tamen credendum est, quòd per aliam longè minorem voluntariè assumptam, vel secundùm Canones pœnitentiales iniunctam, homo omnino à peccato liberaretur.

II. Magis est satisfactoria parua pœna spõtè assũpta, quàm pœna magna à Deo in hoc seculo illata, etsi patiẽter toleretur.

Triplex dubiũ proponitur. I. An Deus pœnã hominib⁹ infligat pro peccatis alienis. II. III.

HINC TAMEN oriuntur duo dubia, alterum est, an ita sit, quòd Deus hominibus pœnam pro alienis peccatis infligat, & si sic, an huiusmodi pœna sit illis peccatoribus satisfactoria. Alterum est, an vnicuique peccato sua correspondeat satisfactio.

Respõdetur ad primũ affirmatiue.

AD PRIMAM breuiter dicendum, quòd Deus sæpe legitur hominibus non solùm impiis, sed innocentibus mala immittere propter aliena peccata. Id patet, quia inter Sodomitas fuerunt aliqui iusti adulti, similiter & paruuli per circumcisionem, aut aliud Sacramentum legis naturæ iustificati, omnes tamen perierunt ob peccata maiorum. Similiter in diluuio idem accidisse credendum est, multos scilicet insontes, saltem paruulos, ob peccata maiorum periisse. Legitur etiã Numerorum 4. dictum esse ad Hebræos: Filij vestri erunt vagi in deserto quadraginta annis, & portabũt fornicationem vestram, donec consumantur cadauera patrum in deserto. Legitur etiam 3. Regum 21. Achaz impetrasse à Domino, vt sui peccati pœna in posteros differretur. Ionę primo similiter legitur tempestatem grandem super nauigantes euenisse propter peccatum ipsius Ionę, vt ipsemet testatur. Refert præterea beatus Ambrosius in quadam villa Tusciæ, vbi ipse tunc aderat cum fratribus suis, propter peccata vnius hominis, qui in hoc mũdo nil aduersum sustinuerat, illum cum reliquis præfatæ villæ habitatoribus terram absorbuisse. Iustos etiam, qui illic erant, terra similiter absorbuisset, nisi cum ipso beato Ambrosio ad eiusdem monita inde fugissent. Beatus etiam Gregorius libro 15. Moralium, capite 81. Paruulos aliquando à dęmonibus arripi, propter peccatum parentum, quia caro parentum sunt. Itaque non dubitatur, Deum sæpissime, tam in lege gratiæ, quàm ante illam multis insontibus ob scelera impiorum multa intulisse mala: Iam igitur aperta est ratio propositi dubij. Nam cùm ita id sit, quomodo soluetur, Deum in omnibus suis operibus iustum esse, qui innocentes pro nocentibus punit, etiam pœna mortis, quod si iudex humanus faceret, iniustissimus esset. Deus etiam reprehendisse legitur Iudæos, eò quòd dicebant: Patres nostri manducauerunt vuam acerbam, & dentes filiorum obstupescũt. Vnde addit Dominus: Anima, quæ peccauerit ipsa morietur, nec filius portabit iniquitatem patris, nec pater portabit iniquitatẽ filij, sed vnusquisq; in suo peccato morietur. Quod ipsa naturalis iustitia dictat, secũdùm quam, pœna debet tenere suos actores, nec vltrà debet progredi pœna quàm culpa sit comperta, iuxta quod ait Augustinus, quòd Deus non priùs sit vltor, quàm aliquis sit peccator. Respondetur in præsenti vita nõ manifestari, nec completè exerceri diuinã iustitiã, quæ in finali iudicio exercebitur, & omnibus manifestabitur, quando reportabit vnusquisq; secundùm ea, quæ in proprio corpore gessit: In præsenti enim vita indifferenter videmus bona & mala, prospera & aduersa, sanitatem & morbum, vitam & mortem tam bonis quàm malis euenire, quod in scriptura sancta sæpe significatur. Vnde si Dominus in hoc seculo multa bona temporalia, aut etiam corporalia tribuit, cùm ea bonis & malis pro voluntate tribuat, non ea ex iustitiæ debito tribuit, sed ex gratia sua ob causas, & fines ipsi cognitos, ac proinde si huiusmodi bona aliquibus negat, aut eisdem aliquos priuat, quantumuis boni & iusti sint, nullam eis iniustitiam facit, quia gratiam seu gratuitum beneficium negare alioqui indebitum, iniustitia non est, vt constat. Quòd si Deus, quia Dominus omnium est, absque iniustitia aliqua potest præfata bona pro solo nutu suæ volũtatis, à quibus vult, amouere, sequitur apertè, quòd similiter absque aliqua iniustitia possit eadem bona ab hominibus amouere, ob culpam seu offensam alicuius irritatus.

Ratio I. II. Genes. 16. III. IIII. V. VI. VII.

Obiectio.

Ezech. 18.

Solutio.

Quaten⁹ Deus bona quadã tẽporalia tribuat aut etiã neget aliquibus hominibus in hac vita sine iniustitia.

CREDEN-

Quatenus Deus insligat hominibus mala quædam in hac vita, etiã propter aliorum peccata, absq; iniustitia.

2. Reg. 12.

2. Reg. 24.

Genes. 20.

CREDENDVM tamen est, Deum huiusmodi mala hominibus non sine causa aliqua D inferre, scilicet vel ad tentandum, vel ad corrigendum, vel ad persuadẽdum, vel ad gloriã Dei manifestandam, vel deniq; ad peccata commissa punienda; hæc autem punit, non solùm in ipsis, qui peccata commiserunt, sed aliquãdo & sæpe in aliis personis, ipsis peccatoribus coniunctis, quorum punitio solet in pœnam & cruciatum eorum, qui peccauerunt, redundare: vt quando peccatum patris punit per mortem filij, vt contigit ipsi Dauid, pro cuius peccato filius eius mortuus est. Aut quando peccatum Principis punitur in populo suo, quod & eidem Dauid accidit, propter cuius peccatum populus eius fuit peste percussus. Aut quando ob peccatum mariti, vxor & domus punitur, vt contigit Abimelech regi, ob cuius peccatum, quo scilicet Saram vxorem alienam detinebat, tota eius domus plaga percussa est. In quo Deus nec iniustitiam facit ipsis peccantibus, qui maiora merebantur supplicia, nec iniustitiam facit cæteris personis, etiam insontibus, à quibus pro sola voluntate omnia bona corporis & fortunæ posset citra iniuriam amouere. Et ita patet, Deum non esse iniustum, etiamsi ob quorundam peccata & scelera, alij etiam innocentes pœnam sentiant.

Iudex human⁹ puniens innocẽtem pro alieno pctõ, iniustitiã committit: non autem Deus.

ET PER hæc respondetur ad rationem dubij propositam, quòd si humanus iudex innocentem pro alieno peccato occideret, esset iniustus, non sic Dominus Deus. Discrimen est, quia Deus est Dominus vitæ, & mortis, omniumq; bonorum, quæ pro voluntate dat, & pro voluntate poterit data reuocare, non sic humanus iudex. E

QVOD ETIAM ex Ezechiele citatum est, quòd filius non portabit iniquitatem patris, procedit, vt ait Augustinus, de pœnis seu retributionibus finalis iudicij, seu alterius seculi; & ita ad alia similia dici potest, de quibus latiùs videbitur, quando de iustitia & misericordia Dei agetur.

II. Dubium. An pœna hominibus à Deo pro peccatis alienis inflicta, sit illis peccatoribus satisfactoria.

Respondetur cũ distinctione.

Conclusio I.

NVNC respondendum ad aliud ibidem quæsitum, An scilicet pœna à Deo hominibus ob aliena peccata immissa, sit illis peccantibus apud Deum satisfactoria. Dicendum sine disputatione, distinguendo: Nam pœna huiusmodi aliquãdo infertur pro peccatis per contritionem deletis; aliquando verò pro peccatis, in quibus ipsi peccatores sunt obstinati, aut impœnitẽtes. Exempla clara sunt. De secundo patet ex suprà allegatis. De primo autem similiter patebit quæstione sequenti. Tum dicendũ, quòd pœna immissa peccatoribus, aut aliis pro aliorum peccatis, quamdiu de illis pœnitentia non præcesit, nullo modo sit satisfactoria; Tum quia satisfactio dicit actionem, seu actũ ipsius satisfacientis. in perpesione autem præfatorum malorum illi non actiuè sed passiuè se habent, vt patet; igitur non dicuntur satisfacere in casu. Tum etiam, quia satisfactio locum habere non potest, manente eodem peccato & culpa, pro qua quis pœnam sustinet, etiamsi voluntariè esset assumpta, vt ex dictis patet.

Conclusio II.

SECVNDO dicendum, quòd pœna illata à Deo pro peccatis, de quibus pœnitentia vera præcesit, si patiẽter & voluntariè toleretur, quodammodo sit satisfactoria, & quodammodo non. In quantum est voluntariè & patienter per ipsos pœnitentes acceptata, F satisfactoria est, sicut & meritoria, quia ipsa voluntaria acceptatio propter Deum est actus ipsius patientis ex charitate procedens, ideo à Deo ad præmium & pœnę remisionem acceptatur. Ipsa tamen pœna illata non est in se satisfactoria, cùm actus non sit ipsius pœnitentis; cedit tamen sibi in solutum, licet aliter quàm per actum satisfactionis, quia actus satisfactorius ipsius pœnitẽtis, etsi parùm pœnalis sit, multam tamen pœnam purgatorij redimit, pœna autem à Deo illata non redimit maiorem pœnam purgatorij, quàm ipsa sit, sed illa cedit illi pœnitẽti in solutum pro alia tanta, quam erat in purgatorio passurus, ideo satisfactoria propriè nõ est, sed tantùm solutiua debiti secundùm quantitatem ipsius.

Act⁹ satisfactorius ipsius pœnitẽtis etsi parùm sit pœnalis, magnam tamẽ pœnam purgatorij redimit.

Corollarium.

ET CONFORMITER ad hoc, est mihi probabile, quòd pœnitenti patienter & spõtè pœnam illatam sustinẽti cedat in solutum, non solùm pœna sibimet illata, sed etiam pœna, quæ ob ipsius peccatum aliis personis sibi coniunctis infertur. Et hoc de primo dubio.

III. Dubium. An diuersa peccata, diuersas exigant satisfactiones, necne? Ratio pro parte affirmatiua.

AD ALIVD dubium, quando ibidem quærebatur, An vnicuiq; peccato sua correspondeat satisfactio, seu an diuersa peccatorũ genera exigãt diuersa genera satisfactionum, an potiùs vno genere satisfactionis, scilicet præcisè ieiunãdo, aut præcisè eleemosynã erogando posit quis pro multis peccatis genere differentibus satisfacere. Et facit difficultatem dictum Hieronymi dicentis: Non sanat oculum, quod sanat calcaneum; nam pestes animæ sanantur per orationem, pestes corporis per ieiunium.

RESPON-

A RESPONDENDVM breuiter, aliud esse satisfacere pro peccato, aliud sanare peccatum. Satisfacere est recompēsam debitam offenso reddere: Sanare autem peccatum, est illud eradicare, remouendo vel remittendo, aut extenuando illud, quod ad actū peccati inclinat, & excitat, maximè quando illud tale ex actibus vitiosis fuit in anima derelictum, & tunc stat bene, quod pœnitens satisfaciat pro peccato, absq; hoc, quòd sanetur peccatum. Nam potest homo tam vehementer cōteri, vt peccatum prorsus remittatur, & tamen sanatum non sit, sed maneat vitiosa radix, quæ ad illud inclinet.

Notandum, aliud esse satisfacere pro peccato, aliud sanare peccatum.

DICO IGITVR, quòd possit quis satisfacere pro peccatis genere differentibus, per vnum genus satisfactionis. Nam si de culpa loquamur, vnica pœnitentia cordis pro omnibus culpis amouendis sufficit. Si autem loquamur de pœna temporali, cui post dimissam culpam homo manet obnoxius, cùm finita sit, potest homo pro ea satisfacere ieiunando semel, bis, ter, quousque prorsus sit pœna remissa. Sanari autem peccata non ita bene possunt, per vnicam medicinam, quandoquidem, vt ait Gregorius, contraria contrariis curanda sunt. Et ideo superbia per orationem, carnis petulantia per ieiunium, auaritia per eleemosynam, tanquam per contrarias medicinas veniunt curanda atque sananda. Et de hoc genere aut modo sanationis loquebatur Hieronymus: Et hoc est, quod suprà ex Bonauentura diximus, quòd satisfactio sit curatiua commissi simul & pseruatiua, est verò etiam debiti solutiua, & quatenus solutiua debiti est, vna specie reiterata,
B sufficit ad remittendam pœnam dimissis peccatis debitam, quatenus verò curatiua est, diuersa satisfactione opus est.

Resolutio negatiua.

Potest quis satisfacere pro diuersis peccatis vno genere satisfactionis, licet minùs bene eadem sanare.

Respōdetur ad rationem Diui Hieronymi.

EX DICTIS alia iterum consequitur dubitatio, An scilicet possit homo satisfacere Deo pro vno peccato non satisfaciendo pro omnibus. Ad quod similiter sine disputatione respondendum, duplicem esse satisfactionem, scilicet reconciliantem, & soluentem, seu liberantem. Reconcilians est, qua in Dei gratiam & amicitiam redimus, hæc fit per veram cordis contritionem, per quam culpa remittitur, & gratia Dei restituitur. Satisfactio soluens seu liberans est, qua homo reddit Deo aliquid, per quod à pœna temporali, in quam æterna fuerat commutata, in toto vel in parte liberetur.

IIII. Dubium.

An possit homo satisfacere Deo pro vno pctō, nō satisfaciēdo pro aliis omnibus.

Nota duplicem esse satisfactionem.

QVO PRAEMISSO, quæstio proposita potest intelligi, facta comparatione peccatorum mortalium inter se, & venialium inter se, & mortalium ad venialia. Si de mortalibus fiat quæstio, iterum videtur distinguendum inter mortalia nondum quo ad culpam dimissa, & inter ea, quæ quo ad culpam dimissa sunt. Si loquamur de his, quę quo ad culpam per pœnitentiam non sunt dimissa, certum est, quòd non possit homo satisfacere pro vno mortali, quin pro omnibus satisfaciat, eò quòd quamuis peccata mortalia non sint quo ad commissionem connexa, sint tamen connexa quo ad remissionem. Cuius ratio aperta est, quia principium remissionis vnius mortalis, est vnum & idem respectu omnium mortalium commissorum, puta gratia gratum faciens, seu charitas, quæ secum
C nullum admittit peccatum mortale. Et satis id probat Innocentius, cap. Maiores. de baptismo. Similiter & Augustinus lib. de vera & falsa pœnitentia, dicens: Deus quem sanat, perfectè sanat. Et iterum: Impium est à Deo dimidiam sperare veniam. Et quamuis Innocentius procedat de originali peccato, comparato ad mortale, ratio tamen eius æquè de mortalibus inter se collatis procedit, quandoquidem nō minùs debetur pœna damni æterna pro mortali, quàm pro originali, & per cōsequens sicut remissio originalis requirit acceptationem ad gloriam, ita & remissio mortalis culpæ; ad gloriam autem nemo in culpa mortali permanens, potest acceptus esse de lege, igitur necesse est vna mortali culpa dimissa, omnes simul dimitti. Si autem loquamur de mortalibus dimissis quo ad culpam, certum etiam est, posse peccatorem pro vno satisfacere, nō satisfaciendo pro alio. Ratio, quia post dimissam culpam, non manet nisi temporalis pœna soluenda, pœna autem temporalis pro vno peccato debita, non est necessariò connexa pœnæ alteri peccato debitæ quo ad remissionem. Nam illæ pœnæ temporales paulatim soluuntur, & non simul, & ex consequenti potest vna sine alia dimitti. Si verò loquamur de peccatis venialibus, idem dicendum est, quòd scilicet possit quis pro vno satisfacere, nō satisfaciendo pro alio. Et ratio est eadem, quia transeunte actu peccati venialis, non relinquitur nisi reatus ad temporalem pœnam, hæc autem paulatim remitti potest, & ita venialia quo ad sui remissionem connexa non sunt, vnde poterit homo pro vno eorum satisfacere sine alio.

Sensus quæstionis propositæ.

Cōclusiō primà negatiua mortalium quo ad culpam non dimissorum.

Ratio.

Secunda cōclusio affirmatiua mortalium quo ad culpam dimissorum.

Tertia conclusio affirmatiua venialium peccatorum.

SI DE-

IIII. Conclusio etiam affirmatiua, Mortaliū cum venialibus comparatorū, & econtrà.

Si denique loquamur de mortali peccato, comparato ad veniale, similiter dicendum, quòd possit homo pro vno sine alio satisfacere, cùm possit mortale sine veniali dimitti,& econtrà secundùm probabilem opinionem, quam alioqui probauimus. Et patet prima pars, quia inter mortale & veniale nulla est quo ad remissionem connexio, stat enim, mortale etiam quo ad culpam dimitti (nedum quoad pœnam temporalem) absque hoc, quòd veniale dimittatur, quia cum remissione mortalis peccati stat reatus ad pœnam temporalem, quæ pro veniali debetur, vt constat. Secunda etiam pars patet, quia potest homo soluere pœnam temporalem veniali peccato debitam manente peccato mortali, & ita satisfacere pro veniali,& nō pro mortali, satisfactione sumpta secundùm iustitiam decentiæ diuinæ largitatis, vt suprà fuit expositum, quamuis non secundùm iustitiam legis. Sed quia de hoc alibi latiùs egimus, hoc nunc dixisse sufficiat. D

QVÆSTIO SEXTA.

An necessariū sit Deo in hac vita pro peccatis satisfacere.

Resolutio affirmatiua loquēdo de satisfactione pro peccatis, quo ad culpam, & de lege ordinaria.

Potest Deus potentia sua absoluta omnē peccatori donare iniuriam absq; vlla satisfactione.

Postremo de necessitate satisfaciendi videndum est, an sit homini necessarium in præsenti vita Deo pro peccatis satisfacere, & an debeat satisfactio fieri per opera pœnalia? Ad primum dicendum, non esse dubitandum, quin sit necessarium pro commissis satisfacere Deo, loquēdo de satisfactione reconciliante, seu de satisfactione pro peccatis quo ad culpam, idque de potentia ordinata, secùs de potentia absoluta. Potest enim Deus pro sua bonitate omnem iniuriam liberaliter condonare, nullam pro illata iniuria satisfactionem exigendo, nam id potest facere & laudabiliter homo, qui sicut pecuniarium debitum, ita & iniuriam receptam potest gratissimè condonare, quod quidem opus charitatis est & liberalitatis. Cùm igitur Deus optimus sit, ac magnificentissimus, non dubium, quin possit liberaliter omnem offensam in se commissam remittere. Nec obstat, esse de iure naturæ satisfaciendum offenso, quia in hac re id solum est de iure naturæ loco satisfactionis Deo reddendum, quod ipse exegerit, id autem, quod in lege ordinata exigit, potest non exigere, vt suprà, cùm de pœnitentia cordis ageremus, ostendimus. Quòd autem de lege ordinata sit necessaria satisfactio pro offensa, nō solùm ea, qua Christus pro nobis satisfecit, sine qua nemo de lege ordinata potuit vnquam iustificari, sed alia particularis, ex definitione satisfactionis apertè constat: Est enī satisfactio, iniuriæ illatæ recompensatio, secundùm æqualitatem iustitiæ. Aut vt definit Scotus; Est voluntaria redditio æquiualentis aliâs indebiti. Ex vtraque constat, satisfactionem esse actum iustitiæ, quo redditur offenso debita pro peccato recompensatio. Id etiam sonat verbum, redditio, quod præsupponit, aliquid esse debitum. Quamuis enim dare voluntatis sit, reddere tamen necessitatis est. Pro eodem facit cap. Si culpa tua damnum illatum est, iure super his satisfacere oportet, quod verbum etiam necessitatis est. Et sicut restitutio necessaria est, sine qua peccatum minimè dimittitur, ita & satisfactio pro offensa commissa necessaria est, cùm de vtroque similis sit ratio. Non enim iniustius est iniuriam inferre, seu offensam committere, quàm alienum surripere, imò illud longè iniustius, ac proinde non minùs pro primo quàm pro secundo opus est satisfacere. Idem etiam apertè colligitur ex his, quæ suprà in tractatu de pœnitentia cordis diximus, vbi probauimus, pœnitentiam cordis de mortalibus esse peccatori necessariā, vt Deo reconcilietur, ergo non dubium, esse necessariam satisfactionem pro peccatis quo ad culpam, quæ per contritionem fit, sine qua peccator Dei gratiam obtinere non potest, iuxta illud Esaiæ: Ad quem respiciam, nisi ad pauperculum, & contritum corde?

Probatur primò solutio prædicta. — II. — III. — *Esaiæ 50.* — E — F

An dicta satisfactio fieri debeat per opera pœnalia?

Rationes partis negatiuæ. I. Ioan. 4. 1. Petri 4. Lucæ 7. II. Matth. 19.

Sed esto necessarium sit Deo satisfacere, An id debeat fieri per opera pœnalia? de hoc posset aliqua controuersia esse. Vnde pro parte negatiua arguitur primò, quia de lege ordinata potest quis veniam perfectam cōsequi per veram Christi dilectionem, iuxta illud Ioannis: Si quis diligit me, diligetur à Patre meo, & ad eum veniemus, & apud eum mansionem faciemus. Pro quo etiam facit, quod ait Petrus in Canonica dicens: Charitas operit multitudinem peccatorum. Vnde & de Magdalena dictum est: Dimissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Igitur ad obtinendam veniam peccatorum, non est necessaria satisfactio per opera pœnalia. Secundò ad idem arguitur, quia sufficit homini ad salutem, si mandata Dei seruet, iuxta illud Christi: Si vis ad vitam ingredi, serua mandata, sed in mandatis decalogi, de quibus Christus loquebatur, nulla

A nulla de satisfactione agenda per opera pœnalia mentio fit, sed de sola Dei & proximi dilectione, quandoquidem præcepta primæ tabulæ ad dilectionem Dei, præcepta verò secundæ tabulæ ad proximorum dilectionem pertinere noscuntur. Huc enim omnia mandata tendunt, iuxta illud Pauli: Finis præcepti, charitas. Et iterum: Qui proximum diligit, legem impleuit. Tertiò, quia homo potest per eleemosynam & per orationem satisfacere, iuxta id, quod Daniel ad Nabuchodonosor dixit: Peccata tua eleemosynis redime. Et alibi Scriptura ait: Sicut aqua extinguit ignem, sic eleemosyna extinguit peccata. Vnde & Christus dixit: Date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis. Sed huiusmodi eleemosynam, vt satisfactoria sit, non oportet esse pœnalem, imò si cum lętitia fiat, qualis fit ab homine liberali, erit apud Deum gratior, prout inquit Paulus: Hilarem datorem diligit Deus. Quartò, quia si sola opera pœnalia essent satisfactoria, quātò opus aliquod magis pœnale esset, tantò esset magis satisfactorium, & per consequens magis satisfactorium esset ieiunium vnius gulosi & intemperati quàm vnius religiosi ad ieiunandum assueti, & eleemosyna vnius auari esset magis satisfactoria quàm vnius liberalis, ex quo ieiunium intemperati, & eleemosyna hominis auari magis pœnalia & difficilia eis sunt, quàm religiosi, & liberalis. Quintò, idē apparet ex eo, quod habetur Thobiæ 3. qui ad Deum loquens ait: Non enim delectaris in perditionibus nostris, quia post tempestatem, tranquillum facis, & post lachrymationem & fletum, & gaudium & exultationē infundis. Non ergo est necessaria satisfactio per opera pœnalia, in quibus Deus minimè delectatur. Confirmatur ex dicto Anselmi dicentis: Satisfacere Deo, est honorem eidem indebitè subtractum impendere; Hoc autem fieri potest absq; opere pœnali, si homo post peccatum, quo Deo honorem & obedientiam subtraxit, se illi rursus subiiciat, eum colat, reuereatur, & timeat &c.

1. Timoth. 1. *Roman. 13.* III. *Daniel. 4.* *Ecclesiast. 3.* *Lucæ 11.* *2. Corinth. 9.* IIII. V. B *Confirmatio.*

IN OPPOSITVM & pro parte affirmatiua arguitur: Quia illa satisfactio est homini necessaria, quam Deus ab homine post offensam exigit: Deus autem in vtroq; Testamento sæpe à peccatore pœnitentiam exigit de commissis, vt ex dictis est manifestum; pœnitentia autem opus pœnale est. Idem etiam arguitur ex eo, quod habetur Matth. 3. & Lucæ 3. Facite fructus dignos pœnitentiæ. Super quo ait Augustinus, alios esse fructus dignos pœnitentię, alios verò virtutis, qui per fructus dignos pœnitentiæ opera pœnalia dicit esse intelligenda. Pœnitentia enim cordis, fletum, lachrymas, ieiunia, vigiliam, aliaque pœnalia opera, & aspera fructificat, per quæ homo voluptatibus, operibusque, vnde homines delectationem atque vtilitatem solent accipere, priuetur. Idem etiam apparet exemplis vtriusque Testamenti, non enim peccatores aliter legimus Deo satisfecisse, quàm per opera pœnalia. Cùm enim intelligerent, Deum illis iratum esse, illicò ad pœnitētiam, luctum, aliaq; pœnalia & tristia opera accurrebant, animas suas per ieiunia, vigilias, aliaq; huiusmodi affligentes. Exemplum est & non infrequens de populo Israël, & regibus eius. Exemplum sunt Niniuitæ, quibus cùm dixisset Ionas, ad quadraginta dies Niniuæ subuertetur, ad remedium illicò confugerunt, omnibusq; seipsos affligentibus, ira Domini placata est. Exemplum etiam est Petrus, qui post Christi negationem, statim ad lachrymas se conuertit, & veniam impetrauit. Idem de Magdalena, & de innumeris aliis apertissimum est. Postremò idem patet ratione, quia culpa per pœnam compensatur, & tantò maior exigitur pœna, quantò maior fuit culpa. Vnde Gregorius ait: Iustum est, vt peccator tantò maiora sibi inferat lamenta per pœnitentiam, quantò maiora intulit damna per culpam.

Argumēta pro parte affirmatiua. I. II. III. *Ionæ 3.* C *Matth. 26.*

RESPONDETVR, loquendo de satisfactione pro peccato quo ad culpam, quæ reconciliatiua dicitur, non dubium esse, quin necessaria sit satisfactio per opera pœnalia, quia ad minus est necessaria contritio, & pœnitentia cordis, similiter & confessio, quæ opera valde pœnalia sunt. Quod cùm sufficienter probatum sit superiùs, non opus est denuò probare.

Resolutio affirmatiua loquendo de satisfactione pro peccatis quo ad culpam. *Ratio.*

SED AD rationes ante oppositum respon. Ad primam, fateor peccatorem posse per dilectionem Dei veniam peccatorum consequi, non solùm quo ad culpam, sed etiam quo ad omnem pœnam. Verùm ipsa Dei dilectio, si vera est, virtualiter continet satisfactionem pœnalem præfatam, scilicet contritionem, & confessionem, sine quibus peccata minimè remittuntur. Et ita venit communis sententia intelligenda, quæ ait, esse necessariam satisfactionem per opera pœnalia, scilicet formaliter, vel virtualiter in actu, aut mentis proposito.

Soluūtur rationes negatiuæ. *Ad I.*

Ad II. AD SECVNDAM dicendum, quòd si ratio valeret, æquè probaret, non esse necessariam contritionem, nec confessionem, nec vllam satisfactionem, imò nec baptismum, nec Eucharistiam, cùm de his in Decalogo mentio expressa non fiat. Ideo dicendum, quòd cùm ait Christus: Si vis ad vitam ingredi, serua mandata, non intelligatur ita, vt aliorum omnium necessitatem excludat. Sed ideo id dixit, vt intelligamus, mandatorum obseruantiam ita esse ad salutem & vitam necessariam, vt sine ea non possimus saluari. Dixit itaque necessarium esse ad vitam mandata illa seruare, non autem sufficere.

Solutio duplex. I.

II. Aut secundò dicatur, quòd qui mandata Dei omnia seruat, is conteritur, confiteturq́; ac satisfacit tempore quo tenetur; alioqui nec Deum, nec seipsum, vti debet, diliget, quę dilectio in ipsis mandatis nobis commendatur.

Ad III. AD TERTIAM, esto eleemosyna non sit positiuè omnibus pœnalis, bene tamen priuatiuè. Vnde opera dupliciter dicuntur pœnalia, scilicet positiuè, quæ tristitiam seu dolorem causant; Et priuatiuè, quia scilicet aliquo bono operantem priuant, vt ieiunium, quod priuat hominem bono delectabili, & eleemosyna, quæ priuat hominem bono commodo, & vtili.

Ad IIII. AD QVARTAM fateor, quòd cæteris paribus quantò magis pœnale est opus ex parte operis, aut ex parte naturalis complexionis ipsius operantis, tantò sit magis satisfactorium, sicut & meritorium, si ex gratia fiat, non tamen si sit magis pœnale ex vitiosa operantis consuetudine. Vnde ex tribus potest difficultas, quam quis in operando sentit, prouenire, scilicet ex opere ipso in se, quia est in se arduum & difficile, vt rempublicam regere, iudicare, & omnium lites & contentiones dirimere, similiter bellare, & mortem tolerare. Secundò, ex naturali complexione operantis, vt sunt multi, quibus difficile est ieiunare, quia à natura sunt ad frequenter comedendum inclinati. Quibusdam etiam difficile est continenter viuere, quia à natura sunt ad concupiscentiam procliues. Tertiò, ex vitiosa operantis consuetudine, vt gulosis difficile est ieiunare, & auaris eleemosynam dare. Econtrà etiam potest ex tribus facilitas operandi prouenire, vt satis de se constat. Illa igitur difficultas, quę ex opere in se, vel ex naturali operantis complexione venit, auget rationem meriti & satisfactionis, econtrà verò facilitas opposita minuit meritum & satisfactionem. Difficultas verò, quæ ex vitio maximè non emendato prouenit, meritum, & satisfactionem non auget, sicut econtrà facilitas ex studiosa consuetudine procedens, non minuit meritum: Non enim conuenit dicere, quòd vitium suffragetur vitioso ad magis merendum, & virtus seu studiosa cõsuetudo obsit studioso ad merendum.

Ex tribus prouenire potest difficultas operãdi. I. II. III.

Quenam difficultas ex dictis augeat meritũ operandi.

Ad V. *Non delectatur De' in pœna hominum, vt pœna est, bene tamen vt iusta est.* AD QVINTAM dicendum, quòd Deus non delectetur in pœna hominum, vt pœna est, bene tamen vt iusta est. Sicut etiam Sancti de pœna impiorum lætantur, iuxta illud Esaiæ 57. Lætabitur iustus, cùm viderit vindictam, manus suas lauabit in sanguine peccatoris. Ideo etiam Deus in pœnis lætari non dicitur, quia non eas per se intendit, qui omnium salutem cupiat. Quòd si pœnam infert, aut exigit, ideo est, quia vel sic ad hominum salutem conducit, vel quia sic iustitia exigit.

Ad confirmationem eiusdem. AD POSTREMAM ex Anselmo citatam, fateor quòd Deo satisfaciat, qui illi debitum reddit honorem, quem iniustè subtraxerat. Vnum id opus est fiat non solùm de cætero mandata seruando, sed de suo aliquid subtrahendo, quod in gloriam & honorem DEI cedat, siue huiusmodi subtractio fiat de bono vtili, siue de bono delectabili.

Aliud dubium. *An post dimissam culpam per contritionẽ & cõfessionem, sit homini sub pœna noui peccati vlterior satisfactio necessaria?* VERVM CVM hæc, quæ dicta in hac quæstione & conclusa sunt, procedant de satisfactione pro peccatis quo ad culpam, quæ dicitur reconcilians, quam non dubium necessariam esse peccatori, etiam sub pœna noui peccati, ad quam necessaria quidem est contritio, & confessio; est tamen dubium, an post dimissam culpam per contritionem & confessionem, sit homini necessaria vlterior satisfactio, ita vt si vlteriorem satisfactionem in præsenti vita non addat, peccet de nouo. Et pro parte affirmatiua arguitur primò, quia ex sententia omnium pœnitentia, quæ ad remissionem peccatorum necessaria est, tres habet partes, scilicet contritionem, confessionem, & satisfactionem, igitur sicut contritio & confessio necessaria sunt homini sub pœna noui peccati, ita satisfactio.

Rationes affirmatiuæ. I.

II. SECVNDO, necessarium est homini id procurare & agere, sine quo ad finalem gloriam peruenire non potest: sed ad hanc nõ peruenitur, nisi post remissam culpam, pœna etiam

A etiam temporalis remittatur, hæc autem per satisfactionem venit remittenda, igitur. *Probatur cōtra hæreticos post dimissam culpā relinqui pœnā temporalē soluendam.* Sed quia hæretici negant, post remissam culpam relinqui temporalem pœnam soluendam, ideo id probatur testimoniis Scripturæ. Patet enim ex 2. Regum 24. vbi cùm Dauid de peccato, quo populum numerari fecerat, vel ex quadam animi elatione, aut ex Dei diffidentia, veniam per pœnitentiam esset adeptus, satisfactionem vlteriorem Deus exegit, hoc est, pœnam aliquam, cuius electionem Dominus ipsi Dauid reliquit, & ita 1.
peste grauissima fuit in populo punitus. Et iterum cùm Dominus eidem Prophetæ pec- *2. Reg. 11.*
catum adulterij & homicidij transtulisset, quemadmodum Nathan Propheta illi denun- 2.
tiauit, adhuc voluit Dominus illum in filio suo dilecto punire, quem Dominus breui de *Numer. 12.*
medio illi abstulit. Similiter Maria soror Moysi post obtentam veniam de peccato, quo 3.
in Moysen murmurauerat, septem diebus mansit, ex sententia Domini, extra castra, le- *2. Paralip. 26.*
pra insuper faciei eius superfusa. Similiter Ozias Rex, qui sacerdotis officium contra diuinum præceptum vsurpauerat, post actam pœnitentiam, mansit per vitam suam lepro- 4.
sus; Et alia multa exempla possent afferri, quę prætermitto.

TERTIO idem probatur, quia in lege veteri Dominus instituit hostias pro peccatis offerendas, per quas ira Domini placabatur, placari autem contra peccatores, & hostias pro illis acceptare, nisi præhabita pœnitentia cordis, de lege ordinata non poterat, igitur illæ hostiæ proderant ad remissionem pœnæ, etiam post culpam dimissam. Vnde III.
B & Dauid post veniam peccatorum obtentam, iussus est per Gad Prophetam, vt super altare per eum extruendum, holocaustum ad Dei iram placandam, offerret. Idem etiam patet ex pœnitentiis, quas Ecclesia iniungendas instituit pro peccatis contritis & confessis, quibus minimè opus esset, si post dimissam culpam, nulla ira Dei cōtra peccatores permaneret, nec vlla pœna per eos soluenda relinqueretur. *2. Reg. 24.*

QVARTO idem videtur testimonio Sanctorum comprobari, ait enim Augustinus in sermone de monte: Satisfactio à Ioanne præcipitur, vbi ait: Facite fructus dignos pœnitentiæ, scilicet vt secundùm qualitatem & quantitatem culpæ, sit qualitas & quantitas pœnæ. Non enim par debet esse fructus boni operis eius, qui minùs peccauit, & eius, qui grauiùs cecidit. & iterum Augustinus. & habetur in glos. 2. ad Corinth. 13. ait: Non sufficit peccatori, mores in melius commutare, & à malis recedere, nisi & de his, quæ facta sunt, Domino satisfaciat, per pœnitentiæ dolorem, per humilitatis gemitum, per contriti cordis sacrificium, cooperantibus eleemosynis. Hieronymus etiam in Ezechielem lib. 8. vbi dicitur: Et accingetur cilicio, ait: Vetus lumborum libido damnatur, vt qui vixerant in deliciis, postea pœnitentes viuant in austeritate & duritia. Idem super Malachiam ait: Peccator dormiat in sacco, & præteritas delicias vitæ austeritate compenset. Ex quibus & multis aliis apparet, non satis esse peccatori veniam peccatorum quo ad culpam per contritionem & confessionem obtinuisse, sed necessarium esse, vt satisfactionem opere superaddat. IIII.

C HIS TAMEN non obstantibus videtur tenendum, non esse peccatori necessarium sub pœna noui peccati mortalis aliam in hoc seculo satisfactionem vltra contritionem & confessionem superaddere. Id apparet, quia si esset necessaria vlterior satisfactio, maximè ad placandam iram Dei, & veniam integram consequendam, sed ira Dei non est nisi voluntas sumendi vltionem seu puniendi peccatorem, quæ si sit voluntas puniendi hominem æternaliter, hæc ira cessauit iam per contritionem & confessionem, vt suppono. Si autem sit, sicut est in præsenti casu, voluntas puniendi hominem temporaliter pro commissis, hæc ira aliter placari potest, quàm per superadditam satisfactionem in præsenti vita. Patet hoc, quia pœna illa temporalis potest in hoc seculo solui, & in futuro, & electio conueniet ipsi homini. Sicut si aliquis debet vnum de duobus sub disiunctione, electio ad debitorem spectat, ac proinde liberum est homini post contritionem & confessionem velle hîc, vel in purgatorio pœnam temporalem soluere, & per consequens non est necessarium, sub pœna noui peccati, illam vlteriorem satisfactionem in præsenti vita addere. Et inde suprà conclusum est, non esse peccatorem obligatum admittere pœnitentiam à sacerdote iniunctam, sequendo positionem Scoti. *Resolutio negatiua.* *Probatur I.*

CONFIRMATVR hoc, quia sicut post culpam dimissam mortalem, remanet homo pœnæ temporali obnoxius, ita post commissa venialia remanet ob eadem pœnæ temporali similiter obnoxius, quam si in præsenti non soluat, soluet in seculo venturo, sed ad finem redimendi pœnam temporalem venialibus debitam non tenetur homo *Probatur II.*

sub pœna peccati mortalis pro ipsis venialibus in præsenti satisfacere, igitur nec pro redimenda pœna temporali dimissis mortalibus debita. Antecedens notum est, alioqui venialia nõ in alio seculo remitterentur, si eorum remissio fuisset in præsenti seculo necessaria, de quo aliàs. Si igitur vltra contritionem & confessionem sit necessaria vlterior pro dimissis peccatis satisfactio, intelligatur de necessitate ex suppositione seu conditionata, scilicet si homo vult plenam in præsenti vita peccatorum remissionem consequi, & euadere alterius seculi vindictam, tunc necessarium est vlteriorem satisfactionem superaddere. Et sic puto intelligendos Sanctos, quando de necessitate particulariter satisfaciendi loquuntur. D

Vltra contritionem & confessionem non nisi conditionaliter est necessaria vlterior satisfactio.

Respõdetur ad rationes affirmatiuas.

Ad I.

Quales sint & dicãtur esse partes pœnitentiæ.

Ad rationes ante oppositum factas, respondetur ad primam, quòd illa tria dicantur partes pœnitentiæ, non quòd pœnitentia ex illis tribus intrinsecè componatur, nam pœnitentia cordis, quæ virtus est, non ex aliis componitur, aut integratur, pœnitentia etiam, quæ Sacramentum est, ex aliis minimè componitur. Itaque nec sunt partes essentiales, nec integrales ipsius pœnitentiæ, sed dicuntur potẽtiales partes pœnitentiæ, tam virtutis quàm Sacramenti, eò quòd illa, quæ requiruntur ad esse rei, seu ad eius perfectam operationem, solent dici quodammodo partes potẽtiales ipsius rei, etiamsi eius essentiam non intrent. Et quia operatio perfecta pœnitentiæ tam virtutis quàm Sacramenti est integra peccatorum remissio, quæ sine contritione, confessione & satisfactione fieri non potest, idq; in actu, aut in voto formaliter, aut interpretatiuè, ideo dicuntur E partes potentiales pœnitentiæ. Sed non inde fit, vt omnes illæ, si ab inuicem distinguantur, sint æquè & eodem modo necessariæ. Nam primæ duæ, scilicet contritio & confessio, necessariæ sunt de præcepto, & sub pœna noui peccati: Vlterior autem satisfactio, quæ ad remissionem pœnæ temporalis fit, non ita est necessaria, nisi ex suppositione, vt nuper dicebam.

Partes pœnitentiæ nõ omnes æquè ac eodẽ modo sunt necessariæ.

Ad II.

Falsum est hominem nõ posse saluari, nisi plenè in hac vita pro peccatis satisfaciat.

Ad secundam respondetur, illam nil probare, quia fundat se in hoc, quòd non possit homo finaliter ad gloriam peruenire, nisi in hoc seculo plenè pro peccatis satisfaciat, quod est erroneum, quia etsi in præsenti seculo non plenè quis satisfaciat, in purgatorio tamen poterit pœnam debitam soluere, & inde ad gloriam pertransire. Ad alia verò testimonia, quibus probabatur, quòd post dimissam culpam relinqueretur vt plurimùm pœna temporalis soluenda, fateor ita esse. Fateor etiam, ex multis exemplis Scripturæ constare, homines post pœnitentiam pœnas temporales diuinitùs ordinatas in hoc seculo soluisse. Sicut & multi Sancti in hoc seculo similiter post obtentam veniam asperrimas egerunt pœnitentias voluntariè assumptas, non tamen inde fit, vt post contritionem & confessionem peccent homines de nouo, si huiusmodi pœnitentias exteriores non superaddant. Nec Deus vindictam de peccatis in præsenti vita sumens, intendit nos ad huiusmodi pœnitentias astringere, sed potiùs suam indignationem contra eos, qui ipsum offendunt, ostendere. Quæ quidem indignatio, adhuc post pœnitentiam cordis durat, eo modo, quo dictum est, & eam opere ostendit, vt diuinam iram sentien- F tes, eum ampliùs offendere timeamus.

Ad III.

Sacrificiũ Missæ ad duo valet.

Ad tertiam dicendum, quòd sicut olim, ita & nunc præceptum sit sacerdotibus sacrificia offerre, quæ valent ad duo, vt scilicet religiosè Deus ab hominibus colatur, & vt Deus contra peccatores placetur. Quòd si tunc temporis Deus à peccatoribus aliquas oblationes seu opera aliqua particulariter pro peccatis exigebat, tenebãtur ob præceptum ea reddere loco confessionis vocalis, qua modò tenentur peccatores sua scelera sacerdotibus confiteri, qualis confessio tunc in præcepto non erat, sed aliud opus, quod confessionis vicem teneret, illis iniungebatur. Vltra igitur ea, quæ tunc & nunc ex præcepto tenentur peccatores, currit quod dictum est, scilicet non esse vlteriorem particularem satisfactionem necessariam sub pœna noui peccati. De pœnitentiis autem per Ecclesiam ordinatis certa est responsio, quòd iam arbitrariæ sint.

Ad IIII.

Ad Qvartam ex testimoniis Sanctorum patet ex dictis solutio, quòd ex illis sequatur, præfatam satisfactionem esse necessariam ex suppositione, si volumus in præsenti vita completam consequi veniam peccatorum.

FINITVR CODEX DE SATISFACTIONE.

CODEX

A

CODEX DE IEIVNIO.

De ieiunio & his, quæ de ratione eius sunt.

QVÆSTIO PRIMA.

Partes satisfactiõis sunt tres, et quare his potissimum fieri soleat satisfactio, ratio triplex.

Prima ratio.

1. Ioan. 2.

IAM DE PARTIBVS satisfactionis conuenit, vt promisimus, aliquid dicere. Quas quidem partes tres esse constat, ieiuniũ, eleemosynam, & orationem. Quare autem magis his tribus modis satisfactio soleat fieri, triplex est ratio. Prima, quia secundùm Ioannem, omne, quod in mundo est, concupiscentia est carnis, aut oculorum, aut superbia vitæ. Ideo pro concupiscentia carnis, satisfacimus per ieiunium; Pro concupiscentia oculorum, quæ auaritia est, satisfacimus per eleemosynam; Pro superbia verò vitæ, omniq; vanitate, satisfacimus per orationem. Secunda ratio, quia tribus modis peccatur, scilicet cõtra Deum, contra seipsum, & contra proximum. Peccatis contra Deum commissis, respondet oratio: His B verò, quæ contra seipsum quis committit, respondet ieiunium: aliis autem contra proximum perpetratis, respõdet eleemosyna. Tertia ratio, quia his tribus modis legimus sanctos Patres Deo pro peccatis satisfecisse, & ipsum placasse, vt passim per scripturam sanctam docemur. Vnde & Catholici Doctores hanc sumpserunt doctrinã, ait enim Leo sermone 4. de ieiunio: Curandis igitur læsionibus, in quas sæpe incidunt, qui cum inuincibili hoste confligunt, trium maximè remediorum est adhibenda medicina, in orationis instantia, in castigatione ieiunij, in eleemosynæ largitate, quæ cùm pariter exercentur, Deus propitiatur, culpa deletur, & tentator eliditur. De quibus partibus rursus in alio sermone ait: Tria sunt, quæ maximè ad actiones religiosas pertinent, oratio, ieiunium, & eleemosyna. Oratione, Dei propitiatio quæritur: Ieiunio, concupiscentia carnis extinguitur: Eleemosyna verò, peccata redimuntur.

Secunda ratio.

Tertia ratio.

De definitione & diuisione ieiunij.

Definitio ieiunij.

Ieiuniũ triplex.

DE HIS igitur partibus breuiter agendũ est. Et primò de ieiunio solet quæri, quid, & quotuplex sit. Ad quod, dimissa multiplici ieiunij acceptatiõe, dicitur, quòd ieiunium sit abstinentia à cibo & potu, secundùm regulam super hoc traditam, vel statutam, quod ex diuisione facilè percipietur. Est enim (ad propositum loquendo) triplex ieiunium, scilicet naturæ, virtutis & Ecclesiæ. Primum, quod naturæ est, dicitur abstinentia ab omni cibo & potu, omniq; gustabili, seu comestibili, quale ieiuniũ dicitur esse necessarium ad dignam Eucharistiæ sumptionem, de quo in suo loco. I. Ieiunium virtutis est abstinentia à cibo & potu secundùm regulam temperantiæ, quæ in mediocritate consistit, nõ quo ad II. C nos, vt sapiens & recta ratio dictauerit, ita scilicet, vt homo in comedẽdo & bibendo, nec ab eo, quod naturæ necessarium est, deficiat, nec notabiliter excedat, sed id sumat, quod ad vitam, & debitam corporis valetudinem conuenerit. Habet autem hoc medium rationis suam latitudinem, non enim in indiuisibili consistit. Respectu etiam diuersorum hominum, varia est huiusmodi latitudo, secundùm variam hominum complexionem, statum, atque conditionem. Quod satis notum esse suppono.

III.

In Ecclesiastico ieiunio tria seruanda sunt.

IEIVNIVM Ecclesiæ dicitur abstinentia à cibo secundùm regulam ab Ecclesia traditam, seu approbatam. Hæc autem est, vt in ieiunio Ecclesiastico tria seruentur, scilicet abstinentia à numero refectionum, abstinentia à certo ciborum genere, & hora debita refectionis. I. Primum, scilicet abstinentia à numero refectionum, ita vt non nisi semel in die comedatur, licet non appareat in iure apertè præceptum, æquiualenter tamen significatur in cap. Quadragesima. de consecrat. distin. 5. vbi dicitur, quòd in Quadragesima summa obseruantia ieiunandum sit, exceptis diebus dominicis. Idem habetur ex Concilio Agathensi, & consecrat. distin. 3. cap. Placuit. Quæ exceptio cùm locum nõ habeat, quantum ad qualitatem ciborum, ex quo ab eisdem cibis abstinendum est in diebus dominicis Quadragesimæ, à quibus in cæteris diebus abstinendum est, ex eo saltem tempore, quo huiusmodi abstinentia in diebus dominicis à fidelibus fuit admissa, superest, vt præfata exceptio ponat differentiam inter dominicos dies Quadragesimæ, quantum ad numerum refectionum, ita vt licitum sit dominicis diebus Quadragesimæ pluries comedere,

medere, quod in cæteris diebus illicitum esse dignoscitur. Adde, quòd vniuersalis consuetudo & communis literatorum doctrina sic ieiunij conditionem interpretantur, vt non nisi semel in die sit comedendum. D

II. SECVNDVM, scilicet abstinentia à certis cibis, satis traditur cap. Deniq;. distinct. 4. Et procedit de Quadragesima, in qua à carnibus est abstinendum, simul & ab his, quę ex carne originem trahunt, vt sunt adipes, lardum, caseus, lac & oua. Nam in aliis Ecclesiæ ieiuniis, non ita vniuersaliter videntur hæc esse prohibita, sed solus vsus carnium, ideo in aliis diebus ieiunij liceret citra carnes, alia cibaria sumere, si tamen non sit in oppositum consuetudo, quæ vicem legis habeat.

III. TERTIVM, scilicet seruandam esse horam refectionis, ita vt cibus ante horam vesperarum non sumatur. De quo cap. Solet. de consecra. distin. 4. Hoc ex communi consuetudine ad horam sextam, hoc est, iuxta meridiem, est limitatum, siue vesperarum officium sit celebratum, siue non. In his tamen magnam vim habet patriæ consuetudo, quæ quidem seruanda est, vt habetur de obseruantia ieiuniorum. cap. Consilium. Et 12. distinction. Illa. & alibi pluries.

De institutione ieiunij.

QVÆSTIO SECVNDA. E

An nonam Ecclesiasticum ieiuniũ maximè Quadragesima institutum sit?

QVIBVS BREVITER præmissis occurrit dubium de ieiunij institutione, à quo scilicet Ecclesiasticum ieiunium sit institutum, & cùm de ieiunio quatuor temporum, & vigiliis Apostolorum, & solennitatum Ecclesiæ, certum sit, id ab Ecclesia institutum esse, sicut & alia particularia ieiunia à prælatis Ecclesię instituta aut approbata esse constat, de ieiunio tamen quadragesimali non ita certum est.

Sentētia prima esse de iure diuino.

Ratio I.

ET PVTANT aliqui, quòd ieiunium quadragesimale sit de iure diuino, & à Deo institutum. Primò, quia si de humano iure esset, inter humana iura ipsius institutio reperiretur, quando scilicet, & à quo fuisset institutum, hoc autem non videtur, quia iura, in quibus de huiusmodi ieiunio mentio fit, nō sunt noui iuris inductiua, sed præsupponunt huiusmodi ieiunium priùs fuisse institutum, & iubent, ac declarant, qualiter sit à fidelibus obseruandum, vt facile est videre distinct. 4. in Decreto. et de consecrat. distinct. 2. cap. Quadragesima.

Occurritur obiectioni.

NEC OBSTAT, quòd Telesphorus instituerit, clericos per septem hebdomadas ieiunare debere, à carnibus ante festum Paschæ abstinendo, nam non loquitur de ieiunio quadragesimali, sed de abstinentia à carnibus, quam voluit in clericis esse maiorē, quàm in laicis. Quòd autem Telesphorus non fuerit Quadragesimæ institutor, patet ex cap. Quadragesima. distinct. 4. vbi dicitur, quòd Quadragesima sex hebdomadas habeat, & Telesphorus addiderit septimam. Tum etiam, quia Quadragesima omnibus, tam laicis F quàm clericis iniuncta est, Telesphori autem institutio non nisi ad clericos se extendit. Adde, quòd Ignatius Apostolis contemporaneus Telesphorum tempore præcessit, qui tamen ieiunij quadragesimalis meminit, & ad eius obseruantiam Christi fideles in suis epistolis exhortatur; Non igitur humano iure fuit Quadragesima instituta.

II. SECVNDO idem probant ex facto Christi, qui ante omnem Ecclesiæ super hoc institutionem, quadraginta diebus ieiunauit, vt igitur membra corpori respondeant & capiti conformentur, debemus & nos sicut ille ieiunare, etiam omni iuris humani dispositione seclusa, quandoquidem omnis Christi actio, nostra est instructio.

III. TERTIO idem probant authoritate Sanctorum: Nam Augustinus in sermone quadragesimali, vt recitatur in Dominica prima Quadragesimæ, id videtur sentire, scilicet hoc quadragesimale ieiunium à Christo fuisse ordinatum & institutum. Apertiùs autē beatus Ambrosius in sermone quodā ait, quòd qui huiusmodi ieiunium quadragesimale soluūt, legem diuinam scindant, & diuinæ legis sint præuaricatores. In alio etiā sermone apertiùs ait, huiusmodi ieiunium quadragesimale, non cogitatione humana adinuentū, sed diuina maiestate præceptum esse. Idem videtur sentire Beda in homilia quadā, quæ recitatur tempore Ascēsionis. Similiter sanctus Maximinus ait, hoc ieiunium quadragenarium non tam ab hominibus institutum esse, quàm à Deo cōsecratum, & cœlesti maiestate præceptum, ideo qui hoc spernit, non tam sacerdotes, quàm Deum spernere.

VERVM

A VERVM hæc motiua non sufficienter probant intentum, scilicet ieiunium quadragesimale esse de iure diuino, loquendo de ieiunio nostro, quatenus ab Ecclesia seruatur, ita vt de ratione ipsius sint illa tria, quæ suprà commemorauimus. Prima enim ratio si probaret, huiusmodi ieiunium non esse de iure humano, eadem probaret, quod non esset de iure diuino: Nam sicut inter humana iura eius institutio non inuenitur, ita nec reperitur inter iura diuina Euangelica vel Apostolica.

SECVNDA ratio ex facto Christi sumpta, minùs mouet. Tum, quia multa fecit Iesus, quæ nobis non tradidit sub præcepto facienda, vt constat: Tum etiam in proposito, quia si ex hoc facto, quo Christus quadraginta diebus ieiunauit, colligitur, nos similiter ad ieiunandum teneri, sequitur, quòd sicut Christus ieiunauit, quadraginta diebus & totidem noctibus, nil comedendo, ita & nos deberemus ad Christi imitationem nil per totam Quadragesimam comedere. Et sicut Christus illis diebus continuè ieiunauit, nullum festum excipiendo, ita & nos deberemus per totam Quadragesimam ieiunare, nullum diem, etiam dominicum excipiendo. Quod tamen esse falsum constat ex capit. Quadragesima. de consecratione distinct. 5. vbi à ieiunio quadragesimali dies Dominici excipiuntur. II

TERTIVM etiam fundamentum ex dictis Sanctorum sumptum, etsi apparens sit, non tamen concludit intentum, quòd scilicet sit huiusmodi ieiunium de iure diuino, III.
B cum iussione saltem institutum. Nam Augustinus non ait, huiusmodi ieiunium esse à Christo iussum, sed quòd ab ipso sit consecratum, quia opere ieiunando, sacrum fecit quadragenarium ieiunium, & apud Deum commutabile & acceptum. Ex quo illud videtur Deo dedicasse, tanquam aliquid eidem gratum & acceptum, quæ omnia citra iussionem fieri potuerunt. Quemadmodum virginitatem & paupertatem eximiamque patientiam in seipso tenuit & exercuit, in quibus voluit & nos ipsum imitari, sicut & in ieiunio, citra tamen iussionem. Quod autem ait Ambrosius, & Beda, & Maximinus & alij, huc tendit, vt scilicet intelligamus, quadragenarium ieiunium non esse ab hominibus adinuentum, sed in lege gratiæ à Christo primitùs institutum & obseruatum, & Deo dicatum, & à Christo nobis in exemplum relictum, ac proinde à nobis in magna reuerentia habendum & similiter obseruandum, ac si à Christo fuisset verè præceptum, & iussum; magis, in quam, quàm alia ieiunia à posteris instituta. Et quod aiunt, esse huiusmodi ieiunium diuina maiestate præceptum, intelligerem, præceptum hoc esse institutum & traditum, & in exemplum imitationis relictum: Traditiones enim maiorum, præcepta solent nuncupari, quia ita à nobis seruandæ sunt, ac si præcepta essent; non tamen inde fit, iure diuino iussum sub pœna peccati nobis esse præfatum ieiunium. Quemadmodum Christus consilia Euangelica interdum appellat mandata, sed non ideo sub pœna peccati seruanda. Ordinem etiam & sacramentum Matrimonij ipse instituit, nulli tamen de iure diuino iniunctum est, vt vel Ordinem sacrum, vel vxorem accipiat. *Matth. 5.* *Ioan. 12.*

C VIDETVR igitur tenendum, ieiunium quadragesimale, eo modo, quo ab Ecclesia obseruatur, nec à Christo institutum, nec ab eodem iussum esse, sed ab hominibus, & ita non de iure diuino, sed humano dicendum esse. Hoc patet, quia Christus in lege Euangelica non induxit discretionem ciborum, qualis in Quadragesima seruari solet, sed omnibus liberum omnium ciborum vsum indistinctè concesit, vt patet Lucæ 10. quando ad discipulos, quos ad prædicandum mittebat, dixit: In quamcunque ciuitatem introieritis, quæcunque apposita fuerint vobis, comedite. Idem etiam apertè docet Paulus, dicens in sententia, non esse distinguendum inter cibos, quos omnes Deus creauit ad percipiendum cum gratiarum actione. Et ita non videtur, quòd Christus iussit aut instituit ieiunium, quale nunc ab Ecclesia obseruatur. II. *Sententia probabilior est, scilicet esse tantùm de iure humano.* *Probatur* I. *Ad Timoth. 4.*

SECVNDO idem apparet, quia Papa in Bullis suis concedit passim facultatem comedendi oua, caseum, & lac in Quadragesima, & carnem ex solo Medici consilio, & parum deest, quin generaliter cum omnibus dispenset, vt ieiunent, carnes comedendo, sicut dicitur cum multis nobilibus dispensasse: hoc autem Papa non posset, sed id agendo Christi fideles per bullas suas deciperet, nec valerent, quod sonant, si huiusmodi ieiunium, quale ab Ecclesia obseruatur, esset de iure diuino cum iussione institutum; Ieiunium igitur quadragenarium, quod Christus consecrauit, & instituit, abstinentia potius quadragenaria dicenda est, quàm Ecclesiasticum ieiunium quadragenarium, de quo loquimur. II.

Quo tempore & à quibus sit institutum ieiunium Quadragesimæ. Sententia quorundã, ab Apostolis. Approbatur sententia prædicta. Multiplex discrimen inter ieiunium Christi, & nostrum. Matth. 4.

QVANDO autem, & à quo fuerit huiuſmodi Eccleſiaſticum ieiunium primitùs in- D
ſtitutum & iuſſum, quale nunc ab Eccleſia obſeruatur, non ita apparet. Videtur Hiero-
nymus ad Marcellam dicere, quòd ab Apoſtolis fuerit primò inſtitutum; ait enim: Nos
vnam Quadrageſimam ſecundùm traditionem Apoſtolorum toto anno, tempore con-
gruo ieiunamus. Similiter Theophilus Alexandrinus ait: Habemus Quadrageſimam ab
Apoſtolis inſtitutam, & ordinatam. Et ita putandum eſt, Chriſtum primò abſtinentiam
quadragenariam inſtituiſſe, ſine iuſsione aliqua. Apoſtoli verò ad Chriſti imitationem
ieiunium Eccleſiaſticum inſtituerunt, & ſub præcepto tradiderunt decernentes, quan-
do, & quomodo eſſet Quadrageſima ieiunanda: Nam Chriſtus nec tempus talis ieiunij
inſtituit, nec modum, nec cibos, ipſe enim poſt baptiſmum illicò in deſertum ſeceſsit, &
illic ieiunauit. Eccleſiaſtica autem Quadrageſima non ſtatim poſt baptiſmum fidelibus
iniungitur, ſed ante Paſcha. Chriſtus etiam nullum diem à ieiunio excepit in illo qua-
1. 2. dragenario numero: Eccleſia verò dies dominicos excipit. Chriſtus inſuper in illa abſti-
3. nentia quadragenaria, nec pluries, nec ſemel comedit, nec bibit: in Eccleſiaſtica autem
Quadrageſima vnica refectio tantùm eſt conceſſa, & in potatione nulla eſt appoſita li-
4. mitatio. Chriſtus etiam in illo ſuo ieiunio nullam inter cibos diſcretionem fecit; in ieiu-
nio autem noſtro quadragenario diſcretio ciborum fit, vt patet; Multùm igitur diſtat
hoc noſtrum ieiunium à ieiunio Chriſti. Itaq; cùm hoc noſtrum ieiunium Chriſtus nec
verbo, nec facto inſtituerit, vt conſtat, ſupereſt vt à primitiua Eccleſia, tempore ſcilicet E
Apoſtolorum, ſit inſtitutum, vt etiam tradit Ignatius contemporaneus Apoſtolis.

De diſpenſatione in Quadrageſima, & in Statutis Apoſtolicis.

QVÆSTIO TERTIA.

An poſſit Papa in Quadrageſimali ieiunio diſpenſare? Dicta quæſtio pendet ex hac, vtrũ Papa poſſit in Apoſtolicis ſtatutis diſpenſare? Rationes partis negatiuæ.

HINC ORITVR dubium, ſuppoſito quòd quadrageſimale ieiunium
fuerit primitùs ab Apoſtolis inſtitutum, an poſsit Papa in illo diſpen-
ſare, ſi enim à Chriſto immediatè cum iuſsione inſtitutum fuiſſet, Pa-
pæ diſpenſatio locum non haberet. Reſpondetur, id pendere ex alio:
An ſcilicet Papa poſsit in Apoſtolicis ſtatutis diſpenſare. Et pro parte
negatiua facit cap. Sunt quidam 25. q. 1. vbi dicit Vrbanus Papa, quòd
Romanus Pontifex in his, quæ tradiderunt Prophetæ, & Apoſtoli, & ſancti Patres defi-
I. nierunt, non nouam legem dare, ſed potiùs quod prædicatum eſt, vſque ad animam &
ſanguinem confirmare debet.

II. SECVNDO facit extrà, de bigamis cap. ſuper eo. cap. Nuper. & cap. A nobis. vbi Lu-
cius Papa, & Innocentius dicunt, quòd contra Apoſtolum non liceat diſpenſare. Et lo-
quuntur ad propoſitum de bigamis, qui ex ſtatuto Pauli non ſunt ad ordines ſacros pro- F
mouendi.

III. TERTIO facit, quòd Apoſtoli in his ſpecialiter, quæ prædicabant, & literis manda-
Matth. 10. bant, ſpiritu Dei ducebantur, prout ſcriptum eſt: Non eſtis vos, qui loquimini, ſed ſpiri-
tus patris veſtri loquitur in vobis, iuxta promiſsionem Chriſti Apoſtolis factam de Spi-
Ioan. 16. ritu ſancto paracleto illis euenturo, qui eos omnem veritatem doceret. Quemadmo-
dum & Paulus de ſe ipſo teſtabatur, cùm ad Corinthios ſcriberet dicens, ſe ſpiritum Dei
habere. Cùm igitur ita ſit, apparet, ſtatuta Apoſtolorum non tam hominum, quàm Dei
eſſe. In Dei autem ſtatutis & præceptis Papa diſpenſare non poteſt, cui non data eſt po-
teſtas ad deſtruendum, ſed ad ædificandum.

Reſolutio II. quæſtionis affirmatiua videlicet, poſſe Papã diſpenſare in ſtatutis Apoſtolicis.

HIS TAMEN non obſtantibus, videtur oppoſitum tenendum. Et patet ex facto,
quia Martinus Papa legitur diſpenſaſſe cum bigamo 34. diſtinct. capit. Lector. Similiter
cum Epiſcopo Panormitano fuit diſpenſatum, cùm bigamus eſſet, vt refert gloſſ. capit.
ſuper eo. de bigamis. Similiter in Concilio Gangrenſi diſpenſatum eſt in ſtatuto Apo-
Probatur I. ſtolorum, qui ſtatuerunt, presbyterum ob crimen fornicationis debere deponi 82. di-
II. ſtinct. cap. Presbyter. Cuius oppoſitum fuit in dicto concilio decretum, eadem diſtinct.
cap. presbyter.

III. PRAETEREA, poteſt Papa diſpenſare in ſtatutis Concilij generalis, igitur & in Apo
ſtolicis. Conſequentia patet, quia generale concilium nõ minoris authoritatis eſt, quàm
fuerit

A fuerit Apostolus, nec minùs regitur à Spiritu sancto, quàm regeretur Apostolus; nec minorem potestatem habet Concilium supra Papam, quàm habuerit aliquis Apostolus supra Petrum. Antecedens autem notum est ex capit. Significasti. de electionibus. Patet etiam, quia Innocentius in Concilio Lateranensi reuocauit quædam statuta Conciliorum, prohibentia coniugium in certis gradibus consanguinitatis & affinitatis, vt habetur de consanguinitate cap. Non debet.

PRAETEREA, Apostolus potuit in statutis per eum factis dispensare, ex quo statuta per Apostolos facta humana erant, non diuina. Cùm igitur non minorem potestatem habeat nunc Papa, quàm tunc habuerit Petrus, cui Papa in potestate Ecclesiastica plenissimè succedit, sequitur, Papam in statutis Petri, & per consequens in statutis Apostolicis posse dispensare. IIII.

Apostolorũ statuta in duplici sunt differẽtia: & in quibus nã Papa dispensare poßit.

ITAQVE de his, quæ Apostoli scripserunt, est distinguendum: Quædam enim dixerunt & scripserunt, tanquam præcones & promulgatores veritatis, & diuinæ voluntatis; qualia sunt, quæ ad fidẽ & sacramenta pertinent. In his certum est, Papam dispensare, aut mutationem aliquam facere non posse: Quæ enim à Deo instituta sunt, per homines dissolui non possunt. Alia verò sunt, quæ scripserunt & ordinauerunt, veluti homines regimen Ecclesiæ habentes, & in his sicut illi dispensare aut variare potuerunt, ita & Papa, prout necessitas, aut vtilitas publica postulauerit, poterit dispensare. Sed quia de his alibi dicetur, supersedeo. I II.

B

Papa non nisi pro necessitate aut notabili vtilitate dispensare potest in Quadragesima ieiunio.

AD OPPOSITVM de Quadragesima dicendum, quòd supposito non esse à Christo, sed ab Apostolis institutam & iussam, possit Papa in ea dispensare: Attamen puto, quòd Papa malè ageret, si pro voluntate cum aliquo in quadragesimali ieiunio dispensaret, & non potius pro necessitate, aut notabili vtilitate, idque ob reuerentiam, quæ Apostolis, per quos fuit Ecclesia fundata, debetur. Si tamen pro voluntate dispensaret, puto tenere dispensationem. Quòd autem in statutis Apostolicis, hoc est per Apostolos factis, possit Papa dispensare, tenet Thomas in 4. de bigamia, & Durandus, & Petrus de Palude, & Florentinus parte 3. de bigamia &c. & alij.

Soluũtur rationes negatiuæ. Respondetur ad I.

IAM AD rationes ante oppositum, dicendum ad primam ex Vrbano citatam, quòd procedat de fide & doctrina Euangelica, quam Apostoli promulgârunt, non de humanis legibus aut ordinationibus, quas ipsi statuerunt. Et si decretum ad statuta etiam Apostolica velimus extendere, dicendum, non posse Papam ea mutare pro voluntate, bene tamen pro necessitate aut vtilitate notabili spirituali.

Ad II. Solutio duplex I.

AD SECVNDAM dicendum cum Durando, quòd quando dicitur, quòd non liceat cum bigamis, aut contra Apostolum dispensare, non posse, aut non licere accipitur, non vt dicat impossibilitatem, sed difficultatem, aut quòd non liceat contra Apostolum dispensare, sine causa notabili, & vrgente: Aut dicatur, quòd cùm textus dicat, non licere contra Apostolum dispensare, intelligatur, non licere Episcopis inferioribus, qui Papam consulebant, an possent ipsi bigamos promouere, cum quo stat, quòd liceat Papæ &c. II

C

Ad III.

AD TERTIAM respondetur, quòd si aliquid probaret, similiter probaret, quòd Papa non posset dispensare in statutis pontificum, aut conciliorum, seu Ecclesiæ, quam supponimus etiam à Spiritu sancto in suis statutis motam fuisse, quod est falsum. Non igitur obstante, quòd Apostoli tam in his quæ prædicabant, quàm in his quæ statuebant, spiritu Dei ducerentur, non sequitur, omnia per eos statuta, dici esse de iure diuino; Quandoquidem sæpe Papa in suis ordinationibus spiritu Dei ducitur, nec ideo eius ordinationes sunt de iure diuino, aut indispensabiles, vt constat. Sed de his alibi.

De discretione ciborum in ieiunio.

QVÆSTIO QVARTA.

An cõueniẽter in ieiunio habeatur delectus & discretio ciborum? Pro parte negatiua

PRAESVPPOSITO ergo, quòd ieiunia Ecclesiastica sint ab Ecclesia instituta, potest quæri, an rectè sint instituta in ea parte, qua ciborum discretionem includunt. Est enim compertissimum, nonnullos fuisse & esse, qui huiusmodi ciborum delectum, tanquam sacris literis repugnãtem, damnant dicentes, huiusmodi ieiunium, quo humanũ corpus per abstinentiam à certis cibis affligitur, nõ esse Deo gratum & acceptum.

PRO

Ratio I. *Esai.58.* PRO QVIBVS facit, quod ait Esaias, vbi Dominus per Prophetam ait: Nunquid tale est ieiunium quod elegi, per diem affligere hominem animam suam? Et subdit: Nonne hoc est ieiunium, quod elegi? Dissolue colligationes impietatis, solue fasciculos deprimentes. Vbi docet, illud ieiunium Deo esse gratum, quo homo à peccatis continens, opera charitatis in fratres exercet. D

II. *Lucæ 10.* SECVNDO facit quod ait Christus, vt suprà citatum est: In quamcunque ciuitatem introieritis, quæcunque apponentur vobis, comedite. Et Matth. 15. ait Dominus: Non quod intrat in os, coinquinat hominem. Ex quibus docemur, ad libertatem euangelicam pertinere, posse hominem omnibus cibis indifferenter vti, concessumque esse à Christo hominibus, vt omnibus cibis indistinctè vesci posint, ac proinde Ecclesia ieiunium instituens cum præfata ciborum discretione, videtur Euangelicæ veritati contrauenire.

III. TERTIO pro eisdem videtur facere doctrina Pauli, qui aliquando videtur tradere non modò inutilem esse huiusmodi ciborum delectum, sed prohibitũ, ait enim: Non est regnum Dei esca, & potus. Et 1. ad Corinth. 8. Esca nos non commendat Deo. Nec enim si manducauerimus, abundabimus, nec si non manducauerimus, deficiemus. Et ad Colossen. 2. ait: Nemo vos iudicet in cibo aut potu, significans, fidelem in cibis discretionem facere non debere. *Ad Rom. 14.*

IIII. POSTREMO ait 1. ad Timoth. 4. In nouisimis temporibus decedent quidam à fide, loquentes mendacium, prohibentes nubere & abstinere à cibis, quos Deus creauit ad percipiendum cum gratiarum actione, fidelibus, & his, qui cognouerunt veritatem: Igitur contra fidem est prohibere, ne cibis nobis à Deo concesis, fruamur. E

Resolutio affirmatiua. Probatur I. *ieiunia approbata fuisse in veteri lege. Zachar.8.* HIS TAMEN non obstantibus, tenendum est oppositum, scilicet rectè fuisse ieiunia, etiam cum delectu ciborum, instituta. Constat in primis ieiunia tam in veteri, quàm in nouo testaměto esse approbata. Legitur enim Deum instituisse ieiunium quarti, quinti, septimi, & decimi mensis, cui in lege gratiæ correspondet ieiunium quatuor temporum. Quanquam nec ob eandem causam, nec in eisdem mensibus Ecclesia huiusmodi ieiunium quatuor temporum obseruet, quibus Iudæi præfata quatuor ieiunia obseruabant: Illi enim in Iulij, Augusti, Octobris, & Ianuarij mensibus sua celebrabant ieiunia. Iulius siquidem erat secundùm eorum computationem quartus mensis. Ecclesia verò ieiunia quatuor temporum in Martij, Iunij, Septembris, & Decembris mensibus celebrat. De quibus vide 76. distinct. cap. De ieiunio. & cap. Ieiunium.

II. FACIT ETIAM quod habetur Ioelis 2. Conuertimini ad me in ieiunio, fletu, & planctu. Alia etiam ieiunia ante Ioelis tempus, quando Deus per se populum suum regebat, legitur Iudęis iniunxisse, vt ex Leuitico patet. Thobias etiam cap. 12. ait: Bona est oratio cum ieiunio &c. Vnde patet, ieiunia in veteri testamento esse approbata.

III. *In noua lege similiter. Matth. 6.* QVOD ETIAM in nouo testamento sint commendata seu approbata, patet primò exemplo Christi, quem quadraginta diebus ieiunasse constat, qui insuper de ieiunio loquens ait: Tu autem cùm ieiunas, vnge caput tuum. Et Matthæi 9. Venient, inquit, dies, quando auferetur ab eis sponsus, & tunc ieiunabunt. Quod ab Apostolis legitur adimpletum, Actorum 13. & 14. Errant igitur, qui ieiunia perperam esse instituta dicunt, quorum error sæpe per Ecclesiam legitur reprobatus. Et fuit error Begardorum, & Ioannis Hufs, & aliorum multorum ante illos in Concilio Gangrensi & aliis apertè damnatus. Sed quia fortè dicent, ieiunia per eos non damnari, nisi ea, quæ cum delectu ciborum fiunt: Hanc enim ciborum discretionem ipsi damnare videntur, non ieiunium, quod aiunt sine delectu ciborum seruari; Nec ciborum delectum, sed ieiunium dicunt in sacris literis commendari. F

Error quorundam asserentiũ ieiunia perperam fuisse instituta, saltẽ quo ad delectum ciborum.

Refutatur, & probatur conuenienter institutũ esse ciborum delectum. I. CONTRA tamen stat veritas, quandoquidem Deus olim ex cibis naturæ humanæ conuenientibus, quosdam hominibus concesit, quosdam verò vetuit. Apertum est hoc in hominum primæua conditione, quando concessa homini facultate, vt de cæteris paradisi fructibus comederet, lignũ tamen scientię tangere aut gustare eidem vetitum fuit.

II. *Genes.2. Gen.9.* DEINDE post diluuium constat Dominum concesisse hominibus, vt carnibus animalium vescerentur, à sanguine tamen eos abstinere voluit.

III. *Leuit.14.* POSTMODVM etiam notum est, Deum in lege Iudæis vetuisse, ne carnes immundas manducarent, quas non natura, sed lege aut prohibitione immundas fuisse non dubitatur.

COMMEN-

A COMMENDATVR præterea Daniel & ſocij eius, cùm ſub Regis ethnici poteſtate IIII.
eſſent, quòd à cibis Regis abſtinerent, & filij Ionadab à vino, & Ioannes Baptiſta à carni-
bus, cui cibum præbebant locuſtæ. Apoſtoli etiam poſt inductam legem Euangelicam, V. VI.
homines à ſuffocato & ſanguine abſtinere ſanxerunt. Ex quibus apertum eſt, non modò
ſacris literis non obuiare ciborum diſcretionem, ſed per eaſdem in multis comprobatam
tam eſſe. Vnde non mirum, ſi Eccleſia ieiunia cum ciborum delectu inſtituerit. Et con-
trarium aſſerere, eſt error ſæpe damnatus. Vnde Auguſtinus in lib. de definitionibus or-
thodoxæ fidei, ait: Temperare eſum carnium propriè Chriſtianorum eſt. Et pòſt: æquare VII.
nuptias virginitati, & nil meriti putare eſſe in abſtinentia à carnibus & vino, non Chri-
ſtiani, ſed Iouiniani eſt. Verùm in re tam certa, & toties per Eccleſiam declarata, ſuper-
uacaneum eſt diutius immorari.

Dani. 1. Hier. 35. Matt. 3. Act. 15.

IAM AD rationes ſuprà factas. dicendum ad primam ex Eſaia citatam, quòd Deus
illic non reprobet ieiunium cum delectu ciborum factum, ſed eius inutilitatem decla-
ret, quando aliter, quàm debet, fit, hoc eſt, quando exteriùs ieiunando à cibis abſtinet,
cùm tamen à peccatis minimè deſiſtat, fiduciam præcipuam in ipſa exteriore ceremo-
nia collocans. Tale enim ieiunium, cui peccata Dei offenſiua commiſcentur, nec in glo-
riam Dei fit, nec dignum eſt, quod à Deo acceptetur. Quòd enim ieiunium, ſi quemad-
modum debet, fiat, Deo gratum ſit, declarat ſacra pagina, per quam docemur, Deum
B ob ieiunia à peccatoribus aſſumpta ſæpiſsime placatum eſſe.

Reſpondetur ad rationes pro parte negatiua.
Ad I.
Ieiunium peccatis deformatur.

AD SECVNDAM ex Luca & Mattheo allegatam dicendum, illud dixiſſe Chriſtum
ad extirpandas ceremonias legis, è quibus vna erat, vt cibos aliquos veluti immundos
reputarent, & ab eiſdem velut talibus abſtinerent, ſpecialiter ab his, quæ eſſent idolis im
molata, ſeu oblata. Quos cibos comedendos eſſe cum gratiarum actione his, qui illæſam
habent conſcientiam, docet Paulus ad Romanos & ad Corinthios ſcribens: Quæ autem
ſecundùm legem immunda erant, iam nõ immunda, ſed purificata eſſe ex Actibus Apo-
ſtolorum docemur, ex viſione illa, quæ Petro in ſomnis apparuit, qui cùm de animalibus
immundis edere dubitaret, tanquam adhuc immunda eſſent, vocem diuinitùs audiuit,
dicentem: Quod Deus purificauit, tu ne commune eſſe dixeris, id eſt, impurum. Cum
quibus ſtat, poſſe hominem Chriſtianum à certis cibis ob cauſam aliquam abſtinere,
Eccleſiamque id ipſum inſtituere, in nullo veritati aut Euangelicæ libertati contraue-
niendo, qua libertate à Iudaicis ceremoniis nos liberauit.

Ad II.
Explicatur dictũ Chriſti: Quæcunq; apponẽtur vobis comedite.
Ad Rom 14.
1. ad Cor. 8.
Actuum 10.

SI OBIICIAS, Eccleſiam huiuſmodi ieiunia inſtituentem, tollere à Chriſtianis li-
bertatem ac licentiam cibis indifferenter vtendi, quam tamen Chriſtus illis conceſsiſſe
videtur, igitur contra libertatem euangelicam eſſe, hominem ad abſtinentiam à certis
cibis aſtringere. Reſpondetur libertatem hanc euangelicam in ciborũ vſu eam eſſe, qua
Chriſtus legem veterem cibos aliquos vetantem, cui Iudæi obnoxij erant, reuocauit, li-
berum vnicuique relinquens, atque permittens, vt cibis omnibus, ſi vellet vteretur, ita vt
C non ampliùs cibos aliquos, quos lex immundos eſſe dicebat, veluti immundos abiice-
ret, qua libertate exiſtente, liberum eſt homini ſeipſum per votum, aut iuramentum ad-
ſtringere ad quorundam ciborum non vſum, quamuis non ob legalem cauſam. Libe-
rum eſt etiam Eccleſiæ ob cauſam Chriſti, fidelibus præfatam licentiam in aliquo coar-
ctare, prout viderit Chriſti fidelibus expedire. Exemplo id patet, nam in mundi primor-
dio vnicuique licitum erat ex Dei ordinatione rebus omnibus temporalibus ad ſui vtili-
tatem vti, quando omnia omnibus communia erant, & tamen poſtmodum huiuſmo-
di licentia per leges humanas eſt coarctata, facta rerum diuiſione atque appropriatio-
ne. Similiter ſtando intra metas iuris diuini & naturalis, vnicuique licitum erat in ter- I. II.
tio & quarto gradu conſanguinitatis vxorem ducere, & tamen Eccleſia huic licentiæ ob
cauſam limitem poſuit. Vnicuiq; etiam ſacerdoti, ſtando intra metas iuris diuini Euan- III.
gelici, licitum eſt confeſsiones omnium audire, baptizare, & alia ſacramenta miniſtra-
re, & tamen per prælatos multis eorum huiuſmodi licentia ob cauſam denegatur. Sic
enim ad debitum Eccleſiæ regimen expedit hæc, & alia huiuſmodi inſtituere. Poteſt
igitur Eccleſia, non obſtante licentia ac libertate euangelica, cibis indifferenter vtendi
huiuſmodi licentiam limitare. Quemadmodum ſtando ſolùm intra metas legis Euan-
gelicæ, liberum eſt vnicuiq; pluries in die comedere: ſed hanc licentiam conſtat per Ec-
cleſiã poſſe coarctari. Adde, quòd etſi Chriſtus omnibus conceſſerit libertatem cibis in-
diſtinctè vtendi, idque in generali, quando autem & quomodo, ipſe particulariter non
inſtituit,

Obiectio.
Solutio.
Libertas Euangelica quoad ciborum vſum, in quo conſiſtat.
Poteſt Eccleſia pro fidelium vtilitate prædictã libertatem in ciborum vſu coarctare.
Exemplis hoc declaratur.
Chriſtus eam poteſtatem Eccleſiæ ſuæ reliquit.

instituit, instituendum tamen suo vicario reliquit, sicut & de multis aliis hoc potest verificari. D

Ad III. AD TERTIAM ex Paulo sumptam, dicendum quòd Paulus frequenter in Epistolis suis eos, qui ad fidem conuertebantur, nitebatur à Iudaicis ceremoniis reuocare: Putabant enim, in hoc suam salutem consistere, vt iuxta legem à cibis vetitis abstinerent, quasi in hoc, & non potiùs in operibus charitatis & fide salus humana consisteret. His igitur, qui adeò legis ceremoniis fidebant, docet Apostolus inutilem esse delectum ciborum, non autem aliis, qui ita à certis cibis abstinent, vt officiis charitatis intendentes, nil per ieiunia prætendant, nisi Deo satisfacere, & carnem spiritui subiicere.

Ad IIII. AD QVARTAM similiter dicendum, quòd loquatur contra hæreticos, qui nuptias damnant, & cibos multos adhuc post euangelicam libertatem immundos esse reputant, quasi diuino iure illicitum sit illis vti. Tales fuerunt Manichæi, & alij, quorum error in Concilio Gangrensi damnatus est, vt habetur in Decreto 30. distinctione in principio.

De numero refectionum in ieiunio.

QVÆSTIO QVINTA.

An qui pluries in die ieiunij comedit, toties peccet, quoties, vna refectione excepta, comedit. Sensus quæstionis.

PRAESVPPOSITO insuper, ad integritatem ieiunij pertinere non vltra semel refectionem sumere, solet communiter quæri, an qui pluries in die ieiunij comedunt, toties peccent, quoties vltra semel comedunt. Et loquor de refectionibus aliis à prima, quarum quælibet per se sufficeret ieiunium frangere. Non enim loquor de collatione, & electuariis, & medicinis, & potu, quæ in die ieiunij solent vltra cœnam sumi, de quibus postea. E

Rationes partis affirmatiuæ.

I. AD QVAESTIONEM hanc dixerunt nonnulli, quòd toties homo peccet, quoties vltra semel comedit. Primò, quia præceptum de ieiunando est negatiuum, in eo, quod continet, scilicet non esse vltra semel comedendum: Sed contra huiusmodi præceptum negatiuum est omnis comestio alia à prima, ex quo omnis alia refectio præter primam prohibetur.

II. SECVNDO idem apparet à simili. Si quis vouit castitatem perpetuam, toties peccat, quoties ad fœminam voluntate accedit, vt est communis doctorum consensus. Quod dico, propter eum, qui post emissum præfatum votum, de facto duxit vxorem, si vxori debitum postulanti reddat, non peccat contra votum; quia non voluntate, sed necessitate ad eam accedit, quandoquidem debitum reddere postulanti, necessitatis est. Peccabit autem quoties petierit, quia id voluntatis est, non necessitatis. Igitur etiam peccabit homo in die ieiunij toties, quoties vltra semel comederit, cùm id voluntatis esse supponam. Et consequentia patet, quia non minùs obligat Ecclesiæ statutum atque præceptum, quàm votum &c. F

III. TERTIO ex alio magis simili apparet. Præceptum est sacerdotibus, ne vltra semel in die (extra casus exceptos) celebrent, & ideo toties sacerdos peccat, quoties vltra semel celebrat, igitur pari forma, quoties homo vltra semel comedit in die ieiunij, peccat, à simili.

II. Sententia, in casu non peccari contra præceptũ de ieiunando, nisi per II. tantùm comestionem.

ECONTRA verò alij dixerunt, quòd in casu non peccetur contra præceptum de ieiunando, nisi per secundam comestionem, & non per alias subsequentes. Dico contra præceptum de ieiunando, quia per alias refectiones subsequentes, imò & per primam potest homo per intemperantiam peccare, vt patet.

Probatur I. PROBANT hi assertionem suam primò, quia sola secunda refectio est, quę ieiunium frangit, non tertia, nec aliæ subsequentes. Nam quando tertia aut quarta refectio sumitur, iam ieiunium erat per secundam refectionem fractum, igitur non peccat contra ieiunium, quando tertiò aut quartò comedit.

II. SECVNDO, si tertiò aut quartò comedendo peccaret homo contra ieiunium, maximè quia committit aliquid, ad cuius oppositum obligatur: sed in casu non tenetur homo à tertia & quarta abstinere, quia si ad id teneretur, maximè ob præceptum de ieiunando: sed post secundam refectionem non manet præceptum de illa die ieiunando, eò quòd iam sit illi impossibile factum illa die ieiunare, cùm impossibile sit ei secundam

A refectionem non ſumpſiſſe, poſtquam eam ſumpſit, per quam conſtat fractum eſſe ieiunium, nec poſſe poſtmodum reintegrari.

TERTIO arguitur à ſimili. Si detur homini præceptum de non tranſgrediendo limitem ſignatum, & tranſgrediatur, non ſolùm vno, ſed multis paſsibus vltra limitem progrediendo, talis non peccat toties, quoties paſſum paſſui addit vltra limitem præfatum, ſed in primo paſſu, quo limitem tranſit, peccat, igitur ita erit in propoſito, cùm Eccleſia limitem in reficiendo poſuerit, ita vt non liceat vltra vnicam refectionē progredi, peccabit quamprimum ab vna refectione progreditur, & non toties, quoties vltrà comederit. Aut ſi detur præceptum de non frangendo vaſe aliquo, & homo ſemel percutiat & frangat, peccat tunc cùm primùm frangit, non tamen poſtea, ſi rurſus pluries vas ipſum percutiat. III.

RESPONDETVR quòd punctum huius quęſtionis aut contentionis ex intentione Eccleſię, ieiunium inſtituentis pendere videatur: Potuit enim Eccleſia, quādo ieiunium inſtituit, habere intentionem prohibitiuam aliarum refectionum à prima, ita vt huiuſmodi intentio in omnes alias à prima tenderet. Et ſi ita ſit, omnis comeſtio, dempta prima, erit peccatum, & contra prohibitionem Eccleſiæ. Econtra etiam potuit Eccleſiæ intentio prohibitiua talis eſſe, quæ non niſi in illam refectionem tenderet, quæ ieiunium frangit, in cæteris nil prohibere intendens. Et ſi ſic, ſola ſecunda refectio erit peccatum B contra ieiunium, quia ſola illa eſt ieiunij ſolutiua, non ſubſequentes. Quid autem horum Eccleſia intenderit, non ſatis conſtat. Et inde datur occaſio, vel à multis occaſio ſumitur, vt rem in mitiorem partem interpretentur, hoc eſt, quòd intentio prohibitiua Eccleſiæ non tendat niſi in refectionem, qua ieiunium frangitur. Non enim ſunt iura amarè interpretanda, nec pœnalia ſunt amplianda, ſed reſtringenda. Et ſecundùm hoc facile eſt reſpondere ad rationes prioris opinionis, vt de ſe conſtat.

Reſolutio quæſtionis pēdet ex intentione Eccleſiæ ieiunium inſtituentis.

EGO TAMEN priorem ſententiam tutiorem eſſe puto, iuxta quam videtur, quòd Eccleſiæ intentio refectionum prohibitiua non ſolùm ſecundam, ſed omnes alias refectiones à prima reſpiciat. Id autem rationabiliter præſumitur, ſi finem, quem Eccleſia, ieiunia inſtituens, intendit, attendamus. Hic autem eſt, vt homines in diebus ieiunij per certam & præfinitam abſtinentiam affligantur, & corpus ſpiritui ſubiiciatur, & mens ad diuinarum rerum contemplationem aptior reddatur, & Deo pro peccatis debita ſatiſfactio fiat; ad hos fines ieiunia Eccleſiaſtica videntur vt in pluribus inſtituta. Quod dixerim, ob nonnulla ieiunia, quæ dicuntur ieiunia exultationis, quæ in gratiarum actionem ſunt inſtituta. Nunc autem loquimur de ieiuniis mœroris aut pœnitentiæ. Ex hac igitur finali intentione poteſt, vt videtur, intentio obligatoria quodammodo colligi, quando de obligatoria intentione ſufficiens certitudo non habetur. Ad præfatos autem fines non minus confert, imò magis, vt homo in die ieiunij abſtineat à tertia & quarta, & aliis ſequentibus refectionibus, quàm à ſecunda. Nam magis finis ab Eccle- C ſia intentus impeditur per plures refectiones, quàm per ſolam ſecundam refectionem, vt ſatis conſtat. Nec eſt veriſimile, quòd Eccleſia præfatos fines intendens, velit ſecundam comeſtionem prohibere, per quam minùs præfati fines impediuntur.

Concluſio authoris pro ſententia affirmatiua quæſtionis. Probatur ex fine, quem Eccleſia ieiuniū præcipiens intēdit.

SED OBIICIES, quia ſecundùm hoc Eccleſiæ intentio obligatoria non eſt præciſè prohibere numerum refectionum, ſed etiam primam refectionem temperantiæ regulam excedentem, ex quo talis exceſſus etiam fini per Eccleſiam intento aduerſetur. Eſſet etiam contra Eccleſiæ intentionem obligatoriam, in illa vnica refectione piſces quoſdam calidos, & electuaria calida comedere, ſimiliter & vinum parum lymphatum bibere, quæ non minùs appetitum excitant ad ſpiritui rebellandum, quàm refectionis pluralitas, nec minùs per ea mens hebetatur, deuotio tepeſcit, & friget, quàm per refectionum pluralitatem. Similiter eſſet contra Eccleſiæ intentionem obligatoriam in illa vnica refectione immorari, quemadmodum quibuſdam in vſu eſt, cœnam in diebus ieiunij per vnam horam & per duas protendere, cùm ſimiliter huiuſmodi cœnæ protenſio, ſit contra fines præfatos ab Eccleſia intentos. Hæc autem illata non ſolent concedi, igitur non eſt Eccleſiæ intentio prohibitiua refectionum plurium in duriorem partem interpretanda ob id, quòd refectionum pluralitas fini per Eccleſiam intento aduerſetur. *Obiectio.*

RESPONDETVR, hæc illata minimè concedenda eſſe, nec eſſe ſimile, quod pro ſimili illatum eſt. Quod enim de quantitate refectionis dictum eſt, non ſequitur, eò quòd *Solutio.*

Ecclesia non determinauit certam quantitatem circa vnicā refectionem in die ieiunij.

Ratio.

Ecclesia circa vnicā refectionem in die ieiunij sumendam, quantitatem certam minimè determinauit, nec rationabiliter determinare potuit, eò quòd diuersa sit hominum ieiunantium complexio atque conditio, & quod vni ad sustentationem naturæ sufficit, alteri aut superfluum est, aut diminutum. Quantitatem quoq; incertam, prout vnicuique secundùm rectam rationem conueniret, non etiam sub præcepto præfixit, propter periculum, in quo ieiunantes essent, si excederent, vel deficerent ab eo, quod conuenit. Ideo circa vnicam refectionem, quantitatem minimè præfixit, nec præfigere intendit. In electuariis autem & piscibus calidis aliisque huiusmodi, nil sub præcepto tradidit, sed liberum vnicuique id reliquit: non enim prohibuit, quicquid prohibere potuit, sed ea, quæ vt plurimum magis appetunt homines, & per quæ vt plurimum caro spiritui rebellat, qualia sunt carnes, & ea, quæ ex carnibus originem trahunt. De refectionum autem numero non ita, quia sicut abstinentiam à certis cibis præcepit, ita & in refectionibus limitem ex intento per se posuit, vt non vltra semel comederetur. Et quia in illis prioribus, quæ illata sunt, non est ratio de Ecclesiæ intentione dubitandi, qualis est in multis refectionibus post primam, an scilicet intenderit solùm secundam refectionem prohibere, an etiam reliquas subsequentes, ideo hîc habet locum præsumptio dicta ex fine per Ecclesiam intento sumpta, non sic in aliis, quæ illata sunt. D

Quemadmodū Ecclesia ciborū delectum, ita etiam numerum refectionum statuit & determinauit.

Respondetur ad fundamentum præcipuum II. opinionis.

In confirmationem huius facit debilitas fundamenti pro secunda opinione allegati, quæ quidem in hoc fundatur, quòd ex quo per secundam comestionem fractum est ieiunium, impossibile sit postea eadem die ieiunare, & ita expirauit obligatio præcepti Ecclesiæ, & ex consequenti tertia & quarta & aliæ refectiones iam non erunt contra præceptum de ieiunando. Hoc, inquam, non valet, quia tunc sequeretur, quòd si quis in die ieiunij quadragesimalis semel comederet lac, oua, aut etiam carnē, posset ille postea eadem die, quoties vellet, sine culpa comedere, & iterum eadem die, oua, lac, & caseum, imò & carnes sine culpa comedere. Similiter, si quis semel notabiliter horam refectionis præueniens, comederet, posset eadem die sine peccato secundò comedere, quod nemo, vt puto, diceret. Et sequelæ patent, quia in illa vnica refectione, qua homo cibis vetitis vtitur, aut horam notabiliter præuenit, iam frangit ieiunium, & per consequens ex tunc manet liber ad comedendum eadem die quod velit, & quoties velit, cùm ex tunc sit à præcepto de ieiunando deobligatus. E

Confirmatio prædictæ solutionis.

In eiusdem sententiæ confirmationem facit regula communiter approbata, scilicet quòd quando alicui fideli ob causam aliquam permittitur in die ieiunij ab Ecclesiastica regula in aliquo recedere, in tantum illi id permittitur, in quantum se extendit ipsius causæ indigentia. Vnde si quis habet iustam causam pluries comedendi absque hoc quòd carnes comedat, abstineat à carnibus. Si etiam habet causam sufficientem ad carnes comedendas, & non ad pluries comedendum, abstineat à pluralitate refectionum. Ac proinde, si quis habet iustam causam ad bis comedendum & non vltra, videtur quòd cùm bis comederit, teneatur à reliquis comestionibus abstinere, & per consequēs qui sine causa bis in die ieiunij comedit, teneatur à reliquis refectionibus abstinere, alioqui in hac re melioris conditionis esset, qui ieiunium sine causa frangeret, quàm qui cum causa. F

Aliud dubium. Vtrum qui nullo Quadragesimæ die ieiunat, quouis die de nouo peccet?

Duplex sensus dubij.

Posset aliquis quærere, an sicut qui pluries in die ieiunij comedit, qualibet vice de nouo peccat, dempta prima, ita etiam qui nulla die Quadragesimæ ieiunat, qualibet die de nouo peccet. Et dixit Martinus, id posse contingere dupliciter. I. Vno modo, vt homo nulla præmissa volitione generali violandi Quadragesimam, singulis diebus singulas eliciat volitiones particulares, quibus velit in illis diebus non ieiunare. II. Potest secundo modo fieri, vt homo in initio Quadragesimæ proponat in generali totius Quadragesimæ & singulorum dierum ieiunium frangere, & postmodum singulis diebus singulas eliciat nolitiones ieiunandi.

Sententia I. bimembris.

I. In primo casu ait, hominem illum qualibet die de nouo peccare, eò quòd illæ nolitiones singulares tales sunt, vt vna ex altera non consequatur, nec vna cum altera colligantiam habeat, vt patet, ideo quęlibet per se sumpta, peccatum est à priore distinctum. II. In secundo verò casu ait, hominem illum peccare præcisè per propositum illud generale totam Quadragesimam violandi, quod in initio habet. Per alias autem volitiones particulares singulis diebus elicitas non peccat de nouo, nec per eas nouam pœnam meretur. *Probatur I.* Huius rationem assignat, quia illæ volitiones particulares sunt velut actus imperati, ex primo proposito generali in principio habito proce-

A procedentes. Et ſicut actus exteriores malitiam propriam non habent, nec nouam pœnam merentur, vltra eam, quæ actui elicito voluntatis imperatiuo debetur, ita putat illas volitiones ſingulares ſingulis diebus elicitas, nec malitiam propriam habere, nec ad nouam aut propriam pœnam imputari. Idem ſimiliter eſſet dicturus, ſi homo in principio diei ieiunij proponeret in genere in die illa pluries comedere vltra ſemel, & deinde, oblato cibo, pluries comedat, plures volitiones particulares comedendi eliciendo, quòd ſcilicet ſolùm peccabit in volitione prima generali in principio habita, non autem in aliis inde ſequentibus volitionibus ſingularibus.

Simile etiam dicit in caſu, quo Petrus proponat vna volitione occidere decem homines, & poſtea id volens exequutioni mandare, ſingulas volitiones illos decem homines occidendi eliciat, & ſigillatim occidat, quòd peccet Petrus præciſè in prima volitione, qua in communi propoſuit illos occidere, non tamen peccet per alias volitiones particulares, per quas vult hunc occidere, & illum, & illum.

Vervm quicquid ſit de primo dicto, in ſecundo tamen dicto fallitur Doctor hic, ſalua eius pace, tam in concluſione, quàm in fundamento. Patet primò, quia in caſu præfato homo ille de nouo peccat per ſingulas illas volitiones, non ieiunandi ſingulis diebus elicitas. Patet. Omnis actus humanus liberè & ſcienter contra præceptum elicitus, eſt peccatum, & ad propriam pœnam imputabilis, quandoquidem Deus pœnam com- *Oppugnatur II. dictū huius ſententia.* I.
B minatur his, qui mandata, vel Dei, vel prælatorum contemnunt. Talis eſt volitio illa particularis ſequens priorem generalem, nam non obſtante priori volitione generali, de violando totius Quadrageſimæ ieiunio, adhuc manet homo obligatus Quadrageſimam ieiunare, & ab illo nefario propoſito recedere. Si igitur poſt illud propoſitum generale eliciat volitionem ſingularem, qua nolit hac die Quadrageſimę ieiunare, non dubium, quin præcepto contraueniat, & ita intentum.

Secvndo, actus hominis, qui ob ſui malitiam ſufficit gratiam præhabitam meritoriè corrumpere, eſt peccatum ad propriam pœnam æternam imputabile, talis eſt volitio illa particularis de non ieiunando hac, vel illa die occurrente. Aſſumptum ſuppono notum, & minorem probo. Si homo ille poſt generale præfatum propoſitum elicitum deſiſtat, & pœnitētia ductus, quod agere debet, firmiter proponat, & ſi opus ſit, de commiſsis doleat, & confiteatur, & in Dei gratiam redeat, deinde verò, adueniente die ieiunij, eliciat volitionem non ieiunandi die illa, apertum eſt, per huiuſmodi volitionem hominem illum peccare, & gratiam, in qua erat, amittere, igitur per illam de nouo peccat mortaliter, & noua pœna ſe dignum conſtituit. Igitur etiamſi à priori propoſito generali homo ille non recederet, & adueniente die ieiunij volitionem particularem eliceret, qua nollet illa die ieiunare, abſque dubio vltra culpam prioris generalis propoſiti nouam, in illa volitione particulari incideret, cùm huiuſmodi particularis volitio eiuſdem rationis ſit, nec eſſentiam variet per hoc, quòd hominem pœnituerit prioris pro- II.
C poſiti, vel non pœnituerit.

Tertio, & eſt ratio contra fundamentum. Quia ſi per hoc, quòd illæ volitiones particulares fiunt in virtute prioris propoſiti generalis, propriam malitiam aut imputabilitatem non haberent, ſequeretur, quòd ſi quis propoſuiſſet vnquam ſe velle diuina mandata per omnia ſeruare, aut econtrà propoſuiſſet, ſe in nullo velle legi Euangelicæ obtemperare, quòd quidquid poſtmodum homo ageret, ſiue ſecundùm legem Dei, ſiue contra eandem, nec mereretur, nec demereretur, etiamſi homicida eſſet, & adulter, & mendax, & latro, & infidelis, Chriſtianos perſequens, ſed ſolum meritum, vel demeritum eſſet in illo generali propoſito in initio habito. Et ita ſi quis adultus baptizetur, cùm in baptiſmo fidem & legem Euangelicam profiteatur, promittens aut proponens in lege Chriſti viuere, quòd quicquid boni pòſt fecerit, aut pro Chriſto paſſus fuerit, etiam mortem, in nullo tali aliquod nouum præmium merebitur. Pontifices etiam Iudęorum, & Iudæi, qui propoſuerunt Chriſtum occidere, non peccaſſent de nouo, hoc ſuum iniquum propoſitum ad effectum deducendo, nouas volitiones executionis imperatiuas eliciendo. Aperta itaque ſunt inconuenientia & errores, quæ ex præfato modo ſequuntur, ideo in his ſuperſedeo. III. *Impugnatur illius probatio.*

Qvarto fallitur in hoc, quòd æquiparat præfatas volitiones particulares actibus exterioribus imperatis quo ad rationem bonitatis aut malitiæ. Nam exterior actus in ſe nullam habet propriam bonitatem aut malitiam, cùm naturali quadam neceſsitate IIII. *Exterior actus nullā habet in ſe propriam bonitatē, aut malitiam.*

ſequatur ad actum elicitum imperantem. Volitiones autem particulares præfatæ naturaliter conſequuntur ad propoſitum antiquum generale prædictum, etiamſi quodammodo in eius virtute præfatæ volitiones fiant. Itaque propoſitum illud generale præcedens, non tollit ab actibus voluntatis bonitatem aut malitiam, quam illo non præcedente haberent.

Obiectio. SED FORTE aliquis volens præfatam opinionem defendere, diceret, illam non eſſe intelligendam, quando inter propoſitum generale ab initio habitum, & volitionem particularem illius exequutiuam, mediat tempus, qualiter procedunt impugnationes poſitæ, ſed intelligendam eſſe in caſu, quo permanente generali propoſito efficaci, & oblata materia, elicitur volitio particularis illius propoſiti exequutiua. Nam his ſtantibus, illa volitio particularis neceſsitate quadam ſequitur ad propoſitum generale, & ita huiuſmodi particularis volitio in ſe nec bona eſt, nec mala, ſed eius bonitas, aut malitia, quam alioqui haberet, inbibitur in illo propoſito generali, vnde neceſſariò conſequitur. *Solutio.* Verùm hoc, etſi apparenter dicatur, puto ſimiliter falſum eſſe. Quod cùm alterius ſit conſiderationis, pro nunc miſſum faciamus.

De hora refectionis.

QVÆSTIO SEXTA.

Reſolutio communis. DE HORA refectionis in die ieiunij ſumendæ, vt ſuprà tetigi, loquitur cap. Solent. de conſecratione diſtinct. 1. vbi dicitur, non antè ſoluendum eſſe ieiunium, quàm horæ veſpertinæ ſint celebratæ. Et tunc veſpertinæ horę poſt horam tertiam, poſt meridiem celebrabãtur, quam horam cùm multis eſſet difficile expectare, vt cœnam ſumerent, poſtea vſu inductum eſt, vt ante, vel iuxta meridiem celebrarẽtur, vt illis finitis, competens ad comedendum tempus fidelibus relinqueretur. Hic tamen non eſt immorandum, nec opus eſt ſcrupulos inferre. Seruetur in hoc, ſicut in aliis multis, patrię conſuetudo.

Dubium. An in ieiunio debeat aliquis ita differre, aut ita parcã ſumere refectionem, vt per eſuriem affligatur? POSSET tamen moueri vna dubitatio, an ſcilicet ſit refectio differenda in die ieiunij, quouſque homo per eſuriem, aut naturæ defectum affligatur, aut ita parcam refectionem ſumere oporteat, vt per eſuriem homo afflictionem ſentiat. Et pro parte affirmatiua arguitur primò, quia ſtrictior eſt abſtinentia tempore ieiunij Eccleſiaſtici ſeruanda, quàm ſit ea, quæ in ieiunio virtutis ſeruanda eſt; in ieiunio autem virtutis ſumenda eſt refectio, qua corpus indiget, igitur in ieiunio Eccleſiæ aliquid ſubtrahendum eſt à refectione, qua corpus indiget, hoc autem ſine corporis afflictione aut eſurie fieri non *Partis affirmatiuæ rationes* I. poteſt, igitur.

II. SECVNDO idem apparet ex Leuit. 16. & aliis ſcripturæ locis, vbi iubebat Dominus populo ſuo, vt in diebus, quibus erat eis ieiunandum, affligerent animas ſuas. Nec videtur, per quid, niſi per notabilem eſuriem, quam diebus illis refectionem minuendo, vel differendo, ſuſtinere debebant.

III. *Iob. 39.* TERTIO pro eadem parte videtur facere Gregorius, qui ſuper illud Iob: Clamorem exactoris non exaudiuit, ait in ſententia: Exactor, qui à nobis non eſt exaudiendus, venter eſuriens eſt, quẽ Sancti ieiunantes non audiunt, ſed eum ampliùs eſurire & affligi permittunt. Facit & Bernardus in Epiſtola ad Carthuſienſes dicens: Quid magnum eſt, ſi eſuriat venter vſque ad rugitum, qui ſæpe repletus eſt vſque ad vomitum.

IIII. QVARTO, curandum eſt ieiunantibus hoſtem contra ſpiritum inſurgentem perimere, hic autem non perimitur ſi non eſurire & affligi permittatur, vt conſtat. Aſſum- *Ioſue 23.* ptum autem figuratum eſt in eo, quòd redarguti ſunt filij Iſraël, quòd Gabaonitis pepercerunt, ad quod dictum eſt, quòd ob id Gabaonitæ futuri eſſent eis ſicut lanceæ in lateribus & ſudes in oculis.

V. *De regul. iuris lib. 6.* QVINTO facit ratio, quia præcepta & leges ſunt ſecundùm intentionem potiùs, quàm ſecundùm verborum formam ſeruanda, iuxta regulam iuris: Non dubium eſt in legem impingere, qui verba legis amplexus, contra legis nititur voluntatem, ſed intentio Eccleſiæ ieiunia inſtituentis eſt, vt fideles corpora doment & affligant, quatenus ieiunium ſit Deo ſatisfactorium, hoc autem ſinę eſurię fieri poſſe non videtur, igitur oportet

A oportet in die ieiunij ita parcè comedere, aut adeò refectionem differre, vt esurie ventris homo affligatur.

His non obstantibus tenendum est oppositum. Et probatur ex Cassiani consilio, ait enim, vt cùm venit hora refectionis, refectio sumatur, etiamsi homo non esuriat. Per quem modum ait, meliùs & commodiùs parsimoniam victus seruari, quàm refectionem vsque ad esuriem differendo, quia in magna esurie auidiùs, ac minùs temperatè refectio sumitur. *Resolutio negatiua. Probatur* I.

Secvndo idem probatur, quia ad nullam circumstantiam non expressam in præcepto Ecclesiæ obligatur fidelis, nisi illa sit omni præcepto Ecclesiæ communis, sed differre refectionem vsque ad esuriem, aut eam tam parcè sumere, vt esuries sentiatur, non est circumstantia in præcepto de ieiunando expressa, nec est circumstantia omnibus Ecclesiæ præceptis communis, vt constat, igitur. II.

Tertio si sic esset, sequeretur, quòd vnus teneretur differre refectionem vsque ad nonam, alius vsque ad vesperam, alius vsque ad occasum, alius verò teneretur nil in tota die comedere. Hęc patent, attenta diuersa hominum dispositione, quorum aliqui citiùs, alij tardiùs esuriunt, alij verò totam diem sine esurie transigunt, sed consequens est falsum. III.

Postremo patet conclusio, si attendamus ea, quæ de præcepto ieiunij seruanda IIII.
B sunt, quæ sunt tria, vt in principio diximus, scilicet non vltra semel in die comedere, à cibis vetitis abstinere, & horam refectionis non notabiliter præuenire, quæ omnia constat seruari posse absque esurie, & naturæ defectu.

Ad rationes autem priores, dicendum ad primam, admisso quòd arctior sit abstinentia ieiunij Ecclesiastici, quàm ieiunij virtutis, non inde sequi, quod ratio pręten-dit, quia hæc arctior abstinentia non consistit in paruitate, aut dilatione refectionis, sed in his tribus, quæ dicta sunt, in numero refectionum, in qualitate ciborum, & hora, quorum tamen nullum est necessarium in ieiunio virtutis. *Ad rationes affirmãtes respondetur. Ad* I.

Ad secvndam dicendum, afflictionem aliquando accipi pro passione formaliter hominem affligente, qualis est tristitia seu dolor, aliquando verò accipi causaliter, pro eo scilicet, quod formalem infert afflictionem, vel eam inferre aptum est. Prima afflictio, cùm actus voluntatis elicitus aut imperatus non sit, sed passio quædam, actum naturaliter consequens, ideo per se, nec sub præcepto, nec sub prohibitione cadit, bene tamen afflictio secundo modo sumpta. Itaq; quando Deus præcepit, dicens: Affligetis animas vestras, id præcepit, vnde vt plurimùm solet hominibus afflictio formalis fieri. Tale est abstinentia à cibis, maximè assuetis & delicatis, quorum vsus sicut solet sensum recreare, ita & eorundem priuatio sensum solet affligere. Accidit tamen ad præfatam priuationem seu abstinentiam subsequi, aut non subsequi esuriem. *Ad* II.

Ad tertiam dicendum, intentum Gregorij, similiter & Bernardi, hoc esse, scilicet non semper esse ventri exhibendum, quod postulat, sed sæpe esurire est permittendus, maximè quando nõ solum quod necessarium est, petit, sed aliud, ad carnis & sensus voluptatem tantum saturitatemque exigit. Quando enim, quod necessarium est vitæ & corporis incolumitati, exigit, audiendus est, secùs aliâs. Quòd si extra tempora ieiunij id obseruandum està, fortiori in diebus ieiunij, in quibus si venter esuriat, aliquid indebitum, aut ante horam debitam exigendo, non exaudiatur improbus exactor. Ex his tamen nullo modo sequitur, esse necessarium, in die ieiunij esurire, vt constat. *Ad* III.
C

Ad qvartam, mysticum sensum, vt ibidem tactum est, sequendo, dicendum, hostes spirituales animarum duplices esse: quidam sunt intranei & coæui, sine quibus humana natura non subsistit, vt fomes seu carnis concupiscentia, aliæque qualitates connaturales, quæ ad ea, quæ sunt carnis, inclinare solent. Et tales hostes non tenemur perimere, cùm perimi sine natura non possint, sed tenemur eos cohibere, & prout possumus extenuare, atque subiicere. Alij sunt animarum hostes extranei seu aduentitij, quales sunt peruersæ consuetudines, atque vitiosi habitus, ex prauis moribus acquisiti, & hos debemus eradicare, & prout possumus, perimere. Hi sunt, qui per Gabaonitas intelligi possunt, qui non erant filiis Israël connaturales, sed illis extranei. *Ad* IIII.

Ad qvintam dicendum, vt alibi dixi, intentionem præcipientis duplicem esse: est enim quædam obiectiua, quædam verò finalis. Prima respicit id, ad quod obligare intendit. Secunda respicit finem seu effectum, quem vellet ex obedientia proue- *Ad* V.

 nire.

nire. Ratio autem cum regula iuris allegata procedit de intentione obiectiua, secundùm quam præcepta sunt obseruanda, non de finali, vt sæpe tactum est. Quòd si Ecclesia per ieiunia ab ipsa instituta intendit corporis afflictionem, & pro peccatis satisfactionem, Deique placationem, hæc omnia ad finalem intentionem pertinent, quæ sub præcepto non cadit. D

De necessitate seruandi ieiunia Ecclesiastica.

Duplex q̄stio.
I.
An sub peccato mortali obseruãda sint Ecclesiastica ieiunia.
II.
An possit Ecclesia fideles ad statuta sua sub peccato mortali obligare?
Sententia I. negatiua II. quæstionis.

QVÆSTIO SEPTIMA.

DEINDE solet quæri, an sit necessarium sub pœna peccati mortalis ieiunia Ecclesiastica obseruare. Et pendet quæstio ex hac, an scilicet Ecclesia possit ad sua statuta fideles sub pœna peccati mortalis obligare. In qua quæstione apertus est error quorundam tenentium partem negatiuam, qui de mandatis Ecclesiasticis non esse curandum dicunt, sed solùm de diuinis.

Ratio I. AD QVOD dicendum mouentur ex eo, quod habetur Deuteronomio 4. Non addetis ad verbum, quod vobis loquor. & capit. 12. Quod præcipio tibi, hoc tantùm facito, nec quicquam addas. Vnde colligunt, sola diuina mandata seruanda, nec his alia humana superaddenda esse. E

II. DEINDE legem Euangelicam dicunt hominibus ad salutem sufficere, ac proinde non esse necessarium hominum mandata seruare. Vnde quod dicitur Matthæi 19. Si vis ad vitam ingredi, serua mandata. & Lucæ 10. cùm de mandatis diuinis sermo esset, dixit: Hoc fac & viues, videtur significare, hominibus sufficere, si Dei mandata seruent.

III. PRAETEREA videtur Dominus per Esaiam vigesimo sexto conqueri, quòd homines humanas traditiones seruent; ait enim: Sine causa colunt me, docentes doctrinas, & mandata hominum. Quod etiam citat Christus, Matthæi 15. Hæc & alia solent pro se hæretici citare, prætendentes hominibus non esse necessarium, humana seruare mandata.

Duplex sensus quæstionis II. QVICQVID sit de his, & aliis per eos allegari solitis, dicendum ad quæstionem, eam esse æquiuocam, potest enim dupliciter intelligi.
I. Primò, an prælati possint propria authoritate ad aliquid sub pœna peccati mortalis obligare? Et dicerem quòd non, sed
Conclusio I. *Prælati authoritate propria non possunt fideles sub mortali obligare.* Dei authoritate illis in hac parte commissa. Solius enim Dei est, aliquid sub tali pœna instituere, sicut & ipsius est pœnam æternam transgressoribus infligere; sicut & eiusdem solius est sacramenta instituere, cuius est gratiam sacramentalem efficaciter præstare. F

Ratio.
II. POTEST SECVNDO quæstio intelligi, an prælati Ecclesiæ possint Dei authoritate aliquia instituere, quorum transgressores, pœnam æternam incidere mereantur. Et
Bene autem authoritate Dei illis hac in parte commissa: Et oppositum est hæreticum. sic non dubium, eos posse ad aliquid sub pœna æterna obligare: Nec dubium, oppositam assertionem erroneam, & hæreticam esse. Id autem breuiter ostendo ex illo Lucæ 10. Qui vos audit, me audit, qui vos spernit, me spernit: qui autem me spernit, spernit eum, qui misit me. Et Matthæi 10. ait Christus: Amen dico vobis, quicunque non
Probatur I. susceperit vos, nec audierit sermones vestros, tolerabilius erit terræ Sodomorum &
II. Gomorrhæorum in die iudicij. Et Matthæi 18. Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut
III. Ethnicus & Publicanus. Et iterum Matthæi 23. Super cathedram Moysi sederunt, & quęcunque dixerint vobis, facite, & seruate. Ex quibus patet, prælatos Ecclesiæ habere à Christo authoritatem, qua possint aliqua instituere & præcipere, quę à fidelibus sub pœ-
IIII.
V. na peccati mortalis sunt obseruanda. Hoc etiam idem confirmatur ex illo Deut. 17. Qui autẽ noluerit obedire sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, ex decreto iudicis morietur homo ille. Mortem autem tunc nemo merebatur, nisi pro peccato mortali. Quòd si hanc potestatem habuerunt sacerdotes legis veteris, cur non
VI. eandem habebunt sacerdotes summi legis nouæ? Hoc rursus apertè patet ex Paulo ad Roma. decimotertio. Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Nam omnis potestas à Deo est. Et qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit. Qui autem restiterit,

A iudicium sibi acquirit. Et sequitur: Quapropter oportet subditos esse non solùm propter iram, sed propter conscientiam. Vnde apertè docemur, nos teneri ad obediendum superioribus etiam laicis, nedum prælatis sub pœna iudicij & damnationis, ac proinde qui in hac re contrarium asserunt, non esse permittendos. Nec opus est ad rationes suprà pro hæreticis factas respondere, cùm facilis sit earum solutio. *Facilis est solutio rationũ pro parte negatiua.*

SVNT autem alij Doctores Catholici quidẽ, sed in hac re non longè à præfato errore recedentes, qui dicũt, Ecclesiam posse obligare sub pœna peccati mortalis, sed cum moderamine quodam, tunc scilicet, quando aliqua statuunt, aut iubent secundùm legem diuinam, scilicet vel eam declarando, vel eam ad tempus aliquod, vel modum aliquem limitando. Et talis lex humana non erit in casu purè humana, sed mixta cũ diuina. Quòd si aliqua talis purè humana sit, illam dicunt non posse quenquam sub pœna ęterna obligare. Huius rationem assignant, quia solus ille potest legem facere sub aliqua pœna obligantem, qui potest pœnam illam trãsgressoribus infligere. Cùm ergo pœnam æternam non homo, sed solus Deus possit peccatoribus infligere, sequitur, solum Deum suis legibus posse homines sub pœna æterna obligare. Ac proinde lex purè humana, aut purè naturalis, sub pœna huiusmodi quenquam obligare non potest. *Sententia quorũdam Catholicorum asserẽtium leges humanas mixtas tãtùm cum diuina obligare sub mortali purè autẽ humanas non itẽ.*

QVICQVID sit de huiusmodi positione, quam video Doctores graues tueri, videtur ea ad præsens in re vel nil à communi positione differre, vel falsa esse. De qua cùm alibi latiùs quod videbatur, dixerimus, breuiter nũc eius falsitas potest ostendi. Tum, quia tributa & vectigalia sub pœna peccati mortalis sunt dominis, quibus debentur, soluenda, vt docet Paulus ad Romanos 13. subinferens: Reddite igitur omnibus debita, cui tributum, tributum, cui vectigal, vectigal, esto quòd aliàs talia tributa non essent secundùm legem diuinam soluenda. Tum etiam, præcepit Angelus vxori Loth, quando incendium illarum quinque ciuitatum fugiebat, ne retrorsum aspiceret. Respiciens autem, versa est in statutam salis, quod tamen fuit illi non secundùm legem, sed præter legem mandatum. Tum etiam 1. Regum 14. præcepit Saul, ne quis comederet quicquam vsque ad vesperam, gustauit Ionathas filius eius parum mellis, & Deus iratus est, tamen mandatum Saulis non secundùm legem Dei, sed præter eam datum fuit. Tum etiam, Paulus ad Roman. 1. inter eos, qui digni sunt morte, annumerat filios parentibus inobedientes. In quo satis consonat ei, quod habetur Deuteron. 21. Si genuerit homo filium contumacem aut superbum, & non audierit patris aut matris imperium, lapidibus eum obruet populus. Non igitur dubitãdum est, errorem esse dicere, non teneri subditos suis maioribus sub pœna peccati mortalis obedire, cùm legis aut præcepti materia id postulauerit. Sed nunc satis sit, hæc obiter tetigisse. *Oppugnatur tã quam falsa.* B I. II. III. IIII.

RATIO autem pro Gersonis sententia suprà adducta, qui fautor est illius sentẽtiæ, facilè soluitur. Quod enim dictum est: Nemo potest legem facere sub aliqua pœna obligantem, nisi qui pœnam illam potest transgressoribus infligere, veritatem habet de his, qui propria seu humana, & non potiùs diuina authoritate leges faciunt. Prælati autem, imò & principes seculares, ex quo legitimè sunt ad dignitatem promoti, à Deo habent authoritatem, qua leges huiusmodi pœnales possint instituere, vt ex suprà allegatis patet. Pro quo & exempla faciunt, nam Papa habet potestatem instituendi, quòd qui tale, vel tale opus fecerit, veniam omnium suorum peccatorum consequatur, cùm tamen non Papæ, sed Dei sit, veniam huiusmodi præstare. Similiter prælati potestatem habent à Christo aliquid statuendi sub pœna excommunicationis, & tamen effectum excommunicationis, qui inter alios est, multis spiritualibus bonis hominem priuare, nõ ad Papam, sed ad Deum efficere spectat. Ita igitur Dei authoritate fit, vt possit Ecclesia statuta facere, obligantia sub pœna æterna, etiamsi Ecclesia per se talem pœnam infligere nõ possit, & ita tenendum est. *Soluitur ratio eiusdem sentẽtiæ.* C *Prælati & pauperes legitimè electi, à Deo habẽt authoritatem condendi leges pœnales.*

PRO QVO vltra ea, quę allegata sunt, facit Augustinus ad Bonifacium Comitem, dicens: Qui legibus Imperatorum, quæ pro Dei voluntate feruntur, obtemperare nõ vult, acquirit grande supplicium. Et idem ad Casulanum presbyterum. et habetur distin. 11. cap. In his. ait: In his rebus, de quibus nil certi statuit diuina Scriptura, mos populi Dei, & instituta maiorum pro lege tenenda sunt. Et sequitur: Sicut præuaricatores diuinarũ legum, ita contemptores Ecclesiasticarum consuetudinum coërcendi sunt. Facit etiam Leo Papa, vbi suprà: cap. Hoc vestræ. dicens: Inultum post hoc esse non poterit, si quisquam Apostolicas regulas in aliquo crediderit esse negligendas. *Potest Ecclesia condere leges obligantes sub pœna æterna, licet eam pœnam infligere nequeat.*

Aliud dubium. Quænã statuta Ecclesiastica obligent sub pctõ mortali? Probatur nõ omnia sic obligare.

SVPEREST tamen cognoscere', quæ statuta Ecclesiastica obligent sub pœna peccati mortalis. Quòd enim omnia sub hac pœna obligent, non est verisimile, nec asserendum, quandoquidem non sunt humana statuta magis priuilegiata, quàm statuta seu mandata diuina. Constat autem, non omnia mandata diuina obligare sub pœna peccati mortalis, sicut nec omnia iuris naturalis mandata, quale est mandatum, seu lex de non mentiendo, quæ naturalis est, & in literis sacris expressa: Leuitici 19. vbi præcipitur: Non mentiemini; Neque decipiet quis proximum, &c. Et tamen multa sunt mendacia, quæ venialia sunt. Talis etiam est lex de non dicendo verbum otiosum, de qua Matthæi 12. dicitur: Omne verbum otiosum, quod loquuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die iudicij. Omne etiam peccatum diuinę legis, prę uaricatio est, iuxta illud Psal. 118. Præuaricantes reputaui omnes peccatores terræ. Vnde & peccati definitio talis comprobata est: Peccatum, est dictum, vel factum, vel concupitum cõtra legem Dei, & tamen certum est, non omne peccatum esse mortale. Ac proinde si non omne peccatum cõtra legem naturalem & diuinam commissum, est mortale, nec omnis legis diuinæ præuaricatio mortalis est: A fortiori igitur non omnis præuaricatio humanæ legis erit mortalis, & ita non omnia mandata, seu statuta Ecclesiastica obligant sub pœna peccati mortalis. D

Resolutio depẽdet ex intentione legislatoris, vel ex materia aut verbis ipsius legis latæ.

VT IGITVR quodammodo cognoscamus, quando humana statuta seu leges obligent sub pœna peccati mortalis, hoc documentum potest deseruire, scilicet recurrendum esse ad intentionem legislatoris, & ad materiam legis, & ad verba ipsius, an sint præceptiua, nécne. Quod documentum sumptum est ex Clementina, Exiui de Paradiso. de verborum significatione. Vbi Clemens Papa exponendo regulam Minorum, quando scilicet, & ad quæ sub pœna mortalis peccati obliget, hoc præmisso, vtitur documento: Si enim de intentione legislatoris cõstat, ad quid, & quomodo obligare intenderit, tunc facile est scire, quod quæritur. Cuius ratio nota est, quia leges humanæ ex legislatoris intentione vim obtinere videntur: Si enim Legislator legem ferens, intentionem obligandi non habeat, lex ipsa obligatoria non erit. Vt si superior aliquid iubeat sub pœna excommunicationis, animum tamen ligandi non habens, non erit subditus ligatus, si id, quod sibi iussum est, prætermittat. Ad hunc modum de aliis. E

Si nõ constat de animo legislatoris, ad verba legis, num præceptiua sint, recurrendum. Verba legis aliquando sunt p̃ceptiuis tãtum æquipollentia: aliquãdo communia solùm.

SI AVTEM de legislatoris animo non constat, ad verba legis recurratur: hæc autem possunt esse præceptiua. Vt si sonet lex, præcipimus, iubemus, sub pœna inobedientiæ iniungimus, aut aliis huiusmodi verbis vtatur, & tunc ex communi sententia lex illa obligat sub pœna peccati mortalis. Possunt etiam verba legis esse non formaliter præceptiua, sed præceptiuis æquipollentia, vt si sonet lex, debet, oportet, non licet, aut aliis verbis vtatur, quæ necessitatem denotent, & tunc lex obligat, ac si præceptiua formaliter esset. Possunt etiam esse verba legis cõmunia, vt si lex sonet, statuimus, volumus, ordinamus, &c. tunc videatur, quæ pœna transgressoribus apponatur, scilicet leuis, aut notabilis. Vt si illud statuatur sub pœna mortis, aut perpetui carceris, aut excommunicationis, irregularitatis, suspẽsionis, degradationis, priuationis Ecclesiasticę sepulturæ, &c. Et tunc cùm huiusmodi pœnæ non nisi pro mortalibus infligantur, satis notum erit, tales leges obligare sub pœna peccati. F

Quando sit ad materiam legis recurrendum.

QVOD si nec de intentione legislatoris sufficienter constat, nec ex verbis legis, nec ex pœna apposita, quia fortè nulla apponitur, sed lex tantùm verbis communibus vtitur, ita vt dubitetur, an obliget sub pœna peccati mortalis, tunc ad materiam legis videtur recurrendum, nam potest esse tantæ importantiæ id facere, quod lege huiusmodi statutum est, vt omisio ipsius sit valde periculosa. Et tunc putandum est, tale decretum seu statutum obligare sub pœna peccati mortalis. Potest ecõtrà esse adeò leuis materia, vt nullum quasi periculum sit, id quod statutum est, prętermittere, & tunc non erit huiusmodi statutum taliter obligatorium. Hæc in genere dixisse sufficiat, prout ex præfata Clementina, & communi Doctorum sententia colligi potest, fateor tamen difficile esse de singulis iudicare. Quòd si quis post hæc omnia perspecta, maneat adhuc de vigore ipsius legis dubius, an scilicet obliget sub pœna peccati mortalis, nécne, tunc ipsa cõscientia dubia, quæ temerè deponi non debet, faciet ipsi dubitanti legem, tunc enim id agat & teneat, quod tutius esse cognouerit, ne conscientiæ propriæ contraueniendo, ædificet ad gehennam.

Dubius de vigore legis, hoc suo dubio pro lege vti debet.

IAM

A IAM AD ID, quòd principaliter quærebatur de necessitate seruandi ieiunia Ecclesiastica sub pœna peccati mortalis, video nonnullos Doctores ad id declinare, vt dicant, non esse peccatum mortale ea non seruare, nisi ex contemptu omittantur. E quibus videtur esse Caietanus, qui ad id dicendum inde mouetur, quia, vt ait, in iure nullum ponitur verbum præceptiuum respectu ieiunij Ecclesiastici. Quam sententiã nonnulli post ipsum defendere sæpe conati sunt. Contra quos videtur oppositum esse tenendum.

De principali quæstione, vtrũ Ecclesiastica ieiunia sub mortali seruanda sint.

Sententia quorũdam negatiua, si desit contemptus.

Resolutio affirmatiua.

PRIMO ex dictis Sanctorum, vt suprà citauimus. Dixit Ambrosius de ieiunio quadragesimali loquens, quòd qui illud soluit, legem Dei soluat, & scindat. Dixit idem simul & Theophilus Alexandrinus, & sanctus Maximus, quòd ieiunium quadragesimale non sit ab hominibus adinuentum, sed diuina maiestate præceptum. Et iterum: Qui Quadragesimam soluunt, nõ tam sacerdotes, quàm Deum contemnunt, Deum aũt contemnere, peccatum mortale est. Dixit Augustinus: In aliis temporibus anni ieiunare, meritum est, in Quadragesima tamen non ieiunare, graue peccatum est. *Probatur* I.

SECVNDO idem ratione patet ex eo, quod habetur Leuitici 23. Omnis anima, quæ se non afflixerit die hac, peribit de populo suo. Et loquitur de ieiunio seu afflictione, quæ per ieiuniũ fit. Si igitur ieiunium legale obligabat ad sui obseruantiam sub pœna peccati mortalis, igitur etiam ieiunium nouæ legis, cùm non minoris vtilitatis, aut necessitatis, aut authoritatis sit, quàm illud. II.

B TERTIO, ad propositum documenti propositi loquendo, idem apparet, quia decreta Ecclesiæ de ieiuniis seruandis, etsi formaliter verbis præceptiuis non vtantur, vtuntur tamen verbis eisdem æquipollentibus. Patet hoc de consecra. distin. 3. cap. Non licet. & cap. Non oportet. vbi dicitur, quòd non liceat soluere ieiunium quintæ feriæ hebdomadæ sanctæ, sed totam Quadragesimam ieiunare oporteat. Et infra ait: Oportet totos dies ieiunare, & aridioribus cibis vti. Verba autẽ hæc, scilicet non licet, & oportet, necessitatem important, vt videtur, & cap. Quadragesimam. de consecra. distin. 5. idem innuitur. Imò illic vtitur decretũ verbo præceptiuo, seu imperatiuo. Nam ait, quòd Quadragesima summa obseruatione seruãda sit, & addit, quòd nullatenus soluatur, nisi necessitas infirmitatis cõpellat. Ecce verbum præceptiuum. Et infrà dicitur: Ieiunia à sacerdotibus instituta non soluantur, nisi propter necessitatẽ rationabilem. In quibus omnibus sufficienter significatur, præceptum esse necessariò seruandum de ieiunando. III.

HOC IDEM ait Clemens in Clementina Exiui; quærit enim, an religiosi deobligentur à cæteris ieiuniis, si ieiunia regulæ seruent. Respondet, quòd non inde liberentur à ieiuniis Ecclesiasticis, quæ cæteri Christiani seruare obligantur. Vbi declarat, fideles obligari ad obseruantiam ieiunij, & hoc ait, loquens de his, quæ obligant sub pœna peccati mortalis.

QVARTO hoc idem ex Conciliis colligi posse videtur. Vnde in Concilio Bracharensi anathematizantur, qui in feria quinta hebdomadæ sanctæ veniunt ad Ecclesiam, C soluto ieiunio, cùm tamen maior occasio esset illa feria ieiunium soluendi, quàm aliis diebus, eò quòd Christus illa die cœnam fecit, cum discipulis suis. Similiter in Concilio Gangrensi anathematizantur, qui dicunt, ieiunia Ecclesiæ non esse de necessitate seruanda. Similiter in Clementina de hæreticis, Ad nostrum. Inter alios errores Beguinarum & Begardorum hic est vnus, quòd ieiunia Ecclesiæ non sint de necessitate à viris perfectis seruanda. Si igitur merentur anathematizari, qui ieiunia Ecclesiastica non seruant, eaque non esse seruanda asserunt, consequens est, mortale peccatum esse, ea non seruare, vbi causa legitima violantem non excuset. IIII.

De consuetudine, legem ieiunij dissoluente.

QVÆSTIO OCTAVA.

SED QVAERET aliquis, an huiusmodi ieiunandi necessitas tollatur per contrariam consuetudinem? Et pro parte negatiua arguitur, quia talis consuetudo contra regulam Ecclesiasticam inducta, est irrationabilis & vitiosa, & à vitiosis atque gulosis hominibus introducta, talis autem corruptela est, non consuetudo, & ita non debet habere vim contra ius, sicut nec lex aliqua vim haberet, nisi iusta esset, & rationabilis. In hoc enim

An eiusmodi necessitas contraria consuetudine tollatur?

Rationes negatiuæ. I.

enim non consuetudo esset magis priuilegiata, quàm lex. Hoc patet ex capit. Ex parte. D
Ex cap. Cum quanto. extrà, de consuetudine. vbi dicitur, quòd nulla consuetudo, nisi iusta & rationabilis sit, posit iuri positiuo præiudicare. Idem etiam videtur ex distinctione 11. capit. Consequens. vbi in summa habetur: Non potest in statutis pontificum consuetudo cuiusquam refragari. Et cap. Consuetudinis, ibidem in summa dicitur: Non potest vsus & consuetudo legem & rationem vincere. Et ita videtur, quòd soluentes ieiunia, quæ ab Ecclesia tam sanctè & religiosè statuta sunt, non possint per contrariam consuetudinem excusari.

II. SECVNDO pro eadem sententia facit 11. distin. In his rebus. vbi dicitur: Sicut præuaricatores diuinarum legum, ita contemptores Ecclesiasticarum cõsuetudinum coërcendi sunt. Et 19. distinct. Sic omnes. dicitur: Omnes sanctiones Apostolicæ accipiendæ sunt, tãquam ipsius Petri diuina voce firmatæ. Ex quibus apparet, Ecclesiasticas sanctiones ita debere ab hominibus obseruari, sicut diuinæ leges. Ergo sicut qui diuinas leges violant, per oppositam consuetudinem & vitiosam non excusantur, ita nec qui Ecclesiasticas institutiones præuaricantur. Vnde 25. quæst. 1. decernitur, vt execrandum anathema sit, & velut præuaricator fidei Catholicæ apud Deum reus existat, quicunq; regum, vel Episcoporum, seu potentum deinceps Romani Pontificis decretorum censuram in quocunq; crediderit, vel promiserit violandam.

III. TERTIO facit ratio: Nam demus, consuetudinem illam contra legem de ieiunando paulatim introductam esse, quodq; ab initio fuerit vitiosa, vti fuit, eò quòd contra legem iustam, iam sequitur, quòd si primi actus, per quos lex violatur, sint vitiosi, similiter & secundi actus erunt vitiosi, similiter & tertij, & sic consequenter. Id patet, quia posteriores actus sunt similes prioribus, vt suppono. Sunt æquè contra legem de ieiunando, vt suppono, ergo sunt æquè vitiosi sicut priores, cùm eadem sit in vtrisque malitiæ ratio. E

Confirmatio eiusdem. ¶ Confirmari hoc potest, quia non est rationabile dicere, quòd homo cùm primùm contra legem peccat, non excusetur, & quòd in eodem peccato perseuerando excusetur, quandoquidem perseuerantia in peccato, & in præuaricatione contemptum auget, & culpam nõ minuit, vt suppono. Si igitur homines in initio ieiunium Ecclesiasticum violantes peccant, igitur à fortiori peccabunt, si in eadem violatione diu perseuerent, & ita consuetudo illa non excusat à debito ieiunandi.

Resolutio. Cõsuetudo sæpe leges inualidat, atq; adeò homines ab earũ obseruãtia excusat. HIS NON obstantibus, aliter videtur dicendum, sed quoniam sermo de consuetudine diffusior est, quàm præsens exigat dubitatio, ideo breuiter ad propositum loquẽdo, dicendum, consuetudinem sæpissime legem inualidare, seu homines ab obseruantia legis excusare. Inde enim Doctores communiter excusant fideles, qui iuxta morem & consuetudinem patriæ in die ieiunij lõgiores collationes faciunt, siue olera sumant, siue
1. electuaria, siue etiam fructus aliquos, aut etiã panem vel solum, vel simul cum fructu alicuius arboris. Inde etiã Mediolani excusantur à peccato, non ieiunantes primis quatuor
2. diebus Quadragesimæ, idq; quia nõ est illis in consuetudine. Quod quidem argumentũ F
est pro eo, quod suprà dixi, quadragesimale hoc nostrũ ieiunium nõ esse de iure diuino.
3. Inde etiam in diebus Rogationum preualuit consuetudo, cùm olim statutũ fuerit, vt illis
4. diebus homines ieiunarent, de cõsecra. distin. 3. cap. Rogationes. Inde etiam excusantur multi à solutione decimarum quarundam rerum, prout in diuersis regionibus, aut locis sua viget consuetudo. Quemadmodum ob eandem cõsuetudinem alicubi homines ab
5. obseruantia multorum festorum excusantur, qualiter alibi non excusantur. Inde etiam excusantur homines refectionẽ ante horam vesperarum sumentes, trecenti enim anni adhuc non sunt, ex quo hora prandij in ieiunio erat hora tertia post meridiem. Nunc aũt religiosi aliqui etiam multũ ante meridiem æstiuo tempore & in Quadragesima vidẽtur
6. comedere, vt refert Caietanus. Inde etiam excusantur Britones, qui in Quadragesima butyro vtuntur, vbi talis viget consuetudo, aut ouis, aliisq; ex carne originẽ trahentibus,
7. cùm tamen oppositum sit iure statutum, distin. 4. cap. Deniq;. Inde clerici excusantur à ieiunio septem hebdomadarum. Addit enim Telesphorus Quadragesimæ hebdomadã
8. septimam, vt habetur distin. 4. Inde in nonnullis locis homines in die Sabbathi carnes comedentes excusantur, cùm tamen olim Gregorius ab illis abstinendum instituerit. de consecra. distinct. 5. cap. Quia dies. Sicut & Leo quartus instituerat à carnibus abstinere in feria 4. & 6. & tamen in oppositum valet consuetudo. de consecrat. distinct. 3. cap. de esu carnium. In quibus omnibus & multis aliis præsentem materiam concernentibus
non

A non tam rigorem legis aut constitutionum, quàm patriæ morem & consuetudinem seruare oportet.

Probatur idem authoritate D. Augu. dicentis leges non nisi vtentiū moribus approbatas obligare.

Moribus vtentiū sicuti leges abrogantur, ita etiam firmantur.

FACIT PRO hac sententia, quòd vt ait Augustinus, & habetur in decreto, distin. 4. leges non obligent, nisi sint vtentium moribus approbatæ, ait enim: Leges instituuntur, cùm promulgantur; firmantur, cùm moribus vtētium approbantur. Et sequitur ad propositum. Sicut enim moribus vtentium in contrarium, nonnullæ leges hodie abrogatæ sunt, ita moribus vtentium ipsæ leges firmātur. Inde ieiunium septem hebdomadarum obligatorium non fuit, quia, vt ibidem dicitur, nō fuit vtentium moribus approbatum. Inde etiam statutum de abstinēdo à carnibus in dominicis diebus Quadragesimæ olim obligatorium non fuit, quia non fuit vtentium moribus approbatum, vt ait Gregorius in epistola ad Episcopum Anglorum. Et habetur ibidem cap. Deniq;. Cùm ergo consuetudo populi non minorem vim habeat ad legem positam abrogādam, quàm ad eius vigorem impediendum, sequitur, legem de ieiunando, vim per contrariam consuetudinem amittere posse, & ita intentum.

Probatur eadē sententia ratione.

FACIT deniq; ratio, quia humanæ leges ex intentione robur accipiunt, vt suprà tetigimus, ac proinde sicut legislator, cùm legem facit, animum obligandi non habet, non obligat lex, ita post legem institutam, si animum obligandi deponat, similiter non ampliùs obligabit lex. Cùm igitur inducta consuetudine legi contraria, sciente legislatore, B & non contradicente, nec inobedientes puniente, iustè præsumatur, legislatorem legis rigorem relaxare, perinde est, ac si dispensaret, aut legem reponeret, & ita fit, vt per huiusmodi consuetudinem homines ab humanis legibus excusentur.

Respōdetur ad rationes oppositas.

Ad I.

Contraria consuetudo duplicē vim habet. Prima inducit obligationem si rationabilis fuerit.

Secunda tollit obligatiōem legis priorem qualiscunque fuerit.

QVIBVS præmissis, facile est ad rationes priores respondere. Ad primam, in qua quæritur de vitiosa consuetudine, quam habeat vim &c. dicendum, quòd consuetudo duplicem soleat habere vim, scilicet nouam obligationem inducendi, & priorem obligationem legis remouendi. Ad hoc vt obligationem inducat, oportet, vt sit rationabilis & præscripta, & talis consuetudo æquiparatur legi, quæ nisi iusta sit, lex esse non potest. Et hæc consuetudo est, quæ dici solet, ius quoddam esse in vsu, non in literis contentum. De qua consuetudine loquuntur sæpe iura, & Sancti, vt est illud Augustini, & habetur 11. distinct. vbi ait: Ecclesiasticarum institutionum quasdam in scriptis, quasdam verò Apostolica traditione per successores in ministerio confirmatas accepimus, quasdā verò consuetudine roboratas approbauit vsus. Et sequitur ad propositum, quibus par ritus, & idem vtrisque pietatis debetur affectus. Ad hoc autem, vt consuetudo priorem legis obligationem tollat, non opus est, vt sit rationabilis & præscripta, sed satis est si per tantum tempus sit huiusmodi consuetudo inducta & obseruata, vt ad notitiam maiorum peruenerit, qui cùm eam sciant, minimè contradicunt, cùm commodè, si vellent, contradicere possent, & præuaricatores punire, quod quia non faciunt, iustè præsumitur, eos legis rigorem velle amouere. Vnde fit, vt ad tollendam vim legis humanæ, im- C pertinens sit, consuetudinem contrariam vitiosam esse, aut rationabilem, quia quod per se facit ad legis amotionem, non tam consuetudo contraria est, quàm animus legislatoris consuetudini consentiens. Quod autem iura dicunt, scilicet quòd consuetudo, nisi rationabilis & præscripta sit, legem vincere non possit, nec statutis pontificum præiudicare &c. procedit de consuetudine inducta & seruata, nesciente superiore, cuius est legem facere, & reuocare: Nam eo id nesciente, necessarium est, consuetudinem contrariam iustam esse & rationabilem, & per maius tempus præscriptam, vt legem vincat: Secùs de consuetudine maioribus scientibus introducta & obseruata. Sic etiam accipiendum videtur, quod ait Thomas ad propositum dicens: quòd si eadem legis ratio permanet, quæ priùs non vincitur per contrariam consuetudinem superuenientem, sed nō obstante huiusmodi cōsuetudine, manet lex in suo vigore, intelligitur, si legislatore ignorante sit talis consuetudo inducta, nam si eo sciente & consentiente, etiamsi eadem legis ratio permaneat, lex ipsa vim suam amittit. Ad secundam dicendum, illa omnia procedere, humanis legibus aut constitutionibus in suo robore permanentibus, quod fit, quamdiu legislatoris intentio eadem obligandi manet simul & ratio legis, tunc enim tenemur obedire, ac si diuina esset lex, vt suprà deduximus. In casu autem nostro secùs, quia per consuetudinem à prælato scitam, tollitur vis & robur ipsius legis. Ad tertiam dicendum, quòd ratio procedat, si durante vitiosa consuetudine permaneret eadem ratio legis simul & legislatoris intentio, tunc enim quò diutior esset consuetudo, eò peior

Quomodo intelligendum, consuetudinem tātum rationabilem vincere legem, & statutis Pōtificum præiudicare.

Ad II.

Ad III.

esset,

esset, & per consequens non excusaret culpam, sed aggrauaret. Attamen in casu, cùm non maneat eadem superioris intentio obligatoria, vt ex dictis apparet, ideo non mirum, si in consuetudinis initio homines non excusentur à culpa inobedientiæ, excusentur autem, postquam fuerit consuetudo sufficienter continuata. D

De his, qui ad Ecclesiastica ieiunia tenentur.

QVÆSTIO NONA.

Quinā obligentur ad Ecclesiastica ieiunia?

Resolutio.

LEGE TAMEN de ieiunando in suo robore permanente, est quæstio, qui sint, qui ad Ecclesiastica ieiunia tenentur, & qui non? Ad quod breuiter dicendum, quòd de iure omnibus Christianis sint Ecclesiastica ieiunia iniuncta. Et ita omnes cuiuscunque status & conditionis sint, ad illorum obseruantiam tenentur, exceptis his, qui iustam habent excusationem. Causæ autem huiusmodi excusantes, reducuntur ad duas, puta ad necessitatem & pietatem. Ob necessitatem quidem excusantur infirmi, pueri, & senes, & pauperes, qui in hora prandij non habent id, quod illis ad vnicam & integram refectionem sufficit. Similiter & prægnantes, & lactantes. Similiter & corporaliter laborantes, quibus scilicet est necessarium laborare, vt sibi & familiæ suæ debitè subueniant, aut statum suum seruent, aut vt notabilia damna in persona, fama, aut bonis temporalibus euitēt, & alij huiusmodi, de quibus vnica videtur esse ratio, quia his omnibus necessarium est, frequenter in die comedere, vt debitum corpori alimentum præbeant. Pueri enim, & senes, & infirmi, ob roboris aut caloris debilitatem, indigent pluries comedere, quibus vnica refectio in die, aut non sufficeret, aut noceret, vt constat. Idem patet de pauperibus in casu dicto, & de prægnantibus, atque lactantibus, quæ cibo pro se & fœtu seu paruulo, quem lactant, indigent. De pueris tamen ante completum trinum septennium, nō placet omnibus eos omnino à ieiunio excusare, tum, quia in illa ætate possunt & solent multa carnalia vitia committere, quorum ratione opus est eis flere, & Deo pro peccatis satisfacere, & carnē spiritui subiicere, sicut & aliis adultæ ętatis id opus est, ac proinde debent, sicut illi, ieiunare. Tum etiam, quia etsi ieiunium quadragesimale integrum seruare non possint, possunt tamen certis diebus ieiunare, sine corporis aut sanitatis detrimento, alioqui Doctores non consulerent, aut docerent, pueros esse assuefaciendos, vt aliquibus, quamuis paucis diebus ieiunent. Quæ quidem doctrina si sana & vera est, possunt igitur conuenienter aliquando ieiunare. Et ita quibusdam visum est, quòd teneantur saltem ad ieiunia quatuor temporum, aut alia intra annum, & ad aliqua quamuis pauca, in Quadragesima, etiamsi totam Quadragesimam ieiunare non teneantur.

Omnes causæ à ieiunio excusantes, ad duas reducuntur.

I. (E)

Dubium de pueris an teneātur certis saltē diebus ieiunare ante trinū septennium.

Sentētia prima affirmatiua.

Quando senes non teneantur amplius ieiunare.

DEINDE senibus non est determinatum tempus, quo incipiant à ieiunio Ecclesiastico deobligari, sed attendenda est complexio, & corporis robur, & quamdiu hæc permiserint senem illæsè ieiunare, vt tenetur ex sententia Doctorū, igitur nec etiam pueris est determinandum tempus, post quod incipiant ad ieiunia obligari. Verùm ex quo Doctores pro maiori parte ius de ieiunando ita interpretantur, vt Ecclesia per illud non intendat animæ aut corpori detrimentum inferre, nec intendat obligare ad ea, quæ cōmunem hominum facultatem excedunt, communem autem puerorum facultatem excederet, ieiunia Ecclesiastica obseruare, saltem ante trinum septennium. Similiter eorum debitum augmentum ex relatu Medicorum peritorum, vt plurimum trino indiget septennio, quod quidem augmentum per Ecclesiastica ieiunia verisimiliter impediretur, ideo putandum est, huiusmodi pueros ad ieiunia obligare minimè intendisse, non solùm ad Quadragesimam, sed nec ad alia ieiunia intra annum, etiamsi accidat aliquos absque damno posse quibusdam diebus ieiunare. F

Secunda sentētia probabilior negatiua de pueris.

Ratio.

Solutio de senibus.

DE SENIBVS autem secùs est, quia natura non determinauit illis tempus defectus, quemadmodum determinauit pueris tempus profectus atque augmenti. Et per hæc facile est ad rationes in oppositum factas respondere. Et quanquam non ita in rigore sit asserendum, naturam terminum augmenti pueris ad certum tempus præfigere, senibus autem tempus defectus certum minimè præstituisse, aliquid tamen dandum est communi in hac re peritorum iudicio.

DE HIS,

A De his,qui corporaliter laborant, vt ſunt artifices, & hi, qui agros colunt &c. ſiue ex neceſsitate,ſiue ex voluntate laborent,ſiue ad damnum vitandũ, ſiue ad lucrum quęrendum,ſiue pauperes ſint,ſiue diuites,iam non dubium eſt,eos ob huiuſmodi laborem ab Eccleſiaſticis ieiuniis deobligari. Ex quo Eugenius quartus omnes illos ſimiliter laborantes à debito ieiunandi abſoluit,vt refert Baptiſta,verbo ieiunium. §.19. et Roſella, & alij ſummiſtæ,modò conſuetudinem patriæ laudabilem obſeruent. Sic enim arbitror, præfatas perſonas à iure ieiunandi deobligatas eſſe, vt conſuetudini poſtea obſeruatæ ſe conforment.

Labor corporalis excuſat.

De infirmis autem,& ſenibus,& pauperibus,& prægnantibus, & operariis,cæteriſque cauſam aliquam ad non ieiunandum habentibus, regula hæc videtur ponenda, atq; ſeruanda: Vt tales non excedant regulam Eccleſiaſticam de abſtinentia in die ieiunij obſeruandam,vltrà quàm exigit cauſa,ob quam à ieiunio recedunt; Alioqui ſi vltra excedunt,videntur peccare. Ratio huius regulæ eſt nota,quia ſi quis neceſsitate à regula Eccleſiaſtica recedit,excuſationem habet,ſi autem voluntate, non ita,igitur qui ob cauſam recedit à regula, pluſquam cauſa ipſa poſtulat in illo pluri, non neceſsitate,ſed voluntate recedit, ac proinde illud plus ipſi videtur imputandum. Nam in illo pluri, in quo vltra exigentiam cauſæ à regula recedit,perinde eſt,ac ſi cauſam recedendi non habeat. Ita dici ſolet in diſpenſatione voti ob cauſam aliquam facta, ſi diſpenſatio cau-B ſæ exigentiam excedat, non tenet in illo pluri huiuſmodi diſpenſatio. Inde fit,vt pręfatæ perſonæ non ſint omnino à ieiunio excuſandæ, ſed cauſæ exigentia ſit attendenda, vt ſi infirmitas ſit talis,quę exigat infirmum bis,aut ter in die comedere,non tamen cauſa illa exigat,vt carnes comedat,poterit quidem pluries comedere,non tamen carnibus vti. Aut econtrà,ſi infirmitas talis ſit, quæ vſum carnium exigat, & non pluribus refectionibus,poterit carnibus ſemel vti,non tamen pluries comedere. Si enim in primo caſu carnes comedat, aut in ſecundo pluries, iam id non ob cauſam agit, ſed ob voluntatem, & ideo huiuſmodi exceſſus venit eidem imputandus. Vnde fit ſæpe, in re hac Medicos non carere culpa,cùm id ſolùm debeant infirmis in diebus ieiunij cõcedere,quod infirmitas poſtulauerit, & non indiſtinctè eiſdem indulgere, maximè cùm multæ ſint infirmitates,quibus abſtinentia non ſolùm non nocet, ſed notabiliter etiam auxiliatur, vt de ſe ſatis conſtat,& habetur ad hoc propoſitum de conſecra.diſtin.5.cap. Legitimus. Idem de cæteris ſuprà dictis poſſet & meliùs exemplificari.

Regula quãdo ij qui cauſam habent nõ ieiunandi, peccent, vel non peccẽt.

Cautela pro medicis.

De Mercatoribus,qui ſæpe iter agunt ad nundinas & loca varia,ſi huiuſmodi laborem ſuſcipiant ob neceſsitatem,quia non poſſunt aliter ſe & familiam ſibi commiſſam ſuſtentare, excuſantur à ieiunio, modò ſeruent regulam poſitam, quia ſi cum ſuo itinere commodè ſe compatitur ieiunium, tenentur ieiunare, alioqui in tantum à regula ieiunij recedant, inquantum labor aſſumptus exegerit.

Quid ſentiendũ ſit de Mercatoribus iter agentibus.

I. *Concluſio.*

Si tamen laborent, aut iter agant abſque neceſsitate, cùm alioqui ſint diuites, C ſed lucrum quærant, aut iter poſsint differre, quouſque ieiunij dies tranſeat &c. dicendum,quòd illi etiam laborantes peccent,ieiunium ſoluendo,quia tales non neceſsitate, ſed voluntate ieiunium ſoluunt.

II. *Concluſio.*

Si autem ex itinere notabile lucrum ſperant, quod veriſimiliter amittent, ſi in ipſa die ieiunij non iter faciant, aut non laborent, videtur alicui,quòd peccent ſoluentes ieiunium, cùm alioqui ſint diuites,tum quia tales non neceſsitate, ſed voluntate ieiunium ſoluunt,quandoquidem lucro illo,quod pretendunt,non indigent. Tum etiam, quia tales videntur temporalia ſpiritualibus præferre. Tum denique, quia quæ præcepta ſunt,præferenda ſunt his,quæ ſunt voluntaria, ſicut & conſilia intelliguntur, ſaluis præceptis.

In quo ſit aliqua difficultas de Mercatoribus.

Hoc tamen non obſtante, ſi in die ieiunij talis ſe illis offert opportunitas ad lucrum acquirendum, qualem non aliâs pro certo ſperant, excuſandi ſunt,nec deberent confeſſores ob id illis abſolutionem denegare, ſi ab huiuſmodi laboribus & itineribus abſtinere nollẽt. Id apparet, quia Eccleſia ieiunia inſtituens, non intendit homines ad ea obligare in tanto rigore, vt ieiunij cauſa, vel damna notabilia ſentiant,vel lucra alioqui licita & iuſta amittant. Id patet à ſimili, quia non minùs tenentur homines ad obſeruantiam feſtorum, quàm ieiuniorum, ſed occurrente caſu,quo ob feſti obſeruantiã, vel damnum paterentur,vel lucrum amitterent, excuſantur à feſti obſeruantia, vt patet cap. Licet. de feriis. vbi conceditur hominibus, vt in diebus feſtiuis, oblata opportuni-

III. *Concluſio.*

Probatur & explicatur à ſimili.

Multi ſæpe excuſantur à feſti diei obſeruantia propter damnum aliquod vel lucrum notabile.

C tate

tate halecia capiendi, qualis nō semper habetur, ea capiant. Similiter non obstante prohibitione iudicibus facta in die feriato iudicandi, conceditur eisdem, vt tunc in simili casu iudicent, vt si res, de qua iudicatur, talis sit, quæ alioqui esset peritura. Ob id etiam cōceditur his, qui in area triticum habent, vt in diebus feriatis oblata opportunitate, ea faciant, quæ alio tempore non feriato facere potuissent, si timeant alioqui rem perituram, ita igitur in proposito. Et reducitur casus hic ad necessitatem. Tunc igitur dicitur necessitate ieiunium solui, quando id necessarium est ad sui, & suorum sustentationem, aut ad famæ, honoris, status, rerumq; habitarum cōseruationem, aut etiam ad bonum aliquod notabile acquirendum, iustum, & honestum, ad quod non aliâs opportunitas speratur. D

Quando soluatur ieiuniū necessitate &c. ad quam multi casus reducuntur.

Ad hanc causam necessitatis reducitur casus, quo quis non potest commodè debitum, sine fractione ieiunij persoluere, siue sit debitum reale, siue personale, siue cōiugale. Cuius ratio ęquè nota est, quia Ecclesia ieiunia instituens, nō ita obligare intēdit, cum dāno notabili proximi, quale fieret in casu creditori, vt patet. Et valet hoc pro filiis, & parentibus, viris & vxoribus, dominis & seruis, cæterisq; officialibus, aut hominibus Reip. obligatis. Valet & pro cathedraticis & lectoribus conductis, seu obligatis.

Ad evndem casum reducitur, si maritus præcipiat vxori, vt nō ieiunet, debet quidem parere, si ieiunium est volūtarium, vt marito complaceat. Si aūt sit ieiunium Ecclesiasticum, parere nō tenetur, nisi ob causam, si fortè inde scandalum mariti timetur, aut odium contra vxorem, aut aliud huiusmodi, erit tunc necessitas ieiunium differendi. E

Secunda causa excusans à ieiunio.

Secvnda causa soluendi ieiunium est pietas, vt si quis aliquid faciat ob publicam vtilitatem, vti est, prædicare etiam voluntate, aut peregrinari pro publica pace procuranda, aut inimicis reconciliandis, aut pro alio bono notabili procurando &c. Tunc licitum est ieiunium soluere, præsupposito, quòd bona illa non poterunt per alium æquè commodè procurari, quodque opus ad id oppositum tale sit, vt secum ieiunium non compatiatur.

Ad id reducitur peregrinatio etiam voluntariè in cultum, & honorem alicuius Sancti assumpta, quæ secum ieiunium non compatitur, causa quidem est soluendi ieiunium, modò illa peregrinatio sine ieiunij solutione fieri non possit, aut si differri non possit commodè. Huius causæ ratio etiam nota est, quia Ecclesia non intendit, cùm ieiunia præcipit, impedire homines ab aliis piis operibus, melioribus & vtilioribus, ideo causa pietatis possunt ieiunia solui. Ambæ igitur causæ scilicet necessitas, & pietas, sufficiunt ad humana præcepta frangenda, vt etiam apertè habetur cap. Conquestus. de feriis. vbi istæ duæ causæ exprimuntur.

Ratio.

Dubium. An existēte aliqua ex dictis causis, possit homo absq; superioris licētia soluere ieiuniū?

Resolutio bimembris.

I.
II.

Qvaeret hîc quispiam, an aliqua ex præfatis causis existentibus, possit homo sine superioris licentia aut dispensatione ieiunium soluere? Respōdetur, in hoc tenendā esse communem regulam à Doctoribus communiter approbatā, scilicet si causa præfata sit homini euidens aut certa, certumq; sit, eam esse vnam de his, quæ à debito ieiunandi excusent, non opus esse alterius licentia, aut dispensatione ad recedendum à ieiunio. Si autem causam sufficientem subsistere certum non sit, satis est homini sic dubitanti viros peritos adire, atque fide dignos, & re illis exposita, si declarauerint causam sufficere, poterit sine superiorum dispensatione, illorum se iudicio conformare. Si autem huiusmodi diligentia facta, res maneat, sicut priùs, dubia, tūc superiorem adire oportet, & ab eodem dispensationem impetrare, & illi poterit in casu homo tutè se conformare. Citra prælatum autem viri fide digni, quorum iudicio poterit homo, se in casu conformare, sunt, proprius sacerdos, si doctus sit, aut Medicus, si causa morbi sit, aut vir doctus ac literatus in huiusmodi casibus instructus. Nec in his est multum insistendum. F

Dubiū de aliis duobus casibus, num excusent à ieiunio.

I.
II.

De aliis autem, qui in diebus ieiunij illud obseruantes se ad luxuriam procliuiores sentiunt, siue ex naturali sua conditione, siue ex vitio, an ob hanc causam excusentur à debito ieiunandi. Similiter de aliis, qui vel ex natura, vel vitiosa consuetudine adeò ad comedēdum inclinati sunt, vt notabilem & magnam difficultatem in ieiunando patiantur, ita vt facilè ad assueta tunc redeant, an ob hanc causam sint à ieiunio deobligati, ab aliquibus quæsitum est.

Ratio dubij pro vtroq; casu.

Pro priorvm excusatione facit, quia quod pro charitate institutum est, quale est ieiunium, contra charitatem non debet militare, sicut militaret, si ieiunium eorum in casu cederet eis contra intentionem Ecclesiæ, ieiunia statuentis.

Pro

A PRO ALIORVM verò excuſatione facit, quia Eccleſiæ intentio ieiunia ſtatuentis non eſt, homines ad ea, quę communem hominum facultatem excedunt, obligare, ſi autem omnes homines tam vehementem difficultatem in ieiunando ſentirent, vt in caſu poſitum eſt, nunquam Eccleſia ieiunium de præcepto hominibus iniunxiſſet, cùm id potiùs in laqueum, quàm in ſalutem cederet animarum. Igitur in caſu præfati homines excuſantur.

Reſolutio negatiua. Non excuſant, ſufficiunt tamen, vt in illis diſpenſetur. Probatur.

AD HOC breuiter dicendum, præfatas cauſas non ſufficere illos à ieiunio excuſare, ſufficere tamen, vt cum illis in ieiuniis diſpenſetur. Id patet, quia ieiunium de ſe, nec primos ad malum inducit, ſed potiùs cohibet, cùm per ſe ad carnem ſubiiciendam ordinetur, nec per ſe difficultatem tantam ingerit, quam homo, ſi velit, euadere non poſsit, quandoquidem Deus non patitur quenquam, vltra quàm poteſt, tentari. Accidit igitur, ieiunanti has inclinationes ad malum, & difficultates ad bonum pati, ob ea autem, quæ accidunt, nō opus eſt ab his, quæ per ſe ſunt, recedere, ſaltē in caſibus dubij. Alioqui nec clerici, nèc religioſi, nec alij caſtitatem vouentes, tenerētur continere, cùm accidat, eos vehementes carnis inclinationes atq; difficultates in continendo ſentire. Cum illis tamen expediret diſpenſare, & eos paulatim ad ieiunij abſtinentiam aſſuefacere, vt domitis carnis paſsionibus, faciliùs poſſent regulam Eccleſiaſticam cuſtodire.

Aliud dubium.

DE HIS autem, qui iuſti & perfecti ſunt, an ob id à ieiunio excuſentur, vt nonnulli
B dixerunt, moti ex eo, quod ait Paulus: Iuſto non eſt impoſita lex. Et iterum: Vbi ſpiritus Domini, ibi libertas &c. Verùm hi audiendi nō ſunt, cùm in eo, quod aſſerunt, errent, & textus, quos afferunt, perperam interpretētur, vt aliâs oſtendimus. Quantò enim aliquis iuſtior eſt & perfectior, tantò magis ſollicitus eſt in obediendo Deo, qui inter alia, hoc diſtrictè præcepit, vt maioribus & prælatis obediretur. Error eſt damnatus, cap. Ad noſtrum. de hæreticis. Et alibi.

Quando neceſſe ſit ieiunare.

QVÆSTIO DECIMA.

Quo tempore ſit neceſſariò ieiunandum. Solutio. Standū eſt patriæ conſuetudini.

QVO AVTEM tempore eſt de neceſsitate ieiunandum? Cùm no minorē locum cōſuetudo teneat, quàm ius, hanc autem in diuerſis regionibus & locis conſtet eſſe diuerſam, ideo in hoc regula generalis dari nō poteſt, ſed ad patriæ cōſuetudinem recurratur. Et incolæ loci patriæ conſuetudini ſe debent in hoc conformare. Aduenæ autem ſeu forenſes aut peregrini tranſeuntes, & reliqui, qui in locum illum conueniunt, non animo illic habitandi, ſicut loci legibus non aſtringuntur, ita nec conſuetudinibus loci, niſi cauſa vitandi ſcandalum, aut alia vrgente ratione.

Corollarium.

C VNDE corollariè ſequitur, vniuerſitatē non teneri ſtare conſuetudini loci, ſicut nec legibus eiuſdē, nec econtrà, cùm diuerſę ſint cōmunitates, diuerſiſq; legibus gubernentur. Quemadmodū nec religioſi tenentur loci conſuetudinē obſeruare, nec econtrà &c.

Dubium. An licitū ſit diebus dominicis ieiunare? Rationes negatiuæ.

HIS OMISSIS occurrit dubium: An ſit licitum in diebus dominicis ieiunare, ſiue in Quadrageſima, ſiue extrà. Et dixerunt aliqui quòd non. Ad quod mouentur ex decreto Melchiadis Papæ, de conſecratio. diſtin.3. Ieiunium dominicæ diei, vbi prohibetur in diebus dominicis ieiunare. Et cap. Ne quis ieiunet die dominica. & eſt Concilij Cæſarauguſtani, vbi idem videtur prohiberi, etiam ſub anathemate, ſcilicet ne quis in dominica die ieiunet propter timorem. Idem etiam in Concilio Gangrenſi prohibitum eſt, vbi I.
dicitur: Si quis tanquam continentiæ conuenire iudicans, in die dominica ieiunauerit, anathema ſit. Non igitur licitum eſt in dominica ieiunare, nec in cōtemptum diei, vt ait Melchiades, nec propter timorem, vt ait Concilium Cæſarauguſtanum, nec propter cōtinentiam, vt ait Concilium Gangrenſe, igitur &c.

SECVNDO beatus Gregorius in ſecundo libro dialogorū refert ſacerdotem quendam ad beatum Benedictum, frequenter ieiunātem, fuiſſe diuinitùs miſſum, & die quadam dominica eidem dixiſſe, hodie dies reſurrectionis dominicæ eſt, non licet tibi abſtinere aut ieiunare. Vnde & Iſidorus ait, quòd ſancti Patres in deſerto tempore paſchali ieiunabant, excepta die dominicæ reſurrectionis. Beatus etiam Thomas in 4. ait, id minimè conuenire Chriſtianis, quia, vt ait Auguſtinus in libro confeſsionum: Turpe eſt II.

parti, quæ suo toti non conuenit, modò autem tota Ecclesia in huiusmodi diebus ieiunium deserit, igitur &c. D

III. Tertio facit ad idem, quod habetur apud Esdram: Sanctus dies Domini est, nolite contristari, sed comedite pinguia. Si igitur tunc, cùm tempus esset vmbræ, in diebus, qui dies Domini vocabantur, non erat licitum ieiunare, neque erit hoc licitum in lege veritatis, in diebus dominicis.

Resolutio affirmatiua per se loquendo.

Origo quare fuerit prohibitum diebus dominicis ieiunare.

Respondetur his non obstãtibus videri, quòd ieiunare in diebus dominicis de se nõ sit illicitum, nec secundùm se prohibitum, etiamsi olim ob causam aliquam id prohibitum fuerit, & modò etiam ob eandem causam redderetur huiusmodi ieiunium illicitum. Vnde notandum, quòd olim fuerunt hæretici quidam, non credentes dominicã resurrectionem. Hi autem videntes, quòd Catholici venerarentur diem dominicam, ob dominicam resurrectionem, ipsi econtrà ex odio resurrectionis & in cõtemptum dominicæ diei, die dominica ieiunabant.

Cui errori volens Ecclesia occurrere, statuit, ne Catholici in huiusmodi diebus ieiunarent, vt esset differentia inter Catholicorum & hæreticorum ieiunia. Et hæc causa apertè datur in præfato decreto Melchiadis Papę. Idem etiam insinuat Concilium Cæsaraugustanum, vbi suprà. Et cùm addit, ob causam timoris, insinuat, quòd satius erat illa die non ieiunando pati, quàm ob timorem hæreticorum eisdem contra Ecclesiasticam regulam consentire. Itaq; vigente illa hæresi, habuit vim Ecclesiæ decretum. Hodie E etiam ob eandem causam ieiunare esset illicitum, quia superstitiosum & hæreticum. Attamen si ex deuotione quis velit in dominica ieiunare, sentiens in se carnem adhuc contra spiritum rebellare non est illicitum, sed bonum, modò absit scandalum. Hoc patet ex decreto Hieronymi, & habetur distin. 76. cap. Vtinam. vbi dicitur: Vtinam omni tempore ieiunare possemus, sicut Apostolos ieiunasse, etiam in diebus dominicis, in actibus Apostolorum legimus. Hæc ille. Igitur certa est conclusio.

Ex deuotione licite quis ieiunare potest etiã diebus dominicis, secluso tamẽ scandalo.

Ad rationes cõtrarias.

Ad I. Et per haec facile est ad obiecta respondere. Quod enim ex Melchiade citatum est, procedit, quando quis in contemptum diei dominicæ ieiunat ad modum hæreticorum, quos diximus, illis peccatum esse, tunc ieiunare. Eodem modo dicatur ad Concilium Gangrense, quod etiam ob hanc causam tantùm videtur damnare ieiunium huiusmodi, si scilicet fiat in contemptum diei dominicæ, etiamsi prætextu continentiæ quis illa die ieiunet, modò in contemptum faciat, peccat.

Occurritur cuidam obiectiõi.

Nec valet replica Martini, qua arguit, quòd tunc non solùm in dominica ieiunare peccatum esset, sed in quacunq; die quis ieiunet in cõtemptum diei peccabit. Non, inquam, valet, quia esto id verum sit, Ecclesia tamẽ specialiter de dominica die loquitur, quia tunc hæretici non ita alios dies contemnebant, sicut diem dominicam ob causam dictam. Adde, quòd si decretũ Melchiadis faueret Martino in hoc, quòd nõ sit licitum in dominica ieiunare, eodem modo inde concluderetur, quòd non sit vllo modo licitum feria quinta ieiunare, cùm Melchiades æquè de feria quinta, & de dominica loquatur. F

Ad II. Ad secundam dicendum, quòd illud dictum nõ sit ad beatum Benedictum per modum præcepti, sed consolationis, qua voluit Dominus, vt sanctus ille recreationem aliquam acciperet, ieiunium interrumpendo, saltem dominicis diebus. Nec Thomas ait, ad id esse necessarium, sed conueniens, propter reuerentiam diei. Nec Augustini dictum contrarium probat: Turpe enim est parti, quę suo toti non conuenit, quando ex pertinacia, vel inobedientia, vel superbia à suo toto vult discrepare. Secùs si causa subsit.

Ad III. Ad tertiam dicendum, illud dictum Esdræ non præcepti, sed indulgentiæ esse, sicut aliud, quod ad beatum Benedictum diximus esse dictum.

De his, per quæ Ecclesiasticum ieiunium soluitur.

QVÆSTIO VNDECIMA.

Quot & quibus modis Ecclesiasticum ieiuniũ frangatur.

Solutio opere, & voluntate.

Opere tripliciter.

DEINDE QVAERI potest, quot, & quibus modis, soluantur ieiunia Ecclesiastica. Ad quod breuiter dicendum, quòd multis, scilicet voluntate, & opere. Et rursus opere tripliciter, vel quo ad meritum, vel quo ad intentionem præcipientis, vel quo ad substantiam præcepti. Et iterũ tripliciter, vel comedendo pluries in die, vel cibis vetitis vtendo, vel horam notabiliter præueniendo.

VOLVN-

A VOLVNTARIE dicitur quis ieiunium ſoluere, qui etſi cætera in re ipſa ſeruet, quæ de ratione ieiunij ſunt, comederet tamē pluries, ſi haberet, aut carnibus vteretur, ſi poſſet. Et poteſt id fieri ſcienter vel ignoranter. Opere quo ad meritū frangit quis ieiunium, quando etſi omnia ſeruet, quæ iuſſa ſunt in ieiunio ſeruari, ieiunat tamen, vt videatur ab hominibus, aut in ipſa vnica refectione regulam temperantiæ excedit. Quo ad intentionem verò præcipientis, dicitur quis ieiunium frangere, quando etſi cætera, quę de ratione ieiunij ſunt, ſeruet, comedit tamen piſces exquiſitos, qui magis ad carnis incendium conducunt, aut in collatione electuaria calida quærit ad idem cōducentia. Quo ad ſubſtantiam verò præcepti, is dicitur ieiunium frāgere, qui aliquid ex tribus ſuprà dictis, quæ de ratione Eccleſiaſtici ieiunij ſunt, non ſeruat. Exempla ſunt clara. Tunc autem dicitur quis præcepto de ieiunando contrauenire, ſeu contra ieiunium peccare, quādo aliquod illorum trium, quæ ſunt de ratione ieiunij non ſeruat, econtrà verò, ſi illa tria ſeruentur, dicitur ieiunium Eccleſiaſticum obſeruari. Vnde ſicut intentio Dei aliqua præcipientis non cadit ſub præcepto, vt aliâs tetigimus, ita in præſenti intētio finalis Eccleſiæ ſub obligatione non cadit. Ac proinde ſi quis contra Eccleſię intentionem aliqua in diei ieiunij ſumat alioqui licita, non peccat contra præceptū Eccleſiæ, quāuis poſsit alia via peccare contra legem diuinā aut naturalē, qua oēs turpes circumſtantiæ in opere prohibentur.

Voluntariè dupliciter.

Explicātur tres modi operis.

Quādo cenſeatur aliquis contra præceptū de ieiunando peccare: & quando item non.

COROLLARIE ſequitur, quòd ſi quis in die ieiunij, & tamen pręter intentum, hoc B eſt, non intendens ieiunare, illa tria opera ſeruet, talis quidem ieiunet, opere, nō voluntate, & ſi ſcienter id faciat, peccet voluntate, non opere. *Corollarium* I.

SEQVITVR etiam, quòd ſi quis in die ieiunij illa tria ex intento ſeruet, & tamen in vnica refectione, quam ſumit, regulam temperantiæ per gulam excedat, ſatisfaciat præcepto de ieiunando, quandoquidem ſub illo præcepto non cadit quantitas refectionis, ſed non vltra ſemel comedere, quanquam talis ieiunando per gulam peccet. II.

SEQVITVR ampliùs, quòd ſumere aquam, aut vinum ante aut poſt refectionem, ſimiliter electuaria ante aut poſt, per viam medicinę, non ſit ieiunium ſoluere, quo ad ſubſtantiam præcepti, ſiue in magna, ſiue in parua quantitate ſumantur. Ratio nota eſt, quia ſub præcepto Eccleſiæ de ieiunando nō cadunt, niſi illa tria, quæ dicta ſunt, igitur illa ſeruando, per reliqua præceptum de ieiunando non ſoluunt. III.

SEQVITVR etiam, quòd ſumere parum panis per modum medicinæ, ne ſcilicet potus ſumendus, aut ſumptus noceat, idq; ante vel poſt prandium, ieiunium non ſoluat. Ratio, quia quod per viam medicinæ ſumitur, nō pertinet ad refectionem, nec refectionem multiplicat. Similiter ſi vigeat alicubi conſuetudo ſumendi panem ſolùm in collatione, aut panem cum fructibus, ſeu oleribus, aut etiam alia quæcunq; electuaria, ſiue in eis maneat cibus admixtus in propria manens ſpecie, ſiue non, per huiuſmodi non ſoluitur ieiunium, quo ad præceptum vel obligationem. Ratio clara eſt ex dictis, quia licitum eſt in his, ſui loci conſuetudini ſe conformare. Sed nec putandum eſt, Eccleſiæ intentio-C nem tam rigoroſam eſſe, vt poſt vnicam refectionem, cuiuſcunq; comeſtibilis ſumptionem intendat prohibere, hoc enim multis hominibus eſſet in ſe valde oneroſum. Vnde putandum eſt, Eccleſiam in hoc ad hominum fragilitatem condeſcendere. IIII.

Eccleſia in ieiuniis poſt vnam refectionē non prohibet cuiuſcunq; comeſtibilis ſumptionē.

COROLLARIE ſequitur, quòd per vſum butyri, aut lacticinij, ſeu ouorum, vbi viget conſuetudo ea in Quadrageſima comedendi, non ſoluatur quadrageſimale ieiuniū, quo ad obligationem, ex quo Eccleſia huiuſmodi conſuetudinem non reprobat, ſed admittit; Secùs vbi non eſſet talis conſuetudo, nam tunc frangeretur ieiunium. V.

ET SI cōtra hoc arguatur: Ieiunia quatuor temporum & alia, quæ intra annum ſeruanda ſunt, non ſoluuntur per vſum lacticiniorum, & ouorum, igitur nec ieiunium quadrageſimale, cùm huiuſmodi ieiunia videantur eſſe eiuſdem rationis. Reſpondetur negando ſequelam, ſimul & fundamentum, nam alterius rationis eſt ieiunium quadrageſimale, & alia Eccleſiaſtica ieiunia, ex quo alia eſt horū & illius inſtitutio, & regula Eccleſiaſtica, vt conſtat. Ac proinde ſicut hoc nomen, caſtitas, genus eſt, aliquas ſub ſe ſpecies continens, ita hoc nomen, ieiunium Eccleſiaſticum, genus eſt, non ſpecies.

Obiectio.

Solutio.

Diſcrimen inter ieiunium quadrageſimale, et alia ieiunia Eccleſiaſtica.

IN HIS tamen illud aduertendum, quòd non ſolùm contra præceptum de ieiunio peccet, qui illa tria ſuprà poſita in die ieiunij non ſeruat, ſed qui alia, quæ vel ex lege, vel ex conſuetudine conceſſa ſunt, in fraudem legis ſumpſerit. In fraudem autem ieiunij dicitur quis electuaria, aut medicinas, aut etiam vinum, aut fructus aliquos extra refectionem ſumere, qui illa per modum refectionis, ſeu comeſtionis ſumit, vt inde corpus nu-

Quādo cenſeatur ieiunās aliquid ſumere in fraudem ieiunij.

 tritio-

tritionem sumat,& ventris fames expellatur,tunc enim nomine refectionis venit huiusmodi sumptio intelligenda. Qui enim in fraudem legis aliquid facit, non minùs, quàm si contra legem faceret,peccat,est enim differentia inter facere contra legem, & facere in fraudem legis. Nam facere contra legem,est facere,quod lex prohibet:Facere autem in fraudem legis est,cùm quis saluis verbis legis,eius sententiam circumuenit. ff. de legi. l.contra legem.& lege sequenti. Fraus enim legi fit, cùm fit id,quod fieri noluit,fieri autem non vetuit. Exemplum huius est clarum. Si monachus habitum suæ religionis non dimittat, sed superiùs habitu clericali tegit, & ita incedit,non minùs apostata est,quàm si habitum ex toto dimitteret, vt Doctores concludunt, iuxta regulam iuris suprà citatam:Non dubium est in legem impingere, &c. Aut si tutor, cui prohibitum est rem pupilli emere,aliam personam submittit,vt emat,agit in fraudem legis. Ac proinde,qui vltra vnicam refectionem alia comestibilia alioqui licita sumit per viam comestionis, aut refectionis, vt dictum est, in fraudem legis de ieiunando id sumere videtur. Sed de his hactenus.

Differunt facere cõtra legem, & facere in fraudem legis.

Aliud dubium. Vtrum patresfamiliâs & hospites peccent cibos vetitos diebus ieiuniorũ omnibus indifferenter ministrãdo?

COROLLARIE sequitur ex dictis responsio ad aliam quæstionem, qua quæri solet, an patresfamiliâs, & hospites, & rerum comestibilium venditores peccẽt mortaliter cibos vetitos in die ieiunij indifferenter sanis,& robustis ministrando,aut post vnicam refectionem cibos,per quos ieiunium soluitur, illis indistinctè exhibendo. Et quæstio est facilis, nam cibos exhibere indigentibus, aut infirmis, & his qui ieiunare non tenentur, cùm constet eos causam sufficientem ad non ieiunandum habere, peccatum non est, modò scandalum euitetur.

Conclusio I.

Conclusio II.

SI AVTEM cibi, per quos ieiunium soluitur, exhibentur sanis, & his, quos certum est ad ieiunandum teneri, peccatum est, & maximè patrifamiliâs iuxta illud Pauli: Qui suorum curam non habet, & maximè domesticorum,fidem negauit,& est infideli deterior. Aliis etiam prænominatis peccatum est, tum quia cooperari ad peccatum fratris, peccatum est,iuxta illud Pauli ad Roman.1. Vbi ait:Non solùm,qui mala faciunt,sed qui facientibus consentiunt, digni sunt morte. Tum etiam, quia perinde est,ac si quis arma ministret furioso,qui se,aut proximum vult interficere. Tum etiam,quia nõ minus peccatum est, causam præbere peccandi, quàm peccantem post peccatum non corrigere. Hoc autem peccatum est, & contra præceptum charitatis, & Euangelicum. Tum etiam, quia peccatum est, proximum scandalizare, quod est occasionem ruinæ illi præbere. Tales sunt, qui cibos ad comedendum præbent personis, quas constat ad ieiunandum teneri.

1. Timoth.5.

Ad Roman.1.

Conclusio III.

ET EX consequenti,qui indifferẽter sanis & infirmis, nulla inter eos discretione facta,cibos,per quos ieiunia soluant,ministrant,non dubium,quin mortaliter peccent.

Cõclusio IIII.

SI AVTEM incertum aut dubium sit, eos qui cibos postulant, causam excusantem habere, eò quòd causa nulla talis appareat sufficienter, sed si qua appareat,dubium sit, an sufficiat nécne,tunc non damnarem præfatas personas, si ad petitionem eorum, qui comedere volunt,cibi eisdem exhibeantur,maximè cum de proximis non sit præsumendum,quod deterius est,quando talis præsumptionis causa non habetur.Nec præsumendum facilè est,hominem suæ salutis esse immemorem.Adde,quòd si rerum illarum venditores publici rem vænalem petentibus, aut emere volentibus denegârint, ob solam presumptionem venditorum,qui perperam de emptoribus iudicant,esset dare occasionem scandalo, & in casu videretur esse temerè de proximo iudicare. Ac proinde stante præfato dubio, non peccant publici venditores, cibos illis personis vendendo.Nec tenentur exactè discutere,an causam habeãt sufficientem,qua à ieiunio excusentur,nécne. Quam quidem discussionem facere specialiter conuenit patrifamiliâs respectu suorum domesticorum.

Patet solutio alterius dubij.

SIMILIS dubitatio moueri solet, de his, qui vendunt venenum, fucos, taxillos, & alia instrumenta lusoria,quibus homines solent ad malum vti:An scilicet peccent,ea indifferenter vendendo. Sed ex dictis facile est respondere.

De qualitate ieiunij, eiusq; vtilitate.

QVÆSTIO XII.

An Ecclesiasticum ieiunium sit virtus? Rationes partis negatiuæ.

A I. QVAERI DEINDE solet de Ecclesiastico ieiunio, an sit virtus; quid etiam habeat vtilitatis. Et arguitur primò quòd non sit virtus, ex Aristotele, qui, cùm multa sint bona ab homine expetibilia, quorum nonnulla, inquit, propter se, nonnulla verò propter alia sunt expetenda, virtutes ait esse de numero eorum, quæ per se, & secundùm se expetibilia sunt: Ieiunium autem Ecclesiasticum non tale est, cùm nec secundùm se bonum sit, aut ratione sui, nec propter se, sed propter aliud veniat expetendum, puta propter mentis puritatem, & corporis spiritui subiectionem.

II. SECVNDO, quia virtus ex eodem Aristotele tenet medium inter duo extrema vitiosa, puta inter excessum, & defectum: Ieiunium autem non est huiusmodi, quia stat, quòd homo à ieiunio recedat absque hoc quòd vitium aliquod incidat, id quod rectum est excedendo, aut ab eo deficiendo. Quod manifestum est de ieiunio, voluntariè assumpto, quod eiusdem rationis esse suppono, cum eo, quod ab Ecclesia institutum est: Si autem ieiunium esset virtus, recedere ab eo esset vitium.

III. TERTIO, virtus solùm conuenit bonis, ieiunare autem commune est bonis & malis. Vtrumque patet, quia virtus si vera est, vitium secum non admittit: Nam si vera est virtus quę inest, sola esse non potest, sed cum aliis virtutibus debet esse coniuncta. Quòd autem ieiunare commune sit bonis & malis, apertum est.

B IIII. QVARTO, virtutibus nemo malè vtitur, vt idem Aristoteles tradit. Et Augustinus de virtute loquens, ait, eam esse, qua rectè viuitur, qua nemo malè vtitur &c. Ieiunio autem contingit & sæpe hominem malè vti, vt hypocritã qui ieiunat gloriam quęrens humanam, & auarum, qui vt thesaurizet, à cibis abstinet.

Resolutio affirmatiua. I. Ratio.

IN OPPOSITVM tamen est communis Doctorum sententia, tum quia Paulus ieiunium, & abstinentiam inter alias virtutes connumerat 2. ad Corinth. 6. Vbi hortatur fideles, vt in ieiuniis multis viuant, in castitate, in scientia, in longanimitate &c. Tum (II.) etiam, quia ieiunium legitur sæpe in scriptura sancta commendatum, & Deo acceptum, vt ex dictis satis apparet. Deinde illa opera humana studiosa sunt, & laudabilia, quæ per (III.) rationem ad aliquod bonum honestum ordinantur; hoc autem conuenit ieiunio. Nam per ieiunium castitas conseruatur, caro spiritui subiicitur, mens ad diuinam contemplationem disponitur & eleuatur, corpus affligitur, vnde & Deo pro peccatis fit satisfactio. Igitur ieiunium quod tot, & tantas affert vtilitates, bonum est & Deo acceptum, & ita virtus, seu actus virtutis dicendum est. Est autem actus virtutis abstinentiæ, iuxta illud Isidori: Ieiunium est parsimonia victus, abstinentiaque ciborum.

Pro solutione I. rationis in oppositum allatæ notanda est multiplex virtutis acceptio.

PRO SOLVTIONE autem rationum, quæ ante oppositum factæ sunt, notandum virtutem multipliciter accipi. Aliquando pro habitu, cuius actus secundùm se, & per se bonus est, vt iustitia, liberalitas. Aliquando pro habitu, cuius actus non ratione sui bonus & expetibilis est, sed quatenus ad aliud bonum honestum confert. Sic paupertas C Euangelica virtus est, non ratione sui, sed quia disponit ad perfectionem Euangelicam, & ad perfectè Christum imitandum. Sic etiam de commissis dolere, non est secundùm se bonum, aut expetibile, sed quatenus valet ad reordinandam voluntatem, & à peccatis postmodum abstinendum.

Solutio I. rationis.

IAM PRIMA ratio probat, ieiunium non esse virtutem primo modo, quandoquidem eius actus non ratione sui, aut propter se est expetibilis, sed ob aliud, ideo est virtus secundo modo, sicut & paupertas.

Ad II. Virtutum actus in duplici sunt differentia. I. Quomodo virtus dicatur tenere medium. II.

PRO SECVNDO noto etiam virtutem quandam esse, cuius actus nõ modò rationi rectæ consonus est, sed debitus iuxta ipsam rectam rationem fieri, vti est iustitia, castitas, ac temperantia in tota sua latitudine, & ab huiusmodi virtutibus earumque actibus recedere vitium, & peccatum est. De huiusmodi virtutibus procedit, quod dicitur, scilicet virtutem tenere medium inter duo extrema vitiosa. Sunt aliæ virtutes, quarũ actus etsi rationi rectæ consoni sint, non tamen debiti inesse, aut fieri, quos quidem homini liberũ est facere, & non facere absq; peccato, & ab huiusmodi virtutibus recedere, non est vitium culpabile. Patet de liberalitate, cuius actus gratis & liberè non ex debito fit. Patet de castitate virginali, ad quã homo minimè tenetur, sed potest sine peccato homo ab ea recedere, & vxorem ducere. Patet etiam de paupertate voluntariè assumpta, à qua potest homo, si vult, sine peccato recedere. Tales virtutes tenent quidem medium rationis, quæ dictat de eo, quod melius est, nõ de eo, quod fieri debitum est. Tale est ieiunium,

siue ab Ecclesia iniunctum, siue voluntariè assumptum, à quo si homo recedat, non ob id incidit in extremum de se vitiosum, licet si ex præcepto sit, incidet in peccatum propter inobedientiam, vt constat. D

Ad III.

Ecclesiasticum ieiunium dupliciter accipi potest.

PRO TERTIO iterum de ieiunio distinguatur, quia vel accipitur pro illa exteriori abstinentia, & sic de se non est virtus, sed potest bonis & vitiosis conuenire. Vel accipitur pro interiori actu, quo homo vult, vt debet, à cibis abstinere, quia scilicet ratio id dictat, cæteras bonas circumstantias intendendo, & talis actus bonus est, nec potest vitiosis hominibus conuenire, cùm tacitè includat voluntatem efficacem, in nullo rectæ rationi contraueniendi, sed iuxta eam operandi & viuendi, & cui actui repugnat omnis actus vitiosus, secundùm communem sententiam. Sed quia in ratione hac tangitur alia quæstio de virtutum connexione, quæ præsenti materiæ videtur peregrina, ideo de ea nihil ad præsens.

Ad IIII.

AD QVARTAM, si de ieiunio exteriori loquamur, fateor posse hominem ieiunio malè vti, & ita huiusmodi ieiunium de se virtus non est, sed aliquid ad bonum, & malum indifferens. Si autem loquamur de interiori ieiunio, quod prædiximus, tali ieiunio non contingit malè vti, sicut nec cęteris virtutibus, saltem inclinatiuè. Qualiter est accipiendum id, quod fuit allegatum, scilicet virtutibus neminem malè vti. Si enim bono summo, quod Deus est, contingit hominem malè vti obiectiuè, nō mirum, si virtutibus, quæ citra summum sunt, homines interdum malè vtantur. E

Ecclesiastici ieiunij vtilitates.

EX DICTIS patet ieiunij Ecclesiastici vtilitas, cui si nil aliud conueniret, quàm quòd virtus sit, magnam secum afferret vtilitatem, cùm tamen quamplures effectus spirituales operetur, maximè si cum aliis partibus satisfactionis coniunctum sit. Ait enim Leo, sermone 4. de ieiunio: Curandis igitur læsionibus, in quas sæpe incidunt, qui cum inuisibili hoste confligunt, trium maximè remediorum est adhibenda medicina: In orationis instantia, in castigatione ieiunij, in eleemosynæ largitate; quæ si pariter exercentur, Deus propitiatur, culpa deletur, tentator eliditur. Et pòst: In omni tempore, in omniumque vita huius sæculi, ieiunia nos contra vitia faciunt fortiores. Ieiunia concupiscentias vincunt, tentationes repellunt, superbiam inclinant, iram mitigant, & omnes bonæ voluntatis affectus ad maturitatem totius virtutis enutriunt. Et sermone 8. ad abstinentiam exhortans, ait: Vt à corporeis cupiditatibus sæpius liberati in aula mentis posit diuinę vacare sapientię, vbi omni strepitu silente curarum, in meditationibus sanctis, & in deliciis lætetur æternis &c. Cuius obseruantiæ vtilitas, in Ecclesiasticis est præcipuè constituta ieiuniis. Hæc ille. Gregorius etiam in præfatione Quadragesimæ ait: Qui corporali ieiunio vitia comprimis, mentem eleuas, virtutem largiris & præmia.

Ieiunium aliis virtutibus destitutum, caret p̄dictis vtilitatibus.

SED QVEMADMODVM ieiunium aliis satisfactionis partibus coniunctum, præfatas & multas alias vtilitates affert, ita si cæteris sit destitutum virtutibus, vtilitatem, quam habere debuisset, amittet, vt patet ex eo, quod aliâs ex Esaiæ vltimo citatum est. Isidorus etiam in de Summo bono ait: ieiunia cum bonis operibus Deo sunt acceptabilia. Qui autem à cibis abstinent, & prauè agunt, dæmones imitantur, quibus nequitia semper adest. Chrysostomus etiam ait: Qui peccat & ieiunat, non ad gloriam Dei ieiunat, nec se humiliat, sed substantiæ parcit. Ait etiam Augustinus: Ieiunium verbositatem non amat, diuitias & superfluitatem iudicat, superbiam spernit, humilitatem commendat. Verùm cùm animus non fuerit, nisi ea, in quibus inter Doctores nonnulla reperitur controuersia, tractare, in his supersedendum est. F

De ieiunio notabiliter vitam abbreuiante.

QVÆSTIO XIII.

An licitum sit illud ieiunium, per quod vita hominis abbreuiatur?

Solutio affirmatiua. Si eiusmodi vitæ abbreuiatio sit insensibilis.

Probatur I.

ILLVD POSTREMVM inquirendum venit, quod nonnullis solet difficultatem facere: An scilicet bonum sit, aut saltem licitum ieiunium, inedia, aliaque abstinentia, per quam vita ieiunantis notabiliter abbreuiatur. Et dico notabiliter seu sensibiliter, nam si per ieiunia vita insensibiliter abbreuietur, non dubitatur, ea bona & licita esse, non obstante illa insensibili vitæ abbreuiatione. Id patet, quia licitum est, & sæpe meritorium peregrinari, agros asiduè colere, & alia exercitia corporalia facere, sine

A ſine quibus eſt veriſimile hominem diutius victurum, idque licitum eſt, propter lucrum
aliquod temporale acquirendum, igitur à fortiori licitum erit frequenter ieiunare, pro-
pter ſpirituale bonum, non obſtante, quòd ieiunans alioqui diutius eſſet victurus. Idem II.
etiam patet, quia licitum & honeſtum eſt, literis aſsiduè incumbere, frequenter prædi-
care, atque docere, & tamen conſtat, per huiuſmodi literaria exercitia vitam multis ho-
minibus ſaltem inſenſibiliter abbreuiari. Præterea idem patet exemplo ſanctorum Pa- III.
trũ, qui radicibus & herbis, ſeu oleribus in eremo vtebantur, & aſperrimam vitam agen-
tes frequenter ieiunabant, vnde neceſſe erat vires extenuari, & radicale humidum pau-
latim corrumpi, & per conſequens vitam eorum abbreuiari, quos ſecundùm naturam
certum eſt diutius victuros, ſi abſtinentiæ aſperitatem temperaſſent. Demum idem pa- IIII.
tet, quia quamuis ieiunia aliqualem corporis ægritudinem inferant, non ideo oportet à
ieiuniis ceſſare, modò tanta non ſit, quæ mentis fortitudinem impediat, vt patet ex Ber-
nardo in Canticis dicẽte: Carnis infirmitas, robur ſpirituale auget, & vires ſubminiſtrat.
Fortitudo verò carnis, debilitatem ſpiritus operatur. Simile quid ait Gregorius libro
octauo ſuorum moralium, iuxta illud Pauli: Libenter gloriabor in infirmitatibus meis.
Et iterum Bernardus ſuper Cantica, Sermone *66*. ait: Optanda infirmitas, quæ Chriſti
virtute compenſatur, nam virtus in infirmitate perficitur. Itaque ob inſenſibilem vitæ
breuitatem ex ieiunio prouenientem, non opus eſt ieiunium tanquam illicitum de-
B ſerere.

EST TAMEN dubium: an quando vita per ieiunia notabiliter aut ſenſibiliter ab- *Dubium.*
breuiatur, ſit licitum in ieiuniis perſeuerare. Et pro parte affirmatiua arguitur pri- *An liceat in eo*
mò, quia ſi eſſet ieiunium deſerendum ob breuitatem vitæ, quam inducit, ideo eſ- *ieiunio perſeuerare, per quod*
ſet, quia tenemur, vel naturali iure, vel ratione charitatis, vitæ longitudinem nobis pro- *vita notabili-*
curare, quod non videtur, quia tunc ſequitur, quòd tenemur medicinæ incumbere, aut *ter abbreuiatur.*
ſemper Medicos peritos conſulere, & medicamentis ſalutaribus vti, cibiſque delicatis,
per quos vita poſsit prolongari, idque non ſolùm in neceſsitate, ſed extrà. Nam qui tene- *Rationes pro affirmatiua.*
tur ad finem, ex conſequenti tenetur ad media ad eundem finem ordinata. Sequitur I.
etiam, quòd tenemur pauperibus cibos delicatos præbere, & medicamina, ne vita eo-
rũ notabiliter abbreuietur. Et ſequela patet, quia ex lege charitatis tenemur proximos,
ſicut & nos diligere, hoc autem eſſet totam fermè multitudinem damnare.

SECVNDO licitum eſt bella, ob iuſtam cauſam indicere, & eadem committere, & II.
contrarium dicere, eſt error damnatus contra VViclef, & alios, ſed per bella conſtat
non ſolùm vitam abbreuiari, ſed ſæpiſsime totaliter extingui, morboſque, ſeu vulnera
incurabilia inde euenire, igitur etiam erit licitum ieiunare, non obſtante vitæ abbre-
uiatione.

TERTIO, licitum eſt mercatoribus nauigare, ſimiliter & curſoribus ſuum officium III.
exercere, non obſtante vitæ periculo, atque breuitate, cum quibus hæc fiunt, idque pro-
C pter lucrum temporale quærendum, ergo à fortiori propter ſpirituale bonum, quod
ieiunium affert, licebit illa damna corporis ſubire.

QVARTO, quia oppoſito dato, ſequeretur peccare Carthuſienſes perpetuam à car- IIII.
nibus abſtinentiam obſeruantes, cùm ſæpiſsime huiuſmodi abſtinentia cedat eis in da-
mnum ſanitatis & vitæ. Peccarent etiam ſacerdotes, aut prælati, qui graues pœnitentias *Confirmatio.*
confitentibus iniungunt, vt ſunt ieiunia perpetua, carcer perpetuus, & interdum fœtu-
lentus, aut perpetua intra monaſterium clauſura, quandoquidem hæc ſolent vitam no-
tabiliter abbreuiare.

QVINTO, pro bono corporis, aut animæ proximi poteſt frater in ſe aliqua dura & V.
aſpera onera ſuſcipere, vt pro fratre ſatisfaciat. Poteſt etiã quis cum merito membrum,
imò & vitam pro fratris ſalute exponere. Sic Chriſtus vitam pro nobis poſuit. Sic marty-
res ſancti ſæpe pro fratribus paſsi ſunt. Sic beatus Sanctulus pro diacono morituro, ne
periret, ſe mortis expoſuit periculo. Sic Imperator quidam vnius oculi iacturam paſ-
ſus eſt, ne filius vtroque oculo, vt per iudicem fuerat decretum, priuaretur. Quæ omnia
in ſententia, & multa alia affert Gerſon in ſecunda parte ſui operis, ad probandum,
quòd non ſit abſtinentia deſerenda, etiamſi notabiliter inde vita hominis abſtinentis
abbreuietur.

VERVM quicquid de huiuſmodi rationibus ſit, aliter videtur reſpondendum, ſcili- *Concluſio.*
cet quòd ſi quis ob ieiunia, aut abſtinentiam continuatam, aliquam notabilem ægri-
tudinem

Indiscretum est ieiunium quod notabilem adfert ægritudinē quæ sensus integritatē aut mentis puritatē impediat:si tamen eiusmodi incōmodis nō possit alia ratione mederi.

Probatur I.

tudinem incidit, aut vitam notabiliter abbreuiat, si non aliter his incommodis mederi potest, quàm ieiunia, & abstinentiam huiusmodi deserendo, indiscreta sunt talia ieiunia, & deserenda, maximè si ægritudo inducta talis sit, quæ sensus integritatem, aut mentis puritatem impediat. Hęc conclusio videtur certa, quia certum est ex sententia omnium, quædam ieiunia indiscreta esse, nec videtur, quæ alia magis inepta, quàm quæ dicta sunt. Vnde Cassianus ait: Nimia lassitudo ieiunij, frangit orationis vigorem. Et cauendum est nobis, ne cùm domare credimus carnem, eam eneruemus, adeò vt impotēs sit ad actiones bonas & honestas. Hieronymus etiam de huiusmodi ieiuniis, quæ corpori notabiliter nocent, ait: Non refert, vtrum magno vel paruo tempore te interimas. Et de rapina holocaustum offert, qui vel ciborum nimia egestate, vel manducandi, vel somni penuria immoderatè corpus affligit. Et iterum: Rationalis homo dignitatem amittit, qui ieiunium charitati, vel vigilias sensus integritati præfert. Et habetur de consecrat. distinct. 5. D

II. PRÆTEREA, arguitur ad idem ratione. Religiosi propter solatium superuenientium fratrum iubentur abstinentiam remittere, ergo multò magis remittenda est propter ægritudinem, aut vitæ sensibilem breuitatem ex huiusmodi abstinentia prouenientem, quando aliter, quàm per abstinentiæ remissionem hæc damna vitari non possunt. Et consequentia patet, quia salus propria, solatio fratrum est præferenda.

III. DEINDE, si ex ieiunio, aut abstinentia verisimiliter timetur, hominem moriturum, tenetur homo huiusmodi abstinentiam deserere; nam alioqui esset homicida sui ipsius, E & perinde esset, ac si seipsum occideret, iuxta decretum Symmachi dicentis: Nil refert mortem inferas, vel admittas. Mortem enim languentibus videtur infligere, qui hanc cùm potest, non excludit. Si igitur verisimiliter timetur ægritudo, cùm possit esse talis, quæ semel inducta curari non possit, sed paulatim mortem sit allatura, oportebit pro ea vitanda, abstinentiam deserere. Nec ad id est expectandus extremæ necessitatis articulus, sed præueniendum est.

Obiectio. SI DICAS, hæc quæ adducta sunt, procedere de ieiuniis voluntariè susceptis, quæ quidem in casu deserenda sunt; non autem de his, quæ sunt de præcepto Ecclesiæ, quia tunc obediendum est, iuxta præceptum Euāgelicum.

Solutio. Contrà videtur, quòd in casu nulla sit obedientia, ieiunia Ecclesiæ ob causam prædictam deserere; quandoquidem Ecclesia neminē intendit ad ieiunia obligare cum notabili damno vitæ corporalis, aut spiritualis.

IIII. *Confirmatur prædicta cōclusio.* VNDE AMPLIVS confirmatur proposita conclusio. Quia Ecclesia à debito ieiunandi excipit infirmos, vt scilicet ab infirmitate curentur, & viuant, igitur à fortiori, vel saltem à paritate rationis sunt excipiendi, qui ob ieiunium ægritudinem, aut sensibilem vitæ abbreuiationem inciderent. Non enim minùs necessarium est, corpus ab ægritudine, & morte præseruare, quàm post inductam ægritudinem ab ea curari. Itaque tenendum est, præfata ieiunia indiscreta esse, atque deserenda in casu, siue voluntaria sint, siue ab Ecclesia præcepta. Si tamen aliter præfatis damnis corporalibus obuiari potest, non opus est à ieiuniis ex præcepto necessariis desistere. Habenda tamen est semper ratio F scandali, ad quod vitandum, multa opus est damna tolerare, maximè si sit scandalum pusillorum, quale est, quod ex ignorantia, aut fragilitate solet simplicibus euenire. Secùs si sit scandalum Pharisæorum, de quo parum esse curandum Dominus docuit, quando dixit: Sinite eos, quia cæci sunt, & duces cæcorum.

Ad I. rationem in oppositum allatam respondetur. AD RATIONES pro priori sententia adductas, dicendum ad primam, falsum esse, nos ideo in casu teneri ieiunium deserere, quia tenemur vitæ longitudinem procurare. Aliud enim est, vitam prolongare, ad quod per se non tenemur: aliud verò, vitam aut sanitatem notabiliter nobis aut proximis non adimere, & ad id tenemur. Et consequenter concedendum est, nos teneri Medicos consulere, & salutaribus vti medicinis, prout necessitas postulauerit, idque non in omni tempore, sed vel post inductam ægritudinem, vt curemur: vel cùm verisimile est, eam euenturam, nisi præseruemur.

In ægritudine medicorum consilio & ope vtendum est.

QVOD DE pauperibus illatum est, similiter est concedendum, quando necessitas similiter id exegerit, præsupposito quòd nobis supersint, quæ illis elargiamur, quodque non sint, qui de pauperibus curent, quodque nostra opera illis ad vitam & sanitatem sit profutura. His enim concurrentibus culpandi essemus, si de pauperibus, vt dictum est, curam non haberemus.

Ad II. *Quæ requirantur ad iustum bellum.* AD SECVNDAM, quod de bello dicitur, non est simile: Bella enim iusta esse constat, si authoritas, causa, & debitum moderamen concurrant, in quibus bellantes, etsi

vitam

A vitam periculo exponant, damnandi tamen non sunt, quandoquidem iustitia, charitas, & publica vtilitas id exposcunt: Bono enim publico, priuata vita postponenda est. Aduersarios expugnare, vt iusti postmodum in pace viuant, iustum est. Vnde Ambrosius, libro 1. de officiis: Fortitudo, quæ bello tuetur à barbaris patriam, vel domi defendit infirmos, vel à latronibus socios, plena iustitia est. Augustinus etiam ad propositum contra Manichæos loquens, ait: Quid culpatur in bello, an quia moriuntur quandoque morituri, vt dominentur in pace victuri? Hoc reprehendisse, timidorum est, non religiosorū &c. Itaque in bello iusto vitam periculo exponere, iustum est, & laude dignum. Vitam autem periculo exponere, aut notabilem ægritudinem incidere per inediam, vigilias, ieiunia, aliaque huiusmodi corporalia exercitia, non ita laudandum, sed vituperandum est, cùm dicat Paulus: Corporalis exercitatio, ad modicum vtilis est, maximè cùm per huiusmodi immoderata ieiunia finis ipsius ieiunij potissimus sæpissime impediatur, hoc est, mentis puritas.

In iusto bello vitā periculis exponere, laude dignum est: non item per inediā, vigilias etc.

AD TERTIAM dicendum, in parte esse simile, quod de nauigantibus & mercatoribus allegatur. Nam si est verisimile, ꝙ ex nauigatione, aut alio corporali labore mors, aut notabilis ægritudo subsequatur, cui non aliter obuiari possit, nisi à nauigatione & labore huiusmodi desistendo, cessandum est; alioqui talis nauigatio temeraria foret, & B contra charitatem ad se habendam, sicut & de ieiunio in simili casu diximus. Non tamen inde omnis nauigatio & cursus est damnandus, cùm talia pericula non semper verisimilia sint.

Ad III.

AD QVARTAM de Carthusiensibus dicendum, abstinentiam perpetuam à carnibus de se graues infirmitates non inducere, nec vitam notabiliter abbreuiare, cùm constet, quàm plures sanctos Patres & Monachos diu absque esu carnium vixisse. Si tamen accideret, vt Carthusiensis nil aliud quàm carnem ad manducandum haberet, aut talem incideret ægritudinem, à qua sine carnis vsu ex peritorum Medicorum iudicio liberari non posset, non dubium, quin posset, imò deberet carnes comedere, ad cuius oppositum, nec per statutum, nec per votum potuit obligari. Pro quo regula communis deseruit, scilicet id, quod impediret voti seu statuti obligationem, si tempore emissionis adesset, hoc ipsum post emissum votum superueniens, tolleret obligationem eiusdem. Vnde fit, vt si statutum vel votum de abstinendo à carnibus tale sit, vt casum præfatum extremæ necessitatis includat, incautum sit, & illicitum. Et quamuis tale votum aut statutum sit absque aliqua expressa exceptione, semper tamen habet locum extremæ necessitatis exceptio. De his enim procedit vulgare dictum: In malè promissis, rescinde fidem; in turpi voto, muta decretum.

Ad IIII.
Abstinētia Carthusianorū non est per se periculosa.
Nota communem quandam regulā circa votorum aut statutorum obligationem.

AD ID AVTEM, quod de iniunctis pœnitentiis dicebatur, dicendum, referre qualiter illa onera peccatori iniungantur: quia vel à confessore in foro pœnitentię, vel à prę- C lato in foro iudiciali. Si primum, fateor posse tales & tantas esse huiusmodi pœnitentias, quæ sint indiscretæ & exorbitantes, vt si in scandalum aliorum cedant, aut vitæ periculum, seu salutis, aut famæ dispendium, & tales non sunt obligatoriæ, sed prætermittendæ. Si verò sint pœnitentiæ iudiciales, secùs est, quia talia fortè delicta homo commisit, ob quæ mortē meretur. Et pro talibus tam asperas iniungere pœnitentias, etiamsi vitam delinquentis notabiliter abbreuient, nullum est inconueniens. Non sic de ieiuniis vitam sensibiliter abbreuiantibus, quæ quidem non in supplicium, & pœnam pro delictis, nec ad carnem necandam, sed ad domandam sunt instituta.

Ad eiusdem cōfirmationem.
Pœnitentiæ iniunctæ peccatoribus in duplici sunt differētia.

AD QVINTAM de satisfactione pro altero dicatur, vt nuper dicebam, scilicet eam esse debere moderatam & discretam, sicut ea, quam quis pro seipso assumit. Quod autem dicitur, posse vnum vitam pro altero exponere, fateor, illud enim ordo charitatis expostulat, vt vitam corporalem pro fratris vita spirituali exponamus, quod eximię charitatis esse docet Christus dicens: Maiorem charitatem nemo habet, quàm vt animam suam ponat quis pro amicis &c. Sic Christus, sic Martyres, & Apostoli, aliique Sancti fecisse leguntur. Ita similiter vitam corporalem deberet homo pro suę animæ salute exponere, si oporteret, aut necessarium esset. In casu autem non ita necessarium videtur per ieiunia corpus interimere, vt anima viuat, ideo ratio nil probat.

Ad V.
Quatenus possit aliquis vitā pro altero exponere.

SED INSVRGERET aliquis dicens: Si ad vitandam corporis notabilem infirmitatem, aut vitę breuitatem oportet abstinentiæ rigorē deserere, ob eandem igitur causam oporteret

Obiectio.

oporteret clericos & religiosos aliosque homines continentiam deserere, quandoquidem per longam continentiam non minùs contingit viros & fœminas ægritudines notabiles incidere, quàm per assiduam abstinentiam, & ita liceret clericis & monachis saltem vxores ducere, vt per vsum legitimæ coniugis, possent præfatos morbos euadere. Et consequentia patet, quia sicut à cibis abstinere fidelibus, ita à coniugio temperare clericis & religiosis ab Ecclesia iniunctum est. Et sicut alterum eorum non est de numero eorum, quę per se bona sunt, sed propter aliud, ita nec alterum. Et sicut ab altero potest homo sine vitio recedere, ita & ab alio. D

Solutio. I. RESPONDET quidam, negando sequelam, quia non potest homo per media illicita vitam aut incolumitatem procurare, clericis autem in sacris & religiosis illicitum est vxores ducere, ex quo per Ecclesiam sunt illegitimati: Professio enim & sacer ordo impediunt & dirimunt; Secùs de comestione cibi, aut carnis, quæ non est de se illicitum medium, ad salutem quærendam & conseruandam. *Reiicitur.* Verùm responsio hęc valet de clericis & professis, nō tamen de aliis, qui virginitatem simpliciter vouerunt, aut perpetuam continentiam seruare proposuerunt; his enim saltem necessarium foret, continentiam deserere, vxores ducendo, vt per earum vsum vitam seruarent, si alioqui eam seruare non possent, quod tamen negari solet. *II. Solutio.* Ideo dicendum, non esse simile, tum quia continentia non ita ægritudinem inducit de se, sicut abstinentia à cibis, imò quantò diuturnior est continentia, tantò magis ad corporis, animique salutem confert. Tum etiam, quia etsi accidat, hominem ob continentiam ægrotare, cùm id ex humore intus genito eueniat, quem natura nititur expellere, non desunt alia remedia, seu medicamina, aut alia corporalia exercitia, per quæ humor ille vel consumatur, vel per alias vias à corpore expellatur &c. Sed de his hactenus. E

FINITVR CODEX DE IEIVNIO.

CODEX DE ELEEMOSYNA.

Quid & quotuplex ea sit.

QVÆSTIO PRIMA.

NVNC NONNVLLA, in quibus Doctores difficultatem circa eleemosynam facere solent, breuiter expediamus, si priùs quid, & quotuplex sit eleemosyna, præmiserimus. *Definitio Eleemosynæ.* Est enim opus ad releuandam indigentiam hominis ex compassione, & propter Deum factum. Ita definit Alexander, Thomas & alij. Datur autem non de quacunque eleemosyna, sed de perfecta, quæ meritoria est apud Deum. F

Corollarium I. Stipendia clericorum non esse propriè eleemosynam. EX IPSA sequitur, non esse propriè eleemosynam id, quod clericis pro missæ celebratione, aut pro sepultura, aliisque officiis Ecclesiasticis exercendis exhibetur, eò quòd, omni ministrorum Ecclesiæ indigentia seclusa, debeatur eis ob huiusmodi officia, seu ministeria, stipendium suum, vt patet ex eo, quod Christus dixit Lucæ 10. Dignus est operarius cibo suo. Et Paulus 1. ad Corinth. 9. ex intento probat, ministris Ecclesiæ suam deberi mercedem, dicens: Quis militat vnquam suis stipendiis? Quod & ex lege veteri probat, quæ ait: Non alligabis os boui trituranti. Et rursus ex Christi ordinatione confirmat, dicens: Ita Dominus ordinauit his, qui Euangelium annuntiant, de Euangelio viuere.

II. Clerici etiã alioqui diuites non tenentur gratis Ecclesiæ ministrare. VNDE RVRSVS fit, clericos, etiamsi alioqui sufficiens habeant patrimonium, nō teneri gratis Ecclesię ministrare, sed posse, cùm officium compleuerint, iudicis officium implorando, imò & actione vtendo, quam contra eos, ad quorum instantiam officium fecerunt, habent, iura sibi debita exigere.

III. Clerici beneficiati habent dominiũ fructuũ. INDE ITERVM fit, vt beneficiati Ecclesiæ ministrantes, dominium acquirant fructuum, & oblationum, aliarumque rerum, quas ob præfatum ministerium accipiunt. Sed de his aliâs.

A SEQVITVR ex eadem deſcriptione, tria eſſe requiſita ad eleemoſynam, ſcilicet ex parte dantis, vt habeat aliquid ſuperfluum, quod dare poſsit, alioqui ſi de his, quæ ſibi neceſſaria ſunt, ſaltem ad indiuiduum, aliquid daret, Deo minimè placeret, cùm ordini charitatis contraueniret, ideo propter Deum verè fieri non poteſt. Ex parte eius, cui datur, requiritur indigentia: Nam quod ſcienter diuiti datur, non eſt eleemoſyna, quæ quidem opus miſericordiæ eſt. Ex parte etiam ipſius, quod datur, requiritur, vt ſit vtile ad præfatam indigentiam releuandam, quæ omnia ſatis nota eſſe ſuppono.

IIII. Tria requiruntur ad eleemoſynam. I. II. III.

OPVS AVTEM huiuſmodi conſiſtit aliquando in verbis, aliquando in factis. Et ſicut duplex eſt proximi indigentia, ſcilicet corporalis, & ſpiritualis, ita duplex eſt eleemoſyna, ſcilicet ſpiritualis, & corporalis; illa ad animæ, hæc autem ad corporis indigentiam releuandam. Et quoniam corporales indigentiæ dicuntur communiter eſſe ſeptem, ideo totidem ſunt eleemoſynæ corporales. Solent enim homines indigere, cùm viuunt, cibo, potu, veſtitu, habitaculo, etiamſi ſani ſint. Solent & infirmi, aut incarcerati indigere recreatione, atque ſubſidio, vt ab afflictione liberentur. Si autem mortui ſint, indigent ſepultura, vt corpus terræ, vnde ſumptum fuit, reddatur, & ne hominis corpus in morte dehoneſtetur, cui in vita ſuus honor erat exhibendus. His igitur indigentiis reſpondent ſeptem eleemoſynæ corporales, quæ in hoc verſu notantur: Viſito, poto, cibo, B redimo, tego, colligo, condo. De ſex primis videtur Chriſtus mentionem feciſſe Matth. 25. De ſeptimo autem, hoc eſt, de ſepultura, etſi non illic mentio fiat, alibi tamen commendantur, qui hoc beneficium mortuis impendebant, eos ſcilicet ſepeliendo, vt Thobias, Ioſeph, & Nicodemus, vt patet per Auguſtinum in libro de cura pro mortuis. & ex lib. Thobiæ.

Eleemoſyna duplex eſt ſecundùm duplicem indigentiã proximi.

Septem ſunt indigentiæ corporales, quibus ſeptem etiã eleemoſynæ corporales reſpondent.

SOLENT præterea homines aliis ſeptem eleemoſynis ſpiritualibus indigere, quę ad tria ordinantur, ſcilicet ne proximus in peccatum labatur, ne lapſus perſeueret, & ne deterior euadat. Poteſt enim homo in peccatum labi ex defectu doctrinæ, aut conſilij, ſi neſciat, quid ſibi credendum ſit, quídue agendum, ad quod indiget doctrina & conſilio. Poteſt etiam labi ex nimia triſtitia, in deſperationem cadendo, & ad hoc indiget conſolatione. Poteſt cùm lapſus fuerit, ob defectum diſciplinæ, aut correctionis in peccato perſeuerare, & ad hoc indiget correctione. Poteſt etiã deterior fieri, vel quia illi offenſa in aliquem commiſſa non condonatur: vel quia illum non patienter ferunt, & ad hoc indiget aliorum remiſsione, atque patientia. Præter hæc autem poteſt homo ex voluntate peccare, & ad hoc indiget oratione iuuante. Hæ autem ſeptem eleemoſynæ ſpirituales in hoc verſu continentur: Conſule, caſtiga, ſolare, remitte, fer, ora. Et ſi vltra præfata quatuordecim opera miſericordiæ alia ſint, quibus homines in particulari ſoleant indigere, ad hæc, quæ prædicta ſunt, reducantur. Inter has autem melior eſt ſpiritualis eleemoſyna, quàm corporalis, quod ex fine ipſarum ſatis apertum eſt. Nam ſpiritualis ordi- C natur ad ſalutem animæ: corporalis autem, ad ſalutem corporis. Et ſi obiiciat quis, quòd ſæpe ſit ſpiritualis propter corporalem prætermittenda, quod autem melius eſt, non veniat propter minus bonum dimittendum, igitur. Dicendum, quòd nil inconueniat, aliquando quod de ſe melius eſt, propter minus bonum dimittere. Nam non dubium, quin vita contemplatiua melior ſit, quàm actiuã, iuxta ſententiam Chriſti, qui de Maria vitam contemplatiuam tenente, dixit: Maria optimam partem elegit &c. Et tamen ſi proximorum neceſsitas corporalis expoſcat, contemplatione dimiſſa, opus eſt actiuam vitam exercere. Sicut non dubium, quin continentia melior ſit ſecundùm ſe, quam vxori commiſceri, & tamen vxore petente, dimiſſa continentia, vxori opus eſt ſatisfacere. Huius ratio aperta eſt, quia ea quæ ſunt de conſilio, dimittenda ſunt propter ea, quæ ſunt de præcepto, quando ſe ſimul compati non poſſunt. Siquidem conſilia intelliguntur, ſaluis præceptis, etiamſi alioqui conſilia ſint de meliori bono. Et quando neceſsitas poſtulat minus bonum exercere, & aliud prætermittere, id quod prætermittitur pro tunc, non eſſet bonum, ſed illicitum, vt conſtat. Ita igitur in præſenti, cæteris paribus, hoc eſt, cùm æquè ad vtramque aſtrictus ſit, præferenda eſt ſpiritualis corporali, vt conſtat, & tamen ſi cætera paria non ſint, ſed neceſsitas compellat corporalem exercere, & non ſpiritualem, tunc ſpiritualis dimittenda eſt. Nec tunc dimittitur maius bonum propter minus, vt ex dictis patet.

Indiget item homo aliis ſeptem eleemoſynis ſpiritualibus.

Eleemoſyna ſpiritualis præſtat corporali.

Obiectio.

Solutio.

Melius aliquando propter minꝰ bonũ prætermittendum eſt.

D

De vtilitate eleemosynæ.

QVÆSTIO SECVNDA.

Eleemosyna in charitate facta valet & ad augmentum gratiæ & gloriæ, & ad satisfaciendum pro peccatis.

Probatur I. pars.

VALET AVTEM ipsi agenti eleemosyna corporalis, non solùm ad cumulum gratiæ & gloriæ, si in charitate fiat, sed etiam ad satisfaciendum pro peccatis, & ad iram Dei placandam. Primum manifestũ est ex Matthæi 25. Vbi Christus promittit regnum cœlorum his, qui Christo opera misericordię præfata impenderint. Dicuntur autem Christo impendi, quando eius pauperibus propter Christum impenduntur, prout ait Dominus ibidem: Quod vni ex minimis his fecistis, mihi fecistis. Et Matth. 10. Quicunq; potum dederit vni ex minimis istis, calicem aquæ frigidæ, tantùm in nomine discipuli, amen dico vobis, non perdet mercedem suam. Ecclesiastici 29. etiam dicitur: Eleemosyna viri, gratiam hominis quasi pupillam conseruabit. Et iterum: Perde pecuniam propter fratres, & proderit tibi magis, quàm aurum. Secundum etiam est manifestum, & ex plurimis scripturæ testimoniis; ait enim Daniel ad Nabuchodonosor: Peccata tua eleemosynis redime. Et Thobiæ 4. dicitur: Eleemosyna ab omni peccato & morte liberat, & non patietur animam ire in tenebras. Et Christus in Euangelio: Date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis. Et Iacobus in Canonica: Sicut aqua extinguit ignem, ita E eleemosyna extinguit peccatum. Quod & Ecclesiasticus dixerat: Ignem ardentem extinguit aqua, & eleemosyna resistit peccatis.

II Pars probatur.

Dubium. An eleemosyna pauperi extremè laboranti facta, sit satisfactoria?
a Ratio dubij.
b Solutio affirmatiua.
c Probatur I. II. III.

DVBITANT quidam, an eleemosyna, quam pauperi extremam necessitatem patienti aliquis elargitur, sit illi satisfactoria.[a] Cuius dubitationis ratio aperta est, quia talis eleemosyna non tam voluntate, quàm necessitate fit, cùm sit alioqui debita, satisfactio autem dicitur voluntaria redditio æquiualentis, aliâs indebiti &c.[b] Dicendum, hoc non obstante, huiusmodi eleemosynam satisfactoriam esse, nec ob id, quòd ex præcepto fit, suam perdere vtilitatem.[c] Quod patet ex his, quæ suprà in simili quæstione diximus. Et etiam, quia eleemosyna, quæ homini extremam patienti necessitatem impenditur, melior esse videtur, quàm alia, quæ extra necessitatem extremam fit. Tum, quia secunda est propter primam prætermittenda. Tum, quia omittens primam, grauiùs peccat, quàm si secundam omittat, igitur à contrario primam faciens meretur magis, quàm faciens secundam, quanquam proteruire volenti non deesset, quod ad hæc respondere posset.

Occurritur obiectioni.

Quòd enim vna propter alteram sit relinquenda, arguit, illam quæ relinquenda est, pro tunc non esse bonam, alteram verò sic. Vbi tamen ambæ simul fieri possunt, non probatur, illam esse meliorem, quæ ex necessitate fit, cùm opera de consilio videantur magis meritoria, quàm quæ de præcepto sunt, vt est communis sententia.

Quomodo intelligendum: Illud est melius, cuius oppositũ est peius.

INDE ETIAM patet aliud, quod secundò dicebatur, scilicet illud est melius, cuius oppositum est peius, non esse hoc vniuersaliter verum, quia fornicatio, quę castitati con- F iugali opponitur, peior est, quàm ea, quæ virginitati opponitur: Peius enim est adulterium, quàm stuprum. Non tamen inde fit, vt castitas coniugalis sit melior, quàm virginalis. Similiter odisse amicum peius est, quàm odisse inimicum, sed non inde sequitur, quòd diligere amicum sit melius, quàm diligere inimicum, cùm hoc secundum constet eximiæ charitatis esse. Sed de hoc vide tractatum de charitate.

Eleemosyna extremè laboranti data & meritoria est, & satisfactoria.

AD REM autem redeundo dicendum, aliud esse eleemosynam in extrema necessitate factam meliorem, aut magis satisfactoriam esse, quàm eam, quæ citra extremam fit, quod ad præsens non discutitur: Aliud verò, eleemosynam meritoriam esse, ac satisfactoriam. Et tenendum quòd sic, etiamsi ratione præcepti debeatur; quandoquidem Deus non solùm acceptare dignatur opera, quæ homo ex voluntate facit, sed etiam vitam æternam his, qui mandata eius seruauerint, frequenter in sacris literis promisit.

Aliud dubium. An eleemosyna sit vtilior ac potior ieiunio & oratione.
Solutio affirmatiua.
Ratio I. II.

AN AVTEM eleemosyna sit vtilior aut magis satisfactoria quàm ieiunium & oratio, videtur, quòd sic. Tum, quia eleemosyna in scriptura sacra tam veteris quàm nouæ legis, plùs quàm ieiunium, & oratio commendatur. Tum etiam, quia eleemosyna videtur effectum ieiunij in se continere, qui est corporis afflictio. Hæc autem dupliciter fieri potest, positiuè scilicet & priuatiuè. Primum fit per flagella, peregrinationem, & similia. Secundum verò per vigiliam, nuditatem, atque abstinentiam, in quibus & similibus, corpus

A corpus quodammodo suis voluptatibus priuatur. Cùm ergo per eleemosynam factam priuetur homo rebus suis, per quas posset corpus, si vellet, recreari, & non velit, apparet, eleemosynam de se esse corporis saltem priuatiuè afflictiuam, sicut & ieiunium. Adde, III. quòd eleemosyna vltra ieiunium addit beneficium, quod proximo fit, quod ad charitatem pertinere dignoscitur. Et simili ratione continet in se virtutem orationis, cuius finis IIII. est, à Deo aliquid optatum impetrare. Hoc autem non minùs per eleemosynam, quàm per orationem impetrari potest. Nã satis orat, qui Deo, hoc est, Dei pauperibus, aliquid donat. Vnde & inter homines ita videmus accidere, vt faciliùs per munera, quàm per preces, quæ volumus, obtineamus.

ADDE, quòd vltrà quòd eleemosyna ipsa pro agente interpellat, ipsi adhuc paupe- V. res suis precibus multam elargienti benedictionem impetrent, iuxta illud Domini: Fa- *Luca 19.* cite vobis amicos de mammona iniquitatis. Sicut econtrà pauperum maledictio solet eleemosynam negantibus euenire, iuxta illud Ecclesiastici: Ab inope ne auertas oculos tuos. Et addit: Maledicentis enim tibi in amaritudine animæ exaudietur deprecatio il- *Eccles. 4.* lius, exaudiet autem eum, qui fecit illum. Itaque Doctorum sententia hæc est, vt inter partes satisfactionis potiorem locum obtineat eleemosyna.

NEC VALET ratio quorundam, qui in oppositum arguunt, eò quòd ieiunium sit *Obiectio.* magis pœnale, quàm eleemosyna, igitur magis satisfactorium. Non, inquam, valet, quia *Solutio.*
B opera nostra de se pro peccatis satisfactoria non sunt, nisi quatenus à Deo acceptantur: Deus autem magis eleemosynam, quàm ieiunium acceptat, vt notum esse suppono, cæteris paribus.

De necessitate dandi eleemosynam.

QVÆSTIO TERTIA.

DEINDE solet dubitari, an sit necessarium, & quando eleemosynam *An sit necessa-* corporalem erogare sub pœna peccati mortalis? De necessitate qui- *rium sub pœna* dem eam erogandi, nulla videtur esse dubitatio, quin ad eam tenea- *peccati eleemo-* mur iure naturali, diuino, & humano. De naturali apparet, lex enim *synam corpora-* naturalis est, vt hæc aliis faciamus, quæ nobis in simili casu iustè fieri *lem erogare?* vellemus. In qua lege videtur Christus legem decalogi seu charitatis *Responsio affirmatiua.* fundare. Cùm autem necessitatem patimur, in qua fratris auxilio indigemus, non du- I. bium, quin iustè velle possimus, huiusmodi auxilium nobis impendi, igitur. Idem etiam *Iure naturali.* probat Richardus, quia ad legem naturæ pertinet, vt fratres diligamus, & verè, vera au- *Matth. 7.* tem dilectio non est, si in solo affectu sistat, nisi ad effectum deducatur iuxta illud Ioan-
C nis in Canonica 1. capit. 3. Filioli, non diligamus verbo, nec lingua tantùm, sed opere & veritate.

QVOD etiam sit de iure diuino, patet ex Deuteron. 15. Non deerunt pauperes in II. *Iure diuino.* terra habitationis tuæ, idcirco ego præcipio tibi, vt aperias manum fratri tuo egeno & pauperi, qui tecum versatur in terra, quod præceptum constat ad mortalia pertinere. Patet etiam ex Ecclesiastici 4. vbi dicitur: Eleemosynam pauperis ne defraudes, sed redde ei debitum suum. Vnde & Ambrosius ait: Non minoris criminis est habenti tollere, quàm cùm possis, & abundans sis, pauperibus denegare. Idem patet ex Salomone di- *Prouerb. 28.* cente: Qui despicit pauperem deprecantem, sustinebit penuriam. Et iterum: Qui obtu- *Prouerb. 21.* rat aurem suam ad clamorem pauperis, ipse clamabit, & non exaudietur. Idem etiam patet ex lege noua in parabola de Samaritano, qui alligauit vulnera, & misericordiam *Luca 10.* proximo sauciato impendit. Quam parabolam Christus adduxit & exposuit, vt significaret, quis esset noster proximus, & qualiter à nobis diligendus, & concludit: Fac tu similiter, & viues. Idem apertiùs explicuit Christus Matthæi 25. vbi docet, quòd qui erunt à sinistris, ibunt in ignem æternum, eò quòd ait Christus: Esuriui, & non dedistis mihi manducare &c. Et cùm illi obiicerent: Quando te vidimus esurientem, & non dedimus cibum? Respondit Christus: Quod vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. In quo illud considerandum, quòd, cùm pauperes membra Christi sint, quod pauperibus impenditur, Christo impendatur, & quod pauperibus denegatur, Christo denegetur. Idem apertè docet Ioannes in sua Canonica, dicens: Qui habet substantiam huius mundi, &

viderit proximum suum necesse habere, quomodo charitas Dei manet in illo? quasi dicat, nullo modo.

III. Iure etiam humano.

QVOD ETIAM sit de iure humano, necessarium eleemosynam elargiri, apparet ex Epistolis Pauli, qui non solùm diuitibus eleemosynas in subsidium pauperum fidelium iniungebat, & per seipsum eas exigebat, sed & discipulis suis mandabat, vt diuitibus præciperent, vt eleemosynas facerent, vt patet 1. ad Timoth. vltimo, dicens: Diuitibus huius seculi præcipe facilè tribuere & communicare. Apparet etiam idem ex capit. Fratrem nostrum. distinct. 86.

Aliud dubium. Quando sit necessariũ eiusmodi eleemosynam erogare.
Ex parte dãtis, bona in triplici sunt differẽtia.
Triplex item est pauperis indigentia.

ITAQVE de necessitate dandi eleemosynam, non videtur dubitandum. Dubitari tamen apud doctos solet, quando sit necessarium eam erogare. Pro quo notandum, ex parte dantis triplicia esse bona: Quædam necessaria ad sustentandam naturam sui, & familiæ suæ; Quædam necessaria ad sustentandum statum; Quædam verò, quæ nec ad hoc, nec ad illud sunt necessaria, & dicuntur superflua. Ex parte etiam pauperis est triplex indigentia, puta extrema necessitas, & citra extremam, scilicet arcta; & deniquecommunis.

I. Conclusio.

ET VT CERTA ab incertis distinguamus, non dubium est, hominem non teneri ad dandam eleemosynam de his, quæ sibi & familiæ suæ quo ad naturam sunt necessaria. Nam iuxta ordinem charitatis magis tenetur homo sibi & suis subuenire, quàm aliis, nisi illi alij adeò Reip. sint necessarij, vt nisi illis subueniatur, resp. pereat, tunc persona priuata se & sua debet periculo exponere, vt Reip. subueniat.

II. Conclusio.

NEC ETIAM est dubium, hominem non teneri ad dandam eleemosynam de his, quæ sunt illi necessaria ad statum, quando pauper non est in extrema necessitate, nec in arcta, etiamsi sit in communi, vt communis est Doctorum sententia.

III. Conclusio.

NEC ITERVM dubium est, hominem teneri ad eleemosynam erogandam de superfluis naturæ & statui, si pauper sit in extrema necessitate. Et extremam dico non solùm, quando animam illicò exhalaret, si illi non subueniretur, sed quando apparent in paupere euidentia aut nota signa, quòd si illi non subueniatur, ad breue tempus deficiat.

Duplex restat dubium.
An quis teneatur de necessariis ad naturã & statũ, subuenire pauperi extremè laborãti?
Ratio huius dubij.
Triplex casus, in quibus laudabiliter de necessariis ad statũ, eleemosyna fieri potest, secundum D. Thomã.

ESSET TAMEN nonnullum dubium, an casu, quo homo habeat necessaria ad naturam & statum, & non vltrà, & viderit pauperem in extrema necessitate existentem, teneatur de necessariis ad statum illi pauperi subuenire? Cuius dubitationis rationẽ nonnulli acceperunt. Primò ex dictis Thomæ 32. q. 32. artic. 6. Vbi cùm concludat, non esse de præcepto, sed de consilio, eleemosynam dare de necessariis ad statum, & subiungens dicat, esse inordinatè factum, si quis inconuenienter viuat, & non vt status eius exigit, vt aliis eleemosynas faciat, excipit tamen tres casus, in quibus ait, eum laudabiliter facere, qui de necessariis ad statum eleemosynas faceret. Primus, si statum mutet, puta per religionis ingressum. Secundò, quando ea, quæ sibi in aliorum eleemosynam subtrahit, de facili resarciri possunt. Tertiò, quando occurreret extrema necessitas alicuius, aut aliqua magna necessitas Reip. In quibus casibus ait, laudabile esse, facere eleemosynam de necessariis ad statum. Et ita videtur dicere, esse de consilio, in his casibus pauperi subuenire, cùm constet, primum & secundum casum de consilio esse, quibus & tertium ipse annumerat.

Ratio pro parte negatiua.

SECVNDO facit ratio, quia si necessarium esset, dare de necessariis statui, pauperi extremam necessitatem patienti, maximè ratione ordinis charitatis, qui exigit, vt salua propria vita, bona externa pro pauperibus seu indigentibus exponantur. Sed tunc sequitur, esse necessarium his, qui sunt in statu aliquo constituti, totum statum suum exponere pro paupere in extremis existente, quantumlibet magnus sit status, idq; quando non aliter posset mors pauperis impediri, nisi per præfati status amissionem.

Resolutio affirmatiua.

Probatur.

VERVM non est, quòd in præsenti dubitatione debeamus immorari, cùm certa sit Doctorum sententia, bona temporalia pro vita fratris, cùm necessitas postulauerit, exponenda esse. Nec in contrarium facit, quod ex Thoma citatum est, quandoquidem constat, ipsum hoc idem sensisse & dixisse in eadem quæstione articulo quinto, scilicet de præcepto esse, eleemosynam pauperi in extrema necessitate existenti, de necessariis ad statum elargiri, quæ dicuntur superflua respectu naturæ ipsius hominis, & familiæ sibi commissæ. Quod idem sentit & tenet in 4. Quòd autem ibidem ait, laudabile esse in illis casibus tribus, eleemosynam de necessariis ad statum facere, verissimum est, vt iacet. Non tamen inde fit, vt necessarium non sit, in aliquo ex illis casibus pauperi

Explicatur mẽs D. Thomæ.

subuenire:

A subuenire: Stat enim, vnum & idem opus laudabile esse, & de præcepto, aut necessitate fieri debere.

AD ID AVTEM, quod in ratione tactum est, dicendum, multa esse, ob quæ hi, qui in dignitate constituti sunt, excusentur, si non totum statum suum pro alicui pauperi subueniendo exponant. Tum, quia ad vni pauperi subueniendum, pauca sufficiunt. Tum, quia non ita constat diuitibus, pauperem in tanta esse necessitate, cùm id minimè inquirere teneantur. Tum etiam, quia etsi constaret, non tamen constat de negligentia aliorum, qui possunt eidem pauperi succurrere. Deinde fortè ex alia parte maiora incommoda sequerentur, si diues statum suum, & filiorum, & familiæ suæ pro vno paupere exponeret, quàm esset, permittere illum in Domino mori: Docet enim experientia, multos à statu, in quo fuerant, lapsos, vel in desperationem venire, vel furta, & rapinas committere, vel alia flagitia perpetrare, quæ saluo suo statu minimè perpetrarent.

Ad rationem negatiuæ respõdetur.

Causæ excusantes diuites ab eleemosynarum erogatione quo ad totũ statum.

QVOD AVTEM in controuersia est, de quo etiam Doctores varia senserunt, hoc est, an homo habens superflua naturæ & statui, teneatur de præcepto, & sub pœna peccati mortalis eleemosynam facere, etiamsi pauperes in extrema necessitate non existant. De qua quæstione non parua solet in his scholis esse contentio.

II. Dubium. An quis teneatur de superfluis naturæ & statui erogare eleemosynã pauperibus etiam non extremè laborantibus?

[a] PRO AFFIRMATIVA parte videtur facere [b] B. Thomas, qui in 4. sententiarum,
B dist. 25. agens de eleemosyna, art. 1. ait: Tempus, quo homo tenetur de præcepto eleemosynam facere est, ex parte recipientis, si sit in extrema necessitate; ex parte verò dantis, si habeat superflua naturæ & statui, etiamsi pauper non sit in extrema necessitate.

a Rationes affirmantes.

I.

b Ex auctoritate Doctorum.

FACIT ETIAM Alexander de Hales in 3. parte, quæst. 65. vbi apertè videtur dicere, quòd in duobus casibus peccet mortaliter diues, qui eleemosynam non dat. Vnus est, si videt, pauperem esse in extrema necessitate: Alter est, si non sit in extrema, sed in arcta, & notabili necessitate; diues autem in bonis abundet.

EIVSDEM sententiæ videtur Nicolaus de Lyra, super illud Ioannis in Canonica: Qui habet substantiam huius mundi, & viderit, proximum suum necesse habere &c. Vbi ait, in eisdem duobus casibus esse necessarium eleemosynam dare. Cum eisdem tenet Conradus q. 19. Cum eisdem Richardus in 4. Et post eum Angelus de Clauasio, verbo, eleemosyna. Cum eisdem tenet Dionysius Carthusianus super Canonicam Ioannis suprà citatam, qui dicit, necessitatem pauperis, cui de præcepto est succurrendum, extendendam esse non solùm ad casum extremæ necessitatis, sed etiam ad necessitatem citra extremam, notabilem. Nec dubito, plures alios Doctores tam veteres, quàm recentiores, eiusdem fuisse sententiæ.

SECVNDO facit pro eadem sententia decretum Hieronymi, & habetur 42. dist. c. 1. vbi ait: Aliena rapere conuincitur, qui vltra necessaria sibi retinere probatur. Vnde colligitur, non posse hominem superflua naturæ & statui retinere, nec minùs eum retinen-
C do peccare, quàm si aliena arriperet. Facit ad idem decretum Ambrosij, & habetur dist. 47. ca. Sicut. vbi inter multa alia egregiè dicta, ait: Nemo dicat proprium, quod commune est: quod plus, quàm sufficit ad sumptus, violẽter obtentum est. Et addit: Nec enim minus est criminis, habenti tollere, quàm cùm possis & abundans sis, indigentibus denegare, Esurientium panis est, quem tu detines; Nudorum indumentum est, quod tu recludis. Tantorum ergo te inuadere scias bona, quantis possis præstare quod velis. Consonat his etiam Basilius dicens: Est panis famelici, quem tu tenes: nudi tunica, quam con seruas: discalciati calceus, qui apud te marcescit, indigentis argentum, quod possides inhumatum. Quocirca tot iniuriaris, quot dare valeres. Facit & beatus Augustinus ad Macedonium, & habetur 14. q. 4. Quid dicam, dicens, nonne omnes, qui sibi videntur gaudere conquisitis, eisque vti nesciunt, alienum possidere conuincimus? Hoc enim certè alienum non est, quod iure possidetur: hoc autem iure, quod iustè, & iustè, quod bene. Omne igitur, quod malè possidetur, alienum est, malè autem possidet, qui malè vtitur, &c. Hæc ille.

II. Ex auctoritate Patrum.

TERTIO pro eadem sententia faciunt scripturæ testimonia, ait enim Christus: Nemo potest duobus Dominis seruire. Et sequitur: Non potestis seruire Deo, & mammonæ. Seruiunt autem mammonæ, qui diuitias custodiunt superfluas, nec eas his, quos indigere viderint, volunt erogare. Ait etiam: Difficile est diuites ingredi in regnum cœlorum. Et iterum: Facilius est camelum ingredi per foramen acus, quàm diuitem ingredi

III. Ex dictis Christi.

Matth. 6.

Matth. 19.

regnum Dei. In quo notat Theophylactus, id quod difficile esse dixerat, esse idem, quod impossibile, quandoquidem impossibile est, camelum per foramen acus transire. De his autem diuitibus ait hoc esse intelligendum, qui diuitias superfluas retinent, cùm alij non vel necessaria habeant. Dixit iterum Christus: Quod superest, date eleemosynam. D

Lucæ 11. Vbi Beda ait, quòd hìc iubeamur superflua pauperibus erogare. Facit etiam quod dixit Matthęi 25. Esuriui, & non dedistis mihi manducare; Nudus fui, & non operuistis me &c. Propter quod concludit, illos in ignem æternum ituros. Quòd autem non loquatur solùm in casu extremæ necessitatis, inde apparet, quia indumentum non tale est, sine quo pauper viuere non possit. Visitatio etiam, qua quis visitat incarceratum, non est illi ad vitam adeò necessaria, vt sine illa viuere non possit, si alimenta alioqui necessaria, illi nõ desint, & tamen inter eos, qui ad ignem damnandi sunt, connumerat homines, qui incarceratos, aut infirmos non visitant. Similiter & eos, qui hospites, aut peregrinos non colligunt, cùm tamen sine hospitio possint quàm plures peregrini, aut hospites viuere.

1 ad Timot. vlt. Facit etiam quod ait Paulus: Diuitibus huius seculi præcipe facilè tribuere, & communicare. *1. Ioan. 3.* Similiter facit, quod ait Ioannes, vt suprà citatum est: Qui viderit, fratrẽ suum necesse habere, habens substantiam, huius mundi, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo? Quæ omnia videntur procedere non de extrema necessitate tantùm, sed de arcta quoque aut notabili.

IIII. QVARTO pro eadem sententia facit ratio, quia multa sunt, quibus homo indigere potest, quibus si de facto indigeat, tenemur ea, cùm possumus, illis ministrare, etiamsi non extremè indigeant, sed pateat eis alia via necessitatem illam euadendi, igitur tenentur diuites superflua extra extremam necessitatem erogare. Antecedens patet, de correctione fraterna, quam tenemur fratribus delinquentibus impendere, vt reducantur, cùm tamẽ ipsi per se possint sine nostra correctione reduci. Idem patet, si frater habeat, quæ sibi sufficiunt, & asinus eius in via sub onere cadat, me transeunte, & iuuare potente, teneor ei succurrere, & auxilium meum eidem impendere, etiamsi absque asino & onere eius habeat, vnde ipse & familia eius possint sustentari. Assumptum patet ex illo, quod habetur Exod. 22. Si videris asinum odientis te iacere sub onere, non pertransibis, sed subleuabis. Idem patet de eo, qui furti conscius est, & quærente possessore non indicat. De quo ait Hieronymus, quòd non minùs reus sit, quàm ipse fur, vt habetur de furtis, cap. Qui cum fure. &c. Et procedit, etiamsi huiusmodi furti indicatio non sit extremè necessaria ipsi possessori. Ad hunc modum possent alia exempla ad propositum allegari. E

V. QVINTO facit alia ratio, quia si Petrus rem aliquam à Ioanne furatus est, & eam retinet ad sui indigentiam subleuandam, cùm Ioannes eadem re non similiter indigeat, non tenetur rem illam in conscientia Ioanni restituere interim, dum ea notabiliter indiget. Cuius ratio solet assignari, quia in casu Petrus non retinet alienum inuito Domino, sed potiùs ipso consentiente, si non actu elicito, saltem debito. F

EX QVO arguitur. Si Dominus in casu actu debito consentit, sequitur, quòd stante eadem Petri indigentia, debuisset Ioannes illam rem vel donare, vel mutuare, vel commodare eidem Petro; non enim minùs tenetur Ioannes Petro indigenti succurrere, rem suam illi dando, quàm in rei suæ retentione consentiendo. Et procedit ratio in casu, quo etsi re illa Petrus notabiliter indigeat, non tamen extremè, ita vt sine illa viuere non possit.

IDEM DICI solet in casu, quo debitor longè distat à creditore, ad quem si rem debitam deportaret, notabile damnum pateretur debitor ipse. Tunc dicunt, posse debitorem hunc rem debitam apud se retinere, quia Domino consentiente, actu debito eam retinet, ne scilicet in rei restitutione damnum illud notabile patiatur, etiamsi talis alioqui habeat, quæ sibi ad vitam sunt necessaria.

II. Sententia. Extra necessitatem extremam consilij quidem esse erogare eleemosynã pauperibus de superfluis non tamen esse præcepti, saltẽ sub mortali.

Argumentum I. ab auctoritate Doctorum.

ALII VERO aliter sentiunt, & mitiùs in fauorem diuitum loquũtur dicentes, eleemosynam non esse de necessitate sub pœna peccati mortalis erogandam, etiamsi homo abundet, vbi aut quando non occurrit pauper extremam necessitatem patiens, extra quam, consilium est, eleemosynam facere, aut saltem non est mortale, eam non facere. Pro hac sententia videtur facere Thomas 22. q. 32. significans (vt multis eum interpretari libet) quòd duo requiruntur ad hoc, vt eleemosyna sit de præcepto. Vnum ex parte dantis, scilicet vt habeat superflua. Alterum ex parte recipientis, scilicet vt sit in

A extrema necessitate. Addit, alias eleemosynas de consilio esse. Facit & Alexander de Hales, parte 4. q. 113. vbi dicit, quòd qui abundat, teneatur sub pœna peccati mortalis subuenire patienti extremam. Secundò dicit, quòd non teneatur de rigore iustitiæ alicui extra extremam subuenire, sed de bono & æquo. Tertiò dicit, quòd illis, qui communem patiuntur indigentiam, vt sunt mendicantes ex consuetudine, nisi in eis appareat notabilis necessitas, non sit demeritorium, eleemosynam non facere. Adde, quòd cùm ait, illum qui abundat, peccare mortaliter, si extremam patienti necessitatem non subueniat, non omnino id affirmet, sed opinando id dicat, ait enim: Ille mortaliter peccat, vt opinor.

FACIT ETIAM Gerson, qui in regulis. moralibus ait: Nemo tenetur de bonis suis, etiam superfluis naturæ & personæ, sub pœna peccati mortalis, eleemosynam facere, nisi grauis necessitas alteri, ipso præsumere debente quòd alius non succurret, immineret.

QVOD AVTEM per illam grauem necessitatem intelligat extremam, apparet, quia statim addit rationem dicti, subiungens: Necessitas enim extrema proximi præferenda est soli decentiæ proprij status, quantò magis superfluitati.

HOC ETIAM dicit idē Gerson, parte 2. alphabeto. 32. litera O. cùm de auaritia tractat, dicens licitum esse superflua naturæ & statui retinere, vbi nō occurrit pauper in periculo mortis. Et confirmat ibidem regulam, scilicet; Tunc est mortale peccatum, eleemosynam non dare, quando homo abundat, & occurrit pauper in periculo mortis, nec videtur, quomodo ei succurratur per alium. Hæc ille.

B

FACIT ETIAM Durandus, qui hanc quæstionem tractās ait; Non est dubium, quin teneatur is, qui abundat, de necessitate subuenire pauperi in extrema necessitate existenti. An autem teneatur de superfluis subuenire pauperi citra necessitatem existenti, ait: Non audeo dicere, ne condemnem tantam multitudinem diuitum. Cui dicto Durandi, Florentinus in 2. parte cùm de eleemosyna tractat, vbi & Durandum citat, minimè contradicit.

FACIT ET Panormitanus cap. Si vero. de iureiurando. qui putās se Doctori sancto conformare, ait, illam eleemosynam esse necessariam sub pœna peccati mortalis, quæ fit de superfluo ei, qui est in extrema necessitate, alias verò eleemosynas esse de consilio.

FACIT ET Baptista, verbo, eleemosyna, capit. 1. specialiùs verò & clariùs verbo, mutu. &c. dicens, extra extremam necessitatem non esse mortale, eleemosynam non facere, alioqui quàm plures diuites essent damnandi, similiter & confessores, qui illos absoluerent.

FACIT DENIQVE Gabriel & Maior, aliique recentiores Theologi docti satis ac timorati. Hos Doctores in hac quæstione citare pro vtraque parte libuit, quia hos, quos videre potui, domi ad manus habebam, sed & ab his citandis abstinuissem, nisi contentionem grauem inter quosdam super hac quæstione motam intellexissem. Non igitur temerè, qui velit, huic postremæ sententiæ adhærebit, quæ tot virorum authoritate fulcitur. *Non caret probabilitate hæc secunda sententia.*

C

PRO QVA sententia etiam facit ratio, quia non tenetur homo magis fratri subuenire, quàm frater ipse sibiipsi, sed inops non tenetur sibiipsi plus victus & vestitus procurare, quàm sit sibi ad vitam necessarium, cùm sibi liberum sit, omnia bona huiusmodi abdicare, & in paupertate etiam arcta viuere, quod non modò licitum, sed valde laudabile est, iuxta dictum Christi: Si vis perfectus esse, vade, vende omnia, quæ habes, & da pauperibus. Et iuxta dictum Pauli: Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus &c. igitur. *Argumentū II. pro eadem sententia.* *Matth. 19.* *1. Ad Tim. 6.*

DEINDE, non videtur rationabile dicere, quòd teneamur sub pœna peccati mortalis procurare extraneo, vt bene illi sit, sed vt sit, & viuat: Non eñ tenemur, etsi possimus, proximis statum aliquem, aut dignitatē, aut diuitias procurare, sicut nec ipsi nobis. Igitur si homo sit extra necessitatem extremam, habens scilicet, vnde seipsum possit sustētare, & eos, qui sibi comissi sunt, reliqua, quæ illi erogari possunt, non erunt illi necessaria vt sit & viuat, sed vt meliùs illi sit, & abundantiùs aut lautiùs viuat. III.

DEINDE non est de præcepto sub pœna peccati mortalis danda eleemosyna, nisi homini ea indigenti, homo autem habens, vnde possit se & suos sustentare, non propriè dicitur aliorum bonis indigere, ex quo sine alienis bonis viuere potest, & ita si indiget, non eis indiget absolutè, sed conditionaliter, vt scilicet meliùs illi sit. IIII.

V. PRAETEREA si ita esset, vt prima sententia prætendit, quòd scilicet in duobus casibus esset necessarium, eleemosynam facere, scilicet quando est homo in extrema necessitate, & etiam ea seclusa, quando habet homo superflua naturæ & statui, quia talia superflua non sua ipsius diuitis possidentis sunt, saltem quo ad vsum, sed aliorum indigentium, etiamsi in extrema necessitate non sint, sequeretur, quòd diuites superflua huiusmodi habentes, non possent monasteria, Ecclesias, aut alia honesta ædificia facere, nec capellas dotare, si ita esset, quòd talia essent de necessitate pauperibus eroganda. D

Absurda quadã ex prima sentẽtia inferuntur.

I.

II. SEQVERETVR etiam, quòd tales diuites nõ possent de superfluis aliquem statum, aut dignitatem sibi & suis procurare, si omnia, quæ naturæ & statui præsenti superflua sunt, essent de necessitate pauperibus danda, nec sua ipsorum possidentium essent, sed pauperum.

III. SEQVERETVR etiam, quòd quàm primùm homo perueniret ad talem fortunam, vt haberet vnde naturam & personam posset competenter sustentare, peccaret mortaliter, negotia vlteriùs exercendo, vt lucraretur, quia non minùs peccatum est, diuitias acquirere, quàm eas retinere. Et sicut qui superflua retinet, aliena retinere probatur, ita qui superflua acquiret, aliena rapere conuincetur, & ita erit peccatum & mortale.

IIII. SIMILITER sequitur, quòd etiam erit mortale vltra ea, quæ decent statum vniuscuiusque, alia bona etiam donata accipere, quia erunt superflua. Aut etiam si iure hæreditario alicui debeantur, qui sufficientia habet, peccaret ea accipiendo, quia aliena acciperet in casu. Nisi fortè hos omnes velis excusare, dicendo, quòd illa bona sibi superflua possint acquirere & accipere hoc animo, scilicet vt ea pauperibus erogent, quia Sancti non tam superfluorum acquisitionem, quàm eorum retentionem damnare videntur. Verùm in hoc idem iudicium est de acquisitione & retẽtione, vtrumque enim potest ob malum finem fieri, similiter & ob bonum. Sed sicut potest aliquis superflua acquirere ad alium finem bonum, qui non sit pauperum subuentio, ita & superflua possunt ad similem finem bonum retineri. Ex fine igitur est de acquisitione & retentione superfluorum iudicandum, nam per se nec bonum, nec malum est, sed ad vtrumq; indifferens. E

Diluitur obiectio quadam.

I. Conclusio authoris.

De superfluis naturæ & statui subueniendum est pauperi extremè vel quasi laborãti, si alij eidem non subueniant.

QVOD AVTEM mihi in hac contentione tenendum videtur, hoc est, scilicet quòd de superfluis naturæ & statui necessarium sit subuenire pauperi, extremam, vel quasi necessitatem patienti, si nobis de necessitate huiusmodi, quodque non sint alij, qui tali pauperi velint aut possint subuenire, sufficienter constet. Et cùm dico, vel quasi, intelligo notabilem & arctam necessitatem, etsi extrema non sit, sed tanta, vt nisi illi subueniatur, sit verisimile, quòd notabiliter vita illius abbreuiabitur, aut aliquã ægritudinem notabilem incidet. Hanc puto esse necessitatem, cui Sancti & Scriptura sacra iubent subuenire, etiam sub pœna peccati mortalis, cui non solùm de superfluis statui succurrendum est, sed etiam de superfluis naturæ.

II. Conclusio.

Pauperib⁹, qui communem patiuntur tãtùm necessitatẽ, non est sub pœna peccati de superfluis naturæ & statui subueniendum.

Quatenus diuites peccent aut non peccẽt eiusmodi superflua retinentes.

Auarus seruus est diuitiarum suarum.

Ad Ephes. 5.

VIDETVR SECVNDO, quòd extra hanc extremam necessitatem vel quasi, etiamsi pauperes communem patiantur necessitatem, non sit necessarium sub pœna peccati mortalis de superfluis naturæ & statui illis subuenire, sed possint diuites superflua retinere, modò in bonum finem ea reseruent, siue vt melior opportunitas pauperibus succurrendi se offerat, siue alia pia causa, quæ in gloriam Dei, & in viuorum, aut defunctorum salutem æternam cedat, siue Reipublicæ necessitas aut vtilitas ea reseruare suadeat. Nec ob id damnandum esse arbitror, si quis talia superflua retineat, ad acquirendum sibi, aut suis honorem, dignitatem, aut statum aliquem, quem solent homines licitè & honestè prætendere, modò scienter cura pauperum, extrema, vel quasi, necessitate laborantium, non prætermittatur. Si tamen diuites huiusmodi, superflua vel acquirant, vel retineant, non alium finem prætendentes, quàm abundare, & diuitias augere, & eas recondere & custodire, nil de pauperibus curantes, non tam in diuina largitate, quàm in suis diuitiis fidentes, hos nemo est qui excuset, nemo qui non damnet. Hi sunt auari, non tam domini, quàm serui suarum diuitiarum, quorum auaritiam Paulus ad Ephesios scribens, idololatriam dicit, & Dominus seruitutem mammonis esse dicit. Quæ autem de huiusmodi auaris scripta sunt, referre non oportet, cùm multò plura sint, & peiora, quàm quæ pro priore sententia sunt allegata. Sequitur iam, solam superfluitatem naturæ & statui non sufficere ad hoc, vt abundans teneatur sub pœna peccati mortalis superflua pauperibus erogare. F

SECVN-

A SECVNDVM hæc poteſt ad rationes ſeu fundamenta prioris ſententiæ reſponderi. Ad primum ex Doctorum authoritate ſumptum, dicendum, illos fuiſſe illius ſententiæ, quibus econtrà alios totidem, & fortè plures obiecimus, qui mitiorem ſententiam defendunt. *Reſpõdetur ad rationes primæ ſententiæ. Ad I.*

QVANQVAM vnum eſſet, quod hîc difficultatem faceret, an ſcilicet Thomas fuerit prioris an poſterioris ſententiæ, cùm pro vtraq; ſoleat citari. Puto eum à noſtra, quam poſtremò poſuimus, ſententia parum differre. Et quamuis Caietanus doctè & ſubtiliter ſenſum & mentem Doctoris ſancti ex multis ſuæ doctrinæ paſsibus collegerit, non tamen adeò clarum eſt, ex mente eius colligi ſolã ſuperfluitatem naturæ & ſtatui ſufficere, vt ſub pœna peccati mortalis teneatur diues ea, quæ ſuperſunt, pauperibus erogare, vbi pauperes ſolam communem neceſsitatem patiantur. *Cuius ſentẽtiæ fuerit D. Thomas pro vtraq; ſentẽtia allegatus.*

QVOD ſi in 4. videatur dicere, quòd ſic, crederem, id procedere caſu, quo in alias pias, aut neceſſarias cauſas diues ille ſua ſuperflua non reſeruârit. Maximè, cùm in quolibet videatur ſignificare, ciuitatem non poſſe tutè ſuperflua reſeruare, quæ nec tenetur huic vel illi pauperi ea erogare, ſecluſa extrema neceſsitate, ſed ſibi liberum eſſe, quibus pauperibus velit, ea diſtribuere. In quo innuit, talia ſuperflua nulli pauperi in caſu eſſe debita, ac proinde abſque alicuius pauperis præiudicio, poſſe talia bona in alias pias cauſas expendi.

B QVOD autem dixit 2. 2. aliquid requiri ex parte dantis, ſcilicet ſuperfluitatem, aliquid verò ex parte recipientis, ſcilicet extremam neceſsitatem, non eſt tam euidens, ſic accipiendum eſſe, vt Caietanus illud accipit, ſcilicet diuiſiuè, imò videtur, quòd collectiuè ſit accipiendum, & ambo ſimul debere concurrere, ſcilicet ſuperfluitatem ex parte dantis, & neceſsitatem extremam ex parte recipientis, ad hoc vt eleemoſyna facta alicui determinato pauperi ſit de præcepto, & ſub pœna peccati mortalis facienda. Illic enim non loquitur apertè de ſuperfluo ſtatui, ſed de ſuperfluo naturæ ipſius dantis, & eorum, qui illi commiſsi ſunt, quod ſuperfluum ait eſſe neceſſarium perſonæ. Et de eleemoſyna de huiuſmodi ſuperfluo alicui facienda, videtur illic procedere. Et verum eſt, quòd ait, ambo eſſe ſimul neceſſaria, vt talis eleemoſyna ſit de præcepto, idq; ait in corpore quæſtionis. Non enim concederet Caietanus, quòd de reſiduo naturæ ſui & ſuorum, quod eſt illis neceſſarium perſonæ (de quo Thomas loquitur) ſit de præcepto dare eleemoſynam, niſi in recipiente ſit extrema neceſsitas, vt ait Thomas. Nec opus erat de ſuperfluo perſonæ apertè loqui, quia cognito quòd de ſuperfluo naturæ ſit neceſſarium eleemoſynam facere, ſufficienter ſequitur, eſſe idem neceſſarium de ſuperfluo perſonæ. Quòd ſi velis, eum loqui de ſuperfluo etiam ſtatui, idem dicendum, ſcilicet quòd ad hoc, vt eleemoſyna ſit de neceſsitate facienda alicui determinato pauperi, vltra ſuperfluitatem ex parte dantis, requiratur ſimul extrema neceſsitas, vel quaſi, ex parte recipientis. Vnde ſicut ſola neceſsitas extrema pauperis non ſufficit, vt homo teneatur illi de præcepto ſub-

C uenire, niſi in dante ſit ſuperfluitas, ita ſola ſuperfluitas nõ eſt ſufficiens, vt homo teneatur ſub pœna peccati mortalis alicui eleemoſynam dare, niſi in recipiente ſit extrema neceſsitas, vel quaſi. De vtroq; enim in re hac pariter videtur loqui, ſcilicet quòd ſit neceſſaria ſuperfluitas in dante, & neceſsitas extrema in recipiente. Et tunc non habet locum commutatio eleemoſynæ in alias cauſas pias volũtarias, quemadmodum haberet, ſi pauperes extrema, vel quaſi neceſsitate laborantes non occurrerent.

SI CVI tamen cum Caietano placeat dicere, quòd Doctor ſanctus in loco citato, articulo, ſcilicet 5. non copulatiuè, ſed diuiſiuè loquatur, non contendo. Quod enim mihi videtur, hoc eſt, vt dixi, quòd non obſtante, quòd vera eſſet Caietani ſententia, ſcilicet ſolam ſuperfluitatem ſine extrema neceſsitate ſufficere ad hoc, vt eleemoſyna ſit ſub pœna peccati mortalis facienda, id tamen ex dicto articulo 5. non videtur apertè ſequi.

AD SECVNDVM ex authoritatibus Hieronymi, Ambroſij, Baſilij, & Auguſtini citatum, dicendum, quòd loquantur contra auaros, qui nil de pauperibus curantes, diuitias ſuperfluas retinent, & his qui indigẽt extremè vel quaſi, non elargiuntur. Quòd autem circa hanc extremam vel quaſi neceſsitatem non loquantur, ex dictis patet, quia tũc non eſſet diuitibus licitum, illa ſuperflua in cauſas valde pias expendere, vt ſuprà arguebatur, quod ſuppono falſum. Nec eſſet licitum de ſuperfluis ſtatum vel dignitatem aliqui emibilem emere, quod non eſt qui dicat. Igitur quando hi Sancti dicũt, quòd diuites ſuper- *Ad II.*

superflua retinentes aliena rapiant, & non sua, sed quæ aliorum sunt, detineant, procedit, quando pauperum tanta est necessitas, vt illis talia bona debita sint, quod extra extremam vel quasi, locum non habet, vt si solùm communem patiantur necessitatem, quia tunc non propriè dicuntur pauperes diuitum bonis indigere, cùm possint sine illis vitam transigere. D

Ad III. AD TERTIVM ex dictis Christi sumptum, dicendum, quòd Christus non damnat nisi eos, qui diuitiis seruiunt, quales sunt, qui eas recondunt & custodiunt, quasi propter se expetibiles essent, nec illis ad proximorum indigentias releuandas, vt deberent, vti volunt. Itaq; contra auaros loquitur, qui de diuitiis, non de pauperibus quauis necessitate pressis, curant. De eisdem etiam accipitur, quod dixit, non posse diuites ingredi regnum Dei, quales sunt, qui totum suum aut principalem affectum in diuitiis collocant, quę tamen non propter se, sed propter proprias & communes hominum indigentias essent quærendæ. Quod autem dixit Lucæ 11. Quod superest, date pauperibus &c. faciliùs soluitur, quòd id Christus nõ absolutè aut præceptiuè dixit, sed potiùs remediũ salutare docuit, per quod peccatores remissionem possent cõsequi peccatorum. Nam ait: Quod superest, date pauperibus, & omnia munda sunt vobis. Nec hoc posuit tanquam præcisum & vnicum remedium ad remissionem peccatorum necessarium, quãdoquidem alia plura remedia ad id valeãt, sed hoc vnicè commendauit, eò quòd multis modis ad satisfaciendum valeret, vt ex dictis patet. Quod etiam dixit Matthęi 25. procedit semper cõtra auaros, qui cùm fratrum indigentiam notabilem agnoscant, charitatis viscera, quæ illis aperire deberent, inhumanè claudunt. Et ita de aliis dicatur. E

Quosnam diuites reprehenderit Christus.

Ad IIII. AD QVARTVM, quod petit hanc difficultatem, an semper teneamur proximo operam nostram impendere ad vitandum damnum ipsius, siue animæ, siue corporis, siue honoris, aut rerum &c. dicendum, proximum illum aliquando non habere potestatem, nec voluntatem, suum proprium damnum vitandi; Aliquando potestatem habere, sed non voluntatem; Aliquando verò potestatem simul & voluntatem. Si proximus potestatem habet, si velit, suum damnum euitandi, simul & voluntatem, tunc non indiget opera nostra, nec tenemur ei ad præfatum finem subuenire. Si autem potestatem non habet, qua possit sine opera nostra à damno illo liberari, & nos eum liberare possumus, tenemur ei subuenire, alioqui meritò damnum illud nobis veniret imputandum, iuxta dictum Symmachi: Mortem videtur languentibus infigere, qui hanc, cùm potest, non excludit. Pro quo etiam est Ambrosius lib. 1. de officiis, & habetur 23. quæst. 3. cap. Non inferenda. Qui non repellit à socio iniuriam, si potest, tam est in vitio, quàm ille qui facit. Si etiam potestatem habet ipse, suum damnum vitandi, & non voluntatem, nos autem possumus eum à damno illo eripere, tenemur ei operam nostram, si commodè possumus, impendere. Inde est, quòd tenemur fratrem delinquẽtem corrigere, ne labatur, aut si lapsus sit, ne perseueret, etiamsi ipse per se potestatem habeat non cadendi, voluntatem autem non habeat, idque quando per operam nostram eius salus speratur euentura. Inde est, quòd si proximus desperatus velit se in fluuium proiicere, & possimus nos nostra opera illum, etiam inuitum ne pereat, impedire, tenemur, quamuis ipse per se potestatem haberet non se proiiciendi. F

Proxim⁹ noster tripliciter habere potest propositũ aliquod damnum vitãdi: & quando illi subuenire debeamus.

I.

II.

III.

Obiectio. SI DICAS, non tenemur proximo subuenire, nisi quando ipse opera nostra indiget, si autem proximus in se potestatem habet illa damna vitandi, iam opera nostra non indiget. Dicendum, duobus modis proximũ dici opera nostra indigere. [a] Vno modo, quando opera nostra est illi necessaria, sine qua scilicet damnum euitare non poterit, & tunc indiget opera nostra defectu potestatis. [b] Alio modo, quando opera nostra, etsi necessaria illi simpliciter non sit, posito tamen, quòd ille potestate sua vti non velit, est necessaria ei opera nostra, ex suppositione, & est causa, sine qua non vitabitur damnum, non sine qua vitari non potest, & tunc indiget opera nostra, defectu voluntatis. Et ita siue opera nostra sit necessaria simpliciter, vt damnum euadat, siue secundùm quid ad sensum dictum, est necessarium nostram operam illi impendere, ne nostra negligentia illius damni causa simus. Et per hoc patet, vera esse exempla in argumento posita, sed non inde sequitur, quòd diues teneatur bona sua dare pauperi communem tantùm necessitatem patiẽti, eò quòd tunc pauper ille potestatem habet sibi de necessariis prouidendi simul & voluntatem, non enim præsumendum est, quòd volet à necessariis abstinendo perire.

Responsio.

Duobus modis indiget proximus opera nostra.

a I.

b II.

AD QVIN-

A Ad qvintvm, in quo quæritur, an Ioannes debeat consentire in hoc, vt Petrus rem Ioannis detineat, supposito quòd Ioannes re illa nullatenus indigeat, dicendum, quòd vel Petrus indiget re illa ad aliquid necessarium naturæ; & fateor, quòd debeat Ioannes in hoc consentire, si aliter huiusmodi necessarium procurare non possit. Aut Petrus indiget re illa ad vitandum damnum aliquod notabile, quod non aliter euitare potest; & fateor etiam, Ioannem debere consentire, & in vtroque casu rem exigendo, & de manu Petri auferēdo, peccaret mortaliter, sicut peccaret, si in tali necessitate illam rem non traderet Petro ad eius necessitatem releuandam. Si autem Petrus re illa indiget ad aliquid, quod est ei ad statum suum necessarium, tunc deberet Ioannes similiter consentire, sed non sub pœna peccati mortalis, vt puto, sed tantùm venialis, idque si nullum damnum Ioanni eueniat ex rei suæ detentione. Si autem Petrus indiget præfata re ad lucrum aliquod acquirendum pręcisè, tunc Ioannes non debet in tali retentione consentire, sed rationabiliter dicitur in casu inuitus. Similiter dicatur de alio exemplo, ibidem posito.

Ad V. Respōdetur primò ad casum in eodem argumēto allatum.

Iam ex his patet, argumētum non probare intentum suum, sed hoc solùm, quòd si Ioānes in nullo indigeat re illa, sibi omnino superflua, & Petrus ea indigeat ad necessaria naturæ, aut ad vitandum aliquod notabile damnum suum, teneatur Ioannes rem illam tradere, vel donando, vel mutuando ipsi Petro, idque sub pœna peccati mortalis.
B Si autem Petrus ad nullum tale re illa indigeat, sed ad conseruationem sui status, tenetur sub pœna peccati venialis ad summum rem illam eidem Petro tradere. Si autem ea ad solum lucrum indigeat, nullum est peccatum, vt videtur, eam illi non dare. Ac proinde si pauper sit in necessitate communi tantùm, non video, quòd Ioannes teneatur rem suam sibi superfluam Petro tradere sub pœna peccati mortalis, ex quo nec illi est res illa necessaria naturæ, nec ad damnum aliquod notabile vitandum, vt pono. Et per hoc patet ad quæstionem.

Solutio eiusdē argumenti.

Verum etsi hæc in genere dicta sint, & verè: si tamen ad casus particulares descēdatur, non facile est, sed nimis difficile, quis cui, & quantum teneatur elargiri sub pœna peccati mortalis, eò quòd incertum sit, per quid necessaria à superfluis distingui possint. Incertum etiam est, quæ, & quanta necessitas in paupere seu in recipiente requiratur, quantum etiam sit vnicuiq; ad naturæ vel status sustentationem necessarium. Incertum etiam est, veram esse aut simulatam necessitatem, quę solet in pauperibus apparere. Et si vera sit, non satis certum est, alios diuites adeò auaros esse, vt in nullo velint tali pauperi subuenire. Multaque alia incerta sunt, ob quorum ignorantiam non sunt facilè diuites condemnandi, si eleemosynas de superfluis non faciant. Secùs si certitudo superfluitatis simul & necessitatis aut indigentiæ haberetur, in qua re non dicerem, diuites debere sollicitos esse ad inquirendū, quis quanta necessitate laboret, vt teneatur eidem subuenire, nisi fortè prælati sint, quibus specialis pauperum cura incumbit. De quibus aliâs.

Resolutio huius quæstiōis difficilior est in particularibus casibus.

Non sunt facilè diuites condemnādi si de superfluis eleemosynas non erogent.

C

De quibus bonis sit eleemosyna facienda, & à quibus personis.

QVÆSTIO QVARTA.

Alivd occvrrit dubium, scilicet an eleemosyna sit agenda pręcisè de bonis propriis, an possit etiam de alienis fieri, similiter & de communibus. Quòd enim de propriis fieri possit, non est dubitandum, maximè, si ipsorum bonorum administratio, domino ipsi conueniat; secùs aliâs. Quod dico propter mente captos, & minores, qui etsi domini rerum sint, liberam tamen rerum administrationem non habent. Sed nec alij, quorum bona ob causam aliquam sunt confiscata, possunt eleemosynam facere extra casum extremæ necessitatis, quemadmodum nec donare possunt, nec alienare, hi saltem, quorum bona ipso facto sunt confiscata, quales sunt hæretici, qui à die commissi criminis, priuantur rerum suarum dominio, etiamsi per homines non sit in eos lata sententia. Quanquam ad hoc, vt rebus suis actu priuentur, iudicis sententia opus sit, cap. cùm secundum. de hæret. lib. 6. Imò generaliter quandocunq; bona alicuius ipso iure, seu facto cōfiscantur, aut alia pœna ipso facto delinquēti iure infligitur, est necessaria sententia, saltem qua declaretur, hominem illum tale, vel tale delictum perpetrasse.

An eleemosyna fieri possit de bonis tam propriis quàm alienis, et etiam communibus?

Resolutio affirmatiua de bonis propriis.

Quorū bona cōfiscata sunt, nō possūt de iis nisi extreme laborātibus eleemosynas erogare.

Exce-

EXCEPTIS pœnis, quæ secum trahunt executionem, vt est excõmunicatio, quam D homines sæpe ipso facto sine vlteriori declaratione in conscientia incurrunt. Alioqui facilè daretur occasio cupidis iniustè multos homines expoliandi, eos pœnam iuris ipso facto incurrisse prętendentibus. Nec obstat cap. pro humani. de homicidio li. 6. vbi statutum est cõtra Assasinos & eorum fautores, eos amissionem omnium bonorum, & alias pœnas ipso facto incurrere, ita vt ex quo de delicto probabilibus documentis constiterit, nulla alia sententia requiratur, quia hoc intelligitur de sententia condemnatiua, non de ea, quæ declaratiua est.

Quare ad confiscanda actu bona alicuius, iudicis sententia requiratur.

REFERT TAMEN, lege contra aliquem delinquentem cautum esse, vt bona sua publicentur seu confiscentur, aut vt ipso facto sint confiscata. Si primum, vt in his, qui capitale crimen commiserunt, tales ante sententiam latam poterunt bona sua retinere, & eisdem vti, & eleemosynas facere, & ea alienare, & tenebit alienatio, vt ait Innocent. cap. quia propter. de electio. Si secundum, vt est in crimine læsæ maiestatis diuinæ & humanæ, poterit delinquens bona possessa retinere, & eisdem ad sui & suorum sustentationem, ante sententiam latam vti, ea tamen alienare non poterit, nec donare, nec de illis eleemosynam facere, citra casum extremæ necessitatis. De his tamen alibi.

Resolutio quæstionis de bonis alienis.

DE BONIS autem alienis eleemosynam fieri posse in casu extremæ necessitatis vel quasi, non etiam dubitatur, maximè si aliter huiusmodi necessitati subueniri non potest. Huius ratio clara est, quia in tali necessitate omnia sunt communia, nec Dominus potest rationabiliter inuitus esse, quando de bonis suis alius extremè laboranti succurrit, non potens de propriis aut aliter subuenire. E

Dubium. An possit aliquis de bonis diuitum accipere ad subueniendũ extremè laboranti, etiamsi propria quoque bona habeat eidẽ subueniẽdi.

SED HIC esset dubium, an possit aliquis propria & sufficientia bona habens, de bonis alterius diuitis accipere, vt extremam necessitatem patienti subueniat taliter, vt ipse de suis propriis bonis ratã det pauperi, & ab aliis diuitibus absentibus, aut subuenire nolentibus, tantundem accipiat, vt de alienis & suis tribuat pauperi necessaria. Et ratio dubitationis est, quia talis homo in casu id facit erga pauperem, quod alij diuites facere debuissent, ex quo obligatio subueniendi illi pauperi in casu omnes illos diuites concernit. Et ita si alij diuites subuenire nolint, aut absentes sint, non illis in casu fit iniuria. Adde, quòd quamuis actu elicito illi alij diuites in suarum rerum ad præfatum finem ablatione non consentiant, bene tamen actu debito.

Solutio negatiua. Probatur I.

RESPONDETVR, non videri licitum, quod quæritur. Ratio, quia sicut non est licitum alicui aliena ad propriæ necessitati subueniendum sine licentia domini surripere, si ipse habet aliâs, vnde possit sibi ipsi subuenire, ita nec erit alicui licitum ad subueniendum alterius necessitati, si habet, vnde aliâs valeat illi subuenire, quod enim non est alicui licitum, vt sibi subueniat, non erit licitum, vt alteri subueniat.

II. PRO HOC facit 14. quæst. 5. cap. Fortè aliquis cogitat. vbi dicit Augustinus, quòd qui à diuitibus auaris aliena accipit, vt pauperibus subueniat, & sic ablata pauperibus distribuat, addat peccatum peccato. Gloss. Quia semel peccauit per furtum auferendo, & F iterum in distribuendo, quia alienat, quæ restituere deberet. Et cap. Eleemosyna. ibidem dicitur, quòd non debeat fieri nisi de propriis & iustè possessis.

Respõdetur ad rationẽ dubij.

NEC VALET ratio priùs facta, qua dicitur, quòd ille homo in casu id egit, quod proprius dominus facere debuisset. Si enim hoc excusaret aliena surripientem in casu, etiam eundem excusaret, si nil de suis propriis, sed totum de alienis pauperi tribueret, quia id ageret, quod alter facere debuisset, ex quo alter teneretur in totum pauperi subuenire, vbi non essent alij, qui possent aut vellent. Exempla etiam clara sunt, vt suprà deduximus, per quæ ostendimus, fundamentum illud in multis deficere, vt si persona priuata furem vel homicidam suspendat, quem iudex suspendere debuisset, non excusatur à culpa, etiamsi id faciat, quod iudex facere debuisset. Similiter si Petrus debeat certam summam pecuniæ Ioanni, quam soluere recusat, peccaret Cicero, si propria authoritate se intromitteret ad accipiendam de bonis Petri summam illam, vt creditori satisfaceret, & tamen id ageret, quod debitor agere debuisset. Et ita de aliis posset exemplificari. Ratio huius est clara, quia in casu præsenti contrectatur res aliena, domino rationabiliter inuito. Nam cùm is, qui aliena accipit, habet propria, per quæ posset pauperi subuenire, & non vult nisi de alienis, meritò rei ablatæ dominus erit inuitus, si contra ipsius voluntatem bona eius inuadantur & distrahantur. Et ita falsum est, quòd dominus in casu consentiat actu debito, quanquam deberet consentire, si aliter extremæ pauperis

Non licet impunè alicui id agere, quod alter facere debuisset, in omni casu.

Ratio datæ solutionis.

A peris necessitati subueniri non posset. In quo casu teneret verum aliud dictum, scilicet quòd licitum sit homini de alienis bonis id agere, quod ille alius agere debuisset, scilicet quando necessitas sic agere compelleret.

Dubium. Quis diuitum multorum peccet, permittentium aliquem pauperē fame perire?

Si qvaeras, casu, quo essent decem diuites videntes aliquem fame perire, & nullus eorum illi succurreret, quis eorum peccaret? Ratio dubij est, quia quocunq; eorum signato, est verum dicere, quòd pauper non indigeat ope illius, cùm per alios possit eius necessitati subueniri. Respondetur, quemlibet eorum in casu peccare, quia quilibet eorum tenetur illi succurrere, & quilibet eorum omittit, igitur quilibet eorum peccat. Antecedens certum est, cùm non sit maior ratio de vno, quàm de alio. Similis difficultas est, si homo habeat, vnde vni tantùm subuenire possit, & occurrant duo, aut tres pauperes, extremam necessitatem patientes, & nulli eorum subueniat, peccat, quia vni non subuenit, & quia alteri non subuenit &c. etiamsi ambobus succurrere non possit.

Solutio. Quilibet illorū peccat. Ratio.

Obligatio duplex, qua quis tenetur ad aliquid.

Pro qvo illud breuiter notandum, quòd duplex sit obligatio, qua aliquis tenetur ad aliquid; Quædam absoluta, qualis est ea, qua vnusquisq; tenetur diuina mandata seruare, etiam alio seruante; Quædam conditionata, qua tenetur aliquis ad aliquid, si alius id non faciat; secùs alio faciente, qualis est obligatio, qua homo tenetur vxorem ducere ad finem multiplicandi genus humanum. Aut aliter ponatur distinctio, quia quędam est obligatio personalis seu particularis, quæ singulos & directè concernit: Quædam verò B communis, quæ communitatem, non indiuiduum, directè concernit, & ad hanc tenentur, qui sunt de illa communitate, non absolutè sed conditionaliter, si scilicet per alios huiusmodi obligatio non compleatur, ac proinde si nullus de communitate illam compleat, vnusquisq; peccabit. Vnde ridiculum est dicere, quòd peccet communitas, & nullus de communitate peccet, vt quidam dixerunt, in casu, quo nullus de communitate vellet vxorem ducere. Aliud exemplum est æquè notum, si in Ecclesia aliqua sint plures sacerdotes, siue religiosi, siue seculares, è quibus non plùs vnus quàm alius teneatur in Paschate populo missam dicere, & nullus eam dicat, certum est, vnumquemq; peccare, etiamsi nullus teneretur absolutè missam illam tunc dicere, nisi conditionaliter, scilicet aliis eam non dicentibus. Ita igitur in casu, quamuis nullus illorum diuitum teneatur tentione absoluta, pauperi illi succurrere, quilibet tamen tenetur tentione conditionata; ideo nullo succurrente, quilibet eorum peccat.

Alio modo explicatur eadem obligatio.

Extremè laboranti quilibet potest & debet, si propria non habeat, de alienis subuenire, secluso tamen scandalo; secùs minimè.

Redevndo igitur ad rem, si pauper extremam necessitatem patiatur, quilibet potest & debet, si propria non habet, illi de alienis subuenire, modò caueat à scandalo. In quo casu currit, quod ait Ambrosius: Fame pasce morientem, si nō pauisti, occidisti. Extra tamen huiusmodi extremam necessitatem nemini licitum est de alienis bonis pauperi subuenire sine consensu veri domini vero seu rationabiliter præsumpto, iuxta dictum Pauli docentis, non esse facienda mala, vt eueniant bona.

Corollarium I.

Inde patet, quòd nec seruus de bonis domini, nec filius de bonis parentum, nec C vxor de bonis mariti possint eleemosynam extra casum extremæ necessitatis facere, nisi accedente domini, patris, aut mariti consensu expresso aut tacito, aut rationabiliter præsumpto.

II.

Idem dicatvr de monachis, seu religiosis, qui sine superiorum cōsensu nil possunt alienare, & ita nec eleemosynam facere, cùm tales in nulla re videantur habere dominium 11. q. 1. Non dicatis. Possunt tamen cùm peregrinantur, aut in scholis resident, aliquid pauperibus erogare, sicut alij scholares idem possunt, de bonis saltem, quæ vsu consumuntur. Nec enim putandum est, patres, aut abbates tam strictos esse, quando religiosis aut filiis bona tradunt, ad literis incumbendum, vt in nullo velint eos pauperibus subuenire. Argumentum, cap. Præterea. de officio delegati.

Resolutio quæstionis propositæ de bonis communibus.

Cōclusio prima de coniugibus.

Ex dictis patet ad tertium, an scilicet possit quis facere eleemosynam de bonis communibus sibi & aliis. Quæ quæstio habet locum in coniugibus, in abbatibus, in Capitulis, in sociis, aliisq; bona in communi possidentibus. De vxoribus sententia communis est, eas non posse de bonis communibus donationem, aut eleemosynam facere, citra extremam necessitatem, sine consensu viri expresso, vel rationabiliter præsumpto, eò quòd talium bonorum libera administratio non vxoribus, sed maritis cōueniat, nisi ob causam aliquam maritus tali administratione priuetur, quia tūc deuoluitur ad vxorem. Ac proinde vxores, quæ de communibus bonis vel donationes, vel eleemosynas sine necessitate cogente faciunt, tenētur tantundem, si possunt, maritis restituere,

nisi talis, & tanta sit consuetudo in patria, qua vxores ius acquisiuerint ad aliquā eroganda, quia tunc consuetudo excusabit. Talis, vt puto, est in dando pane, aut aliquo, quod ex refectione supersit. Similiter si vxor vtiliter agat rem viri, poterit aliquid de cōmunibus bonis erogare, exemplo Abigail, quæ datis panibus & certis aliis rebus Regi Dauid, contra voluntatem viri sui, eum à morte liberauit: Nam tunc adest mariti consensus debitus, etsi non elicitus. D

1. Reg. 25.

Conclusio II. de Abbatibus.

Abbates etiam cùm in bonis communibus nonnullam habeant administrationem, poterunt per viam eleemosynæ aliquid dare. In quo etiam non parum agit cōsuetudo per superiores cognita & approbata, aut saltem permissa, qua possunt in certa quātitate suis consanguineis, aut quibus velint, aliquid elargiri.

Cōclusio III. de Capitulis.

Capitvlvm etiam de bonis cōmunibus quicquam donare, aut in eleemosynam elargiri non potest, nisi accedente consensu eorum, quorum interest, idq; seclusa semper causa ad oppositum compellente.

Cōclusio IIII. de Sociis.

Idem dicendum de sociis, aliqua in cōmuni possidentibus, quòd alter sine alterius consensu saltem præsumpto, eleemosynā facere, aut alicui quicquā donare non possit.

Limitatio tertiæ cōclusionis. Bona Capituli cōmunia in duplici sunt differentia. I.

Pro capitvlo tamen notandum, non esse indistinctè dicendum, quòd omnium assensus sit necessarius ad hoc, vt possit de bonis communibus eleemosynam facere. Sunt enim bona Capituli communia in duplici differentia; quædam sunt communia collegialiter, quorum dispositio seu dispensatio ad omnes simul spectat absque hoc, quòd singuli habeant ius ad portiones illorum bonorum, qualia sunt bona quorundam monasteriorum, aut collegiorum, quæ victui & vestitui religiosorum supersunt. Similiter & bona quarundam Ecclesiarum, quæ post distributam vnicuique suam portionem, iuxta Ecclesiæ regulam & consuetudinem, remanent ab ipsa communitate seu Capitulo dispensanda. Alia sunt bona communia singulariter, quorum scilicet certa portio vnicuique debita est, nec ad communem massam aliquid pertinet, quod non inter singulos distribuatur. De primis bonis, quæ communia collegialiter dicuntur, potest Capitulū non solùm ob necessitatem, sed etiā ob piam causam aliquid per viam eleemosynæ, aut aliter dare, etiamsi non adsit omnium consensus, quia sufficit maior pars Capituli, vt patet de his, quæ fiunt à maiori parte Capituli, cap. Cùm in cunctis. De aliis autem bonis communibus singulariter, non sufficit maior pars Capituli ad aliquid tale alienandum, donandum, vel in eleemosynam erogandum, nisi omnium, quorū interest, accedat consensus, vt patet ex cap. Cùm omnes. de constitutionibus. & glo∫. ibidem. Pro quo etiam facit Innocentius ibidem & alij. Facit etiam regula iuris: Quod ad omnes attinet, ab omnibus debet approbari. E

II.

De quonam bonorum genere possit Capitulū eleemosynam erogare.

Corollarium.

Corollarie sequitur, quòd Capitulum non possit eleemosynam facere extra casum necessitatis de bonis communibus, quæ de iure inter Canonicos & portionarios sunt distribuenda sine ipsorum portionariorum cōsensu expresso, vel rationabiliter præsumpto. Et multò minùs possunt absque eorundem consensu alias gratias de huiusmodi bonis facere: Non eñ sunt aliena bona inuitis dominis contrectanda. Idq; dixerim, si consuetudo contraria legitimè præscripta, ius præfato Capitulo non tradiderit ad bona communia sine portionariorum consensu dispensanda. Nam hac seclusa, non occurrit ius nec ratio, quæ cogat oppositum tenere. F

Obiectio duplex. I.

Sed dices, ratione administrationis, quam Capitulum habet, conuenire sibi, sine portionariorum consensu, aliquid de communibus expendere, sicut hac ratione potest maritus de bonis communibus sine consensu vxoris, imò ipsa reclamante, aliquid erogare. Similiter curator, aut tutor potest ratione administrationis, de bonis pupilli seu minoris eleemosynam facere, absq; minoris consensu, igitur ita poterit Capitulum sine portionariorum consensu, idq; ratione administrationis. Dicendum, nō esse simile, nec verum, quod hæc ratio prætendit, quia in casu Capitulum non habet plenam & liberam administrationem illorum bonorum, sed limitatam, iuxta regulam & constitutionem fundatorum, qui non minus ius habere voluerunt portionarios respectu portionis suæ, quàm canonicos respectu suæ, ac proinde præfatę gratię per Capitulum portionariis inuitis factæ, in fraudem illorum fiunt. Maritus autem non solùm administrationem, sed dominium etiam habet bonorum communium; Capitulum aūt non ita. Maritus etiam plenam habet illorum bonorum administrationē; Capitulum autem non nisi limitatā, iuxta regulas & laudabiles Ecclesiæ consuetudines. Deinde tutor & curator administrationem

Responsio.

Discrimē Capituli, & mariti alicuius quo ad bonorū administrationem.

A tionem habet, sed cum hoc habet minoris consensum præsumptum, aut debitum, etsi non elicitum, similiter & ipsius iuris. Nec enim putandum est, curam seu tutelam alicui contra bonos mores, & contra pietatem, ad pauperes habendam committi, qualiter cōmitteretur, si curator, aut tutor non posset pauperibus subuenire, & officium pietatis, & fraternæ charitatis exercere, qualiter minor, si adultæ esset ætatis, exercere debuisset.

II. Obiectio.

Solutio.

SI VLTRA obiicias, quod tunc nil posset Capitulum de bonis communibus dispo-nere sine portionariorum consensu, dicendum, negando sequelam, quia in his, quæ sunt necessaria Ecclesiæ, aut vtilia, facultatem habet Capitulum de bonis huiusmodi disponendi, in qua dispositione, etsi actu portionarij non consentiant, iustum tamen est, eos consentire, & ideo perinde est, ac si actu consentiant. Secùs si Capituli dispositio non in publicum Ecclesiæ bonum cedat, sed in priuatum & personale. Sed de his hæc obiter dixisse sufficiat.

De eleemosyna facienda, de bonis illicitè quæsitis.

QVÆSTIO QVINTA.

An sit eleemosyna facienda de bonis illicitè acquisitis?

B EX DICTIS APPARET responsio ad dubium aliud, moueri solitum, scilicet an sit facienda eleemosyna de bonis turpiter aut illicitè acquisitis.

Conclusio I. affirmatiua in extrema necessitate.

SI ENIM pauper extremam, vel quasi necessitatem patiatur, nil refert, qualiter acquisita sint bona, quia illi tenemur in casu hoc de alienis subuenire, nedum de propriis iniustè acquisitis, quando aliter præfatæ necessitati succurri non potest. Si tamen pauper sit citra extremam, vel quasi necessitatem, sed in communi, est distinguendum de bonis illicitè acquisitis: Quædam enim sunt certis personis restituenda, his scilicet, quas læsimus: Quædam sunt, quæ licet non sint certis personis restituenda, licitè tamen à nobis retineri non possunt: Alia verò sunt, quæ quamuis per medium aut modum illicitum acquisita sint, iustè tamen possunt à nobis, velut propria, possideri.

In cōmuni necessitate distinguendum de bonis illicitè acquisitis, quæ in triplici sunt differētia.

EXEMPLVM primi, de his, quæ certis personis sunt restituenda, qualia sunt ea, quæ per furtum, rapinam, concussionem, iniustam exactionem, metum, fraudem, aut per alia huiusmodi media sunt acquisita, & de talibus citra extremam, non est facienda eleemosyna, sed suis dominis, aut creditoribus restituenda sunt, nisi talia sint, quæ functionem recipiunt: Nam tunc poterunt illa in eleemosynam dari, modò is, qui ea dat, maneat potens tantundem restituere. I. *Conclusio* II.

EXEMPLVM secundi, de his scilicet, quæ retineri non possunt, qualia sunt, quæ per simoniam, aut per sentētiam iniquam, seu per falsum testimonium, aut pro alio crimine C perpetrando, sunt acquisita. Talia quidem, etsi nō sint necessariò reddenda his, à quibus accepta fuerunt, non tamen possunt licitè retineri, sed pauperibus sunt eroganda. Nec his assentior, qui dicunt, in hoc casu consilium esse, ea pauperibus erogare, aut non. De quo aliâs videbitur. II. *Conclusio* III.

EXEMPLVM tertij, de his, quæ turpiter sunt acquisita, & tamē licitè, veluti propria, retineri possunt, qualia sunt, quę per actum prohibitum, aut tempore, seu loco prohibitis sunt acquisita, hoc est, quando modus acquirendi prohibitus est, non tamen prohibita est ipsius lucri seu rei acceptio. Quale est, quod per meretricium est acquisitum, aut per contractum cum excommunicato, aut per negotiationem in tempore, aut loco sacro factam, taliter enim acquisita, etsi turpia sint ex circumstantia, efficiuntur tamen propria ipsius acquirentis, ideo acquirens ea, potest de illis eleemosynam facere, nisi talis, & tali loco fieret, vt inde nasceretur scandalum. Qualiter, & quam ob causam, prohibita est meretrici oblatio publica, vt habetur Deuteron. 23. Non offeres mercedem prostibuli in domo Domini. III. *Conclusio* IIII.

Dubium aliud. Vtrum faciens eleemosynā extremè laborāti de bonis obnoxiis restitutiōi, teneatur adhuc restituere, quod in tali casu erogauit, si facultas postea suppetit?

EX HIS oritur quædam dubitatio, non omnino proposito impertinens, scilicet si quis multa habeat bona, omnia tamen, quæ habet, sint restitutioni obnoxia, & tamen de illis aliqua pauperi in extrema necessitate existenti elargiatur, an talis deobligetur à restitutione facienda in ea parte, quam pauperi huiusmodi erogauit, an potiùs teneatur, cùm ad pinguem venerit fortunam, tantundem restituere?

Rationes partis affirmatiua. I. ET VISVM est quibuſdam dicere, quòd talis ad pinguem veniens fortunam, tenebitur tantundem reſtituere. Tum, quia ſi omnia, quæ habet, mutuò acceperit, aut per viam depoſiti ea teneat, & de illis pauperi extremam patienti largiatur, tenebitur tantundem mutuanti, ſeu deponenti reſtituere, igitur etiam ſi ea omnia iniuſtè rapuerit, tenebitur in caſu. Antecedens ſuppono, & conſequentiam probo: Non enim in caſu debet eſſe deterioris conditionis, qui ſine culpa res alienas tenet, quàm qui per rapinam & furtum eas acquiſiuit. II. Tum etiam, quia ſi ipſemet, qui aliena poſsidet, ea in toto vel in parte, ſuæ propriæ indigentiæ ſubueniendo conſumat, tenebitur poſtea, ſi ad pinguem venerit fortunam, tantundem reſtituere, igitur ad idem tenebitur, ſi ea ad alienam indigentiam ſubleuandam conſumat. D

Argumenta pro negatiua. I. ECONTRA verò videbatur aliis, hominem manere ab obligatione reſtituendi liberum in caſu. Tum quia ſi quis non habens propria, vnde patienti extremam neceſsitatem ſubueniat, aliena ad illi ſubueniendum accipiat, nõ tenebitur ſic accepta reſtituere. Igitur nec in caſu præſenti tenebitur, cùm nil videatur referre, aliena accipere, vt pauperi ſubueniatur, aut aliena habita erogare, vt eidem pauperi ſubueniatur, cùm vtrobiq; eadem ſit ex parte pauperis indigẽtia, eadem illi ſubueniendi neceſsitas, & idem ex parte ſubuenientis defectus, cùm nil proprium habeat, eadem ex parte eiuſdem charitas, & miſericordia, eadem ad ſubueniendum obligatio, cùm non ſit alius modus pauperi ſuccurrendi, quàm qui dictus eſt. II. Tum etiam, quia ſi creditor, cui bona præfata erant reſtituenda, conſentiret in hoc, vt debitor de illis bonis pauperi diſtribueret, debitor eſſet liberà debito reſtituendi diſtributum, igitur etiam erit liber, ſi creditor ſit abſens, ſeu ſi nõ actu conſentiat, ex quo in caſu ſciens pauperis neceſsitatem, nec eſſe alium modum, quo illi poſsit ſubueniri, deberet, ſi adeſſet, conſentire. In huiuſmodi autem caſibus idem operatur debitus conſenſus, quod elicitus & actualis, igitur. E

Obiectio. SI FORTE dicatur, quòd creditor non tenebatur conſentire in hoc, vt debitor ſubueniret indigenti per viam donationis, cùm poſſet eidem ſubuenire per viam mutuationis, & ita ſemper maneret obligatio debitum reſtituendi. *Solutio.* Contra hoc eſt ratio, quia eſto, id ita eſſet, ſequeretur quòd præfatus debitor mutuaſſet illi pauperi de conſenſu creditoris, ſaltem debito, igitur eo ipſo expirat in debitore mutuante debitum reſtituendi id, quod pauperi elargitur, ſaltẽ vſquequo pauper, qui eſt velut mutuatarius, efficiatur potens acceptum reddere. Si tamen nunquam potens fiat, nec creditori ſatisfaciat, nõ debitori, ſed creditori venit imputãdum, de cuius conſenſu res illa mutuata fuit. Vt ſi mandatarius mutuat pecunias mandãtis, ad mandatum ipſius, non relinquitur in mandatario obligatio illas reſtituendi mandanti. Et ita in caſu, ſiue debitor per viam donationis, ſiue per viam mutui, id quod debeat, pauperi contulerit, cùm id egerit ex conſenſu creditoris, videtur prior obligatio extingui, qua ſcilicet tenebatur creditori.

Reſponſio depẽdet ex alterius dubij ſolutione, an ſcilicet cõſumens aliena in extrema neceſſitate, teneatur pro iiſdẽ ſatisfacere, cùm facultas poſtea ſuppetit. RESPONDETVR, huius quæſtionis ſolutionem ex alia non huic diſsimili pendere, quæ etiam inter arguendum tangebatur, ſcilicet ſi quis in extrema neceſsitate exiſtens aliena conſumat, & pòſt ad pinguem perueniat fortunam, an teneatur pro conſumptis ſatisfacere. Dixit Scotus, Richardus, & Gabriel diſtinguendo, quia vel talis indigens occupauerat aliena, quæ conſumpſit, antequam extremam incideret indigentiam; aut exiſtente extrema neceſsitate aliena accepit & conſumpſit. *Solutio bimembris.* I. Si primum, ex ipſa iniuſta rei alienæ occupatione, orta fuit in occupante obligatio reſtituendi acceptum, quæ ſuperueniente extrema neceſsitate, fuit ſopita, ideo huiuſmodi neceſsitate ceſſante, reuiuiſcit obligatio tantundem reſtituendi. II. Si ſecundum, ex quo ob neceſsitatem illam res ſic occupata, facta eſt occupantis tempore ipſius occupationis, ideo ex tali acceptione non orta eſt obligatio reſtituendi, ac proinde ceſſante præfata neceſsitate, nulla eſt obligatio quæ reuiuiſcat, ſicut in primo caſu. Quæ reſponſio ſatis conſonat his, quæ dici ſolent de operibus bonis, ante peccatũ vel in peccato factis. Nam priora opera ante peccatum facta, reuiuiſcunt, quando homo à peccato recedit: Quæ autem in peccato fuerunt facta, quia nunquam vixerunt, non ampliùs reuiuiſcunt. F

Reſponſio primi dubij pro parte affirmatiua. CONFORMITER ad hoc poſſet in præſenti dubitatione reſponderi, quòd ſcilicet præfatus debitor, qui de debitis pauperi largitus eſt, tenebitur, ſi poſtmodũ poterit, tantundem creditori reſtituere, non obſtante quòd ob extremam neceſsitatem pauperis ea conſumpſit. *Ratio.* Cuius ratio eſt, quia in debitore illo iam erat obligatio viua reſtituendi ea, quæ acceperat, ſeu quæ actu poſsidebat, & ſuperueniente extrema pauperis neceſsitate,

A tate, ob quam coactus fuit aliquid eidem elargiri, vnde pro tunc mansit impotens ad plenè restituendum, fuit sopita præfata obligatio; hæc tamen, accedente pingui fortuna, reuiuiscit.

Ad ea vero, quæ in oppositum pro secunda opinione dicta sunt, dicendum ad primum, non esse idem de eo, qui existente extrema pauperis necessitate aliena accipit, vt illi subueniat; & de eo, qui de alioqui debitis eidem pauperi elargitur. Primus quidem non tenetur accepta restituere, quia extrema necessitas fecit, vt non tam aliena quàm ipsius pauperis essent, quæ accepta sunt, cùm necessitas hæc omnia faciat communia. De secundo autem, qui de debitis priùs elargitur, secùs est, quia ante necessitatem præcesserat viua obligatio restituendi creditori. *Soluuntur argumēta cōtraria. Ad I.*

Ad secvndvm, esto in similibus casibus idem operaretur consensus debitus, & elicitus; attamen in præsenti casu creditor ille nec consentit actu elicito, nec debito, in hoc, vt debitor donet, vel mutuet indigenti cum damno ipsius creditoris; consentit autem actu debito in eo, quod est necessarium in casu ad pauperi subueniendum, hoc autem esse potest non deobligando debitorem à debito sibi satisfaciendi, quando poterit. Si enim deberet consentire creditor in hoc, vt debitor nomine ipsius creditoris de debitis elargiretur, aut subueniret pauperi, hic consensus releuaret debitorem à debito. Verùm non tenetur illo modo consentire, cùm necessitas pauperis talem consensum non
B exigat, ex quo pauperi sufficienter subuenitur per debitorem, si debitor nomine suo, nō creditoris, illi necessaria subministret. *Ad II.*

An extremè indigenti sit eleemosyna facienda donando; An verò sufficiat eam facere mutuando.

QVÆSTIO SEXTA.

In dictis svper alia, inuoluitur dubitatio, vnde quodãmodo pendet, quod ex Scoto nuper dicebatur, scilicet pauperem in extrema necessitate aliena occupantem & consumentem, non teneri postmodum tantundem restituere; secùs si ante necessitatis aduentum illa occupauerit, & in necessitate eadē consumpserit. Cùm tamen Adrianus in hoc nullam videatur differentiam ponere, vtrùm ante necessitatem, vel in ipsa necessitate aliena occupauerit, modò in ipsa necessitate illa consumpserit, & in vtroque casu videatur asserere, pauperem teneri restituere, quando ad pinguem venerit fortunam, quia, vt ait, Dominus rei sic consumptæ, non debuit consentire in suæ rei occupatione donando, cùm ad releuandam pauperis necessitatem sufficeret
C consentire mutuando, iam est dubitatio, supposito, quòd diues teneatur pauperi in extrema existenti necessaria tradere, an ad id teneatur donando, an verò satisfaciat, si subueniat mutuando, intendendo scilicet obligare ipsum indigentem, vt cùm venerit ad pinguem fortunam, tantundem restituat. *Occasio sequentis dubitatiōis. An pauperi extremè laborāti subueniendum sit donando necessaria, an verò mutuando?*

Et qvod non teneatur subuenire donando, sed satisfaciat, si mutuet, aut aliter illi patienti subueniat, arguitur primò, quia ex charitate non tenemur sub pœna peccati mortalis succurrere proximo necessitatem patienti plus, quàm ipsa necessitas exigit, cùm illud plus consilij sit, quā præcepti. Si igitur possumus necessitati subuenire sufficienter, res nostras illi indigenti communicãdo, per viam mutui, sequitur, quòd non teneamur illi res nostras per viam donationis communicare. Cuius exemplum videtur notum, si video proximum in tanto periculo constitutum, vt nisi velociter, & citò fugiat à loco, in quo est, occidatur iniustè ab inimicis, velociter in ipsum irruere volentibus, ille autem velociter fugere non possit, nisi equum meum illi communicem; iam in casu teneor quidem equum meum illi communicare, nō tamen per viam donationis, sed satis est, si illum eidem accommodem, eundem in se, vel in æquiualēti postmodum mihi redditurо. Et in hoc parum refert, illum qui eget equo meo, diuitem esse, an pauperem. *Argumēta pro mutuatione. I. Exemplis declaratur hoc argumentum.*

Alivd exemplum. Imus simul per viam Petrus & ego, quibus latrones occurrunt, qui nobis mortem comminantur, nisi vnusquisque nostrûm illis centum ducatos adamus, & Petro nullas secū pecunias portante, ego pro illo & pro me ducentos duca-

tos ſoluo. Iam in caſu Petrus eſt in extrema neceſsitate conſtitutus, nec eſt, qui poſsit ei ſubuenire, præter me, per traditionem præfatorum centum ducatorum, nõ teneor illos ducatos ei tradere per viam donationis, ſed ſatisfacio debito ſubueniendi, ſi mutuem. D

Confirmatio I. CONFIRMATVR primò idem. Si in patria extrema famis neceſsitas ſuperueniat, me copiam tritici habente, teneor cùm poſſum, ciuibus ſuccurrere extremam neceſsitatem patientibus, illis triticum communicãdo, & tamen poſſum proteſtari, quòd mutuo illis, & non dono, quodq; repetam ab eis, quando ſoluere poterunt, vt notatur in l. Neſennius. & in l. Alimenta. ff. de nego. geſt.

II. CONFIRMATVR ſecundò. Si aliquis certam ægritudinem incidat, ad cuius curationem magnis expenſis & medicinis opus ſit, tenebitur quidem Medicus ſuam operam illi impendere, ſimiliter & pharmacopola ſuas medicinas, quantumuis pretioſas, ſi aliter mortem euadere non poterit, non tamen ad id tenetur donando, cùm poſsint ſimiliter proteſtari, quòd Medicus ſui operis mercedem, & pharmacopola ſuarum medicinarum pretium ab illo infirmo, quando potens fuerit, repetent.

III. TERTIO ad idem facit, ſi aliquis robuſtus laborare potens, nil penitus habeat, cui niſi illicò ſuccurratur, fame peribit; ego in tali caſu in defectum aliorum, teneor illi ſuccurrere, ſed non donando, quandoquidem poſſum cum illo paciſci, quòd dabo ei, quicquid opus fuerit, hac lege, vt poſtea, quàm ſibi ſubuentum fuerit, & vires ſint reſtitutæ, eat in agrum meum, & colat loco mercedis priùs ſuſceptæ. Non igitur eſt neceſſarium indigenti ſubuenire donando, alioqui ſi in hoc caſu ille indigens pactum nollet acceptare, nec ego illi quicquam donare, poſſet ille ſine peccato inuadere tanquam ſuas, & ſibi debitas, quod tamen eſt falſum, quia nemo illum indigentem à culpa excuſabit, ſi pacto neglecto, res meas illo modo inuadat, ex quo poteſt aliter ſuæ neceſsitati ſubuenire, ſuam ſcilicet perſonam locando. E

IIII. QVARTO ad idem facit exemplum Iacob, qui noluit gratis dare pulmentum fratri ſuo Eſau, quem itinere & venatione fatigatum, fame perire videbat, ſed pro pulmento primogenituram petiit.

V. QVINTO facit etiam, quod habetur de furtis, cap. Si quis, vbi dicitur: Si quis propter neceſsitatem famis, aut nuditatis aliena occupauerit, talis ſi poſtea occupatũ reddiderit, non cogatur ieiunare. Vnde à contrario, ſi non reddiderit, ieiunare cogatur. Vnde argumentum ſumitur, quòd dominus rerum per indigentem occupatarum, non tenebatur res illas occupatas indigenti communicare donando, alioqui nõ compelletur indigens eadem ſuo domino reddere.

VI. SEXTO facit etiam, quod habetur cap. Exiit. de verborum ſignificatione lib. 6. vbi ſignificatur, quòd tunc liceat minoribus de alienis viuere, quando nec per oblationes ſpontè factas, nec per mendicitatem, nec per laborẽ manuum, vitæ ſuæ poſſunt neceſſaria miniſtrare. Vnde colligitur, quòd ſi homo poteſt per aliquod medium licitum ſuæ neceſsitati ſubuenire, non ſit ei licitum, aliena inuadere, & de alienis viuere. Igitur nec etiam alij tenentur ei per viam donationis ſuccurrere, ſi alia via licita, poſſunt eorum neceſsitates ſubleuare, vti poſſunt, vel mutuando, vel emendo, vel locãdo, aut aliquo alio licito medio vtendo &c. F

Ratiões pro donatione. I. OPPOSITVM tamen video communiter teneri, ſcilicet quòd in certis caſibus ſit de præcepto dare eleemoſynam, vt ex dictis patet. Nomine autem eleemoſynæ communiter intelligitur, quod gratis, & liberaliter datur, & propter Deum, ad releuandam proximi indigentiam. Dicitur autem in caſu propter Deum dari illud, quod datur, non vt ab homine loco ipſius aliquid recipiatur, nec principaliter ſperetur, præter præmium quod à Deo his, qui eleemoſynas faciunt, paratum eſt. Itaque eleemoſyna ex communi hominum intelligentia eſt, quod irreuocabiliter datur. Quod autem per viam mutui, emptionis, locationis, aut alterius contractus traditur, non gratis, nec propter Deum, vt dictum eſt, traditur, ideo propriè non venit nomine eleemoſynæ intelligendum.

II. *Luca* 11. *Luca* 14. FACIT quod dixit Chriſtus: Quod ſupereſt, date eleemoſynam. Vbi non dixit, mutuate, ſed date. Et quod iterum dixit: Cùm facis conuiuium, voca pauperes, claudos, & eos, qui non habent, vnde retribuant tibi. Vbi ſatis innuit, eleemoſynam eſſe pauperibus faciendam non intuitu retributionis ab homine ſperatæ, ſed gratis, ex miſericordia, & propter Deum, Quod etiam ex Eccleſiaſt. 4. confirmatur, vbi dicitur: Eleemo-

Cõfirmatio duplex. I.

ſynam

A synam pauperis non defraudes, sed redde illi debitum suum: Si igitur eius est huiusmodi debitum, absque retributione oportet illud pauperi reddere, & ita gratis.

Facit etiam parabola de Samaritano, qui cùm sauciato indigenti misericordiam impendisset gratis, & non ob retributionem eam fecisset, concludit Dominus dicens: Fac tu similiter. II *Lucæ 10.*

Facit etiam ratio, quia aliâs sequeretur, quòd qui mutuaret, aut ad terminum venderet, posset vltra capitale, exigere interesse damni & lucri, non solùm si diuitibus mutuaret, sed etiam, si pauperibus quantacunque necessitate pressis. Quod est contra communem sententiam, quę est, quòd inter alias conditiones requisitas ad hoc, vt mutuans, seu ad terminum vendens possit iustè interesse vltra capitale exigere, vna sit, quòd non sit mutuatarius arcta & nobili necessitate pressus, quia tunc ratione indigentiæ oportet per eleemosynam subuenire. III.

Seqveretvr insuper, quòd si diuites nollent pauperibus subuenire, nisi mutuando, tenerentur præfati pauperes, quando possent, accepta restituere; & non solùm hoc, sed tenerentur dare operam ad acquirendũ, vnde accepta restituerent, ac proinde non esset illis liberum in paupertate Euangelica viuere, nec religionem intrare, quandoquidem qui debitis grauatus est, satisfacere debet, si potest, priusquàm religionem ingrediatur, & profiteatur. IIII.

B In hac quæstione, quæ pro vtraque sui parte apparentia habet fundamenta, distinguendum mihi videtur, ex parte dantis, & ex parte recipientis. Si enim recipiens tam inops est, vt propria bona actu non habeat, quæ retribuere possit, nec artem etiam, nec vires, nec industriam, nec deniq; modum aliquem, vnde necessaria vitæ possit, nisi mendicando, acquirere, vt sunt claudi, cæci, aliiq; morbo incurabili laborantes, & qui senectute, quæ grauis infirmitas est, & incurabilis, sunt confecti; talibus danda est eleemosyna gratis & liberaliter, propter Deum, sine spe vlla retributionis, ab ipso paupere euenturæ. Hi enim dicuntur veri pauperes, qui omni humano subsidio sunt destituti, à quibus nil est, quod sperari queat. Alij sunt pauperes, quibus bona desunt temporalia, habent tamen actu vires, quibus laborare possunt, & operam suam locare. Habent etiam nonnulli artem aliquam, aut industriam, per quam possunt aliis prodesse, vnde mercedem mereantur, aut stipendium, vt propriæ possint necessitati subuenire, si velint. Et de his videtur idem iudicium, quod de aliis ope aliena indigentibus, cùm tamen bona habeant temporalia, quæ retribuere possint, etiamsi infirmi sint, aut alia quacunque necessitate pressi, & his non est necessarium, eleemosynam per viam donationis dare; poterit tamen, & debebit, qui potens est, illis in tali necessitate subuenire de suis bonis, illis communicando, & tantundem de rebus indigentis accipere vel sperare. Hi enim non sunt omnino pauperes, nec ita humana facultate destituti, quin vel res suas vendendo, vel propriam operam seu personam locando, vel aliis obsequium impendendo, C possint, quæ illis fuerint necessaria, acquirere, & suis necessitatibus succurrentibus rependere.

Resolutio authoris. *Conclusio I.* *Ex parte recipientis eleemosynam.*

Conclusio II. ex parte eiusdem.

Ex parte verò dantis similiter videtur distinguendum, quia sunt, qui habent superflua naturæ & statui. Sunt etiam, qui etsi superflua habeant naturæ, non tamen statui. Et qui vtrique superflua habent, adhuc sunt in duplici differentia, quia aut illa retinent & seruant ad ea expendenda in rebus alioqui aliis Reipub. miserabilibus personis necessariis, aut vt diuitias accumulent & augeant, seu vt in alios fines inhonestos ea expendant.

Similiter est distinguendum ex parte dãtis eleemosynam.

Qvi igitvr de his, quæ sunt necessaria ad statum, aliquid notabile existenti in extrema necessitate largitur, etiamsi actu non habeat, vnde retribuere possit, habet tamen in spe, quia de illo speratur, quòd veniet ad pinguiorem fortunam &c. videtur, quòd non teneatur gratis necessaria ministrare. Satis est, si per viam mutui conditionalis ea conferat, obligando scilicet illum conditionaliter, vt si ad pinguem venerit fortunam, tantũdem reddat. Idem videtur dicendum, si quis dat in eodem casu de superfluis statui, quæ alioqui in rebus Reip. aut aliis necessariis, seu valde vtilibus erant expendenda, idque si sic datum sit in notabili quantitate. Huius ratio est, quia licitum est alicui obligationem iniungere, ad id, ad quod alioqui ipsa ratio naturalis eum astringit. Sed qui de necessariis ad statum alterius, aut ad alias publicas vtilitates accepit, & veniat ad pinguem fortunam, ita vt possit supplere, quæ aliis, à quibus accepit, desunt,

Conclusio III. *Conclusio IIII*

impiè & inhumanè agere videretur, si ad præfatum defectum supplendum, nil vellet rependere. Secùs si de superfluis statui acceperit, quæ non erant ad publicas necessitates seu vtilitates reseruata, sed ad diuitias augendas, aut in fines inutiles expendendas. D

Circa III. Conclusionem notandum, duplicem esse donationem, itemq; duplicem mutuationem. I. II.

Et dixi notanter de mutuo conditionali: Nam potest donatio duplex esse, similiter & mutuatio, scilicet absoluta, qua scilicet alter alteri ita donat, vt in nullo velit eum teneri ad retribuendum, siue habeat vnde, siue non. Similiter mutuatio absoluta dicetur, qua alter alteri mutuat, obligando illum simpliciter ad reddẽdum, si habuerit vnde; sin autem non; quęrat, & reddat. E contrà verò est donatio & mutuatio conditionalis ad propositum præsens, quando alter alteri aliquid dat, non obligando illum simpliciter vt reddat, nec omnino illum à redditione deobligando, sed hac lege, vt si ad pinguem venerit fortunam, reddat acceptum, non obligando illum, vt det operam, ad talem fortunam perueniendi. Et talis datio est media inter donationem simpliciter factam, & mutuationem. Et potest etiam dici mutuatio conditionalis, sicut & donatio.

Sensus III. Conclusionis.

Iam patet quod dico, si quis det necessaria alteri existenti in extrema necessitate, qui actu nil penitus habeat, vnde retribuere possit, danda est ei eleemosyna de superfluis, & de statui necessariis, non tamen simpliciter donando, nec simpliciter mutuando, sed potest mutuari conditionaliter, & donari conditionaliter, vt dictum est; illi tamen absolutè mutuare non licet, quia liberum est tali pauperi postea, vel religionem ingredi, vel in Euangelica paupertate viuere. Dixi, etiamsi datum sit in notabili quantitate, quia E potest tam parum esse, vt ad sustentandum dantis statum notabilem defectum non attulerit. Nam tunc impium videretur, pauperibus huiusmodi onus imponere, qui cum omnibus, à quibus aliquid acceperunt, rationem habere debeant.

Et per hæc potest moderari, quod suprà pro parte Scoti in dubio præcedenti citauimus, de illo, qui in extrema existens necessitate aliena accipit, an scilicet, si ad pinguem veniat fortunam, teneatur tantundem restituere, quia refert, parum aut multum acceperit. Refert etiam, an quę accepit, essent necessaria statui ei, à quo accepit, an essent superflua. Et secundùm hoc, variè posset responderi. Sed de his aliâs.

Solutio argumẽtorum pro mutuatione allatorum.

Ad I. respondetur.

Qvia tamen rationes pro priori sententia adductæ videtur indistinctè probare, quòd in nullo casu sit necessarium pauperi necessaria per viam donationis ministrare, quod falsum esse putamus, ideo ad illas breuiter est respondendum. Ad primam, quando arguitur, non teneri nos indigenti plus quàm indigentia exigit, subuenire &c. dicendum, quòd illud dictum teneat verum de quantitate rei ministratæ, non autem de modo ministrandi, donãdo scilicet, vel mutuando, & ita plus in quantitate ministrare, consilij est; non tamen semper de consilio est, donando ministrare, sed sæpe est de pręcepto.

Ad exẽpla ibidem proposita.

Ad exempla illic posita dicendum, quòd procedant in casibus, in quibus is, qui re aliena indiget, habet aliàs, vnde possit tantundem reddere. Et procedunt etiam, quãdo aliquid in notabili quantitate datum est, quod fortè esset danti ad statum, vel alias pias causas necessarium. F

Ad confirmationem I. eiusdem argumenti.

Ad confirmationem primam dicendum, quòd procedat de his, qui taliter sunt in extrema necessitate panis, vt habeant aliunde bona saltem immobilia, vnde soluere possint, quos impium esset in casu compellere, vt bona sua immobilia, |aua etiã mobilia venderent pro pretio fortè diminuto, maximè si huiusmodi bona essent illis alioqui necessaria ad vitam. Non autem procedit de pauperibus nil penitus habentibus, vnde soluere possint. Et si ad hos velis legem citatam extendi, procedet in casu, quo qui triticum dat alioqui ad statum, vel alia pia opera, pretio sui tritici indigeat.

Ad II.

Ad secvndam confirmationem ex dictis patet responsio, quòd ob notabilem quantitatem opere Medici aut medicinarum requisitarum permittatur, vt in casu illi infirmo ea ministretur per viam mutui, saltem conditionalis, vt dictum est.

Ad III.

Ad tertiam confirmationem dicendum, quòd in illo casu habeat locum mutuatio, seu locatio, quia quamuis pauper ille, qui laborare potest, bona temporalia non habeat, habet tamen personam locabilem, per quam potest necessaria sibi acquirere, & retribuentibus retribuere.

Ad IIII.

Ad qvartam de Iacob dicendum, quòd non erat in tanta necessitate famis Esau, qui sine pulmento Iacob viuere non posset, nec adeò pauper erat, qui non haberet, vnde retribueret. Nec etiam Iacob tam impius fuisset, qui si in extremis fratrẽ suum vidisset, pulmentum necessarium illi denegasset. Sed nec aliquid indebitum petebat

Iacob

A Iacob ab Esau, primogenituram petens, quam ipsi ex Dei ordinatione, atque promissione constat debitam esse. Itaque illud non videtur satis pertinenter ad propositum adductum.

Ad qvintam dicendum, quòd illud capitulum procedat, non de eo, qui est in extrema necessitate famis. Tum, quia si in tali existeret, nō esset dicendus fur, vndecunque necessaria acciperet, si non esset, qui offerre vellet. Tum, quia tali non esset pœnitentia imponenda, nec compellendus esset restituere, si re accepta extremè indigeret. Ac proinde procedit de eo, qui citra extremam existens necessitatem, aliena furatus est, ob necessitatem aliquam, quæ illum excusare non sufficiebat. Et ita in casu Dominus rei sic acceptæ, nec tenebatur in rei acceptione consentire per viam donationis, nec per viam mutui. *Ad V.*

Ad sextam, quicquid sit de præfata decretali, quæ non ita formaliter sonat, dicendum, ita esse, nemini licitum esse de alienis viuere, maximè inuitis dominis rerum ipsarum, si modum habet honestū, vnde alioqui viuere possit. Et si de mutuo viuere possit, casus tamen extremæ necessitatis mutuum non admittit, nisi vt suprà diximus. Sed de his hactenus. *Ad VI.*

B *De his, quibus est danda eleemosyna, & quo ordine.*

QVÆSTIO SEPTIMA.

Deinde solet quæri, quibus sit danda eleemosyna, malis scilicet, an solis bonis? Ad quod sine disputatione breuiter dicendum, quòd in extrema necessitate omnibus danda sit ad naturæ sustentationē, etiamsi mali, aut pessimi sint: Vnicuique enim mandauit Dominus de proximo suo. Omnem etiam proximum diligere tenemur, & nullum occidere, qualiter occideremus, si fame pereunti, cùm possumus, non subueniremus. *An pauperibus tam malis quā bonis sit eroganda eleemosyna? Conclusio I. affirmatiua in extrema necessitate. Eccles. 17.*

Loqvendo tamen citra extremam vel quasi necessitatem, videtur distinguendum: Nam sunt quidam pauperes, qui de eleemosyna sibi non defutura securi, in vitiis viuunt, qualiter fortè non viuerent, si eisdem eleemosyna negaretur; & quando huiusmodi inconueniens certum, aut probabile est, non est talibus eleemosyna eroganda. De his enim videtur procedere, quod dixit Sapiens: Desudet eleemosyna in manu tua, quousque reperias iustum, cui des. Et iterum: Da iusto, & ne dederis impio. Vnde Augustinus, & habetur 5. q. 5. cap. Non omnis. ait: Vtilius esurienti panis tolletur, si de cibo securus, iustitiam negligit, quàm esurienti panis frangatur, vt iniustitiæ seductus acquiescat. Et Hieronymus: Da pauperibus, non locupletibus, non superbis, quò necessitas sustentetur, non quò augeantur opes & vitia. *De cōmuni necessitate distinguendum est: Et sit II. Conclusio. Eccles. 12.* C

Ratione etiam idem patet, quia si peccantem in nos debemus fraternaliter ex charitatis præcepto corrigere, vt à peccato recedat, igitur ex eodem præcepto tenemur non præbere cibum aut arma, vt in vitiis perseueret & crescat. Ac proinde si hoc sit verisimile ex eleemosyna euenturum, illicita erit, si fiat.

Svnt etiam alij pauperes, quorum vitia non sic verisimile est per eleemosynas esse fouenda, de quibus præfata incommoda euenire minimè tenentur, & talibus indifferenter est eleemosyna eroganda. Id significauit Christus, dicens: Omni petenti te, tribue. Et iterum Dominus nobis patrem suum in exemplum proponit, vt illum imitemur, qui solem suum facit oriri super bonos, & malos. Alibi etiam Christus iussit, dicens: Diligite inimicos vestros, & benefacite his, qui oderunt vos, constat autem inimicos, & eos, qui nos odiunt, malos esse. Quòd autem vita pauperum exploranda non sit, vt discretionem in eleemosyna illis eroganda faciamus, satis docet Augustinus de quinque hæresibus, cùm Loth de hospitalitate commendasset, qui aduenas, & peregrinos indifferenter colligebat, & angelos etiam, quos homines esse putabat, hospitio suscepit, addit dicens: Discite Christiani sine discretione exhibere hospitalitatem, ne fortè cui domum clauseritis, cui humanitatem denegaueritis, ipse sit Christus. Cui consonat Bernardus, dicens: Ne scruteris, ne illum fortè prætereas, quem Deus elegerit. Similiter & Chrysostomus super Epistolam ad Hebræos, & habetur 42. distinctione, capitulo. *III. Conclusio. Lucæ 6. Matth. 5. Lucæ 6. Pauperum vita non est exploranda ad seruandā discretionem in eleemosynis erogandis.*

Quiesca-

Quiescamus. idem tradit, scilicet vt non examinemus, quales sint, qui eleemosynas postulant, sed sine discretione omnibus, cùm possumus, subueniamus. Idem habet Hieronymus ad Paulinam scribens. Et habetur 16.q.1.cap.Si cupis. Quod & sanctum Tobiam cap.4. filium suum docuisse constat, cùm ait: Ex substantia tua fac eleemosynam, & noli auertere faciem ab vllo paupere. D

Reprehēditur quorundam nimia seueritas in extraneos pauperes.

Haec deberent attendere, qui Respub. regunt, statuentes omnes pauperes extraneos, seu aliunde venientes à suis populis expellere, non nisi per vnum, aut duos dies, eosdem in populo commorari permittentes, cùm contingat, extraneos, seu peregrinos multò pauperiores esse, simul & meliores, quàm sint paupes in ipso populo enutriti. Contingit etiam, eos sic ab vno populo expulsos in alium ire, à quo similiter expelluntur, & ita fit, vt huiusmodi pauperes extraneos compellant semper miseros peregrinari, nullibi requiem inuenientes, aut per vias sine vllo remedio, atque pietate animam exhalare, aut certè, vnde possunt, indebitè furari, & deniq; vel patibulo, vel flagellis pœnam, quam fortè non merentur, luere. Nec releuat huiusmodi rectores dicere; populum habent naturalem, vbi tales pauperes sustentari deberent, illuc eant à suis connaturalibus alendi. Qui hoc dicunt, debent attendere, plures esse populos, tot, & tantis debitis, impositionibus, seu exactionibus grauatos, vt vix in illis reperiantur, qui abundent, aut familiam suã, vt deceret, sustentare valeant. Debent etiam attendere, multos homines, qui mendicant, in locis suis propriis commorari non posse, vel quia exulant, vel quia illic inimicos habent, quos meritò timent, vel quia illic dedecus aliquod & tale passi sunt, vt malint patriam, etiam cum mortis periculo deserere, quàm in ea habitare, vel quia loco pœnitentiæ illis iniunctum est, vt proprium locum deserant, quando id salus animarum, aut populi pax postulauerit. Sunt igitur innumeratæ causæ, ob quas possunt & solent homines, deserta patria, aliena quærere loca, vbi cùm necessaria nõ habeant, mendicare coguntur. Si enim in vnoquoq; populo sic institutum esset, vt ibidem pauperibus naturalibus sufficienter prouideretur, si fieri posset; sin autem alius locus propinquus esset ad eorum sustentationem deputatus, qui alterius populi defectum suppleret, adhibitis nonnullis limitationibus, prout casuum varietas aliquoties exigeret, rectè quidem. Id tamen in vno tantùm, aut paucis locis institutum, multa secum afferre inconuenientia non dubito. Esset autem id tolerabile, vbi populus suos pauperes, simul & extraneos alimentare non posset; tunc enim cæteris paribus potiùs naturalibus quàm extraneis esset subueniendum. Sed hæc missa faciamus.

Occurritur obiectioni.

Causæ multæ, ob quas aliqui mēdicare cogūtur. E

Aliud dubium. An si bonis & malis omnibus indifferēter subueniri non possit, boni sint aliis præferendi?

a Solutio: Ordo charitatis hac in parte seruandus est.

b Ecclesi. 30.

I II. III. IIII. V.

Inde oritvr dubium, an scilicet, si omnibus, nimirum bonis & malis, indifferenter subuenire non possumus, teneamur bonos pręferre?[a] Dicendum, in hoc ordinem charitatis esse seruandum, cùm eleemosyna opus charitatis sit, iuxta illud Ioannis: Qui habet substantiam huius mundi, & clauserit viscera sua apud indigentem, quomodo charitas Dei manet in illo? Et ita illos in eleemosyna debemus præferre, quos magis ex charitate tenemur diligere. Vnde Augustinus ait, eleemosynam, vt Deo grata sit, à nobis ipsis debere incipere, iuxta illud Ecclesiastici: [b] Miserere animæ tuæ placens Deo. Tunc autem dicitur quis sibiipsi eleemosynam facere, quando propriam indigentiam, & miseriam bonis operibus nititur subleuare. Deinde autem parentes, à quibus id, quod sumus, accepimus. Deinde filios, quos carnem nostram dicimus esse. Deinde domesticos, prout Paulus ad Timotheum scripsit. Deinde extraneos, qui si boni sint, malis filiis sunt præferendi, quemadmodum ait Ambrosius super illud Canticorum: Ordinauit in me charitatem &c. Similiter in libro de officiis. Et habetur 86. distinct. cap. Non satis &c. Est itaque præfatus ordo seruandus, prout ratio & charitas ipsa postulat, modò cætera sint paria. Sunt enim quatuor in huiusmodi prælatione attendenda, scilicet necessitas, debitum, honestas, & coniunctio, in quibus possunt pauperes differenter se habere. In primis tamen si alter sit in maxima necessitate, & alij citra eam, ille simpliciter est præferendus, cui dans, magis est obligatus ob beneficia ab illo recepta potiora, & plura. Si in necessitate & debito sunt pares, qui iustus est, venit alteri pręferendus. Si rursus in bonitate sunt pares, qui domestici sunt, præferantur extraneis. Verùm hæc omnia metiri, & exactè velle iudicare, seu cognoscere, difficile est, & fortè impossibile, ne dicam curiosum. Vbi igitur res non patens est, si bona fides atque conscientia adsit, vnio docebit. F

Limitatio quædam prædictæ solutionis.

Obiectio.

Sed forte obiicies, quòd cæteris paribus magis teneamur subuenire malo, quàm iusto, quia si malo non subueniam, peribit anima & corpus ipsius, si autem bono non subuenio,

A subuenio, peribit solùm corpus ipsius, igitur cùm maiori damno teneamur occurrere, sequitur, quòd teneamur potiùs primo, quàm secundo subuenire. Dicendum, si nobis esset certum, quòd subueniendo malo, liberaretur anima, & corpus eius, quę alioqui perirent, non dubito, nisi quòd dimisso bono, teneamur malo succurrere, cùm malus sit in multò maiori indigentia, quàm bonus, & teneamur magis animam mali, quàm corpus boni diligere. Si tamen probabile, quòd per nostrum subsidium malo impensum, non liberetur anima ipsius mali, tunc bono est potiùs succurrendum. In his autem casibus particularibus difficile est, regulam generalem dare. *Solutio.* *In particularibus casibus regula generalis dari nequit.*

De eleemosyna danda sanis, ad paupertatē voluntariā assumptis.
QVÆSTIO OCTAVA.

ALIVD SVPEREST dubium soluendum, an scilicet sit danda eleemosyna mendicantibus sanis & robustis, qui possunt labore manuum sibi necessaria quærere. Et dixerunt aliqui, quòd non, quodq; non sit illis licitum mendicare, id est, de mendicimonio viuere. *An sanis & robustis mēdicantibus sit eleemosyna eroganda?*

Argumenta pro parte negatiua.

AD QVOD arguunt primò, quia spontanea mendicatio videtur contra legem naturalem, & diuinam primitùs institutam. Nam Genes.3. ad hominem, postquam peccauit, dictum est à Domino: In sudore vultus tui vesceris pane tuo. Similiter & per Psalmistam dixit: Labores manuum tuarum manducabis, beatus es, & bene tibi erit. Et Iob.5. Homo natus ad laborem, & auis ad volatum. Videtur insuper esse contra præceptum decalogi: Nō concupisces rem proximi tui, non bouem, non asinum, nec omnia, quæ illius sunt. Contra quod videntur agere huiusmodi mendicantes, qui cùm posint sibi iustè prouidere, de alienis potiùs viuere volunt. I. B *Psal.127.*

SECVNDO arguitur, quòd sit contra doctrinam Pauli in multis locis, qui ait: Si quis non operatur, non manducet. Et infrà de his, qui operari nolunt, addit: His autem, qui huiusmodi sunt, denuntiamus, obsecramus in Domino, vt cum silentio operantes, suum panem manducent. Et infrà: Si quis nō obedierit verbo nostro, ne commisceamini cum illo, vt confundatur. Idem etiam Paulus, esto quòd officium prædicationis exerceret, non mendicabat, nec de aliorum bonis, sed de labore manuum suarum sibi, & suis, qui illum comitabantur, necessaria quærebat, vt ipse testatur, dicens: Argentum, & aurum, aut vestem nullius concupiui, quoniam ad ea, quæ mihi opus erant, & his, qui mecum sunt, ministrauerunt manus istæ. (exercebat enim artem scenofactoriam.) Idem similiter patet 1.ad Thessal.2. & 1.ad Corinth.4. II. *2.ad Thess.* *Actuum 20.*

TERTIO idem probant, quia huiusmodi spontanea mendicitas, vt dicunt, est contra charitatem ad veros pauperes habendam, imò est in fraudem verorum pauperum, qui eleemosynis sibi debitis priuantur, cùm eas sani & robusti mendicando sibi pręoccupent, quod videtur contra illud Ecclesiastici 4: Eleemosynam pauperis ne defraudes. III. C

QVARTO idem probant, quia omnia bona abdicare, & paupertatem extremam eligere, affert secum quam plura pericula, quæ homo vitare tenetur. Nam qui sic viuere eligunt, exponunt se periculo extremæ indigentiæ, & ex consequenti mortis, cùm accidere posit, vt nemo illis de necessariis subueniat. Exponunt etiam se periculo graues infirmitates incidendi, quales nimia indigentia seu paupertas inducere solet. Deinde, qui hanc vitam eligunt, potentes sibi labore manuum necessaria quærere, & nolunt, confisi, quòd Deus illis prouidebit in tantis necesitatibus constitutis, videntur Deum tentare. Deinde exponunt se periculo furandi, & nomen Domini blasphemandi, iuxta illud Salomonis, qui à Domino petiit, dicens: Mendicitatem, & diuitias ne dederis mihi, tribue tantùm victui meo necessaria, ne fortè satiatus, alliciar ad negandum Deum, & dicam: Quis est Dominus? & egestate compulsus, furer, & periurem nomen Domini. IIII. *Prouerb.30.*

QVINTO, quales debeant esse pauperes, quibus debeamus eleemosynas erogare, Christus videtur docuisse, dicens: Cùm facis conuiuiū, voca pauperes, debiles, claudos, & cęcos, & eris beatus; non enim habent retribuere tibi &c. Vbi in eo, quod ait: pauperes debiles, videtur excludere sanos, & robustos. Et in eo quod ait: non habent retribuere tibi, videtur similiter eosdē excludere. Nam tales robusti, bene habent, vnde retribuant, si operari velint. Ac proinde quòd dicitur, voca pauperes debiles, non disiunctim, sed coniunctim est accipiendum. V. *Lucæ 14.*

1. ad Timoth. 5. SEXTO, idem probant, ex eo, quod ait Paulus docens, quibus viduis sit de Ecclesiæ bonis subueniendum, dicit eas esse, quæ veræ viduæ sunt. Illas autem dicit verè viduas, vt Hieronymus, & alij Sancti exponunt, quæ omni humano solatio sunt destitutæ, quæ nec sibiipsis sufficere possunt, etiamsi operari velint. Et ita concludunt, nec licitum esse sanis omnia bona abdicare, & de mendicimonio viuere, nec talibus esse eleemosynas erogandas. D

Resolutio affirmatiua. IN OPPOSITVM est veritas, & Ecclesiæ approbatio, in qua multi sunt, qui cùm diuites sint, omnia tamen abdicantes, religionem ingrediuntur, & mendicant. Quod tamen damnandum esset, si verum esset, quod præfata opinio prætendit.

Quinq; proponuntur dubia. IN HIS, quæ dicta sunt, nonnulla tanguntur dubia. Primum, an sit homini sano & robusto necessarium, manualiter, seu corporaliter operari. Secundum, an talibus hominibus sit licitum, relictis bonis, quæ possident, in summa velle paupertate viuere. Tertium, an sit eisdem licitum mendicare, cùm possint propriis manibus victum quærere. Quartum incidens dubium, an Christus summam habuerit paupertatem. Quintum, an Christus mendicauerit.

I. II. III. IIII. V.

I. *Dubium. An sano & robusto sit necessariũ corporaliter operari.* AD PRIMVM dubium, an scilicet sit necessarium corporaliter operari, dicendum, ad triplicem finem solere homines manibus operari. Primùm ad quærẽda necessaria vitæ. Secundò ad vitandum otium, & damna ex otio prouenientia. Tertiò ad corpus exercendum, & illud rationi subiiciendum, pro peccatisque satisfaciendum. Pro primo facit, quod suprà allegatum est: In sudore vultus tui manducabis &c. Et iterum: Labores manuum tuarum manducabis. Pro secundo facit, quod ait Hieronymus ad Rusticum monachum: Semper aliquid operis facito, vt te diabolus occupatum inueniat. Pro tertio facit, quod ait Paulus, annumerans ea, quibus corpus castigatur, dicens: In laboribus, in vigiliis, in ieiuniis &c. Ob nullum tamen finem ex prædictis video esse de præcepto, aut necessarium, manibus operari, cùm aliter possit homo fines illos obtinere. E

Finis triplex operationis corporalis. I. II. III.

2. Corinth. 6.

Solutio. Ob nullũ finem prædictorum necessariũ est manibus operari. Probatur.

AD FINEM enim habendi necessaria vitæ, labor manualis necessarius non est, si homo habet diuitias, vel per viam donationis, vel hæreditariæ successionis, vel legati, seu fortunæ, aut per aliam viam, vt constat.

SIMILITER ad finem vitandi otium, non est necessarius, quia aliis modis potest euitari, scilicet literis incumbendo, legendo, docendo, visitando, & alia opera misericordiæ exercendo.

SED NEC ad tertium finem est huiusmodi labor manualis necessarius, cùm possit homo corpus affligere, & illud spiritui subiicere per ieiunia, vigilias, peregrinationes, & alia honesta exercitia, etiamsi nõ sint panis lucratiua. Et ita simpliciter ad nullum finem ex dictis est necessarius labor manualis; Nisi casu, quo non pateret alius modus suæ, seu proximi indigentiæ succurrendi: Aut casu, quo occasione huiusmodi mendicantium, & laborare potentium, alij veri pauperes miserabiles extremam necessitatem patientes, eleemosynis sibi debitis priuarentur. Nam tunc, qui robusti essent, nõ deberent de eleemosynis cum tanta verorum pauperum iactura velle viuere, sed propriis manibus, si possent, deberent sibi victum quærere, ad imitationem Pauli, qui non solùm ab eleemosynis, sed etiam à mercede sibi ratione prædicationis debita, abstinebat, ne fratribus scandali occasionem præberet, vt scribit ad Corinthios. Pro quo facit Hieronymus ad Damasum, dicens: Qui bonis paternis & operibus suis sustentari possunt, si quod pauperum est, accipiunt, sacrilegium profectò committunt. F

Limitatur data solutio.

II. *Dubium. An sanis liceat proprias relinquere diuitias, & in paupertate summa viuere? Solutio affirmatiua.* AD ID, quod secundò quærebatur, an scilicet liceat sanis diuitias habentibus eas relinquere, & in summa viuere paupertate? res est, quæ quæstione non indiget, cùm sit per Ecclesiam iam in fauorem Ordinis mendicãtium declarata. Ait enim Nicolaus 3. in Extrauagant. Exiit. Dicimus, quòd abdicatio omnium rerum temporalium in speciali, & in communi propter Deum meritoria sit, & sancta, quam & Christus, viam perfectionis ostendens, & verbo docuit, & exemplo firmauit, quamque primi fundatores militantis Ecclesiæ, prout ab ipso fonte hauserant, in volentes perfectè viuere, per doctrinæ ac vitæ ipsorum alueos deriuãrunt. Vnde apertum est, quod quæritur. Et oppositum fuit error quorundam magistrorum Parisiensium, olim per Alexandrum IIII. & Innocentium IIII. reprobatus. Quibus districtè præcepit dictus Alexander, vt errorem suum retractarent. Vide decretalem ipsius, quæ incipit: Non sine multa &c.

Probatur I. Oppositum est erroneum.

FACIT

A Facit ad idem dictum Christi: Si vis perfectus esse, vade, vende omnia, quæ habes, & da pauperibus. Vnde Augustinus in de Ecclesiasticis dogmatibus ait, bonum esse de propriis, pauperibus erogare, sed melius, omnia relinquere, & cum Christo egere. Et Hieronymus ad Heluidiam ait, si vis esse perfecta, & in primo dignitatis fastigio stare, sequere Apostolos, da omnia, quæ habes, pauperibus, & nuda nudum Christum imitare. Et idem ad Rusticum monachum scribens, qui relicto seculo, omnia bona à se abdicauerat, ait: Illud durum esset, & difficile, omnia scilicet bona abdicare, sed magna facient expectare præmia. Si igitur homo omnia bona, quæ habet, à se abdicet, non ex hypocrisi, aut ob alium inhonestum finem, sed verè propter Deum, vt Christi doctrinam seruet, ipsiusque exemplum imitetur, sancta est huiusmodi abdicatio.

III. Dubium. An hominibus voluntarie pauperibus licitum sit mendicare. Solutio affirmatiua. Probatur I. II.

Hinc patet ad id, quod tertiò quærebatur, an scilicet huiusmodi hominibus voluntariam paupertatem assumentibus, licitum sit mendicare? Et tenendum quòd sic. Tum quia Minoribus, qui talem elegerũt paupertatem, licitum est mendicare, imò & meritorium, prout per summos pontifices est declaratum, puta per Nicolaum, per Alexandrum, & Innocentium, & alios, vt suppono. Tum etiam, cui licitum, & bonum est, omnia bona pauperibus dare, nil sibi reseruando, licitum erit aliena petere, & de oblatis viuere. Pro quo apertè facit Augustinus, qui in de opere monachorum ait: Illi, qui in seculo habebant aliquid, quo facilè sine opificio sustentarent vitam suam, &
B conuersi ad Dominum dispertiti sunt, tales ad opera manuum cogi non debent, nec ad acquirendum victum proprium. Et rationem reddit, dicens: Quia qui de bonis suis pauperes sustentauerunt, de eleemosynis pauperum sustentari debent.

Pro qvo etiam facit ratio. Meliora sunt opera spiritualia, quàm corporalia, vt constat, & per consequens corporalia licitum est prętermittere, propter spiritualia, prout Christus significauit dicens: Dimitte mortuos sepelire mortuos suos. Vbi Ambrosius ait, ideo Christum id dixisse, quia maius est, animas mortuorum prædicando suscitare, quàm corpora mortuorum in terra abscondere. Et Apostoli melioribus incumbere volentes, dixerunt: Non est æquum, nos relinquere verbum Dei, & ministrare mensis. Sequitur ergo, eos qui volunt spiritualibus vacare, non teneri, nec cogendos esse, ad corporaliter operandum cibum, & per consequens licitum esse illis de eleemosynis viuere, citra tamen verorum pauperum defraudationem. III.

Exemplo etiam Sanctorum idipsum patet. Nam legitur de beato Alexio, quòd relicto patrimonio, quo abundabat, per mundum mendicando perrexit, cuius sanctitatem Dominus in morte ipsius mirabiliter declarauit. Beatus etiam Gregorius per triennium stetit in spelunca, nil omnino manibus operans, de eleemosynis cuiusdam Romani viuens. IIII.

Ad quos nam extendatur prædicti dubij solutio.

Et ita patet intentum, quòd non solùm verum sit de voluntariis pauperibus, qui religionem aliquam profitentur, in qua officia Ecclesiastica pro multis exercent, vnde
C digni sunt, qui per eos sustẽtentur, sed etiam de aliis, si qui sint, qui mundum relinquentes, velint propter Deum, in paupertate viuere, aliis spiritualibus exercitiis incumbendo, etiamsi Ecclesiastica officia cum aliis in monasterio non exerceant, cùm præter huiusmodi officia Ecclesiastica multa alia sint spiritualia exercitia, q̃bus homo vacare possit.

IIII. Dubium. An summã Christus exercuerit paupertatem? Responsio affirmatiua. Probatur ex multis scripturæ locis. Zach. 9. Psal. 29. Lucæ 6.

Ad id, quod quarto loco quærebatur de Christo, an scilicet habuerit summã paupertatem, dicendũ quod sic. Tum ex his, q̃ per summos pontifices sunt declarata, scilicet Christum altissimã paupertatem verbo docuisse, & exemplo confirmasse. Tum etiam ex dictis scripturæ: Zacharias enim de Christo loquens atque prophetizans, ait: Ipse pauper, & ascendens super asinam. Psalmista etiam in Christi persona ait: Ego mendicus sum, & pauper. Et Threnorum 3. ait Hieremias de Christo, vt exponit glossa: Ego vir videns paupertatem meam. Ipse etiam Christus de se ipso dixit: Vulpes foueas habent, & filius hominis non habet, vbi reclinet. Paulus etiam 2. ad Corinth. 8. ait: Scitis gratiam Domini nostri Iesu Christi, qui propter vos egenus factus est, vt vos diuites essetis. Deinde constat, Christum altissimam paupertatem docuisse, & sub consilio suis fidelibus tradidisse, quando dixit: Si vis perfectus esse, vende omnia, quæ habes, & da pauperibus. Et iterum: Nolite possidere aurum & argentum, & alibi pluries. Nec credendum est, Christum vnum docuisse, & oppositum ipsum fecisse, cùm scriptum sit: Cœpit Iesus facere, & docere. Nec valet, quod nonnulli dicunt, Christum pauperem fuisse, non per abdicationem dominij rerum, sed vsus tantùm. Hoc dicũt, qui putant, Christum secundùm

dùm quod homo, verè temporalem regem Iudæorum fuisse, rerumque temporalium D verum dominium habuisse, solumque rerum vsum abdicasse. A quorum sententia non immeritò recedendum videtur, vt alibi facilè probauimus.

V. Dubium. An Christus aliquando mendicauerit. Ratio pro affirmatiua. Resolutio negatiua.

DE EO VERO, quod quinto loco quærebatur, scilicet an Christus vnquam mendicauerit, ambigua res est. Et licet quibusdam visum sit, dicere, quòd sic, saltem in illo triduo, quo cùm duodecim esset annorum, eum parentes sui in reditu de Hierusalem perdiderunt, vt videtur sentire Bernardus, super Lucę cap. 2. & alij; communiter tamen tenetur contrarium. *Ratio* I. Tum quia mendicare videtur in pœnam peccati introductum; si enim homo non peccasset, locum mendicitas non haberet, Christus autem nulli vnquam culpę subiacuit. II. Tum, quia Deuter. 15. scriptum est: Omnino indigens, & mendicus non erit inter vos. Et ita non est putandum, Iudæos permisisse Christum mendicare, maximè tunc, quando conuiuia potiùs exercebantur, quàm eleemosynæ, vti fieri solet in solennitatibus pręcipuis, tam eundo, quàm redeundo. III. Tum etiam, quia Apostoli non mendicabant ostiatim, (de hac enim mendicatione nunc loquor) non enim erat egens quisquam inter illos, vt habetur in Actibus apostolicis. IIII. Deinde si Christus mendicasset, graue offendiculum videretur Euangelio ponere, eò quòd videntes Christum mendicare, facilè putarent, id ex impotentia Christi prouenire, qui sibiipsi prouidere non posset, ac proinde non rectè de Christi miraculis & virtutibus sensissent. *Solutio rationum pro affirmatiua.* Quicquid sit de rationibus his, quæ non sunt adeò efficaces, non tamen legitur, Christum ostiatim E mendicasse, etiamsi de oblationibus multorum deuotorum ipse & discipuli eius necessaria vitæ haberent, adeò, vt de his possent aliis pauperibus subuenire. Illa autem, quæ ab aliis accipiebat, non tam ratione indigentiæ suæ, quàm publici officij docendi, & prædicandi, & aliorum publicam vtilitatem quærendi eidem debebantur. Itaque stipendium & merces potiùs, quàm eleemosyna dici poterat.

Triplex causa mendicandi.

EX HIS patet responsio ad principale quæsitum, cùm stet tripliciter mendicare, I. scilicet ex indigentia, quando non potest homo aliter sibi prouidere, & est miseranda paupertas: II. Alio modo, ex amore otij, & hæc est vituperanda: III. Tertio modo, ex amore Christi, cum desiderio illum imitandi, & rebus spiritualibus vacandi, & hæc est laudabilis, & præmio digna, vt ex dictis patet, ideo licitum est & laudabile, huiusmodi voluntariis pauperibus per eleemosynas subuenire. *Quatenus volũtaria paupertas vitiari possit.* Potest tamen huiusmodi mendicitas voluntaria per aliqua vitiari, I. scilicet ratione finis, vt si homo operari recuset, otium quærens. II. Secundò, ratione scandali, vt si sit laicus, robustus, & nullam religionem professus, quem cùm alij videant mendicare, perque superiores tolerari, facilè alij vitiosi occasionem sument, vt perditè viuant, & vitium & otiũ quærant. III. Tertiò, ratione impedimenti, quod mendicando præstant operibus, ad quæ alioqui tenerẽtur, maximè si familiam habeant, cui prouidere teneantur. IIII. Quartò, si veros & miserabiles pauperes eleemosynis eisdem debitis, sua mendicitate priuant. His & aliis modis potest voluntaria mendicitas vitiari, quæ omnia nos in præsentiarum resecamus. *Nota.* Ob hæc, iura ciuilia prohibent, ne robusti & F sani mendicent, & eos, quos vagabundos vocant, puniunt, & exterminant, & laborare cogunt; Secùs de aliis, quorum vita est per Ecclesiam approbata.

Respõdetur nũc ad argumenta pro parte negatiua proposita.

PER HAEC patet ad rationes suprà factas. *Ad* I. Ad primam ex Gen. sumptam: In sudore vultus tui &c. dicendum, quòd nõ fuit præceptiuè dictum, sed in pœnam peccati, & modum maledictionis, quemadmodum & ad Euam in pœnam dictum est: In dolore paries &c. Itaque perinde est, ac si ad Adam dixisset: Terra non sponte dabit fructus, sicut dedisset, si in innocentia permansisses, sed sudore, & labore tuo interueniente. Quod ex Psalmista citatum est: Labores manuum tuarum manducabis, non etiam dicitur præceptiuè, sed per modum benedictionis, ac si dixisset: Beatus vir, qui timet Dominum, non laborabit frustrà, sed fructus sui laboris colliget. Quod etiam ex Iob citant; Homo natus ad laborem, impertinens est, nam nec de labore manuali panis lucratiuo accipitur, nec pręceptiuè procedit, sed pręnuntiat mala, quæ communiter homini post peccatum eueniunt, ac si dixisset: Sicut naturale est aui volare, ita & homini naturale est multas miserias, & mala in hoc seculo post peccatũ pati. Quod dicitur, eos agere contra præceptum decalogi: Non concupisces alienum, nil probat, nam illic prohibetur rei alienæ concupiscentia, per quodcunque medium etiam nefarium. Qui autem rem alienam optat per medium licitũ, & non aliâs, non agit contra tale præceptum, alioqui oporteret damnare omnes mercatores, omnes qui res alienas emere volunt, cùm ea, quæ de facto aliena sunt, sibiipsis optent; quod est falsum.

AD SE-

A Ad secvndam ex dictis Pauli sumptam, dicendum, quòd Paulus in locis illis loquebatur contra quosdam homines otiosos, qui non solùm victum manibus non quærebant, sed occasione ex otio sumpta, alios inquietabant, volentes contra aliorum voluntatem de alienis, seu de his, quæ Ecclesiæ offerebantur, viuere. Hos arguit, & hortatur, vt in quiete viuant, & manibus operentur: vt otium vitent, & eleemosynas veris pauperibus relinquant. Erat enim tunc Ecclesia tenuis in fructibus, nec poterat omnium necessitatibus subuenire. *Ad II.*

Ad tertiam ex dictis patet, quòd velle viuere ex eleemosynis in præiudicium verorum pauperum, non careat culpa ob circumstantiam illam. Quod autem ex Ecclesiastico citatur, nil contra propositum agit, quia non loquitur contra mendicantes, sed contra auaros, qui cùm teneantur ex debito pauperibus subuenire, vel non subueniunt, vel diminutè, non quantum debent, elargiuntur. *Ad III.*

Ad qvartam dicendum, quòd si ratio valeret, probaret, quòd omnes deberent operam dare diuitiis acquirendis, quod clarè repugnat Euangelio, per quod docemur, perfectionis esse, omnia bona pauperibus erogare, diuitibusque ad regnum cœlorum aditum difficilem esse, atque in Domino, non in diuitiis esse fidendum. Quod de tentatione Dei dicitur, haberet locum contra illos, qui nec laborare, nec mendicare curant, omne quod eis necessarium est, diuinitus sperátes, qualiter videmus multos ex indiscre- *Ad IIII.*
B ta deuotione se totos Deo dimittere, & passim cadere. Quod deinde additur, quòd tales exponant se periculo furandi &c. dicendum, quòd non sit tale periculum obruens, cui non possit homo per Dei gratiam, & arbitrij libertatem, si velit, resistere: Non enim permittit Deus hominem vltrà, quàm potest, tentari.

Ad qvintam dicendũ, quòd ad mentem Euangelij nil referat, siue legatur coniunctim, siue diuisim, quod illic dicitur, scilicet, voca pauperes, debiles &c. Nam Christus illic intendit nobis significare, quæ sit eleemosyna, quam Deus ad æternam mercedem acceptat, illa scilicet, quam homo homini indigenti, propter ipsum Deum facit, & non propter retributionem, quam ab homine, cui eam facit, sperat. Ac proinde locus ille, quem magnifaciunt, parum illis suffragatur. *Ad V.*

Sexta ex Paulo citata, facilè soluitur, si attendamus ipsam Epistolam ad Timotheum, quando ait, quòd veræ viduæ sint de bonis Ecclesiæ alendæ; loquitur enim in casu, & pro eo tempore, quo Ecclesia erat inops, & paucas habebat facultates, vnde posset pauperibus omnibus subuenire, ob quam quidem Ecclesiæ inopiam, & ne Ecclesia grauaretur, dixit Paulus: Si fidelis habet viduam, alat eam, ne Ecclesia grauetur. Ideo de bonis Ecclesiæ non erat alenda, nisi quæ omni subsidio humano erat destituta. *Ad VI.*

Qvaeret fortè aliquis, an sicut est licitum, ita etiam sit necessarium, & de præcepto eleemosynas dare huiusmodi pauperibus voluntariis validis? Et iuxta ea, quæ suprà dicta sunt, quando quærebatur, quibus sit ex præcepto eleemosyna eroganda, non vi- *Aliud breue dubium.*
C deo, vnde cogamur sub pœna peccati mortalis, prætextu voluntariæ paupertatis, illis subuenire. Sicut enim illis voluntarium est à labore manuum abstinere, & mendicare, ita & nobis voluntarium videtur, eleemosynas illis erogare. Nec videtur nobis necessarium, illis subuenire ad hunc finem, scilicet ne spiritualia exercitia relinquant, operari coacti. Nam huiusmodi finem, etsi bonus, & laudabilis sit, ipsi sibiipsis prætendere non tenentur, cùm illis de consilio sit, perfectorum vitam imitari. Ac proinde nec nos tenebimur illos in tali perfectione conseruare, de bonis nostris illis necessaria ministrando, quæ si illis denegamus, cùm sibiipsis, si velint, possint operãdo subuenire, nullum præiudicium illis facere videmur. Dico notanter, prætextu voluntariæ paupertatis, quia fortè alia ratione tenemur in communi illis prouidere pro eo, quòd pro nobis orant, sacrificant, & spirituale verbum seminant, aliaque spiritualia opera & officia Ecclesiastica pro nobis exercent. Naturale quidem videtur, vt nostris benefactoribus grati simus & spiritualia seminantibus, corporalia nostra præbeamus: Dignus namq; est operarius cibo suo &c. Sed de his hactenus.

An necessariũ quoque sit dare eleemosynã sanis voluntariè pauperibus? Solutio negatiua prætextu volũtariæ paupertatis.

Nota. Ob alias tamen rationes, sunt etiam illis eleemosynæ erogandæ.

FINITVR CODEX DE ELEEMOSYNA.

CODEX DE ORATIONE. D

De definitione, & ratione ipsius.

QVÆSTIO PRIMA.

Orationis variæ proprietates. DE ORATIONE varias definitiones aſsignârunt Doctores, quanquam non propriè definitiones ſunt, ſed potiùs deſcriptiones quarundam proprietatum, ſeu conditionum ipſius orationis.
1. Oportet enim orãtem contemplari Deum, ipſiuſque bonitatem, ſimul & potentiam &c.
2. Oportet etiam ad Deum, tanquam ad bonorum deſideratorum largitorem, affectum dirigere.
3. Interdum etiam orans petit à Deo formaliter, quod deſiderat.
4. Interdum, non niſi interpretatiuè, vt quando deſiderium ſuum pandit, etiamſi nec ore, nec mente dicat: Domine, da mihi hoc, vel illud.
5. Præterea aliquando orat quis ex compunctione cordis, vt ſi pro remouendis malis deprecetur.
6. Aliquando verò ex amore & dulcedine, quam ſentit Deo adhærens, & ipſum cõtẽplans, cupiens ad perfectionẽ peruenire. Inde E in deſcribenda oratione, quidam attendunt ad hoc, quidam ad illud, alij verò ad aliud.

Variæ deſcriptiones orationis. DIXIT Damaſcenus: Oratio eſt aſcenſus intellectus in Deum. Notat contemplationem in oratione requiſitã. Dixit Auguſtinus: Oratio eſt pius mentis affectus in Deum directus. Notat deſiderium orantis, in quem debeat dirigi. Dixit Gregorius: Orare, eſt amaros in compunctione gemitus, & non compoſita verba reſonare. Notat, vnde procedat imperfectorum, ſeu peccatorum oratio, ſcilicet ex pœnitentia commiſſorum. Dixit Bernardus: Oratio eſt hominis Deo adhærentis affectio, & familiaris quædam, & pia alloquutio, & ſtatio illuminatæ mentis ad fruendum Deo, quamdiu licet. Notat, vnde procedat, & quô tendat perfectorum oratio. Dixit gloſ. 1. ad Theſſal. 5. Orare, eſt vota noſtra Deo pandere. Notat, quid ſit interpretatiuè orare, vt ſolet homo homini ſuam ſignificare indigentiam, etſi formaliter non petat, petit tamen virtualiter.

Probatur & explicatur definitio Damaſceni: Oratio eſt petitio decentium à Deo. DIXIT Damaſcenus: Oratio eſt petitio decentium à Deo. Notat, quid ſit, formaliter orare, quia ſcilicet petere, quid aliud eſt, quàm deſiderare. Et hæc deſcriptio poteſt pro definitione accipi, ſtrictè de oratione loquendo, vt ſcilicet ad iuſtam & honeſtam orationem reſtringatur. Et quod dicitur, à Deo, intelligatur mediatè, vel immediatè. Nam aliquando petitio noſtra dirigitur immediatè ad Sanctos, mediatè tamẽ ad Deum, tanquam ad largitorem bonorum, quæ deſideramus. A qua definitione non multùm diſcrepat Guillermus Pariſienſis in de diuina Rhetorica, dicens: Oratio eſt petitio, quæ ad Deum dirigitur, vel ad perſonas, ſeu perſonam propter ipſum. Quæ definitio etiam ad F orationem iniuſtam extenditur.

Definitio authoris. DENIQVE poteſt definiri oratio, magiſtraliter, & ſcholaſticè loquendo: Oratio eſt expreſsio deſiderij, facta Deo propter bonum adipiſcendum, vel malum remouendum, formata per verbum interius, vel exterius. Et quod dicitur, facta Deo, intelligatur mediatè, vel immediatè, vt ſuprà dicebam. Et datur de oratione honeſta, & extendit ſe ad mentalem orationem & vocalem. Et ſignificat, quid in oratione ſit petendum, & à quo, tanquam à largitore petendum ſit, quia pro indigente, cui vel bonum deeſt, vel malum adiacet. Extendit etiam ſe ad orationem perfectorum & pœnitentium.

Oratio cuius potentiæ & virtutis ſit.

QVÆSTIO SECVNDA.

I. Dubium. Cuius potentiæ actus ſit oratio? Sententia I. eſſe actũ intellectus practici. QVIBVS PRAEMISSIS, eſt dubium primum, cuius potentiæ ſit actus oratio, voluntatis, an intellectus? cuius etiam virtutis ſit. Et Thomas in 4. & 22. videtur dicere, quòd ſit ipſius intellectus practici, cuius eſt, ſubditis imperare, petere ab æqualibus, & precari ſuperiorem, idque per verbum imperatiui modi. Idem videtur tenere Richard. in ſuo 4. Et Gabriel in Canone, lectione 61. Cuius ratio videtur, quia orare mentaliter,

A mentaliter, est loqui ad Deum, petendo ab eo aliquid ab ipso orante, desideratum. Loquutio autem mentalis ad intellectum pertinet immediatè & elicitiuè, quamuis pertineat ad voluntatem, quatenus mouet intellectum, vt loquatur & oret. Tum etiam, cùm sæpe orans suadeat, vt optatum impetret, erit oratio suasiua. Suadere autem rationis est, non voluntatis, cuius est desiderare. Et ita orare erit potiùs intellectus, quàm voluntatis. Pro quo etiam facere videtur Aristoteles dicens, q ratio semper deprecatur ad optima.

II. Sententia, probabilior ẽ, scilicet esse actum voluntatis immediatum.

CONTRA tamen videtur, quòd sit immediatus actus voluntatis, & non intellectus. Tum, quia si immediatus esset actus intellectus, planè oratio esset cognitio. Quod tamẽ non videtur, quia nec apprehẽsiua cognitio est, nec iudicatiua, quandoquidem qui actu orat, non plus cognoscit, nec iudicat, quàm si non oraret, cæteris eodem modo se habẽtibus. Tum etiam, quia ille actus, quem hæc verba significant, fac hoc, da mihi hoc &c. potiùs ad voluntatem pertinet, quàm ad intellectum; nam imperare non est nisi voluntatis, cui subsunt hi, quibus imperat. Est enim voluntas velut regina aliarũ potentiarum, quæ aliis potentiis non subest, sicut aliæ ipsi subsunt. Tum etiam, quia orare, seu petere mentaliter, est actus merè voluntarius, & immediatè in potestate orantis existens, vt suppono; sed actus intellectus non est immediatè, & in se liber; igitur oratio actus voluntatis est potiùs, quàm intellectus. Pro quo faciunt, quæ aliàs adduximus probando, intellectum nostrum non esse in se liberum, sed voluntatem.

II. Dubium. Ad quam virtutem oratio pertineat.

Ratio dubij.

Conclusio I. Non semper actus laudabilis cõsistit in actione, sed aliquando in solo affectu, aliquãdo in passione sponte tolerata.

B AD SECVNDVM, scilicet cuius virtutis sit actus orare, seu ad quam virtutem pertineat; Nam recipere ab alio, non videtur ad virtutem pertinere, cùm virtus in actione consistat, non in passione; Igitur desiderare, recipere, non erit actus virtutis, & ita nec petere bonum ab alio. Respondetur, non semper actum laudabilem consistere in actione, sed aliquando in solo affectu, aliquando in passione, voluntariè tolerata. Primum patet de actu pœnitendi, qui si propter Deum fiat, bonus est, & meritorius, etiamsi solus habeatur sine formali proposito rectè viuendi. Secundum etiam patet, de passione mortis pro Repub. pro Rege, pro Christo, voluntariè toleratæ. Similiter continentia virtus est, & in actione non consistit, sed in proposito seu affectu non se alicui carnaliter commiscendi. Itaque virtus moralis consistit aliquando in actione, aliquando in passione, aliquando in non actione, aliquando in solo affectu. Vt optare proximis beatam vitam, laudabile est, & meritorium, ita & eandem nobis ipsis optare, laudabile est, & meritoriũ. Orare etiam pro proximis, laudabile est & meritorium, orare etiam pro nobis similiter.

Conclusio II. Oratio procedẽs ex amore Dei aut proximi, pertinet ad charitatem: sin ex cognitione diuinæ potentiæ & misericordiæ, ad latriam.

REFERT tamen, vnde huiusmodi oratio procedat, ad cognoscendum, ad quam virtutem pertineat. Si enim solùm procedat ex amore proximi, vel proprio, ad amicitiam, seu charitatem pertinet. Si ex animo recognoscendi Dei potentiam & misericordiam, qui potens est, & paratus dona sua humilibus donare, ad latriæ virtutem pertinet: Deum enim colimus, quando ipsum tanquam ab eo dependẽtes oramus, in quo & illius potentiam, & nostram indigentiam confitemur. Latria autem ad virtutem iustitiæ reducitur; Est enim Latria, reddere Deo cultum, ipsi soli debitum.

C

Aliud argumẽtũ contra I. sententiam prioris dubij.

HINC VIDETVR ratio sumi contra Thomam in eo, quòd ait, orationem esse actum immediatum intellectus, vt dicebatur in dubio præcedenti, cùm tamen dicat ipsemet, quòd oratio sit actus latriæ elicitiuæ: Latria enim virtus est voluntatis, vt ipse & cæteri fatentur, sicut & iustitia, cuius pars latria est, virtus est voluntatis. Si igitur oratio est actus latriæ elicitiuæ, sequitur, quòd oratio actus voluntatis sit, & si actus intellectus esset, alterius virtutis intellectualis esset actus, scilicet prudentiæ elicitiuæ. De hoc aliàs.

Quid in oratione petendum.

QVÆSTIO TERTIA.

Duo sunt in oratione petenda.

Bona in oratione petenda sunt in duplici differentia.

ALIVD DVBIVM, quid sit in oratione à Deo petendum. Respondetur, ex definitione ipsius orationis patere responsionẽ: Duo enim veniunt petenda, hæc sunt, remotio mali, & collatio boni. Est tamen bonum, quod per se, & secundùm se appetibile est, vt vita beata, & virtutes ad eam conducẽtes. Et talia semper & determinatè petere, licitum est & conueniens. Est aliud bonum, quod prodesse potest, & aliquando obesse, quo scilicet potest homo malè vti. Tale est bonum corporis, scilicet sanitas, inte- I.
gritas, agilitas, pulchritudo, & vita: Tale etiam est bonum honoris & famæ: Tale etiam est II.

 bonum

bonum fortunæ,seu externum,diuitiæ,vxor,filij &c.Hæc igitur non sunt absolutè à Deo petenda, nisi quatenus vel necessaria sunt,vel vtilia, aut conuenientia ad vitam beatam, seu quatenus Deo placuerit, ea conferre, & prout ipse viderit expedire. D

Bona secundum se appetibilia absolutè & semper peti possunt. Matth. 6. Psal.79. Psal.26.

PRIMVM, scilicet quòd vita beata,& virtutes ad eam conferentes possint peti,apertum est ex oratione Dominica,qua petimus: Adueniat regnum tuum &c. Et ex scriptura,in qua petimus: Ostende nobis faciem tuam, & salui erimus. Et iterum:Dirige me in semitam mandatorum tuorum.Et ex Ecclesia,quæ orat:Da nobis fidei,spei,& charitatis augmentum.

Bona item temporalia vt ad vitam sunt necessaria, petere licet. Prouerb. 30.

SECVNDVM, scilicet quòd bona temporalia licitum sit petere,quatenus ad vitam sunt necessaria, patet exemplo Salomonis, qui orando petebat, dicens: Victui meo tribue necessaria. Et ex Oratione Dominica, in qua petimus: Panem nostrum quotidianum da nobis hodie &c. Quod non solùm de spirituali pane, sed de corporali etiam intelligendum est, vt dicit ibidem glossa, & Doctor sanctus in præsenti materia. Et idem etiam patet ex litania Ecclesiæ, in qua Deum orat pro pluuia congruente, & vt fructus terræ dare & conseruare dignetur. Et denique generaliter licitum est in oratione petere id, quod licitum est desiderare, vt ait Augustinus ad Probam. Cùm ergo licitum sit, non solùm bona animæ, sed etiam corporis, & fortunæ desiderare, consequens est,licitum esse,ea in oratione petere.

Bona corporis & fortunæ non absolutè, sed cū conditione petenda sunt. Probatur I. II. III.

TERTIVM, scilicet quòd huiusmodi bona tam corporis, quàm fortunæ seu externa, non sint absolutè, & determinatè petenda, sed cum remissione ad Dei beneplacitum, patet, tum quia fortè illa, si darentur, nocerent potiùs quàm prodessent, de quo certi esse non possumus, vt ait Paulus: Quid oremus, vt oportet, nescimus. Tum etiam exemplo Christi, qui cùm patrem oraret, vt calicem eius transferret, suam tandem voluntatem patris voluntati subiecit, dicens: Veruntamen non mea,sed fiat voluntas tua. Tum etiam, ex Dominica Oratione, in qua petimus: Fiat voluntas tua, sicut in cœlo, & in terra.Cui petitioni contraire videtur, qui absolutè & determinatè aliquid huiusmodi à Deo petit.Talis enim potiùs videtur petere suam fieri voluntatem,quàm Dei. Vnde & filij Zebedæi à Christo repulsi sunt, cùm absolutè mediante matre sua à Christo peterent,vt alterum poneret à dextris, alterum à sinistris in regno suo:Nescitis,inquit Christus, quid petatis. E

Corollarium I. Non licet absolutè petere omnes omnino virtutes morales.

COROLLARIE sequitur, non esse licitum absolutè & determinatè petere in oratione virtutes omnes morales. Patet, quia multæ sunt virtutes morales, in specie, quæ sine bonis temporalibus, aut corporalibus haberi non possunt, igitur si talia bona corporalia & temporalia non sunt absolutè & determinatè petenda, neq; præfatæ virtutes. Antecedens patet de liberalitate & magnificentia, quæ sine bonis fortunæ haberi non potest.Patet de fortitudine bellica,quę sine armis & corporis robore haberi non potest. Patet de castitate coniugali, quæ sine coniuge haberi non potest. Patet de iustitia Reip. gubernatiua, quæ sine dignitate temporali haberi non potest. Et ad hunc modum de multis aliis potest exemplificari. F

Corollarium II. Petere bona temporalia etiam superflua ad finem bonum licet: quamuis periculosa sit ea petitio.

COROLLARIE sequitur, non solùm licitum esse petere bona temporalia, quatenus ad vitam sunt necessaria, sed etiam bona superflua, id est, diuitias, modò ad bonum finem ordinentur, etiamsi periculosa sit huiusmodi petitio. Primum patet,quia licitum est,habere diuitias,& meritorium eas in pias causas,& gloriam,Dei expendere,igitur licitum est,eas ad huiusmodi finem desiderare,& ex consequenti eas petere;conditionaliter tamen, vt dictum est, Dei voluntati proprium desiderium, & eius exequutionem submittendo.Secundum etiam patet ex Salomone petente à Deo;Diuitias & paupertatem ne dederis mihi, ne fortè satiatus,alliciar ad negādum,& dicam,quis est Dominus? Idem patet ex Psal.Melius est modicum iusto super diuitias peccatorum.Christus etiam comparat diuitias spinis,quæ animam pungunt,& sæpe impediunt,ne quis regnum Dei ingrediatur,iuxta dictum Christi:Difficilius est hominem diuitem ingredi regnum Dei, quàm camelum per foramen acus transire.

Soluitur duplex obiectio. I. Responsio.

SI QVIS obiiciat dictum Christi Matth.6. Primùm quærite regnum Dei, & hæc omnia adiicientur vobis. Super quo Augustinus ait,bona temporalia non esse quærenda. Respondetur,Christum contra eos loqui,qui principaliter de crastino soliciti sunt,quid scilicet cras comedent, quid induent, cùm tamen hæc non sint primò & principaliter quærenda, non tamen negat, quin secundariò possint quæri, & appeti, & peti.

SI RVR-

A Si rvrsvs obiicias Psalm. 61. Diuitiæ si affluant, nolite cor apponere &c. vbi videtur prohiberi affectus, & desiderium diuitiarum. Respondetur, quòd nō eos damnet, qui diuitias appetunt, sed qui diuitiis cor apponunt, quales sunt, qui eas appetunt, vt eisdem fruantur, seu qui totum, aut principalem affectum illis adhibent, finem seu fœlicitatem in illis collocantes. Qui autem diuitias possident, & petunt & appetunt, vt illis debitè, & vt oportet, vtantur, non apponunt illis cor suum. *Responsio.*

Corollarie sequitur, licitum esse in oratione petere mortem, vel propriam vel alienam, non absolutè, sed conditionaliter, scilicet si homo finaliter non sit corrigendus. Patet hoc exemplo Anastasiæ, quæ orabat Deum, vt suum maritum Publium de medio tolleret, vt daret locum Sanctis, si non erat finaliter corrigendus. Et Cyrillus in quadam epistola ad Augustinum orat Deum, vt hæreticum quendam resipiscere nolentem occidat. Idem etiam potest iusto optari, si timetur, ne diu viuens, in peccatum cadat. Licitum enim est viris iustis beneficium Dei optare, tale est, eos de hoc seculo nequam rapere, iuxta illud Sapientiæ: Raptus est, ne malitia mutaret intellectum illius, aut fictio deciperet animam eius. Idem patet de seipso, exemplo Pauli dicentis: Cupio dissolui & esse cum Christo. Et Iob etiam mortem propriam desiderabat, nec in hoc videtur peccasse vir tam iustus, & à Deo commendatus. Pro quo etiam facit, quod dicitur: Melior est mors, quàm vita amara. De duobus autem, quorum alterum est eligendum,
B illud videtur præeligendum, quod melius est.

Corollariū III.

Quatenus licitum sit petere mortem vel propriam vel alienam in oratione.

Quis orandus, Deus solus, an etiam Sancti.

QVÆSTIO QVARTA.

Alivd dvbivm, quis orandus sit, Deus, an alij Sancti? Et primò arguitur, quòd Deus non sit orandus, quia orare, est ei, quem oramus, nostrum desiderium pandere, vt illud compleat, nos autem nil possumus Deo pandere, qui ab æterno omnia nouit, etiam ea, quæ nos intus desideramus, prout dicit Christus: Scit enim Pater vester cœlestis, quid vobis opus sit, antequā petatis, igitur superfluum videtur, Deum orare, sed sufficit desiderare.

Deum non esse orandum. Probatur I.

Secvndo oramus aliquem, vt voluntatem eius ad id agendum, quod petimus, flectamus; sed voluntatem Dei nos non possumus flectere, aut mutare, vt ait Iacobus in Canonica, cap. 1. Apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio. Et Numeri 21. Non enim Deus homo est, vt mentiatur, nec Filius hominis, vt mutetur. II.

Tertio superfluum omnino videtur orare pro eo, quod necesse est euenire, vel impossibile, sed id quod à Deo petimus, est huiusmodi. Nam vel Deus ab æterno decre-
C uit id facere, quod in oratione petimus; & si sic, necesse est illud euenire, cùm Dei voluntas ob sui impotentiam frustrari, aut impediri non possit. Vel Deus decreuit illud non facere; & si sic, impossibile est illud fieri, quod petimus. Dicere autem, quòd Deus nec decreuit ab æterno vnum nec alterum, sed suspensam habuit voluntatem, quousq; quis eum oraret, non est rationabiliter dictum, quia Deus sicut nil ex tempore scit, sed omnia ab æterno sciuit, ita nil ex tempore vult, sed omnia, quæ vult, ab æterno voluit, alioqui nouitas aliqua videretur esse in Dei voluntate, quod est falsum. III.

Respondetvr, rationes has nil probare: Ad primam enim, quando arguitur, quòd orare, sit pandere &c. Esto id ita sit, falsum tamen est, quòd nos non possimus Deo nostra vota pandere. Aliud enim est, quenquam docere, aliud ad eum loquēdo, id quod optamus, repræsentare. Igitur ex quo Deus omnia scit, non possumus nos eum quicquā docere. Possumus tamen ei vota nostra repræsentare, vt nos illi humiliantes, digni efficiamur, vt quod petimus, assequamur. *Respōdetur ad primum.*

Ad secvndam, falsum videtur, quòd nos non possimus flectere voluntatem Dei, aut quodammodo mutare, si indistinctè dicatur. Nam constat, Deum sententiam suam ob opera nostra bona, aut mala sæpe mutare: Si eñ ob peccata eramus in ira Dei, ad gehēnam ordinati, & tamen per pœnitentiam resipiscamus, mutat Deus sententiā. iuxta illud Hiere. 16. Noli subtrahere verbum, si fortè audiat, & conuertatur vnusquisq; à via sua mala, & pœniteat me mali, quod cogito facere eis, propter malitiam studiorum suorum.

Ad II.

Quatenus possimus orationibus nostris Dei flectere voluntatem, absque omni tamē reali mutatione Dei.

 Vbi

Vbi glof. Et pœnitentibus mutatis, ipfe pœnitens mutat fententiam. Sic etiam ait beatus Gregorius: Nouit Deus mutare fententiam, fi tu noueris corrigere delictum, cap. Commutabilis 22. q. 4. Sicut igitur per opera pœnitentiæ & virtutum fumus caufa, vt Deus fententiam mutet, & nos in fui gratiam admittat, ita & per orationem poffumus effe caufa, vt Deus ad vota noftra condefcendat. Quod fit abfque omni mutatione reali ipfius Dei, quod facile eft intelligere, pofita diftinctione communi, fcilicet quòd Deus determinat aliquid facere dupliciter. Vno modo fimpliciter & abfolutè, ita vt ad id volendum, non determinetur ab operibus noftris, & hanc voluntatem nos non poffumus mutare, nec in aliã flectere. De quo procedit illud, quod dixit Samuel: Porrò triumphator in Ifraël non parcet, & pœnitudine nõ flectetur, nec vt homo, vt agat pœnitentiam; Et fic procedit, quod fuprà in ratione hac citatum eft. Alio modo vult Deus aliquid facere, iuxta exigentiam noftrorum operum. Vt fi bona fint, dabit præmium, ecõtrà fi mala, fupplicium; & hanc voluntatem dicitur mutare fecundùm noftram mutationem. Sic enim fecundùm præfentem iuftitiam ordinat hodie Petrum ad gehennam, quem cras pœnitentem ordinabit ad gloriam. Et huiufmodi Dei voluntas feu decretum magis videtur & eft conditionatum, quàm abfolutum. Et cùm dicitur Deus mutare propofitum, feu fententiam, conftat, quòd mutatio realis non in Dei voluntate fit, fed in nobis, vel in tempore, vt aliâs ad longum explicuimus. Ita igitur ftat, quòd Deus determinet nõ dare nobis, quod optamus, fi non oremus; & nobis orantibus, flectatur, & det, quod petimus, idque abfque omni mutatione reali ipfius Dei.

Deus determinat aliquid facere dupliciter. I. II.

Cùm Deus dicitur mutare propofitum fuum, nulla mutatio realis eft in Dei volũtate, fed in nobis.

Ad III.

Ad tertiam refpondetur, quòd fi aliquid probaret, æquè probaret, quòd omnino fuperfluum & inutile fit homini opera bona facere, aut mandata feruare, quodq; nil noceat homini perperam viuere. Patet, quia vel Deus ab æterno decreuit hominem faluare, vel damnare. Si primum, neceffe eft illum faluari, quicquid agat. Si fecundum, impofsibile eft, eum faluari, quicquid agat. Dico igitur, admiffo quòd Deus ab æterno decreuit alterum illorum, fcilicet vel dare nobis, quod petimus, vel negare; non tamen inde fit, vt vel neceffarium fit, vel impofsibile, quod petimus, loquendo de necefsitate & impofsibilitate cõfequentis. Patet hoc, quia hoc, quod peto, fcilicet, vt Deus liberet me à certa tentatione, in fe merè contingens eft, in plena Dei libertate confiftens, etiamfi alterum ex contradictoriis Deus ab æterno decreuerit. Sicut enim Dei præfentia rebus euenientibus necefsitatem nõ imponit, ita nec Dei decretum. Secùs fi loquamur de necefsitate aut impofsibilitate confequentiæ, nam fic neceffe eft fi Deus decreuit aliquid facere, vt fiat, & impofsibile eft, fi decreuit illud nõ facere, vt fiat. Et ita patet, quòd ftante necefsitate, vel impofsibilitate confequentiæ, feu conditionalis, remaneat in feipfum confequens contingens, quod in noftra oratione à Deo petimus.

Etiãfi Deus ab æterno decreuerit dare vel negare quod petimus, inde tamẽ non fequitur effe vel neceffarium, vel impofsibile quod petimus.

Obiectio duplex. I.

Sed contra videtur replica, quòd orans petat, quod neceffarium eft, nam in omni oratione ponitur, vel fubintelligitur conditio, videlicet, fi Deus vult, non enim debemus petere abfolutè à Deo aliquid, etiamfi ipfe nolit; hoc enim effet diuinæ voluntati reniti, cui tamen noftram tenemur voluntatem cõformare, igitur fi peto aliquid à Deo, intelligo, fi ipfe velit. Cuius exemplum Chriftus nobis contulit, quando ad Patrem orãs dixit: Pater fi vis, transfer à me calicẽ hunc. Sed pofita hac conditione in oratione, conftat effe neceffarium, quod petimus, fcilicet peto Domine, vt des mihi gratiam, fi vis; vt des mihi fanitatem, fi vis. Neceffarium enim eft, vt det, fi vult. Refpondetur quòd illa conditio non apponatur ex parte obiecti petiti, fed fit conditio orationis, feu petitionis, non rei petitæ, ita fcilicet, vt oratio fit conditionalis, non res, quam petimus. Et ita ftat, quod dixi, fcilicet contingens effe id, quod in oratione petitur, non neceffarium, quale effet, fi petitio tenderet in conditionalem illam, fcilicet, fi vis Chrifte, fac hoc. Aut dicatur aliter, quòd illa conditio non ponatur in oratione, vt oratio fiat conditionalis, nec vt res conditionata petatur, nec ponatur illatiuè, fed fubmifsiuè, ita fcilicet, vt orans fub illa conditione non intendat confequentiam facere, feu conditionaliter loqui, fed fuam voluntatem, & rem ipfam petitam diuinæ voluntati fubmittere, qualis fubmifsio & humilitas in oratione requiritur. Hoc fatis fignificauit Chriftus quando dixit: Tranfeat à me calix ifte; veruntamen non mea, fed tua voluntas fiat. Sic etiam quando virgo dicit: Contraham tecum, fi Patri meo placuerit, ly, fi, non illatiuè, feu confequentialiter accipitur, fed fubmifsiuè, vt dictum eft. Et tunc nulla eft necefsitas nec confequentia in re, quam in oratione petimus.

Solutio I.

Solutio II.

Sed

A Sed vltra insurges. Esto saluetur contingentia rei petitæ, nō tamen videtur superfluitas orationis excusari, cùm necesse sit impleri, quod Deus ab æterno decreuit, & impossibile, quod non decreuit. Respondetur, sicut opera bona superflua non sunt ad consequendam vitam beatam, ita nec orationem ad eundem finem superfluam esse. Sicut enim Deus ab æterno decreuit vitam hominibus dare, sed nō nisi mediantibus operibus bonis, ita ab æterno multa bona largiri homini decreuit, sed nō nisi mediante oratione, quæ actus virtutis est, & Deo gratus. Et sicut ab æterno præuidit vniuscuiusq; opera, secundùm quæ vnicuiq; retribuere decreuit, ita ab æterno præuidit vniuscuiusq; orationes, & petitiones, secundùm quas etiam vota complere decreuit, prout sibi eas acceptare placuit. Et ita sicut, seclusis bonis operibus, tollitur, Deum decreuisse gloriam dare, ita seclusis orationibus, tollitur, Deum decreuisse desideria complere, vt aliâs latiùs in de prædestinatione explicuimus. Vnde apertè patet, opera nostra, & orationes, quas ad Deum fundimus, non esse superflua, aut impertinentia, qualia essent, si Deus absolutè alterum eorum facere decreuisset, & non secundùm exigentiam nostrorum operum & orationum.

II. Obiectio.

Responsio.

Sicut opera bona superflua nō sunt ad vltimū finem, ita neq; oratio.

Colligitvr ergo, Deum esse à nobis salubriter orandū: Nam & Prophetæ orauerunt Deum. Christus orauit, & Christus nos orare docuit. Ecclesia Christi spōsa quotidie, & frequētissimè orat, & huiusmodi orationes sanctas, & salutares esse determinat. B Et naturalis ratio hoc idem dictat, esse scilicet orandum superiorem, in cuius potestate est, nostris subuenire miseriis, hic autem Deus est.

Conclusio. Esse Deum à nobis orandum.

Esto igitvr, Deus orandus sit, an cōueniat orare singulas personas? Quod quæritur de Spiritu sancto specialiter: nam de Patre, & Filio non dubitatur, quin orandi sint. De Spiritu sancto tamen esset ratio dubitandi, quia, vt ait Erasmus, antiqui, & sancti Doctores orationes suas non solebant ad Spiritum sanctum dirigere, sed ad Patrem, & Filium. Hilarius etiam nonnullam in hac re differentiam videtur ponere inter duas primas personas & Spiritum sanctum, qui tertia persona est. Ait enim 12. de Trinitate: Conserua, inquit, hanc oro fidei meæ religionem, vt quod in regenerationis meæ Symbolo professus sum, semper obtineam, te Patrem & Filium tuum vnà tecū adorem, Spiritum sanctum, qui ex te per vnigenitum tuum est, promerear. In quo videtur innuere, Spiritum sanctum magis promerendum esse, quàm orandum.

Aliud dubium. An singulæ personæ diuinæ sint orandæ.

Ratio dub. de Spiritu sancto.

Respondetvr quòd Spiritus sanctus sicut Pater & Filius, veniat orandus. Id patet ex Ecclesiæ ritu, orat eñ Ecclesia ipsum Spiritum sanctū immediatè, sicut & Patrem, quod apertum est in Litaniis per Ecclesiam prolatis & institutis, in quibus oratio ad Patrem, oratio ad Filium, oratio ad Spiritum sanctum immediatè dirigitur. Patet etiā de multis aliis orationibus, quæ in Missis, quæ ab Ecclesia celebrantur, ad Spiritum sanctū immediatè diriguntur. Patet etiam ratione, quia qua ratione Pater & Filius, eadem Spiritus sanctus orandus est, siquidem oramus Patrem, quia largitor est bonorum, à quo similiter C omnia pendent, quandoquidem vnius potentiæ & essentiæ est cum Patre & Filio, eiusdem etiam bonitatis & misericordiæ, eadem etiam adoratione colendus. Omnium etiā trium opera ad extra omnia sunt indiuisa.

Resolutio affirmatiua. Etiam Spiritus sanctus quēadmodū & Pater, & Filius orandus est.

Nec obstat, quod antea dictum est: Nam si Veteres orationes solebant immediatè ad Patrem & Filium dirigere, nō ita ad Spiritum sanctum, non ideo id fiebat, quòd Spiritus sanctus orandus non esset, sicut aliæ personæ, sed proprietatē Spiritus sancti attendentes, congruentiam quandā in orando seruabant. Proprium enim est Spiritui sancto esse donum Patris & Filij. Et cōgruit, magis donum à largitore doni petere, quàm ab ipsomet dono. Ideo congruentiam hanc seruantes, à Patre & Filio donum sibi elargiri petebant, & ipsum donum, quod Spiritus sanctus est, promereri curabant. Et id sonant verba Hilarij: Nos autem scientes, quòd non solus Pater & Filius dant Spiritum sanctum nobis, sed ipsemet Spiritus sanctus dat seipsum nobis, tam in se, quā in suis donis, ex quo hoc, quod est, Spiritum sanctū dari hominibus, fit opus ad extrà, quod necesse est omnibus tribus commune sit. Ideo veritatē sequendo, dimissa præfata congruentia, dicimus, Spiritum sanctum cum Patre & Filio adorandum, & cum Patre & Filio orandum.

Solutio rationis dubij.

Sed an Sancti, qui cum Christo regnant, sint à nobis orandi? Et dixerūt aliqui hæretici, quòd non, eò quòd Sancti nobis prodesse nō possunt. Pro qua sententia arguūt primò ex Paulo 1. ad Thim. Vnus est Mediator noster Christus Iesus. Non igitur Sancti pro nobis vtiliter intercedunt, alioqui plures essent nostri mediatores apud Deum.

Aliud dubium. An Sancti sint orandi?

Argumēta negatiua. I.

Secvn-

II. SECVNDO ex Ioanne in Canonica: Aduocatum habemus apud Patrem Christum Iesum, qui propitiatur pro nobis. Si igitur ipse pro nobis propitiatur, superfluę sunt aliorum Sanctorum preces, quas pro nobis fundunt. D

III. TERTIO ipsi Sancti pro seipsis orantes, à Deo non exaudiuntur, igitur nec si pro nobis orent. Antecedens probant ex illo Apocalyp. 6. Vbi dicitur, quòd Martyres clamant ad Dominum, dicentes: Vsquequo Domine non iudicas, & vindicas sanguinem nostrum de his, qui habitant in terra? Vnde patet eos, non exaudiri, alioqui non ita conquererentur de Deo.

IIII. QVARTO quia Sancti in cœlo existentes non sunt in statu merendi, aut demerendi sibi, igitur nec nobis.

V. QVINTO quia Deo soli est exhibendus cultus latriæ, iuxta illud Pauli: Soli Deo honor & gloria in secula seculorum, sed oratio est species latriæ, vt suprà dictum est: igitur solus Deus orandus est, non homo, etiamsi sanctus sit.

Resolutio affirmatiua. IN OPPOSITVM est veritas, scilicet quòd Sancti sunt à nobis orandi, & inuocandi, qui suis intercessionibus possunt nobis multa bona impetrare. Et quia hoc aliâs in Codice de suffragiis ad longum ostendimus authoritate Scripturæ, authoritate Sanctorum, & Ecclesię determinatione, ideo à probationibus supersedeo, & ad pręsens satis est, breuiter soluere præfatas rationes.

Argumenta cótraria diluuntur. *Ad* I. AD PRIMAM dicendum, quòd Christus sit vnicus principalis Mediator intercedẽdo pro nobis, cum quo stat, alios esse mediatores intercedendo similiter pro nobis, quãuis Christo inferiores. Nam & Domina nostra, à Sanctis nostra mediatrix nuncupatur. Cùm autem Christus dicitur vnicus Mediator, vnicus, potest accipi pro præcipuo. Si autem præcisiuè seu exclusiuè accipiatur, dicitur Christus vnicus Mediator participatione naturæ diuinæ, & humanæ. Similiter vnicus est in opere redemptionis. E

Ad II. SECVNDA ex Ioanne nil mouet, quia etsi Christus pro nobis intercedat, non inde excluduntur alij intercessores, imò potiùs sequitur, alios Sanctos similiter pro nobis intercedere, volentes in hoc Christo capiti se conformare. Nec sequitur, esse superfiuas Sanctorum orationes, quas pro nobis fundunt, quia tunc similiter esset dicendum, superfluas esse orationes Ecclesiæ, quas pro nobis, & pro defunctis facit.

Ad III. TERTIA ex Apocalypsi, falsa est, quod Martyres in suis votis nõ exaudiantur, quandoquidem primam stolam, coronam triumphi illicò recipiunt, vindictam etiam, quam petunt, obtinebunt, quæ eisdem etiam ibidem promittitur. Nam dicitur ad eos, vt requiescant, adhuc tempus modicum, donec compleatur numerus conseruorum suorũ. In quo apertè illis spes datur vindictæ, quam petunt.

Ad IIII. AD QVARTAM, quamuis non sint in statu merendi, sunt tamen in statu liberaliter, & per viam gratiæ nobis aliquid à Deo impetrandi.

Ad V. AD QVINTAM, Oratio quatenus dirigitur in Deum mediatè vel immediatè, in recognitionem omnipotentiæ Dei, à quo omnia pendent, pertinet ad latriam, & ita orare aliquem, tanquam supremum omnium largitorem nefas est, nisi is, quem oramus, Deus sit. Et qui illo modo aliquem Sanctum oraret, idololatraret. Oramus igitur Sanctos, nõ tanquam bonorum largitores, sed tanquam intercessores & aduocatos. Et licet in hoc eos quodammodo colamus & honoremus, attamen talis honos illis conueniens est, & non Deo debitus, seu primus. F

Sancti orandi sunt vt intercessores et aduocati apud Deum.

Aliud dubium. *An ex sola Scriptura sacra sufficiẽter colligatur & probetur Sanctos à nobis inuocãdos esse.* ESSET TAMEN dubium, An supposito, quòd Sancti sint à nobis vtiliter orandi, possit hæc veritas per solius Scripturæ sacræ testimonia apertè & sufficienter probari, seclusa determinatione Ecclesiæ: Quæ inquisitio valeret ad ampliùs confundendos hæreticos, solis Scripturis adhærentes. De qua quæstione cùm nonnulli contenderent, videbatur quibusdam pars negatiua probabilis.

Solutio affirmatiua latè sumẽdo nomen orationis. OPPOSITVM tamen tenẽdum videtur, scilicet quòd ex Scriptura sola sufficienter colligitur, Sanctos vtiliter à nobis inuocari, & orari, sumendo orationem largè, vt ad deprecationem, seu supplicationem se extendat. Hoc videtur primò, quia in Scriptura legitur de Angelis, quòd orent Deum, seu intercedant pro nobis, vt vota nostra à Deo cõpleantur. *Probatur* I. Hoc patet Thobiæ 12. vbi dixit Angelus ad Thobiam: Quando orabas cum lachrymis, & sepeliebas mortuos, & eleemosynam dabas, ego orationẽ tuam obtuli Domino. Et quid est, Angelum orationem nostram Deo offerre, nisi supplicare illi, vt eam adimplere dignetur. Non enim eam Domino offerebat, vt ipsa oratio Domino innotesceret,

A sceret, omnia enim aperta sunt oculis Domini, igitur ad hoc offerebat orationem Domino, vt Dominus eam compleret. Nec hoc aliter fieri videtur, nisi ipso Angelo supplicante, vt Dominus votis orantium condescendat. Et nec Angelus id ipsi Tobiæ narrasset, scilicet, orationem eius Domino obtulisse, nisi vt significaret modum, quo ipse Tobias vota sua fuerit consequutus, mediante scilicet ope ipsius Angeli. Itaque hinc apertè constat, Angelos pro nobis intercedere, & vtiliter.

PRAETEREA legitur Zachariæ 1. Angelum afflictionē populi Dei miseratum sic Dominum rogasse; Domine exercituum, vsquequo tu non misereberis Hierusalem, & vrbium Iuda, quibus tu iratus es? Vnde & obtinuit à Domino clemens, & cōsolatorium responsum, quod ipsi populo annuntiaret. Intercedunt igitur sancti Angeli pro nobis, & sæpe, vel in toto, vel in parte exaudiuntur. II.

PRAETEREA legitur 2. Machab. 15. quòd Hieremias (cùm defunctus esset) orabat assiduè Dominum pro populo Dei, dedisseq; inde gladium, dicens: Accipe sanctum gladium, munus à Deo, in quo deiicies aduersarios populi Israël, sicut & factum est. In quo apertè docemur, Sanctos defunctos, & Dei amicos pro nobis intercedere, & eorum orationes, quas pro nobis ad Deum fundunt, exaudiri. III.

PRAETEREA de multis sanctis viris legitur apertè, quòd Christum & Deum pro aliis orauerint, eosq; exauditos esse, vt paulò pòst patebit. Ac proinde, vt concludit Hie-B ronymus, hoc idem à fortiori credendum est de Sanctis defunctis, cum Christo regnantibus, quòd pro nobis orent & exaudiantur. IIII.

SI DICAS, ex his non colligi, nisi Sanctos pro nobis intercedere, & interdum audiri, non tamen inde fieri, vt nos orationes nostras ad Sanctos dirigere debeamus. Illud enim faciunt Sancti ex charitate, quam ad nos habent, quod non minùs facerent, non orantibus nobis. Respondetur, ita esse, quòd apertè ex dictis non ostendatur, Sanctos esse à nobis orandos, sed ipsos apud Deum pro nobis intercedere. Inde tamen apertè colligitur, illos per nos esse orandos, quia omnis ille potest conuenienter per nos orari, qui sua ope, aut precibus, potest nostra vota honesta complere. Tales sunt Sancti cum Christo regnantes, vt ex dictis patet, igitur.

Obiectio.

Solutio.

Ex eo, quòd Sancti pro nobis intercedant apud Deum colligi, eosdem à nobis orandos esse.

PRO QVO etiam facit, quod legitur Iob. 5. Voca ergo aliquem, qui tibi respōdeat, & ad aliquē Sanctorum te conuerte. Ex hoc probat Thomas conclusionem præfatam.

DENIQVE hoc idem videtur ex Hier. 15. Si steterit Moyses & Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum. Et Ezech. 14. Si Noë, Iob, & Daniel orassent pro eis, non eos saluarent. Et tunc constat, sanctos illos Prophetas defunctos esse, & tamen inde apertè colligitur, Sanctos illos solitos esse Deum orare, & à Deo exaudiri. Alioqui quorsum illud dixisset Deus? Itaque ex sola Scriptura apertè colligitur, Sanctos Dei pro nobis intercedere, & multa bona per suas intercessiones nobis impetrare, & ex consequenti, esse à nobis vtiliter orandos.

C DE animabus etiam, quæ sunt in purgatorio, solet dubitari, an sint à nobis orandæ. Ratio dubitationis est, quia Sancti, qui sunt in hoc seculo, possunt à nobis conuenienter orari, vt patebit dubio sequenti, igitur & animæ purgatorij, quandoquidē nō minùs charæ sunt Deo præfatæ animæ, quàm qui in hoc seculo viuunt. Tum etiā, quia illę animę possunt suis intercessionibus nobis prodesse. nam si aliqd obstaret, quò minùs possent, maximè quia sunt in pœnis, sed hoc non obstat, quia Sancti viuentes sępe sunt in pœnis actu, & reatu, imò & in peccatis, saltem venialibus, & tñ possunt nobis apud Deum prodesse. Nec obstat, quòd non sint in statu merendi, nam Sancti in cœlo nō sunt in statu merendi, tamen eos vtiliter oramus, & ipsi nobis sępe succurrūt. Cùm igitur illos possimus vtiliter & cōuenienter orare, qui verbis, aut opere nobis ad salutem prodesse possunt, & animæ purgatorij possint, sequitur, quòd eas possumus conuenienter orare.

Aliud dubium. An animæ purgatorij sint à nobis orandæ.

Rationes affirmantes.

I.

II.

III.

CONTRARIVM tamen video à Doctoribus teneri, quia in tali statu sunt, quo magis conueniat pro illis orare, quàm eas orare, vt patet. Et etiam, quia oratio ad aliquem prudenter dirigi non potest, nisi is, quem oramus, intelligat, seu audiat, quod ab eo petimus, alioqui inepta & ridenda videtur oratio huiusmodi: Sed animæ in purgatorio existentes de lege ordinata nostras orationes, maximè mentales, audire non possunt, nec intelligere, quia nec in proprio genere, vt suppono, ob distantiam, quæ inter nos & illas dicitur, nec in verbo, quandoquidem non nisi beati vident in verbo, quæ hîc aguntur, & ita non sunt à nobis orandæ.

Rationes negātes.

I. II.

VERVM

Oppugnatur hæc secunda sententia negatiua cum probatione sua. I.

Verum non videtur hoc efficaciter probatum. Tum, quia licet in particulari nesciant, quis, & quomodo eas oret, possunt tamen intelligere, aut verisimiliter saltem in genere coniectari, quòd miseri viatores sanctarum animarum precibus cupiant in suis necessitatibus adiuuari, sicut econtrà ipsæ similiter per viuentes adiuuari desiderant. Et hæc generalis cognitio sufficit mouere eas, vt orent pro his, qui se illis commendant. D

II. Tum etiam, quia possibile est, vt in particulari sciant, quis se illis commendet, licet non in proprio genere, nec in verbo, saltem ex Angelorum, qui nos custodiunt, relatione, id scire possunt.

III. Deinde, quia multi affirmant, nonnullas animas inter nos purgari, & inter nos habitare, specialiter in locis illis, in quibus aliqua notanda scelera commiserunt. Et aliquando ad nos peruenire permittuntur, & nobiscum diuina dispensatione loquútur, & tunc nil obstat, quò minùs in proprio genere nostras orationes audiant, si ad eas loquamur. Ac proinde nil inconuenit, eas, & nos inuicem auxilium seu opem in nostris necessitatibus poscere, cùm proximæ nostræ sint, sicut & nos earum.

Sententia authoris affirmatiua. Si igitur illæ pro nobis orant, & à Deo audiri solent, non dubito, quin possimus nos illis commendare, & ex consequenti eas, vt pro nobis intercedant, deprecari. Sed de hoc postea.

Aliud dubium. An Sancti adhuc viatores, sint à nobis orandi.

Similiter solet de Sanctis, qui sunt in via, dubitari, an sint per nos conuenienter orandi. Loquor semper de oratione largè sumpta, vt ad deprecationem se extendat.

Solutio affirmatiua.

Verùm de hoc minimè videtur dubitandum: Nam certum est, quòd Sancti in via existentes, possint iuuare nos per suas intercessiones. E

Probatur I. Hoc patet Ioan. 12. ad preces Philippi & Andreæ, gentiles quidam cupientes videre Christum, ad ipsum Christum adducti sunt.

II. Et Ioann. 20. ad preces Virginis, Christus aquam in vinum conuertit.

III. Et ad preces Apostolorum Chananæa obtinuit, vt à Christo audiretur, & veniam consequeretur. *Matth. 15.* Rogauerunt enim Christum dicentes: Dimitte illam, quia clamat post nos.

IIII. Et Exodi 32. Moyses veniam impetrauit sexcentum millibus armatorum. Et innumera sunt Scripturæ exempla.

V. Praeterea hoc idem apertè patet Genes. 20. Dixit Dominus ad Abimelech, qui vxorem Abrahæ acceperat: Nunc redde vxorem viro suo, & orabit pro te, & viues.

VI. Similiter Iob vltimo, dixit Dominus ad eos, qui ipsum Iob increpauerant: Iratus est furor meus in vos &c. Et infrà: Iob seruus meus orabit pro vobis, faciem eius suscipiam, vt non vobis imputetur stultitia vestra. Et pòst: Dominus autem conuersus est ad pœnitentiam Iob, cùm oraret ille pro amicis suis. Ex quibus apertè patet, Domino id attestante, quòd Sancti viuentes possint nobis prodesse coram Domino, mediis eorum intercessionibus, simul & quòd conueniens, & vtile sit, huiusmodi Sanctos orare, vt pro nobis intercedát. Quòd si viui id possunt, à fortiori, vt colligit beatus Hieronymus contra Vigilantium, id poterunt Sancti, qui cum Christo regnant.

De his, quibus conuenit orare. F

QVÆSTIO QVINTA.

Conclusio I. Non conuenit Deo orare aliquem, vt Deus est.

Aliud dubium, Quis est cui cõuenit orare? In primis certũ est, quòd Deo non conueniat quenquam orare, quatenus Deus est, quia non est, quem Deus orare possit. Oratio enim importat in orante defectum, quia non potest per se facere id, quod in oratione petit, ideo alterum, vt faciat, orat. Importat etiam in eo, qui oratur, superioritatem supra ipsum orantem, aut excellentiam aliquam. Cùm igitur in Deo nullus defectus aut impotentia sit, nec habeat aliquem superiorem se, consequens est, quòd illi non conueniat orare.

Obiectio duplex. Hebr. 8. I. *Solutio.*

Qvod si quis opponat, Christum esse Deum, & tamen teste Paulo & Ioanne in Canoni. assiduè pro nobis interpellare. Dicendum, id esse verum, prout Christus est homo, non prout Deus.

II. *Roman. 8.* *Solutio.*

Si iterum opponat quis, quod ait Paulus de Spiritu sancto, dicens: Nam quid oremus, sicut oportet, nescimus, sed ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Qui autem scrutatur corda, scit quid desiderat Spiritus, quia secundùm Deum postulat pro Sanctis. Dicendum, prout Doctores exponunt, pro tanto Spiritus sanctus dicitur pro nobis orare, seu postulare, pro quanto facit nos postulare. Et sicut ipse in se non

A non gemit, sed gemere nos intus facit, ita in se non orat, sed orare nos facit. Hæc autem Spiritui sancto attribuuntur, tanquam authori ipsorum.

DE SANCTIS Angelis, similiter & de his, qui cum Christo regnant in cœlo, nō dubium est, eos pro nobis ad Deum intercedere, vt ex supradictis apertè constat. *Conclusio II. de Sanctis affirmatiua.*

DE HIS VERO, quæ in purgatorio sunt, dubitant aliqui, an pro nobis orent. Et videtur Thomas dicere, quòd non, quia nec beati sunt, nec sunt in statu merendi, aut demerendi, sed tali, in quo magis alienis orationibus indigeant, quàm vt ipsi pro aliis orent. Verùm, salua pace, non videtur hæc sententia omnino certa, imò mihi probabile est, quòd pro nobis orent, vel in genere pro omnibus viatoribus, vel pro suis cognatis, aut amicis, aut benefactoribus in particulari. *De animabus purgatorij. Ratio pro parte negatiua. Conclusio III. affirmatiua.*

PRO QVO facere videntur, quæ suprà citauimus ex Iob. 5. vbi dicitur: Ad aliquem Sanctorum te conuerte, supple, vt eius orationibus iuueris, & veniam impetres. Et tamē tunc temporis Sancti nulli erant beati, nondum enim Christus passus erat, nec regnum cœlorum aperuerat. *Ratio I.*

SIMILITER quod legitur 2. Machab. 15. de Hieremia defuncto, qui asiduè pro populo Dei orabat, & tamen non in cœlo erat beatus, sed in limbo. II.

SIMILITER Moyses, & Samuel, & Daniel soliti erant Dominum orare pro populo Dei, vt suprà citatū est ex Hieremiæ 15. & Ezech. 14. Et tamen tunc temporis illi Prophe- III.
B tæ nondum erant in cœlo beati, vt constat ex fide, igitur etiam animæ sanctæ, quę in purgatorio sunt, etiamsi beatæ non sint, credendum est, quòd pro nobis orent.

NISI FORTE dicas, aliud esse de Sanctis veteris Testamenti defunctis, qui erant iam sine omni pœna; aliud de animabus, quę suorum peccatorum pœnas actu luunt. Verùm quòd pœnas actu soluant, non tollit amicitiam Dei ad illas, nec ob id sunt in minori gratia Dei & charitate, quàm si à pœnis purgatæ essent. Hæc autem Dei amicitia erat ratio, quare Deus sanctorum Patrum orationes audiebat, etiam antequam beati essent. Nec videtur, quòd illi sancti Patres essent tunc in statu merendi magis, quàm sint animæ purgatorij, cùm omnes sint extra viam. *Occurritur obiectioni.*

PRAETEREA de diuite epulone, cùm in inferno esset, legitur, quòd orabat pro quinque fratribus, quos in seculo reliquerat, vt Abraham mitteret ad eos aliquē Prophetam, qui eos instrueret, ne venirent ad locum illum tormentorum. Quare igitur de animabus sanctis, quæ suos amicos & benefactores in seculo existentes charitatiuè diligunt, non dicemus, quòd eorum salutem desiderent, & Deum pro illis orent. IIII. *Ratio.*

VIDEMVS etiam inter homines rem sic se habere, vt qui ad crucem, aut patibulum ob delicta sua ducuntur, aliquando rogent iudices ipsos, aut principē, cuius iussu occiduntur, vt post eorum mortem, corpora eorum breui faciant sepeliri, aut filios, seu vxores benignè tractēt, & exaudiuntur. Nec hoc reprehenditur, sed tam in orante quàm in iudice, preces acceptante commendatur. Igitur ita credendum est, eos qui purgātur, V.
C orare Deum pro aliquibus, & Deum, quia clemens est, eos exaudire. Ita tenet Gabriel in Canone, lectione 15. iuxta finem.

DE VIATORIBVS tam iustis, quàm peccatoribus certum est, quòd omnibus eis orare conueniat, etiam pro seipsis: Omnes enim indigent gratia Dei; iusti ne cadant; iniusti verò, vt resurgant. Non est enim homo, qui non peccet, vt ait Scriptura. Vnde Ioannes: Si dixerimus, quòd peccatum non habemus, nosmetipsos seducimus. Et cuilibet tam iusto, quàm peccatori conuenit orationem dominicam quotidie dicere, in qua quotidie petimus, vt dimittat nobis Dominus debita. *Cōclusio IIII. affirmatiua de viatoribus tam iustis, quàm peccatoribus. 3. Reg. 8. 1. Ioan. 1.*

SED CONTRA arguitur de peccatoribus, in mortali existentibus, quòd non conueniat illis orare, quia non conuenit illis Deum confiteri, & laudare, iuxta illud Ecclesiast. 15. Non est speciosa laus in ore peccatorum. Et Psalmista: Quare tu enarras iustitias meas? *Obiectiones cōtra quartā conclusionem. I. Psalm. 49.*

TVM ETIAM ex illo Ioannis 9. Scimus quòd peccatores Deus non exaudit. II.

TVM ETIAM ex illo Chrysostomi super Matthæum: Qui orat, & peccat, non orat, sed Deum deludit. Pro quo etiam facit Augustinus in sermone quodam, dicens: Qua fronte postulas, quod promisit Deus, si non facis, quod iussit Deus? Priùs audi monitionem, & sic exige promissionē. Similiter illud Gregorij: Cùm is, qui displicet, ad intercedendum mittitur, irati animus ad deteriora prouocatur. Similiter facit Ambrosius in Psal. 118. serm. 22. Volare orationē facit bona vita, & dat alas precibus spirituales, quibus III.

Sanctorum ad Deum euehatur oratio. Et sequitur: Peccato grauescit oratio, & longè fit D
à Deo. Tantò autem plùs grauatur, quantò improbior est vita deprecantis.

IIII. Tvm etiam facit, quod habetur Esaiæ 1. Cùm multiplicaueritis orationem, non exaudiam. Et datur pro causa: Manus enim vestræ sanguine, id est, peccato, plenæ sunt. Et Threnorum 3. Nos iniquè egimus, & ad iracundiam te prouocauimus, idcirco tu inexorabilis es. Ex quibus, & multis aliis videtur, quòd peccatori in peccato permanenti, non conueniat Deum orare, quia frustra orabit, cùm exaudiendus non sit.

Limitatio eiusdem cõclusionis quo ad peccatores in mortali existẽtes, qui in duplici sunt differentia. I. *Solutio p̃dictarum obiectionum.* II.

Respondetvr, quòd duplices sunt peccatores: Quidam sunt in peccato obstinati, seu in proposito non recedendi à peccato. Et tales certè non sunt digni, qui à Deo exaudiantur, imò tales nõ solùm non exaudiuntur, sed etiã de nouo Deum offendunt, quem orantes deludunt, vt inquit beatus Chrysostomus: Et de talibus procedunt, quæ allegata sunt, tam ex testimoniis Scripturæ, quàm Sanctorum. Alij verò sunt peccatores, qui sua peccata recognoscentes, pœnitent, & humiliter ad Deum confugiunt, veniam postulantes. Et tales sine dubio à Deo audiuntur, & in eius gratiam admittuntur, prout in sua lege sæpissime promisit, & exemplo monstrauit, imò non solùm tales à Deo audiuntur, sed etiã ex lege, & iustitia legis audiri debent, vt docet Augustinus ad Rom. 5. dicens: Si Deus confugientes ad se nõ reciperet, esset in eo iniquitas, aut iniustitia. Et ita patet, quibus peccatoribus cõueniat orare Deum, & quibus non. Quanquam si de oratione strictè loquamur, prout est pius mentis ascensus in Deum, cum debita humilitate, E
non sit homo, cui non conueniat orare. Obstinatus tamen, nisi ab obstinatione desistat, orare sic non poterit, & si aliter orauerit, frustra orabit.

Alia duplex obiectio. I.

Sed contra hanc solutionem insurget quispiam: Quia nemo magis obstinatus est, quàm diabolus, sed constat de diabolo, quòd Deum aliquando orauerit, & ab eo fuerit exauditus. Patet hoc Matth. 8. Dæmones rogabant Christum, dicentes: Si eiicis nos hinc, mitte nos in porcos. Quod & à Christo obtinuerunt. Similiter diabolus petiuit à Deo, vt permitteretur tentare Iob, quod & obtinuit. Vnde glos. 2. ad Corinth. 12. super illud, ter Dominum rogaui, ait: Exauditur diabolus Iob petens tentandum, & non exauditur Apostolus, petens stimulum amouendum.

II. Secvndo idem patet de Iudæis, qui tempore Samuelis petierunt à Domino Regem, & datus est illis à Domino, vt petierunt, & tamen in peccatis erant impœnitentes, imò in hoc ipsò actu peccantes, quòd regem peterẽt, vt habetur 1. Reg. 8. dixit enim Dominus ad Samuelem, qui super petitione fuerat iratus: Audi vocem populi in omnibus quæ loquuntur tibi; non enim te abiecerunt, sed me, ne regnem super illos.

Respõsio vtriusque duplex. I.

Respondetvr primò, quòd istorum obstinatorum non erant orationes, propriè loquendo, vt dictum est. Nec enim diabolus Deum orauit, nec Iudæi in casu proposito, sed petitiones erant, per quas ea, quæ optabant, à Domino fieri cupiebant. Et quamuis orare non conueniat obstinatis, bene tamen petere, & postulare. Dico secundo, quòd non inconuenit, Deum obstinatorum petitiones aliquando concedere, id- F
que in malum eorùm, vt patet de Iudæis Regem petentibus, quibus Dominus regem in eorum malum concessit, à quo durè & seruiliter erant tractandi: Aut ad aliquem bonum finem à Deo intentum, vt scilicet Christi potestas ostenderetur, sicut accidit, quando dæmonibus concessit, vt in porcos intrarent: Aut vt aliorum bonitas, & perfectio innotesceret: Sicut innotuit patientia, & virtus Iob, ob tentationem dæmoni à Deo permissam: Aut ob alium honestum, & conuenientem finem. Attamen in bonum ipsius obstinati Deum rogantis, seu aliquid à Deo petentis, non legitur obstinatum à Deo exauditum.

II. Quatenus obstinatorũ petitiones aliquando Deus concedat.

Conclusio V. de dãnatis negatiua propriè loquendo.

De damnatis est simile dubium, an ipsis conueniat orare. Ex dictis patet respõsio, quòd propriè loquendo de oratione, non conueniat eis orare. Patet, quia in eis deuotio, & humilitas, & pius mentis ascensus in Deum reperiri non potest, quæ tamen sunt de ratione orationis propriè sumptæ.

Limitatur hæc conclusio.

Si tamen largè accipiatur oratio, vt ad petitionem se extendat, patet, quòd damnatis conueniat orare. Tum ex his, quæ nuper de diabolo citata sunt, qui legitur aliquando à Domino aliquid postulasse, & id obtinuisse. Tum etiam de diuite epulone damnato, qui orabat pro fratribus, quos in seculo reliquerat.

De his,

A

De his, pro quibus orandum est.

QVÆSTIO SEXTA.

Conclusio I. Pro Sanctis non est orandum.

ALIVD DVBIVM, pro quibus orandum est? Respondetur, de beatis certum esse, quòd nõ sit pro illis orandum, quandoquidem in nulla miseria sunt culpæ, nec pœnæ, nec illi sunt aliqualiter obnoxij, nec nostra ope indigent, qui cum Christo æternaliter regnant. Vnde Augustinus ait: Iniuriam facit martyri, qui orat pro illo, & nõ ob aliud, nisi quia ab omni prorsus miseria alienus est, nec nostro indiget adiutorio.

Conclusio II. Pro existẽtibus in Purgatorio orandum esse. Probatur I. II. III. IIII.

DE HIS, qui sunt in Purgatorio æquè certum est, esse pro illis orandum. Tum ex communi omnium Catholicorum doctrina, qui tenent, quòd suffragia, quæ viui pro defunctis faciunt, valent illis, vt citiùs purgentur. Tum ex eo, quod habetur 2. Machab. 12. Sancta & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, vt à peccatis soluantur. Tum ex illo Thobiæ 4. Panem tuum & vinum tuum pone super sepulturam iusti (dixit Tobias filio suo) quod certè inutile esset, si suffragia nostra pro defunctis facta illis non prodessent. Quæ quidem suffragia, teste Dionysio & Damasceno, ab Apostolis in Ecclesia fuerunt sancita, deinde in Conciliis Ecclesiæ approbata, & iussa. B Vnde in Concilio Cabilonensi; & habetur de consecrat. distinct. 1. cap. Visum est. iubetur, vt quotidie in Ecclesiis, & sacrificiis oretur pro defunctis. Et ita seruat vniuersalis Ecclesia. Vide Augustinum de cura pro mortuis.

An orãdum sit pro damnatis. Argumenta pro affirmatiua. I.

DE HIS verò, qui in inferno damnatorum sunt, esset ratio dubitandi, an sit pro illis orandum. Et quòd sic, arguitur, quia ait Damascenus in sermone de dormiẽtibus, quòd Traianus Imperator precibus beati Gregorij fuit ab inferno liberatus. Vnde post assiduas preces beati Gregorii pro illo fusas, vox de cœlo audita est, dicẽs: Vocem tuam audiui, & Traiano veniam do.

II. SECVNDO ex eo, quod in dialogis eiusdem beati Gregorij legitur de quodam religioso, qui contra votum paupertatis, quod fecerat, proprietarius esse volens, pecunias furto abstulit. Quo per beatum Gregorium cognito, iussit fratribus, vt illum mortuum in sterquilinio cum pecuniis illis sepelirent, dicendo: Pecunia tua tecum sit in perditionem. Ex quo apparet, illum religiosum damnatum fuisse, & tamen postea elapsis triginta diebus, iussit fratribus, vt per alios triginta dies continuos sacrificia pro illo facerent, & in horum dierum fine, per reuelationem habuit Gregorius, quòd præfatus defunctus esset eius precibus saluatus.

III. TERTIO idem videtur ex eo, quòd Ecclesia orat in officio defunctorum: Absolue Domine animas omnium fidelium defunctorum, & gratia tua illis succurrẽte, mereantur euadere iudicium vltionis. C Quod non videtur cõmodè accipiendum de his, qui sunt in Purgatorio, nam de illis certissimi sumus, quòd etiam nobis non orantibus, euadent iudicium vltionis, ex quo in gratia decesserũt; igitur de his, qui sunt in inferno damnatorum, videtur accipiendum. Et cõfirmatur, quia etiam Ecclesia orat, dicens: Domine Iesu Christe, libera animas omnium fidelium defunctorum de pœnis inferni, & de profundo lacu, & de ore leonis, ne absorbeat eas tartarus, ne cadant in obscurum. Quæ non videntur conuenienter accipi de animabus fidelium, qui in gratia decesserunt, nam de illis certa est Ecclesia, quòd non absorbebuntur à leone, quodq; nõ casuræ sunt in obscurum locum, igitur de aliis fidelibus, qui sine gratia decesserunt, sunt accipienda. *Confirmatio eiusdem.*

Conclusio III. Pro damnatis æternaliter non est orandum. Probatur I.

RESPONDETVR, his non obstantibus, tenendum esse oppositum, scilicet quòd non sit orandum pro his, qui æternaliter damnati sunt, qui in mortali peccato impœnitentes decesserunt.

PRO QVO facit, quod ait Augustinus: Si scirem, patrem meum esse in inferno, non magis orarem pro illo, quàm pro diabolo. Et idem Augustinus iterum ait, & post eum Magister in 4. distin. 45. Quòd qui sine fide per dilectionem operãte decesserunt, frustra illis à suis pietatis officia impendantur.

II. FACIT & beatus Gregorius scribens Bonifacio Archiepiscopo, dicens: Quòd pro impiis, quamuis Christiani fuerint, oblationes, & suffragia facere non liceat. Et idem 24. lib. Moralium ait: Sancti de his, quos æterno supplicio damnatos esse cognouerunt, ante

illum iudicis iusti conspectum, orationis suæ meritum cassari refugiunt, vbi apertè ait, D
orationem fusam à Sanctis pro damnatis, cassari, & nullam esse.

III. Hoc idem patet, frustra scilicet pro illis orari, quia id esset contra fidem pugnare, & contra decretum Dei: Fide enim tenemus, in inferno non esse redemptionem, vt ait Iob. Et similiter Ecclesiastici 11. Arbor vbi ceciderit, illic erit, quod ad statum gratiæ, vel mortalis peccati referendum est. Et vtraq; pagina scripturæ sacræ tradit, impios, & impœnitentes in ignem æternum esse detrudendos: non igitur est pro illis orandum.

IIII. *1. Ioan. 5.* Qvod etiam apertè habemus ex Canonica Ioannis: Si quis peccauerit ad mortem, non dico pro illo orandum esse. Et certum est, eos ad mortem peccare, qui impœnitentes decedunt, quos in puncto ad infernum descendere non dubitamus, vt ait Iob.

Respõdetur ad argumenta in oppositũ allata. Ad I. De Traiani Imperatoris liberatione quid tenendum. Ad illa verò, quæ in oppositum antea citata sunt, respõdetur ad primum de Traiano, multipliciter dici solet. Vel quòd historia illa non sit omnino certa, Vel, quòd precibus Gregorij fuerit Traianus suscitatus, & datum illi tempus, vt pœniteret, & veniam cõsequeretur. Vel quòd Traianus in morte egerit pœnitentiam, cuius insignia nonnulla monstrauit, vnde motus fuit Gregorius ad orandũ pro illo, nesciens an in peccato mortali decessisset. Nec credendum est, quòd pro illo orasset, si in peccato finalis impœnitentiæ illum decessisse putaret.

Ad II. Ad secvndvm, etiam credendum est, religiosum illum sui peccati in morte pœnituisse, quamuis Gregorius ad aliorum terrorem illum in sterquilinio sepeliri iussE
erit. Et ita precibus Gregorij, & aliorum fratrum non de inferno, sed de Purgatorio fuit liberatus.

Ad III. *Quomodo Ecclesia in officio mortuorũ oret pro defunctis.* Ad tertivm, illud videtur nonnullam habere difficultatem, scilicet an Ecclesia in officio mortuorum oret pro damnatis, qui in mortali decesserunt. Et hoc videtur falsum, vt ex dictis apparet. Quòd si pro his orat, qui sunt in Purgatorio, qui scilicet in gratia decesserunt, non satis conuenire videntur orationes Ecclesiæ, in quibus orat, vt illi defuncti ab vltione æterna, à morte æterna, à pœnis æternis liberentur, vtque in iudicio cum Sanctis resurgant. *Duplex ratio dubitãdi si orat pro animab⁹ in Purgatorio existentibus.* Quæro ergo, aut certum est, eos, qui in gratia decesserunt, à morte æterna, & pœnis æternis esse liberandos, & cum Sanctis ad gloriam resurrecturos. Et si sic, vt quid igitur Ecclesia oratione ea petit, quæ certissimum est, & necessarium de lege esse ventura, etiamsi Ecclesia pro eisdem non oraret? Alioqui Ecclesia
I. deberet pro beatis similiter orare, ne caderent à sua beatitudine, ne peccarent, ne in gehennam mitterentur, vt in die iudicij resurgerent. Pro hoc autem non orat, nec orare conuenit, cùm superflua omnino esset oratio, qua peteretur, quod necesse est fieri.
II. Aut dubium est, animas Purgatorij in gratia decedentes, finaliter esse saluandas, seu à gratia, in qua decesserunt, casuras. Et hoc à nullo Catholico solet dubitari: nam quæ anima post præsentem vitam facit, illi nec ad præmium, nec ad supplicium imputantur æternum, dicente Paulo: Omnes stabimus ante tribunal Christi, & reportabit vnusquis-
2. Ad Corinth. 5. que secundùm ea, quæ in proprio corpore gessit. Et iterum ad Galat. 6. Operemur bo- F
num ad omnes, dum tempus habemus; significãs ea, quæ in præsenti vita facimus, ad bonum, seu ad malum nobis imputanda esse, non quæ post hoc præsens tempus agemus.
Ecclesiast. 9. Quod Ecclesiastes apertiùs docet, dicens: Quodcunq; potest facere manus tua, instanter operare, quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quò tu properas. Et multa alia faciunt ad propositum, quæ cùm verissima sint, quomodo igitur dubitari potest, an animæ, quæ in gratia decesserunt, eam amittent? aut quòd finaliter saluabuntur? maximè cùm Deus mentiri non possit, qui verè pœnitentibus suorum peccatorum veniam, & finalem gloriam promiserit. *Quomodo Ecclesia oret pro animabus q̃ in gratia decesserũt, vt ab æterna morte liberentur.* Eos autem, qui in gratia decesserunt, non dubium, quin pœnituerint, nam sine pœnitentia gratiam non essent finaliter assequuti. Non igitur est per Ecclesiã dubitandum de huiusmodi animabus, an finaliter ad æternam mortem iudicabuntur. Quomodo ergo in suis orationibus petit, vt à morte æterna liberentur?

Explicatio I. Si dicas primò, vt suprà, quòd quamuis certum sit de lege, eas, nobis etiam non orantibus, finaliter esse saluandas; attamen Deus potens est, si velit, absolutè eas in gehé-
Oppugnatur I. nam æternaliter mittere: ideò Ecclesia orat, ne id faciat, cùm possit. Contrà, quia etiam absolutè potest Deus liberare damnatos à gehenna, & in cœlum adducere, & ita deberet Ecclesia suis precibus hoc ipsum petere. Similiter potest absolutè Deus Virginem matrem, & omnes Sanctos cœli mittere in gehennam, & ex consequenti deberet Ecclesia orare,

A orare, ne id faciat, cùm poſsit; quandoquidem de lege ordinata neutrum poteſt, de abſoluta verò, vtrunq; poteſt. Igitur Eccleſia, vel pro vtroq; oret, vel pro nullo.

Si dicas ſecundò, quòd Eccleſia non oret, vt fideles defuncti ab æterna pœna liberentur, nec vt finaliter ſaluentur, ſed vt citiùs à pœna liberentur, & ſaluentur. Contrà videtur, quia etſi quamplures orationes fidelium defunctorum legerim, quæ in Miſſali Romano continentur, in nulla tamen earum legi, per Eccleſiam peti, vt citiùs à pœnis liberentur; legi tamen in nonnullis peti, vt ab æternis pœnis liberentur. Et vltra ea, quæ in tertio argumẽto, quod nobis præſentem ingeſsit difficultatem, tanguntur, in quibus apertè videtur peti, vt Deus liberet animas fidelium à iudicio æternæ damnationis, ſunt aliæ orationes, in quibus petitur, vt Deus animas defunctorum in corporibus ad beatitudinem in die iudicij ſuſcitet. *Explicatio II.* *Oppugnatur I.*

Vnde in oratione, quæ incipit: Deus, cui proprium eſt &c. quæ dicitur in die depoſitionis, petitur ſic; & quia in te ſperauit, & credidit, non pœnas æternas ſuſtineat, ſed gaudia æterna poſsideat. Et in alia oratione, quæ incipit; Omnipotens ſempiterne Deus &c. petitur, vt anima illa, pro qua oratur, in finibus Abrahæ, Iſaac, & Iacob recipiatur, vt cùm dies agnitionis tuæ aduenerit, inter Sanctos, & Electos tuos, eum reſuſcitari præcipias. Et in alia oratione communi, quæ incipit; Abſolue, quæſumus, Domine, animas famulorum tuorum &c. petitur, vt in reſurrectionis gloria inter Sanctos, & Electos B tuos reſuſcitati reſpirent. In quibus manifeſtè patet, quòd non acceleratio liberationis petatur, ſed vt abſolutè, cum Sanctis in die iudicij ſaluentur. *Confirmatio II.*

Si dicas tertiò, quòd Eccleſia hæc oret non pro his animabus, de quibus certa eſt, quòd ſint in cœlo, aut in inferno; ſed pro his fidelibus, de quorum vita, & exitu dubitatur, idque ſub conditione, ſcilicet, vt ſi capaces ſint beneficij, quod pro illis à Deo petitur, id aſſequantur. Et quia Eccleſia vt plurimùm dubia eſt de ſtatu defuncti, ideò ſic ſub tacita conditione precatur. *Explicatio III.*

Verum hoc minimè ſatisfacit, nam quamuis certa non ſit Eccleſia, ad quem locum vnaquæq; anima à corpore exuta, tendat, eſt tamen in genere certa, quòd tendat ad cœlum, vel Purgatorium, vel infernum. Tum quærerem de intentione Eccleſiæ orantis, an intendat orare pro his, qui ad cœlum volant. Et hoc eſt ridiculum, attento eo, quod in præfatis orationibus petitur: Aut pro his, qui eunt ad Purgatorium. Et tunc ſtat difficultas propoſita, quia omnes illæ orationes videntur præſupponere, quòd animæ, pro quibus oratur, ſint in periculo eundi in æternam damnationem, alioqui ſi à tali periculo prorſus immunes ſunt, quorſum oratur pro illis, eo modo, quo dictum eſt? Aut intendit Eccleſia orare pro his, qui ad infernum damnatorum deſcendunt; vt ſcilicet in die iudicij cum electis Dei ſuſcitentur. Et hoc minimè credendum eſt, ex quo ſcit Eccleſia, quòd in inferno nulla ſit redemptio, quodq; non ſit orandum pro decedentibus in impœnitentia, nam tales videntur ad mortem peccaſſe. *Similiter impugnatur primò.*

C Praeterea pro his, de quorum ſtatu dubitatur, alia particularis oratio in Eccleſia fit, quæ incipit; Omnipotens, & miſericors Deus inclina, &c. in qua petitur, vt ſi plenam veniam anima ipſius obtinere non poſsit, ſaltem vel inter ipſa tormenta, quæ forſitan patitur, refrigerium de abundantia miſerationum tuarum ſentiat. Quæ quidem oratio auget præſentis quæſtionis difficultatem. Nam ſignificat, quòd ſi anima illa plenam veniam obtinere poteſt, eam ſibi Dominus pro ſua miſericordia largiatur: Quod habet locum, ſi in Purgatorio ſit: Si tamen plenam veniam obtinere non poſsit, vt in ipſis tormentis refrigerium patiatur. Quod non niſi de damnatis in inferno videtur conuenienter accipi. Illi enim ſoli ſunt, qui plenam veniam obtinere non poſſunt. Et ita apparet, quòd Eccleſia oret pro damnatis, non vt inde liberentur, ſed vt ibi mitiùs torqueantur. *II.*

Avget præterea quæſtionis difficultatem Theophylactus ſuper Lucam 12. ſuper illud verbum: Nolite timere eos, qui occidunt corpus &c. ait enim poſt alia: Non omnino igitur, poſtquam occidit, mittit in gehennam, ſed poteſtatem habet mittendi. Et addit: Ne igitur ceſſemus per eleemoſynas, & interceſsiones propitium reddere eum, qui poteſtatem habet mittendi; non ſemper autem poteſtate hac vtentem, ſed & valentem remittere quiddam. Et præmiſerat: Vides, quòd non dixerit: Metuatis eum, qui poſtquàm occiderit, mittit in gehennam, ſed habentem poteſtatem mittendi. Non enim ſemper, qui moriuntur peccatores, mittuntur in gehennam, ſed ſunt in poteſtate Dei, vt *Tertiò ex authoritate Theophylacti.*

etiam dimitti poſsint. Hoc autem dico propter oblationes, & diſtributiones, quæ fiunt pro defunctis, quæ non parum conducunt, etiam his, qui in grauibus peccatis mortui ſunt. Hæc ille. In quibus videtur ſignificare, poſſe viuos prodeſſe defunctis, qui in grauibus peccatis deceſſerunt, id eſt, mortalibus, idq; per ſuffragia, & interceſsiones viuorũ. D

Cõcluſio prima authoris.

RESPONDETVR, quantum ad orationes, quæ in Eccleſia pro defunctis fiunt, poſſe primò dici, non eſſe neceſſarium omnes eas ab omni ineptitudine excuſare. Multa enĩ in Eccleſia legi permittuntur, quæ, quamuis non omnino vera ſint, vel omnino apta, cõferunt tamen ad fidelium deuotionem excitandam, & augendam. Talia multa credendum eſt contineri in hiſtoriis non ſacris, & in legẽdis Sanctorum, & in opinionibus Doctorum, & Scripturis, quæ omnia tolerãtur in Eccleſia interim, dum ſuper illis nulla mouetur quæſtio, nullumq; inſurgit ſcandalum. Ac proinde nõ mirum, in orationibus prædictis aliquid minùs aptum contineri, & ab Eccleſia tolerari, cùm tales orationes factæ ſint à perſonis priuatis, non à Conciliis, nec per Concilia omnino ſint approbatæ.

Concluſio II. Eccleſia nõ niſi pro animab⁹ in Purgatorio exiſtentibus orat.

POTEST, ſi hoc non placet, aliter, & ſecundò dici, quòd Eccleſia in defunctorum officio nec oret nec orare intendat, niſi pro his, qui in Purgatorio detinentur. Quòd ſi contingat, aliquem defunctũ, pro quo Eccleſia orat, eſſe in inferno, pro illo ſi actu oret, quia neſcit, eum eſſe in inferno, tamen intentione pro illo non orat, niſi putans, vel dubitans, eum in Purgatorio eſſe. Quo ſuppoſito, ſciẽs Eccleſia Deum poteſtatem habere puniendi æternaliter animas illas, per quas, cùm viuerent, fuerat mortaliter offenſus, E quodq; Deus poteſtatem ſuam non alligauerit Scripturis, & promiſsis, quę in Scriptura continentur; quandoquidem ipſe ſuper omnia eſt, & tam omnipotens poſt promiſſa, ac ſi nil promiſiſſet; ideò Eccleſia ſuppliciter Deum orat, ne illa ſua abſoluta omnipotentia contra animas fidelium, qui in gratia deceſſerunt, vtatur, ideò orat, vt eas ab æternis pœnis, & à vindicta, & iudicio condemnationis liberare, & vt eas cum ſuis electis reſuſcitare dignetur. Ad id autem orandum ipſe Chriſtus occaſionem in Euangelio citato dedit, docens quòd eum debeamus timere, qui, poſtquàm occiderit quenquam corporaliter, habet adhuc poteſtatem eum mittendi in gehennam.

Quatenus oret Eccleſia vt animæ Purgatorij ab æternis pœnis liberentur &c.

Reſpõdetur ad primam dubitandi rationem initio propoſitam.

ET QVANDO in oppoſitum arguitur, quòd inutile ſit orare pro eo, quod de neceſsitate eueniet: Reſpondetur, quòd nõ ita de neceſsitate eueniet illorum fidelium glorioſa reſuſcitatio, quin Deus poteſtatem habeat, contrarium agendi; qui ſi nollet miſericordia cum illis defunctis vti, à quibus grauiter fuit offenſus, iuſtè poſſet eos æternaliter punire, ex miſericordia tamen, non niſi temporaliter punit. Deinde non eſt inutile ſic pro illis orare, imò valde proficuum; nam talis oratio facta eo modo, qui dictus eſt, pertinet ad latriam, ex quo fit in recognitionem diuinæ poteſtatis. Et ita eſt Deo grata, & accepta, ac proinde redundat in vtilitatem defunctorum, pro quibus fit, ſcilicet vt mitiùs in Purgatorio torqueantur, & citiùs inde liberentur. Gaudet enim Deus orari, etiã pro his, quæ alioqui facturus eſſet: Decreuerat enim Deus poſt peccatum Adæ, carnem ſumere: Decreuitq; tempus, quo vẽturus erat, & gratæ illi fuerunt orationes Sanctorum F pro ſua incarnatione, & aduentu orantium. Decreuit etiam Deus omni peccatori pœnitenti veniam dare, & tamen grata eſt illi oratio, qua vel ipſe pœnitens pro ſe, vel alius pro illo orat, vt eius pœnitẽtiam Deus acceptare dignetur. Decreuit etiam Deus, & promiſit, Eccleſiam ſuam non deſerere; & Conciliis legitimè congregatis adeſſe, & tamen grata eſt Deo oratio, & hymni, quibus eius præſentia, & fauor, & gratia ipſi Concilio, & Eccleſiæ imploratur. Non itaq; mirandum, ſi Eccleſia pro defunctis Purgatorij orans, petat aliqua, quæ Deus illis concedere decreuerat: qualia ſunt, ne ęternaliter eos puniat, ne à leone abſorbeantur, & vt cum electis reſuſcitentur.

Non eſt ſuperflua oratio pro defũctis in Purgatorio exiſtentibus, tãtùm in gratia ſint, et amicitia diuina.

Vult orari Deus etiam aliquãdo pro his, q̃ alioqui facere decreuit.

Ad argumentũ contra primam explicationem ſuprà allatam.

ET QVANDO vltrà replicatur: Si ideò ſic orandum pro illis eſt, quia Deus poteſtatem habet agendi oppoſitum; pari forma eſſet orandum pro damnatis, vt ſaluarentur: & pro beatis, vt non damnarentur, cùm æquè poſsit hæc facere Deus, ſicut eorum oppoſita. Reſpondetur, non eſſet ſimile: Nam beatis iam penitus offenſas condonauit, & ſuos amicos, & conciues ab omni miſeria alienos fecit: Damnatos verò, tanquam obſtinatos prorſus, à ſe abiecit, nec vult pro his, aut illis orari. Secùs de his, qui in Purgatorio actu cruciantur, & capaces ſunt noſtrorum ſuffragiorum, quales non ſunt beati, nec damnati. Et ita non ſolùm oratur pro illis, quia Deus poteſtatem habet abſolutè eos perdendi, ſed quia capaces ſunt noſtræ opis, & auxilij, qualiter non ſunt beati, nec damnati.

Beati & dãnati nõ ſunt capaces oratiõum & ſuffragiorũ noſtrorũ, ſicut animæ in Purgatorio exiſtentes.

AD ALIVD

A AD ALIVD, de oratione, quam Ecclesia facit pro eo, de cuius statu, seu qualitate dubitat, dicendum, quòd quicquid in illa oratione petitur, pro his, qui sunt in Purgatorio, petitur, non pro damnatis, sicut de aliis orationibus dictum est. Excepto, quòd sunt aliqui defuncti, qui in fide decesserunt, fuerunt tamen tam perditæ vitæ, vt meritò de illis dubitari posit, an per preces Ecclesiæ posint plenam veniam consequi. De talibus intelligitur oratio præfata, in qua petit Ecclesia, vt si posint per sacrificia, quæ Ecclesia pro illis facit, saluari, id fiat; si tamen non posint plenam veniam consequi, supple, per huiusmodi sacrificia, quæ præsentialiter fiunt, petit, vt mitiùs illic torqueantur.

Ad II. argumētum contra III. explicationem allatum.

AD VLTIMVM ex Theophylacto citatum, dicēdum in excusationem ipsius, quòd cùm ait, quòd potestatem habeat Deus mittendi mortuos in gehennam, sit verum de omnibus mortuis, sed de potentia eius absoluta, quia supra legem est. Et cùm ait, quòd suffragia, & orationes Ecclesiæ prosint defunctis, qui in grauibus decesserunt peccatis, intelligitur de his, qui in peccatis mortalibus decesserunt, iam per pœnitentiam, quo ad culpam deletis. Sed quia pro illis debitè non satisfecerunt, dicuntur in illis grauibus peccatis decedere, alibi satisfacturi. Et isti sunt, de quibus ait, quòd Deus non mittit eos in gehennam, sed potestatem habet mittendi. Nam alios, qui in grauibus decedunt peccatis, quæ per pœnitentiam non sunt, quo ad culpam, dimissa, non dubium, quin illico in gehennam mittat. Et pro his non orandum est, sed pro aliis.

Ad aliud ex auctoritate Theophylacti desumptum.

B EX QVIBVS apertè patet, quòd Theophylactus concesit, & tenuit, esse locum Purgatorij. Nam dicit, esse aliquos defunctos, quos Deus nō mittit in gehennam, quódque pro illis orandum sit. Quæro, illi vbi sunt? vel in cœlo beati; & hoc non; quia pro beatis non est orandum: Vel in inferno; & hoc non, quia non sunt misi in gehennam, Igitur in Purgatorio, vbi existentes indigent viuorum suffragiis adiuuari. Quod dixerim contra eos, qui Theophylacto imputant opinionem, seu errorem illorum, qui negant, Purgatorium esse.

Collігitur ex Theophylacto, purgatoriū esse.

REDEVNDO igitur ad quæstionem, & ipsam continuando, esset dubium de viatoribus, an pro omnibus viatoribus orandum sit. Et arguitur, quòd non. Primò, quia multi sunt, qui peccant ad mortem, & pro illis non est orandum. vt enim ait Ioan. 1. Cano. cap. 5. Qui scit fratrem suum peccare, non ad mortem, petat, & dabitur ei. Est peccatum ad mortem, non dico, vt pro illo roget quis &c. Igitur pro illis ex sententia Ioannis non est orandum.

Aliud dubium. An pro omnibus omnino viatoribus sit orandum.

Rationes negatiue. I.

IDEM ETIAM potest argui de his, qui peccant in Spiritum sanctum, quorum peccatum, inquit Christus, non remittetur eis in hoc seculo, nec in alio, igitur superfluum est pro illis orare.

Confirmatur.

SECVNDO pro præscitis non videtur orandum, quia illi sunt à Deo proiecti, superfluum autem omnino videtur velle reducere, quos Deus proiecit, secundùm illud Ecclesiastici 7. Nemo potest corrigere, quem Deus despexerit: igitur pro reprobatis, seu
C præscitis orandum non est. II.

TERTIO pro inimicis etiam videtur quòd orandum non sit: Nam iuxta scripturam, & eius exempla, illis possumus mala imprecari, & eorum vindictam petere, vt frequenter Sancti mala suis inimicis imprecantur; ait enim Psalmista: Erubescant, & conturbentur omnes inimici mei, conuertantur, & erubescant valde velociter. Et Apocal. 6. Martyres contra ipsorum persecutores vindictam petunt, cùm ad Deum clamant, dicentes: Vsquequo non vindicas sanguinem nostrum de his, qui habitant in terra? III.

QVARTO pro aduersariis nostris, quos iusto bello impetere, & aggredi possumus, non videtur orandum, nec pro vita corporali eorum, nec pro spirituali. Nam cùm sciamus, eos in peccato mortali esse, maximè si infideles sint, iustè eos in bello occidimus, vbi opera nostra, nō solùm quo ad corpus, sed etiam quo ad animam, pereunt, qui fortè à peccato successu temporum resipiscerent, si illos viuos relinqueremus. Ridiculum autem videtur, quòd pro illis, vt viuant, orare debeamus, quorum vitam nos realiter licitè auferre possumus. IIII.

RESPONDETVR, his non obstantibus dicendum, quòd non sit homo viuens, pro quo non conueniat orare. Cuius ratio in genere est, quia pro omni homine orandum est, cui salutem possumus optare; sed nō est homo, cui non in genere debeamus, nedum posimus, optare salutem. Patet hoc, quia ex præcepto charitatis tenemur omnem proximum, sicut nosipsos diligere, omnis autem viator noster est proximus. Igitur.

Resolutio affirmatiua.
Probatur I.

II. PRAETEREA si pro aliquo orandum non esset, maximè pro homine obstinato, de quo nulla haberetur spes pœnitentię: sed, vt Augustinus ait, de nullo homine, quantumlibet obstinato, desperandum est, quin possit in momento, Deo aspirante, conuerti. D

III. HOC IDEM patet ex eo, quod ait Iacobus in sua Canonica cap. 5. Orate pro inuicem, vt saluemini. Quod ad omnes vniuersaliter sine exceptione dictum esse constat, cùm omnibus optare debeamus, vt saluentur, iuxta voluntatem Dei, de quo ait Paulus, quòd velit omnes homines saluos fieri.

IIII. CHRISTVS etiam pro omnibus venit, & pro omnibus passus est, quantumuis per peccatum peccatores sint, prout ipse dixit: Non veni vocare iustos, sed peccatores ad pœnitētiam. Omnium igitur salutem procurauit, & pro omnium salute, quod in se fuit, fecit. Nos igitur Christum imitati, similiter debemus omnibus salutem optare, & pro omnibus orare.

V. HOC IDEM patet, quia Ecclesia pro omnibus orat peccatoribus, siue Schismatici sint, siue Hæretici, siue Iudæi, siue Gentiles, vt patet in officio Sabbathi sancti.

Respondetur ad rationes in oppositum. *Ad* I. AD RATIONES verò antè oppositas respondendo: ad primam fateor, non esse orandum pro peccantibus ad mortem, quales sunt, qui in peccato obstinati, & impœnitentes decedunt. Antè enim quàm decedant, sciri non potest, an peccent ad mortem, cùm peccatum ad mortem dicatur esse peccatum finalis impœnitentiæ. Ac proinde ex hoc textu non sequitur, nisi quòd non sit orandum pro mortuo, qui peccauit ad mortem; secùs de viuente. Et quod de peccato in Spiritum sanctum dicitur, nego, quòd pro illis sic peccantibus non sit orandum, quamdiu viuunt, quia tales possunt conuerti, vt aliàs ad longum ostendimus. Nec dicitur eorum peccatum irremissibile, quia simpliciter, aut secundùm legem remitti non possit, sed propter difficultatem remissionis, vt dicunt, vel quia taliter ex malitia pura peccantes, non sunt pœnitiui, vt dicit Aristoteles. Rarò enim pœnitent, cùm non habeant in se se causam pœnitendi, sicut habent, qui ex ignorantia, aut passione peccant. Cessante enim ignorantia, aut passione, quæ eos ad peccandum induxit, illicò pœnitent. De quo aliâs. E

Ad confirmationem eiusdem. Quatenus peccatum in Spiritum sanctum dicatur irremissibile.

Ad II. AD SECVNDAM de reprobatis, videtur sentire, & dicere Thomas in Secunda Secundę q. 83. ad septimum, quòd pro præscitis orandum sit, eo quòd non possumus eos à prædestinatis discernere. Sicut nemini debemus subtrahere correctionis beneficium, quia nescimus, quis sit, quem Deus proiecerit. In quo significat, quòd si id sciremus, nec eũ corrigere, nec pro illo orare deberemus. Inde etiam fit, vt quamuis in particulari de nullo viuente sciamus, quòd sit præscitus, cùm tamen in genere sciamus, aliquos esse prædestinatos; aliquos verò præscitos, non possimus orare pro præscitis in communi, quicunque illi sint.

V. Orandum sit pro præscitis? Sententia D. Thomæ.

Ratio pro parte negatiua duplex. I. PRO QVA sententia videtur facere, quòd Christus nõ legitur pro reprobatis orasse, sed pro electis, & aliis, qui in eum erant credituri. Ait enim Ioan. 17. loquens de Apostolis: Ego pro eis rogo, nõ pro mundo rogo, sed pro his, quos dedisti mihi, quia tui sunt. Et: Non pro eis rogo tantùm, sed & pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum in me. F

II. SECVNDO, pro eadem sententia facit ratio, quia oratio pro reprobatis fusa, est omnino superflua: repugnat enim, præscitos à Deo saluari, ergo orare pro præscitis formaliter, superfluum omnino est, & non solùm superfluum, sed etiam temerarium, & culpandum; quia qui orat, debet semper suam voluntatem, & petitionem, Dei voluntati subiicere. Qui autem pro præscitis orat, vt saluentur, cùm sciat, voluntatem Dei oppositam esse, talis non solùm non subiicit voluntatem suam Deo, sed etiam illi videtur reniti, & aduersari. Ita video aliquos Doctores indistinctè respondere.

Corollarium. INFERTVR inde, quòd si Deus reuelat mihi quòd pater meus viuens sit præscitus, non possim pro illo orare. Similiter si Deus reuelet mihi meam damnationem, quia pręscitus sum, quòd non debeam pro me orare, ne videar diuinæ voluntati contrauenire.

Notandum. Deum aliquem dupliciter reprobare. SED SALVA pace, aliter videtur dicendum, distinguendo casum reuelationis in particulari de reprobatione alicuius. Quia stat, Deum dupliciter reprobare aliquem, scilicet, simpliciter & absolutè: quia scilicet Deus absolutè vult illum perpetuò damnare, non ob aliam causam tenentem se ex parte reprobati. Et contra hanc voluntatem eundum non est, oppositũ appetendo, aut orando, quia vltra quod superfluum esset in contrarium niti, esset etiam temerarium, & culpandum: Cognito enim, ꝙ sententia Dei iam sit ad vnum determinata, non est in contrarium orandum. Hoc patet per illud Hiere. 7.

I. Et pro huiusmodi reprobatis nõ est orandum.

Tu ergo

A Tu ergo noli orare pro populo hoc, & non obsistas mihi, quia non exaudiam te. Simile quid habetur Hierem.11.vbi gloss.dicit; Prophetæ præcipitur, ne pro eis oret, in quos est iam consummata sententia.

SI QVIS obiiciat contra hoc, quia Christus sciebat, voluntatem patris esse determinatam, vt Christus pateretur, & tamen Christus orando oppositum petebat, dicens: Si possibile est, transeat à me calix iste. Respondetur, quòd Christus orabat, non quia illud secundùm rationem appetebat, sed vt veram humanitatem se habere monstraret, cuius appetitus sensualis mortem refugiebat, & vt nobis formam orandi traderet, vt in nostris necessitatibus, seu petitionibus, nostram voluntatem diuinæ voluntati semper subiiceremus. Sicut ille, qui addidit: Veruntamen non mea, sed tua voluntas fiat. Adde, quòd cognita Dei voluntate, nō petiit absolutè oppositum, sed conditionaliter, scilicet, si illi placeret. Et hoc modo non inconuenit aliquid à Deo petere conditionaliter, ad cuius oppositum Deus est determinatus. *Obiectio.* *Solutio.*

ALIO MODO Deus reprobat aliquem non sic absolutè, vt dictum est, sed ob causam, tenentem se ex parte reprobati, scilicet, ob eius scelera, aut negligentiam, prout de communi lege Deus reprobat eos, quos scit in peccato decessuros, iuxta dictum Augustini, dicentis: Deus non est priùs vltor, quàm aliquis sit peccator. Et huiusmodi reprobatio quodammodo pendet ex voluntate reprobati, quia in eius voluntate stat pœnitere, & saluari, & econtrà impœnitentem esse, & condemnari. Et pro huiusmodi reprobatis etiamsi nobis fiat particularis reuelatio, licitum est orare, non quidem, vt reprobati permanentes tales saluentur, sed vt illis gratia Dei, & auxilium conuersionis non desit, vt saluentur; & hoc non est diuinæ voluntati contraire. Nec hoc petere, seu orare, est aliquid impossibile petere. Et quòd reuelatio Dei de reprobatione cuiusdam secundùm communem legem facta, non tollat, quin contrà orari possit, apparet ex eo, quòd Christus prædixit Petro: Ter me negabis; & tamen huiusmodi reuelatione non obstante, Petrus potuit, imò debuit velle, & orare, seu petere oppositum. Ac proinde stat, quod suprà responsum est; pro omnibus viatoribus orādum esse, vt ea, quibus ad salutem indigeant, illis non desint, vt finaliter saluentur.

II. Modus quo Deus aliquem reprobare dicitur. *Et pro huiusmodi reprobatis orare licitū est, nō obstante etiā particulari reuelatione.* *Quomodo hoc nō sit contra voluntatem diuinam.*

B

FACIT PRO hoc Gerson 45. dicens, quòd Sancti orent pro damnandis, scilicet vt conuertantur, & saluentur, vel saltem, vt rariùs peccent, & mitiùs finaliter torqueantur. *Soluūtur rationes pro parte negatiua allata.*

ET PER hoc patet ad ea, quæ suprà obiecta sunt. Ad illud autem, quod obiectum est, Christum non pro mundo orasse, sed pro electis, & his, qui in Christum erant credituri; respondetur, quòd intelligitur, quòd Christus nō petiit aliquibus salutem æternam nisi credentibus, quia non nisi credentes erant finaliter saluandi, & ideo orauit pro credentibus vt saluarentur. Cum quo tamen stat, quòd optauerit omnibus, vt resipiscerent, & crederent, vt tandem salutem consequerentur æternam. Itaque hinc colligitur, quòd nulli optanda sit, & petenda vita beata, nisi credenti. Vnicuique autem optanda est, & petenda fides, & pœnitentia, vt dignus sit, cui beata vita conferatur. Et ita tantùm pro credentibus orādum est; quamuis pro illis immediatè vita beata petatur; pro his autem, qui non credunt, non nisi mediatè. *Quatenus Christus non nisi prò credētibus orauerit patrem.*

C

AD TERTIVM respondetur, quòd etiam pro inimicis orandum sit, dicente Domino, Matth.5. Orate pro persequentibus, & calumniantibus vos. Pro quo & ratio facit, quia non solùm amici, sed etiā inimici sunt ex charitate diligendi. Et quanquam in particulari nō teneamur inimicos diligere, nisi in casibus particularibus, quando nostra ope indigent, & ita nec pro illis, nisi in simili necessitate, orare teneamur; à generali tamen proximorum dilectione, & oratione inimicos non possumus excludere. Quòd si Prophetæ, & Sancti in scriptura deprecentur, vt pereant inimici &c. id intelligendum est dici, non orando, sed quod futurum in illis est, prænuntiando. Aut dicatur cum Augustino, Sanctos non imprecari mala inimicis, prout homines sunt, sed prout impij, & inimici, scilicet vt, quatenus tales sunt, pereant, id est, vt tales esse desinant, & amici fiant, & suum peccatum agnoscant. Similiter dici potest ad illud Apocal.6. quòd Martyres non orant contra salutem suorum persequutorum, sed vt sic regnare desinant, & per pœnitentiam, & humilitatem transmutati, Deo discant esse subiecti. Sic enim significat Augustinus in homelia quadam de Martyribus, illud impletum esse, quod scriptum est: Vltus sum eos. Quid est, vltus sum eos? Vindicaui me de ipsis inimicis meis. Quomodo me vindicaui? Occidendo in eis errorem, suscitando fidem.

Ad III. *Quatenus prò inimicis orandum.* *Quomodo Sancti imprecentur mala inimicis.* *Quatenus martyres persecutorum vindictam petant.*

AD

Ad IIII. AD QVARTVM dicendum, quòd hæc simul cohæreant, posse nos iusto bello aduersarios aggredi, & si oportuerit, occidere, imò & à Deo auxilium petere, vt nobis aduersùs illos victoriam concedat, & simul cum hoc, quòd pro illis oremus, non vt nos vincant, nec vt corporaliter viuant, sed vt peccati, & iniustitiæ, quam defendunt, pœniteant, & videntes se superari, & mori, Deo se commendent, & animam saluent. Nos enim, vt ait Christus, etsi eorum corpus possimus occidere, non tamen animam. Ac proinde, cùm corpus occidimus, pro anima orare possumus, & debemus. Quòd si, nobis corpus occidentibus, anima simul perit, mors animæ non nobis est imputanda, sed ipsismet, qui causam iniustam suscepêre, & pœnitere noluerunt. Itaque pro omnibus orandum, & bona spiritualia pro omnibus sunt petenda, quamuis temporalia bona, & corporalia non ita. D

Pro omnibus petenda sunt bona spiritualia, temporalia verò nō item.

De necessitate vocaliter orandi, oratione publica.

QVÆSTIO SEPTIMA.

IAM DE necessitate vocaliter orandi breuiter videamus: Est enim duplex oratio, Ecclesiastica scilicet seu communis, quæ Ecclesiasticis personis iniuncta est; & est oratio priuata. E

Oratio duplex.

DE PRIMA non ita dubitatur, nam illi, quibus horas Canonicas dicere incumbit, tenentur eas vocaliter dicere, & non satisfaciunt, si mente solùm eas recitent. Cuius ratio aperta est, secundùm communem sententiam, quia Ecclesia non obligat immediatè ad actus mentis, nec satisfacit homo Ecclesiæ præcepto per solum actum mentis, vt nunc suppono, igitur necessarium est, vt quis præcepto Ecclesiæ de dicendis horis Canonicis satisfaciat, vt eas vocaliter dicat, & non sola mente pertractet. Hoc vltra alia communia iura est particulariter declaratum & iussum in Concilio Basiliensi Sessione 21. scilicet, vt horæ Canonicæ non inter dentes, nec in gutture, nec syncopatè dicantur, sed integrè voce pronuntientur.

Obligati ad dicēdas horas Canonicas, vocaliter eas persoluere tenentur.
Ratio.

SI QVAERAS, quanta vocis expressio requiratur? Dicendum, quòd quanta sufficit, vt ab astantibus auditu percipiatur, si tamen attendant, & non sit impedimentum; alioqui minimè satisfacit præcepto.

SI QVAERAS, quę personę teneantur ex Ecclesiæ præcepto ad dicendas horas Canonicas? Respondetur, vt aliâs super hac quæstione dixi, quòd qui sunt in sacris ordinati, similiter & beneficiati, siue pingue sit, siue exiguum beneficium. Hoc patet de celebratio. Mis. cap. I. & cap. Dolentes. Similiter. 91. distinct. cap. Eleutherius. Et cap. finali. 92. distinct. Idem etiam patet ex Concilio Basiliensi citato.

Dubium. Qui teneantur ex Ecclesiæ præcepto ad recitādas horas Canonicas.
a Resolutio: beneficiati, & ordinati.

DE BENEFICIATIS autem distinguitur: Nam sunt quidam, qui beneficium habent, & fructus percipiunt; alij, qui beneficium habent, & fructus non percipiunt, cùm sint alteri reseruati; alij, qui fructus percipiunt, sed beneficium non habent, vt qui pensionem, seu fructus pro pensione recipiunt. F

b Beneficiati sunt in triplici differentia.

DE PRIMIS, qui beneficium habent, & fructus percipiunt, non dubium, quin teneantur horas dicere, etiamsi ordinati in sacris non sint, etiamsi tenue sit beneficium, vt apertè habetur capit. Clericus victum. distinct. 90. vbi dicitur, vt Clericus, quem sui beneficij fructus alere non possunt, quærat suo artificio victum, sine detrimento officij sui. Et si id sibi difficile fiat, imputet sibi, qui beneficium acceptauit, aut beneficium dimittat. Et procedit hoc dictum etiam de his beneficiatis, qui fructus non percipiunt, quando habent ius eos percipiendi, sed per eos stat, quò minùs percipiant; vt si absentes sint, & nil actu lucrentur, aut si parentes vel consanguinei ex eorum voluntate, fructibus gaudent.

Conclusio. Beneficiati fructus percipientes tenentur horas recitare, etsi nō sint in sacris constituti.
Ampliatio dictæ conclusionis.

DE SECVNDIS, id est, qui beneficium habent, sed fructus non percipiunt, quia sunt ex authoritate & iussu Papę alteri reseruati, dixerunt aliqui, vt Caietanus, quòd non teneantur, saltem ob titulum beneficij, ad horas Canonicas. (loquor de puro beneficiato, non ordinato in sacris) Mouentur, quia iniustum est alicui imponere onus, cui commodum omne atque merces denegatur, vt habetur cap. Cùm secundùm Apostolum. de præbendis: Qui ad onus eligitur, nō debet à mercede repelli. Et est regula iuris in 6. Qui sentit onus, sentire debet & commodum.

De beneficiatis fructus non percipientibus alteri reseruatos. Sententia I. negatiua.
Ratio.

OPPO-

A Oppositvm tamen videtur esse tenendum, scilicet quòd beneficiatus ob solum titulum beneficij teneatur ad horas Canonicas, etiamsi fructus no percipiat, ex quo beneficium cum onere illo acceptauit, alioqui non etiam teneretur ad officium in Ecclesia complendum, quod ipsum exigit beneficium, cùm tamen oppositum apertè deducatur ex cap. Clericus. suprà citato. distinct. 90. *Conclusio affirmatiua.* *Ratio I.*

Tvm etiam quia si beneficium acceptasset cum iure leuandi fructus, absque dubio teneretur ratione beneficij horas dicere. In hoc autem, quòd sibi reseruat beneficiũ, & consentit, vt fructus alteri reseruentur, apertè videtur beneficij onus sibi cum beneficij titulo reseruasse, & soli iuri leuandi fructus cessisse. II.

Tvm etiam, accepto beneficio, & fructibus alteri reseruatis, quæro, vel neuter eorum tenetur Ecclesię ministrare; & hoc est absurdum: Vel is, qui fructus pro pensione percipit; & hoc nemo dicit, nec verum est; igitur restat, quòd ipse, qui Ecclesiam in se suscepit, teneatur eidem ministrare, & horas dicere. III.

Nec obstat, quòd per alios est allegatum, quia ex illis iuribus non sequitur, nisi quòd ministrantibus Ecclesiæ, sua debeatur merces & stipendium, iure etiam diuino illis suffragante, nisi ipse sponte huic iuri mercedem leuandi cedat, qualiter cedunt qui beneficia suscipiunt, alteri fructibus in toto vel in parte reseruatis. *Soluitur argumentũ pro parte negatiua.*

De aliis, id est, qui fructus percipiunt, beneficium tamen nõ habent, quales sunt B pensionarij &c. an teneantur hac ratione ad horas Canonicas, videtur quòd non, quia huiusmodi pensiones dari non solent propter Ecclesiasticum officium, sed vel ad sustentandam personam, vel ad iuuandam eam, vt possit literis incumbere; vel ad alliciendos nobiles & potentes ad id, vt Ecclesiæ faueant, vel denique in præmium, pro eo, quòd vel ipsi, vel eorum antecessores aliquid in Ecclesiæ vtilitatem fecerunt, aut passi sunt &c. Titulus autem beneficij datur alicui, vt Ecclesiæ, quæ sibi committitur, curam suscipiat, & officium solitum, debitumque ibidem compleat. *An pensionarij teneantur recitare horas Canonicas.* *Solutio negatiua.* *Causa pensionis varia.*

Inde videtvr, quòd qui præstimonium habet, ob id solùm non teneatur ad horas Canonicas, sicut nec ad reliquum officium in Ecclesia illa complendum, ex quo alter illic est, qui beneficium habet, cui onus illud incumbit.

Ex dictis apparet, quòd cui confertur beneficium in commendam, interim, dum beneficium habet, teneatur per se vel per alium officium Ecclesiæ sibi commissæ complere, ac si sibi datum esset in titulum. Nam cùm Ecclesia pastore carere nõ debeat, qui eidem ministret, is qui in commendam Ecclesiam aliquam, interim dum alter intituletur, accipit, illud idem onus in illo interim suscipit, quod esset intitulatus suscepturus. Est enim velut substitutus alicuius cathedratici, aut alterius officialis, cuius vicem & obligationem in se suscepit tempore substitutionis. Inde fit, vt talis, cui in commendam collatum est beneficium, teneatur ad horas Canonicas, sicut si intitulatus esset, maximè cùm ipsi conueniat ius fructus beneficij percipiendi, si velit. *Corollarium I.* *Ratio.*

C Seqvitvr vltrà, quòd cui Capellania collatiua data est, teneatur ad horas Canonicas, quandoquidem Capellaniæ huiusmodi, etsi de iure patronatus sint, beneficia sunt Ecclesiastica, nec releuantur ab onere recitandi, si per alios officium Capellaniæ compleant. Sicut nec cæteri beneficiati à debito recitandi horas Canonicas releuantur per hoc, quòd Capellanos habeant, qui Ecclesiis sibi collatis ministrent. Sicut nec ordinatus in sacris, ab eodem onere releuatur, si alicui mandet, vt pro se horas Canonicas dicat. Quorum ratio vna est, quia obligatio dicendi horas Canonicas est personalis, id est, personis ipsis, quæ ad ordinem sacrum, aut beneficium promoti sunt, iniuncta, ideo nisi per seipsos eas persoluant non satisfaciunt, nisi ob aliquam iustam causam excusarentur. *Corollarium II.* *Ratio.* *Obligatio dicendi horas Canonicas, est personalis.*

De coadivtore autem, alicui beneficiato dato est dubium, an teneatur ad horas Canonicas, sicut & principalis; & hoc ob solam coadiutoriam. Et ratio dubitandi est, quia huiusmodi coadiutor non minùs beneficiatus est & intitulatus, quàm principalis, & mittitur in possessionem, sicut & principalis, & seruit Ecclesiæ aliquãdo plùs quàm principalis. *Aliud dubium. An coadiutor alicuius beneficiati teneatur ad horas Canonicas.* *Ratio dubij.*

Vervm difficile est illum obligare sicut principalem; nam cùm vnicum sit beneficium & non plura, & vnica illis Ecclesia commissa sit & non plures, satisfit Ecclesiæ, si solito ministerio non careat. Non enim tenetur coadiutor in Ecclesia illa missam & alia officia seorsum facere, si principalis ea fecerit. Igitur si principalis semel horas *Solutio negatiua.*

Canonicas

Canonicas dixerit ob suum beneficium, durum videtur, coadiutorem similiter teneri D
eâdem die horas dicere. Ac proinde crederem, coadiutorem ad Horas illas non teneri, nisi quando ipse in defectum principalis, onus Ecclesiæ in se suscipit. Ad hoc enim datur coadiutor, vt deficiente principali, eius vices coadiutor suppleat. Igitur principali Horas per se dicente, & excusationem ad eas omittendas non habente, non erit coadiutor ratione coadiutoriæ obligatus eas dicere. Hoc videtur tenendum, soli rationi innitendo, interim dum aliqua determinatio in oppositum occurrat.

Limitatur dicta solutio.

Aliud dubium. An religionem professi vt tales, teneantur dicere horas Canonicas? Solutio negatiua, nisi regula, vel etiam consuetudo obstet.

De his etiam, qui religionem aliquam professi sunt, an teneantur ob huiusmodi professionẽ, etiamsi nec beneficiati sint, nec in sacris constituti, dicere horas Canonicas illius religionis? Videtur, quòd non ad id teneantur ob solam professionem, quia de essentia religionis non est, nisi vouere paupertatem, castitatem, & obedientiam, nisi per regulam illius religionis, quam ille profitetur, contrarium sit statutum, nam tunc ob regulam tenebitur; videatur igitur regula. Habet etiam in hoc locum consuetudo, quæ si talis sit in religione illa, vt omnes professi horas Canonicas, ac si ordinati essent, dicant, tenebuntur, ac si per regulam esset statutum.

De iis qui minores habẽt Ordines quid sentiẽdum.

De aliis autem, qui minores Ordines susceperunt, an teneantur aliquid vocaliter recitare, saltem quindecim Psalmos seu Canticum Graduum? Videtur quòd nullo iure ad id teneantur: Si tamen in diœcesi aliqua, talis viget consuetudo, vt alicubi obseruari audiui, standum est consuetudini. Hæc obiter dicta sint de necessitate vocaliter E
orandi, oratione communi.

De necessitate orandi vocaliter, oratione priuata.

QVÆSTIO OCTAVA.

An necessariũ sit Christiano vocaliter orare? Probatur pars affirmatiua.

I. De necessitate autem orandi vocaliter, oratione priuata, est similis quæstio, an sit Christiano necessarium vocaliter orare? Et arguitur quòd sic, ex illo Canticorum 8. quod in persona Christi dicitur ad Ecclesiam suam: Fac me audire vocem tuam. Et rursus: Sonet vox tua in auribus meis.

II. Item Ecclesiastici 39. dicitur: Confitemini illi in voce labiorum vestrorum.

III. Item in Psalmis frequenter fit commemoratio orationis vocalis: Voce mea ad
Psal. 50. Dominum clamaui. Et iterum: Domine labia mea aperies, & os meum annuntiabit laudem tuam. Et alibi sæpe.

IIII. Item Esaiæ 43. Populum istum formaui mihi, & laudem meam narrabit.

V. Praeterea Christus hoc esse agendum verbo docuit, & exemplo firmauit: Sæpe F
enim legitur vocaliter patrem orasse, non solùm cùm in cruce esset, sed antè. In cruce enim voce magna clamauit, dicens: In manus tuas, Domine, commendo Spiritum meũ. Et ibidem plures Psalmos voce dixisse fertur. Ante crucem etiam, quando Lazarum suscitauit, voce ad patrem pro Lazari suscitatione orauit. Et quòd voce id à patre petierit, colligitur ex textu, licet ibi non exprimatur. Tum, quia cùm Iudæi vidissent, illum oculos in cœlum leuare, dixerunt: Nunquid non poterat hic, qui aperuit oculos cæci nati, facere, vt non moreretur? argumentum est, quòd à patre voce petebat, quod illi putabant Christum per se facere non posse.

Sed apertivs colligitur ex sequentibus; dixit enim Christus: Gratias tibi ago pater, quia audisti me. Ego sciebam, quia semper me audis, sed propter populum circumstantem dixi, vt credant, quia tu me misisti. Quod non esset pertinenter dictum, nisi populus audisset, Christum patrem orasse, & vidissent, ipsum à patre exauditum esse. Vnde moti sunt ad credendum, quòd à patre esset missus.

Qvod etiam verbo docuit vocaliter orare, patet Matth. 6. vbi formam orandi discipulis suis tradidit, vt dicerent: Pater noster, qui es in cœlis &c. Et quòd de vocali oratione loqueretur, apparet, quia cùm multiloquium, quo gentes vtebantur, quando vocaliter orabant, reprehenderet, hanc breuem orandi formam illis tradidit, per quam multiloquium vitarent.

A FACIT etiam ratio, quia Deus non solùm mente, sed etiam voce vult, vt ipsum confiteamur, vt ait Paulus: Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem. Sicut igitur oportet aliquãdo laudes Dei confiteri, ita & orare, cùm in ipsa oratione, Dei potentiam & misericordiam confiteamur. Et ad Philipp. 2. ait de Christo, vt illi omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus noster in gloria est Dei patris. Et 1. ad Corinthios 14. de mentali & vocali oratione doctrinam tradens, ait: Orabo spiritu, orabo & mente. Et ita in Ecclesia orare docuit. VI. *Ad Rom. 10.*

FACIT denique quod dicitur Oseæ vltimo: Omnem aufer iniquitatem, & accipe bonum, & reddemus vitulos labiorum nostrorum. Verbum autem, reddere, necessitatis est. Et ita videtur, quòd necessarium sit, aliquando vocaliter orare. VII.

CONTRARIVM tamen tenent communiter Doctores. Alexander 4. parte, quęst. 9. Richardus in 4. distinct. 15. Thomas secunda secundæ, quæst. 83. Durandus in 4. quæst. de Oratione. Gabriel in Canone, lectione 62. Et Angelus & Baptista in Summis, verbo, Oratio. & Augustinus ad Probam, & cæteri tenent, orationem priuatam vocalem non esse de præcepto absolutè, neque necessariam, nisi quatenus aliquando ea opus est, ad excitandam deuotionem, vel apponendam debitam attentionem, sicut viris imperfectis & parum exercitatis accidere solet, vt nisi voce orent, facilè mens euagetur, & pe-
B reat deuotio. Illis enim ex suppositione in casu esset necessarium vocaliter orare, quando illis est necessarium mente orare. Similiter si opus sit orare vocaliter ad proximi ædificationem, aut ad vitandum scandalum, si fortè tale oriretur, ex hoc, quòd homo nunquam orare videatur, aut ob aliam causam vrgentem, tunc necessarium esset orare. In se tamen & de se oratio vocalis, etsi fructuosa sit, non tamen est necessaria, nec de præcepto.

Resolutio negatiua.

Oratio priuata vocalis non nisi ex suppositione aliqua necessaria est.

AD EA, quæ suprà contra hoc allegata sunt, facilis est responsio: Illa enim, quæ ex Canticis citata sunt, ex Psalmis, & ex Prophetis, nil de necessitate vocaliter orandi sonant, nec talis necessitas inde colligitur, sed sola orationis commendatio, quòd Deo placeat, & à Deo sæpe audiatur. Nec verbum, Reddemus, quod in Osea ponitur, importat illic necessitatem, quia perinde est, ac si diceret, retribuemus scilicet pro beneficio à Deo accepto, vt ex ipso textu patet.

Ad argumenta opposita respondetur. *Ad IIII. priora.* *Ad VII. ex Osea.*

AD ILLVD ex Christo citatum, fateor quòd ipse frequenter orauit vocaliter, non tamen inde fit, vt sit nobis necessarium, vocaliter orare, quia nec illi fuit necessarium sic orare, nisi fortè, quando ad aliorum ædificationem erat necessarium, vt dictum est. Nec omnis Christi actio, est instructio nostra, necessitatem nobis imponens, vt manifestum est de multis: Fuit enim pauper, fuit castus simpliciter, fuit nudus, fuit peregrinus, fuit prædicator, & doctor &c. & tamen non inde inducitur obligatio, vt nos tales simus,
C quandoquidem multa opera fecit, quæ nobis sunt de consilio, ad quæ noluit nos sub pœna peccati arctare. *Ad V.* *Nota.*

ET QVOD de oratione Dominica allegatur, parum valet. Nam Christus illic nec determinatè de oratione vocali loquebatur, nec illam orationem pręcipiendo tradidit, sed docendo, quod ex textu patet. Dixerant enim discipuli: Domine, doce nos orare. Cui petitioni cõdescendens Christus, tradidit illis breuem orandi formam, intendens, vt siue mentaliter, siue vocaliter orarent, non multiloquio verbali, nec mentali apud patrem vterentur, cui breuis & copiosa placet oratio.

AD ALIVD Pauli ad Roman. & Philip. dicendum, quòd Paulus illic significat, fidei confessionem vocalem, pro tempore & loco necessariam esse, non ratione sui, sed quando ea opus est, ad proximi ædificationem, seu proximorum in fide conseruationem. Et in simili casu idem de oratione dicendum est, vt suprà. *Ad VI.*

AD ILLVD verò, quod ex Epistola ad Corinth. citatum est, videtur, quòd sit impertinenter dictum seu allegatum. Nam illic Paulus non intendit præcipere, vt vocaliter oremus, sed vt si velimus vti linguis, quæ ab astantibus non intelliguntur, non solo spiritu vocis oremus, sed etiam mente, scilicet sensum verborum audientibus significando, vt proficiant. Cæterùm si modum orandi & psallendi tradidit, intelligatur hunc viris Ecclesiasticis, quorum est publicè in Ecclesia orare, tradidisse.

De necessitate orandi mentaliter.

QVÆSTIO NONA.

Sententia I. Orationem scilicet mentalem absolutè non esse necessariam, sed tantùm ex suppositione.

AN AVTEM sit necessaria saltem oratio mentalis? Et videntur nonnulli Doctores inter se diuersi, vt notat Baptista, verbo, Oratio.§.10. Et cùm quidam teneant hanc partem, quidam illam, hic Doctor nititur eos ad concordiam reducere, dicendo, quòd oratio in se & ratione sui & absolutè non sit necessaria, de præcepto Dei. Dat rationem satis friuolam, quia ait: Si de præcepto Dei esset, plura igitur essent Dei præcepta, quàm decem; est tamen necessaria oratio necessitate ex suppositione, scilicet si aliter non potest salus acquiri, aut non aliter possumus peccatum aliquod vitare, aut dæmonis tentationem superare, iuxta illud Matthæi 17. Hoc genus dæmoniorum non eiicitur, nisi per orationem & ieiunium. Itaq; de oratione in se non est à Deo immediatè datum præceptum, vt dicit.

Resolutio affirmatiua. Probatur I.

OPPOSITVM tamen videtur secundùm communem sententiam. Pro qua facit illud Matth. 7. Petite, & accipietis. Et Lucæ 18. Oportet semper orare. Quod verbum necessitatis est, vt illic notat beatus Chrysostomus. Et Matthæi 28. Vigilate, & orate, ne intretis in tentationem. Super quo ait Hieronymus: In tentationem intrat, qui orare negligit. E

II. FACIT etiam, quod ait Iacobus cap. 5. Orate pro inuicem, vt saluemini. Si igitur debemus pro aliis orare, vt saluentur, à fortiori pro nobis, quos ex charitate magis tenemur amare. Et Matth. 5. Orate pro persequentibus & calumniantibus vos. Et ita tenet expresè Thomas 2.2. q. 83. art. 3. dicens, quòd non solùm petere, quæ desideramus, sed etiam rectè aliquid desiderare, sub præcepto cadat; sed desiderare quidem cadat sub præcepto charitatis; petere autem sub præcepto religionis. Quod præceptum ponitur Matth. 6. vbi dicit: Petite, & accipietis. Hæc ille. Quod præceptum cùm non sit datum de oratione vocali, vt ipse tenet ibidem art. 12. restat; vt sit præceptum de oratione mentali.

III. FACIT etiam, quod ait Chrysostomus super Matthæum dicens: Pro se orare, necessitas cogit; pro altero autem, charitas fraternitatis hortatur.

IIII. ET AVGVSTINVS de Ecclesiasticis dogmatibus ait: Nullum credimus ad salutem venire, nisi Deo inuitante; nullum inuitatum, nisi Deo auxiliante, suam salutem operari; nullum nisi orantem, auxilium sibi promereri, igitur à primo ad vltimum, nullus salutem consequitur sine oratione.

V. FACIT etiam Gregorius in Dialogo, & habetur 23. q. 4. dicens: Obtineri nequaquã possunt, quæ prædestinata non fuerint, sed ea, quæ sancti viri orando efficiunt, ita prædestinata sunt, vt precibus obtineantur. Nam ipsa quoque perennis regni prædestinatio ita est ab omnipotenti Deo disposita, vt ad hoc electi ex labore perueniant, quatenus postulando, mereantur accipere, quod eis omnipotens Deus ante secula disposuit donare &c. F Si igitur ita est, vt ad perennem vitam peruenire nisi orando non possimus, sequitur necessarium nobis esse orare.

Orationis omissio per se peccatum est. Probatur.

ET QVOD proprium peccatum sit, non orare, apparet, stantibus allegatis. Quia omissio orationis sufficit ad amittendam gratiam præhabitam, alio peccato secluso, igitur in se est peccatum. Antecedens patet, si demus aliquem baptizatum per aliquod tempus viuentem, cui intimetur necessitas orandi ad consequendam perennem vitam, vt suprà dictum est, & ille nil aliud illo tempore omittat, præterquàm orare, iam talis peccat, per orationis omissionem, & gratiam perdit, quam orando conseruaret, igitur si alio peccato secluso, sola omissio orationis peccatum est, econtrà, alio præcepto secluso, ipsa oratio præcepta est. Quòd si velis hoc præceptum reducere ad præceptum charitatis, parum refert, dummodo concedas, hominem teneri sub pœna proprij, aut noui peccati non solùm vitam beatam, & reliqua ad illam necessaria ex charitate desiderare, sed etiam ex religione petere, vt suprà ex Thoma citatum est.

De necessitate sciendi Dominicam orationem.

QVÆSTIO DECIMA.

SVPPOSITO

A SVppoſito igitur, quòd neceſſarium ſit, ſaltem mentaliter orare, eſt dubium, an ſit neceſſarium orare ſecundùm formam, à Chriſto nobis traditam in oratione Dominica. Et arguitur, quòd ſic; primũ ex dicto Chriſti Matth. 6. Sic orabitis: Pater noſter &c. In quo videtur Chriſtus determinaſſe modum in oratione tenendum, quæ quidem oratio eſt ad ſalutem neceſſaria, vt ex dictis patet. Præceptum enim legis in ſe indeterminatum, neceſsitate ſeruandum eſt, ſecundùm determinationem & modificationem à legiſlatore traditam, vel ab eo, qui poteſtatem habet illud modificandi.

An neceſſariò ſcienda ſit & oranda oratio Dominica? Affirmatiua probatur I.

EXEMPLVM eſt clarum. Præceptum erat in lege de ſabbatho ſanctificando, quod cùm indeterminatum eſſet, appoſuit Deus modum ſanctificandi ſabbathum, ſcilicet non faciendo in illo aliquod ſeruile opus, & ita fuit neceſſariò ſeruandum.

SIMILITER præceptum eſt Chriſti, de confitendis peccatis, quod cùm in ſe ſit indeterminatum, Eccleſia authoritatem habens, determinauit, quando, cui, & quomodo ſit confitendum. cap. Omnis vtriuſq; ſexus &c. igitur ſic erit in propoſito: Præcepit enim Chriſtus: Petite, & accipietis; orate ſemper: Hic autem videtur modificaſſe huiuſmodi præceptum, igitur de neceſsitate ſic eſt orandum.

PRAETEREA idem videtur ex Concilio Toletano 4. capitulo 9. Vbi dicitur, quòd Chriſtus præcepit omnibus, vt orationem Dominicam dicerent, ſcilicet, Pater no-
B ſter &c. II.

PRAETEREA idem videtur ex Concilio Remenſi cap. 2. vbi præcipitur omnibus, vt ſciant orationem Dominicam, quia eam ignorare, nulli Chriſtiano licitum eſt, vt illic dicitur; igitur ſi neceſſarium eſt eam ſcire, neceſſarium etiam eſt ſecundùm eam orare, quia non eſt eius cognitio neceſſaria propter ipſam cognitionem, ſed propter praxim. III.

PRAETEREA facit Cyprianus in expoſitione orationis Dominicæ dicens, quòd Chriſtus inter cætera ſalutaria monita, & præcepta, etiam orandi ipſe formam dedit. Vnde & Eccleſia in miſſæ celebratione quotidie id innuit dicens: Præceptis ſalutaribus moniti, & diuina inſtitutione formati audemus dicere: Pater noſter &c. Quod apertiùs ipſe Cyprianus paulò pòſt dicit, quòd aliter orare, quàm Chriſtus docuit, non ignorantia ſola ſit, ſed & culpa, afferens pro cauſa, quod Chriſtus dixit Matth. 15. Reiicitis mandatum Dei, vt traditionem veſtram ſtatuatis. IIII.

RESPONDETVR, etſi ſalutare ſit orationem Dominicam ſecundùm ſeriem & ordinem, quo tradita eſt ſcire, & ſecundùm eundem ordinem & formam orare, nõ tamen videtur eſſe id de præcepto diuino ſub pœna peccati mortalis obligante. Id videtur, tum ex communi Doctorum ſententia, quos videre licuit, qui hoc dicunt: Tum etiam ex Auguſtino hoc idem dicente in epiſtola 89. ad Hilarium, ſcilicet, quòd oratio Dominica omnibus neceſſaria ſit, vt ſciatur & dicatur ab illis, non ſic, vt ordinatim ſciatur & dica-
C tur, ſed ſatis eſt vnicuique ſcire, quid à Deo petendum ſit, id eſt, ea quę in Dominica oratione continentur, ita vt ſi de ſingulis petitionibus illic contentis interrogetur, ſciat, illa talia eſſe petenda, vt ſcilicet fiat Dei voluntas, vt remittat nobis peccata, vt liberet nos à malo &c. etiamſi formalem ordinem orationis ignoret. Quemadmodum de articulis fidei in Symbolo contentis dici ſolet, non eſſe homini ad ſalutem neceſſarium, memoriter ſymbolum retinere, ſecundùm ordinem, quem tenet, ſed ſatis eſt, ſi ad ſingulos articulos etiam ſine ordine propoſitos reſpondere ſciat.

Reſolutio. Bonum quidẽ eſſet ac ſalutare orationẽ Dominicam ordine quo tradita eſt ſcire, & orare, non eſt id tamẽ de præcepto diuino obligante ſub mortali. Probatur. Idem de Symbolo Apoſtolorum dicendum eſt.

SIC VIDEO plures Doctores tenere, cum quibus poſtremò tenet idem Syluester, verbo, ſcientia. §. 2. Vide eos.

AD EA VERO, quæ contra hoc ſuprà citata ſunt, dici poteſt ad primum, quòd quamuis Chriſtus formam illam orandi tradidit, hanc tamen non præcipiendo, ſed docendo inſtituit, vt ſuprà dictum eſt. Et quamuis ipſe alibi iuſſerit orare & petere ſine modificatione, nunc autem particularem modum orandi tradiderit, non inde fit, vt hic particularis modus cadat ſub præcepto, cùm nec hunc modum inſtituerit, intendens pręceptum de orando alioqui datũ modificare. Nam ſi ita eſſet, priùs igitur debuiſſet præceptum de orando indeterminatum dare, quàm ipſam determinationem apponere. Cuius tamen oppoſitum, ex ſerie Euangelij conſtat, tam ex Matthæo quàm ex Luca. Nec exempla allegata, de ſanctificando ſabbatho, & confeſsione facienda, valent ad propoſitum, quia modus ſanctificandi ſabbathum à Deo traditus, & modus confitendi

Ad rationes cõtrarias. Ad I.

ab Ecclesia institutus præceptiuè tradita sunt, vt ex suis locis apertè constat, non sic oratio Dominica, vt ex Lucæ 11. cap. constat. D

Ad II. Ad aliud ex Concilio Toletano & Remensi, & communi Ecclesiæ celebratione, quæ omnia significant, Christum sic orandum esse præcepisse, dicendum, quòd non loquantur de præcepto strictè, vt sit id, quod sub pœna peccati obligat, sed largè, sicut multa dicitur Deus mandasse, ad quæ noluit nos sub pœna peccati coarctare. Et hæc responsio apparet ex eo, quod ait Ecclesia dicens: Præceptis salutaribus moniti. Non dixit, iussi, vel coacti, sed moniti. Quod verbum, rigorem præcepti videtur temperare.

Ad III. Et quod in Concilio Remensi dicitur, quòd ignorare orationem Dominicam, nulli Christiano licitum sit, intelligatur de ignorantia, qua non solùm series & ordo petendorum nescitur; sed qua, quid à Deo petendum sit, ignoratur, prout suprà ex Augustino exposuimus.

Ad IIII. Ad aliud ex Cypriano allegatum, quando ait, quòd aliter orare quàm Christus docuit, non solùm ignorantia, sed culpa sit, dicendum, quòd hoc dicatur contra illos, qui alias orationes per homines compositas, orationi Dominicæ præferunt, & hoc culpa est, vt suppono. Et quòd hoc intendat, apparet clarè ex causa, quam ipse affert, dicens: Quia reiicitis mandatum Dei, vt traditionem vestram statuatis. Vbi iterum mandata Dei ad omnes Dei traditiones se extendunt, etiamsi nō omnes obligatoriæ sint, vt fiant, quamuis omnes obligatoriæ sint, vt non contemnantur. Et ita non videtur sufficienter probatum oppositū huius posterioris sententiæ. Et ex textu ipso Matt. 6. apparet, tenendum esse, quod dictum est: Nam Christus non tam intendit illic formam orandi secundùm ordinem tradere, quàm quid orandum sit, docere. Præmisit enim, dicens: Scit enim Pater vester, quid vobis opus sit. Et sequitur: Sic enim orabitis: Pater noster. Quod adiunxisse videtur, vt sciamus, quid nobis à Deo petendum sit, qui scit, quid nobis opus sit. Itaque satisfacimus, si illa petamus, quæ Christus docuit esse petenda, etiamsi non ordine petamus. Et non est de præcepto Dei scienda illa oratio, secundùm ordinem. Cum hoc tamen stat, quòd periculosè ignoretur Dominica oratio; & si ex negligentia ignoratur, non caret culpa, vt dicit Cyprianus. Cuius ratio aperta est, quia cùm Deus orari velit & rogari, & quid nobis desiderandum sit, & à Deo petendum, ipse Christus in præfata oratione tradiderit, & docuerit, certè qui negligit scire ipsam orationem Dominicam, suam videtur salutem negligere. Quanquam hoc potiùs arguit necessitatem sciendi, quod Christus petendum docuit, quàm ordinem ipsarum petitionum, quæ in oratione continentur. E

Ignorare Dominicam orationē ex aliqua negligentia, culpa nō caret.

De tempore, quo orare oportet.

QVÆSTIO XI. F

Igitur supposito, quòd necessarium sit vnicuique orare, saltem pro se, & pro his, quos videt sua oratione summè aut notabiliter indigere; est dubium, quando sit de necessitate orandum? Et videtur quòd semper, iuxta illud Christi: Oportet semper orare, & non deficere. Et prima ad Thessalonicen. 5. ait Paulus: Sine intermissione orate.

Quando sit oratio necessarium. Probatur quod semper. I. *Lucæ 18.*

II. Pro quo etiam facit ratio, quia homo semper indiget gratia Dei, vel vt resurgat, si in peccato est, vel vt stet, si gratiam Dei habet. Et semper homo est in malo, pro quo amouendo, orandum est, iuxta illud Ioannis in Canonica: Si dixerimus, quòd peccatum non habemus, veritas in nobis non est. Semper etiam sumus in periculo succumbendi dæmonis tentationi, iuxta illud Petri: Vigilate, quia aduersarius vester Diabolus, tanquam leo rugiens, circuit, quærens quem deuoret, igitur semper orandum.

Resolutio. Necesse non est actu semper in oratione perseuerare.

Oppositum tamen est veritas, scilicet, quòd non sit necessarium semper in oratione actu perseuerare; nam certum est, necessarium esse homini aliis rebus, & operibus sæpe intendere, quæ aliquando ad ipsum, aliquando ad proximum, aliquando ad Remp. pertinere, & necessaria esse, dignoscuntur. Oportet igitur orare, sed cum temporis interuallo.

Ad illvd

A AD ILLVD ergo ex Luca citatum, dici solet, quòd oporteat ſemper orare, non loquendo de oratione, actu, & in ſe, ſed de cauſa eius, quæ eſt deſiderium charitatis, ex quo procedere debet oratio, vt ait Thomas. Quia tale deſiderium ſemper debet in homine eſſe actu, vel habitu. Gerſon etiam in 3. parte 77. litera. contra dicit, certiſsimum eſſe dictum Chriſti, ſcilicet: Oportet ſemper orare, intellectum actualiter, vel virtualiter, vel habitualiter; Quod fit, quando quis orare Deum cœpit, ſi nunquam poſtea voluntas orandi ſit per oppoſitam voluntatem interrupta. Origenes autem cum gloſſa ibidem exponit ſemper orandum eſſe, id eſt, ſemper bene agendum, ſeu bene viuendum, quia ſemper orat, qui ſemper bene agit. Et ita omnes hi prætendunt, orationem ſemper debere durare, & continuam eſſe, ſecundùm ſenſum, qui illis viſus eſt. Attamen vt videtur, Chriſti intentio in loco citato non eſt dicere, quòd debeat eſſe ſemper permanens & continua oratio. Et ideo inquirere modos diuerſos continuitatis, vt hi inquirunt, ad ſaluandum ſenſum authoritatis, ſalua pace, non videtur ſatis pertinens. Chriſtus enim illic non intendit, niſi vt nõ ſimus contenti, ſi ſemel à Deo petimus, quod optamus, ſed oporteat inſtanter id à Deo petere, & pluries. Et quòd ita ſit, apparet ex textu; quia quare dixerit, oportere ſemper orare, ſtatim declarat per parabolam de iudice, qui renuebat facere iuſtitiam viduæ petenti, quæ cùm importuna eſſet, & frequenter ad eum, iuſtitiam petitura, veniret, dicit Iudex: Quia moleſta eſt mihi hæc vidua, vindicabo illam. Ex quo B intelligimus, orationem debere frequentari, quouſque Deus condeſcendat. Iam certum eſt, quòd illa vidua non orabat iudicem illum continuè, ſed frequenter; tranſibãt enim dies inter orationem, & orationem. Adde, quòd illud dictum, ſcilicet oportet ſemper orare, in loco citato, non ſit dictum Chriſti, ſed Euangeliſtæ, id ex parabola colligentis.

Reſpondetur ad I. argumentum oppoſitum.
Varia explicationes huius dicti, Oportet ſemper orare.
I. II. III.
Alia expoſitio verior.
Probatur.

IAM IGITVR, quòd impertinentes ſint præfatæ expoſitiones, apparet, quia ſecundùm primam ſtaret, aliquem manere in ſuo deſiderio, qui tamen, nunquam à Deo peteret optatum, & tamen diceretur ſemper orare. Quod non conſonat intento parabolę, quæ loquitur de inſtanti, & importuna petitione, vltra quod mente ſemper vindictam optabat. Nec enim iudex ex deſiderio viduæ motus fuit, ad faciendam illi iuſtitiam, ſed ex importunis precibus.

Oppugnatur I. expoſitio.

SIMILITER ſtando in ſecunda expoſitione, qui cœpit orare, & propoſitum illud nunquam per oppoſitum interrumpit, dicetur ſemper orare, quod non eſt propoſitum parabolæ. Adde, quòd falſum ſit eſſe neceſſarium, ſemper orare, in illo ſenſu; nam qui cœpit orare, licitè poteſt habere propoſitum ab oratione actuali pro tempore deſiſtendi, vt conſtat.

Impugnatur II. expoſitio.

SIMILEM difficultatem patitur tertia expoſitio. Itaque iuxta textum, & mentem parabolæ, non oportet ſemper, vel continuè ſine interruptione orare, ſed ſemper, id eſt, inſtanter, & importunè. Et ſic ſaluatur meliùs proprietas vocabuli, orare, quo textus C ipſe vtitur.

Similiter III.

QVANQVAM expoſitiones illæ veræ ſint in ſe, magis tamen adaptari poſſunt dicto Pauli citato, ſcilicet: Sine intermiſsione orare. Sed nec puto, Paulum tam ſtrictè loquutum, vt cùm dixerit, ſine intermiſsione orandum eſſe, nullam prorſus voluerit admitti requiem & ceſſationem in orando; quam quidem requiem, & ceſſationem omnino excludunt præfatæ expoſitiones, ſed voluit frequenter orationes, & crebras, qualibus patres Ægypti vtebantur, commẽdare, ſimul & nos commonefacere, ne per negligentiam diu ab oratione ceſſaremus.

Explicatur D. Pauli ſententia in eodem argumẽto allata: ſine intermiſsione orate.

SIC ENIM Actuum 12. legitur de Petro incarcerato, quòd in Eccleſia fiebant orationes ſine intermiſsione pro eo: & tamen conſtat, aliqua temporis interualla fuiſſe ad dormiendum, ad comedendum, & ad alia officia charitatis, aut naturæ agenda.

Exẽplis declaratur ea ſolutio. I.

SICVT ETIAM de Anna vidua legitur 1. Regum, quòd ſine intermiſsione rogabat Deum, & à templo non recedebat die ac nocte, & tamen conſtat, quòd ibat domum, & redibat, & non continuè ſine interruptione erat in templo. Nec valet dicere, quòd nunquam à templo recedebat voluntate & deſiderio: Hoc enim etſi verum ſit, non tamen ſufficit ad ſaluandum textum, quòd die & nocte à templo non recedebat. Non enim textus de voluntate loquitur, ſed de reali viſitatione templi. II.

SIMILITER verè dicitur nunc, quòd in Eccleſia Dei ſemper, & ſine intermiſsione officia diuina dicuntur. Quod ſaluatur (etiamſi ad expoſitiones illas nõ recurramus) per III.

hoc, quòd singulis diebus, & certis horis diei ordinariè talia officia cantantur. Itaque D semper & sine intermissione orare dicitur, qui manè Deum orat, & in meridie, & vesperi, & in nocte, idque quotidie, vt significat Cyprianus in libro de oratione Dominica.

Respondetur ad II. argumentū.

Quando & in quibus casibus tenentur aliqui orare.

Ad alivd, quo arguitur, quòd semper homo sit in periculo vel indigentia, &c. esto ita sit, non sequitur, quòd semper & pro semper homo oret, satis est, si non sit notabiliter segnis & oscitans, sed vigilet, & pro tempore oret. Est enim præceptum affirmatiuum, ideò non pro semper obligat. Pro tunc autem videtur homo teneri ad orandum, quando tenetur se ad gratiam disponere, siue Sacramentum suscipere velit, siue iter, siue opus periculosum aggredi, siue grauem & duram sentiat contra se tentationem. Et in talibus casibus necessitatis, tenetur se Deo commendare, & formaliter vel virtualiter orare, & Dei gratiam & fauorem petere. Vltra hæc tempora, non puto, esse de necessitate salutis, orandum; quamuis ad aliquem effectum consequendum, necessarium sit semper & sine intermissione orare, ad sensum dictum; non tamen absolutè sub pœna peccati mortalis, illo modo sine intermissione orandum est. Nec omnia, quæ Paulus ad Thessalon. in loco citato scripsit, accipienda sunt, tanquam sint de necessitate salutis obseruanda, vt ex textu ipso patet.

De modis, quibus oratio deprauari solet. E

QVÆSTIO XII.

De orationis bonitate & malitia.

Variæ causæ deprauantes orationem.

De qvalitate orationis, quo ad bonitatem & malitiam, breuiter nonnulla tangamus. Scimus enim, humanos actus ex obiecto & fine, illisque circumstantiis suam bonitatem, aut malitiam habere, quodque oratio, si talis sit, quę ex gratia fiat, & per eam quod decet in se, ob finem bonum, locoque & tempore debitis à Deo petatur, bona sit, & Deo grata. Econtrà verò potest multipliciter deprauari. Primò ex parte

I. te obiecti, si quis orando, aliquid iniustum, aut indecens petat, vt de se constat. Secundò,

II si quid alioqui decens, sed immoderatè, & vltra iustam mensuram petatur. Est enim, vt inquit Ambrosius, superba & stulta petitio, dum non sua sorte contentus, pes ambit,

Matth.20. quæ sunt oculi, qualis fuit petitio Apostolorum Iacobi & Ioannis, quibus Christus re-

III. spondit: Nescitis quid petatis. Tertiò vitiatur oratio ex fine, vt si quis orando, gloriam & laudem humanam quærit, ex quo fine non solum oratio, sed & martyrium redditur culpabile. De quo ait Hieronymus: Huic operi, non tam præmium, quàm pœna debetur, & perfidiæ magis tormenta sunt, quàm corona victoriæ. Et habetur 1. quæst. 1. Vide

Matth.6. quantum bonum talis erat Pharisæorum oratio, qui in plateis, vt ab hominibus viderentur,

IIII. orabant, quos Christus reprehendit. Quartò vitiari solet oratio ex parte personæ, & loci, vt si publicus concubinarius publicè in Ecclesia orationes Ecclesiasticas dicat; nam F inde scandalum solet oriri. De talibus enim procedit, quod dicitur in Psal. Peccatori autem dixit Deus: Quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamentum meum per os

V. tuum? Quintò potest oratio deprauari, ex ignauia orantis; vt si in oratione petit à Deo aliquod bonum, & cùm possit ipse, apposita sua diligentia, ad illud quodammodo peruenire, negligit, & à solo Deo illud sperat. Tales enim, qui media congrua, ad acquirendum quod petunt, prætermittunt, siue gloria sit, siue scientia, siue sanitas &c. magis videntur Deum tentare, quàm orare. His igitur & aliis multis modis potest oratio deprauari, & Deo ingrata esse, vt potest vnusquisque per seipsum cognoscere.

Dubium. An oratio deprauetur, facta in peccato mortali.

Verum est vnum dubium, an oratio deprauetur per hoc, quòd fit in peccato mortali ipsius orantis? Et pro parte affirmatiua arguitur, quòd vana sit & superflua oratio, si orans in se peccatum esse cognoscat, iuxta illud Psal. Iniquitatem si aspexi in corde meo, non exaudiet Dominus.

Rationes partis affirmatiuæ.

Psal 65.

I. Secvndo facit, quod suprà ex Psal. citatum est, vbi Deus videtur incusare peccatorem, orationes & laudes ad Deum effundentem, dicens: Quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum?

II. Facit etiam, quod habetur Prouerb. 28. Qui declinat aures suas, ne audiat legem, scilicet, vt eam compleat, oratio eius erit execrabilis: Talis est peccator, qui, quia in peccato manet, legem non audit.

Facit

A FACIT ETIAM, quod habetur Esai. 1. vbi Dominus ait: Sacrificia, & solennitates, & neomenias, & orationes, & alia huiusmodi, quæ Iudæi faciebant in cultum & honorem ipsius, omnia hæc esse abominationes, & sibi odiosa, & ingrata. Et datur pro causa ibidẽ: Quia manus vestræ sanguine plenæ sunt, id est, peccaminosæ. IIII.

FACIT ETIAM quod ait Gregorius in pastorali: Cùm is, qui displicet, ad intercedendum mittitur, irati animus ad deteriora prouocatur. In quo apparet, ingratam esse Deo orationem peccatoris. Peccator enim inimicus est Deo, & idem displicens. V.

FACIT ETIAM, quod ait Beda in quadam homilia, exponens illud Psalmi; Voluntatem timentium se faciet, ait: Qui preces suas Deo oblaturi priùs iussa eius implere satagunt, horum, cùm ipsi clamauerint, orationes exaudit. Et sequitur ad propositum: Sed illi malè petunt, qui vocem Domini iubentis audire obtemperando contemnunt, & nihilominus Domini sui vocem exaudire miserando deposcunt, quos ipse repellens in Euangelio, dicit: Quid vocatis me Domine, & non facitis, quæ dico. VI.

Resolutio negatiua de priuata oratione. Probatur I.

IN OPPOSITVM tamen videtur, quòd nõ ob id solùm deprauetur, seu vitietur oratio, quòd orans sit in peccato; alioqui nulla peccatoris oratio Deo placeret. Cuius oppositum patet, quia peccator orans pro remissione peccatorum, non peccat, imò sæpe à Deo exauditur, vt patet de publicano orante & petente: Domine, propitius esto mihi peccatori: & veniam obtinuit; non igitur orando peccauit.

B ET Ecclesiastici 21. dicitur: Fili, peccasti, non adiicias, vt pecces iterum, sed deprecare Dominum de pristinis, vt dimittantur tibi.

PATET etiam à simili; quia ieiunium, & eleemosyna, & multa alia virtutum opera non inficiuntur seu deprauantur ex hoc solùm, quòd in peccato fiunt, cùm multa talia Deo grata sint, & ab ipso remunerata, vt aliâs abunde patuit, igitur idẽ de oratione. Nec obstat, quod legitur Ioannis 9. Scimus, quia Deus peccatores non exaudit: Nam illud non est verbum Euangelistæ, sed illius cæci, quem Deus sanauit. Et, vt ait illic glossa, loquitur non vt vnctus, id est, nondum à Spiritu sancto edoctus. II.

Explicatur illa sententia: Scimus quoniam Deus peccatores non exaudit.

PATET etiam, ratione aperta, quia peccator adhuc in peccato manens, potest, sicut & debet, seipsum diligere. Potest ergo sibi salutem animæ & corporis desiderare. Potest igitur hæc à Deo humiliter petere; nã vt suprà ex Augustino dictũ est, in epistola ad Probam, pro omni illo licitum est orare, quod licitum est desiderare. Et ita oratio non per hoc solùm vitiatur, quòd in peccato fit. Et ita tenendũ est, loquẽdo de oratione priuata.

Dubium restat de orõe publica, an etiã deprauetur per mortale peccatũ. Sentẽtia prima affirmatiua. Probatur I.

DE ORATIONE tamen publica, qualis est, quam personæ Ecclesiasticæ dicunt, cùm horas Canonicas persoluunt, est maius dubium, an scilicet huiusmodi orationes vitientur per hoc, quòd tales recitantes eas in peccato dicunt? Et videtur dicere Adrianus quòd sic; Tum ex eo, quod ait Dionysius ad Demophylum, loquens de sacerdote non illuminato per gratiam, audetque scelestas blasphemias suas (neque enim preces dixerim) sacris aris inferre, easque super signa illa diuina, ad Christi similitudinem dicere.

C TVM ETIAM ex eo, quod de hæreticis ait Hieronymus: Quotiescunq; congregati sunt in nomine eius, detestatur Deus fœtorẽ eorum, & claudit nares suas 1. q. 1. Odit &c. Et cap. præcedente ait Hieronymus: Sic populus iste hæreticorum omnium est in conspectu meo, dicit Dominus: Omne quod fecerint, quod mihi obtulerint, vel vota, vel pro salute, vel pacifica, vel pro peccato, vel holocausta, vel eleemosynas, siue ieiunia, vel corporis castitatem, contaminata erunt in conspectu meo. Et sequitur: Quamuis enim sancta videantur specie sui, quæ offeruntur, tamen quia tractata sunt ab illo, qui pollutus est in anima, polluuntur omnia. II.

TVM ETIAM ex communi Doctorũ sententia, dicentium, quòd quicunq; in mortali peccato exequitur actum sui ordinis scienter, eo ipso mortaliter peccet, iuxta illud Deuterono. 16. Quod iustum est, iustè exequere. III.

Oppugnatur dicta sententia.

DVRA videtur hæc sententia, ita indistinctè posita: Nam aut huiusmodi oratio polluitur, seu vitiatur propter irreuerentiã Dei, quam videtur secum habere, quando à peccatore fit, qui indignus est, qui ad Deum loquatur, & à Deo aliquid petat, manens ipse in peccato. Aut vitiatur ratione officij ipsius orantis, quia scilicet ipsum officium horas Canonicas dicendi, obligat eum, vt in gratia eas dicat, prout videtur sentire ex authoritate Deuterono. quam pro se citat. Sed primum non apparet, quia tunc non minùs vitiaretur oratio priuata, quam peccator persona priuata dicit, quàm illa publica & cõ-

munis, de qua loquimur, quod tamen nec ipse concedit, nec verum est, vt patet ex dictis. Secundum etiam non videtur, nisi præsupposito, quòd quicunque tenetur ex officio aliquid agere, teneatur illud in charitate facere. Sed hoc sic vniuersaliter dictum, si verum esset, quamplures officiales condemnaret, idque iniquè. Patet, si discurras per Iudices, per Aduocatos, per Notarios, per Reipub. Doctores, per Officiales publicos, per Cathedraticos, per Præceptores omnes, per publicos Artifices, ad id stipendiatos, seu deputatos, per publicos Mercatores, & Venditores, & Dispensatores, & quoscunque alios, qui ex officio sibi iniuncto tenentur ad actus aliquos. Et dicere, quòd ratione officij peccent semper, dum actus sui officij in peccato faciunt, est absurdum. Et sequela patet, quia ad omnes illos potest similiter illa authoritas applicari, scilicet; Iustè, quod iustum est, exequere &c. D

II. Sententia distinguit hominem dupliciter esse posse in peccato.

VIDETVR igitur distinguendum hoc, quod est hominem esse in peccato, quia hoc potest esse in reatu & in actu, seu actuali proposito Deum scienter offendendi.

Conclusio I. *Ratio.*

SI PRIMVM, dicendum est, quòd non per hoc sufficienter vitietur oratio, siue publica sit, siue priuata, quòd scilicet orans est in peccato secundùm reatum, quia in illo statu potest homo multa bona opera & Deo grata facere, etsi non sint meritoria, vt ex dictis patet.

II. Conclusio. *Ratio.*

SI VERO orans sit secundo modo in peccato, scilicet actu peccando, vel actu proponendo peccare, & Deum offendere, siue oret, vt minister, siue vt priuatus, peccat sic orando. Nam apertum est, eum magnam irreuerentiam Deo facere, petendo beneficium & gratiam ab illo, quem actu offendit, & offendere intendit; talis enim non orare, sed contemnere videtur orando, petens à Deo audiri, cui tamen ipse non vult obedire. E

DE HIS peccatoribus, qui nec à peccatis desistunt, nec desistere proponunt, loquitur Deus, quando reprehendit peccatores, qui narrant iustitias Dei, & laudes eius in ore assumunt. De eisdem etiam loquitur per Isaiam, quando dicit, esse illorum sacrificia & orationes Deo abominabiles. De eisdem loquitur Sapiens in Prouerbiis. De eisdem etiam potest accipi, quod ex Gregorio & Beda suprà citatum est. De eisdem loquitur Psalmista, dicens: Si iniquitatem aspexi in corde meo, Deus non exaudiet. De illo quidem loquitur, qui cùm orat, scit se iniquum animum habere, nec ab eo proponit desistere: Secùs si peccator scit, se Deum offendisse, proponens tamen debito tempore pœnitere, & satisfacere: Aut simul peccati pœnitens, sed sufficienter & humiliter aliquid à Deo petit: certè huius orationem Deus non abominatur, nec semper respuit vt prauam, etsi non semper eam exaudiat.

Respondetur ad argumenta partis affirmatiuæ. *Ad duo priora.*

AD EA verò, quæ pro Adriano allegata sunt, facile est respōdere: Nam Dionysius & Hieronymus de hæreticis & prauis sacerdotibus loquūtur, qui pollutis manibus, & polluto ore, sacra Dei mysteria tractant, scilicet cùm vel celebrāt, vel Sacramenta cōferunt, & suas ibidem orationes intermiscent, quæ omnia Deo sunt abominabilia. Et tales non dubium est peccare, iuxta Dionysium, dicentem: Immundis nefas est sacra tractare. Et ratio est, quæ suprà data est, scilicet quia ita peccatis adhærēt, vt ab illis recedere minimè proponāt, nec se ad tractanda sacra, sicut debent, disponant. Quod autem Hieronymus in dicto Decreto ait, scilicet talium sacerdotum omnia opera, ieiunium, & eleemosynā, & reliqua, polluta esse, intelligatur de his, quę ex polluta voluntate procedunt; Vel quòd polluta sunt omnia, quia defectuosa, eò quòd in finem vltimum, qui Deus est, non referuntur, vt ait Thomas super epistolam ad Titum I. F

Ad III.

AD ALIVD, scilicet quòd quicunq; in peccato mortali actum sui ordinis sciēter exercet, peccet &c. videtur hoc verè dici de actu proprio sacri Ordinis, qualis est Missam celebrare, aut aliud officium sacrum cum solennitate exercere. Dicere autem horas Canonicas, non est actus proprius Ordinis sacri, vt constat. De aliis autem orationibus, quas sacerdos publicè, vestibus sacris indutus, dicit in Missa aut choro, puto distinguendum, vt suprà. Nec video, quod vestium indutio nouam afferat obligationem ad peccatum, quod seclusis vestibus non esset. De his alibi.

Aliud dubium. Quomodo oratio, qua absolutè petitur aliquid à Deo, deprauetur. Solutio.

ALIVD dubium, an oratio deprauetur per hoc, quòd homo absolutè petit à Deo quod vult, non submittens suam voluntatē diuinæ? Respondetur, quòd si nec expressè, nec tacitè suum votū & voluntatem, Dei voluntati submittit, superba est, & deprauata oratio. Quod inde patet, quia qui sic aliquid à Deo petit, perinde est, ac si petat

A petat à Deo; Domine fiat, quod ego volo, & non quod tu vis. Quod est apertè diuinæ voluntati reniti, quod illicitum est. Tum ex doctrina communi, & specialiter Augustini super illud Psalmi: Non adhæsit mihi cor prauum, dicentis: Cor prauum habet, qui non vult, quod Deus vult. Vnde colligunt, nos debere nostram voluntatem conformare diuinæ. Quod etiam Christus in oratione Dominica docuit, in qua sic orare iussit; Fiat voluntas tua, sicut in cœlo & in terra. Exemplo etiam ipse Christus idem docuit, quando orando, dixit: Pater transfer à me calicem hunc, veruntamen non mea, sed tua voluntas fiat.

Aliud dubium. An sciens se damnatum, possit orare pro salute sua?

HIC TAMEN esset dubium, suprà etiam tactum, de eo, cui Deus suam reuelet damnationem, an possit pro salute sua orare? Et ex dictis apparet, quod non, quia potiùs tenetur se conformare Dei voluntati cognitæ, quod esse non potest, nisi id velit, quod Deus; alioqui licitum esset in oratione non submittere nostram voluntatem diuinæ.

Ratio pro parte negatiua. Sententia I.

DIXERVNT aliqui, vt Adrianus, quòd in tali casu non opus sit cõformare nostram voluntatem diuinæ, sed possimus, imò debeamus oppositum velle, idq; quia Deus præcipit, vt nos ipsos diligamus, salutem scilicet animæ nobis ipsis optando. Cuius simile est in Petro, cui Christus reuelauit, quòd esset ipsum negaturus. Et tamen hac reuelatione facta, non tenebatur Petrus suam futuram negationem velle, sed potiùs oppositum, ob

B præceptum de non peccando.

Reiicitur.

VERVM, quia hæc responsio difficultatem suam habet, vt alibi ex parte ostendimus, tractando quæstionem de obligatione conformandi nostram voluntatem diuinę in obiecto; ideò breuiter pro nunc dicendum ad casum, quo Deus reuelat alicui suam dãnationem, an possit pro salute sua orare, distinguendo vt suprà, quòd vel Deus illud reuelat fore, quia Deus ipse sic vult voluntate certa & determinata; & tunc non est licitũ oppositum velle, nec pro opposito orare, quia esset Dei voluntati reniti; & tunc cessat obligatio volendi salutem propriam absolutè, & ex consequenti cessat præceptum de diligendo seipsum. Si autem Deus reuelat illud fore, non quia vult certè & determinatè sic fore, sed quia præuidet, hominem illum in peccato sine pœnitentia decessurum, quod tamen in libeta facultate ipsius peccatoris est: Tunc non tenetur homo velle damnationem ibi reuelatam, sed debet velle oppositum, & pro opposito orare; nec tunc tollitur præceptum de opposito. Et tamen cum hoc stat conclusio suprà approbata, quòd semper, quando oramus, debemus nostram voluntatem diuinæ voluntati submittere, ita vt tacitè, vel expressè id velimus fieri, quod Deus vult.

II. Sentẽtia bimembris. I. II.

Quatenus diuinæ volũtati debeamus nostrã submittere voluntatem.

ET NOTA, quæ sit illa Dei voluntas, cui nostram debemus submittere voluntatem; non illa, qua aliquid vult consequenter, sed antecedenter, id est, non aliunde, sed à se determinatus. Si enim Petrus præscitus est, seu ad gehennam, Dei voluntate, ex communi lege ordinatus, ideò est ad illam ordinatus, quia in finali impœnitentia scitur

C decessurus. Petrus igitur potest pro sua salute orare, nec præfatæ Dei voluntati tenetur suam voluntatem submittere, quia Deus illi gehennam non vult absolutè, nisi ob peccata ipsius. Si tamen Deus absolutè determinatus est aliquid facere, quod nostro contraueniat voto, orando tenemur nostram voluntatem, tali Dei voluntati submittere, & non illi reniti, aut remurmurare.

De deuotione, in oratione requisita.

QVÆSTIO XIII.

An oratio deprauetur ob defectum feruidæ & intensæ deuotionis. Argumenta pro parte affirmãte. I.

ALIVD DVBIVM, an deprauetur oratio ad Deum fusa, ob defectũ feruidæ & intensæ deuotionis, ita vt peccet, qui orat, si desit feruida & intensa deuotio? Et visum est quibusdam, quòd sic. Pro quo facit, quod habetur Apocalyp. 3. vbi ad Angelum Laodiciæ dictum est: Vtinam calidus aut frigidus esses, sed quia tepidus es, incipiam te euomere de ore meo. Ex quo apparet, quòd qui tepidè & remissè se habet in oratione, aut in aliis operibus Dei, sit Deo ingratus, & ab eodem repulsus. Pro quo etiam facit, quod ait Hieronymus ad Ctesiphontem: Tepidum discipulum nõ diligit Christus. Qui vult meus esse discipulus, ait, tollat crucem suam, & sequatur me.

FACIT

II. Facit etiam, quod habetur Michææ 6. vbi dicitur: Indicabo tibi, ô homo, quid dominus requirat à te, vtique facere iudicium, & diligere misericordiam, & sollicitum ambulare coram Domino Deo tuo. Sollicitudo autem tepiditatem & remisionem videtur excludere. D

III. Facit etiam, quod habetur Hiere. 48. Maledictus homo, qui facit opera Domini negligenter. In quo videtur notari, non satis esse homini opera Dei facere, nisi sollicitè & diligenter ea faciat, quod remisionem iterum videtur excludere.

IIII. Facit etiam, quod ait Paulus ad Roman. 12. tradens, quales nos esse debeamus, scilicet sollicitudine non pigri, spiritu feruentes.

V. Postremo facit, quod habetur Apocalyp. 2. quod dictũ est ad Episcopum Ephesinum: Habeo, inquit, aduersùm te pauca, quia charitatem tuam primam reliquisti, memento, vnde excideris, & age pœnitẽtiam, & prima opera fac. De quo Hieronymus scribens ad Ctesiphontem ait: Consideremus, quantus sit casus temerè contemnentis, cùm tanta ruina dicatur de negligentia obsequẽtis; vel quam damnationem accepturos credimus indeuotos, cùm tantam reprobationem deuotus acceperit.

Resolutio. In orõe necessaria non est intẽsa gradualiter deuotio seu intẽsa volũtas, sufficit remissa, modò efficax sit. Probatur I.

His non obstantibus, videtur, quòd non sit necessarius in oratione feruor deuotionis, id est, intẽsa gradualiter deuotio, seu intensa volũtas, sed sufficiat remissa, modò efficax sit, ad agendum, quod agendũ est, taliter vt si huiusmodi intẽsio desit, nec oratio deprauetur, nec peccet ipse, qui orat. Quòd aũt in agendis operibus Dei talis intensa volũtas non sit sub pœna peccati debita, seu apponenda, apparet, siue loquamur de operibus, quæ sunt de consilio, siue de his, quæ sunt de pcepto. Nam si de consilio sunt, non est necessaria intensio, sicut nec remisio voluntatis, nec etiã opus ipsum. Si de præcepto, cùm præceptum non obliget nos nisi ad sui obseruantiam, ad eius aũt obseruantiam sufficiat voluntas efficax, quantũuis gradualiter remissa sit, vt suppono, igitur intẽsio voluntatis, aut conatus non est necessaria. Hæc patent in præceptis, per quæ opera exteriora præcipiuntur, quibus satisfacit quis, si ea compleat, etiamsi intensus conatus, aut intensa voluntas non habeatur. E

II. Confirmatur de præceptis, per quæ opera interiora iubentur, nam præcepto de diligendo Deo super omnia satisfacit homo, si Deum efficaciter diligat, etiamsi eius dilectio non sit valde intensa. Non enim præcipitur, vt intensè diligamus, sed vt diligamus. Et quamuis præceptum sit, vt diligamus ex toto corde, ly, toto corde, non intensionem importat, sed voluntatis integritatem. Quia, vt alibi ex Augustino tetigimus, ille diligit Deum ex toto corde, qui corde indiuiso eum diligit. Vt si quis cùm Deum amat, nil aliud secum amat, quod non propter ipsum Deum amet; talis enim toto corde, id est, integro, & indiuiso diligit. Si verò cùm Deum diligit, secum aliquid aliud amat, quod non propter ipsum Deum amet, talis cor habet in Deum & creaturam diuisum, nec toto corde Deum amat, iuxta illud Oseæ 12. Diuisum est cor eorum. Itaq; in præcepto illo de diligendo Deo toto corde, non cadit actus intensio sub obligatione, sed cordis totalis ad sensum dictum. F

Quomodo Deus sit diligẽdus ex toto corde.

III. Confirmatur de actu pœnitentiæ, scilicet de contritione, cuius intensio ex cõmuni sententia, vt aliâs adduxi, sub præcepto nõ cadit; alioqui staret, hominem detestari peccatum suum propter Deum ex toto corde dilectũ, & cum hoc simul mortaliter actu peccare, ob defectum intensionis, si sub obligatione caderet ipsa intensio.

IIII. Adde quod ait Chrysostomus, & habetur de pœnitentia, distin. 1. Talis. quòd quãtulãcunq; pœnitentiam quantumlibet breui tempore gestam, Deus non respuit, nec patitur sua mercede carere. Bona igitur est, & meritoria pœnitentia remissa, nec vitiatur per defectum feruoris, aut intensionis: Igitur idem de oratione. Adde, quòd talis intensio non requiratur ad peccandum, vt suppono, igitur nec ad merendum, cùm Deus pronior sit ad præmiandum, quàm ad puniendum.

Nota pro solutione argumentorum oppositorum. duplex acceptio tepiditatis.

Ad ea autem, quæ suprà in oppositum sunt allegata, facilis est responsio, si de tepiditate distinguamus. Est enim quædam, quæ feruori, & intenso conatui opponitur, & illum excludit, & non est talis tepiditas, quam scriptura reprehendit, & damnat. Est alia tepiditas, quæ negligentia dicitur; Negligentia autem omisionem debitæ diligẽtiæ vel operis importat; Et hæc culpanda est, & damnanda, sicut & in scriptura damnatur.

Respõdetur ad I. argumentum oppositum.

Per hoc respondetur ad illud ex Apocalypsi 3. Vtinam calidus aut frigidus esses, sed quia tepidus es &c. Loquitur de tepiditate negligentiæ, vt dixi: Illum enim dicit calidum

A dum, qui ex amore facit, quod debet. Et qui ex amore potissimùm ad obsequendum mouentur, feruidi sunt, & faciunt non solùm quòd debent, sed superabundant. Illum verò dicit frigidum, qui Deum timet, ex quo timore ad agendum, saltem quod debet, mouetur. Hi non repelluntur à Deo. Tepidum autem dicit, qui nec amore, nec timore mouetur ad agendum, quod agendum est. Talis culpatur. Et quòd hoc sit ad mentē textus, apparet, quia statim ad eundem Episcopum dicitur: Quia dicis, quòd diues sum, & locupletatus & nullius egeo. In quo videtur significari, quòd ille Episcopus diuitiis satiatus & contentus erat, & sic remissè & negligenter in operibus Dei se habebat, quasi Deo in nullo indigeret. Igitur non damnabatur ille Episcopus ob defectum feruoris, alioqui non solùm tepidus, sed etiam frigidus veniret damnandus, cùm frigidus etiam habeat defectum feruoris & caloris, vt constat. Igitur ille textus nil contra dicta facit.

Ad aliud ex Michea citatum, respondetur, quòd ex illo non sequitur, esse necessarium habere intensum conatum, aut intensam voluntatem in operibus Dei, sed quòd debeamus in illis esse solliciti, loquendo de sollicitudine, quæ negligētiam, seu omissionem excludit. Quod etiam significat Paulus, cùm ait, Solicitudine non pigri; vt si præfatam negligētiam & omissionem importat, & ita idem, quod priùs. Nec obstat, quod addit, scilicet spiritu feruentes, quia hoc exhortatoriè dicitur, non præceptiuè. *Ad II. & IIII.*

Ad aliud, quod ex Hieremia citatur, ipsum verbum negligenter, quod illic citatur, soluit dubium, quia Negligēter non remissionem voluntatis importat, sed omissionem alicuius, quod debeat fieri. Adde, quòd in textu Hieremiæ nō dicitur, negligenter, sed fraudulenter, cùm ait: Maledictus homo, qui opera Dei facit fraudulenter. Et notat illic Propheta eos, qui in complendis diuinis iussis, dissimulatoriè se habent in illis, aliquid, quæsito aliquo colore, adimplere omittentes; & ita nil contra dicta. *Ad III.* B

Ad aliud ex Apocalypsi 2. apparet, tam ex glos. quàm ex verbis Hieronymi, illum Episcopum fuisse negligentem, scilicet in reprehēdendis subditis, etiamsi alioqui esset deuotus. Et illa negligentia omissionem importat, non feruoris remissionem; & ita nil contra dicta. *Ad V.*

Sed forte iterum obiicies: Qui orationem feruore deuotionis carentem Deo offert, æquiparatur ei, qui animal claudum, aut cæcum, aut debile Deo offert, potens sanum, & bonum offerre: sed huius oblatio Deo grata non est, sed despectui habita. Igitur qui orationem similiter defectuosam Deo offert, perperam offert, cùm possit orationē feruidam, & pretiosam offerre. Antecedēs patet ex eo, quod in lege vetitum erat animal claudū, aut cæcum offerre. Et specialiter patet, ex Malach. 1. vbi ait Deus: Si offeratis cæcum ad immolandum, nonne malum est? Et si offeratis claudum & languidum, nonne malum est? Et addit: Offer illud duci tuo, si placuerit ei, aut si susceperit faciem tuā, dicit Dominus. In quo Dominus arguit à minori: Si is, qui potest Regi tēporali, aut duci suo pingue animal & sanum offerre, non offerat nisi claudū, aut cæcum, aut languidum; C certè non solùm nō erit Regi illi grata oblatio, sed etiā displicens, & odio habita, quippe quæ videatur sibi facta in despectum, & irreuerentiam ipsius. Et postea addit: Maledictus dolosus, qui habet in grege suo masculum, & votum faciens, immolat debile Domino. Cùm igitur qui orat, potest orationem sanam & feruidam offerre, & non offert nisi remissam, & parum deuotam, videtur irreuerentiam Deo facere; & ita intentum. *Obiectio.*

Respondetvr, quòd si hæc ratio probaret, orationem minùs feruidam deprauatam esse, eò quòd posset alia feruentior offerri, pari forma probaretur, omnem eleemosynam paruam, deprauatam esse, quando pinguior posset exhiberi; & similiter omnē dilectionem Dei, & proximi remissam, prauam esse, quando posset intensior haberi; & similiter omne beneficium proximo impensum esse prauum, quando maius illi fieri posset; & denique omnia opera bona in cultum & gloriam Dei facta, deprauata esse, etiamsi ex charitate fierent, si possent ex maiori charitate & feruore fieri; quæ absurda esse, non dubium est. *Absurda dictā obiectionē consequentia.*

Ideo dicendvm, quòd ad literam videatur Deus reprobare oblationem animalis claudi, cęci, aut languidi, vbi potest masculus sanus offerri. In quo intelligimus, Deum reprobare omne obsequium, aut opus in obsequium eius factum, si sit claudum, cæcum, aut languidum, hoc est, aliqua prauitate aut macula vitij infectum. Aliud enim est, opus imperfectum esse negatiuè, quo scilicet potest aliud perfectius fieri: Aliud est, imperfectum esse positiuè, quod scilicet aliqua macula seu vitio infectum sit. Primum potest *Solutio duplex eiusdem obiectionis. Quatenus reprobet Deus oblationē animalis claudi, aut cæci, &c.*

poteſt bonum eſſe & meritorium, & Deo gratum, vt parua eleemoſyna, ieiunium paucorum dierum, oratio ex remiſſa deuotione facta. Secundum verò, quod propriè per claudum, cæcum, & languidum ſignificatur, id eſt, quod aliqua circumſtantia deprauãte ſit, illud quidem non eſt bonum, nec à Deo acceptatur. D

II. *Solutio.* POSSET ETIAM ſecundò dici, quòd ideo offerre animal claudum, cæcum &c. Deo ingratum ſit, quia offerens præponit terrena cœleſtibus, & quærit potiùs quæ ſua ſunt, quàm quæ Dei, cùm ſibi pinguia reſeruet & ſana, Deo autem languida offerat. Non ſic eſt in oratione, ex parua deuotione facta, quia ſic orans non ita ſibi meliora reſeruat. Itaque non eſt ſimile, quod pro ſimili adductum eſt.

De attentione in oratione habenda.

QVÆSTIO XIIII.

An ratio deprauetur ob defectum attentionis.

ALIVD DVBIVM, an deprauetur oratio ex defectu attentionis, ita, vt ſi attentio deſit, oratio ipſa vitioſa ſit, aut ſaltem peccet, qui abſque attentione orat?

Sententia prima. ET NONNVLLI, vt Gabriel in ſuo Canone, dixerũt, quòd quamuis neceſſaria ſit attentio in oratione communi, ſeu in ea, quæ ex præcepto fit, in illa tamen, quæ non ex præcepto, ſed ex voluntate dicitur, non ſit neceſſaria talis attentio, ita vt peccet orans, attentionem non habens. Ratio eius videtur, quia cùm oratio in caſu non ſit neceſsitatis, ſed voluntatis, ideo ſicut ſine peccato poteſt omitti talis oratio, ita & ſine peccato poteſt abeſſe attentio. E

Reiicitur. NON TAMEN placet in hac re huiuſmodi reſponſio, imò videtur, quòd ſiue oratio *Secunda ſententia affirmatiua.* dicatur ex præcepto, ſiue ex voluntate, teneatur orans attentionem apponere, non ſolùm ad aſſequendum fructum orationis, ſed etiam ad vitandã culpam in orando Deum. *Probatur* I. Et hoc quia Chriſtus videtur taliter orantes voce tantùm & non mente reprehendere, quando Matthæi 15. dicit: Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè eſt à me.

II. PRO QVO facit Cyprianus de oratione tractans, dicens: Quæ ſegnitia eſt, alienari & capi ineptis & prophanis cogitationibus, dum Dominum deprecaris, quaſi ſit aliud, quod debeas magis cogitare, quàm quòd cum Deo loquaris. Quomodo te audiri à Deo poſtulas, cùm teipſum non audias? Et addit: Hoc eſt, ab hoſte in totum non cauere, hoc eſt, cùm oras Dominum, maieſtatem Dei offendere.

III. FACIT ETIAM Hugo de ſancto Victore, qui de oratione loquẽs, dicit: Si cùm orationem fundimus, quodlibet aliud in corde verſamus, etiamſi illud bonum ſit, à culpa liberi non ſumus.

IIII. FACIVNT ETIAM Damaſcenus & Auguſtinus, dicentes: Oratio eſt aſcenſus mentis in Deum, quo à Deo aliquid decens petitur. Qui igitur mentem, cùm orat, à Deo diſtrahit, de rebus aliis cogitans, talis non propriè, aut verè dicitur orare, imò videtur potiùs Deum irridere, quàm eum orare, qui cùm ad Deum loquatur, & à Deo aliquod beneficium petat, faciem mentis retrorſum auertit: perinde enim eſt, ac ſi quis cum Rege loquẽs, ab eo gratiam aliquam petat, & ſimul faciem corporis retrorſum auertat. Quod certè in irreuerentiam & deſpectum regis cedere videtur. F

V. FACIT ETIAM quodammodo Bernardus ſermone 49. ſuper Cantic. qui non ſolùm diſſuadet mentis euagationem ad res impertinẽtes, ſeu vanas, ſed etiam ad res alioqui pias, ait enim: Nil aliud, dum pſallitis, præter id, quod pſallitis, cogitetis, nec ſolas dico vitandas cogitationes vanas & otioſas, ſed & illæ aliæ vitandæ ſunt, illa hora & loco, quo ſcilicet horæ dicuntur. Et addit: Salubria ſunt, ſed minimè ſalubriter inter pſallendum ea reuoluitis. Spiritus ſanctus enim illa hora gratum non recipit, quicquid aliud, quàm debes, neglecto eo, quod debes, obtuleris.

ET QVANQVAM hoc dictum Bernardi particulariter procedat de oratione, quæ ex præcepto dicitur, alia tamen ſuprà citata cum ratione appoſita indifferenter procedunt de oratione, quæ ad Deum funditur, etiamſi priuata ſit, quod ſcilicet debet apponi attentio, ſi debet irreuerentia caueri. Itaque vel homo non oret Deum, vel attentionem habeat. Exempla huius clara ſunt. Si quis extra tempus neceſsitatis, non ex præcepto, ſed

A ſed voluntate vult ſacerdoti confiteri, neceſſe eſt contritionem habeat, alioqui per irreuerentiam peccabit, etiamſi ſibi liberum ſit confeſsionem dimittere. Similiter ſi quis voluntate vult celebrare, aut communicare, neceſſe eſt priùs mentem diſponat, ne Sacramento irreuerentiam faciat. Ita igitur ſi quis vult Deum orare, & ab eo aliquid petere, etiam extra caſum neceſsitatis, opus eſt attentionem habeat, vt vitet irreuerentiam, quam Deo, ad quem loquitur, faceret, ſi ad Deum loquendo, mentis faciem ad alia diuerteret, vt ſuprà dicebatur.

Si argvas; igitur orans ſemper peccat; quotidie enim mens ad alia diſtrahitur, quod eſt omnes fermè, qui orant, condemnare. Reſpondetur, non ſequitur; nam illa mentis euagatio fieri poteſt dupliciter, ſcilicet voluntariè & inuoluntariè. Primum fit, quando orans aduertit, ſe orare, volens tamen alia diuerſa cōſiderat; & hoc eſt, quod dico, culpa irreuerentiæ non carere. Secundum fit, quando non ſcienter, nec ex propoſito orans ad alia diſtrahitur, ſed vel contra voluntatem, vel præter; & hoc excuſationem habet, ob intellectûs noſtri tam naturalem volubilitatem. Vnde nō eſt in poteſtate noſtra, quin aliquando diſtrahamur. Et inde eſt, quòd nullum ius obligat orantē, vt continuam habeat actualem attentionem, quamdiu durat oratio, ſed ſatis eſt, ſi orans habeat actualem, vel virtualem attentionem. Et virtualem dicunt attentionem, quando is, qui orat, poſt habitam in principio actualem attentionem, perdurat in oratione abſque propoſito, ſe ad alia diſtrahendi, etiamſi accidat, vt actu diſtrahatur. *Obiectio I.* *Solutio.* *Euagatio mētis dupliciter fieri poteſt.*

B Sed contra obiicies, quòd non deprauetur oratio, nec culpa ſit durante oratione mentem ex propoſito ad alia diſtrahere, modò illicita non ſint. Quia ſtat, quòd tali in caſu orando mereatur, igitur non peccat ſe diſtrahendo ab actuali attentione ex propoſito. Antecedens patet, quia ſit ita, quòd quando cœpit orare, habuit intentionem meritoriam, qua intendebat, per orationem aliquod bonum à Deo ſibi vel alteri impetrare, & ex hac intentione meritoria imperat ori, vt oret, & in oratione perduret, & propoſitum orandi non interrumpatur per propoſitum oppoſitum. Iam oratio ſic continuata, procedit ex voluntate meritoria, igitur eſt meritoria. Et quòd non obſtet propoſitum alia conſiderandi, apparet, quia licet per hoc interrumpatur attentio, non tamē intentio meritoria, nec electio, modò opus bonitatem habeat potiùs ex intentione, ſeu affectu, quàm ex intentione, quæ actus intellectûs eſt. Et patet etiam per exemplum, de eo, qui propoſuit propter Deum ad ſanctum Iacobum peregrinari, & non interrupto propoſito peregrinatur, etiamſi interrumpatur attentio, & in itinere ex propoſito alia conſideret, talis in peregrinando meretur, quia durat propoſitum primum virtualiter, etiamſi attentio non ita duret, ſed interrupta ſit. *II. Obiectio.*

Respondetvr quòd argumentum præſupponat vnum falſum, ſcilicet, quòd ad hoc, vt opus continuatum ſit bonum, & meritorium, ſufficit, quòd procedat ex propoſito voluntatis meritorio, quod præfuit, & virtualiter manet: hoc enim non ſufficit, quia C manente illo virtuali propoſito, quod meritorium fuit, quando actu aderat, ſtat, quòd illo per contrarium non interrupto, ſuperueniat alia mala voluntas, qua homo peccet, & tunc opus virtute præfati propoſiti continuatum, iam non erit bonum aut meritorium. Exemplum eſt clarum in eo, qui propoſuit peregrinari, & hoc propoſito per contrarium non interrupto, incidit in odium alicuius, vel in furtum, quod in itinere continuato perpetrat. Et hoc ſatis notum eſt. *Solutio duplex. I.*

Dico ſecundò, quòd quamuis poſsit opus aliud, vti eſt peregrinatio, ex recta intentione præhabita, rectè & ſine culpa, cum actuali diſtractione mentis ex propoſito facta, continuari, non tamen ſic eſt in oratione. Nam hæc ſpecialiter requirit attentionem, vt dictum eſt, vt irreuerentia vitetur. Et ideo oratio ad Deum fuſa, temeraria videtur & contemptiua, ſi ei ex propoſito attentio deficiat. *II.*

Hoc idem etiam ex alio apparet, quia oratio vocalis ſignum eſt orationis mentalis; ne ergo falſum ſit ſignum, neceſſe eſt mente oret, qui voce orat; mente autem orare non poteſt ſine attentione, vt conſtat igitur deficiente attentione, deficit mentalis oratio (maximè ſi ex propoſito deficiat) & ex conſequenti vocalis oratio manet ſignum falſum, & ita vitioſum. *Cōfirmatur dicta ſolutio ſecunda. I.*

Deinde ex conditione orationis idem patet, de cuius ratione eſt aliquid deſideratum à Deo petere; velle autem petere à Deo aliquid deſideratum, ſiue petatur men- *II.*

taliter siue vocaliter, præsupponit attentionem, quæ est intellectûs aduertentia ad id, in quod voluntas tendit; siquidem nil volitum, quin præcognitum; & ita omnis oratio, si oratio est, tam vocalis quàm mentalis, prærequirit attentionem, actualem quidem, quãdo quis à principio orare Deum intendit, virtualem autem in ipsa orationis continuatione, vt suprà tactum est. D

Discrimen inter intẽtionem, attentionem, electionem & orationem.

PRO QVO faciliùs intelligendo, vide, aliud esse intentionem, aliud attentionem, aliud electionem, aliud orationem, vel opus. Intentio orantis est, velle obtinere bonum, quod sibi vel alteri optat. Electio, est velle orare Deum, cùm oratio medium sit impetrandi optatum: Opus verò est ipsa oratio. Attentio verò est ipsius intellectûs cognitio seu aduertentia: Opus igitur, si humanum sit, qualis est oratio, ex electione imperante procedit; electio ex intentione. Vtrumq; autem, scilicet electionem & intentionem, sua attentio naturaliter præcedit, quia omnis actus voluntatis, suam præsupponit cognitionem. Sed sicut oratio continuata ex natura sua non requirit electionem seu intentionem actu continuatam, vt constat, cùm virtute prioris propositi possit opus continuari; ita nec requirit attentionem actu continuatam. Sed sicut continuando orationem vocalem non verè oratur, sed simulatoriè, aut fallaciter, quando propositum orandi per contrariam voluntatem interrumpitur; ita neq; quando attentio ad alia impertinentia & extranea cõsideranda ex proposito distrahitur. Mutata enim aut interrupta hoc modo attentione, necesse est priorem intentionem orandi quodammodo ex consequenti interrumpi, quæ omnia, tanquam facilia suppono, à cæteris abstinendo. E

Aliud dubium.

Cum triplex sit attentio, quanã earum necessaria sit ad vitandam culpam.

SED ESSET iam dubium, supposito, quòd attentio sit necessaria, & hæc sit triplex, scilicet ad verba, ad sensum verborum, & ad Deum, ad quem oratio dirigitur, quæ istarum sit necessaria ad vitandam culpam? (nam de hac necessitate hîc arguitur, non de necessitate attentionis ad impetrandum optatum.) Respondetur, ex suprà allegatis apparere, quòd attentio ad Deum, à quo bonum petitur, sit necessaria, maximè, cùm id sit per se de ratione ipsius orationis, scilicet ascensus mentis in Deum, cum pio & humili affectu.

Conclusio I.

Conclusio II.

DE ATTENTIONE verò ad verba ipsa, vt debitè pronuntientur, videtur similiter, quòd sit necessaria, specialiter in clericis, qui ex Ecclesiæ præcepto tenentur vocaliter orare, & bene pronuntiare. Hoc patet, quia attentione ad verba deficiente, exponit se recitans periculo non dicendi, quod dicendũ est, vel non rectè illud pronuntiandi. Ideo culpa non caret, attentionem ad verba ex proposito non habere.

IN ALIIS autem, qui orant vocaliter, & nõ ex præcepto, esset distinguendum, quia vel oratio, quam dicunt, est alioqui rectè & prudenter composita, qualis est oratio, quæ in Scriptura continetur, vel quæ ab Ecclesia ordinata est; & tunc non videtur necessaria particularis attentio ad verba orationis ob periculum prædictum, quia etiamsi vel oratio non integrè dicatur, vel non rectè pronuntietur, ob defectum attentionis ad verba, nulla videtur culpa. F

SI TAMEN sit oratio vocalis, non aliunde ordinata, sed quam ipse orans ex tempore Deo offert, necessaria videtur attentio ad verba, ne scilicet, si attentio desit, verba inepta & imprudentia dicat, quod culpa non caret, in eo, qui ad Regem cœli loqui determinat. Sicut nec culpa careret, qui à Rege terræ aliquid per verba inepta & minùs ordinata peteret, cùm alioqui posset prudenter id petere. Adde, quòd ob huiusmodi voluntariam imprudentiam exponit se periculo non impetrandi petitum. Et ita erit vana & inutilis oratio, quod cauendum est, quantum fieri potest.

Conclusio III.

DE ATTENTIONE verò ad sensum verborum, an sit necessaria? videtur quòd non semper; nam multi sunt vocaliter orantes, qui sensum nec intelligunt, nec intelligere tenentur, vt patet de monialibus, aut religiosis, aut etiam quibusdam clericis, qui cùm Latinè, vel Græcè orant, sensum orationis non intelligunt; illis enim sufficit ad verba, vt ea rectè pronuntient, & ad Deum, ad quem loquuntur, attentionem habeant.

SI TAMEN sint docti, qui sensum verborum intelligunt, an peccent, si ad sensum non attendant? non video, vnde ad huiusmodi attentionem teneantur, hi saltem, qui tanquam Ecclesiæ ministri, orationibus Ecclesiæ vtuntur. Nam cùm in talibus orationibus

A nibus certum sit, nil illicitum, aut ineptum contineri, satisfaciunt sic orantes, si in genere intendant à Deo petere, quod illic continetur, etiamsi particulariter ad contenta non attendant.

SI TAMEN qui orat, de suo marte orationem vocalem componit, & eam Deo offert, necessarium est, ad imprudentiam, & indiscretionem vitandam, & ne periculo offendendi eum, quem orat, se exponat, vt ad sensum verborum, quibus orando vtitur, attendat, quemadmodum dictum est.

De potestate Ecclesiæ, respectu actuum cordis.

QVÆSTIO XV.

Quo iure necessaria sit attẽtio in dicẽdis horis Canonicis: Et vtrum Ecclesia immediatè possit obligare ad actus mentis?

De posteriori parte quæstionis duplex est sententia,

INDE TAMEN ORITVR aliud dubium: supposito enim, quòd culpa non careat oratio, vel ipse qui orat, non habeat attentionem, quando necesse est eam habere; An saltem clericus horas Canonicas, sine attentione dicens, satisfaciat præcepto Ecclesiæ, de dicendis Canonicis horis. Et pendet quæstio ex alia; An scilicet Ecclesia posit immediatè obligare ad actus mentis, qualis est attentio prædicta, aut deuo-
B tio: & an de facto Ecclesia clericum obligauerit ad habendam attentionem, An solo iure diuino, vel naturali sit attentio adhibenda. De qua quæstione principali, alibi duas tetigi opiniones, multis hinc inde textibus, & rationibus allegatis.

TANDEM illam visum est tunc defensare, quæ tenebat, Ecclesiam non posse directè & immediatè obligare ad actus cordis, conformiter ad Durandum, & Cancellarium Parisiensem, multosq; alios, tam Theologos, quàm Iuristas. I.

ADRIANVS tamen in tractatu de oratione, ad propositum præsentis dubij, tenet contrarium. Et probat primò ex Clementin. 1. de hæreticis. per ea, quæ illic citat glos. in verbo, Ipso facto. II. *Probatur* I.

SECVNDO, quia præceptum de celebrando Sabbatho est humanum, vt suppono, quia licet olim fuerit diuinum; lex tamen illa vetus, quoad cæremonialia & iudicialia, quale erat hoc, abolita est; & tamen si quis in Sabbatho, hoc est, in die, quam Ecclesia celebrare præcepit, corde peccet, ille violat Sabbathum, cùm nil tam aduersetur celebrationi Sabbathi, quàm seruitus mortalis culpæ. II.

TERTIO, Papa potest dispensare in voto mentali, igitur potestas Papæ ad actus interiores se extendit, & ita potest illos immediatè præcipere, & prohibere, & pœna aliqua afficere, sicut & actus exteriores, etiam occultos. III.

QVARTO, Ecclesia potest rei suæ onus, & modum imponere, sicut & Deus in sua lege onus & modum decimis imposuit, taliter, vt qui decimas essent possessuri seu per- IIII.
C cepturi, non modò seruirent in templo, sed populi peccata comederent. (Quod videtur Adrianus ad actus Leuitarum, & sacerdotum Deo gratos referre, qui ad remissionem peccatorum populi valerent.) Igitur etiam Ecclesia, quando decimas, & beneficia confert alicui, potest illi modum imponere, scilicet, vt horas studiosè & deuotè dicat, iuxta cap. Dolentes. de celebratione Missarum. Et ita, secundùm hanc opinionem, certum est clericum non satisfacere præcepto Ecclesiæ, de dicendis horis attentè & deuotè, si scienter, & ex proposito, euagatur; imò peccat mortaliter, vt ait, contra Ecclesiam, quæ districtè, & in virtute obedientiæ præcipit, vt horæ dicantur studiosè, pariter & deuotè.

Nota solutionẽ prioris partis q̃stionis secũdum hanc sententiã.

Respõdetur ad argumẽta iam dicta pro secunda sententia.

Ad I.

SI TAMEN quis velit tenere alteram opinionem, facilè posset respondere ad hæc motiua Adriani. Ad primum de his, quæ citantur in Clemen. 1. de hæreticis. ad longum, vbi suprà responsum est, & ostensum, quòd Ecclesia nec in dicta Clementina, nec alibi puniat immediatè, & directè actus cordis, de quo vulgatum decretum est, dicens: Cogitationis pœnam nemo meretur, sed punit commissiones exteriores, vel omissiones ex tali vel tali animo procedentes. Nam cùm Ecclesia non intendat punire specialiter pœna excommunicationis, nisi ea, quæ peccata sunt: & commissiones, vel omissiones exteriores peccata non sint, nisi ex certo animo & voluntate fiant, vt suppono; ideò in dictis textibus, vbi pœna talis infligitur, fit mentio de animo tali, vel de deliberatione, vel

 de scien-

de ſcientia &c. ex quibus ipſa exterior commiſsio, vel omiſsio talis eſt, quæ puniri mereatur. Vide vbi ſuprà. D

Ad II. Solutio duplex. I. Ad secvndvm de Sabbatho celebrando, quanquam poſsit cum nonnullis Doctoribus dici, quòd per ſolum peccatum cordis non violetur Sabbathum, nec præceptum Eccleſiæ, quod in Sabbatho non prohibet opera ſeruilia, id eſt, peccaminoſa, ſed opera exteriora ſeruilia, quæ ſeruorum propria ſunt. Et ita non ſolùm non violatur Sabbathum, per peccatum cordis, ſed nec per multa peccata exteriora, quæ non ſunt de numero eorum, quæ per Eccleſiam prohibentur. De quo vide Caietanum in Summa.

II. Solutio. Verùm admiſſo, quòd de nouo contra Sabbathum peccet, qui peccatum tam opere, quàm corde committit, non tamen dicimus, vt videtur, quòd talis agat contra præceptum Eccleſiæ, ſed contra præceptum Dei, & naturæ. Nam eo ipſo, quòd aliquod tempus eſt ſpecialiter cultui diuino dedicatum, & Deo ſacratum, ſiue ſit à Deo, ſiue ab Eccleſia ad id dedicatum, tenetur homo noua & propria obligatione Deum in illo tempore non offendere. Qui enim tunc peccat, vidètur ſacrilegium committere, hoc autem iure diuino & humano vitandum eſt. Exemplum eſt clarum de loco, ſi ſit Deo ſacratus, vt eſt templum, ad hoc, vt illic Deus ſpecialiter cognoſcatur & colatur. Certè ſi quis illic ſcienter peccat, vltrà quòd ſic peccat, videtur nouam offenſam Deo facere. Quod ſaluatur abſque hoc, quòd talis agat contra præceptum Eccleſiæ, etiamſi contra intentionem Eccleſiæ faciat, verùm hæc ſub præcepto non cadit. Et ita Doctor ſanctus in 2. 2. q. 122. art. 4. quem pro ſe citat Adrianus, nō dicit, quòd qui peccat in Sabbatho violet præceptum Eccleſiæ, ſed quòd violet Sabbathum. E

Ad III. Ad tertivm de diſpenſatione in voto mentali, fateor, quòd poſsit Papa diſpenſare in illo, ſed non inde ſequitur, quòd poſsit ad interiora obligare, quia aliud eſt, obligationem tollere, aliud, eam inducere. Et poteſt aliquid obligationem tollere, quod nō ſufficit eam inducere. Patet, nam pater poteſt tollere obligationē voti, per filium aut filiam emiſsi, vt habetur Numeri 30. Similiter vir poteſt irritare votum vxoris; & tamen nec pater poteſt filio obligationem voti imponere, nec vir vxori. Similiter conſuetudo vitioſè introducta, per tempus certum ſeruata, ſufficit tollere obligationem legis de oppoſito, & tamen non ſufficit obligationem inducere, niſi rationabilis ſit. De conſuetudine. cap. finali. Itaque non mirum ſi Papa, veluti communis pater, poſsit per diſpenſationem tollere obligationem voti mentalis, & cum hoc, quòd non poſsit ad actus cordis immediatè obligare.

Poteſt aliquid obligationē tollere, quod non ſufficit eam inducere.

Ad IIII. Ad qvartvm, eſto quod vnuſquiſque poſsit rei ſuæ, cùm eam alteri tradit, onus & modum imponere, non ſolùm modum ſenſibilem, ſeu exteriorem, ſed etiam interiorem; ex hoc tamen non ſequitur, quòd homo poſsit immediatè authoritatiuè alterum ad interiora obligare. Exemplum eſt clarum. Poteſt Petrus dare clerico donum, vel agrum, hac lege, vt aliquoties celebret pro illo, vel oret contritus, ſeu confeſſus, & altero id acceptante, habebit donum, cum modo vel onere. Iam certum eſt, Petrum imponere modum rei ſuæ ſpiritualem, & tamen Petrus, cùm ſit priuatus homo, poteſtatem non habet obligandi alium ad actum cordis. Quòd ſi alter manet ad modum huiuſmodi obligatus, eſt ratione contractus, quia acceptauit rem cum modo illo, & ipſe ſe ad modum voluit obligare. Sicut etiam Papa concedit indulgentias cum modo, ſcilicet his, qui contriti ſunt, & tamen Papa non obligat immediatè ad contritionem, ſed ille alius, ſi vult lucrari indulgentiam, tenetur ad contritionem. Si tamen non conteratur, non peccat contra præceptum Eccleſiæ, quod nullum eſt de contritione datum. Et ita ad propoſitum, eſto quòd Papa conferat beneficia clericis, cum modo illo, vel onere, vt ſcilicet deuotè & attentè horas perſoluant, tamen per hanc viam nulla inducitur obligatio abſoluta ipſi clerico, quia nec obligatur beneficium recipere, nec deuotionem illam habere, niſi conditionaliter, ſcilicet, ſi acceptet beneficium. Tunc ex illa acceptatione obligaretur ad deuotionem, quia per viam contractus, vt ſuprà dictum eſt, & non per viam præcepti Eccleſiæ. Quanquam nec dicendum eſt, quòd beneficia dentur cum illo modo; alioqui beneficium amitteretur, modo non ſeruato, quod eſſet in alium Labyrinthum incidere. Nec cap. Dolentes. reſtringitur ad beneficiatos, vt patet, ideò illa quarta ratio Adriani, ſalua pace, non ſatis pertinens eſt.

Exemplo data ſolutio declaratur. F

Limitatio dictæ ſolutionis.

CAIETANVS

A CAIETANVS tenet, quòd, quamuis Ecclesia non possit directè obligare ad actus mentis puros, bene tamen potest ad actus mentis obligare, quatenus respiciunt actus exteriores, aut quatenus eos qualificant. Vnde, sicut potest prohibere, ne certus actus exterior ex tali animo, puta odio, aut deliberatione procedat, sicut quando excommunicat inquisitorem, qui ex odio procedit, aut ex amore procedere desinit; ita similiter potest præcipere, vt actus exterior ex certo interiori procedat; in quo quodammodo præcipit illum interiorem, sed non, nisi quatenus exteriorem qualificat, quem exteriorem directè præcipit. Et sic ait: Præcipit Ecclesia clericis, vt in dicendis horis deuotionem habeant & attentionem, vt inde horarum recitatio qualificata sit, prout intendit Ecclesia. Id probat ex cap. Dolentes. de celebratione Missarum. Vbi Concilium strictè, & in virtute obedientiæ, clericis præcipit, vt officium diurnum, pariter & nocturnum deuotè & studiosè persoluant. Vbi Ecclesia non præcipit ipsam horarum recitationem; nam hæc iam olim erat præcepta et iussa, sed quia indeuotè, aut indecenter per clericos id soluebatur, ideò præcipit tam strictè modum in recitando tenendum, scilicet vt deuotè & studiosè fiat. Sed quia non est in hominis potestate, cùm horas dicit, continuè actu deuotionem & attentionem habere, ideò temperat textus obligationem, dicens, quantum Deus dederit. In quo apertè videtur prohiberi indeuotio, & mentis euagatio, ex proposito & scienter habita. Ac proinde peccat cõtra Ecclesiæ præceptum, qui
B scienter à deuotione & attentione recedit, quando horas dicit. Et ita talis, etsi horas dicat omnes, non tamen satisfacit præcepto Ecclesiæ, quia modum cadentem sub præcepto voluntariè reiicit. Quod satis videtur consonare solutioni, quam nuper dedimus, respondendo ad primum motiuum Adriani.

Sentẽtia Caiet. quatenus Ecclesia possit obligare ad actus interiores.

Quatenus Ecclesia præcipiat clericis, vt attentè horas dicãt Canonicas ex sententia Caiet. Probatio eiusdem.

VERVM ad hæc simul, & cap. Dolentes. dici posset, stando in opinione hactenus defensata, quòd cap. Dolentes. cùm præcipit modum in recitando tenendum, (quod non negamus) scilicet vt deuotè & studiosè horæ dicantur, illa tamen deuotio & studiositas, de quibus textus loquitur, non est actus mentis interior, sed exterior modestia & recollectio, qua officium persoluentes, ea euitent, quæ deuotionem mentis, & attentionem impediũt. Et quòd ita sit, apparet ex Clementi. de celebratione Missarum. Vbi prælatis & superioribus præcipitur, vt curent solicitam diligentiam adhibere, vt in Ecclesiis cathedralibus & collegiatis, cæterisque aliis, officium diuinum debitè, reuerenter, & deuotè celebretur. Ex quo apparet, quòd sub deuota & debita celebratione non cadat interior mentis deuotio, aut attentio, cùm de his non possint ipsi prælati certiorari, quamcunque diligentiam apponant, nec possint punire eos, qui sine deuotione interiori officium dicunt. Cùm tamen illic mandatur prælatis, vt eos compescant & puniant, qui non deuotè & debitè officium compleuerint, ideò videtur, quòd cùm Ecclesia præcipit adhiberi deuotionem & attentionem, non de interiori loquatur, sed de exteriori, vt dixi, qualis est, decens modestia, & recollectio quædam, qua clerici extranea fu-
C gientes, quæ deuotionem & attentionem mentis impediunt, horas suas persoluunt reuerenter.

Respõdetur ad probationẽ Caietani: & explicatur cap. Dolẽtes. de recitatione horarũ Canonicarum.

ET AD ALIVD pro Caietano dictum, scilicet, quòd videntur hæc æquiparari, posse prohibere, ne actus ex tali animo fiat, & posse pręcipere, vt actus ex tali animo fiat, & ideò sicut Papa potest primum, ita & secundum. Videtur, quòd non parificentur, vt prætendit. Et discrimen est apertum, nam per hoc quòd prohibet, & punit actum ex tali animo procedentem, non sequitur, quòd prohibeat ipsum animum, nec verum est quòd prohibeat, & tamen si præciperet actum, ex tali animo procedentem, necesse esset præciperet ipsum animum. Vtrumq; patet, quia Ecclesia prohibet Inquisitori, ne inquirat, vel inquirere omittat ex tali animo, puta odio, vel amore, & solum, quod exterius est puniat, quia solum illud exigit. Patet hoc, quia si Inquisitor ex amore omittat inquirere, peccat contra Ecclesiam, & punitur per eam, vt habetur de hæreticis. cap. Multorum. in Clementina. & non peccat per actum interiorem, ex quo inquirere omittit, scilicet per amorem, quia stat, quòd ille amor bonus sit. Et ita constat, quòd per hoc, quòd Ecclesia prohibet actum exteriorem, ex certo animo procedentem, non inde fiat, vt prohibeat ipsum animum, vt patet ex casu. Similiter cùm prohibet actum exteriorem, ne fiat ex certa scientia, non inde fit, vt prohibeat ipsam interiorem scientiam, quæ in se mala non est, nec prohibita. Et ita patet primum. Secundum etiam patet, quòd scilicet, si præcipit

Oppugnatur fusius eiusdẽ Caietani sententia.

actum exteriorem ex certo animo procedentem, vt ex consequenti pręcipiat ipsum animum. Patet in casu præsenti, tum ex opinante, tum etiam, quia si clericus dicit integrè horas, & tamen deuotionem mentis & attentionem ex intento non habet, peccat per opinantem, & non commisiuè, scilicet orando, cùm horas dicat, sed omisiuè; non quia horas omittit, sed quia deuotionem & attentionem, quando horas persoluit, non apponit; et in hoc directè peccat per opinantem contra præceptum Ecclesiæ. Et ita ex opinione sequitur, quòd staret, hominem peccare contra Ecclesiam, per solum peccatum cordis, quod est contra Thomam suum in 4. distin. 25. q. 1. de Simonia. ad primum. Et ita non occurrit aliquid, quod agat quemquam recedere ab opinione hactenus defensata, quæ tenet, quòd Ecclesia nec præcipiat, nec præcipere potest immediatè actum cordis, sed bene actum exteriorem. Et si ad illum exercendum, sit necessarium aliquem interiorem habere, tunc ex consequenti homo tenetur ad illud, non immediatè ex vi præcepti Ecclesiæ, sed eo iure naturali & diuino, quo tenemur illos actus apponere, qui necessarij sunt ad seruanda Ecclesiæ mandata. D

Quomodo teneatur aliquis ad actum internũ coniunctum cũ actu externo pcepto.

Error Gabrielis.

TENENDO igitur eandem opinionem, apparet; non consequenter dixisse Gabrielem, quando ait, quòd si dicens horas, ex proposito euagatur, non satisfaciat præcepto Ecclesiæ. Et dat rationem, quia hæc mentis ex proposito euagatio, non præter, sed contra intentionem Ecclesiæ est. Contrà tamen videtur, quia intentio Ecclesiæ, secundùm eum, non cadit sub præcepto, sub quo non nisi actus exteriores cadunt, igitur qui contrariatur intentioni Ecclesiæ, etiam ex proposito, non peccat contra præceptum Ecclesiæ; quod ad interiora, vt dictum est, non se extendit, etiamsi alia ratione peccet, videlicet propter irreuerentiam, quæ videtur Deo fieri, vt suprà dicebatur. E

Ratio.

Limitatur à Durando sententia Gabrielis.

VNDE Durandus cautiùs & subtiliùs videtur hoc limitasse ad casum, qui horas dicens, ex proposito se occupat in rebus, vel actibus exterioribus, per quos naturaliter mentis attentio impeditur. Tunc enim videtur peccare contra præceptum Ecclesiæ, & per consequens non satisfacit præcepto Ecclesiæ. Sed hoc verum est, supposito quod suprà dicebatur, quòd Ecclesia in cap. Dolentes. districtè præcipit, vt horæ dicantur deuotè & studiosè, loquendo de deuotione exteriori, vt suprà, quæ excludit opera exteriora attentionem impedientia. Sed si, quod dicitur in cap. Dolentes. scilicet, studiosè & deuotè, de interioribus intelligatur, & per viam exhortationis &, non præcepti, tunc nec etiam staret in veritate dictum Durandi, vt apparet.

Resolutio proposita quæstionis, pro prima sententia suprà dicta.

ITAQVE, secundùm hunc modum dicendi, hæc videtur resolutio, quòd Papa non posit immediatè obligare ad actus interiores, nec eos punire. Potest tamen prohibere, & punire actus exteriores ex certo animo procedentes, non tamen potest præcipere exteriores actus ex certo animo procedentes. Et ita in officio diuino celebrando non præcepit, vt ex deuotione & attentione mentis fierent, sed deuotionem & attentionem cordis suasit, exteriorem tamen deuotionem præcepit, & defectum eius prælatis puniendum commisit, vt suprà tactum est. Et per consequens satisfacit quis præcepto Ecclesiæ de dicendis horis, si sine deuotione mentis eas dicat, etiamsi attentionem actu non continuet, sed ex proposito euagetur, modò exteriora, quæ attentionem impediunt, euitet. F

Opposita sententia etiã probabiliter defendi potest, scilicet, Ecclesiam pcipere ac punire esse actus interiores puros.

HIS TAMEN non obstantibus, posset probabiliter contrarium teneri, scilicet, quòd posit Papa & Ecclesia præcipere, & prohibere, ac punire actus mentis, non solùm, prout respiciunt actus exteriores, vt dicebat Caietanus, sed etiã ipsos actus cordis puros.

Probatur I.

PRO QVA sententia primò videtur facere Concilium Gangrense, vbi inter alia dicitur: Si quis oblationes, quæ in Ecclesia fiunt, spernendas esse crediderit, memoriasque Sanctorum contemnendas, anathema sit. Vbi sola credulitas mentis anathematizatur. Et iterum ibidem: Si quis ieiunia Ecclesiæ putauerit esse contemnenda, perfectam in sua conscientia iudicans rationem, anathema sit. Et iterum ibidem: Si quis nuptias damnans, mulierem religiosam ac fidelem cum viro suo dormientem abominandam crediderit, anathema sit. Et iterum ibidem: Si quis carnem manducantem cum bona fide sine sanguine & suffocato damnandum esse crediderit, anathema sit. Ad hunc modum multa illic sub anathemate prohibentur, quę ad interiora cordis spectant, vt patet.

A FACIT ETIAM Concilium Romanum post Nicænum celebratum, in quo inter multa alia, quæ anathemate feriuntur, dicitur: Si quis de Patre & Filio bene sapit, de sancto autem Spiritu non rectè crediderit, hæreticus est, & anathema sit. II.

FACIT APERTIVS, quod dicitur in Concilio Toletano I. authoritate Leonis Papæ congregato, vbi de articulo omnipotentiæ Dei, & de articulo distinctionis personarum, & de multis aliis articulis, dicitur: Si quis contraria eorum dixerit, vel crediderit, anathema sit. Exemplum de vno. Si quis dixerit, vel crediderit Deitatem Christi passibilem, anathema sit. Ad hunc modum de multis aliis dictum est, vbi non solùm dicere (quod exteriùs est) sed ipsum credere (quod interiùs est) anathemate feritur. III.

FACIT ETIAM, quod habetur in Concilio Bracharensi, vbi inter alia dicitur: Si quis credit, quòd aliquas creaturas Diabolus sua authoritate in hoc mundo faciat, aut tonitrua, fulgura, siccitates, sicut Priscianus dixit, anathema sit. Et iterum ibidem: Si quis animas & corpora humana fatali signo credit astringi, anathema sit. IIII.

FACIVNT præterea Concilia recentiora, specialiter Constantiense, vbi tradita est forma in fine Concilij procedendi contra Hæreticos, & eos puniendi. Et inter alia, quæ statuta sunt per Inquisitores interroganda, hoc vnum est; Vtrùm credant, quòd illud quod in sacro Concilio credendum esse determinatur, sit ab omnibus Catholicis credendum, & asserendum? Iterum; Vtrùm credant, esse de necessitate salutis, confiteri sacerdoti? Iterum; Vtrùm credant, quòd Christiani, contemnentes suscipere sacramentum extremæ Vnctionis, & solennes benedictiones Matrimonij, peccent mortaliter? Quæ quidem ideo statutum à Concilio fuit per iudices inquiri, vt quos reperirent non ita credere, tanquam hæreticos punirent. Et ita apertè videtur ex hoc Concilio, Ecclesiam posse solam hæresim mentalem punire, habita eius cognitione per confessionem partis. Et ita si Ecclesia non punit in iudicio peccata cordis, videtur, quòd non sit ob defectum iurisdictionis, sed cognitionis. V.

B

FACIT DENIQVE Consilium Basiliense, quod in sessione 38. iubet sub pœna excommunicationis, ne libellum cõtra ipsum Concilium per Eugenium quartum factum publicare, approbare, seu defendere quis præsumat, seu eidem quouis modo assentire, credere, aut fauere &c. Vbi apertè actus cordis etiam purus prohibetur, & anathemate feritur. VI.

ITEM HOC idem confirmatur ratione apparente. Si quis de hæresi sit notatus, aut accusatus, ex suspicione, cùm tamen, vt suppono, nec dictis, nec factis, vnquam hæreticauerit; Talis coram iudice stans interrogatus, an Christianus sit, an credat Christum esse Deum, ille ingenuè fatetur, se, postquàm fuit baptizatus, mente recessisse à fide Christi, & se in errore cordis hactenus perstitisse, & adhuc perstare: & hoc est verum, & vera eius confessio; Et talis absque dubio punietur per Inquisitores. Et si dicat, se non habere voluntatem ad fidem redeundi, iudicio omnium iustissimè comburetur. Iam manifestum est, illum puniri pro solo peccato cordis, & hæresi mentali. Patet, quia exteriùs nunquam dicto, aut facto hæreticauit. Et in alia confessione, quam interrogatus facit, veritatem dicit, & non hæreticat, imò si oppositum diceret, mentiretur. Suppono enim, eum intus esse fixum in sua hæresi mentali. Igitur apertum videtur, quòd Ecclesia iustè punit solam hæresim mentis. *Eadem sententia probatur rationibus.* I.

C

NEC VALET dicere, quòd non puniat mentalem hæresim, sed vocalem, cùm voce se hæreticum esse manifestet. Non valet, quia confitendo voce, quod mente tenet, non errat, nec confitendo peccat: cùm veritatem requisitus, aut coactus fateatur. Si enim voce tunc peccaret, non igitur deberent Inquisitores eum minis & tormentis cogere, vt fateretur, quod mente tenet. Tum etiam, quia confessio proprij erroris potius prodest, quàm obest, cæteris paribus, vt suppono. *Occurritur obiectioni.*

NEC VALET secundò dicere, quòd confitendo voce, se credere, Christum non esse Deum, ex consequenti voce asserat, Christum non esse Deum, & hoc esse hæresim. Non valet, nam aliud est, asserere rem sic esse, aliud, credere, rem sic esse: & talis voce non asserit, nisi se credere, Christum non esse Deum, non tamen inde fit, vt asserat, Christum non esse Deum. Sicut testis, qui de crudelitate deponit, non affirmat, rem sic esse, quia credit rem sic esse: Diuersæ igitur sunt præfatæ assertiones. *Alij obiectioni occurritur.*

II. *Ratio.* PRAETEREA idem apparet, quia potest Ecclesia prohibere, ne actus malus & deprauato animo fiat; sicut de multis legitur, prohibuisse: igitur etiam potest præcipere, vt actus bonus, ex bono animo, fiat. Et consequentia probatur, quia Ecclesia potestatem habet statuendi leges hominibus salutares: ad hominum autem salutem non minùs necessarium est, mala non agere, quàm bona agere, & econtrà: imò vtrunque homini diuinitus iniunctum, per Psal. Declina à malo, & fac bonum. Igitur verisimile est, quòd Ecclesia posit vtrunque præcipere, vel neutrum: & cum secundum dari non posit, sequitur intentum, vt suprà inferebatur. Nam eo ipso, quòd potest præcipere, vt actus bene, meritoriè aut moraliter fiat, cùm id fieri non posit, nisi recta existente voluntate, & debito fine: apparet, quòd recta voluntas & intentio potest sub Ecclesiæ præcepto cadere. D

III. *Ratio.* POSTREMO idem videtur, sumpta ratione ex fundamento contrariæ opinionis, scilicet Durandi, & Ioannis Gerson, qui dicunt, Ecclesiam ideò non posse actus cordis præcipere, aut prohibere, quia nõ potest præcipere aliquid, cuius transgressorem punire nõ potest: & cùm non posit acta cordis punire, cùm eorũ cognitio ad eam non spectet, sequitur &c. Sed contra hanc rationem arguitur; quia tunc non posset prohibere actum exteriorem, ex tali vel tali animo procedentem. Patet, quia etiam Ecclesia non potest cognoscere, ex quo animo actus exterior fiat, nisi per coniecturas, vel propriam confessionem; sed modò etiam posset Ecclesia cognoscere actum purum mentis, scilicet, ex coniecturis, vel propria confessione: & ita, sicut potest prohibere, ne actus fiat ex tali animo; ita potest prohibere, ne talis animus habeatur, etiam omni exteriori actu secluso. Et ita etiam posset præcipere, vt actus ex tali animo fiat, & poterit ex coniecturis, vel confessione propria, cognoscere, an fiat ex tali animo, nec ne. Et quamuis Ecclesia non posit interiora cordis iudicare, cum strepitu iudicij, cùm in exteriori foro probari non posint, qualiter fortè multa iura procedunt, in eo quòd dicunt, secreta cordis per hominem iudicari non posse: attamen sine strepitu iudicij, & in foro conscientiæ pœnam imponere pro peccato cordis, eo ipso non ita irrationabile videtur. Sed de his hactenus. Quæ tamen gratia veritatis inquirendæ, sicut reliqua omnia, quæ in meis codicibus disputantur, dicta esse intelligantur. E

De horis Canonicis reiterandis.

QVÆSTIO XVI.

Quas ob causas teneatur aliquis reiterare horas Canonicas.

Triplex quæstionis sensus.

EX DICTIS aliud suboritur dubium, an clericus, post horas vocaliter dictas, teneatur aliquando eas redicere, & quam ob causam. Et habet locum hæc dubitatio de oratione deprauata & vitiosa, ob indebitam circumstantiam appositam. Secundò de oratione defectuosa, cui, scilicet, defuit deuotio, vel attentio. Tertiò de oratione deuotè & attentè dicta, non tamen cum animo se quitandi, vel debitum officium persoluendi. F

De primo sensu quæstionis sententia. I. Ratio.

DE PRIMA, scilicet, quando ipsa horarum recitatio est, ob circumstantiam aliquam, deprauata & peccaminosa, dixerunt aliqui, quòd talis tenetur redicere horas. Ratio, quòd per eas, quas dixit, non satisfecit præcepto Ecclesiæ. Nam Ecclesia in præceptis suis semper obligat ad actum bonum, saltem non malum, & nunquam actus malus cadit sub præcepto; igitur in casu, cùm illa horarum recitatio fuerit actus malus, non erat de his, quæ sub præcepto cadebant; & ita non satisfactum est præcepto, & per consequens intentum.

Oppugnatur p̃dicta sententia. I.

Respondetur, dura videtur positio, & falsa, quod apparet; quia homo potest præceptis Dei & naturæ satisfacere per actus peccaminosos, ita vt non teneatur reiterare factum. Igitur etiam idem de præceptis Ecclesiæ tenendum est. Consequentia videtur nota, & Antecedens patet. Naturale ius & diuinum est, vt debitor soluat proximo, quod debet: si ergo Petrus debet Ioanni decem ducatos, & eos illi soluat, & solutioni indebitam circumstantiam apponat, quæ solutionem vitiet, certè ille satisfecit debito, ita vt non teneatur iterum illud soluere. Ita potest de debito vxorio, & paterno, & politico, aut alio quocunque exemplificari.

PRAE-

A PRAETEREA iure diuino tenetur quis Baptismum suscipere, & econtrà curatus ministrare;& tamẽ, si semel illum susceperit,& alter ministrauerit, etiamsi ipsa susceptio & ministratio, per aliquam deprauetur circumstantiam; satisfacit vterque, recipiens, & ministrans, ita vt non oporteat factum reiterare. II.

PRAETEREA, qui die per Ecclesiam statuto ieiunat, iuxta ritum Ecclesiæ, etiamsi per hoc humanam gloriam intendat;satisfacit præcepto de ieiunando,ita vt non teneatur iterare ieiunium: igitur. Ad hunc modum potest de aliis quoque dici. III.

FALSA IGITVR videtur opinio hæc. Et ad rationem, quam pro se facit, scilicet, quòd Ecclesia nunquam præcipit, nisi actum bonum, vel saltem non malum· Fateor de actu bono in se,& obiectiuè:nam quod in se,& de se malum est, sub præcepto non cadit: Attamen illud,quod non sic malum est,bene cadit sub præcepto,quamuis accidat, illud per aliquam circumstantiam extraneam vitiari, & tamen illud agendo,quod iussum est, satisfacit homo, vt reiterare non teneatur, quamuis de malitia per eum apposita, sit illi pœnitendum. *Solu[…] ra[…]o eiusdem sententiæ.*

SIT IGITVR responsio:Quòd si Horarum recitatio nil aliud habet,vnde sit reiteranda, nisi quòd propter aliquam circumstantiam deprauantem; siue sit circumstantia loci,aut temporis,aut finis, vitiata est;quòd non sint de necessitate ob id horæ reiterandæ;secùs si alia causa concurrat. *Conclusio authoris.*

B DE SECVNDO, id est, de Horarum recitatione, cui defuit deuotio & attentio, an sit de necessitate reiteranda. Et non loquor de illa, cui defuit deuotio & attentio actualis solùm, quia affuit virtualis; non enim est dubium, quòd ob illam causam non est necessarium Horas redicere; sed loquor, quando deest actualis & virtualis, vt, quando ex proposito, in ipsa Horarum continuatione, ad alia indeuota, aut vitiosa diuertitur contemplanda. Respondetur,videtur hæc dubitatio ex quæstione suprà disputata quodammodò pendere, scilicet, an Ecclesia obliget & obligare possit præcisè ad exteriora. Nam si id cum multis Doctoribus teneamus,quicquid communiter dicatur, consequenter tamen ad hanc positionem loquendo, videtur, quòd ex quo Clericus tenetur ad Horas solùm ex humano præcepto, hoc autem non nisi ad exteriora obligat; consequens est, Clericum non teneri ad deuotionem mentis & attentionem ex præcepto Ecclesiæ;& per consequens satisfacit præcepto Ecclesiæ,si Horas iussas vocaliter,ex voluntate eas persoluendi, dicat, etiamsi non habeat voluntatem eas deuotè & attentè dicendi,supposito vt dico,quòd ad id non teneatur ex Ecclesiæ præcepto.Et quanquam nonnulla culpa sit,Horas sine debita attentione, & deuotione recitare,vt suprà dicebatur, illa culpa non contra Ecclesiæ præceptum est; sed contra diuinum vel naturale ius, & ita erit de culpa pœnitendum. *Secundus quæstionis sensus bipartitus est.* *Vnde pendeat resolutio dictæ dubitationis.* *Sententia* I.

SI OBICIAS, quòd clericus ex proposito ad indeuota diuertens, non orat vocaliter, cùm oratio vocalis præsupponat animum orandi actualem, vel virtualem; animus C autem orandi Deũ, est animus deuotè & attentè aliquid à Deo in oratione petendi; hoc enim est de ratione orationis,vt sæpe tactũ est;cùm ergo,qui ex proposito se ad indeuota diuertit,animum actualem,aut virtualẽ orãdi non habeat,consequens est,quòd illa euagatione existente,non orat, & ex consequenti non satisfacit, & ita redicere tenetur. *Obiectio.*

HAEC RATIO maximè nonnullos mouet ad tenendum contra responsionem datam. Sed certè stando in opinione proposita, nil mouet. Nam aliud est, clericum verè orare, quando horas recitat; aliud, horas Canonicas recitare. Et esto ita sit,quòd in ratione dicitur, scilicet, quòd orare propriè & verè sit,deuotè & attentè actualiter,vel virtualiter aliquid à Deo petere,falsum tamen est,quòd Ecclesia obliget clericum ad orandum, quia ex opinione, ad interiora neminem Ecclesia obligat: & cùm orare, propriè seu strictè loquendo,interiorem deuotionem,& attentionem importet,vt patet,certum est, Ecclesiam non obligare clericum, vt oret propriè, sed vt horas vocaliter dicat, & si deuotionem non apponat;apponit tamen eam Ecclesia,cuius minister ipse clericus est. Et ita consequentia hæc non valet: Clericus ex intento ad indeuota distractus, non verè orat:ergo non satisfacit præcepto Ecclesiæ. Quia licet non verè oret, verè tamen horas Canonicas dicit, quod solùm sub Ecclesiæ præcepto cadebat. *Solutio.*

SI TAMEN teneatur altera opinio, scilicet, quòd Ecclesia potest obligare, & de facto obligat clericos ad actus mentis,puta ad deuotionem & attentionem interiorem, II. *Sententia.*

tunc

tunc esset maius dubium, an certum sit, quòd clericus dicens horas sine deuotione & attentione actuali vel virtuali, teneatur eas redicere. Et pro affirmatiua parte videtur, quia qui tenetur triticum bonum, aut vinum album soluere, aut equum certo modo qualificatum; si triticum soluat non bonum, aut vinum non album, aut equum non talem, qualis solui debuit, non satisfacit: & tenetur, iuxta obligationem, debitum persoluere. Cùm igitur, secundùm hanc opinionem, clericus teneatur horas Canonicas deuotè & attentè persoluere, idque ex præcepto Ecclesiæ, sequitur, quòd cùm eas non tales exsoluat, teneatur eas, quales debet, redicere. Nam perinde est, ac si loco rei integræ soluendæ, reddat rem defectuosam. D

Ratio I.

Ratio II.

PRAETEREA, secundùm hanc opinionem, clericus tenetur (cùm horæ Canonicæ illi iniunguntur) orare; cùm autem horas dicit sine deuotione & attentione actuali, aut virtuali, non orat; igitur ea, quæ tunc dicit, perinde sunt, ac si non dicat: & ita intentum, scilicet, quòd teneatur ea redicere. Et ita videtur tenere Palud. in suo 4. Et post eum Adrianus in Quodlibet: Quanquam obligationem redicendi ita limitent, vt scilicet tales clerici teneantur redicere, vel loco eius aliud, authoritate confessarij, Deo persoluere.

Resolutio authoris pro parte negatiua.

RESPONDETVR, stando in hac secunda opinione, quòd scilicet vtrunque cadat sub præcepto Ecclesiæ, scilicet, horas dicere, & modus eas dicendi, scilicet, deuotè & attentè, quantum Deus dederit: Videtur quòd adhuc sit durum, si qui indeuotè, aut minùs attentè horas semel dixerint, eosdem, vt eas iterum dicant, obligare. Ratio est, quia, vt videtur, diuersa videntur præcepta super hoc ab Ecclesia tradita, vt ex ipso Caietano apparet. Primò enim per Ecclesiam præceptum fuit, vt horæ integrè dicerentur. Deinde in capitul. Dolentes. de celebratione Missa. fuit iussum, vt deuotè, attētè, seu studiosè dicantur. Quòd si ita sit, facilè absoluit difficultatem. Quia si quis horas dicat, & indeuotè, aut minùs attentè, satisfacit præcepto primo, de dicendis horis, etiamsi non satisfaciat secundo, de adhibenda deuotione & attentione. Et ita post dictas horas non tenetur eas redicere, etsi de defectu deuotionis, & attentionis teneatur pœnitentiam agere. E

Probatur I.

II. SECVNDO idem apparet ex hoc; quòd si quis soluat creditori rem defectuosam, & ipse eam acceptauerit, non tenetur debitor aliam rem reddere; satis est, si pro defectu aliquam aliam recompensam faciat; sed Deus acceptat horas Canonicas à clerico ministro Ecclesiæ dictas: igitur clericus redicere non tenetur, sed pro negligentia deuotionis satisfacere eum oportet. Antecedens suppono, cùm horas acceptet Deus ex animo Ecclesiæ, in cuius persona, à ministro dicuntur.

Respondetur ad rationes oppositas.

Ad I.

PER HOC patet responsio ad rationem primam in contrarium: Quia si quis debet triticum tale, aut vinum tale &c. & non reddit tale, tenetur tale reddere. Hoc ideo est, quia creditor non acceptat rem oblatam, cùm talis non sit, qualis erat reddenda. Secùs in præsenti. Probat tamē de rigore, quòd si Deus non esset contentus cùm tali horarum solutione, esset de rigore illi iterum satisfaciendum. F

Ad II.

AD SECVNDVM probat ratio, stando in opinione, quòd talis non in totum satisfaciat præcepto Ecclesiæ, & ita est; quia in dicendo horas in casu, non tenet modum sub præcepto Ecclesiæ cadentem, ipsa tamen horarum recitatio cedit in solutum. Quòd si de Ecclesiæ mente constaret, quòd scilicet non esset contenta de huiusmodi solutione, nisi cum debito modo horæ soluantur, tunc, fateor, damnarem clericum ad horas reiterandum, non tamen hoc ita esse video.

Resolutio quæstiōis iuxta III. sensum suprà dictum.

Probatur I.

DE TERTIO, scilicet, de horis recitandis deuotè & attentè, non tamen cum animo soluendi officium debitum &c. An sint de necessitate reiterandæ? Respondetur absque disputatione, quòd sic: patet hoc per exempla, simul & per rationem: Si debeo Petro decem ducatos, & do illi decem ducatos animo donandi, non animo debitum soluendi; de rigore conscientiæ non sum deobligatus à priori debito. Si promisi vnum equum, & do vnum equum, non animo complendi promissum, sed vel donando sponte, vel animo inducendi eum, cui do, vt benefaciat mihi, certè non maneo liber à promissione complenda. Si mercedem ab aliquo accepi, vt pro eo Missam celebrarem, & posteà non ob stipendium, sed gratis, aut ob aliam causam pro eo celebro, non maneo liber à debito. Igitur ita in proposito.

ET FACIT

A ET FACIT ratio pro his omnibus,quia eo ipso,quòd rem debitam vel æquiualentem creditori do,non cum animo me quitandi,seu me à debito liberandi,videor apertè, volens & sponte sub eodem priore debito manere,& ita teneor, sicut priùs.

INDE EST, quòd si horas dico animo non persoluendi debitum , sed recreationis in legendo capiendæ,vel,quod scriptum est,intelligendi,vel alium horas ipsas docendi; si animus non sit tacitus aut expressus, officium mihi iniunctum persoluendi, nō maneo à debito liber,& ex consequenti teneor horas redicere. *Corollarium.*

SI OBIICIAS de ieiunante, die ab Ecclesia designata, non tamen cum animo se quitandi, non tenetur iterum ieiunare. Similiter Curatus pro populo celebrans, non cum animo se quitandi, sed gratis bene faciendi, non tenetur iterum pro populo celebrare loco illius diei. Igitur etiam clericus horas Canonicas dicens, non cum animo soluendi officium, sed ex particulari deuotione, non tenetur horas iterare. Respondetur, in parte est idem de his omnibus iudicium,& in parte non. Nam quando ieiunium aut Missæ celebratio,aut horarum recitatio pro certa die iniunguntur, transacta die, cessat obligatio ieiunandi, & Missam illam celebrandi, & tales horas persoluendi: quia non fuerunt hæc iniuncta, nisi determinatè, tali vel tali die, vt ieiunium in tali vigilia, horas de tali Sancto, in tali die dicere. Et ideò transacta die,non manet obligatio ad illa agendum,siue fuerint in die designata facta,siue non.Et hæc est ratio,quare,si quis in B vigilia Assumptionis non ieiunauit, non teneatur postea, vice illius, alia die ieiunare. Ita si quis in die Assumptionis horas non dixit,non tenetur alia die vice illius eas dicere. Erat enim obligatio ad certum diem limitata. Si tamen alicui esset iniunctum ieiunium, absque diei determinatione, & ieiunaret hac die, non cum animo se quitandi, aut cum animo soluendi debitum: tunc non manet liber à debito ieiunij sibi imposito, cùm maneat illi tempus complendi, quod illi fuerat iniunctum. Ad propositum; si clericus hac die, mane scilicet, dixit horas totius diei ex sua deuotione & sponte, & non cum animo se quitandi, sed gratis, cùm maneat illi adhuc dies, vt possit debitum soluere, tenebitur eâdem die horas redicere, secùs die transacta. *Obiectio.* *Respondetur ad priorem partem obiectionis.*

AN AVTEM curatus omittens Missam pro populo certa die, qua tenetur celebrare: aut si celebrat pro populo, non tamen cum animo se quitandi, seu debitum persoluendi, sed gratis donandi, teneatur posteà alia die pro populo celebrare per se, vel per alium,ne populus beneficio sibi debito defraudetur:esset aliud dubium,& non multùm à proposito distans. Crederem quòd tenetur, vel alia die celebrare, vel aliud, quod in populi spirituale commodum cedat,in recompensam facere. Et hoc ratione beneficij, quod à populo recipit.Beneficium enim datur propter officium,ideò vel officium compleat,vel receptum restituat. Secùs fortè, imò sine fortè,videtur de clericis non beneficiatis, qui horas certa die omittunt: vel si eas dicunt, quòd tales,elapsis illis diebus,non tenentur horas priùs omissas redicere,nec fortè aliud in recompēsam facere: quia aliud C est, aliquem teneri ad aliquid ob mercedem pro eo susceptam , aliud ex simplici præcepto superioris;in quo casu si omittat,satis est de inobedientia pœnitentiam agere. *Respondetur ad posteriorem partem eiusdē obiectionis.*

ET PROCEDVNT hæc omnia de reiterandis horis,casu,quo clericus certus sit, se horas integrè dixisse. Nam si dubius sit dubio probabili, tunc ob periculum tenebitur reiterare,quantum dubium se extenderit,scilicet,vel in toto,vel in parte,secundùm exigentiam dubij, idque quamcunque opinionem ex dictis teneas. *Limitatur prædicta solutio.*

EST ITAQVE resolutio,quòd horæ Canonicæ veniunt ob duas causas redicendæ, scilicet,ob conscientiam recitantis,& ob solutionis defectum. Primum fit,si post semel dictas horas clericus manet dubius, maximè si probabile sit dubium, an integrè eas dixerit, nec ne, talis tenetur horas eâdem die redicere,iuxta exigentiam dubij,id est,si de magna parte horarum dubitatur, redicatur illa magna pars: si de parua, parua. Et inde est,quòd defectus attentionis siue ex voluntate,siue præter voluntatem euenerit,si tanta fuit euagatio, quòd facit clericum dubium, an dixerit, vel non dixerit horas,tenetur, ob conscientiam dubiam, redicere,ne se periculo omittendi exponat. *Horæ Canonicæ duplici de causa reiterādæ sunt.* I.

SECVNDVM fit, quando præcepto Ecclesię de recitandis horis non est satisfactum in ipsa horarum recitatione;quia tunc redicendæ sunt,etiamsi aliàs dictæ sint,vt scilicet, si non animo soluendi debitum, sed gratis, & ob aliam causam fuerint dictæ, vt suprà dictum est. II

AN AV-

Alia dubitatio. An propter interruptionē aliquam horarū, necessaria sit reiteratio.

An avtem per horarum interruptionem sint redicendæ, scilicet, quando cœpta aliqua hora recitari, & nondum completa, cessatur à recitatione, & alia loquutio, vel meditatio, vel aliud opus per notabile tempus interponitur, an inquam sufficiet posteà ad horas redeundo prosequi, quod cœptum erat, an potiùs sit necessarium horam cœptam iterum ab initio dicere, non potest certa regula tradi; eò quòd multa sunt & diuersa illa, quæ interponi possunt. Nam si sola meditatio in rebus, maximè bonis, interponatur, aut etiam aliqua loquutio, ob causam necessariam aut vrgentem oblatam, aut opus aliud breui finiturum; non dicerem clericum teneri reincipere, secùs aliâs. Quanquam tutius sit, semper horam cœptam in casu reincipere. Sed nec vellem clericos nimis scrupulosos esse, casu quo putant se vel non integrè pronuntiasse, vel aliqualiter syncopasse, vel verba aliqua non voce, sed gutture dixisse, dummodò defectus nō sit valde notabilis; quia tunc satis est de defectibus huiusmodi pœnitentiam agere. D

Solutio.

Varia Doctorū sententia recensentur de euagatione in dicendis horis.

Pro his, quæ suprà conclusa sunt, vide Gabrielem in Canon: dicentem, quòd qui ex proposito euagatur; tenetur horas redicere. Et citat pro se Thomam in 4. distinctio. 15. ad quartum. Sed illic non dicit Thomas nisi quòd peccant, qui ex proposito euagantur. Citat etiam Gersonem in lib. de oratione. Sed illic Gerson dicit, quòd tales peccant, vel redicere tenentur, vbi nō absolutè affirmat, quòd redicere tenentur, sed vnum è duobus audet dicere, maximè cùm in de Regulis moralibus, & lib. de vita spirituali, lectione 4. dicat apertè, satisfacere præcepto Ecclesiæ eum, qui voce orat, quacunq; mentis euagatione posita. E Durandus in 4. dicit, quòd qui ex proposito euagatur interiùs, & horas dicit, satisfacit præcepto Ecclesiæ: Secùs si tempore, quo recitat, in opere exteriore distractiuo se occupat; tamen non dicit, quòd tenetur redicere. Idem dicit Caietanus quòd talis peccat contra Ecclesiam, voluntariè se distrahens, non tamen dicit, quòd tenetur redicere. Floren. 3. parte ait: quòd qui voluntariè distrahitur, modò horas dicat, satisfacit, licet per contemptum peccet, non tamen tenetur redicere. Palud: quòd peccat in casu contra Ecclesiam, & tenetur redicere, vel aliud loco eius impositum à confessore, implere. Mihi videtur quod suprà dictum est.

De valore orationis pro seipso fusæ.

QVÆSTIO XVII.

Oratio triplex.

Alivd dvbivm de valore orationis, qua quis pro se orat, & priuatim; nam de valore orationis, quæ pro alio funditur, posteà: Præmittendum primò, quòd est triplex oratio: quædam viua, quæ ex charitate fit. Quædam mortifera, quæ vitiosa & peccaminosa est. Quædam verò mortua, quæ bona quidem est saltem moraliter, tamen extra charitatem facta. F

Oratio tripliciter potest esse valida. Qua ratione meritoria sit oratio.

Iterum tribus modis potest oratio valere, scilicet, per viam meriti, per viam satisfactionis, & per viam impetrationis. Habet autem oratio quòd meritoria sit, non ex natura sua, sed ex charitate & gratia Dei, ex qua fit; sicut & reliqua humana opera, quę apud Deum meritoria sunt, de quibus ait Esaias: Omnes iustitiæ nostræ sunt velut pannus menstruatæ. Charitas autem dat eis vitam, & pondus, & valorem apud Deum, non quòd charitas illa creata id habeat à natura sua, scilicet, facere actus ex ea procedentes, meritorios de condigno (nam de hoc nunc loquimur) sed ex Dei acceptatione aut ordinatione; qui in lege sua promisit, opera nostra bona ex charitate facta, remunerare. Hoc dicitur communiter de charitate.

Obiectio duplex.

I. Habet tamen hoc dubia duo contra se. Primum est, quia Deus in lege sua non solùm ordinauit & promisit acceptare, seu remunerare actus humanos ex charitate procedentes; sed etiam eos, qui charitatem ipsam quodammodò præcedunt. Vt patet de dilectione Dei & proximi, quam peccator primò elicit, per quam à peccato resurgit. Patet etiam de pœnitentia cordis prima, per quam iterum à peccato resurgit. Hos enim actus, etiamsi ex charitate non fiunt, sed ad eam disponant; promisit Deus frequenter in lege sua acceptare. Vnde Augustinus super Epistolam ad Roman. 5. Si Deus confugientes ad se non admitteret, esset in eo iniquitas, & iniustitia; quippe qui promissa non compleret.

A compleret. Si igitur ita sit, apparet, orationem, & alia opera humana, quæ meritoria de condigno dicuntur, non ex charitate habere, quòd talia sint: sed potiùs ex Dei promissione, quam in lege nobis significauit.

SECVNDO esset contra idem aliud dubium: Quia si sola charitas daret pondus & valorem orationi & aliis operibus, quæ meritoria dicuntur, sequitur, quòd omnia opera ex æquali charitate procedentia essent æqualiter meritoria: & oratio quantò ex maiore charitate fieret, tantò esset magis meritoria simpliciter. Quod tamen inde videtur falsum, quia benefacere inimicis, & pro eis particulariter orare, maioris meriti est, quàm pro amicis id facere. Quod Christus significat Matthæi 5. Si enim diligitis eos, qui vos diligunt, & benefacitis his, à quibus priùs recepistis, quæ merces est vobis? Nam ethnici hoc faciunt. Et clarè id docet Paulus ad Roman. 5. vbi Christi charitatem ad nos inde magis commendat, quòd cum inimici essemus, pro nobis pati voluit. Ad hunc modum possent plura inconuenientia alia inferri: sed quia alibi nonnihil scripsi de merito apud Deum, tam de congruo, quàm de condigno, ideò ad præsens supersedeo. II.

Vtriusq; solutio.

ET BREVITER dicendum ad præsens, quòd appellando meritum propriè opus, cui de iustitia præmium seu merces debetur; de iustitia inquam legali saltem; illa opera dicũtur apud Deum de condigno meritoria, pro quibus Deus in lege remunerationem B promisit: nam seclude Dei promissionem, certè non erit Deus alicui homini alicuius præmij debitor de iustitia, quodcunque opus bonum homo faciat. Quia igitur humana opera bona, propter Deum ipsum facta, similiter & orationem, ex amore ipsius procedentem, promisit Deus ad præmium acceptare, ideò currit communis sententia, quòd oratio, sicut & reliqua opera, est meritoria, quia ex charitate fiunt. Attamen non ex sola charitate commensurandum est meritum, seu valor operis, aut orationis inde procedentis, cùm ad id multum conferat voluntatis conatus, & operis difficultas, & operantis perseuerantia, & aliqua alia huiusmodi. Quare vel negandum, vel corrigendum videtur quoddam dictum Cancellarij Parisiensis in libro de valore orationis, cùm ait: Quòd licet orare pro amicis, aut inimicis; pro paucis, aut multis &c. valet præmium accidentale diuersificare; tamen præmium essentiale, quod oranti debetur, semper est æquale, ob charitatem vnam, ex qua oratio procedit.

Quatenus charitas cõferat ad meritum orationis, aliorumq; bonorum operum.

Quomodo sit oratio satisfactoria.

DICITVR autem oratio satisfactoria, ea ratione, qua de iustitia similiter illi debetur pœnæ pro peccatis debitæ relaxatio, vel in toto, vel in parte, secundùm exigentiam orationis. Sicut enim promisit Deus pro bonis operibus remunerationem; ita & pro pœnalibus operibus, quæ sunt fructus digni pœnitentiæ, remissionem peccatorum. De quo vide suprà, vbi de satisfactione agebamus. Oratio enim, licet non semper de facto cruciet orantem: attamen ex ratione sua est orantis cruciatiua, seu afflictiua, & ideo inter opera pœnalia computatur. Assumptum patet, tũ ex eo, quod scribitur in Ecclesiaste C 12. Frequens meditatio, carnis est afflictio. Et Ecclesiastici 31. Vigilia honestatis tabefaciet carnem, & cogitatus illius auferet somnum. Tum etiam, quia oratio in se includit humilitatem, qua homo etiam, quibus ad corporis & animæ salutem indiget, diuinæ voluntati per omnia committit, sua propria voluntate postposita, quod in se quid arduum & difficile est: quandoquidem est cõtra omnem naturæ inclinationem. Et etiam, cùm propter Deum summè dilectum oratio fiat, ipsa Dei dilectio in se est quid arduum, & naturæ nostræ valde difficilis, quæ contra omnem naturæ inclinationem facit omnia nostra, & nos ipsos, pro Deo postponere & contemnere, paratos cuncta mala subire potiùs, quàm ipsum in minimo offendamus: includit etiam, vt plurimum, oratio cordis compunctionem, & dolorem de offensis, contra Deum commissis, cuius ope scit ipse, qui orat, indigere. Hæc autem cordis compunctio, etiam pœnalis est: meritò igitur oratio est satisfactoria.

Oratio computatur inter opera pœnalia.

Quatenus oratio dicatur impetratoria.

DICITVR verò oratio impetratoria, quia valere solet ad viam gratię & liberalitatis ipsius Dei, ad id quod in ipsa petitur obtinendum; etiam si de iustitia illud oranti minimè debeatur. Vnde si Deus deneget petitum, non inde arguetur iniustitiæ.

Obiectio.

SED STATIM obiicies, quòd oranti debeatur de iustitia legis id quod petitur: sicut de iustitia legis debetur merito præmium, & fructui pœnitentiæ peccati remissio. Nam sicut hæc in lege à Deo promissa sunt, ita & illud, iuxta illud Matthæi 17. Petite, &

accipietis: quærite, & inuenietis. Et iterum: Quodcunque petieritis patrem in nomine meo, fiet vobis. D

Responsio.
Quomodo promiserit Deus se orantes exaudituru .

Dicendum ad præsens, quia de hoc, an scilicet oratio semper à Deo exaudiatur, postea videbitur. Pro nunc autem concedendum est, Deum se collaturum promisisse, quod ab illo fuerit in nomine Christi postulatum: concurrentibus tamen nonnullis cōditionibus, quibus positis, tunc debebitur de iustitia, quod fuerit petitum. Si tamen non omnes conditiones concurrant, auditur aliquādo orans liberaliter, quem audire de iustitia Deus minimè tenetur. De quo pòst, & tunc erit oratio impetratoria.

Discrimen orationis meritoriæ & impetratoriæ.

Quod autem aliud sit, orationem esse meritoriam, aliud impetratoriam; exemplo aperto beati Pauli constat: qui cùm Dominum instanter orasset, vt illi stimulum carnis auferret; meruit quidem ex charitate orando, non tamen quod petebat, impetrauit, vt habes 2. ad Corinth. 12. Econtrà similiter stat, orationem esse impetratoriam, quæ tamen meritoria non est; vt constat de oratione, quam Sancti pro nobis fundunt, qui multa pro nobis orando, nobis impetrant: & tamen non per viam meriti, quia Deus non ex iustitia, sed ex gratia sua illos exaudire dignatur. Similiter patet de oratione peccatoris, per quam homo sæpe impetrat, quod petit: & tamen non est meritoria oratio, cùm sine charitate fiat.

Non potest oratio esse meritoria quin sit etiā satisfactoria.

Non tamen stat, orationem esse meritoriam, quin satisfactoria sit, ex communi doctrina: quia scilicet omne opus meritoriū, est de se satisfactorium: specialiter autem oratio, ob causas suprà dictas. E

Dubium.
An possit oratio esse satisfactoria, quæ non sit meritoria.
Pro responsione notandū in quo cōsistat difficultas.

An autem econtrà stet, orationem esse satisfactoriam, quæ non sit meritoria, quæstio est inter Scotistas, & Thomistas. His dicentibus, quòd opera alioqui bona, in peccato mortali facta, satisfactoria non sunt, Illis verò econtrà. Quam quæstionem quia alibi tetigi, non opùs est eam repetere. Posset tamen ad pręsens dici, & ita videtur tenendum, quòd quamuis operibus bonis ex charitate factis aliqua debeatur remuneratio, ex iustitia largè sumpta, prout iustum dicunt Sancti illud esse, quod diuinam liberalitatem & bonitatem alteri conferre decet, maximè si ex parte alterius aliqua subsit retribuendi ratio: quemadmodum in peccatore opera pœnalia propter Deum suscipiente, subest aliqua ratio, vt illi offensa condonetur; & si opera alia virtutum in peccato faciat: similiter adest ex parte sua aliqualis remunerationis causa; quibus positis, diuinam decet bonitatem illis condonare, his autem retribuere. Sic legitur retribuisse obstetricibus Ægyptiis, quibus domus ædificauit, quia pueros Hebræorum suffocare tempore partus noluerunt: timuerunt enim magis regem cœli, quàm terræ. Sic remunerauit Nabuchodosor, pro eo quod bellum strenuè gesserat contra inimicos Dei. Sic temporale imperium contulit Romanis, ob strenuè gesta, & iustitiæ opera, quæ in sua infidelitate faciebant, vt ait Augustinus in li. de ciuitate Dei. Itaq; subsistente ex parte hominis peccatoris aliqua retributionis ratione, accedente Dei bonitate, decens est, ex parte diuinæ bonitatis, & ita iustum, vt illis retribuat, vel condonando, quæ admiserunt: vel præmiando, quæ fecerunt. Et hoc modo opera in peccato facta alioqui bona, possunt dici satisfactoria de iustitia largè sumpta, vt modò dictum est; quanquam non de iustitia strictè sumpta: quia Deo non illis condonante, non esset arguendus iniustitiæ. Et per hoc possent opiniones contrariæ aliqualiter concordari, vt etiam alibi tetigi. F

Resolutio affirmatiua.
Probatur.

Ad propositum ergo, de oratione extra charitatem facta, q̄ meritoria non est, an sit satisfactoria dicenda: Respondetur, quòd satisfactoria largè dici potest ad sensum
I. dictum, vt patet, non tamen strictè. Quod apparet, tū ex communi dicto Pauli 1. ad Corinth. 13. Si tradidero omnem substantiam meam in cibos pauperum, & fidem habuero, vt montes transferam, & linguis hominum loquar, & angelorum; charitatem autem non habeam, nil mihi prodest. Vbi simpliciter significatur, omnem illorum operum in peccato factorum fructum perire remunerationis & condonationis, quem alioqui opera
II. ra illa peperissent. Tum etiam, quia Christi discipuli multa bona opera & virtutes fecerunt; tamen quia in peccato erant, à Deo non sunt accepta, iuxta illud Matth. 7. Multi dicent, Domine, Domine, in nomine tuo prophetauimus: in nomine tuo dæmonia eiecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus: quibus tamen Dominus dicturus est,
III. Non noui vos: Discedite à me operarij iniquitatis. Tum ex eo, quod ait Esaias: Omnes iustitiæ nostræ sunt velut pannus menstruatæ. Nisi igitur operum maculæ & defectus

per

A per charitatem abstergantur, non sunt talia, quibus de iustitia condonatio aut merces debeatur. Tum denique ex illo, quod habetur Hieremiæ 4. Nouate vobis nouale, & nolite super spinas serere. Qui enim super spinas, simul suffocant semen, & perit fructus. IIII. Igitur vt opera nostra fructificent, oportet priùs spinas peccatorum à mente excidere; alioqui de iustitia merces nulla illis debetur.

Ratione idem confirmatur.

FACIT ETIAM pro hac parte ratio, quia peccator ob culpam specialiter mortalem, mansit ex iustitia Dei pœnæ æternę obnoxius: sed per contritionem æterna illa pœna remissa fuit, & in temporalem commutata, non quamcunque, sed quam Deus ipse per se de peccatore sumeret, vel per tortores suos infligere vellet. Quòd si peccator ipse, loco vindictæ seu pœnæ iudicialis, cui ex iustitia erat obnoxius, velit orationem fundere, vel aliud opus extra charitatem facere, in libera potestate Dei, qui iudex est; erit illud loco pœnæ acceptare, & si non acceptet, non arguetur iniustitiæ. Accipe exemplum clarum de iudice humano, seu legislatore, qui pro certo delicto in legem commisso, statuit iustè, quòd patrator delicti cētum flagellis subiiciatur. Si sit ita, quòd pręfatus delinquēs ipsemet, vel per se, vel per alium, quem velit, sibiipsi centum inferat flagella: certè hic nō satisfacit iudici de iustitia: quia iudex, si hanc flagellationem acceptare nolit, nō erit iniustus, sed poterit per tortores, & iustitiæ executores, illi centum alia flagella inferre. Ita igitur in proposito.

Ad quid & quomodo valeat q̄libet oratio. Oratio viua.

B EX DICTIS aliqualiter patet, ad quid valeat, & quomodo vnaquæque oratio. Illa enim, quę viua est, ex charitate procedens, qua decens aliquid, sicut conuenit, à Deo petitur, illa, inquam, meritoria est, & valet ad augmentum gratiæ & gloriæ; sicut & quodcunque aliud opus meritorium, etiamsi non semper impetratoria petitionis sit, vt ex dictis patet. Et sicut meritoria est, ita etiam est & satisfactoria, idq; ex iustitia legis potiùs, quàm ex conditione & natura ipsius charitatis, vnde fit.

Oratio mortifera.

ILLA VERO oratio, quæ mortifera est, & Dei offensiua; nec meritoria est, cùm non ex charitate, imò contra charitatē fit: nec satisfactoria ex iustitia; eò quòd illi non solùm non debetur condonatio, aut retributio, sed potiùs supplicium, cùm Dei offensiua sit. Sed nec impetratoria, cùm digna sit, cui Dominus aures suas occludat, & orantem meritò à se longè repellat.

Oratio mortua.

ILLA VERO oratio, quæ mortua quidem est, attamen alioqui, moraliter saltem, bona; nec meritoria est, nec satisfactoria, strictè loquendo: solet tamen esse impetratoria. Quorum primum, cùm certum sit, similiter & secundum, tertium patet authoritate Augustini super illud Ioan. 9. Scimus autem quia peccatores Deus nō exaudit, ait, quòd loquitur homo ille adhuc inunctus, hoc est, nondum satis à Spiritu sancto illuminatus: Nam peccatores Deum colentes, & humiliter ab ipso aliquid petentes, Deus exaudit. Cuius exemplum clarum est de Maria Magdalena, de Publicano illo, qui fatebatur peccatum, & Dei misericordiam implorabat. De Zachæo, de latrone, de aliisque pluribus, C quos nobis Scriptura in exemplum proponit. Patet igitur ex his, ad quid valeat oratio meritoria, ad quid satisfactoria, ad quid impetratoria.

Aliud dubium. Ad quid valeat oratio, quæ neq; impetratoria, neq; meritoria. Solutio. Ad plurima valet.

SED QVAERES, cùm sæpe contingat orationem nec impetratoriam esse, nec meritoriam; qualis est oratio, quę mortua dicitur, ad quid valebit huiusmodi oratio, & eiusdem continuatio?

AD ID respondetur idem, quod de operibus bonis, in peccato factis, solet à Doctoribus responderi. Valet enim ad multa.

PRIMO ad obtinendum saltem dispositiuè gratiam, & peccati remissionem; maximè, si oratio illa in Deum summè dilectum dirigatur, & gloria ipsius potiùs, quàm aliud temporale quæratur. Tunc enim ipsa Dei dilectio disponit ad gratiam, imò, secundùm communem doctrinam, illam habet concomitantem; aut si non habeat Deum pro fine, sed aliud quid bonum & honestum, valebit, vt bonam inspirationem obtineat, qua ad Deum confugiat; vt sic tandem gratiam acquirat. Sic legitur de publicano, quòd cùm Deum oraret, descendit iustificatus in domum suam. I.

SECVNDO, valet etiam ad promerendum temporalia beneficia. Sic legitur de Nabuchodonosor, quòd Deus illi dedit regnum Ægypti, eò quòd in bello diu cum exercitu suo seruierat, & tamen infidelis erat. Vnde intelligimus, vt ait Hieronymus, etiam ethnicos, si quid boni fecerint, absque mercede non præteriri. II.

III. Tertio valet ad euitandum peccatum, vt si fortè tenebatur ex præcepto vel voto orare, orando euitat peccatum, quod non orando incideret, etiamsi extra charitatem oret. D

IIII. Qvarto valet ad resistendum inclinationi peccati: per opera enim virtutum resistitur vitiis, in contrarium inclinãtibus, adeò vt vitia ipsa, per virtutum exercitium, vires amittant, & remittantur. Maximè verò oratio resistit inclinationi superbiæ, ob humilitatem, quam oratio habet annexam. Cuius simile legitur de eleemosyna Ecclesiastici 1. Ignem ardentem extinguit aqua, & eleemosyna resistit peccato.

V. Qvinto valet ad hoc, quòd homo habitus bonos in mente generet, quod non parum sibi proderit, ad faciliùs & frequentiùs merendum, per orationes, post superuentum charitatis, frequenter fusas, quando facilè poterit ob cõsuetudinem propter Deum orare, qui ante charitatem, non propter Deum orauerat.

VI. Sexto valet ad impetrandum preces Sanctorum pro se: Sancti enim videntes in verbo, quòd homo se illis commendat, ipsi excitantur ad interpellandum pro illo: specialiter angelus, cui illius hominis cura commissa est. Itaque quamuis non semper oratio à Deo exaudiatur, vt conferat, quod orans petit, non inde ab oratione cessandum est, tanquam à re inutili: quandoquidem hæc prædicta, & multa alia commoda oratio ipsa potest oranti afferre: maximè quia, quemadmodum ait Gerson in libro de valore orationis, sunt aliquæ orationes, quæ suam vim ex opere operato ad aliquos salutares effectus habent, vt exemplificat de oratione Dominica, cui vim contulit ipsa Dei institutio. E Et de orationibus factis ab Ecclesia, quibus etiam fides formata ipsius Ecclesiæ nonnullam confert vim, Deo eas, vti decet, approbante. Quæ quidem, & si in orante meritum desit, suam vim aliunde habitam, non amittunt.

Etsi Deus orantem non semper exaudiat, conferendo ea quæ petit, non ideo tamen ab oratione cessandũ est.

De his, quæ requiruntur ad efficaciam orationis.

QVÆSTIO XVIII.

Duplex dubitatio contra prædicta.

I. Ex dictis, imò contra dicta, duæ videntur insurgere dubitationes: Vna est; si oratio viua, quæ ex charitate fit, non semper est impetratoria. Quæ igitur est illa oratio, de qua Christus sæpe per Euangelistas certos nos facit, quòd à Patre exaudiatur? Si mortua, exauditur aliquando, quando scilicet Deo placet: Si viua, non semper exauditur. Quæ igitur est illa, de qua Christus dixit Ioannis 16. Amen amen dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo dabit vobis. Et iterum: Quodcunque volueritis, petetis, & fiet vobis.

II. Secvnda est, quomodò verum est, quòd oratio mortifera seu peccaminosa non est impetratoria, cùm videamus eam aliquando à Domino exaudiri, & adimpleri, etsi non semper? Nam Iudæi in deserto existentes, petierunt carnes vt comederẽt (nauseam enim fecerat eis Manna cœlitus datum) & obtinuerunt: nam data est illis coturnix ad satietatem. Iterum, cùm per iudices regerentur, & regimen teneret Samuel, quem Dominus illis præfecerat, petierunt regem, & datus est illis rex: & tamen constat eos, tam primò, quàm secundò peccasse, carnes, & regem petendo: Deus enim aduersùs eos iratus vtrobique legitur. F

Pro solutione notandum.

Respondetvr, non dubium est, vt suprà tangebatur, Christum in locis citatis, & etiam in aliis, promisisse orationes nostras à Patre exaudiendas. Vnde & nobis certitudinem hanc dedit, vt Ioannis 1. Cano. cap. vltimo etiam asserit, dicens: Et hæc est fiducia, quam habemus ad Deum, quia quodcunq; petierimus, secundùm voluntatem eius, audit nos. Et scimus quia audit nos, quicquid petierimus. Scimus, quòd habemus petitiones, quas postulamus. Verùm id non de quacunque oratione, etiam à iusto fusa, intelligendum est, nisi certas habeat conditiones; specialiter quatuor, videlicet, quòd fiat piè, id est, ex charitate, fide & spe: Quòd fiat perseueranter: Quòd media congrua, homini possibilia ad impetrandum optatum, non negligantur: Quòd id quod petitur tale sit, quòd ad salutem orantis, & Dei gloriam conducat. Adde hoc, scilicet, quòd orans pro seipso petat, quod petit. Si enim hæc omnia fiant, non dubium est, quin oratio à Deo exaudiatur,

Quomodo promiserit Deus se oratiões nostras auditurum.

Quæ nam & quot requirantur conditiones, vt certa sit orationis impetratio apud Deum ex promissionis suæ debito.

A exaudiatur, & erit impetratoria: modò impedimentum peccati non superueniat, quo homo fiat dignus, ne exaudiatur. Nec dico hæc omnia necessaria esse, vt impetret, quod petitur: quia multis ex his deficientibus, solet Dominus postulata concedere, sed ex sua gratia & liberalitate, non ex promissionis debito. Si tamen omnia adsint, ex debito promissionis ad votum condescendet orantis. Quòd autem hæc omnia necessaria sint, vt certa sit orationis impetratio, facilè apparebit, si authoritates scripturæ de hoc tractantes, in vnum colligantur.

Et qvidem, quamuis de charitate expressè mentio non fiat, bene tamen æquiualenter, idque in multis locis. Illos enim exaudiendos à Deo dicit, qui mandata Dei faciunt, & verba eius audiunt. Qui etiam timent Deum, qui etiam conscientiam puram à peccato mundatam habent. Hos autem certum est in charitate Dei esse. Dicitur enim Ioannis 15. Si manseritis in me, & verba mea in vobis manserint; quodcunque volueritis, petetis, & fiet vobis. Et Ioannes in Canonica cap. 3. Charissimi, si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habeamus ad Deum, & quicquid petierimus accipiemus ab eo; quoniam mandata eius custodimus, & ea quæ sunt placita, coram eo facimus. Cui consonat illud Psalmistæ: Si iniquitatem aspexi in corde meo, non exaudiet Dominus. Ait iterum Psalmista: Voluntatem timentium se faciet, & deprecationem eorum exaudiet, & saluos faciet eos. Et loquitur de timore sancto, qui permanet in seculum seculi; quo scilicet timet quis peccare, ne Deum offendat. Et dicitur timor castus & filialis, qui sine charitate esse non potest. Igitur si orans mandata non seruat; si conscientiam à peccato non mundat, si Deum non timet, non est, cui Christus promisit eius orationem exaudiendam. *Probatur necessitas I. conditionis quo ad vnā partem.* B

De fide autem & spe, dicitur Matth. 21. Amen dico vobis, si habueritis fidem, & non hæsitaueritis, non solùm de ficulnea facietis, sed & si monti huic dixeritis, tollere & iactate in mare, fiet. Et sequitur: Et omnia, quæcunque petieritis in oratione credentes, accipietis. Et Ioan. 14. Amen dico vobis, qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipse faciet. Et quodcunque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam. Et 16. Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. *Eiusdem conditionis probatio, quo ad alias partes.*

In nomine autem Christi dicitur quis aliquid à Deo petere; qui fidem habet in Christum, omne bonum nobis de cœlo, ob merita Christi, euenire credens. Vnde & Ecclesia in omnibus orationibus, in quibus aliquid à Deo petit, petit illud, per Christum Dominum nostrum &c. Et Iacobus in sua Canonica: Si quis indiget sapientia, postulet eam à Domino. Et sequitur: Postulet autem in fide, nil hæsitans. Non ergo existimet homo ille, qui hæsitat, quòd accipiet aliquid à Domino. Ex quibus apertè videtur, quòd Dominus non promisit se quenquam in oratione exauditurum, nisi fidem, spem, & charitatem habeat. Opus enim est orantis affectum in Deum finaliter tendere, quod charitatis est: & credere, quòd potens est, si velit, quod petitur, elargiri, & in sua bonitate confidere: quòd si verè expedierit, ad vota condescendet orantis. C

De perseverantia in oratione, vt certa sit eius impetratio, apparet ex eo, quod dicit Christus Lucæ 11. vbi post traditam orandi formam, ait Dominus: Quis vestrûm habet amicum, & ibit ad illum media nocte, & dicit ei, Amice commoda mihi tres panes &c. Et illo denegante, instanter petat. Et sequitur; si ille perseuerauerit pulsans, dico vobis, etsi nō dabit illi surgens, quia amicus est: propter improbitatem tamen eius surget, & dabit illi quotquot habet necessarios. In quo apertè docemur, non satis esse, Deum orare, etiamsi amici eius simus, nisi in oratione perseueremus, vt certa sit nostræ petitionis impetratio. Item Lucæ 18. Oportet semper orare, & non deficere, scilicet, quousque fiat, quod in oratione petitur. Et statim ponit parabolam de iudice, qui viduæ iustitiam postulanti, eam non nisi post importunas & frequentes preces ipsius viduæ ipsi facere voluit. Vnde & beatus Gregorius in Moralibus ait: Virtutis pondus oratio non habet, quam nequaquam perseuerantia continui amoris tenet. Et Chrysostomus, in libro de compunctione cordis, ait: Ab oratione non recedas, donec accipias finem postulati. Si igitur quis ex charitate, fide, & spe orauerit; si tamen non perseueret, non est certa petitionis impetratio, aut orationis exauditio. Vnde non abs re dixit beatus Iacobus in Canonica. Multum valet deprecatio iusti assidua. *II. Conditionis probatio.*

III. Conditionis probatio. De diligentia humana apponenda ad impetrandum postulatum, vt certa sit D petitionis obtentio, satis patet: quia, qui aliquid à Deo petit, ad cuius assequutionem ipse humana remedia conuenientia habet, per quæ illud acquiri potest & solet, & ea negligens, à solo Deo sperat id obtinere: talis, inquam, non videtur Deum orare, sed tentare. Vt si à Deo peccator petat veniam, & medium ad eam ordinatum dimittat, scilicet, pœnitentiam: aut si scientiam petat, & literis, aut lectioni incumbere nolit: aut si sanitatem petat, & medicos, ac medicinam contemnat: indignus est re vera, qui audiatur: quia vel irridet, vel tentat Deum. Vnde Dominus reprehendit duos discipulos filios Zebedęi, qui cùm peterent, cum Christo in regno eius sedere, & medium ad id esset, tollere crucem, & sequi Christum; de medio tamē nil ordinabant, nec cogitabant. Vnde non immeritò Christus eos interrogauit, dicens: Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum? &c. Sine huiusmodi igitur humana diligentia, si aliquid à Deo petatur, non erit certa petitionis impetratio.

IIII. Conditionis probatio. De re ipsa, quæ petitur, quòd talis debeat esse, quæ ad orantis salutem, & gloriam Dei pertineat, vt certa sit orationis exauditio, etiam inde apparet, quod dixit Christus Matth. 6. Quærite primò regnum Dei, & hęc omnia adiicientur vobis. Non regnum vestrum, quò regnetis, sed regnum Dei, quò Deus regnet in vobis. Vnde in oratione Dominica, à gloria Dei petitiones incipiunt, cùm primò petitur; Sanctificetur nomē tuum. Posteà, quæ ad salutem nostram pertinent, apponuntur. Ita & Paulus docet, vt quicquid E agimus, in gloriam Dei faciamus; si scilicet Deo in opere illo placere volumus; & quia nescimus, an, quod petimus; ad gloriam Dei conferat, scit autem id Deus: ideò omnia nostra vota opùs est vt Deo committamus. Nam quid oremus, sicut oportet, vt inquit Paulus, nescimus. Vnde si sæpe iusti oratio non exauditur, ideò est, quia vel non principaliter in ea gloria Dei prætenditur: vel id, quod petitur, pro tunc ipsi oranti nō expedit. Sicut non expediebat Paulo, nec Ecclesię, quòd Deus exaudiret illum, quando, vt auferret ab eo stimulum carnis, à Domino petebat, etiamsi instanter id petierit, vt ipse dicit.

Probatio V. conditionis. De postremo, scilicet, quòd vt certa sit petitionis impetratio, opùs est vt oret pro seipso &c. id communiter colligunt Doctores, ex multis suprà allegatis dictis Christi; in quibus non videtur promittere aliis ab orātibus, sed ipsismet, quod petierint: vt quando ait. Si quid petieritis Patrem in nomine meo, fiet vobis. Et iterum: Quæcunque petieritis in nomine meo, accipietis.

Responsio ad I. dubitationem suprà dictam. His igitur, quæ dicta sunt, concurrentibus, certi sumus, sicut & esse debemus, quòd oratio erit impetratoria: imò & ex debito & iustitia legis complēda petitio: quandoquidem Christus ad id sua se promissione obligauit. Et quanquam non statim vota orantis Deus compleat; non propter hoc diffidendum est, quin nobis perseuerantibus adimplebit. Differt enim aliquando vota complere, prout ipse scit ad gloriam suam, & salutem nostram magis expedire. Et per hæc patet ad primam dubitationem.

Ad II. Ad secundam, de orationibus mortiferis, quòd aliquando audiuntur: Fateor, F sed in damnum ipsorum petentium. Quemadmodum in malum Iudæorum, regem petentium, datus est illis rex. Vnde & Dominus mala, quæ sub rege passuri erant, illis prædixit, vt habetur 1. Reg. 8. Similiter in malum eorum datæ sunt illis coturnices, quando carnes petierunt: siquidem in earum comestione multi perierunt. Ita etiam credendum est, Deum multorum impœnitentium & obstinatorum orationes audire; in quibus solùm bona corporis aut fortunæ petunt, sciens hoc illis in maiorem ipsorum condemnationem cessurum.

Corollarium. Vnde fit, vt nec hi, quorum orationes huiusmodi semper exaudiuntur, superbire: nec illi, quos Deus non audit, diffidere, aut desperare debeant. Sæpe enim Deus iratus contra orantem, concedit illi, quod, si iratus non esset, denegaret, vt dicit beatus Augustinus. Sæpe etiam suis electis denegat, quod petunt, sciens fortè, si concederet, non illis in bonum esse cessurum. Hactenus de oratione, quam quis pro se ad Deum fundit: & de valore atque efficacia eius, breuiter dictum sit.

De valore orationis pro alio fusæ.

QVÆSTIO XIX.

De va-

A DE VALORE ORATIONIS pro altero factæ, similiter est dubium; an prosit illi alteri, & ad quid? Fit autem oratio aliquando pro beatis, aliquando pro damnatis, aliquãdo pro his, qui in Purgatorio sunt, aliquando pro viatoribus. *Oratio pro altero facta, quadrupliciter potest cõsiderari.*

SI PRO beatis scienter fiat, non est illis ad aliquid valens, imò deprauata est oratio, & eisdem Sanctis iniuriosa. Iniuriam namque facit beato, qui orat pro illo. Si autem fiat oratio pro beato, sed nesciẽter, quia nescitur, quòd beatus sit, valet eidem ad gaudium accidentale: siquidem gaudent Sancti, videntes quòd amici sui, in terris viuentes, ex pio & charitatiuo affectu, qui Deo gratus est, opera bona pro illis faciunt: imò obligantur quodammodò ad antidora, scilicet, ad intercedendum pro illis, ob gratitudinem illis debitam. I *Pro beatis: idq; dupliciter.*

SI AVTEM oratio fiat pro his, qui in Purgatorio sunt, valet illis, vt vel inde totaliter liberentur, vel citiùs, vel saltem vt mitiùs torqueantur. Sic enim legitur 2. Machab. 12. Sancta & salubris est cogitatio, pro defunctis exorare, vt à peccatis soluantur. Sic etiam ait Gregorius Papa: Animæ defunctorum quatuor modis soluuntur; aut oblationibus sacerdotum, aut precibus Sanctorum, aut charorum eleemosynis, aut ieiunio cognatorum. Et habetur 13. q. 2. cap. Animæ. Sic etiam Augustinus in Enchiridio, loquens de orationibus & suffragiis, quæ pro defunctis in Purgatorio existentibus fiunt, dicit: B Quibus autem prosunt, aut hoc prosunt, vt illis plena fiat remissio, aut certè, vt tolerabilior fiat ipsa damnatio. Ex quibus patet, ad quid illis valeat oratio viuorum pro ipsis fusa. II. *Pro existẽtibus in Purgatorio.*

SI AVTEM pro damnatis oratio fiat, & scienter, seu ex proposito, talis oratio deprauata est, & voluntati diuinæ contraueniens: ideò nullius valoris reputatur: quandoquidẽ certa est & determinata voluntas Dei, vt qui in mortali culpa vitam finiũt, ad infernum, sine spe vlla redemptionis, æternaliter puniendi descendant. Ideò non immeritò prohibitum est pro illis, saltẽ ex proposito, orare, vt suprà probauimus. Et vltrà, idem patet ex cap. Pro obeuntibus 13. q. 2. vbi dicitur, quòd pro impiis, etiamsi Christiani fuerint, sacrificia facere, aut alia suffragia non licebit. Et hoc idem iussum fuit in Concilio Bracharẽ. vt scilicet pro his, qui in peccatis impœnitentes decesserunt, nulla prorsus fiat commemoratio. Et habetur cap. Placuit. 23. q. 5. Idem similiter significatur in cap. Audiuimus. de reliquiis & veneratione Sanctorum, quòd scilicet Ecclesia non tolerat orare pro his, qui in ebrietate decedunt: quia, vt ait Paulus, Ebriosi regnum Dei non possidebunt. In quo apertè significat, non esse orandum pro damnatis. Si autem orare pro illis aliquid esset illis profuturum, certè Ecclesia non prohiberet orare pro illis. III. *Pro damnatis.*

SÆPE tamen circa hoc obiecerunt nonnulli, dicentes, quòd quamuis oratio pro damnatis fusa, non valeat eis, vt ab æternis pœnis liberentur; valere tamen potest, vt à temporali pœna liberẽtur, cui obnoxij sunt, ob peccata, de quibus hîc doluerunt, nõ C tamen satisfecerunt: nam illa pœna in inferno temporalis est. Neq; hæc Patrum decreta suprà allegata, loquuntur de oratione priuata, sed de publica, quam clerici tanquam Ecclesię ministri faciunt. Ac proinde non videtur probatum, orationem saltem priuatã pro damnatis fusam, illis ad remissionem præfatæ pœnæ temporalis non valere. *Obiectio.*

VERVM quicquid sit de quorundam in hoc puncto opinione; ego arbitror, nullam orationem, nec priuatam, nec publicam damnatis prodesse, etiam ad temporalis pœnæ remissionem. Ille enim diues epulo, cùm in inferno esset, & ab Abraham nõnihil suffragij, quò mitiùs torqueretur, exigeret, nullum misericordiæ verbum audiuit: imò potiùs significatum ei fuit, ob chaos magnum, quod erat inter damnatos & alios, non posse illis auxilij quicquam communicari. *Solutio. Orationẽ neq; priuatã neq; publicam prodesse damnatis. Probatur* I.

LEGIMVS etiam de illo seruo, qui suo conseruo misericordiam nõ fecit, quòd traditus est tortoribus, sine misericordia puniendus, cui dictum est: Non exibis inde, donec soluas nouissimum quadrantem. Ex quo intelligimus, damnatos sine misericordia luere, quæ in hoc sæculo peccauerunt. II.

VNDE & Iacobus in Canonica: Iudicium sine misericordia fiet ei, qui non fecit misericordiam. Qui autem sine pœnitẽtia in mortali peccato decessit, misericordiã sibiipsi denegauit. Non igitur minus dignus est, cui misericordia in inferno denegetur, qui sibi misericordiã non fecit, quàm si proximo misericordiam non fecisset: quandoquidẽ mi- III.

ſericordia à ſeipſa incipere debet. Dictum enim eſt in Eccleſiaſt. Miſerere animæ tuæ D
placens Deo.

IIII. LEGIMVS etiam de eo, qui in Spiritum ſanctum peccauit, hoc eſt, qui in finali impœnitentia deceſsit, prout Auguſtinus exponit, quòd non remittetur ei, nec in hoc ſæculo, nec in alio. Quod exponens Hugo, & alij Doctores, dicunt; quòd taliter peccantes, in inferno ſine miſericordia punientur, quia ſoluent ad vnguem, quod pro hîc commiſsis debebant.

SI IGITVR ita ſit, vt per hæc allegata docemur; apparet, nullam orationem, nullum ſuffragium hîc pro damnatis factum, illis aliqualiter prodeſſe, quo minùs ſoluant debitum vſque ad nouiſsimum quadrantem.

V. PRAETEREA nec legimus, Chriſtum pro damnatis oraſſe, nec etiam Sanctos, nec Eccleſiam. Quòd ſi Chriſtus pro illis vnquam oraſſet, re vera Eccleſia, Chriſtum imitata, pro eiſdem orare permitteret, nõ ſolùm oratione priuata, ſed publica: & re vera illi, ob ſuam impœnitentiam, & obſtinationem, digni ſunt, pro quibus nec Chriſtus, nec Sancti, nec Eccleſia orent. Digni etiam ſunt, vt ſi quis pro eis oret, eius oratio in nullo exaudiatur à Deo: imò & ſi quis in hoc ſæculo velit aliquod opus pœnale ſuſcipere, hac intentione, vt pro illis loco pœnæ temporalis præfatæ ſatisfaciat, digni ſunt, vt huiuſmodi ſatisfactio à Deo non acceptetur. Quemadmodum colligitur etiam ex eo, quod Chriſtus ad diſcipulos dixit, mittens eos ad prædicãdum: Si quam domum intraueritis, dicite primò, E
Pax huic domui. Et ſi digni fuerint, pax veſtra veniet ſuper illos: ſin autem, reuertetur ad vos. Oratio igitur, & alia ſuffragia, ſi quæ pro damnatis fiant, nullo modo poſſunt eos à pœnis, nec in toto, nec in parte, releuare.

Corollarium. *Damnatis nihil valent Indulgentiæ.*

INDE ETIAM communiter & verè dicitur, quòd Indulgentiæ, etiamſi Papa vellet eas ad damnatos, per modum ſuffragij, extendere, illis nullatenùs prodeſſent, eò quòd Indulgentiæ valent ex meritis Chriſti & Sanctorum: Chriſtus autem, & Sancti, ſicut nec Eccleſia, ſua merita vnquam damnatis applicuerunt. Vnde & Auguſtinus ait: Si ſcirem patrem meum eſſe in inferno, non magis orarem pro illo, quàm pro diabolo. Quod certè inhumanum dictum videretur, ſi poſſet ſua oratione patri in inferno exiſtenti, aliqualiter ſubuenire.

NON ITAQVE valet oratio pro altero fuſa, nec à Deo pro altero acceptatur, niſi id, quod pro illo petimus, poſsit adiutorium, aut via illi eſſe, qua poſsit ad vitam peruenire beatam. Si autem ille alter, pro quo oratur, talis ſit, cui via ſalutis penitus clauſa eſt, fruſtra oratur pro illo. Tales ſunt damnati.

Quarta conſideratio orationis pro aliis fuſæ, valet pro viatoribus: An illis valeat ad primam gratiam.

Argumẽta partis affirmatiuæ.

SED DE ORATIONE pro altero viatore fuſa, eſſet dubium, ad quid valeat ei. Specialiter mouetur dubium, de gratia gratum faciente, An valeat illi ad gratiam primam, ſeu augmentum eius? Videntur aliqui dicere, quòd ſic. Pro quo videtur facere, quod habetur Matthæi 9. Videns Ieſus fidem illorum, dixit paralytico; Confide F
I. fili, remittuntur tibi peccata tua. Super quo Gregorius: Quantum valet apud Deum fides propria, apud quem tantum valuit fides aliena? Ex quibus apparet, aliorum preces valuiſſe paralytico, vt remiſsionem peccatorum, & ex conſequenti, gratiam primam obtineret.

II. FACIT ETIAM, quod habetur Lucæ 16. Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula. Et deficere in propoſito Saluatoris, videtur idẽ eſſe, quod à charitate excidere. Igitur his, qui ſunt in mortali peccato, ad ſalutem animæ, & gloriam preces pauperum valent, quibus eleemoſynas præſtiterant, aut præſtant.

III. FACIT ETIAM beatus Ambroſius, ſuper illud 1. ad Timoth. 4. Corporalis exercitatio, ad modicum vtilis eſt &c. Significans quantum valeat opus miſericordiæ indigentibus impenſum: quia eorum precibus valde iuuantur ad promerendum Deum, addit: Si quis ergo, quia miſericordia magna res eſt, lubricum tamen carnis patiatur, quid fiet de illo? Vapulabit, ſed non peribit. Si autem ſolum exercitium corporale habuerit, perennes pœnas patietur. Ex quo apparet, eum loqui de lubrico carnis mortali, per quod quis à charitate excidit: & illum dicit vapulaturum quidem, ſed ſaluandum, eorum precibus adiutum, quibus miſericors fuit.

A FACIT etiam, quod habetur 1. Ioannis 5. Qui scit fratrem suum peccare peccatum non ad mortem, petat, & dabitur ei vita, peccanti peccatum nō ad mortem. Vbi peccatum non ad mortem, videtur omne aliud ab eo, quod est ad mortem. Peccatum autem ad mortem dicitur, in quo quis impœnitens decedit. Igitur vnus homo sua oratione potest fratri gratiam primam obtinere, per quam viuat. IIII.

FACIT etiam, quod habetur in Canonica Iacobi 5. Infirmatur quis in vobis, inducat presbyteros &c. Et addit, & oratio fidei saluabit infirmum. Et si in peccatis sit, dimittentur ei. V.

Oppugnatur p̄dicta sententia, cuius duplex potest esse sensus: Primus.

HAEC opinio, quam Adrianus prædictis rationibus fundat, si intelligatur, vt nonnulli proteruientes defensare voluerunt, sic scilicet, quòd oratio vnius valeat alteri ad primam gratiam, secluso omni boni motu illius: ita vt ex parte illius, pro quo oratur, nil aliud necessarium sit, nisi quòd obicem non ponat: videtur mihi opinio falsa, & erronea. Nam certum est, vnicuiq; necessariam esse fidem acquisitam vt saluetur, quod tanquam certum, & alibi abundè probatum suppono. Ei igitur, qui fidem non habet, quomodo poterit aliena oratio ad gratiam primam prodesse, cui, nisi fidem habeat, Sacramentum Baptismi non prodest? *Reiicitur* I.

DEINDE æquè certum est, peccatori in mortale peccatum lapso, necessariam esse cordis pœnitentiam, vt viuat. Quod sæpissimè Scriptura docet, & apertissimè Augustini B decretum canonizatum declarat, dicens: Omnis qui suæ voluntatis arbiter constitutus est, nisi pœniteat eū veteris vitæ, nouam vitam, scilicet gratiæ, inchoare non potest, à qua soli paruuli immunes sunt. Quomodò igitur peccatori, sine pœnitentia suorum delictorum, poterit de lege aliena oratio prodesse, cui Christi Sacramentum non prodest, nec Confessio, nec Baptismus, vt suprà deduxi? II.

Secūdus sensus eiusdem sententia.

POTEST secundo modo intelligi præfata opinio sic, quòd ex parte quidem peccatoris necessaria sit pœnitentia cordis, vt gratiam habeat; non tamen tanta, quæ per se sufficiat ad gratiam obtinendam, ob sui remissionem. Tunc hac dispositione existente in illo, poterit illi ad gratiam primam prodesse alterius oratio. Verùm contra hunc modum sæpe aliâs obiecimus, probantes, non esse in contritione seu pœnitentia cordis necessariam intensionem gradualem; sed satis esse, si efficax sit, etiamsi sit remissa, ad hoc vt sit sufficiens dispositio ad gratiam; sicut etiam suprà, arguendo contra Adrianum in hoc libello de oratione, deduxi. Ac proinde, si ita sit, quòd sine pœnitentia cordis formali aut virtuali, non potest peccator gratiam primam habere: & quęcunq; talis, etiamsi remissa sit, sufficit ad gratiam primam: consequens est, orationem alterius ad gratiam primam directè non valere: quandoquidem gratia prima correspondet illi pœnitentiæ, seu propriæ dispositioni ipsius pœnitentis, & secundùm eius exigentiam sibi præstatur. An autem oratio vnius alteri taliter ad gratiam prosit, quòd vltra illam gratiam propriæ dispositioni correspondentem, impetret illi alium gradum, non satis cer- C tum est: nec enim est secundùm legem, nec contra legem, sed præter, vt videtur. Et ita in libera Dei potestate erit, salua lege, orationem vnius, ad gratiam alteri conferendam acceptare. Velle autem id probare per authoritates suprà allegatas, est, velle probare, quòd fiat secundùm legem: quod tamen minimè credendum est. Ideò conuenit ad eas respondere.

Reiicitur similiter. *NOTA.*

Respōdetur ad argumenta opposita. Ad I.

AD PRIMVM, de paralytico, dicendum; quòd ex illo loco non sequitur, quòd sola fides astantium, qui pro illo Christum precabantur, suffecerit ad remittendum peccata illi paralytico. Quod patet: tum quia paralyticus, qui in morbum ob peccatum inciderat, sine fide propria, vitam gratiæ habere non poterat: Tum, quia dixit ei Christus, Confide fili, remittuntur tibi peccata tua. Vnde præmisit, Confide: Et adiunxit, remittuntur &c. In quo apparet, illum paralyticum fiduciam habuisse in Christo, ideoq; remissionem obtinuisse.. Et ita nonnulli expositores dicunt; quòd quando dicitur, Videns Iesus fidem illorum &c. Lyra, illorum, non solùm refert ad fidem astantium, sed etiam ad fidem ipsius paralytici. Et quod ait Gregorius, dicens: Quantum valet fides propria, tantum valuit aliena &c. Fateor quòd aliena fides valuit illi paralytico ad remissionem peccatorum, sed completam, id est, quo ad residuam pœnam, culpa priùs, per fidem & contritionem, condonata, ad quam remissionem completam, propria fides paralytici non suffecisset.

Vnde putandum eſt, illum ob fidem propriam fuiſſe conſequutum remiſsionem, D
quo ad culpam & pœnam æternam fide autem aliorum adiuncta, conſequutum eſſe plenam peccatorum remiſsionem. Et hoc aliud eſt, quàm gratiam primam, per aliorum fidem, eum conſequutum eſſe, vt patet.

Ad II. Ad secvndvm, Vt cùm defeceritis &c. dicendum, quòd (ſalua pace) nõ rectè exponitur per Adrianum, quod dicitur, ſcilicet, vt dum defeceritis, id eſt, à charitate cecideritis: cùm aliter cõmuniter exponatur, ſcilicet, vt cùm defeceritis à vita præſenti, pauperes, quibus benefeciſtis, in æterna tabernacula vos recipiant. Aut ſic; vt cùm defeceritis, id eſt, vt quando vos, per vos ipſos, regnum Dei introire non ſuffeceritis, ex quo in hoc ſæculo pro delictis non ſatisfeciſtis, illi per ſuas interceſsiones vos iuuantes, recipiant vos. Quod certè ſaluatur abſq; hoc, quòd illi pauperes impetrent gratiam & gloriam directè ipſi benefacienti;

Ad III. Ad tertivm, ex Ambroſio adductum, dicendũ, quòd impertinenter citatur: Nam ipſe ſignificat excellentiam operum miſericordiæ ſuper exercitium corporale, quod eſt ieiunium, vigiliæ &c. dicens, quòd peccator, qui in lubricum carnis etiam mortale ceciderit, iuſtificabitur, & non peribit, ſi miſericordiam faciat, qualiter non iuſtificabitur, ſed potiùs peribit, ſi ſolùm corporale exercitium faciat. Quod pro tãto videtur dixiſſe, quia miſericordia proximo impenſa ſi ſit, ſicut fieri debet, procedit ex charitate fraterna, quæ ſi vera ſit, ſine charitate Dei haberi non poteſt; vt alibi latè exponendo Auguſtinum deduxi. Quam charitatem non ita requirit corporale exercitium. Quod ſic acceptum, certè impertinens eſt, ad probandum opinionem prædictam. E

Ad IIII. Ad Qvartvm ex prima Ioannis 5. Qui ſcit fratrem ſuum &c. dicendum, quòd dimiſsis aliis expoſitionibus, peccatum ad mortem dicitur, in quo quis decedit impœnitens, ſeu volens: hoc autem ſciri poteſt ab effectu: vt ſi videamus fratrem ſeipſum gladio interimere, aut ſeipſum ſuſpendere, aut præcipitare, mortè illicò ſubſequuta; dicitur tunc peccare ad mortem: quia poſt illud peccatum perpetratum, nil aliud ſperari de illo poteſt, quàm mors æterna, cùm pòſt non ſit locus reſipiſcendi. Dicitur etiam econtrà peccare non ad mortem, quando in vita peccat, & poſt peccatum, videmus ſibi ſupereſſe tempus, vt conuertatur, & viuat. Pro his dicit Ioannes orandum eſſe, & dabitur illi vita. Verùm hoc non probat, quòd ad orationẽ alterius dabitur illi vita, ſine pœnitẽtia ipſius. Alioqui impertinens videretur, quòd poſt peccatum commiſſum ſuperſit ſibi tempus pœnitendi, ſi ſine pœnitentia poſſet poſt peccatum vitam habere. Itaque in caſu, id quod per orationem impetratur ei, qui peccauit non ad mortem, non eſt vita immediatè, ſed pœnitentia, ad quam ſequitur vita.

Ad V. Ad qvintvm ex Canonica Iacobi 5. Infirmatur quis in vobis &c. dicendum, quòd locus ille communiter intelligatur de Sacramento extremæ Vnctionis, quod valet ex opere operato ad ſalutem vncti. Et oratio illa fidei, de qua textus ait, quòd ſaluabit infirmum, poteſt accipi pro oratione, quam vngens dicit, quę eſt forma efficax ipſius Sacramenti; in qua dicitur: Per hanc ſanctam vnctionem, & Dei piiſsimam miſericordiam indulgeat tibi Deus, quicquid peccaſti, per guſtum &c. Quòd ſi de oratione multorum presbyterorum, illic pro ſalute infirmi orantium, velis id accipere, dicendum; quòd talis oratio ſaluabit mediatè infirmum, vt dictum eſt, mediante ſcilicet eius pœnitentia, illi per orationem impetrata. Quòd enim oratio illa valeat illi infirmo in peccato mortali exiſtenti ad ſalutem animæ immediatè, ſecluſa eius immediata diſpoſitione, abſurdum videtur. F

Reſolutio propoſitæ quæſtionis, orationẽ ſcilicet ad primam vel ſecundã gratiam alteri immediatè nõ valere, ſed tãtùm mediatè.

Probatur I.

Videtvr ergo reſolutoriè, quòd oratio vnius pro altero fuſa, non valet ei immediatè ad primam gratiam, nec ad ſecundam, ſed tantùm mediatè; quia ſcilicet tali oratione inclinatur Deus ad mouendum eum, pro quo oratur, vt ſe diſponat diſpoſitione, qua dignus ſit gratiam promereri; non tamen de lege vltra gratiam propriæ diſpoſitioni reſpondentem, aliam ob merita vel orationem alterius impetrabit. Et cùm prima pars certa ſit, videtur pro ſecunda hac vltima facere illud Ezechielis 18. vbi latè dicitur, quòd filius non portabit iniquitatem patris, nec iuſtitiam; nec econtrà. Et iuſtitia iuſti ſuper eum erit, & impietas impij ſimiliter erit ſuper eum. Vbi in toto cap. id ſatis apertè docet, quòd vnus non reportabit gratiam, nec gloriam, aut vitam, propter iuſtitiam alterius. Sicut nec vnus portabit ſupplicium propter peccata alterius. Sed ſi vnus poſſet

alteri

A alteri immediatè impetrare gratiam primam, aut secundam, & ex consequenti gloriam correspondentem, falsa videretur præfata sententia.

II. Facit ad idem, quod ait Paulus 2. ad Corinthios 5. Omnes stabimus ante tribunal Christi, & reportabit vnusquisque secundùm ea, quæ in proprio corpore gessit; non secundùm ea, quæ per alium facta fuerint. Huius oppositum fieret, si vnus posset de lege alteri mereri gratiam, vltra gratiam correspondentem propriis operibus illius alterius, vt satis de se constare videtur. Restat ergo quod dictum est.

Quomodo prædictæ opiniones concordari possint.

Si tamen aliquis omnino contendens, velit oppositum asserere, aut sentire, scilicet, quòd homo posit oratione sua alteri gratiam gratum facientem, & ex consequenti gloriam impetrare vltra eam, quam ille alter propriis operibus erat consequuturus, nollem contradicere, neque tanquam hæreticum condemnare, cùm videam hæc, quæ nuper allegata sunt, taliter posse intelligi, vt sic opinantibus non præiudicent. Nam si rectè attendamus, textus Ezechielis suprà citatus, hoc prætendere videtur, scilicet, quòd vnicuique tam pio quàm impio, in Dei iudicio, iustitia fiet, taliter, vt præmium, quod quis meruit, in alterum non transferretur, sed illi reddetur: & supplicium, quod quis meruit, similiter illi dabitur, non alteri, quodque vnicuique reddetur, prout meruit, siue bonum, siue malum. Sic enim initio capitis significatur, quia querebantur Iudæi, quòd pœnam, quæ patribus suis debebatur, ipsi luerent. Dicebant enim, patres nostri comederunt vuam acerbam, & dentes filiorum obstupescunt. Et ad hoc excludendum ponuntur omnia, quæ in hoc textu dicta sunt. Et in fine capitis concludit: Idcirco vnumquemq; iuxta vias suas iudicabo. Ex quibus patet, quid in dicto capite prætendatur, scilicet, quòd pœna aut præmium vni debitum, illi reddetur, & non alteri, idq; de iustitia. Cum hoc tamen stat, quòd etsi de iustitia non debeatur alicui gratia, aut gloria ob orationem alterius, quòd ex liberalitate Dei illi conferatur, modò pœnitentiam, debitamq; dispositionem non omittat; nam per illam dignificabitur, saltem de congruo, vt alterius oratio illi ad gratiam prodesse valeat.

Soluuntur rationes pro secunda sententia allatæ.

Ad I.

B

Ad II.

Similiter ad textum Pauli posset responderi, non enim intendebat Paulus excludere Dei liberalitatem; qui potest ob merita vnius, alteri gratiam præstare, & gloriam: sed iustitiam Dei volebat manifestare, scilicet, quòd neminem præmio, aut supplicio illi debito defraudabit, tanquam iustus iudex; qui non solùm opera, sed & corda æquissimè iudicet. Cum quo stat, quod dictum est, scilicet, quòd reseruata vnicuique iustitia sua, aliquibus, ob aliorum merita, ex sua liberalitate, abundantiorem gloriam & gratiam conferat: iuxta id quod dixit Christus ipse in parabola patrisfamiliâs: Amice, non facio tibi iniuriam, accipe quod tuum est, & vade. An non licet mihi quod volo facere? An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum? Vnde de beato Nicolao legitur, quòd astantium precibus, cùm baptizaretur, abundantem gratiam recepit.

C

Alterius dubij Solutio.

Sed ad vlteriora transeundo, esset dubium, an incertum sit, orationem vnius valere alteri ad alia bona, citra gratiam. Et videtur quòd sic, quampluribus exemplis Scripturæ. Quòd cùm certum sit tam ex dictis, quàm ex dicendis, nolo hîc immorari, sed ad aliud transire, scilicet, cuius, & pro quo, debet esse illa oratio, quæ alteri valitura est. Est enim quadruplex huiusmodi oratio pro altero fusa, scilicet, iusti pro iusto; iniusti pro iniusto; iusti pro iniusto; iniusti pro iusto. De ea enim, quæ à iusto pro iusto, siue viuo, siue defuncto fit, non est dubitatio. De ea verò, quæ fit à iusto pro iniusto, similiter certum esse non dubito, eam sæpe validam esse ad mali remotionem, & boni collationem, vt Genes. 19. Recordatus est Dominus Abraham, & liberauit Lot de subuersione vrbium, in quibus habitauerat. Et Exodi 17. Quamdiu manus leuabat Moyses, vincebat Israël: quoties verò remittebat, vincebat Amalec.

Aliud dubium.

Qualis esse debeat oratio alteri valitura?

Oratio pro altero fusa quadruplex esse potest.

Respōsio quò ad duo priora mēbra.

Aliæ probationes pro secundo membro.

I. Verum in his oratio non pro iniustis, sed pro iustis valebat, ideò adduco alia. Nam Genes. 18. orante Abraham Deum, ne vrbes Sodomitarum disperderet, dixit Deus: Si aliquot iustos, etiam si decem tantùm ibi reperero, non delebo illos. Quod tractās Ambrosius lib. de Abraham, cap. 6. ait: Hic discamus quantus amicus patriæ sit iustus, & quemadmodum non debemus inuidere Sanctis, neque temerè derogare: illorum enim nos fides saluat, illorum iustitia ab excidio defendit.

Item

II. ITEM Exod. 32. Deus ira succensus, erat perditurus filios Israël, & tamen precibus Moysi placatus est. Quod & in Psal. dicitur: Dixit, vt disperderet eos, si non Moyses electus eius stetisset in confractione in conspectu eius. D

III. PATET etiam ex eo, quod dixit Dominus ad Abimelech: Redde vxorem viro suo, & orabit pro te, quia Propheta est, & viues. Pro quo etiam facit, quod habetur in libro Iob, quòd Dominus conuersus est ad pœnitentiam Iob, cùm oraret ille pro amicis suis, contra quos Dominus fuerat iratus.

Obiectio duplex. I. SED ARGVES contra hoc, primò ex eo, quod dixit Dominus ad Hieremiam, cap. 7. Tu ergo noli orare pro populo hoc, quia non exaudiam. Respondetur: Hoc ideò erat, quia iam erat Dei sententia aduersùs illos determinata; tunc enim non valet orare.

II. SECVNDO obiicies id, quod habetur Matth. 10. Intrantes domum dicetis: Pax huic domui. Et si digna fuerit, pax veniet super eam; sin aũt, reuertetur ad vos. Respondetur: Duobus modis aliquis dicitur indignus Dei beneficio, negatiuè scilicet, & hoc commune est omni peccatori: Et positiuè, scilicet, si actu, vel voluntate Deum offendat. Primo modo, oratio auditur pro indignis, vt patet ex dictis: Secundo modo non; maximè cùm Dei sententia certa sit aduersùs eos, ob certam culpam. Vel dici potest, quòd si is pro quo oratur, taliter indignus sit, in quo nullum opus bonum, in gloriam Dei factum, nec bonus in Deum zelus reperitur; & pro taliter indigno oratio fusa non valet. Si autem taliter sit indignus, quòd cùm sine charitate sit, attamen in eo soleãt opera & zelus in Deum reperiri, tunc pro tali orare, vtile est. Et fortè Christus loquebatur de indignis primo modo.

Solutio vtriusque.

Alia solutio. E

Responsio quo ad posteriora duo membra propositi dubij.

DE ORATIONE verò, quæ fit ab iniusto pro iusto vel iniusto, esset simile dubium, An valeat ei, pro quo oratur. Et breuiter videtur distinguendum. Vel enim ille iniustus orat in persona Ecclesiæ, quia minister est eius: vel in persona alterius iusti, qui orationem sibi commendauit: vel in persona sua. Si primum aut secundum, valet oratio eis, pro quibus fit, etiamsi à peccatore fiat. Quia quamuis non habeat valorem ex opere operantis, habet tamen ex parte illius, in cuius persona dicitur oratio. Si tertium, tunc non ita valet, vt dicunt Thomas, Durandus & cæteri. Quia nec ex opere operato, nec operantis: non inquam valet alteri saltem ex iustitia, quanquam ex liberalitate ipsius Dei, potest à Deo acceptari ad bonum aliquod temporale præstandum alteri, pro quo fit. Sicut opera in peccato facta, alioqui bona, solent à Deo acceptari ad prestandum bonum aliquod ipsi operanti, vt suprà sæpe deduximus.

Alia dubitatio. INDE TAMEN oritur dubium, supposito, quòd oratio vnius iusti sæpe valet ei, pro quo fit; An valeat ei per viam meriti, an per viam impetrationis liberalis, an per viam satisfactionis. Et quidem de primis duobus non ita dubitatur, sed tenendum est quòd valet, non per viam meriti de condigno, ita vt Deus astrictus sit ex iustitia id reddere, quod petitur, sed per viam liberalitatis. De tertio verò dicunt aliqui, quòd valet alteri per viam satisfactionis & iustitiæ. Quia cùm oratio, eò quòd pœnalis est aut difficilis, est satisfactoria & solutiua pœnæ debitæ ei, qui orat: maximè si in charitate oret, & in eius potestate est, vim satisfactionis in alterum transferre; sequitur, quòd illi alteri cedit in solutum. Addit tamen Adrianus, dummodò ille alter similiter sit in gratia. F

Quatenus oratio iusti valeat illi, pro quo fit.

Resolutio I.

POTEST exemplo id confirmari; si Petrus debet Ioanni decem ducatos, & vnus alius velit eos pro Petro soluere, satis fit illi de iustitia. Ita igitur hîc.

Resolutio II. authoris. RESPONDETVR, Video solutionem cõmunem satis, sed mihi non omnino placet, nec etiam exemplum. Patet supposita terminorum intelligentia, quòd homo non dicitur satisfacere Deo de iustitia, nisi quia Deus, ex lege saltem astrictus est, illam satisfactionem loco debiti acceptare. Nam si acceptat merè liberaliter, non est satisfactio ex iustitia: sed Deus in lege non se obligauit ad acceptandum orationem vnius, aut aliud opus pro altero, etiamsi congruum sit, quòd acceptet, vt amicis condescendat: igitur vnus non satisfacit Deo offenso pro altero de iustitia. Quod patet ex exemplo superius posito. Si secundum legem humanam aliquis criminosus debet iudici centum flagella, & vnus alius volens illum à flagellis liberare, in seipso, etiam iudice sciente, illa centum flagella spontè suscipiat, certè ille non satisfacit iudici de iustitia pro illo altero criminoso; quia iustè potest iudex procedere contra criminosum præfatum, non obstante facto alterius. Ita igitur in proposito; cùm peccator ob culpam etiam dimissam, sit Deo debitor pœnæ seu vindictæ,

Probatur.

Confirmatur.

A vindictæ, per ipsum, vel tortores suos, sumendæ, si alter velit opus pœnale pro illo subire; non video quomodò sit Deus astrictus, id loco debiti acceptare.

Respōdetur ad exempli prioris sententiæ.

Discrimē inter debitum reale, & debitum pœnale.

NEC EXEMPLVM allegatum videtur simile: aliud enim est debitum reale, quod homo homini debet, aliud debitum pœnæ ob culpam, quod homo Deo debet. Primum tale est, quòd per quemcunque nomine debitoris soluatur, manet solutum, & res est ad æqualitatem redacta. Debitum verò pœnale ob culpam, non ita de rigore manet per alium solutum, nisi per ipsum, aut in ipso, qui peccauit, soluatur. Quòd si iudex offensus, alterius solutionem velit acceptare, erit hoc ex gratia, & non ex iustitia strictè sumpta, secùs largè sumpta, vt suprà dictum fuit. Nec obstat, quod dicitur: Quod quis per alium facit, per seipsum facere videtur. Quia etiamsi ipse debitor pœnæ per seipsum oraret, non se quitaret ex iustitia; nisi accedente Dei liberali acceptatione. Si enim Deus se in lege obligasset, aut promisisset se fore contentum, quòd loco offensæ eidem factæ, offendens, vel per se, vel per alium, aliquod opus pœnale subeat, bene quidem, sed hoc esset ostendendum.

De valore orationis pro multis fusæ.

B *QVÆSTIO XX.*

An oratio pro multis fusa tantum valeat vnicuique, quantū valeret, si pro quolibet diceretur?

Sentētia prima affirmatiua.

DE VALORE ORATIONIS pro multis fusę, solet esse quęstio, An tantum valeat vnicuique eorum, quantum valeret, si pro vnoquoq; seorsum diceretur. In quo vulgata est controuersia inter Præpositiuum, & Scotum. Tenet Præpositiuus partem affirmatiuam, scilicet, quòd non minùs valet vni eorum per hoc quòd pro illo, & pro aliis multis effunditur, eò quòd vnusquisque eorum, pro quibus oratur, supposita eorum dignitate, recipit totum valorem orationis. Ratio positionis est primò; quia bonum spirituale proportionatur spiritui: sed spiritus totus communicatur, & non per partes: non enim minùs habet de anima caput per hoc, quòd pedi & manui communicatur, cùm tota sit in qualibet parte. Igitur etiam bonum spirituale totum absque sui diuisione communicatur, cuicunque communicatur.

Ratio prima.

Reiicitur.

Discrimē inter spiritum & bonum spirituale.

SED HAEC ratio non probat quod vult, cùm discrimen inter spiritum, & bonum spirituale sit apertum. Spiritus enim indiuisibilis est, ideò non potest per partes communicari, vt constat. Bonum autem spirituale, quod per orationem alicui communicatur, diuisibile est, & partitionem admittit, siue sit collatio boni, siue remotio mali. Patet manifestè de collatiōe boni, seu de bono collato, siue sit charitas, siue virtutes Theologales, siue morales, siue alia dona positiua creata. Certum est ea omnia diuisibilia esse, C saltem intensiuè. Vnde potest gratiæ aut virtutis vnus gradus communicari vni, & alius alij. De malo etiam remoto idem patet; puta de pœna debita alicui pro peccatis suis, quæ, quo ad intentionem & durationem, partibilis est. Vnde, si valet oratio ad remittendum decem gradus pœnæ debitæ, nil inconuenit vni homini remitti vnum gradum, alij alium. Quòd si bonum spirituale proportionatur spiritui, non erit in eo, quod dictum est, de communicatione per indiuisibilitatem, vt patet.

Ratio secunda.

SECVNDO idem probat à simili de candela coram multis accensa, quæ æquè illuminat omnes præsentes. Et vox coram multis prolata, æquè ab omnibus astantibus auditur. Sic igitur dicit, orationem omnibus, pro quibus fit, æquè prodesse.

Reiicitur.

VERVM nec hæc ratio probat: tum quia eodem modo probaretur, quòd oratio valet æquè his, pro quibus non fit, sicut his, pro quibus fit. Nam candela si solùm accendatur ad illuminandum vnum, non minus illuminat reliquos astantes. Et vox doctrinæ, si solùm dicatur ad docendum vnum, non minùs reliqui astantes docebuntur. Tum etiam dissimilitudo est nota: nam candela, & vox à natura sua efficiunt effectum in passum æquè appropinquatum: Oratio autem non nisi ex intentione orantis, & voluntate Dei orationem acceptantis: ideò stat, quòd oratio non æquè prosit multis, nec vni quantum si pro illo solo diceretur.

Ratio tertia. TERTIO idem probat ex Decreto Hieronymi de consecratione, distin.5.cap. Non mediocriter. dicentis: Cùm Psalmus vel Missa pro cunctis animabus dicitur, non minùs, quàm si pro vnoquoq; diceretur, accipitur. D

Reiicitur. HINC TAMEN non sequitur, quod prætendunt, stando in his verbis, quæ (dimissis aliis Glossis) in se sumpta, hoc videntur directè significare, scilicet, quòd Psalmus, vel Missa æqualem habeat valorem, si pro vno solùm dicatur, ac si pro multis. Quod intellectum de valore Psalmi, vel Missæ ex opere operato, videtur verum. Et quòd non intendat Hieronymus dicere, quòd tantum valet vnicuique ex opere operato vna Missa dicta pro multis, quantum valeret, si pro vnoquoque sua Missa diceretur, videtur manifestum. Clarum enim est, ex multis Missis plus commodi animas portare, quàm ex vna sola. Sed comparat Missam dictam pro vno, ad Missam dictam pro cūctis. Et dicit, quòd idem est vtriusque valor & fructus. Hoc videtur sensisse Adrianus, respondendo ad hanc authoritatem Hieronymi.

Explicatio illi' Decreti. VNDE attendendo seriem Decreti, videtur Hieronymus intendere eos reprehendere, qui volentes multis animabus per orationes aut Missas proficere, multiplicant Psalmos, & Missas, idque cum suæ incolumitatis detrimento, & cum magno fastidio; cùm tamen satius esset, & vtilius paucos Psalmos & Missas pro cunctis, quibus sacerdos prodesse cupit, dicere cum cordis hilaritate, & conscientiæ puritate, quàm Psalmos & Missas multiplicare, cum cordis mœstitia, & anxietate. Et ita intendit, quòd homo plus prodesset multis, quibus prodesse cupit vnam Missam pro multis dicendo cum cordis puritate & hilaritate, quàm pro singulis eorum Missas cum anxietate celebrando. Et loquitur, seu intelligendum est, de valore procedente ex opere operantis, & non ex opere operato. Quod inde patet, quia ad valorem ex opere operato parùm refert cordis hilaritas & serenitas. Tum etiam, quia loquitur de Psalmo & Missa indifferenter. Psalmus autem non ita valet, vt videtur, ex opere operato, sicut Missa: Igitur de valore ex parte operantis loquitur. E

Oppugnatur etiam absolutè sententia prædicta. I. EX HIS apparet, fundamenta opinionis nō sufficere ad eius probationem: sed nec ipsa opinio in se videtur multùm rationabilis, si indistinctè dicatur de valore orationis, quatenùs valet ad remissionem pœnæ, seu ad satisfaciendum, & quatenùs valet ad collationem boni. Nam valor orationis per viam satisfactionis, finitus est & determinatus; quia tollit de pœna aliquid æquiualens ei, quatenùs satisfactoria est. Non igitur cedit in solutum æqualiter pro multis, sicut pro vno solo cederet. Vt si sint decem debitores, quorum quilibet debet decem, & Petrus soluat decem creditori, certè hoc cedet in solutum ex iustitia pro vno tantùm adæquatè; & si pro multis, opus est vt per singulos solutio diuidatur, vt satis de se constat. Sic in proposito.

II. De collatione etiam boni, quod confertur eis, pro quibus oratur, non videtur omnino certum, quòd scilicet vnusquisque tantum recipiat, ac si pro illo solo funderetur oratio: Nam quæro, an bonum illud sit ex iustitia debitum pro tali oratione, & ei cui applicatur reddendum, an solùm per viam gratiæ & liberalitatis donetur? Si primum, vnicuique merito determinato suum præmium determinatum & finitum debetur, & illud in multis diuisum, nulli plenè concedetur, vt patet, sicut si pro vno solo esset oratio fusa, & applicata. Si secundum, nulla est certitudo ad quantum bonum, & pro quibus velit Deus orationem illam acceptare, vt manifestum est. Non igitur est certitudo in hac opinione, sed vel falsa vel incerta, ne dicam temeraria, videtur. F

III. PRAETEREA si oratio vel Missa tantum valeret vnicuique eorum, pro quibus sit, quantum, si pro eo solo diceretur, magna videretur incuria & negligentia sacerdotis, & meritò culpanda, si, cùm pro vno orat, aut Missam celebrat, non id pro omnibus facit: cùm per hoc, quòd pro omnibus id faceret, nec ille vnus quicquam fructus orationis perderet, & cæteri alij tantundem lucrarentur.

Pro altera sententia notandum. SCOTVS dicit, omnem orationē seu opus meritorium cuiuscunq; tripliciter valere:
I. scilicet, specialissimè, & valet ipsi, qui meretur;
II. Generalissimè, & valet toti Ecclesiæ;
III. Et medio modo, & valet ei, cui is, qui orat aut meretur, vult huiusmodi orationem applicare.

Primus Valor orationis. Et primum, scilicet, specialissimum valorem non potest ipse orans alteri à se applicare; nam contra charitatem ageret, quæ à se incipit, & contra Dei institutionem, qui vnicuiq; oranti, aut bene merenti suum promisit præmium: quandoquidē vnusquisque sui operis

A operis, fructum reportabit. Secundum valorem, scilicet generalissimum etiam orans non potest à tota Ecclesia amouere, & particulariter, cui velit, applicare. Esset enim hoc etiam contra charitatem, quę omnia amicorum communia facit; & omnis iustus est particeps omnium bonorum operum, quæ in Ecclesia fiunt, prout significat Psalmista, dicens: Particeps ego sum omnium timentium te &c. Et videtur inter omnes iustos quædam charitatis contracta societas, quibus est vnus Dominus, vna fides, vnum Baptisma, & vna & communis dilectio, qua se mutuò vt seipsos diligere debēt; ideò mutuò sibi sua merita communicant; non tam ex voluntate humana, quàm Dei iussu, qui hanc mutuam dilectionem eos inter se habere præcepit. Et ita cùm orare eos doceret, ab oratione singularitatem amouit, &, vt generaliter pro omnibus orarent, docuit: vt patet in oratione ipsa Dominica, qua petitur: Dimitte nobis &c. Libera nos &c. Da nobis hodie &c. Vbi semper in plurali ponuntur petitiones, nō in singulari. Et quanquam multi iusti orationes ad Deum singulariter, vel pro se, vel pro amicis expresse fundant; tacitè tamē, & habitualiter omnes alios iustos includunt. Nec intendunt, quenquam à præfata sancta societate excludere. Tertium autem valorem medium, potest ipse orans, seu opus meritorium faciens, applicare sibi, aut aliis, quibus velit. De quo aliâs. *Secundus orationis valor.* *Tertius valor orationis.*

ET QVOD hic tertius valor ponendus sit vltra specialissimum, & generalissimum, apparet; quia si non valeret oratio aut Psalmus aut Missa, nisi illis duobus primis modis; B superfluè igitur in Ecclesia essent ordinatæ Missæ pro viuis specialiter, & aliæ pro mortuis: & inter viuos aliæ pro his, aliæ pro aliis, si non valeret eis nisi generalissimè. *Necessitas huius tertij valoris.*

SI DICAS, quòd quando specialiter applicantur alicui, aut aliquibus, non recipiunt tantum omnes generalissimè, quantum aliâs reciperent: & ita quod illis subtrahitur, datur aliis, pro quibus specialiter dicuntur. Verùm hoc irrationabile est, & contra charitatem, & sanctam præfatam societatem dicere, quòd vt his, aut aliis specialiter proficiamus, oportet de bonis aliorum, & eisdem ex lege charitatis debitis subtrahere. Et ita apparet, huiusmodi medium valorem nulli ex iustitia esse debitum, nisi cui ipse operans applicauerit. *Obiectio.* *Solutio.*

HIS PRAEMISSIS, respondet, quòd oratio non tantum valet vni pro multis fusa, quantum valeret illi, si pro illo solo funderetur. Cuius ratio est; quia hic valor medius finitus est, cùm correspōdeat finito merito, scilicet, ipsius operantis (quia de valore medio proueniente ex opere operantis procedimus nunc, quanquam idem dicat de valore medio, procedente ex parte Ecclesiæ, si in persona eius oratio fiat.) Et cùm ait, quòd nō tantum vni pro multis fusa &c. procedit tam per viam satisfactionis, quàm per viam alicuius boni impetrationis; quia per meritum finitum, seu satisfactionem finitam, finita & determinata pœna remittitur; quia fit satisfactio per solutionem æquiualentis. Bonum, etiam, quod per orationem impetratur, etiam infinitum est, cùm merito finito correspondeat; & ita communicatum multis, non recipiet vnus, quantum reciperet, si illi soli C totum communicaretur, cùm partitionem admittat, vt suprà dictum fuit. Hæc est opinio cum potissimo fundamento. *Sententia II. Scoti negatiua prædictæ quæstionis.* *Ratio.*

HABET tamen hæc opinio dubia contra se. Primò, de illo valore generalissimo videtur, quòd non solùm iustis, sed peccatoribus fidelibus deberet communicari: Quia cùm præfata charitatis societas fundetur in mutua dilectione, qua vnusquisq; alterum, vt seipsum, diligere debet: hæc autem dilectio non solùm ad iustos, sed etiam ad peccatores se extendit: Iustus enim omnes proximos tenetur ex charitate diligere, & neminem potest excludere: Cùm etiam videamus Ecclesiam pro peccatoribus orare, sicut & pro iustis, quæ sponsum Christum imitatur; qui pro peccatoribus venit, orauit, & passus est: Sequitur quod illatum est. *Variæ obiectiones cōtra dictā Scoti sententiā. I.*

DEINDE ille valor generalissimus est finitus, an infinitus? Non secundum; quia tunc vnusquisque participantium reciperet bonum infinitum, ad minus aliquis eorum, imò si omnes sint æquè dispositi, recipient æqualiter de illo bono infinito: & cùm finiti sint participantes, necesse est vnumquemq; infinitum bonum recipere: Adde, quòd merito finito, non correspondet nisi bonum finitum. Non igitur est dandum secundum. Si primum detur, scilicet, quòd sit finitus valor, sequitur, quòd quantò plures sunt iusti in Ecclesia Dei, tantò minùs vnusquisque participabit de præfato valore generalissimo, & ita noceret ex hac parte iustis, quòd in Ecclesia crescerent iusti. *Obiectio II.*

Soluitur replica quædam. SI DICAS, non ſequitur, quia quantum ex vna parte diminuitur iuſto de præfato valore vnius meriti, tantum, & fortè plus creſcit illi ex maiori numero iuſtorum, qui plura addent merita omnibus communia. Sed contrà; nam pono, quòd numerus iuſtorum, qui de nouo apponitur, non ſit niſi numerus paruulorum, qui baptizentur. Hi non habent merita, quæ aliis communicent. D

DEINDE, ſi ſolis iuſtis in gratia exiſtentibus communicaretur ille valor generaliſſimus, & non his, qui gratia carent; ſequitur, quòd quantò quis maiorem gratiam haberet, tantò plus de præfato bono participaret: & quantò quis minorem gratiam haberet, tantò minùs participaret: & ita his qui paruam gratiam habent, præiudicarent alij iuſti maiorem gratiam habentes. Dico, cæteris paribus.

Tertia obiectio. PRAETEREA illud bonum generaliſsimum eſſet dubium, quale, & quid ſit, an gratia gratum faciens, an ſolùm alia bona diuinitùs data, an ſolùm pœnæ peccatis debitæ remiſsio? Si gratia gratum faciens, ſequitur, quòd aſsiduè creſcit charitas infuſa & gratia in paruulis baptizatis, quia in Eccleſia aſsiduè fiunt opera meritoria: & ita non ſtaret paruulum in ſola gratia baptiſmali decedere. Similiter adultis, ſaltem iuſtis, etiam cùm dormiunt, augeretur ſemper gratia & charitas: & cùm gratiæ & charitati ſua gloria correſpondeat, ſequitur, quòd homo reportabit finaliter in iudicio gloriam eſſentialem ex alienis meritis prouenientem: cùm tamen dicat Paulus, quòd vnuſquiſq; ſecundùm ſua opera reportabit, non ſecundùm aliena. Et iterum: Vnuſquiſq; ſecundùm ſua opera iudicabitur; quia opera illorum ſequuntur eos, vt ſuprà tangebatur. Et ſicut filius nõ portabit iniquitatem patris, ita nec iuſtitiam, vt dicit Ezechiel. E

SI VERO illud bonum generaliſsimum ſit aliud citra gratiam & gloriam, quęro: vel debetur ex iuſtitia, vel datur ex gratia? Primum non apparet, quia Deus non legitur ſe obligaſſe, aut promiſiſſe ob aliquorum merita bonum dare aliis generaliter, etiamſi promiſerit ſe remuneraturum operãtem ipſum. Si datur ex gratia & liberalitate ipſius Dei; ſequitur incertum omnino eſſe, quod opinio dicit, de illo valore generaliſsimo, quòd omnibus de Eccleſia determinatè communicatur. Quamuis enim ſæpe legamus, Deum, ob quorundam preces & merita, aliis multa bona dediſſe, à multisq; damnis alios eripuiſſe: ita econtrà legimus, iuſtorum merita & preces aliis, pro quibus fundebantur, minimè profuiſſe. Et ſicut Deus in lege Euangelica non promiſit ſe orantem exauditurum, niſi pro ſe oraret, ita non promiſit remuneraturum niſi operantem. Quòd ſi in caſibus particularibus Deus alicui bonum, ob alienum meritum & orationem, promiſit, tunc illi ob illam promiſsionem eſſet de iuſtitia reddendum. Vti promiſit Deus Abimelech ſe bene facturum ob orationem Abrahę. Et promiſit ſe amicis Iob condonaturum, ad preces ipſius Iob. Attamen quòd generaliter bona temporalia, aut ſpiritualia toti Eccleſiæ promiſerit, ob quodcunque meritum viatoris, non ita apparet. Eſſet tamẽ hoc ampliùs inquirendum. F

Quarta obiectio. PRAETEREA de valore illo medio, qui communicatur ex intentione orantis, ſeu bene merentis, eſſet dubium ſimile priori. Vel eſt gratia gratum faciens, vel aliud bonum. Si primum, ſequitur, quòd contra charitatem agit ipſe qui orat, & bonum opus facit: applicãdo valorem illum alteri, cùm aliâs ſuus eſſet. Nam ſi quis ſuam gratiam & gloriam correſpondentem velit amittere, & in alterum transferre, cõtra propriam charitatem agere videretur.

SI DICAS, quòd priuare ſe tota gratia, & gloria, vt alteri tradatur, eſt contra propriam charitatem: priuare autem ſe aliqua gratia & gloria, dummodò non omni, vt alteri tradatur, charitatis fraternæ eſt. Contrà; tunc ſequitur, quòd iuſtus poſsit ex charitate fraterna velle priuari valore ſpecialiſsimo, vt fratri tradatur, dummodò aliũde ipſe, vt ſuppono, habeat gratiam. Quod eſt contra opinionem.

PRAETEREA, vel gratia illa debetur ex iuſtitia, vel datur ex gratia. Si primum, certè non debetur niſi operanti, iuxta promiſsiones Dei in Scriptura contentas, & ita valor medius non prodeſt aliis, ſi gratia ſit. Si datur ex liberalitate, iterum incerta eſt opinio, in eo, quod de valore medio aſſerit: quia incertum eſt, quid Deus velit facere, aut facturus ſit ad orationem, ſeu meritum alicuius, niſi per Scripturam, aut reuelationem Dei conſtet; cùm id ex ſua liberalitate pura pendeat. Vbi igitur non habetur reuelatio,

A nec in ſcriptura promiſsio, aut doctrina certa, quomodo poteſt illud tanquàm certum affirmari? Et eadem ratio procedit, ſi dicatur, illum valorem medium eſſe aliud bonum à gratia gratum faciente.

V. Obiectio.

ITEM IN principali videtur non ſatis ſibi conſtare, dicens, quòd oratio, aut Miſſa (loquendo de valore hoc medio) plus valet vni, ſi pro illo ſolo fiat, quàm ſi pro multis, & tamen dicit poſteà, quòd poſtquàm eſt Miſſa applicata vni in primo gradu, ſi aliis applicetur in aliis gradibus ſubſequentibus, quòd valet illis; & nil primo præiudicatur aut detrahitur. Contrà, nam ſi ſoli primo applicaretur, & nulli alij in aliis gradibus, totus valor medius Miſſæ vel orationis communicaretur illi. Si tamen aliis applicetur in aliis gradibus ſequentibus, certè vel illis de valore illo medio nil communicabitur, vel oportet illud ſubtrahere, ſeu defalcare ab illo, cui primò Miſſa fuit applicata. Niſi dicatur quòd totus valor medius, qui de iuſtitia debetur, applicatur primo, aliis verò in aliis gradibus, ſi bonum aliquod communicatur, erit quod ex gratia velit Deus illis impartiri. Sed ſi hoc dicatur, iam ſequitur, quòd valor Miſſæ medius per viam ſaltem impetrationis, non eſt determinatus, vt ipſe Scotus affirmat; ſed poterit Deus illud dare & negare, parum, & multum. Et ita poterit per viam impetrationis tantum dare ei, cui Miſſa vel oratio in ſecundo gradu vel tertio applicatur; ſicut ei, cui in primo gradu applicatur: imò & plus, ſi meliùs ſint poſteriores diſpoſiti, quàm primus.

Pro reſolutione ſuppoſitio duplex I.

B VIDETVR igitur ad quæſtionem reſpondendum; ſuppoſito, vt communiter tradunt Doctores, quòd oratio pro aliis fuſa, poteſt illis valere per viam ſatisfactionis, ſeu ſolutionis, taliter vt ei, pro quo fit, remittatur de pœna per æquiualentiam pœnæ, ſeu difficultatis, quæ ipſi orationi annexa eſt: & non plus de alterius pœna vi orationis remittatur, quàm eſſet remittendum ipſi oranti, ſi valorem orationis ſibiipſi & non alteri applicaret. Suppoſito etiam, quòd oratio valet per viam meriti de congruo ad impetrandum ex gratia Dei aliquod bonum ei pro quo oratur, prout Deo placuerit ob orationem impartiri.

Concluſio authoris pro parte negatiua per viã ſatisfactionis. Probatio.

EST CONCLVSIO, quòd per viam ſatisfactionis non tantum valet oratio alteri, quando pro multis fit, quantum valeret, ſi pro illo ſolo fieret. Concluſio eſt certa ex ſuppoſitione; quia attenta qualitate orationis, finita pœna, erat oranti remittenda, & tanta remittitur his, pro quibus oratur, in quos huiuſmodi valorem ipſe orans transferre intendit, id eſt, pro quibus ſatisfacere intendit. Igitur.

Aliud dubium. V. Oratio prò multis iuſtis fuſa, omnib⁹ æquè valeat per viã ſatisfactionis. Reſolutio verior.

SED ESSET hìc dubium; an oratio pro multis iuſtis fuſa, æquè valeat omnibus eis per viam ſatisfactionis. Et dixerunt aliqui, quòd plus valet ei, qui iuſtior eſt. Nam ex quo requiritur gratia in eo, cui debet per viam ſatisfactionis prodeſſe; apparet, quòd vbi maior fuerit diſpoſitio, plus operabitur oratio. Sicut medicina, vbi meliorem reperit diſpoſitionem, plus & meliùs operatur. Reſpondetur, quòd in caſu poteſt valere per C viam ſatisfactionis inæqualem gratiam habentibus, æqualiter, & inæqualiter, & poteſt plus valere minùs iuſto, quàm iuſtiori. Patet, ſuppoſito, quòd oratio non valet per viam ſatisfactionis alteri, niſi ſecundùm intentionem ipſius orantis. Nam ſi, cùm pro multis orat, intendit pro illis multis ſatisfacere, valor in illos transfertur, aliàs non. Et ita ſi intendit æqualiter pro illis multis ſatisfacere, æqualiter in illos valor orationis transfertur, & ſi inæqualiter, inæqualiter. Et ſi pro vno minùs iuſto intendit pluſquàm pro aliis ſatisfacere, ita fiet. Vnde exemplum de medicina non valet; quia illa operatur iuxta diſpoſitionem paſsi: Oratio verò valet iuxta intentionem orantis, ſatisfacere intendentis. Et ita impertinens eſt, ad plus pro aliis ſatisfaciendum, maior aut minor gratia in illis.

Reſpondetur ad exemplum I. ſolutionis.

Solutio cuiuſdã obiectionis.

SI OBIICIAS, ergo ad ſatisfaciendum pro altero non requiritur in altero gratia, cùm intentio ſatisfacientis ſufficiat. Reſpondetur negando conſequentiam, quia per viam ſatisfactionis & iuſtitiæ opus vnius, & oratio non valet alteri in peccato exiſtenti, ob ſui indignitatem: quia Deus non eam pro illo ex iuſtitia acceptat, ſicut acceptaret, ſi dignus eſſet. Nec illa gratia in illo requiritur, velut diſpoſitio ad effectum orationis, ſed ad tollendam indignitatem, vel obicem, ad quod ſufficit quantulacunque gratia.

Quomodò valeat oratio pro aliis fuſa per viam meriti de congruo & liberalitate Dei.

LOQVENDO autem de valore orationis per viam meriti de congruo & liberalitate gratiæ Dei, ſtat; quòd oratio pro multis fuſa, valeat tantum vni, quantum ſi pro illo

ſolo

solo fusa esset: stat etiam quod non. Ratio clara est, quia per viam meriti non valet, nisi prout Deus velit eam pro aliis acceptare. Regulariter autem acceptam eam potiùs pro iustis, quàm pro sceleratis, & potiùs pro iustiore, quàm pro non tam iusto, cæteris paribus. Nam per viam gratiæ Dei, multum valet dispositio eius, pro quo oratio funditur. D

Incertum est quantum, ad quid, & cui magis minusue valeat oratio pro aliis fusa, per viam liberalitatis Dei.

Sed quoniam Deus non est astrictus, nec ex natura orationis vel operis, nec ex promissione, qua se ad id lege aliqua astrinxerit, ad acceptandum vnius orationem pro alio, ad alicuius boni collationem, consequens est, incertum esse quantum, & cui, & ad quid valeat oratio pro aliis fusa: & cui magis, & cui minùs per viam liberalitatis & gratiæ Dei. Nisi quia rationabile est, de Deo in hac re credere, qui amicissimus, & clementissimus est, quod in homine amico & pio laudamus: sed in homine amico & pio laudamus, quòd ad vota amicorum pro amicis aliquid petentium, ad ipsorum salutem, & gloriam ipsius, à quo petitur pertinens condescendat, nulli præiudicando: Imò si non condescendat, his stantibus, videtur reprehensione dignus. Igitur credendum est Deum in simili condescendere. Si tamen non condescendat, non poterit iniustitiæ, aut culpæ argui, qui nil homini debeat, sed homo illi, qui, quicquid boni habet, absque dubio à Deo acceperit. Vnde si homo amicus in casu condescendere nolens, aliquando increpatione dignus est, ideò est, quia homo homini debere solet, & ecõtrà, & homo homine indigere solet, & econtrà: ideò amicitia hominis ad hominem sæpe exigit, vt alter in alterius vota condescendat. Non talis est amicitia inter Deum & hominem, nec talis mutua indigentia, nec mutuum debitum, vt constat. Itaque omninò liber est, ad acceptandum orationem vnius pro aliis, in tantum, & quomodo sibi placuerit. E

Discrimẽ amicitiæ hominis ad hominẽ, & Dei erga hominem.

Probatur prædicta incertitudo ex sacra scriptura.

Qvam libertatem Dei in re hac satis scriptura docet, in qua legitur Deum aliquando iniustis, propter iustorum preces & merita, pepercisse: aliquando verò non iustis ipsis ob iniustos pepercit. Vnde in Hieremia capit. 5. Circuite vias Hierusalem, & aspicite, & considerate, & quærite in plateis, an inueniatis virum facientem iustitiam, quærentem fidem, & propitius ero ei, scilicet, Hierusalem. Econtrà verò Iob. 35. Clamabunt scilicet iusti, & non exaudiam, propter superbiam malorum. Vbi glossa: Sicut aliquando Deus suos, propter inimicos, eripit, vt illi conuertantur; ita aliquando suos non audit, propter damnationem persequentium. Aliquando etiam absolutè decreuit malum aliquod immittere, cuius decretum per nullius orationem mutari potest. Sicut ad Hieremiam dixit Dominus: Tu noli orare pro populo hoc, quia non exaudiam. Aliquando verò iustos pro aliis orantes, pro ipsismet exaudit, & saluat eos, & non pro his, pro quibus orant, vt habetur apud Ezechielem cap. 14. Si bestias induxero super terram, vt vastem eam, & tres viri isti, Noë, Daniel, & Iob fuerint in ea, viuo ego, dicit Dominus, quia nec filios, nec filias liberabunt, sed ipsi soli liberabuntur.

Aliud dubium. V. Oratio magis sit meritoria pro vno, vel pro multis fusa. Solutio.

Si conferas orationem pro multis, & orationem pro paucis, vel vno fusam, & quæras, quæ earum magis meritoria sit? Respondetur, quòd cæteris paribus, illa gratior est Deo, & magis meritoria, quæ pro pluribus fit. Quia quantò charitas fraterna magis dilatatur & extenditur, cæteris paribus, magis grata est Deo. Tum idem etiam videtur ex oratione Dominica, per quam Christus docuit nos orare eo modo, quo Deo magis placeremus. Docuit autem non pro vno, aut pro paucis, sed pro omnibus orare, vt de se constat: igitur illa est gratior oratio, in qua pro multis oratur. Dico, cæteris paribus; quia aliàs, si cætera paria non sint, vel ex parte conatus, vel deuotionis, vel difficultatis, vel boni, quod aliis in oratione petimus, stabit, magis meritoriam esse orationem pro paucis, aut pro vno fusam, quàm si pro multis fundatur. F

Corollarium I.

Corollarie sequitur, cæteris paribus, gratiorem esse Deo orationem pro inimicis fusam, quàm quæ pro amicis funditur. Nam primum maioris difficultatis est, & maioris charitatis, quàm secundum, vt suprà tetigimus.

II. Inde est, quòd si quis velit pro amicis orare, & illis aliquid boni efficaciùs per orationem impetrare, assumere conuenit cum amicis aliquem inimicum, pro quo simul oret, vt sua oratio gratior & acceptior sit Deo; vnde faciliùs poterit amicis impetrare, quod petit.

A INDE FORTE Ecclesia, cùm pro aliquo specialiter celebrat, aut alicui per orationem prodesse vult, id à Deo petit in genere, pro cunctis fidelibus, aut viuis, aut mortuis orando. Quanquàm aliquando, & sæpe in particulari pro multis oret. III.

EX DICTIS patet, orationem pro vno sępe esse magis meritoriam, quàm pro multis fusam. IIII. Ratio, quia fortè ille vnus longè plus mouet affectum orantis, vt deuotionem apponat, & efficaciam, seu conatum, quàm multi in genere mouerent.

ET QVANQVAM sit, quòd oratio pro multis, cæteris paribus, sit magis grata Deo, V. & magis meritoria: non tamen inde fit, quòd sit magis impetratoria pro his, pro quibus oratur, quàm alia, in qua pro paucis oratur. Hoc ex suprà dictis apertum est: quia stat, orationem esse meritoriam, & non impetratoriam, vt patet de oratione Pauli, rogantis, vt Deus auferret illi stimulum carnis: cuius oratio meritoria fuit, sed non impetratoria. Ita stat, quòd oratio sit multum meritoria, & parùm impetratoria, etiamsi pro multis fiat. Vt si ex magna charitate fiat, erit multum meritoria: & si hi, pro quibus oratur, apud Deum indigni sint, quibus Deus petita concedat, non erit impetratoria. Stat etiã, quòd sit impetratoria vni ex his, pro quibus oratur, & non omnibus. Vt si ille vnus dignus sit, pro quo exaudiatur oratio, & non alij. Stat rursus, orationem pro multis fusam, pro omnibus audiri, & pro omnibus illis impetratoriam esse, & quòd oratio ipsa, vel parum, vel nullo modo sit meritoria. Vt si is, qui orat, paruam habeat charitatem, aut etiã nullam.
B Nam Deus aliquando orationem peccatoris audit pro aliis, sicut & pro se maximè, si oratio sit publica, in persona Ecclesiæ dicta; aut priuata, dicta in persona alterius Deo accepti.

Oratio meritoria, potest esse parum vel nihil omnino impetratoria.

Oratio pro multis fusa, potest vni esse impetratoria, & non aliis.

Oratio potest esse omnibus impetratoria, etiã si nullo modo sit meritoria.

ITAQVE velle arguere, aliquam orationem per hoc esse magis impetratoriam aut valentiorem, quòd magis meritoria sit, est inualidum argumentum. Sicut econtrà, velle arguere, quòd magis meritoria sit, per hoc, quòd magis exaudiatur à Deo, est inualidus modus arguendi, vt constat: cùm aliunde habeat oratio, quòd meritoria sit, & aliunde, quòd impetratoria.

FINIS.

INDEX
RERVM PRÆCIPVARVM
QVAE IN PRIMO HVIVS OPERIS TOMO CONTINENTVR, ORDINE Alpheti digestus.

A.

D.

E.

Deo

Ordinati

Pœnitens

R.

S.

Sacerdotes

FINIS INDICIS PRIMI TOMI.

EIVSDEM

IOANNIS MEDINAE, COMPLVTENSIS THEOLOGI CLARISSIMI

Tomus ſecundus,

IN QVO DE RESTITVTIONE ET CONTRACTIBVS ACCVRATISSIME AGITVR: VT æquus quiuis lector facilè perſpecturus ſit, neque eruditione neque perſpicuitate hunc ſecundum Tomum priori vllatenus concedere: quin & Indice locupletiſsimo & Annotationibus marginalibus ita quoque eſſe adornatum, vt quicquid ex incremento illo vel lucis vel gratiæ priori Tomo accedere potuit, id omne huic etiam Tomo cumulatiſsimè adſit.



INGOLSTADII
Ex Officina Typographica DAVIDIS SARTORII.

Anno M. D. LXXXI.

INDEX

QVÆSTIONVM, QVÆ IN HOC SECVNDO TOMO D. IOANNIS MEDINÆ, COPIOSE TRACTANTVR ET EXPLICANTVR.

Codicis de rebus restituendis

Codex de rebus per vsuram acquisitis.

QVAE-

Finis Quæstionum posterioris Tomi.

MAGISTRI ALVARI GOMECII IN COMPLVTENSI ACADEMIA LITERARVM GRÆCARVM PROFESSORIS, IN CELEBERRIMI Doctoris IOANNIS MEDINÆ, Præceptoris ſui obitum, Elegia.

NVNC ſi quando meis veniſti ſedula curis
Solatrix luctus, nunc Elegia veni.
Ille Methymneæ clariſsima gloria gentis
Occidit, & ſomno iam grauiore cubat.
Iuſti ſacra domus mœret, doctumq́; Lyceum
COMPLVTI *mœret, ſancta Minerua dolet.*
Certatim plangunt, dolor hic emanat ad omnes,
Irreparabiliter quòd ſua ſigna cadunt.
Mors ô dura nimis! nimium crudelia fata!
Et tantùm magnis inuidioſa viris!
Quæ caput attollunt, vix hæc permittitis vltrà
Surgere: ſed ſæua carpitis illa manu.
Occidit ignauus, pariter ſolertia magni,
Atque vtrunque ſimul puluis & vmbra tegit.
Quid vigilare iuuat? quid famam extendere factis?
Vnica nox cunctis imminet, vna quies.
Deſeris heu mœſtos tu nos Methymna! Magiſtrum
Quô rapitis Parcæ? Quem petit ille locum?
Digna ſuis meritis recipit nunc præmia, Verbum
In ſpeculo cernit, numina clara videt.
Quàm tibi diuerſis fulgent nunc illa figuris!
Vt reſponſa voles nunc meliora dare.
Summe Deûm rector veniam concede Magiſtro,
Ad noſtros redeat vel ſemel ille choros.
Erudiat rurſus, præſcit quod ſumma poteſtas
Non præſciſſe tamen, quo queat eſſe modo:
Numinis vnius quæ ſit diſtinctio trina,
Vt diuiſa manens eſſe feratur idem.
Iſta tamen non ſanus ego quid mente reuoluo?
Inconceſſa rogas, improbe ſiſte furor.

Ad nos non redeunt, mortis quos vincla coërcent:
Cerberus hos terret, duraq́ fata negant.
En liber, en prodit, quo sospite nempe Methymnæ
Pars melior viuit, qua cupit ille magis.
Huc properent omnes, cruciat quos vita peracta,
Quos schedulæ vexant, quosq́ tributa ligant:
Quos turpis quæstus, quos sordida techna perurit
Fraudatæ mercis, quósue retenta Ceres.
Respondet cunctis, habet hîc oracula doctus
Quæ legat, indoctis hic quoque fructus inest.

Ambrosij à Morales Cordubensis, de obitu eiusdem eruditissimi viri Doctoris IOANNIS MEDINÆ, Præceptoris sui, Epicedion.

SI quando aut lachrymis miserorum, aut dura querelis
Fata piis: iustísue queant si corda Sororum,
Humanæ quæ pensa trahunt, quæ stamina vitæ,
Fletibus, & meritis valeant mollescere dictis:
Si gemitu, aut vllis precibus Libitina moueri
Immotásue sciat mortis suspendere leges:
Nunc saltem flecti gemitu crudelia fata
Debuerant, stabilesq́ obitus nunc rumpere vices,
Cùm tibi postremos ætas iam clauderet annos,
Atque senescenti instarent cùm debita fata.
O decus, ô secli lux, ô præclare MEDINA,
Heu raperis: seraq́ licèt nunc morte quiescas,
Sera tuis nulla ast vnquam tua contigit ætas.
Heu studia heu paribus tecum consumpta ruinis
Mœsta iacent: pariter studiorum & concidit ægra
Spes, quondam simili nunquam viduata marito:
Non simili post hac vnquam socianda marito:
Si fidibus, resonisq́ modis in luminis auras
Eurydice reuocata venit: furiisq́ nouercæ
Iam Phlegetontæas æternùm missus ad vndas
Pòst referens potuit bis actæ nomina vitæ
Viribus hæc iterum mortalia visere regna:

Cur

Cur tua non ſaltem licuit vt vita redempta
Morte foret, poſſesq́; alieno viuere letho?
Fratribus aut quæ Ledæis permiſſa poteſtas,
Non datur alternis te viuere poſſe diebus?
Noſtra tibi quales animos tunc Schola tuliſſet:
O quos tunc iuuenes, deuotaq́; pectora cerno,
Certatim illuſtri cupiant quæ occumbere morte:
Nec rediuiua velint partiri tempora tecum:
Vtraque depoſcant viuas ſed luce ſuperſtes,
Interrupta vllo nec tempore vita fatiſcat.
Vtilitas tanti, ſunt publica commoda tanti.
At tibi nunc, venerande Pater, dum ſydera calcas,
Et non inſuetum limen tranſcendis olympi,
Quô te curarum ſemper dum vita manebat
Summa tulit, cœliq́; dedit ſecreta tueri,
Non vacat ad noſtras animum præbere querelas.

EIVSDEM IOANNIS MEDINAE EPITAPHIVM.

COmplutenſe decus iacet hîc, attende viator,
Ter tumulum luſtra, ter pia thura crema.
Hoc moriente ſilet vox, qua non clarior vnquam
Compluti fulſit, nec fuit vlla prior.
Induit en noſtrum velamina pulla Lyceum:
Et dixit, Cedrus nunc mea magna ruit.
Henarus ipſe pater placidis qui voluitur vndis,
Turbidus inſanos iactat ad aſtra ſonos.
Sed ceſſent gemitus, ceſſent ſuſpiria, luctus,
Nunc fruitur cœlo, nunc viget ille magis.

D. IOAN-

D. IOANNIS MEDINÆ, DE RESTITVTIONE ET CONTRACTIBVS TRACTATVS.

A

Restitvtionis Materiam, quam nimis diffusam, amplamque esse constat; conuenit paucis absoluere, nonnullas quęstiones tangendo, per quas faciliùs posſit attendens quãpluribus aliis satisfacere. Est autem huius materiæ notitia omnibus, maximè autem confessariis, necessaria; vt sciant, quos debeant ad beneficium absolutionis admittere, quosq́; ab eodem repellere. Nam, iuxta Augustini sententiam, Non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum.

Quatenus hæc materia confessariis necessaria sit.

Aug. in epist. ad Macedon.

Accipitvr autem restitutio dupliciter, largè, & strictè. B Primo modo, extendit se ad omnem recompensam alicui, loco damni illati, agendam. Quanquam hæc potiùs satisfactio dicenda sit, quàm restitutio; iuxta capit. Si culpa tua damnum illatum est, iure super his satisfacere oportet. titul. de iniuriis, & damno dato. Secundo modo, accipitur pro redditione rei alicui debitæ, prout communiter solet restitutio describi; cùm dicitur, quòd est, iteratò aliquem statuere in possessionem, vel dominium rei suæ. Vnde apertum est, restitutionem esse actum iustitiæ, quæ iubet vnicuique, quod suum est, aut sibi debitum, reddi.

Duplex acceptio verbi restitutio. I.

II.

Haec avtem duplex restitutio, ex duplici nascitur iniustitia, quam homo homini facere solet. Duobus enim modis contingit, nos proximis iniustitiam facere, scilicet, bonum eorum auferendo, & malum, seu damnum illis inferendo. Ad quem modum reducitur tertius modus, quo solemus proximos damnificare, eos ab assequutione alicuius boni impediendo: quæ omnes iniustitiæ per restitutionem, aut condignam satisfactionem veniunt emendandæ. Nomine igitur restitutionis, omnem talem emendam ad præsens complectemur. Habebit igitur præsens Codex duas partes, alteram, de rebus restituendis, alterã, de damnis reparandis: quibus addemus tertiam, de bonis Ecclesiasticis disponendis, vt de his particularem habeamus considerationem. Et quoniam, vt in plurimum, restitutio solet ex iniustis contractibus oriri, addemus (Deo dante) quartam partem, in qua de contractibus nonnullas quæstiones tangemus.

Quot modis proximo fieri posſit iniustitia.

Partes huius libri.

C

De rerum diuisione, an fuerit iustè introducta.

QVÆSTIO PRIMA.

Primvm, quod inquirendum occurrit, est, an sit de necesſitate salutis aliena restituere. Quæ quæstio, imò tota restitutionis materia præsupponit, homines in particulari, rerum dominium, & proprietatem habere, & non omnia omnibus communia esse, vti ab initio fuisse cognoscimus. Ideò in primis illud quærendum occurrit; An scilicet iustè, & conuenienter facta sit rerum temporalium diuisio, & certis dominis earundem appropriatio: Deinde, quo iure huiusmodi diuisio facta sit: Postremò, quibus modis contingat, dominium alicui perdi, & in alterum transferri.

Triplex quæstio proponitur.

Ad primvm ergo veniendo, pro parte negatiua arguitur primò; quia non potest conuenienter fieri, quod iuri naturæ repugnat; qualiter rerum diuisio repugnare videtur: nam iure naturæ omnia sunt communia, vt habetur 12. quæst. 1. capit. Dilectisſimis. & D. 1. cap. Ius naturale. Vbi inter ea, quæ sunt de iure naturæ, textus connumerat communem rerum omnium possesſionem. Sequitur ergo, rerum diuisionem non satis iustè introductam esse.

I.

An iustè facta sit rerũ temporalium diuisio.

Rationes partis negatiuæ.

I.

II. SECVNDO idem videtur autoritate Clementis in citato cap. Dilectissimis. vbi ait: Communis enim vsus omnium, quæ sunt in hoc mundo, omnibus hominibus esse debuit. Et addit: Sed per iniquitatem alius dixit hoc esse suum, alius istud: & sic inter mortales facta est diuisio. Si igitur per iniquitatem factum est, vt hoc dicatur meum, illud tuum, sequitur, iniustè factam esse rerum diuisionem. D

III. TERTIO idem videtur ex sententia Ambrosij, & habetur 47. dist. cap. Sicut hi. vbi ait: Nemo dicat propriũ, quod commune est, quod plus, quàm sufficeret sumptui, etiam violenter obtentum est. Quod ait contra auarum stomachatus, qui ea, quæ possidebat, propria esse dicebat. Cui consonat, quod ait Hieronymus; Aliena conuincitur rapere, qui vltra necessaria sibi retinere probatur. Et habetur 42. dist. cap. 1. In quibus videntur hi Sancti significare, nemini, in rebus temporalibus, illud dominium, aut ius concessum esse, quàm ipsarum rerum vsum, prout cuiusq; necessitas postulauerit. Quibus & Chrysostomus consentire videtur super Lucam 16. dicens: Opinio quædam erronea aggrauata mortalibus auget crimina, & minuit bona. Ea verò est, opinari, quòd ea, quæcunq; possidemus in vsu vitæ, possideamus vt domini: & ideò etiam opportunè apprehendimus, tanquàm bona præcipua. Sed contrarium est. Non enim nos, vt domini, in vita præsenti collocati sumus in propria domo, sed tanquàm hospites & aduenæ, quô nolumus, ducimur: & quo tempore non putamus, qui nunc locuples est, in breui fit mendicus. Ergo quicunque sis, noueris te esse dispensatorem alienorum, non dominum &c. E
Et rursus super Lucam 6. ait: A Deo percepimus omnia: quod autem dicimus meum & tuum, mendacij sunt verba. Si namq; domum tuam asseris, emisisti verbum carens substantia rei &c. Ad eundem modum iterum Ambrosius loquitur, super Lucam 16. cap. Ex hoc discimus non ipsos esse dominos, sed potiùs villicos alienarum facultatum.

IIII. QVARTO huiusmodi rerum diuisio videtur contra primæuam Dei institutionem; qui, cùm multa bona temporalia creasset, omnia in communi hominibus concessit, nemini quicquam appropriando: idque non solùm in statu naturæ integræ; quando dixit, Dominamini piscibus maris &c. sed etiam in statu naturæ corruptæ, quando post diluuium ad Noë, reliquosq; mortales dixit; Omnes pisces maris manui vestræ traditi sunt. *Genes. 9.* Vbi in communi dedit eis dominium rerum omnium, quas Deus propter hominem creauerat.

V. QVINTO ad idem videtur facere, quòd Christus Patris voluntatem, & institutum, per omnia volens adimplere, rerum temporalium dominium penitùs abdicauit: nec solùm vitæ exemplo, sed & doctrinæ verbo hoc nobis luculenter tradidit, quando, vt ait *Luc. 14.* Lucas, dixit: Nisi quis renuntiauerit omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus. Et rursus ad iuuenem alium, qui se diuina mandata custodisse gloriabatur, dixit: Si vis perfectus esse, vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & veni, & sequere me. Et quanquàm hoc Christi dictum soleat inter Euangelica consilia computari; inde tamen apparet, expedire hominibus rerum temporalium communitatem potiùs, quàm dominium seu proprietatem. Quandoquidem Christus non nisi quod melius est, & salubrius, verbo docuit, & exemplo firmauit. His aliisque huiusmodi nonnulli moueri possent, sicut & olim suadere conati sunt ad opinandum, non satis iustè rerum proprietatem inductam esse, sed debere potiùs omnia in communi possideri. F

Responsio ad dictam quæstionẽ pro parte affirmatiua. HIS TAMEN non obstantibus, tenendum est, licitè, & iustè fuisse factam rerum diuisionem, ita vt non omnia in communi possideantur, sed certis hominibus certa rerum dominia competant. Nec solùm conueniens id fuit, sed & necessarium. Quod probatur ex tribus. *Probatur* I. Primò, quia magis solicitus est vnusquisque ad procurandum aliquid, II. quod sibi soli competit, quàm id, quod multis commune est. Secundò, quia ordinatiùs res humanæ tractantur, si singulis propria cura alicuius rei procurandæ conueniat: esset III. enim confusio, si quilibet singula procuraret. Tertiò, quia per hoc pacificus hominum status meliùs conseruatur, dum vnusquisq; rem suam seorsum possidet. Vnde videmus, quòd inter eos, qui communiter, & ex indiuiso aliqua possident, frequentiùs iurgia oriri solent. Et inde, propter iurgia, quæ serui Loth cum seruis Abrahæ habebant, legitur *Genes. 13.* Abraham diuisisse omnia, quæ cum Loth communia habuerat. Oro, inquit, te, ne sit inter me, & te, inter pastores tuos, & meos, iurgium. Itaq; attenta hominum conditione, qua homo ab adolescentia ad malum pronus est, post naturam, peccato corruptam, non posset respublica pacificè permanere, si omnia communia essent: Qui enim essent potentiores,

A potentiores, ac robustiores, sibiipsis, quę appeterent, vsurparent, & ditissimi fierent, aliis debilioribus inopia pressis. Et esto id cessaret, facilè destrueretur politia, in republica necessaria: tolleretur enim debita superioribus obedientia, si omnes ęquales essent, qualiter esse præsumerent, si omnia omnibus communia forent. Nullus insuper paupertatem, aut inopiam timeret. Inde nullus terras colere, nec manibus operari vellet; vnde communem rerum penuriam necesse foret euenire. Ac proinde, ad huiusmodi & alia inconuenientia tollenda, opportunum, & necessarium fuit, rerum diuisionem atque appropriationem fieri. Et oppositum dicere, est error, & tanquam hæreticum condemnatum, vt Augustinus in libro de hæresibus ait: illos, scilicet, qui oppositum dicunt, hęreticos esse, cùm putent, nullam spem eos habere, qui rebus his temporalibus vtuntur, quibus ipsi carent. In Concilio etiam Constantiensi damnatus est error Ioannis Huss, qui tenuit, clericos non posse aliquid proprium possidere. Quòd si de clericis dictum, error est, & damnandus; à fortiori erit, si dictum huiusmodi ad laicos extendatur. *Confirmatio alia.* *Opposita sententia est erronea.*

Ad rationes antè oppositas, dicendum: Ad primam; quòd illud dictum, scilicet, iure naturæ omnia communia sunt; admittit triplicem sensum; vnus est, limitando illud ad tempus naturæ integræ, quando omnia omnibus hominibus in communi Dominus concessit. Secundus est, intelligendo illud in casu extremæ necessitatis: Nam tunc omnia sunt communia, quo ad vsum; quia omnia sunt indigentibus communicanda; quod fieri potest, salua rerum proprietate. Verùm textus citatus, nec primum sensum, nec secundum videtur prætendere, sed potiùs declarare videtur, quid dicatur ad ius naturæ pertinere: nẽpè illud, quòd omni humana aut positiua institutione seclusa, omni nationi commune foret, qualia sunt, viri & fœminæ coniunctio, & propriæ personæ defensio, & filiorum educatio, & etiam communis omniũ rerum possessio: qualiter omnia in communi possiderentur, si positiua hominum dispositio, circa rerum dominia & possessiones, non superuenisset. Et hoc est, quod Doctores volunt, cùm dicunt, de iure naturæ omnia esse communia negatiuè: quia, scilicet, ius naturæ nemini rem aliquam appropriauit, sed omnia communiter, & sine discretione, possidenda reliquit. *Soluuntur rationes oppositæ.* *Ad I.* *Quomodo intelligendum, iure naturæ omnia esse communia.* B

Ad secundam, ex Clemente citatam, dicendum; quòd illic hortatur fratres, vt in communi viuant: quemadmodùm mos erat in primitiua Ecclesia; vt ex actis Apostolicis patet. Et inter alias suasiones, quas illic affert, vna est: quia omnium vsus debuit esse communis, si, scilicet, iniquitas, aut peccatum introductum non fuisset. Per iniquitatem enim inductam, alius dixit hoc meum, alius illud. In quo non ait Clemens, iniquam fuisse rerum diuisionem, aut proprietatem, sed quòd causa, quare fuit facta rerum appropriatio, fuit iniquitas hominum; iniquitas, inquam, vel per primos parentes inducta: quia ex tunc homines rerum cupidi esse cœperunt; vel ab ipsis hominibus committenda, si non vnicuique res sua deputaretur. Vtcunque id sit, certum est, peccata hominum causam esse, quòd multa inter homines rectè sint instituta: qua institutione nil opùs fuisset, si natura humana integra permansisset. *Ad II.* C

Sed obiicies, id non esse ad mentem Clementis dictum, cùm per hoc persuadere velit, quòd homines illi, ad quos scribebat, deberent in communi viuere: quod minimè suadere videretur, si sensisset, rectè, & iustè factam fuisse rerum diuisionem. Respondetur, imò rectè Clemẽtis suasio procedit. Quia cum hoc, quòd rectè fuerit rerum diuisio facta, stat hominibus alicuius religionis conuenire, vt in communi viuant, eò quòd illa rerum diuisio non per se recta fuit, sed per accidens, seu occasionaliter, occasione sumpta ex hominum iniquitate, quæ longè superabundaret, si rerum diuisio non fieret. Per se tamen sumpta rerum in communi possessio, hominibus religiosè viuere volentibus, multò magis conueniret, quàm proprietarios esse. Et hoc est, quod Clemens illic prætendere videtur. *Obiectio.* *Solutio.*

Ad tertiam, ex Sanctorum authoritatibus sumptam, dicendum, vt ait Thomas, quòd non contra rerum diuisionem, seu appropriationem loquuntur, quam constat licitam esse & fuisse, multosq; sanctos viros diuinitùs ditatos, proprietarios fuisse: sed loquuntur contra diuitum auaritiam, qui res, quas possident, ita retinent, vt nec, quo ad vsum, velint eas aliis indigentibus communicare; cùm earũ vsus in necessitate omnibus debeat esse cõmunis. Illi autẽ ita res, quas possident, suas esse dicunt, quasi propter ipsos solùm essent creatæ, & non aliis, suo tempore, cõmunicandę. Vnde Paulus ad Timotheũ scribit; Vt diuitibus huius seculi præcipiat, facilè tribuant & communicent bona, quæ à Domino acceperunt. *Ad III.* *1. Timoth. vlt.*

Ad IIII. AD QVARTAM dicendum, Deum tam in statu naturæ integrę, quàm etiam corruptæ, dominium rerum omnibus in communi contulisse, vt citatum est. Cui consonat, quod ait Psalmista, Omnia subiecisti sub pedibus eius &c. Non tamen ita omnia in communi contulit, vt præciperet, omnes homines in communi viuere; sed ita omnia omnibus, ad eorum sustentationem, concesit, vt modum possidendi, humanæ dispositioni, prout ratio, & necessitas postularet, relinqueret. Vnde apertum est, huiusmodi rerum diuisionem, prout facta est, non esse contra Dei institutionem, sed præter. Sicut enim non iusit, vt omnes in communi viuerent, ita nec prohibuit, ne rerum fieret diuisio. D

Psal.8.

Ad V. AD QVINTAM dicendum, paupertatem, quam Christus docuit, non sub pręcepto traditam esse, vt perperàm dogmatizat Lutherus, qui ait: Omnia, quæ Christus docuit, nobis sub præcepto tradita esse, excepto cœlibatu: sed multa sub consilio tradidit, è quibus est, Euangelica paupertas, quam non omnibus iniunxit, sed his tantùm, qui volunt esse perfecti. Sic enim dixit, si vis perfectus esse, vende omnia, [quæ habes &c. vbi satis insinuat, huiusmodi paupertatem voluntatis esse, non necessitatis.] Adde, quòd non minùs Christus continentiam verbo docuit, & exemplo firmauit, quàm paupertatem: sed non ideò damnandum est coniugium: igitur nec inde damnanda est rerum possessio, siue proprietas. Quod autem per Lucam dixit: Nisi quis renuntiauerit omnibus, quæ possidet &c. procedit, vt ait Augustinus, de renuntiatione rerum, quò ad affectum, & mentis præparationem, non quò ad effectum: taliter enim res possidendæ sunt, vt ipsæ ab homine, non homo ab ipsis possideatur; quod fit, quando homo, non illis fruendo, sed vtendo, in sui & aliorum indigentium subsidium, eas tenet. Et hoc est, quod innuit Psalmista, quando ait: Diuitiæ si affluant, nolite cor apponere. E

Paupertas non est nobis à Christo tradita sub præcepto.

Psal.61.

Obiectio duplex. I. SI CONTRA obiicias: Non solùm quoad affectum, sed etiam quoad effectum, esse rebus temporalibus renuntiandum, ex eo, quòd Ananias, quia non omnia, quę habebat, ad pedes attulit Apostolorum, sed partem sibi reseruauit, diuinitùs mortuus est ipse, & vxor eius. Tum etiam, quia Christus etiam, quoad effectum, omne rerum temporalium dominium abdicauit, & abdicandum docuit: & cùm Christus non nisi, quod melius est, verbo, & opere docuerit, consequens est, expedire magis ad hominum salutem, omnes in communi viuere, nil proprium possidendo.

Actor.5.

II.

Solutio ad I. RESPONDETVR, quod de Anania dicitur, non obstat, quia non per hoc præcipuè mortem meruit incidere, quòd proprietarius esse vellet, sed quia Spiritui sancto mentitus est, vt dicit illic textus. Et fortè tunc, inter nouiter conuersos, mos talis erat, vt paupertatem vouerent: & ita, post tale votum, aliquid proprium velle retinere, mortale peccatum erat, secùs sine tali voto.

Ad II. NEC OBSTAT aliud, quod secundò dictum est. Nam consilia, etsi de melioribus tradita sint, quæ secundùm se sunt magis expedientia; non tamen in communi veniunt ab omnibus, de necessitate, seruanda, sed nec conuenit, quòd ab omnibus obseruentur. Id apparet de continentia, quæ à Deo, in scriptura, cõmendata est, vt dicit Sapiens: Non est digna ponderatio animæ continentis. Christus etiam commendat eunuchos, qui se propter regnum cœlorum castrauerunt; tamen huiusmodi continentia nec toti communitati, nec fortè singulis, de communitate conuenit. Nam in republica Christiana necessarium est quosdam humanæ generationi operam dare. Deinde, cùm Christus eunuchos commendasset, vt dictum est, subiungit: Nõ omnes capiunt hoc verbum. In quo multi Catholici intelligunt, Christum significasse, non omnes esse huius continentiæ capaces, [cùm multis expediat, potiùs vxorem ducere,] quàm continentiam cum magno animæ periculo seruare, iuxta illud Pauli: Melius est nubere, quàm vri. Præterea vita contemplatiua in se melior est, quàm actiua, prout Christus, de Maria loquens, significauit, dicens: Maria optimam partem elegit; & tamen aliquando vita contemplatiua est propter actiuam deserenda, exemplo Pauli, qui, sciens, sibi melius fore dissolui, & esse cum Christo, maluit tamen ad tempus in corpore viuere mortali, à Christi visione separatus, vt fratribus, de quorum salute solicitus erat, suam operam impenderet: Ita igitur, quamuis in paupertate, omni abdicata proprietate, viuere, multis consultum sit, & salutare, quale erat, & seruabatur in primitiua Ecclesia; non inde fit, vt expedientius & melius sit, omnes homines in communi viuere. F

Consilia ab omnibus nõ sunt obseruanda.

Matth.19.

1.Cor.6.

Luc.10.

Phil.1.

Soluitur alia quędam obiectio. NEC OBSTAT quod ait Paulus. Nemo militans Deo, implicat se negotiis secularibus; quasi inde colligatur, aut secularia negotia omnibus esse interdicta, aut rerum tempo-

2.Tim.2.

A temporalium dominia nemini ad salutem animæ proficua, sed nociua esse: cùm tamen Paulus illud propter Episcopos dixerit, quibus ex officio & dignitate incumbit, vt à negotiis temporalibus abstracti, Deo militent, & oues sibi commissas Deo lucrari curent. Nec obstat, quod iterum ait: Vellem omnes esse, sicut ego sum, hoc est, castos. In quibus videtur significare, non solùm quibusdam, sed omnibus conuenire continenter viuere. Verùm hoc dixit Paulus, docens, excellentiam continentiæ supra coniugium, quæ, secundùm se considerata, omnibus hominibus foret conuenientissima, nisi vel communis necessitas, vel causa particularis coniugium aliquando exigeret. *1. Cor. 7.*

ESTO IGITVR, iustè fuerit rerum diuisio facta, est dubium, quo iure, naturali, diuino, an humano sit facta? Et quòd naturali iure facta sit, apparet. Quia iure naturali id agendum, & disponendum esse videtur, sine quo pacificus hominum conuictus seruari non potest: talis est rerum diuisio: nam sine hac, nec pacifica hominum conuersatio, nec amicitia, & mutua charitas potest inter homines vniuersaliter custodiri. In statu namque naturæ corruptæ, crescente hominum iniquitate, simul & otiandi appetitu, si res inter homines diuisæ non essent, sed omnia omnibus essent communia, apertum pateret ostium tyrannis, & robustis ad omnia rapiendum, omnes opprimendum, ac suppeditandum, omniaque conturbandum, exemplo Nemrod, qui cœpit esse robustus venator, hoc est, hominum oppressor. Ad quorum malorum euitationem, multum confert singulis hominibus res suas appropriare. Adde, quòd Aristoteles, lumen naturale sequutus, hoc idem docuit, necessariam, scilicet, esse rerum diuisionem: econtrà verò, rerum communitatem maximè reipublicæ nociuam.

II. Quæstio. Quo iure facta sit rerũ diuisio? Argumentum pro iure naturali.

B *1. Polit.*

QVOD AVTEM iure diuino sit huiusmodi rerum diuisio facta, apparet exemplis scripturæ. Nam terra promissionis specialiter Hebræis fuit à Domino concessa: Dauidi, & Salomoni, & priùs Sauli fuit similiter regnum Iuda, & Israël à Domino traditum. Salomon etiam cum regia potestate multas simul diuitias diuinitùs est consequutus. Constat etiam de Iob, quàm diues à Domino factus fuerit, post tot calamitates, & miserias, quas, Domino permittente, sustinuerat. Idem patet de Iacob, qui illis septem annis, quibus seruierat Laban socero suo, pro Rachel sibi dilecta, mirabiliter fuit ditatus. Deinde primogenituram, & cum ea multa bona temporalia, ex diuina prouidentia, obtinuit. Ad hunc modum de multis aliis Regibus, & personis possemus exemplificare, quos constat regna temporalia, & multas diuitias, Domino concedente, possedisse. Ac proinde videri posset, de iure diuino, factam fuisse regnorum & rerum diuisionem. *Argumentum pro iure diuino.*

QVIBVS non obstantibus, tenendum est, non naturali iure, nec diuino, sed humano solùm hanc rerum diuisionem esse introductam. Id patet ex decreto Augustini, & habetur distinct. 8. vbi dicitur, Quo iure defendis villas Ecclesiæ? diuino, an humano? Diuinum ius in scripturis habemus, humanum in legibus regum: vnde quisq; possidet, quod possidet, nonne iure humano? & infrà: Tolle iura Imperatorum, quis audet dicere, hæc villa est mea? *Resolutio. Iure solum humano factã esse rerũ diuisionẽ.*

C

QVOD AVTEM iure diuino facta non fuerit, ex dictis apparet. Nam Deus omnia, ad omnium necessitatibus subueniendum, creauit, nemini primitùs rem aliquam appropriando, seu in communi tantùm omnibus hominibus sunt concessa: prout inquit Psalmista: Cœlum cœli Domino, terram autem dedit filiis hominum. Et quanquàm, vt dictum est, quibusdam hominibus multa bona temporalia tradiderit: hanc tamen generalem rerum possessionem, aut dominium, quale homines, per orbem habere videmus, vt hoc regnum sit huius, illud illius: hæc res mea, illa verò tua: non Deus, sed homines, & populi instituerunt. Nec legimus, iure diuino, alicui particulariter dominium aliquod competere, præterquàm quòd Papæ conuenit dominium Ecclesiasticum. Personis etiam Ecclesiasticis altari ministrantibus, eodem iure, simul & naturali, conuenit ius capiendi temporalia, ad debitam naturæ sustentationẽ. Nam & decimæ & primitiæ quo ad quotam, non iam diuino, sed humano iure illis debentur. Quòd si olim diuino iure decimarum ius sacerdotibus deberetur, sicut posteritati Dauidis regnum Iuda, & Israël: adueniente tamen vero Rege & sacerdote, in lege promisso, antiquum regnum, & sacerdotium simul cum lege veteri (lege Euangelica succedente) expirârunt, quæ nil de regnis temporalibus, nil de rebus caducis, cui, scilicet, sint approprianda determinat. De regni quidem cessatione patet, quia suam habuit periodum, iuxta illud Genes. Non auferetur sceptrum de Iuda, nec dux de fœmore eius, donec veniat qui mittẽdus est, id est, Christus.

Probatur, iure diuino non esse rerum diuisionem introductam. Psal. 113.

Soli Papæ conuenit iure diuino dominium Ecclesiasticum.

Christus. De sacerdotij simul, & legis cessatione, idem patet ex Paulo ad Hebręos: Translato sacerdotio, necesse est legis translatio fiat. Itaque certum est, nec diuino iure antiquo (quod iam expirâsse constat) nec nouo, posse quenquam dicere, hanc rem sibi competere, illam illi. D

Iure naturali non faliam esse rerum diuisionem ostēditur.

De iure etiam naturæ idem patet, si de illo strictè loquamur, quòd quamuis dictet, posse hominem in necessitate existentem de bonis, propter hominē creatis, ea accipere, quę ad vitę sustentationem illi necessaria fuerint, quis tamen, quam rem debeat possidere, non determinat. Si tamen de iure naturæ largè loquamur, vt se extendit ad omne dictamen, quo naturalis ratio dictat, de aliquo medio, ad finem naturalem conueniente, fateor, de iure naturæ, esse rerum diuisionē, saltem in genere, ex quo medium quoddam est non parum conferens ad pacificum hominum conuictum, simul & naturæ sustentationē. Ac proinde nil impedit, quo minùs duo opposita, pro diuersis statibus & temporibus, sint de iure naturæ, largè sumpto, quandoquidem, stante hominum innocentia, de dictamine rationis naturalis erat, vt omnia forent communia. Natura autem per peccatum corrupta, & hominū cupiditate superueniente, ratio eadem naturalis dictat, vt iam rerum diuisio fiat, in quibus ipsa ratio naturalis eundem finē prętendit; nempè, vt homines conuenientiùs viuant. Quis tamen, & quantum quis debeat habere, nec diuinū ius, nec naturale determinat, sed humanum. Inde tam varium, in diuersis mūdi partibus, est ius regnādi, & in regnis bonisq; aliis temporalibus succedendi, prout diuersa est hominum, in diuersis regionibus, institutio. E

Quatenus dici queat etiam iure naturæ factā esse rerum diuisionem.

Origo triplex diuisionis rerum temporalium.

Itaq: occasionaliter, ex hominum iniquitate, rerum diuisio est introducta: Directiuè verò, ex ratione naturali, quæ in genere dictat, vt bona temporalia diuersis possessoribus approprientur. Completiuè autem, & particulariter ex hominum institutione, vt ex decreto Augustini, suprà citato, apertum est.

Dubium. Per quosnam facta fuerit rerum diuisio. Solutio trimembris I.

Si qvaeras, per quos homines fuerit facta huiusmodi diuisio? Dicendum, quòd potuit fieri per parentes, per populum, per Regem à populo electum. Per parentes quidem, quia naturaliter habebant potestatem super filios, quibus & filios, naturali & diuino iure, conuenit obtemperare. Filij enim parentibus immorigeri & inobedientes in lege naturæ damnandos esse Paulus docet. Et in lege veteri lapidabantur, vt habetur in Deuteronomio. Et ideò ab initio potuerunt parentes, qui superiores tunc temporis non habebant, filiis suis leges facere, & inter eos temporalia bona diuidere.

Rom. 1. Deut. 21.

II. Potvit etiam populus hoc idem primitùs facere, antequàm populus aliquem supra se prędefectum, aut rectorem haberet. Habet enim populus autoritatem & iurisdictionem super supposita & indiuidua ipsius, cui iustum est naturaliter ipsa supposita obtemperare, & eiusdem legibus subiici, vti iustum est, & à natura institutum, vt membra corpori non rebellent, sed illi seruiant, & obsequantur. Hoc patet, dist. 2. cap. Lex est constitutio populi, qua maiores natu simul cum plebibus aliquid sanxerunt.

III. Deinde potestate ac iurisdictione populi, per ipsum in Regem aut Principem translata, potuerunt reges, à populis electi, sicut leges dare, ita & bona temporalia inter eos F diuidere. In quo Reges à populis electi, consensum & autoritatē, quam populus à natura habebat, accepisse videntur, vt habetur instit. de iure nat. §. sed quod Principi. An autem ita populus suam autoritatem in Principem transtulerit, vt in se iurisdictio non maneret, non ita certum est, cùm multis pars negatiua placeat, vt tangit glo. 23. q. 3. cap. finali.

Corollarium.

Inde quibusdam visum est, esse probabile, pręscriptionem currere etiam cum mala fide, & eum, qui rem plus iusto vendiderit, citra tamen dimidium iusti pretij, dominum effici eius, quod sic lucratur, & ita in aliis multis. Quorum ratio est, quia ita legibus Principum, & Imperatorum est institutum, in quibus populi consenserunt, ex quo suam authoritatem, & consensum, ad leges condendum Regibus tradiderunt. Sed de his posteà. His igitur modis constat, potuisse fieri rerum diuisionem.

Alia solutio eiusdem dubij.

Pvtari autem potest, filios Adæ ante diluuium, & filios Noë, post diluuium, ex parentum consensu, aut ipsorum voluntate, & conuentione, hos, has; illos verò illas terras obtinuisse, prout cuique sors sua contingebat. Quod enim quisque ab aliis diuisus seu recedens calcabat, suum esse dicebat, ex quo à nemine priùs esset occupatum. Inde Institut. de rerum diuisione. §. feræ. dicitur: Quod in nullius fuit potestate, primi occupantis efficitur, idque ratione naturali dictante.

Obiectio.

Si obiicias, nullum hominem habere potuisse dominium seu autoritatem super alios, ratione cuius potuerit populis leges dare, & ad earum obseruantiam eosdem astringere:

A astringere: Nam Deus omnes homines fecit pares, de eadem terra eos plasmauit, omnes eos eadem terra sustentat, omnibus tandem animam & naturam, in specie dedit: quomodò igitur verum est, vnum hominem cæteris præesse potuisse, de cuius voluntate & authoritate, leges, & rerum diuisiones fierent? Dicendum, quòd Deus in natura omnes homines fecit pares, sed non in iure dominandi. Nam patrem in hoc iure filiis præfecit, virum vxori, prudentem insipienti. Deinde etsi omnes homines Deus pares fecisset, fieri tamen potuit, vt ipsi homines, sua voluntate, aut necessitate, se impares efficerēt. Non enim ita eos pares fecit, vt imparitatem inter eos fieri prohiberet, modò ratione sit moderata. Sic enim constat Hebræorum populum, Regem à Domino petiisse, cui se subiicere elegerunt, vt habetur 1. Regum cap. 8. Sic etiam legimus, potuisse homines, cùm à natura liberi sint, seipsos in seruitutem redigere, & aliis dominis priuatis se penitùs subiicere, non modò spontanea voluntate, & liberaliter, sed etiam pro pretio, vt patet ex Exodo, vbi de seruis emptitiis mentio fit &c. De quo habetur etiam Institut. de iure personarum in fin.

Solutio.

III. Quæstio. Quomodò contingat perdi dominium, & in aliū transferri.

POST RERVM dominium hominibus acquisitum, dubitari potest, quomodò possint homines ab huiusmodi rerum dominio cadere? Dicendum breuiter, id posse fieri tripliciter, scilicet, ex voluntate iuris, ex voluntate iudicis, sententiam ferentis, & ex voluntate ipsius possessoris. Quòd enim ex voluntate iuris, seu legis posit dominium rerum alicui tolli, & in alterum transferri, patet ex dictis. Nam lex iusta ab initio potuit dominia rerum iustè diuidere, & ea certis hominibus appropriare; sed non minor est authoritas Principis seu legis, post rerum diuisionem, quàm anteà fuerat: igitur iusta causa subsistente, poterit nunc homo rei suæ dominio, ex voluntate legis, priuari, & in alterum transferri.

Solutio tripliciter. I. Ex voluntate iuris. Ratio.

B

CONFIRMATVR hoc, quia, vt suprà tangebatur, ex quo populus suam authoritatem & iurisdictionem Regibus & Principibus concesit, consensum suum legibus iustis à Principe condendis præbuit, ac proinde, si lex, ob causam iustam, aliquem re sua priuat, & alteri eandem confert, in hoc ipso totus populus cōsentit, sicut & consentire debet, in quo consensus ipsius domini particularis includitur, ac proinde in casu nulla illi iniuria fit, si per legem huiusmodi dominio rei suæ priuetur. Pro hac ratione est textus ad literam in l. De quibus ff. de legibus. vbi dicitur: Ipsæ leges nulla ex alia causa nos tenent, quàm quòd iudicio populi sunt receptæ.

Confirmatio eiusdem.

HINC corollariè sequitur, vt leges non solùm suffragio legislatoris, sed etiam tacito consensu omnium, per desuetudinem abrogentur, quoniam nil interest, suffragióne, an factis, populus voluntatem suam declaret.

Corollarium.

NOTA tamen, non omnes in rebus aliquibus posidendis, seu retinendis tutos esse in conscientia, per hoc, quod eas legum authoritate retineant. Sunt enim leges de his rebus disponentes in duplici differentia: Quædam concedunt, aut negant actionem seu C repetitionem tantùm; quædam verò concedunt, aut negant ipsarum rerum dominium, & istæ sunt, vigore quarum potest aliquis re sua priuari, & eius dominium in alterum transferri, & tunc is, cui lex ipsa dominium confert, tutus erit in conscientia, rem illam, tanquàm suam iam factam, posidendo. Qui autem legibus prioris ordinis, tutum se esse in rerum possesione, quo ad conscientiam, putat, fallitur; etiamsi quo ad forum cōtentiosum sit tutus. Id satis apertè docet Augustinus in epistola ad Macedonium, quæ est numero 54. vbi ait: Inter hæc toleratur iniquitas malè habentium, & quædam inter eos iura constituuntur, quæ appellantur ciuilia, non quòd hinc fiat, vt benè vtentes sint, sed vt malè vtentes, minùs molesti sint &c. Multa enim iure Fori permittuntur, ac defendūtur, quæ tamen iure Poli damnantur, vt Augustinus iterum ait, in sermone de vita clericorum, & habetur 17. q. 4. cap. fina. dicens: In potestate habet Episcopus non reddere, sed iure Fori; non iure Poli.

Quanā posint legis authoritate tutò posideri, quæ item non posint.

Multa permittuntur iure Fori, quæ damnātur iure Poli.

SI CONTRA hæc obiicias, quòd, scilicet, non solùm tutus est in conscientia, qui legibus, secundi ordinis, vtitur, sed etiam qui legibus, prioris ordinis, vtitur. Nam ex quo omnes eas iustas esse supponimus, omnium consensu sunt approbatæ, & ex cōsequenti, non opus fuit, inter has, & illas leges, sic distinguere. Dicēdum, imò in distinctione posita standum esse. Et concesso, quòd omniū ad has, & illas leges consensus accedit, non tamen eodem modo, sed consensus est diuersus, sicut & leges ipsæ diuersæ sunt: in legibus enim, quæ dominium rerum concedunt, consentit populus taliter, vt dominium illud

Obiectio.

Solutio.

 conce-

concedatur, & ei, cui conceditur, acquiratur. In legibus autem, quæ actionem concedunt, aut negant, cùm huiusmodi leges forum iudicij concernant; determinantes quid quisq; in iudicio posit, consentit populus in eo, quod lex ipsa disponit, hoc est, in actione alicui concessa, qua poterit in iudicio vti. Itaque consensus populi, circa leges, non se extendit plus, quàm leges ipsæ; ac proinde esto, quòd populus his & illis legibus suum præbeat consensum, non inde fit, vt qui legibus his vtuntur, sint in conscientia, res alienas retinendo, securi; etiamsi, secundùm leges, fuerit pro illis iudicatum; vt patet, si iudex iuxta allegata & probata, vni ex litigantibus rem, super qua lis est mota, adiudicet, cùm re vera ius ad eam non haberet: talis non est in conscientia tutus, exceptione rei iudicatæ, etiamsi leges illi actionem concederent. Et ita de multis aliis posset exemplificari. D

Populi cōsensus circa leges nō se plus extendit, quàm leges ipsa.

Legi transferēti dominiū rei alicuius, in alium, nō licet repugnare.

Rom. 13.

Multis exēplis ostenditur legē illud ex causa sufficiēti posse.

AD PROPOSITVM igitur redeundo, certum est, quod Princeps, aut lex, ex sufficienti causa, potest rem vnius, cōtra eius voluntatem, in alium transferre, vt notant Doctores in cap. Quæ in Ecclesiarum. de constitut. & in l. finali. Cod. Si contra ius &c. Etiam hoc non esset licitum potestati sublimiori rebellare; quia hoc esset diuinæ ordinationi resistere, vt ait D. Paulus: Huius exemplum est in præscriptione, quando, scilicet, ex iuris dispositione res vnius ab alio per tempus lege definitum, cum bona fide possessa, efficitur posidentis.

SIMILITER, iure gentium, res in bello captæ, efficiūtur capientium, modò bellum sit ex parte capientium iustum. E

Ob hæresim aut crimē læsa maiestatis amittitur dominium rerum, ex legū voluntate.

SIMILITER idem apparet, quando lex hominem, ob culpam suam, rebus suis ipso facto priuat: vt si incidat quis in hæresim, aut crimen læsæ maiestatis committat: nam ob hanc causam, rerum suarum dominium ex legum voluntate perdit, & fisco applicatur, vt habetur cap. Cùm secundùm leges. de hæreticis lib. 6.

An in prædictis casibus posint res, ante sententiam iudicis retineri, aut etiā alienari per donationem siue venditionem.

AVT ETIAM, si quis cadat in commissum, puta in agro vectigali, ipso vectigali non soluto. Aut si quis occultauit merces, quarum vectigal erat soluendum; quia ipso facto, rerum illarum dominium perdunt, & acquiritur fisco. Etiamsi in his casibus res huiusmodi licitè retineri posint, ante sententiam declaratiuam, sine qua sententia, res huiusmodi possessoribus auferri non possunt; possessores tamen non poterunt eas alienare, cùm suæ non sint: quòd si eas alienent titulo gratioso, puta per viam donationis, minùs peccant, quàm si titulo oneroso eas alienarent; puta per viam venditionis, quia in hoc secundo casu, vltrà quòd quæ non sua sunt, vendendo alienant, ipsum emptorem insuper aggrauant: quia res, quam emit, & pretium, quod pro ea dedit, periculo sunt exposita; ex quo res illa empta ipso iure cōfiscata, apud quemcunq; fuerit, excuti & euinci potest.

An crimina prædictorum casuū debeāt esse probabilia in foro iudiciali.

AN AVTEM sit necessarium, crimen, ratione cuius aliquis ipso facto à rerum dominio cadit, esse in foro iudiciali probabile: an sufficiat, illud esse etiam occultisimè commissum, vt hæc pœna locum, in conscientia habeat, dubitant aliqui; mihi tamen non videtur esse necessarium, quòd iuris ordine probari posit; nisi ad finem hunc, scilicet, vt fiscus posit effectualiter huiusmodi delinquentem conuenire, & eidem bona eius confiscata auferre. Quod inde apparet, quia si quis in hæresim lapsus, adeò vt iudiciario ordine id probari non posit, ipsemet suum crimen in iudicio confiteatur, iustè poterit ad rerum amisionem damnari, & currit pœna à die patrati criminis. F

Secūdus modus transferēdi dominium rei alicuius, in alium, scilicet ex voluntate iudicis.

POTEST secundò aliquis rei suæ dominium amittere, ex iudicis voluntate, sentētia eius interueniēte. Exemplum est clarum. Si quis furtum, aut aliud delictum perpetrauit, propter quod incidit in pœnā dupli, aut quadrupli, aut aliam alterius quantitatis, & probato crimine, iudex illum ad pœnæ solutionem condemnat, & alteri, iuxta legis dispositionem, eam applicat; tunc res illa, ad quam soluendam condemnatur, sua esse definit, & alterius efficitur, etiamsi ante sentētiam non esset in conscientia, ad pœnæ illius solutionem, obligatus; vt est communis Doctorum sententia, iuxta cap. Fraternitas 12. q. 2. & gl. ibidem. Et procedit hoc, quando iudex nō ex præsumptione, sed ex veritate, sufficienter per probationem, aut partis confesionem cognita, sentētiam tulit; alioqui nec reus tenebitur pœnam illam, ad quam condemnatus est, soluere: nec solutam poterit actor tutè in conscientia retinere; esto in foro iudiciali sit tutus. Et his duobus modis prædictis, dominus rei inuitus, re sua priuatur, & in ius, ac dominium alterius transfertur.

Tertius modus. Ex voluntate possessoris.

POTEST tertiò quis à rei suæ dominio cadere, per voluntatē propriam, vt per viam donationis, aut alterius contractus, aut legati aliisque modis, de iure permisis. Hanc enim

A enim facultatem, res suas in alterius ius & dominium transferendi, habent omnes, qui in rebus huiusmodi liberum habent dominium, ex iure gentium, vt habetur Institut. de iure naturali. Et Instit. de rerum diuis. §. Per traditionem dicitur, Nil tam conueniens est naturali æquitati, quàm voluntatem domini, volentis rem suam in alium transferri, ratam haberi.

Dubium. An sufficiat priuati domini cõsensus ad translationem rei in alterius dominium. Responsio negatiua.

EST TAMEN dubium, an sufficiat priuati domini cõsensus, vt res sua in alterius dominium transferatur. Respondetur, quòd non sufficiat, si leges maiorum contradicant. Patet id de rebus Ecclesiæ, quæ alienari non possunt, etiamsi ipsa particularis Ecclesia id velit. Patet etiam de rebus à furioso, vel minore donatis, quorum donatio per leges minimè approbatur, sed efficitur nulla. Patet de mutuatario vsuram spõtè soluente, quæ non ideò efficitur ipsius vsurarij. Patet de muneribus, quæ litigãtes iudicibus conferunt, vt iustam, siue vt iniustam, ferant sententiam. Et vniuersaliter, de rebus, voluntariè ad aliquod flagitium perpetrandum datis, quarum traditio, seu donatio inde inualida est, nec tutum reddit donatarium; quia talia retineri non possunt, sed de necessitate sunt restituenda, à quarum restitutione non semper donatarius, per liberam donantis remissionem, eximitur, vt patet ex cap. Exigit. de censibus, lib. 6. & alibi. Et sicut voluntas elicita domini priuati non semper sufficit, vt res sua in alterius transferatur dominium; ita nec sufficit eiusdem voluntas debita, vt rem illam accipiens, à restitu-

Corollarium. Similiter neq; sufficit, vt rem illam accipiens sit ab eiusdem restitutione liberatus.

B tione eiusdem sit liberatus. Id patet de mutuatario, qui iurauit, se vsuram soluturum, & tempore adueniente, vsuram, prout iurauit, soluit: talis consentit actu debito, in datione illius vsuræ, ex quo debet eam ob iusiurandum soluere, iuxta cap. Debitores. de iureiurando. Et tamen non inde releuatur mutuator à debito restituendi. Idem patet de eo, qui latronibus in via occurrentibus, vt mortem euadat, iurat se illis certam pecuniarum summam daturum, qui posteà dat, sicut dare debet: & tamen latrones pecuniam accipientes, tenentur eandem restituere, vt habetur sententialiter, De his, quæ vi metúsue causa fiunt, capit. Ad audientiam.

Ratio prædictorum.

HORVM & similium ratio est, quia sicut ab initio iura Principum vim habuerunt, res temporales singulis appropriandi; ita & nunc vim retinent, ad impediendum ipsarum rerum alienationem. Vnde & in multis casibus donationes non tenent, nec contractus omnes validi sunt, qui priuatorum consensu & voluntate fiunt, legis, aut legislatoris voluntate reclamante. Et meritò id quidem, quia iustum est, vt inferiorum voluntas, quæ facilè obliquari potest, superiorum voluntati, ac dispositioni subiiciatur, quorum est, inferiorum actiones dirigere. Hæc etiam est causa, quare Papa posit in votis, & iuramentis inferiorum dispensare, & interdum irritare; quia, scilicet, sępè vouentes, & iurantes, ab eo, quod melius est, aut magis expediens, deuiare solent.

Ad transferendum dominiũ, qualis consensus requiratur.

ILLORVM igitur consensus elicitus, aut debitus, valebit ad rem suam, in alterius dominium transferendum, qui rem illam possunt alienare: quales sunt, qui mentis cõpotes

C sunt, & quibus iure res suas alienare non est interdictum. De quibus vide Doctores.

Prædicta sunt instar fundamenti cuiusdã materiæ de restitutione. NOTA.

HAEC præmittere volui, quia sunt velut fundamentum generale totius materiæ, de restitutione: Qui enim aliquam rem detinet, & non ex legis, aut iudicis authoritate, nec prioris possessoris voluntate, non iure, sed iniustè, eam retinere videtur, ac proinde restituenda est: Secùs si eam ex iuris, seu iudicis authoritate, aut prioris possessoris, ipsam alienare potentis, consensu retineat. Quibus addendum est, in præsenti materia, nõ tam attendendum esse consensum elicitum domini, quàm debitum, quia sæpe accidit, vt res aliena accipiatur, aut retineatur domino actu elicito dissentiente, actu tamen debito consentiente, vtpotè qui debeat consentire; & tunc licita est huiusmodi rei acceptio & detentio: vt si pauper in extrema existens necessitate, aliena, ad sui sustentationem, domino reclamante, capiat, licitè ea accipit: quia etsi actu dominus non consentiat, debuit tamen consentire, ex quo pauperi alia via, qua suæ indigentiæ posset subuenire, minimè patebat. De quibus, & aliis fundamentis infrà particulariùs agetur.

De rebus alienis necessariò restituendis.

QVÆSTIO SECVNDA.

QVIBVS

Huius quæstionis sex partes sunt.
1. 2. 3. 4. 5. 6.

QVIBVS præmisſis, expedienda ſunt breuiter ea, quæ in genere de reſtitutione tractari ſolent, antequàm ad materias & caſus particulares deſcendamus. Solent autem aliqua generaliter inquiri. Primò, an ſit de neceſsitate ſalutis aliena reſtituere. Secundò, cui reſtituenda ſint. Tertiò, vbi. Quartò, quando. Quintò, quo ordine ſit huiuſmodi reſtitutio facienda. Poſtremò, quibus modis reſtituendi obligatio contrahatur. Et inde patebit, quis teneatur reſtituere. D

Dubium ſiue pars prima. An ſit de neceſſitate ſalutis, reſtituere aliena. Argumēta partis negatiuæ.

I. AD PRIMVM, de neceſsitate reſtituendi, arguitur, quòd non ſit de neceſsitate ſalutis. Primò, quia ad vitam æternam obtinendam, ſufficit homini mandata ſeruare, iuxta id, quod Chriſtus dixit: Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata. In mandatis autem legis, ſeu Decalogi, de quibus Chriſtus videtur eſſe loquutus, non apparet datum præceptum de reſtituendo; quia maximè cōtineretur ſub præcepto de non furando, ſed illic nō præcipitur actus poſitiuus, qualis eſt reſtitutio, ſed ſolùm videtur actus prohiberi, puta, furtū committere: alioqui dabis, quòd præcepta negatiua obligent ad actus poſitiuos, ſicut & affirmatiua, quod tamen inde videtur falſum; quia negatiua obligāt ſemper, & pro ſemper; affirmatiua autem non ita pro ſemper obligant. Cùm igitur actus reſtituendi non cadat pro ſemper ſub obligatione, ſequitur, quòd nec ſub præcepto negatiuo.

II. SECVNDO, nullus peccat alienum detinendo, ſi de conſenſu elicito, aut debito ipſius domini illud detineat; quandoquidem actu elicito, aut debito conſentienti iniuria non fit: ſed dominus rei ſciens ſuę rei detentorem, non alioqui paratum eſſe reſtituere, debet in hoc ipſo conſentire, quòd detinens eam poſsideat, & teneat. Id probatur: Quia vnuſquiſq; debet rem ſuam, pro fratris ſalute, pro eiuſq; peccato euitando, exponere, ex quo plus animam fratris, quàm propria bona fortunæ tenemur diligere. Cùm ergo fur peccatum, alienum detinendo, euaderet, ſi dominus rei ad id conſenſum adhiberet; ſequitur, dominum rei debere conſentire, ne fur, rem aliter detinendo, peccet. Quòd autem, per conſenſum debitum, fur ille peccatum iniuſtæ retentionis euaderet, apparet: quia ſi dominus rei actu elicito liberè conſentiret, fur peccatum iniuſtæ retentionis euaderet: igitur ſimiliter euadet per cōſenſum debitum, cùm idem videatur operari conſenſus debitus, quod elicitus operatur. E

III. TERTIO arguitur, quia ſæpe accidit, vt reſtitutio ſine notabili detrimēto famæ, aut corporis, aut familiæ, fieri non poſsit: vt ſi reſtituta re prodatur, ſeu infamatus maneat, qui eam furtiuè abſtulerat: aut ſi inde timeatur probabiliter, mortem alicui euenturam; aut dedecus familiæ. In his & aliis caſibus huiuſmodi, non eſt neceſſarium reſtitutionem facere: eſſet autem, ſi reſtitutio eſſet de neceſsitate ſalutis.

Reſolutio pro parte affirmatiua.

Probatur I. *Auguſt. in epiſt. ad Macedoniū.* QVIBVS non obſtantibus, tenenda eſt concluſio contraria. Quod probatur ex Auguſtino, dicente: Si res aliena, propter quam peccatum eſt, reddi poteſt, & non redditur, pœnitentia non agitur, ſed ſimulatur: & ita non dimittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum. Et habetur 14. q. 6. cap. Si res. F

II. *Rom. 13.* SECVNDO idem patet ex Paulo, dicente: Reddite omnibus debitum; cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal: cui honorem, honorem: cui timorem, timorem: & nemini quicquam debeatis &c. vbi omne debitum reddendum eſſe dicit, quod verbum neceſsitatem importat.

III. TERTIO idem patet. Qui ſcit furtum ab alio perpetratum, & domino quærenti nō indicat, cùm id abſque propria iactura poſsit, peccat, & reus eſt furti, vt ait Hieronymus ſuper illud Prouerb. 29. Qui cum fure participat &c. vbi ait: Non fur ſolùm, ſed ille reus tenetur, qui furti conſcius, quærente poſſeſſore, non indicat. Et habetur de furtis, capit. Qui cum fure &c. Igitur à fortiori, qui rem alienam, domino inuito, detinet, peccat, niſi reſtituat.

IIII. QVARTO idem patet ratione; rem alienam, contra domini voluntatem, occupare; certum eſt, eſſe mortale peccatum, & contra ſalutem animę ipſius occupantis; idq; ideò, quia dominus rei iniuſtè per furē damnificatur, cùm re ſua iniuſtè priuatur, ſed qui rem alienam, contra domini voluntatem, retinet, non minùs ipſum dominum damnificat, quàm rem eius de nouo occupando, vt conſtat: igitur nō minùs mortaliter peccat, alienum retinendo, quàm ipſum de nouo occupando.

Corollarium. Bona reſtitutioni obnoxia, non poſſūt alienari.

COROLLARIE ſequitur, eum, qui bona habet reſtitutioni obnoxia, nō poſſe ea alienare, nec in dote; nec in donatione propter nuptias; nec propter ingreſſum religionis; nec

A nec pro alimentis filiis impendendis;nec pro captiuis redimendis:contra quosdam, qui intuitu pietatis,& ad finem,aliquod bonum tam notabile alicui quærendum,eos,qui taliter aliena expendunt,à peccato excusant:cùm stet contrà sententia Pauli: Non esse facienda mala,vt eueniant bona. *Rom. 3.*

Soluuntur argumenta partis negatiuæ.

AD RATIONES antè oppositas: Ad primam dicendum, quòd illo præcepto: Non furaberis:tacitè præcipitur rei ablatæ restitutio:non enim, qui rem alienam capere prohibet,eam contra dominum eius retineri concedit,vt constat. Nec inconuenit,per preceptum negatiuum, interdum actum positiuum iuberi, vt quando ad obseruantiam negatiui est aliquis actus positiuus necessarius. Cuius exemplum clarum est in precepto de non occidendo,quod cùm in se negatiuum sit, obligat tamen ad actum positiuum, sine quo proximum,aut nosipsos à morte liberare non possumus:qualis est actus,quo proximum,à morte iniuriosa,illi parata,defendimus, aut quo panem fame pereunti porrigimus. Non enim minùs reus est homicidij, qui fratrem à morte, cùm potest,non eripit, quàm qui eidem mortem infert,iuxta Symmachi decretum: Nil refert,mortem inferas, vel admittas:mortem enim languentibus videtur infligere,qui hanc,cùm potest, nō excludit. Ita igitur in proposito,quamuis præceptum de non furando negatiuum sit, si tamen finis præcepti,sine actu positiuo,saluari non potest,eodem præcepto iubemur, actū huiusmodi positiuum facere: finis autem præcepti,de non furando,est,neminem rebus B suis iniustè priuari, ideò sequitur &c. *Ad I.*

AD SECVNDAM,videtur in tribus deficere. Primò,quia præsupponit,quòd dominus rei furtiuæ,intus in hoc consentire debeat,quòd fur rem furtiuam detineat, idq; ad vitandum peccatum iniustæ detentionis:quod tamen falsum est; quia non per hoc vitaretur peccatum ipsius furis, qui nil de consensu domini curans, parati animi est, modò consentiat dominus,modò dissentiat, rem furtiuam apud se retinere. *Ad II. Solutio triplex.* I

SECVNDO,quia non est vniuersaliter verum, quòd teneatur homo res suas exponere,seu donare,ad vitandum peccatum proximi, maximè, quando proximus, ex malitia peccat, iuxta doctrinam Christi, Matth. 15. Sinite eos, quia cæci sunt, & duces cæcorum. Si autem ex ignorantia peccatum euenire timetur,sufficienter ignoranti prouidetur,si veritatem,quam ignorat, doceat, absque hoc,quòd, quæ sua non sunt,illi condonentur:tunc enim,de veritate instructus, si peccet, iam non ex ignorantia, sed ex industria peccabit,& sibi soli erit id imputandum. Si verò timetur,fratrem ex fragilitate peccaturum;an necessarium sit,ad huiusmodi peccatum impediendum,illi fragili bona nostra temporalia donare, hoc haberet aliquid difficultatis, extra casum propositum deferre. Et pro nunc dicendum,quòd vbi aliquis habet rerum abundantiam, alij verò, ob inopiam,qua premūtur,parati sunt,in aliqua peccata,ex fragilitate potiùs,quàm ex malitia,incidere,& certus sit homo ille,quòd per donationem aliquam, illi à casu illo præseruabuntur, ideoq; postmodùm seruire curabunt, crederem,in tali casu necessarium C esse,talem donationem facere. Rarò tamen hæc omnia concurrent,ad huiusmodi obligationem inducendam. De quibus tamen alias. In casu autem præsenti, non video,dominum rei furtiuæ ad condonandum furi,quod iniustè abstulit, teneri, ad finē liberandi illum à peccato:cùm certum sit,illum, qui restituere non vult,ex industria, & animo determinato, aliena, etiam domino inuito,velle retinere. II. *Quatenus teneatur aliquis res suas exponere ad vitandum proximi peccatum.*

TERTIO,quia præsupponit ratio,consensum debitum idē operari,quod operaretur elicitus:quòd si vniuersaliter intelligatur,constat in multis falsum esse. Nam cōfessarius potest confessionem detegere,ad consensum expressum confitentis,quam detegere nō potest,ad consensum eiusdem debitū,vt suprà,Codice de confessione,deduximus. Similiter,si qui,verbis exterioribus, matrimonium contrahant,si adsit interior actualis consensus,verum est matrimonium;quale non esset per solum debitū consensum. Similiter in eo,qui baptizatur, verus consensus in Baptismo,causa est,vt verum sit Sacramentum, quale non esset,eo secluso,etiamsi cōsentire deberet. Similiter dispensatio Papæ, in gradibus prohibitis,ex actuali consensu facta,valet,vt dispensati possint cōtrahere;ad quod tamen minimè valeret consensus debitus dispensandi. Sicut, si actu excommunicatum absoluat,manebit absolutus,non tamen, si nō absoluat,etiamsi absoluere debeat. Similiter,si mutuatarius iurauit, se vsuram soluturū,liberabitur ab vsura soluenda,si mutuans actu remittat; nō tamen liberabitur,per hoc solùm,quòd remittere debeat. Et ita patet, non idem operari consensum debitum, quod operaretur consensus actualis & elicitus. III. *Discrimen inter consensum debitum & elicitum.*

Quan-

Limitatur datum discrimen.

Quanquam in distractione, seu possessione rerum temporalium secùs sit. Ratio discriminis videtur, quia in exemplis suprà citatis, quæ Sacramenta dispensationes atq; absolutiones concernunt, ad rei validitatem necessarius est consensus eius, qui debet cōsentire, nec in illis casibus de iniuria cuiusquam agitur, sed potiùs impertinens est, in illis alicui iniuriam fieri, aut non fieri, vt res valida sit, aut inualida. D

In rebus autem alienis accipiendis, retinendis, aut alienandis, vt factum teneat, & restitutio locum non habeat, ad iniuriam, seu iniustitiam, per se respectus habetur: ita scilicet, vt tunc sit rei alienæ restitutio necessaria, quando eius acceptio, seu retentio iniusta est, aut iniuriosa. Est autem talis, quando dominus ipsius rei, nec actu elicito, nec debito, in suæ rei occupatione, aut detentione consentit. Non autem est talis, si dominus actu elicito, aut debito consentiat: quia quomodocunq; consentiat, iam non est rationabiliter inuitus in hoc, quòd res sua ab alio detineatur, & per consequens, tunc non est iniusta talis detentio.

Ad III.

In quonam casu cesset obligatio restituendi.

Ad tertium, ex dictis patet solutio, quòd tunc est restitutio necessaria, quando is, cui facienda est, est rationabiliter inuitus, si sibi non restituatur. Econtrà verò, si in rei suæ detentione actu elicito, aut debito consentiat, quia illi iniuria non fit, cessat aut suspenditur obligatio restituendi. Ac proinde, cùm rationabile non sit, eum velle rem sibi cum tanto damno & periculo restituentis, seu alterius restitui; consequens est, quòd quando sine tali damno, aut verisimili periculo res reddi non potest, cessat obligatio restituendi: Reuiuiscit tamen, illo damno & periculo cessante. Et per hoc poterit ad multos casus responderi. E

Pars seu dubiū secundum. Cui sit restitutio facienda. Resolutio generalis.

De eo, quod secundo loco quærebatur, cui scilicet sit restitutio facienda, spoliato, an vero domino? Respondetur, absque disputatione, quòd non potest vnica regula generalis tradi. Nam aliquando est res suo domino restituenda; aliquando præhabenti, etiamsi sua non fuerit: aliquando Ecclesiæ: aliquando pauperibus: aliquando fisco, aut cameræ Apostolicæ, prout iure sunt talia bona huic, vel illi applicata. Quanquam regulariter sit spoliatus restituendus, vt patet de restitutione spoliatorum, per totum. Et cap. Reintegranda 3. q. 1. non tamen semper. Pro quo aduerte, rem restituendam esse in duplici differentia pro nunc; quædam est, sine voluntate possidentis, ablata; quædam verò ab ipso possidente data. Et primò dicamus de re ablata.

Res restituēda in duplici est differentia.

Conclusio I.

Præsupposito ergo, quòd aliquis rem ablatam detineat, quæ ab eodem retineri non potest, si is, qui præhabuerat, furtiuè, aut per vim, aut notoriam iniustitiam, eam tenebat, non est illi reddenda, sed ei, qui ius ad rem habere dignoscitur. Ratio, quia fur nullum ius ad rem illam habebat, ideò illi nulla fit iniuria, si res huiusmodi non illi restituatur. Nec obstat, quod dicitur in cap. In literis. de restitutione spoliatorum, scilicet, quòd prædo, secundùm iura, est restituendus. Nam hoc non procedit, de prædone notorio; ille enim non restituendus, sed suspendendus est: sed procedit de prædone, qui de facto erat in possessione ipsius rei, ad quem pertinet de re ipsa rationem reddere: & ita interim, quòd non constat ad quem res ipsa pertineat, si prædo restitui petat, & non simul rei verus dominus eandem petat, in foro contentioso restituendus venit, sed non in conscientia, si certum sit, prædonem rem illam, non nisi per rapinam, obtinuisse. F

Obiectionis cuiusdam solutio.

Conclusio II.

Si autem res, quæ retineri non potest, fuerat ei, cui subtracta est, accommodata, locata, impignorata, seu deposita, aut vendita: tunc res illi, cui subtracta est, venit restituenda, etiamsi verus rei dominus non sit. Ratio, quia ille rem illam cum bona fide possidebat, & titulo honesto eam tenebat, & ad ipsam tenēdum, seu ipsa re vtendum, ius aliquod habebat; vnde & in iudicio potest eam repetere: ideò illi, non vero domino, est restituenda: etiamsi rem illam vltra tempus accommodationis seu locationis possideret. Quia, ex quo titulo honesto eam tenebat, ad ipsum pertinet, de re ipsa rationem suo domino reddere.

Corollarium.

Inde sequitur, quòd si is, cui res subtracta est, etsi rerum, quas tenebat, dominus non sit, earum tamen administrationem habebat, illi est res huiusmodi restituenda, vt si sit tutor, seu curator. Similiter, si dispensator sit, aut procurator, aut thesaurarius, frumētarius, aliúsue officialis, cui res aliquæ commissæ sunt conseruandæ, dispensandæ, aut recuperandæ, aut aliter distrahendæ, quibus, ratione officij, incumbit, de huiusmodi rebus rationem reddere, & illis aliquid subtrahatur: eisdem, non dominis ipsarum, est facienda restitutio. Quòd si quis contra hoc, quod dicimus, vero domino velit rem restituere, & inde

A & inde aliquod damnum his, qui præhabebant, euenit, tenebitur de huiusmodi damno, nisi per fidem bonam excusetur. Sed si is, cui aliquid subtractum est, erat verus dominus, liberam suarum rerum administrationem habens: tunc vero domino est sic subtractum; restituendum. Et procedunt hæc, de rebus alicui subtractis, contra ipsius posſidentis voluntatem.

CONTINGIT autem, quòd quis rem, quam retinere non potest, eam habeat ex voluntate pręhabentis, quia scilicet pręhabens eam illi dedit: sed refert, qualiter eam dedit, quia vel liberè, & spontè donando, absolutè, vel cõditionaliter, vel ob causam. Si absolutè donata est, & donatio nõ valet, donanti est restituenda. Ratio, quia ex quo donare nõ potuit, perinde est, ac si non esset donatio facta, & ita ad donantē res donata deuoluitur. Si conditionaliter, cõditione non existente, similiter ad donantem redire debet; ex quo non nisi sub cõditione donauerat. Idem dicatur, si quis rem dedit ob causam honestam, non liberaliter, sed aliqua necesſitate motus: vt qui dat iudici, vt iustitiam ei faciat, aut qui dat diuiti, vt illi mutuet: nam in talibus danti est restituendum. *Conclusio* III.

SI OB causam turpem fuit facta donatio, vt si quid datum est alteri, vt aliquid indebitum agat; puta, iniustam ferat sententiam, aut falsum deponat, aut flagitium aliquod committat: tunc communis videtur sententia Doctorum, quòd res illa non est danti restituenda, eò quòd obstat sibi sua turpitudo. Contra quos facit ratio (loquendo B in foro conscientiæ.) Nam leges, quæ in odium turpitudinis statuunt, res illas turpiter datas, non esse dantibus restituendas, sunt pœnales; & ita in conscientia non obligant ante sententiam latam: iuxta glos. approbatam, cap. Fraternitas 12. q. 2. ac proinde dantis turpitudo non obstat, quo minùs datum posſit, ante sententiam, contra dantem latam, eidem restitui. Verùm in hoc casu videtur distinguendum: quia vel causa turpis, ob quam res donata erat, postmodùm est subsequuta; & tunc non danti est taliter acceptum restituendum, sed pauperibus. Si tamen causa turpis non est subsequuta, tunc eidem danti est restituendum, quod ob illam causam fuerat acceptum. Ratio primi est; quia qui ob causam illam donauit, causa subsequuta, visus est à se omnino dominium rei datæ abdicare: igitur non est sibi reddenda. Ratio secundi est; quia non donauit, nisi ob causam illam: igitur illa causa nõ subsistente, non est visus à se rem sic donatam abdicare: igitur sibi est in conscientia reddenda. Et quamuis homo, ob turpitudinem suam, dignus sit, qui re sua priuetur, non tamen ideò eo ipso priuatus est: cum aliud sit, hominem dignum esse priuari, aliud verò, ipso facto priuatum esse, cùm, secundùm Augustinum, peccator non sit dignus pane, quo vescitur. *Conclusio* IIII. *Limitatur prædicta conclusio.*

DEINDE, si res data est simoniacè, tunc non danti, sed Ecclesiæ, in cuius iniuriam res data est, venit restitutio facienda, iuxta iuris disposſitionem: de simonia, cap. De hoc autem. Quanquam aliquando est restituenda ei, qui dedit, vt habetur cap. Veniens. ibidem. quod accidit, quando quis cupit Deo in monasterio seruire, & fratres eum se- C ducentes, aliquid ab eodem extorquent, quasi alioqui de consuetudine debitum, cùm debitum non sit, tunc venit ille restituendus. Talis videtur fuisse casus, in cap. Veniens. contentus. Et ob eandem causam, si aliquid datum est, ob causam nocendi alicui, volunt aliqui, illud esse restituendum non danti, sed ei, in cuius iniuriam est datum. Quod mihi non omnino placet. Nam res illa non est debita illi, in cuius iniuriam data est; nec enim est ei debita, ex voluntate dantis, nec ex voluntate legis, quæ super hoc nil disposuit; etiamsi super casu de simonia disposuerit. Ac proinde, quamuis in foro iudiciali posſit res huiusmodi illi applicari; antè tamen, quàm illi adiudicetur, poterit res illa pauperibus erogari. Secùs post sententiam adiudicationis latam; quia tunc res erit illi, ex authoritate iudicis, debita. *Conclusio* V.

INDE fit, quod si res data, est ipso facto, per legem, aut per iudicis sententiam, fisco, vel alicui communitati, seu personæ applicata, illi est res huiusmodi reddenda. *Corollarium.*

SI DENIQVE non est cognitus is, cui restitutio est facienda; præmissa ad id sciendum diligentia: aut si tam absens est, seu distans, quòd sine maiori dispendio res illi reddi non potest, tunc restitutio deuoluitur ad pauperes: maximè si res modici pretij est; alioqui seruetur, vel deponatur, quousque restituendus sit de re ipsa certior factus. Et sic venit limitandum cap. Sicut dignum. de homicidio. vbi dicitur, quòd aliena non sunt pauperibus eroganda; quando posſunt suis dominis restitui: quia procedit, quando debitum est notabile. *Conclusio* VI.

Concluſio VII.

SI DENIQVE res aliena, vi, aut metu, dolo, aut fraude, ſeu concuſsione, extorta eſt, D
danti eſt reſtituenda. Ratio clara eſt: Quia in his caſibus, non videtur ex libera voluntate, res illa data, ſed inuoluntariè; Excepto, niſi dans, nõ obſtante fraude, aut ſimulatione accipientis, velit & intendat liberè, & liberaliter donare: quia tunc res non danti, ſed ei, cui donare intendebat, venit reſtituenda: vt ſi quis fingit ſe pauperem, aut conſanguineum dãtis, ratione cuius illi aliquid liberaliter donatur; videtur illud ſic acceptum reddendum pauperi, vel conſanguineo, cui donator dare intendebat. Cuius ratio eſt, quia ex quo liberè & gratis intendebat donare quod dedit; viſus eſt à ſe dominium rei donatę abdicare: & ideò non oportet eidem reſtitutionem fieri.

Obiectio.

SI OBIICIAS, quòd non voluntariè rem illam dedit in caſu, cùm fuerit ſeductus, & ex errore illud dederit; & cùm error voluntariũ tollat, ſequitur quòd danti eſt reſtituendum. Reſpondetur, quòd ea parte, qua donatio ex errore proceſsit, voluntaria non fuit, hoc eſt, ſi errauit in perſona, vel qualitate perſonæ; ex quo errore motus fuit illi perſonæ donare, donatio illi facta non valet: attamen in eo, quod intendebat dare pauperi, aut conſanguineo, non error, ſed ſpontanea voluntas fuit. Itaq; errauit in perſona, cui dedit, & non in perſona, cui dare intendebat: ſciebat enim eſſe pauperes in mundo: ſciebat etiã ſe conſanguineos in illo gradu ſimulato habere, & his, quos tales eſſe ſciebat, intendebat donare: ideò, quo ad illos, valuit donatio, non quo ad hunc accipientem, de quo error habebatur. Secùs, ſi nullum talem conſanguineum habeat, qualem ſe eſſe ſimulator E
fingit; quia non ſolùm datio huic facta, ſed intentio conſanguineo dandi ex errore procedent; ideò tunc datum, eſt eidem reſtituendum.

Solutio.

Quatenus in donatione error poſsit interuenire.

Dubium III.

Vbi ſit facienda reſtitutio rei alienæ.

AD ID, quod tertio loco quærebatur, ſcilicet, vbi ſit reſtituenda res, quę reſtitutioni eſt obnoxia: An ſcilicet in loco, vbi accepta fuit, an vbi creditor fuerit? Reſpondetur. Quòd regulariter in loco, vbi res fuit accepta: vt habetur in capitulo, Epiſcopis. & capit. Reintegranda 3. q. 1. Particulariùs tamen reſpondendo, eſt diſtinguendum. Quia, ſi creditor, & debitor ſunt in eodem loco, vbi res accepta fuit, ſeu ablata; tunc ibidem eſt reſtitutio facienda. Si autem in eodem loco non ſunt, diſtinguendum iterum eſt. Quia, ſi debitor ſic erat bonæ fidei poſſeſſor, vt rem ſuam eſſe, & nemini eam deberi putaret, tunc ſatisfacit, ſi quando ſciuerit ſe debitorem eſſe, rem illic ſoluat, ſeu reſtituat, aut reſtituendam deponat, vbi ſe repererit. Nec tenetur rem ſuis expenſis ad creditorem mittere, ſatis eſt ei, ſignificare, ſe debitorem eſſe, & rem debitam ſeruare, vel in loco tuto eam depoſuiſſe.

Reſponſio I.

II.

Cuius expenſis ſit faciẽda reſtitutio, creditoris ne an verò debitoris.

Solutio bimembris. I.

II.

SI AVTEM erat malæ fidei poſſeſſor, & ſciebat ſe debitorem eſſe, vt ſi furto, vel dolo malo rem abſtulerat; dicũt aliqui, quòd teneatur rem ad creditorem propriis expenſis, & non ipſius creditoris, mittere, vt ait Caietanus. Alij verò cum Panormitano in cap. Cùm tu. de vſuris, diſtinguunt. Quia vel debitor huiuſmodi receſsit à loco, vbi res fuerat ablata, vel creditor inde receſsit. Si primum, debitor tenetur ſuis expenſis ad creditorem rem debitam mittere. Si ſecundum, non ſuis, ſed creditoris recedentis, expenſis, F
res illi venit mittenda.

Alia quædam ſolutio de hoc ſecundo membro.

VERVM aliter diſtinguendum eſſe videtur in hoc caſu, de malæ fidei poſſeſſore. Si enim debitor à loco præfato receſsit, & non creditor, ſuis expenſis, & non creditoris eſt illi ſuum debitum mittendum. Ratio eſt clara; quia culpa furis, aut moroſi debitoris, creditori nocere non debet: noceret autem, ſi in recuperatione rei ſuæ cogeretur expenſas facere.

Alia reſponſio de eodem.

SI AVTEM creditor receſsit à loco præfato, videatur, an ſecum erat rem ſublatam, ſeu debitam portaturus, vel non: & ſi ſic, an eſſet expenſas in rei illius portatione facturus, vel non. Et quidem ſi rem ſecum erat ſine expenſis portaturus, & alibi diſtracturus; tunc debitor tenetur rem debitam, propriis expenſis, ad creditorem mittere, & non expenſis creditoris. Ratio eſt eadem; quia non debet creditor expenſarum ſolutione ex culpa debitoris grauari; qualiter grauaretur, ſi deberet creditor expenſas ſoluere, quas alioqui facturus non erat.

SI AVTEM rem erat cum expenſis ſecum portaturus; tunc debitor tenetur rem debitam ad creditorem mittere, expenſis creditoris, & non propriis. Ratio eſt clara; quia ſicut creditor in reſtitutione illi facienda grauari non debet; ita nec ab expenſis, quas alioqui eſſet facturus, eſt de neceſsitate per debitorem releuandus: quia tunc lucrum ex reſtitutione reportaret, quod non eſt iuſtum. Verùm hoc procedit: quando debitor,

qui

A qui suis expensis rem debitam creditori mittit, sperat se expensas, quas fecit, à creditore recuperaturum: sic enim suis expensis mittere tenetur. Secùs, vbi non speraret se expensas huiusmodi recuperaturum; quia tunc satis est, si in loco, vbi rem iniustè accepit, eandem restituat, creditore de hoc certiore facto.

SIMILIS dubitatio est de debito, ex contractu; vt si mercator mihi Compluti mutuauit aliquid, & Hispalim abiit; fortè non rediturus; an ego tenear illuc mutuatum, meis expensis, mittere, an suis, an nec meis, nec suis; mittat huc ipse, si velit, aliquem, qui ad ipsum rem mutuatam, & per me solutam, afferat. Videtur de rigore conscientiæ, supposito, quòd nulla sit ex parte mutuãtis donatio, quòd mutuatarius debet mutuantem seruare indemnem; ita vt nec damnum ex mutuo patiatur, nec lucrum: alioqui acquirendum perdat, nec grauamen aliquod inde sentiat. Quo supposito, est distinguendum, vt suprà. Quia vel mercator erat rem, quam mutuauit, secum Hispalim cum expensis portaturus; si eam ad instantiam mutuatarij non mutuasset; vel non. Si non, certum est, mutuatarium non teneri mutuatum, suis propriis expensis, Hispalim mittere: satisfacit, si Compluti, vbi mutuum acceperat, reddat, seu deponat. Si primum, tenebitur mutuatarius mutuatum, expẽsis creditoris, quas alioqui facturus erat in rei deportatione, Hispalim, vbi est, mittere; si sperat se à mutuante easdem recuperaturum, vel eas poterit à mutuato defalcare. Id patet; quia alioqui mutuator sentiret grauamen, si deberet Hispa-

B li aliquem Complutum mittere, qui mutuatum recuperet, & ad ipsum deferat; à quo grauamine tenetur eum mutuatarius exonerare. Et procedit responsio, siue mutuatarius fuerit in mora, siue non: quia vtcunq; sit, tenetur ad omne interesse mutuantis, vt suo loco patebit.

Eadem solutio habet etiam locũ in debito ex contractu mutui &c.

ITAQVE in huiusmodi restitutionibus agendis, quando creditor à loco pręfato recessit; quibus scilicet expensis debitum sit mittendum, attendẽdum est ad id, quod suprà tactum est, scilicet, spoliatum, mutuantem, commodãtem, seductum, vi, aut metu ad aliquid dandum inductum, & alios huiusmodi, quibus est aliquid restituẽdum, nec lucrum in restitutione debere sentire, nec damnum pati: ideò ab expensis, quas alioqui facturi non erant, per debitores sunt releuandi: non ab his, quas alioqui fecissent, res suas aliò deportando. Secùs in deposito reddendo; quia illud non oportet ad dominum, quia à loco recessit, expensis depositarij mittere: imò nec tenetur depositarius mittere, sed satisfacit, si paratus sit domino petenti illud reddere. Domino tamẽ incumbit, pro re sua, apud alium deposita, mittere; alioqui depositarius iniustè grauaretur, qui potiùs mercede, quàm grauamine dignus est.

In proposita difficultate quid præcipuè considerandum.

COROLLARIE sequitur, quid ad casum sequentem dicendum sit; in quo quendam confessarium anxium esse cognoui; cùm mercator Hispaleñ. merces è Medina secum in locum suum, per viam portaret, fuit rebus illis in parte spoliatus: sed prædo pœnitentia ductus, confessus est, paratus quidem spolia ad locum, vnde rapuerat, reducere: nolebat

C tamen Hispalim ea omnia suis expensis mittere; nisi inde defalcaretur, quantum ad residuum mittendum necessarium foret. Cum quo confessor contentus, illum absoluit; seipsum excusans, quia rem spoliati vtiliter egit: quia alioqui nil de præfato spolio recuperasset. Dicendum, quòd si prædo non habebat, vnde integrè spolia suis expensis mitteret, bene quidem: Si autem habebat; tenebatur omnia spolia suis propriis expensis Hispalim mittere; etiamsi multę essent expensæ: deductis tamen inde expensis, quas alioqui spoliatus, in portandis illis rebus, quibus spoliatus fuit, facturus erat: quòd si id facere recusabat, indignus erat absolutione, cùm nollet facere, quod tenebatur. Ac proinde præfatus confessor non releuatur à peccato, indignè, & perperàm illum absoluendo per hoc, quòd rem creditoris vtiliter egerit.

Corollarium siue solutio cuiusdam casus de proposita materia.

SEQVITVR iam, nõ satisfacere spoliatorem, si spolia ad locum, vnde ea sumpserat, reuocet: sed tenetur ea mittere, quò alioqui dominus ea erat portaturus, quòd si in cap. prædicto Reintegranda 3. q. 1. dicitur, quòd ad eundem locum spolia reuocentur, vnde Episcopi spoliati discesserunt, ideò est, quia Episcopi non erant bona illa aliò portaturi, nec inde extracturi, ideò non pugnant cum supradictis.

Corollarium aliud.

OCCVRRIT tamen vna dubitatio, si debitor rem debitam ad creditorem mittat, & nuntius infideliter se habeat, an debitor maneat in eadem obligatione, qua priùs. Respondetur, videtur cum Panormit. tenendum in cap. Significante. de pignoribus. distinguendo de re debita, & per debitorem missa, an scilicet res in specie debita erat, an non.

Dubium. An debitor, mittẽs creditori rẽ debitã per nuntiũ infidelẽ, teneatur iterum ad restitutionẽ.

 Si pri-

Solutio bimembra. I. Si primum; iterum est videndum, an nuntius, per quem debitor rem illam mittebat, erat D in communi hominum opinione fidelis, cui tutò res huiusmodi committi poterat; vel non. Si primum, tutus manet, & liber in conscientia, qui rem alienam suo domino, per nuntium fidelem misit; de quo suspicio iustè haberi non poterat. Ratio, quia cùm res aliena esset, eius scilicet, cui mittebatur, & non mittentis: si pereat, non mittenti, sed domino, cui mittebatur, debet perire, cùm ipse mittens in culpa non fuerit. Nam malitia nuntij mittenti nocere non debet, vt in eodem cap. communiter dicunt Doctores. Si autem nuntius talis erat, de cuius fidelitate meritò poterat suspicari, tunc, ob culpam mittentis, ipsi, & non domino, cui mittebatur, rei interitus est imputandus. Quemadmodùm si res commodata, aut deposita, aut locata, sine culpa commodatarij, aut depositarij pereat: non ipsi, sed domino, cuius erat, perit. cap. vnico de commodato.

II. Si autem debitum alterius generis erat, puta, pecunia, aut res alia, quæ functionem admittit, tunc, siue nuntius fidelis sit, siue non, si infideliter se habeat; non manet debitor ab obligatione, qua creditori tenebatur, immunis. Ratio est; quia res huiusmodi ad creditorem missa, nondum ad dominium creditoris, sed debitoris pertinebat: ideò non creditori, sed debitori perire debet. Quemadmodùm si quis debeat decem Platoni, & antequàm Platoni satisfiat, alius illa decem debitori auferat: non inde liberatur debitor à solutione creditori facienda. Et procedunt hæc, quando debitor rem debitam per aliquem nuntium, mittit, qui à creditore ad id determinatus non erat. Secùs, si ex E voluntate creditoris, per nuntium certum res debita fuerit missa: quia tũc, si pereat, qualiscunq; sit, creditori perit.

Dubium IIII. *Quando sit restitutio facienda.* *Resolutio.* Ad aliud, quod quarto loco quærebatur; quando scilicet sit restitutio facienda: Respondetur, quòd statim, seu quàm primùm commodè potest; nec licitum est eam differre, si illicò, absque inconuenienti aliquo, fieri potest. Id patet, quia quod absq; termini præfixione debetur, id statim debetur. l. in omnibus. ff. de re. iur. & in l. eum qui calẽdis. §. quoties. de verb. obligat. Idem patet Leui. 19. Non morabitur opus mercenarij apud te, vsq; manè. In quo docemur, statim, & absq; mora, debere solui, quod proximo debetur. Idem patet à simili, de voto, quod sine mora esse adimplendum constat, ex Deutero. 23. vbi dicitur: Cum votum voueris Deo, non tardabis reddere: quia requiret illud Dominus Deus tuus: & si moraberis, imputabitur tibi in peccatum. Patet insuper idem ex dictis; quia cùm detinere rem proximi eo inuito sit peccatum mortale, & contra præceptum Decalogi, vt suprà diximus: & necessarium sit homini, à peccato, secundùm actum, quàm primùm potest, recedat: consequens est, teneri hominem, quàm primùm potest, rem ablatam, aut debitam restituere.

Dicta responsionis limitatio. Habet tamen hoc suam ἐπιεικέαν, sicut & alia multa dogmata, quæ ad mores pertinent: scilicet, nisi dominus rei, seu creditor, cui res erat restituenda, in eius detentione, actu elicito aut debito consentiat. Quamdiu enim in rei suæ detentione consen- F *Eiusdem ratio.* tit, licitum est rei restitutionem differre. Cuius limitationis ratio est aperta; quia domino volenti, & consentienti, non fit iniuria. Dicitur autem consentire, saltem actu debito, aut non rationabiliter dissentire, quando adest aliqua causa, quæ debitorem excuset; vt si debitor inuincibiliter ignoret se teneri; aut si adeò inops sit, quòd sine notabili damno rerum suarum, restituere non potest, puta, nisi domum, aut vestem, qua indiget, vili pretio vendat: Aut si restitutio statim fieri non potest, sine notabili damno *Exemplis res declaratur.* Reipublicæ, aut eius, cui facienda est restitutio, aut ipsius restituentis. Exempla sunt nota. Exemplum de damno Reipublicæ; vt si miles arma habeat aliena, quæ, si tempore belli restitueret, magnam respublica iacturam pateretur. Exemplum de damno creditoris; vt si quis ensem alienum teneat, quem petit creditor furiosus, ad se, vel alium iniustè occidendum. Exemplum de damno ipsius debitoris; vt si quis in populo vita & moribus sit approbatus; qui tamen rem furto sustulit, quam sine famæ detrimento sta- *In prædictis casibus licitum est differre restitutionem.* tim restituere non potest: In his & huiusmodi casibus licitum est restitutionem differre, nec in dilatione est dominus rationabiliter inuitus, his & præfatis causis dilationis existentibus, vt de se satis constat. Et quamuis actu in dilatione restitutionis dissentiat, non est de tali dissensu elicito curandum; sed de consensu iusto & rationabili; quo in ca- *Limitatio quadam.* su debet consentire, vt ex dictis patet. Et procedunt hæc de restitutione, cuius obligatio contracta est ex delicto. Secùs, si ex contractu, cui si terminus solutionis non est ap-

positus,

A positus, poterit restitutio differri, vsque quò creditor petat, quia vsque tunc præsumitur non esse inuitus in debiti retentione. Si autem fuit terminus appositus, ex tunc debitor dicetur morosus, si termino adueniente, debitum non soluat. An autem possit debitor anticipare solutionem, ita vt eam anticipatam teneatur creditor acceptare: Dicendum quòd sic, si terminus fuit in fauorem debitoris appositus. Secùs si in fauorem creditoris. De quo aliâs.

AD ALIVD, quod quinto loco quærebatur, scilicet, quo ordine facienda sit restitutio, quando debitor pluribus tenetur creditoribus satisfacere: Respondetur; Si facultates suppetunt ad satisfaciendum omnibus, nil refert, cui priùs, cui posteriùs satisfactio fiat. Si autem facultates non sufficiunt ad satisfaciendam omnibus, tunc videtur hic ordo seruandus. *V. Dubium. Quonã ordine sit restitutio facienda? Responsio generalis.*

ET SIT primum dictum: Inprimis bona aliena, si quæ habet debitor, suis dominis reddantur, siue sint pignora, siue commodata, siue deposita, siue inuenta, siue aliter occupata. Ratio est manifesta, quia ex quo domini ab illarum rerum dominio non ceciderunt, nec in dominium debitoris transierunt; non debent inter bona debitoris computari, sed suis dominis reddi, quibus iniuria fieret, si aliis, & non illis traderentur. *Conclusio I.*

SECVNDVM dictum: Deinde debita certa sunt incertis præferenda. Ratio etiam clara est; quia Ecclesia & pauperes non habent tantam actionem, & ius ad bona debitoris, quantam habent creditores certi. Nam actio pauperum & Ecclesiæ est generica, ita quòd si pauperibus dentur, & non Ecclesiæ; non fit Ecclesiæ præiudicium, nec econtrà. Et si his pauperibus bona illa incerta dentur, & non illis, nulla fit illis iniuria. Actio autem creditorum certorum specifica est, & naturalis, & ciuilis. *Conclusio II.*

B

TERTIVM dictum: Debita certa sunt in duplici differentia. Quædam dici possunt realia; quædam verò personalia. Et dico realia debita, quando creditor habet directè ius ad rem, vt si res à debitore possessæ sint specialiter, & expressè obligatæ, seu hypothecatæ alicui creditori, & non solùm persona debitoris: vt si debitor apud se retinet merces, quas emerat, & nondum pretium soluit; manent illæ merces specialiter emptoribus hypothecatæ, quousque earum pretium soluatur, idque de iure ciuili, non naturali. Nam seclusa iuris humani dispositione, eo ipso, quòd res venditur, & emptori traditur, siue pretium illicò reddatur, siue differatur, efficitur emptoris, & inter bona propria emptoris poterit computari, nullo iure reali ad rem venditam in ipso venditore manente, plusquàm ad alia bona ipsius emptoris. Iura tamen ita instituerunt ad obuiandum fraudibus emptorum, quibus vti possent, res aliquas ad terminum ementes. Dico autem debita personalia, quando creditor directè habet ius, seu actionem contra personam debitricem: & mediatè ad bona ipsius. Dico igitur inter debita certa, debere debita realia personalibus præferri. Cuius ratio similiter est clara. Quia in realibus maius ius, & maiorem actionem habent creditores ad res ipsas, quàm in debitis personalibus, ex quo talia bona sunt specialiter certis creditoribus obligata. Ac proinde illis videretur iniuria fieri, si res, quæ ipsis specialiter hypothecatæ sunt, non ipsis, sed aliis restituantur. *Conclusio III. Debita certa sunt duplicia: realia, scilicet & personalia. Debita realia personalibus p̃ferenda sunt.*

C

QVARTVM dictum: Inter debita personalia est etiam differentia. Quædam enim sunt debita ex delicto contracta, vt ex rapina, ex furto, ex mutuatione vsuraria. Quædam verò ex licito contractu, vt ex venditione, alióue innominato contractu. Quædam autem ex legato, seu promissione non completa. Et inter hæc, illa debita sunt prius soluenda, vt placet doctori Seraphico, quæ cum maiori iniuria, ac peccato fuerunt contracta, eò quòd quando non potest simul ab omnibus peccatis recedi, sed ordinatim recedendum est, conuenit priùs à grauioribus, quàm à leuioribus recedere. Cùm igitur maius peccatum fuerit in rapina commissum (cæteris paribus) quàm in furto, & maius in furto, quàm in vsura: cùm inter hæc tria minùs iniuriosa sit vsuræ receptio, quàm furti, aut rapinæ perpetratio, eò quòd magis inuitus est, qui re sua, per rapinam, aut furtum, spoliatur; quàm qui per mutuationem vsurariam, vt constat; ideò inter hæc, debitum ex rapina contractum præferatur. Deinde debitum ex furto; Deinde debitum ex mutuatione vsuraria. His solutis, veniunt alia debita ex licito contractu. Ratio, quia hæc postrema non sunt cum iniuria creditorum, sicut priora contracta. Postremò autem veniunt debita ex legato seu promissione; siue promissio præcesserit alia prædicta debita, siue subsequatur. Huius ratio etiam est clara, quia legata & promissa, alio- *Conclusio IIII. Differentia debitorum personalium.*

qui indebita, aliis creditoribus, quibus bona debitoris debita sunt, præiudicare non debent, vt constat. D

Conclusio V. QVINTVM dictum: Si sint debita diuersa numero, eiusdem tamẽ rationis; vt si multa furta commissa sint, aut multæ vsuræ extortæ, aut multa mutuo accepta &c. tunc, cæteris paribus, ad antiquitatem est recurrendum debitorum, vt inter debita, ex furtis contracta, illud præferatur, quod priùs cõtractum fuit. Ad eundem modum de cæteris, quia qui prior est tempore, potior est iure, vt habetur in regulis iuris in 6. Dixi notanter, cæteris paribus, quia si non sunt cætera paria, non videtur in cõscientia hæc antiquitas seruanda: vt si creditor posterior est longè pauperior priori, tunc debitum posterioris videtur præferendum; quia maiori damno priùs occurrendum est, quàm minori. Modò autem stat, multò maius damnum euenire posteriori creditori, si sibi debitum non soluatur, quàm priori, vt constat, igitur. Hoc dico, quando non iudicis authoritate, sed priuata debitoris voluntate fit restitutio: nam iudex eam faciet, prout iure tenetur.

NOTA.

Obiectiones cõtra quartam conclusionem. I. ILLVD tamen, quod quartò dictum est, scilicet, debita ex maleficio esse præferenda debitis ex licito contractu, vt priùs soluendæ sint vsurę, quàm id, quod mutuo acceptum est, videtur habere difficultatem. Nam mutuans gratis non debet esse peioris conditionis, quàm is, cui per furtum, aut vsuram, aliquid subtractum est. Imò naturaliter videtur debitor magis obligatus ei, à quo beneficiũ accepit, quàm alteri: Cùm ergo beneficium à mutuante gratis acceperit, quale non accepit ab alio, cuius rem eo inuito accepit, sequitur quòd priùs debet satisfacere mutuanti, quàm spoliato. E

II. SECVNDO, quia, vt suprà tactum est, à maiori iniuria priùs recedendum est, quàm à minori: sed maior iniuria fit ei, qui mutuauit, aut ad terminum vendidit, saltem ab eo tempore, quo debitor est in mora, quàm mutuatario, qui vsuras soluit, cum primus magis inuitus est in eo, quòd illi id, quod mutuauerat aut vendiderat, non soluitur, quàm secundus, qui voluntariè dedit vsuram, nec proposuit eam vnquàm repetere: igitur priùs est soluendum debitum ex mutuo honesto, & venditione contractum, quàm debitum ex mutuo illicito, puta vsurario.

III. TERTIO, restitutio fit ad tollendum damnum creditoris, qui damnificatur per debitorem, debita non soluentem; sed stat, venditorem seu mutuatorem multò magis damnificari, si eis sua debita non soluantur, quàm alij, per rapinam, aut furtum spoliati; nam hi fortè sunt diuites, aut amici seu propinqui, aut quod illis est subtractum, est longè minùs, quàm quod aliis creditoribus debetur. Igitur tunc præferendum est debitum ex licito contractu, debitis ex maleficio contractis.

Respõdetur ad primum. RESPONDEO, stando in dictis: Ad primum, quòd duobus modis dicitur aliquis alteri teneri, scilicet, ex lege charitatis, & gratitudinis, & ex lege iustitiæ; sed lex iustitiæ fortiùs obligat; nam quæ ex gratitudinis lege debentur, contra legem iustitiæ solui non debent, sicut & opera iustitiæ, officiis charitatis sunt præferenda. In proposito, debitor magis tenetur ei, à quo beneficium accepit, lege gratitudinis, quàm ei, quem spoliauit, à quo nullum beneficium accepit. Lege tamen iustitiæ magis tenetur spoliato, quàm mutuatori, cæteris paribus, ex quo, cùm aliquid æquale vtrique debeatur, ratione rei debitæ, debetur tamen magis spoliato, ob iniuriam eidem illatam, qualis mutuanti illata non fuit. Et per hæc patet ad primum, quòd, scilicet, mutuator melioris conditionis est, quàm spoliatus, in his, quæ legem gratitudinis concernunt; non in his, quæ legem iustitiæ. F

Duplici titulo potest aliquis se obligare alteri.

Ad II. AD SECVNDVM dicendum, quòd quamuis ei, qui vsuras soluit volens, iniuria tanta non fiat, quanta mutuanti, aut vendenti, quibus inuitis sua debita retinentur, hoc verum est, quo ad iniurias personales. Si tamen de iniuria legali, quæ, scilicet, legi fit, reperiemus, quòd retinere vsuram magis iniuriosum est, quàm mutuatum, aut aliud debitum ex contractu ad tempus retinere. Nam primum magis & frequentiùs per leges, naturalem, diuinam, & humanam prohibetur, quàm secundum. Magis etiam, & cum maiori infamia primum secundùm leges punitur, quam secundum, vt constat; ideò primum peius, & turpius, & legibus magis iniuriosum, quàm secundum; ideò non mirum, si debitum ex vsura veniat priùs restituendum, quàm debitum ex contractu licito.

Debitũ ex vsura priùs est restituẽdũ, quàm debitum ex licito contractu.

Ad III. AD TERTIVM, ita videtur, stando intra metas rationis naturalis, quòd, sicut diximus, in debitis eiusdem generis, aliquando debitum posterius esse priori præferendum, vbi

A vbi cætera non sunt paria:ita in debitis ratione differentibus idem videtur, ex quo cætera non sunt paria. Ac proinde quæ dicta sunt, de restitutione certorum ordinatè facienda, procedunt, vbi cætera sunt paria.

SEQVITVR, non satis rationabiliter dixisse Caietanum, cùm ait debita ex licitis contractibus esse præferenda vsuris. Nec valet ratio, quam facit, dicens, quia alioqui in casu deberent accipi aliena ad soluendum vsuras; quia debita ex contractibus aduenienite termino, si creditoribus non soluantur, sed mutuatariis, perinde est, ac si aliena accipiantur, vt mutuatariis satisfiat. Fallitur (salua pace) quia pecuniæ mutuo acceptæ, aut pro mercibus iam distractis receptę, etsi debitę sint, non sunt aliena, sed bona sunt ipsius debitoris; nec creditores ad ea maius ius habent, quàm mutuatarij, de quibus sunt vsurę extortæ; ideò videtur in dictis standum. *Corollarium. Erroris conuincitur Caietanus.*

AD ID, quod postremo loco quærebatur, quibus, scilicet, modis contrahatur obligatio restituendi, vt sciatur quis sit restitutioni obnoxius, dicendum breuiter, aliam esse obligationem ciuilem, aliam naturalem. *VI. Dubium. Quibus modis obligatio restituendi contrahatur.*

PRIMA EST, qua contra obligatum in iudicio agi potest, & multipliciter contrahitur, verbis, literis, & re. Verbis quidem & literis, vt in stipulatione, aut promissione. Re autem dupliciter contrahitur, scilicet, ex delicto, vt ex furto, rapina, extorsione, & ex B contractu, vt ex mutuo, commodato, deposito &c. De quibus vide Institut. quibus modis obligatio re contrahatur. De quo ad Iuristas. *Resolutio. Obligatio duplex est: ciuilis & naturalis.* I.

SECVNDA obligatio est naturalis, & currit in foro conscientiæ, etiamsi contra obligatum in iudicio agi non possit. Et hæc ex tribus radicibus contrahitur, loquendo de obligatione rem aliquam restituendi, scilicet, ex iniusta rei alienæ acceptione, ex iniusta rei alienæ retentione, & ex causa data iniustæ acceptioni, aut retentioni. De iniusta acceptione exemplifica, de fure, raptore, vsurario. De iniusta retentione, exemplifica, de moroso debitore, qui, ex quo incipit esse in mora, est iniustus rei alienæ detentor, etiamsi rem primò non iniustè, sed de voluntate domini acceperit, vt patet in re ad certum tempus mutuata, seu commodata. De causa data iniustæ acceptioni, aut retentioni, exemplifica in his, qui verbo, aut opere, dant causam, vt aliquis alterum damnificet, rem eius accipiendo, seu retinendo, quales communiter in his versibus notari solent; Iussio, consilium, consensus, palpo, recursus. Participans, mutus, non obstans, non manifestans, Currere cum fure faciunt, furtiq; reatum. De quibus ait Psalmista: Si videbas furem, currebas simul cum illo. Et Esai. c. 1. Principes tui infideles, socij furum, omnes diligunt munera. Exempla sunt clara: Iussio, vt si quis subdito, aut famulo suo præcipiat, alienum arripere, aut debitum non soluere. Consilium, vt si quis suo consilio, aut exhortatione, incitat aliquem, vt furtum, vsuram, simoniam, aliúdue huiusmodi committat; aut hæc licita esse aliquando consulit, vnde ad actum proceditur. Consensus, vt si quis suum assen-C sum alicui prętstat, vt alium damnificet, quem alioqui non damnificasset, aut etiamsi actu illi ad damnificandum cooperaretur. De quo dici solet: Satis excoriat, qui tenet pedem. Palpo, vt quando quis adulando commendat factum furis seu raptoris, quia subtiliter aut fortiter egerit, vnde mouetur ad similia perpetranda, vel ablata non reddenda: quod est parietem peccati, linire luto absque palea, seu temperamento, qui in die imbrium diuinæ iræ subsistere non poterit, sed cum pluuia diuini furoris, ad ima seu profunda Inferni ruet. Recursus, vt sunt hi, apud quos fures, & raptores cum spoliis latitant, & hi qui pro homine, apud Principẽ, vel iudicem interueniunt, ne malè ablata restituere cogatur; aut aliâs fauorem impendunt, quo minùs possint aliena recuperari, factũ excusando, & hominem defendendo, vt passim Aduocati facere solent. Vnde Vrbanus Papa ait; Qui aliorum defendit errorem, multò ampliùs damnabilior est illis, qui errãt 24. q. 3. c. qui aliorum. Et Augustinus; Illud fidenter dixerim, eum, qui ad hoc pro homine interuenit, ne malè ablata restituat, & qui ad se confugientem, quantum honestè potest, ad reddendum non compellit, socium esse fraudis, & criminis 14. q. 6. ca. Si res. Participans: vt si quis de furtis, vsuris, rapinis alitur, seu partem accipit. Mutus, vt si quis potens est monendo, terrendo, corripiendo, aut clamando impedire, ne quis furtum seu rapinam committat, & tacet. De quibus Isai. 56. Canes muti, non valentes latrare. Non obstans; vt qui potest resistere opere, ne quis alium iniustè damnificet, & non resistit; quia perinde est, ac si ipse damnificaret. Vnde Ecclesiastici quarto dicitur, Libera eum, *II. Quæ ex triplici radice contrahitur.* I. II. III. *Causa data iniustæ acceptioni declarãtur exẽplis.* I. II. III. IIII. *Ezech. 13.* V. VI. VII. VIII.

qui iniuriam patitur, de manu superbi, & ne acidè feras in anima tua. Non manifestans: vt si quærente domino rei, conscius, vbi res ipsa sit, nolit indicare. Vnde Hieronymus tractans illud Prouerb. 29. Qui cum fure participat, occidit animam suam, ait: Non enim fur solùm, sed ille reus tenetur, qui furti conscius, quærenti possessori, non indicat. D

HINC PATET, quis sit, qui ad restitutionem tenetur, is, scilicet, qui alienum iniustè accepit, aut detinet, & qui verbo, aut opere, aut omisione causam præstat, vt alienum iniustè capiatur, aut retineatur. Sed de his infrà, quādo de currentibus cum fure agetur.

De duodecim causis, debitorem ab obligatione restituendi liberantibus.

QVÆSTIO TERTIA.

NVNC VIDERE conuenit, quibus modis posit aliquis à debito restituendi liberari; Et duodecim causas proponam, de quibus inquirēdum est, an liberent debitorem: Quarum prima est, inopia debitoris. Primò igitur occurrit quæstio: An, scilicet, per inopiam debitoris, excludatur obligatio restituendi. Quod non quæritur, quandiu inopia durat, quia pro tunc non dubium obligationem restituendi dormire, sicut actio creditoris, de qua dicitur: Inanis est actio, quam inopia debitoris excludit. Sed quæritur pro tempore, quo inops ad pinguem fortunam venerit, an tenebitur tunc ea restituere, quæ, cùm aliena essent, in extrema necesitate consumpsit. Ad quod Richardus, & Scotus, & alij respondent distinguendo: Quia vel talis inops, antequàm extremam incideret necesitatem, rem alienam, quam in necesitate consumpsit, occupauerat, vel, existente necesitate, eam accepit, & consumpsit. E

Causa seu quæstio I. an per inopiam debitoris excludatur obligatio restituendi?

Sensus q̄stionis.

Sententia I. bimembris.

I. SI PRIMVM; ex ipsa iniusta rei alienæ occupatione, orta fuit obligatio, tantundem restituendi, quæ quidem obligatio, superueniente extrema necesitate, sopita fuit, non extincta; ideò tali necesitate cessante, reuiuiscit prior obligatio, & ita, veniente pingui fortuna, tenebitur quod consumpserat, restituere.

II. SI SECVNDVM, ex quo, ob necesitatem actu existentem, res quæ alterius erat, facta est ipsius indigentis; cùm in extrema necesitate omnia communia sint, tunc non alienum, sed quod suum erat, accepit, & consumpsit; & ita non est inde orta obligatio taliter acceptum restituendi; ac proinde etiam, si ad pinguem venerit fortunam, non tenebitur quicquam pro re accepta, & consumpta restituere.

Sententia II. ALII VERO, vt Adrianus, impertinens esse putant, hominem inopem, ante extremam necesitatem, aut in ipsa necesitate rem alienam occupasse, sed indistinctè dicunt; quòd si huiusmodi inops ad pinguem venerit fortunam, tenebitur rem consumptam in æquiualenti restituere. In cuius sententiæ probationem arguitur à simili: Si quis in manus latronum inciderit, quibus nisi centum ducatos largiatur, manus eorum euadere non sperat; scit hic locum, in quo pecuniæ amici sui defossæ sunt, quas effodit, & de illis soluit latronibus summam, de qua inter eos conuentum est: ille in hoc casu, cùm in extrema esset vitæ necesitate, aliena accepit, & consumpsit, vt patet; & tamen manet obligatus, postmodùm, quando poterit, tantundem restituere; & dominus, cuius pecunias expendit, iure poterit ab eo repetere, & iure etiam, quod sic expenderat, reddere compelletur. F

Probatur I.

II. SECVNDO, si sit fames in terra, & Petrus habeat frumenti copiam, vicinis extrema famis necesitate laborantibus, poterit eisdem frumentum tradere, facta protestatione, quòd repetet ab eis pretiū, quando soluere poterunt, vt notatur in l. Nesennius. ff. & in l. Alimenta. C. de negot. gestis. Igitur à fortiori, si quis in extrema existēs necesitate, aliena, domino inuito, accipiat, & consumat, tenebitur posteà, quando ad pinguem venerit fortunam, tantundem restituere: non enim in hoc est melioris conditionis, qui sine consensu domini, aliena capit, quàm qui ad ea capienda consensum domini habet.

III. TERTIO, indigens inopia pressus, alienum occupando, non acquirit ad rem sic occupatam maius ius, aut dominium, quàm dominus ipsius teneatur in ipsum trāsferre: sed dominus in tali casu non tenetur rem in inopem donando transferre; cùm obligationi,

A tioni, qua tenetur inopi in tali necessitate subuenire, satisfaciat, si mutuet illi ea, quibus indiget: & poterit protestari se repetiturum, quando inops ad pinguem venerit fortunam. Id patet; quia si inopi, in extrema necessitate existenti, diues offerat, per viam mutui, pecunias, quibus indiget; ipse autem pecuniam mutuo oblatam accipere nolit; sed clam, aut per vim bona illius diuitis inuadat, apud omnes tanquàm fur & raptor reputabitur: quia cùm suæ indigentiæ sufficienter posset, per mutuum oblatum subuenire, & noluit; non ex necessitate, sed ex voluntate visus est aliena inuadere.

QVARTO idem patet, per aliud exemplum. Si scholaris extrema infirmitate laboret, aut quiuis alius, quamuis medicus suam operam, & pharmacopola suas medicinas ad curationem illius expendere teneantur; non tamen ea tenentur gratis expendere, sed poterunt protestari, quòd, cùm fuerit soluendo, repetent, hic operas, ille verò medicinas: vt est communis Doctorum sententia. IIII.

POSTREMO idem probari potest ex cap. Si quis, propter necessitatem famis, aut nuditatis, aliena occupauerit, si posteà ablatum reddiderit, non cogatur ieiunare. Vnde à contrario, si non reddiderit, ieiunare cogatur: Extrà de furtis. capit. Si quis. Quod argumentum est; illum inopem à restitutione facienda rei, quam in necessitate existens vsurpauit, minimè releuari. Quanquàm textus hic parum Adriano suffragatur: nam non procedit textus de extrema necessitate, vt ait ibidem glossa & communiter Doctores. V.
B Sed nec etiam loquitur de rebus alienis in necessitate consumptis, sed de rebus furto sublatis, & permanentibus.

Probabilior est II. sententia ex prædictis.

Ratio.

QVICQVID igitur sit de textu hoc; videtur opinio satis probabilis, & rationi magis, quàm sua opposita, consona. Est enim ratio clara, quia in casu, quo inops in extrema necessitate alienum capit, & consumit, dominus rei, licet consentiat actu elicito, aut debito in rei suæ acceptione, simul & consumptione, quando aliam viam ipse inops ad sibi prouidendum non habet; non tamen propterea dominus ipse consentit actu debito donatiuo, ita vt debeat velle donare liberaliter ea, quibus inops indiget; cùm satisfaciat debito subueniendi, si consentiat consensu mutuatiuo, maximè si res sic ab inope occupata, sit notabilis quantitatis, aut valoris. Nam potest adeò parua esse, vt meritò præsumatur dominus velle donare, si occupantis inopiam sciret. Pro quo facere videtur, quod habetur Deuteron. 23. Ingressus in vineam proximi, comede vuas, quantum tibi placuerit: & si intraueris segetem amici tui, frange spicas; & manu conteres: falce autem non metes. Et Matth. 12. Christus approbasse videtur, quòd eius discipuli per sata incedentes, esurientes, spicas euellerent & manducarent. In quibus docemur, ob necessitatem, etiamsi extrema non sit, posse hominem de alienis accipere & comedere, modò non sit magnæ quantitatis id, quod accipitur.

Resolutio authoris pro II. sententia.

HANC IGITVR opinionem tenendo, videtur ad casum propositum respondendum; quòd vel constat de voluntate domini rei à paupere consumptæ, vel non. Si constat, quòd dominus consentit in rei suæ acceptione donando, liber est pauper à debito
C restituendi; siue rem illam in necessitate, siue ante necessitatem occupauerit. Si constat, quòd dominus consentit non donando, sed vel mutuando, vel commodando, tenetur reddere tantundem, quando poterit. Si autem de voluntate domini non constat, recurrendum est ad præsumptionem. Quòd si rationabiliter & non temerè præsumitur, quòd dominus, si occupantis indigentiam agnosceret, donaret; non tenebitur pauper acceptum restituere; secùs, si rationabiliter præsumitur oppositum. In dubio autem, quod tutius est, venit eligendum, scilicet, vel restituatur, vel remissio impetretur. Si quæras, quando hoc vel illud est rationabiliter præsumendum: Dicendum, quòd ex quantitate rei occupatæ, & domini conditione & qualitate pendet, si scilicet sit diues, si liberalis, si amicus ipsius occupantis, si assuetus eleemosynas facere, vel non. Per hæc poterit hæc vel illa præsumptio formari, cui poterit homo se conformare.

Obiectiones contra prædicta. I.

SED CONTRA hanc opinionem, & pro priori argui potest primò: Quia in extrema necessitate omnia communia sunt: idque de iure naturę, vt suprà in prima quæstione patuit, cui quidem iuri naturæ humanum ius præiudicare non debet; iure autem humano factum est, vt hoc sit meum, illud verò tuum: igitur in extrema necessitate cessat rerum appropriatio, quæ iure humano inducta est: & vim habet naturale ius: & ita in casu, pauper in extrema necessitate existẽs, & aliquid alterius accipiens, non alienũ, sed quod suum est, accipit, & ita nõ tenebitur illud restituere. Respon. quòd in necessitate omnia *Solutio.*
sunt

Quatenus in necessitate extrema sint omnia communia.

sunt communia, id est, communicanda. Vel omnia dicuntur communia, quo ad vsum cum quo stat rerum dominium & proprietas: & ideò humanum ius, quod rerum induxit diuisionem, naturali iuri minimè contrariatur, vt suprà diximus: & ideò quamuis ante rerum diuisionem res ab aliquo occupata, non erat de necessitate alteri reddenda, benè tamen pòst. Adde, quòd esto res, in extrema necessitate accepta, efficiatur ipsius accipientis, etiam quo ad dominium; non inde sequitur accipientem deobligatum esse à restitutione facienda. Cùm mutuatarius pecuniæ mutuatæ dominium acquirat; & tamen restituere suo tempore tenetur. D

II. SECVNDO, homines existentes in naui alienis mercibus onerata, & illas ob tempestatem obortam in mare proiicientes, non tenentur domino mercium posteà satisfacere, vt notatur ad. l. Rhodiam, de iactu. l. 1. §. cùm in eâdem naui. Igitur nec in casu præsenti tenebitur inops ea, quæ in necessitate consumpsit, restituere; cùm in vtroque casu, ob extremam necessitatem, res aliena consumatur. *Solutio.* Respondetur, nō esse simile, quia in casu tempestatis pro mercibus in mare proiectis, si nō oportet satisfacere; ideò est, quia merces illæ erant alioqui cum hominibus perituræ; ac proinde ex tali proiectione non mansit dominus mercium damnificatus plùs, quàm si ab hominibus proiectæ non essent: secùs in casu nostro.

III. TERTIO, illa rerum alienarum consumptio, in casu quem disputamus, facta est de consensu domini saltem debito, cùm non aliter poterat necessitati pauperis subueniri: E igitur liber manet inops à debito restituendi. *Solutio.* Respondetur, vt suprà dixi: Quamuis dominus consentiat actu debito in suarum rerum consumptione, ad vitam pauperis necessaria, non tamen donando, cùm sufficienter illi subueniatur mutuando.

IIII. QVARTO, si præfata sententia cum fundamento esset vera, sequeretur, quòd diuites nunquàm tenerentur eleemosynam dare pauperibus, quantacunq; necessitate pressis, supposito, quòd eleemosyna sit liberalis propter Deum donatio, ad pauperis indigentiam releuandam; eò quòd diuites possint cuilibet necessitati subuenire mutuando, vt opinio asserit. *Solutio.* Respondetur negando sequelam, quia potest, vt dictum est, res, qua pauper indiget, adeò modici pretij esse, vt impium sit, & inhumanum, illam pauperi extremè indigenti dare cum onere, ipsum obligandi ad eam, vel æquiualentem restituendum. Secùs si res esset notabilis quantitatis & pretij. Potest etiam esse pauper adeò destitutus, vt nulla sit ei spes ad pinguem veniendi fortunam, quem impium esset obligare ad accepta restituendum. Potest etiam pauper, à mundo destitutus, promittere ingredi religionem, & promissum adimplere; quem velle obligare, vt priùs in seculo quærat, vnde ea, quæ in necessitate acceperat, restituat, esset similiter impium. In quibus casibus non videtur habere locum necessaria illis indigētibus ministrare mutuando. Sed quia de his in Codice de eleemosyna disseruimus, vbi modum quendā inter Adrianum & alios mediantem posuimus, quem etiam probabilem esse diximus, vt ibidem videre poteris: ideò supersedendum est ad præsens. F

In quibusdam casibus non sufficit pauperi extremè laboranti subuenire mutuando, cū obligatione restituendi.

Aliud dubium. An diues, negās pauperi extremè laborāti eleemosynam de superfluo naturæ & statui, teneatur posteà eidē pauperi extra necessitatē constituto tantundem restituere? Ratio pro parte affirmatiua.

EST ALIA quæstio è regione præcedenti opposita, & ex eâdem quodammodò manans, super qua nonnulla fuit inter quosdam Doctores contentio, scilicet; si diues habens superflua naturæ & statui, pauperi extremam necessitatem patienti, eleemosynam, qua indigebat, non dedit, cùm dare debuisset; An teneatur eidem pauperi præfatam necessitatem euadenti tantundem restituere. Qui partem affirmatiuam tenebant, mouebantur; quia in extrema necessitate omnia sunt communia; & ita res illius diuitis, qua pauper indigebat, non tam diuitis, quàm pauperis erat: qui etiam in extrema necessitate existens, aliquid à diuite exigit, non alienum, sed quod suum erat exigit: quandoquidem pauper ius habet ad quamcunque rem, qua indiget, à quocunque possideatur. Ac proinde, si quod pauperi, tempore quo indiget, debitum est, non illi reddatur, erit eidem postmodùm restituendum: maximè si diues erat, & superflua habebat is, qui eleemosynam debitam denegauit, iuxta illud Hieronymi: Aliena conuincitur rapere, qui vltra necessaria sibi retinere probatur. Pro quo & Ambrosius ait; plus quàm sufficeret sumptui, violenter obtentū est. Et pòst, Tantorum ergo scias bona inuadere, quātis possis quod velis præstare. Et faciunt alia multa, quæ in Codice de eleemosyna adduximus. Vnde colligunt, quod prætendunt, scilicet, diuitem, qui extrema laboranti egestate, quod illi debitum erat, non dedit, teneri tantundem postmodùm eidem restituere: cùm perinde sit, ac si à paupere illud rapuisset.

OPPO-

A OPPOSITVM tamen videtur tenendum. Quamuis enim præfatus diues, contra charitatem, ad proximum habendam, peccet; qui illi viſcera miſericordiæ in neceſsitate claudit; non tamen ob id tenetur eidem aliquid, in vim reſtitutionis, reddere. Id probatur primò; ſi res, qua pauper indigebat, ſit res, quæ non conſumitur vſu, vt equus, veſtis, enſis, & alia huiuſmodi. Nam eſto his rebus aliquis ad ſaluandum vitam indigeat, easque in tali neceſsitate, iure naturæ, vnde poſsit, valeat accipere: hæc tamen neceſsitas non facit, vt huiuſmodi res ſint de dominio indigentis: quandoquidem in tali neceſsitate, dominio harum rerum non indiget, ſed vſu: ac proinde res tales non efficiuntur ſuæ in caſu; ac proinde ſi huiuſmodi res illi, cùm eis indiget, denegentur, non erunt de neceſsitate, cùm ceſſauerit indigentia, illi, in vim reſtitutionis, reddendæ. *Sententia negatiua probabilior eſt.* *Probatur* I.

DE REBVS etiam, quæ vſu conſumuntur, pauperi in neceſsitate denegatis, videtur idem; quòd, ſcilicet, non ſint, ceſſante neceſsitate, eidem reſtituendæ. Quia reſtitutio rei, propriè ſumpta præſupponit rem ipſam aliquando fuiſſe eius, cui reſtituenda eſt, (ſaltem vt in plurimum, eſto quòd aliquando res non domino, ſed alteri eſt reſtituenda, vt ſuprà diximus) ſed res huiuſmodi nunquàm fuerant de dominio pauperis: quia non ante indigentiam ipſius, vt ſuppono, nec etiam exiſtente indigentia. Nam quæro, quo iure tunc res à diuite poſſeſſę, erant de dominio pauperis? Dices fortè, quòd iure naturę, quod tunc omnia communia facit. Sed eo admiſſo, ſcilicet, quòd ius naturę omnia com- II.
B munia faciat, non inde fit, quòd res diuitis ſunt propriæ ipſius pauperis. Aliud enim eſt, iure naturę omnia communia eſſe; aliud verò, iure naturę aliquid ab alio iuſtè poſſeſſum, eſſe pauperi proprium. Imò ex quo ius naturæ omnia communia facit, fit, vt iure naturę, res diuitis non ſit propria ipſius pauperis potiùs, quàm diuitis eam poſsidentis.

DEINDE ſtando, in iure naturæ; non maius ius aut dominium habet pauper in re, à diuite poſſeſſa, quàm habuiſſet in ſimili neceſsitate conſtitutus, ante rerum factam diuiſionem: ſed ante rerum diuiſionem, ſi quis re aliqua indigeret, non ideò res illa fuiſſet de dominio eius facta, ſed ſolùm illi competeret ius ad vtendum illa re, prout eius neceſsitas poſtulaſſet. Et ſi alius impediuiſſet, ne indigens re ſibi neceſſaria vteretur, non ideò impediens manſiſſet obligatus ad eam reſtituendum ipſi indigenti, poſtquàm indigentiam euaſiſſet: Igitur nec nunc, poſt factam rerum appropriationem; ex quo ius humanum, per quod rerum diuiſio facta eſt, nõ tradiderit indigenti maius ius ad rem, qua indiget, quàm ipſe habuiſſet ratione iuris naturalis. III.

PRAETEREA, ſi opinio eſſet vera, ſequeretur, quòd infirmus opera medici, & medicinis extremè indigens, & eiſdem in notabili quantitate vtens, non teneretur, ſi conualeſcat, aliquid pro dictis operis & medicinis reddere: quia, per opinionem, infirmus ille nil ab illis, niſi quod ſuum erat, accepit, ſibique, ratione neceſsitatis extremæ, debitum: & ita nec medicus pro opera, nec pharmacopôla pro medicinis conſumptis, poſſent ab infirmo, ad pinguem fortunam & ſanitatem veniente, aliquid exigere: quod ne- IIII.
C mo concedit. Nec refert, vt videtur in caſu, infirmus ille ſit diues, aut pauper: nam ex quo eſt in extrema neceſsitate medicinarum, ipſa neceſsitas facit, vt medicinæ, quibus indiget, ſuæ ſint, & ſibi debitæ. Si enim iure neceſsitatis extremæ illi medicinæ debentur; hoc ius minimè tollitur per hoc, quòd alia habeat bona temporalia.

PRAETEREA eſto ita eſſet, quòd ius naturæ, ob extremam neceſsitatem pauperis, rem diuitis ſuam efficeret: hoc tamen non facit, niſi ob cauſam tantæ neceſsitatis; ſecluſa tamen neceſsitate, non ita: & ita ſi pauper ſit à præfata neceſsitate liberatus, iam ceſſauit cauſa dominij, & iuris, quod ad rem diuitis habuiſſe dicitur, & per conſequens, non ampliùs res illa eſt ſua, aut ſibi debita. V.

ADDE QVOD ſi vnus ſit pauper extremè indigens, vbi multi ſint diuites, non potiùs habet ius & dominium ad res vnius, quàm ad res alterius: & ita vel omnes res ſuperfluæ illorum diuitum ſunt in caſu de dominio pauperis, vel nullæ. Si primum; omnia igitur ſuperflua, omnium illorum diuitum, eſſent illi pauperi, poſtquàm conualuerit, reſtituenda, quod eſt abſurdum. Si ſecundum, ſequitur intentum, nil eſſe illi pauperi, egeſtatem euadenti, in vim reſtitutionis, reddendum. VI.

ITAQVE in hac quæſtiuncula illud videtur tenendum; quòd non omne debitum, qualitercunq; alteri debitũ fuerit, ſit abſolutè & de neceſsitate ei, cui aliquando debebatur, reddendũ. Eſt enim quoddam debitum certũ & perſonale, quod alicui determinatæ perſonæ debitũ eſt, puta, ratione contractus, teſtamenti, ſeu legati, aut promiſsionis &c. *Pro dicta ſententia nota, id quod eſt aliis debitum eſſe in duplici differẽtia.* I.

Et tale

Et tale debitum reddendum eſt ei, cui debetur, ſiue pauper ſit, ſiue diues, cùm ſit ei de- D
II. bitum ex iuſtitia. Aliud verò eſt debitum generale, & indeterminatum & vagum: quale eſt id, quod pauperibus, quandiu indigent, debitum eſt; quod nec ab vno determinato, nec vni determinato, nec, niſi neceſsitate exigente, debetur: & tale debitum ſoluendum quidem eſt; ſed non niſi cauſa, ob quam debetur, exiſtente, ſcilicet, ipſa neceſsitate: ea autem non exiſtente, ſicut nil debetur alicui antequàm eam incidat; ita nec poſtquàm eam euaſerit: ac proinde poſteà nil eſt illi reſtituendum. Et ſic veniunt intelligendæ autoritates ſuprà citatæ, in quibus Sancti ſignificant, ſuperflua diuitum aliena eſſe: id eſt, pauperum: quia ſcilicet illis debita & communicanda, quando neceſsitas pauperum poſtulauerit. Et qui hoc omiſerit, perinde peccat, ac ſi aliena raperet. Æquiparantur igitur diuites auari, qui indigentibus nolunt ſubuenire, raptoribus, in culpa & peccato, non tamen in debito reſtituendi.

Soluitur ratio allata pro parte affirmatiua.

Cauſa ſeu quæſtio. II. An remiſsio debiti facta à creditore, excuſet à reſtitutione.

SECVNDA cauſa eſſet remiſsio partis, & eſt quæſtio: An remiſsio debiti à creditore facta, liberet debitorem à neceſsitate reſtituendi. Et dixerunt aliqui, quòd non, niſi fiat actu rei debitæ reſtitutio, qua facta, poterit creditor donare, ſi velit. Pro qua ſententia, etſi multa afferri ſoleant; quæ autem apparentiam habent, ſunt hæc: Primò arguitur ex regula iuris: Res, per quas cauſas naſcitur, per eaſdem diſſoluitur. Sed obligatio reſtituendi naſcitur ex actuali rei alienæ acceptione: quamuis enim animi præparatio ſufficit ad peccandum; nõ tamen ſufficit ad obligationem reſtituendi inducendum, E ſine actuali rei alienæ acceptione: igitur obligatio reſtituendi, ſine actuali rei ablatæ reſtitutione, auferri non poteſt.

Argumẽta partis negatiuæ.

I.

II. SECVNDO, ex Decreto Auguſtini, dicentis: Non remittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum. Igitur quacunque creditoris remiſsione facta, niſi actu ablata reſtituantur, nunquam debitor erit in conſcientia tutus.

III. TERTIO, quamuis ſpoliatus, in fauorem ſpoliantis, iuri ſuo renuntiet; non ideò ſpoliator manet liber à debito ſpolia reſtituendi, vt apertè habetur capit. Solicitè. extrà, de reſtitutione ſpoliatorum. Quia qui renuntiat ſpoliatus, vt inquit textus, non videtur ſpontè renuntiare. Igitur ita in præſenti.

Alia ſententia. ALII VERO dixerunt, quòd libera remiſsio, per creditorem facta, liberat debitorem, dummodò debitor actu offerat creditori id, quod illi debet: quòd ſi in promptu id creditori non offerat, non erit valida remiſsio. Ratio huius opinionis, vt videtur, eſt; quia remiſsio, ſi ſponte non fiat & liberè, non valet. Quando autem ad preces debitoris, vel alterius fit, non oblata in promptu pecunia debita, non ſpontè fit remiſsio, eò quòd ſi pecunia in promptu eſſet oblata, fortè remiſsio, ſaltem in toto, non fieret, qualis ſit ea non in promptu oblata; cùm videatur ex importunitate debitoris, aut deſperatione recuperationis fieri.

Alia ſententia. ALII VERO dixerunt, quòd ad hoc, vt dicta remiſsio valida ſit, quamuis non requiratur, quòd debitor actu reſtituat; nec quòd rem debitam in promptu offerat, requi- F ritur tamen, quòd ſecundùm animi præparationem paratus ſit, debitum planè ſoluere, in caſu, quo creditor remittere nolit: alioqui nõ videtur cum bona conſcientia alienum detinere, etiam facta illa remiſsione.

Reſolutio quæſtionis pro parte affirmatiua. HIS NON obſtantibus, videtur oppoſitum tenendum, ſcilicet, quòd libera, & ſpontanea remiſsio liberat debitorem à neceſsitate reſtituendi, modò creditor talis ſit, qui remittere, & donare poſsit. Nã remiſsio facta per captũ mente, aut minorem non valet,
Probatur I. ſicut nec donatio. Concluſio patet ex ſæpe dictis; quia obligatio reſtituendi ſuſpẽditur, & ceſſat ex libero conſenſu elicito, aut debito creditoris: vt ſi actu liberè cõſentiat, quòd res ſua apud debitorem, per menſem, aut per annum retineatur, tutus erit debitor illo tempore, rem illam detinendo: igitur ſi liberè conſentiat, quòd debitor rem debitam
Confirmatio. ad ſemper detineat, erit tutus, etiamſi rem debitam nunquàm reſtituat. Et confirmatur; quia non minus operatur domini conſenſus, vt alter rem ſuam detineat, quàm vt rem ſuam de nouo alter accipiat: ſed ex conſenſu domini libero poteſt alter rem ſuam occupare, igitur & detinere. Vnde in rapina, & furto, & vſura, purgatur vitium furti, & rapinæ, ſi res rapta manet apud raptorem de conſenſu domini, vt habetur. l. ſi fur. ff. de vſur. & alibi.

II. DEINDE, res aliena ideò eſt de neceſsitate reſtituenda; quia eius retentio eſt iniuſta: quandoquidem reſtitutio actus iuſtitiæ eſt, & econtrà rem retinere alienam, contra iuſtitiam

A iuſtitiam eſt:ſed quando res aliena,domino ſponte conſentiente, ab alio retinetur, non eſt iniuſta retentio, vt patet in commodato, locato, depoſito &c. Igitur ſi dominus liberè conſentiat in hoc, quòd res ſua à debitore ad ſemper retineatur, & ea velut propria vtatur;ex tunc nunquàm erit iniuſta aut iniurioſa talis rei retentio,& ita ex tunc expirat obligatio eam reſtituendi.

Postremo ad idem ſumitur argumentum ex iure. Nam in iure ſunt quidam ſpeciales caſus,in quibus remiſsio creditoris non liberat debitorem,vt patet in iudice, munera extorquente, quem ſpontanea partis remiſsio à reſtitutione non liberat. de reſcriptis,cap.Statutum.lib.6.Et in Viſitante,munera ſimiliter extorquente.de cenſibus.cap. Exigit.lib.6. Et de Inquiſitore aliquid ſimiliter extorquente. Clementina, nolentes.de hæret.Quos ſpontanea partis remiſsio à reſtitutione non liberat. Igitur his caſibus iuris exceptis, in aliis liberabitur debitor, ob ſpontaneam creditoris remiſsionem, alioqui quid opus erat in iure certos caſus excipere? III.

Corollarie ſequitur in caſu, non eſſe neceſſariam actualem reſtitutionem, vt valida ſit remiſsio, vt prima opinio dicebat. Nec valent motiua pro illa opinione adducta. Ad primum dicendum, quòd regula illa: Res, per quas cauſas naſcitur, nil contra noſtram ſententiam agit, imò pro nobis agere videtur, quia obligatio reſtituendi alienum,naſcitur ex detentione iniuſta rei alienæ: eſt autem iniuſta,quando contra domini B voluntatem detinetur, & ideò accedente libero conſenſu domini, ceſſat iniuſtitia detentionis;& ex conſequenti ceſſat cauſa, vnde naſcebatur obligatio reſtituendi. *Corollarium. Reſponſio ad argumenta partis negatiuæ. Ad* I.

Ad secundum dicendum, quòd dictum Auguſtini intelligi nõ poteſt de actuali reſtitutione. Patet, quia ſæpe peccatum remittitur, antequàm res ablata actu reſtituatur, vt ſi homo veram habeat de peccato pœnitentiam, proponens ſe alienum reſtiturum, quando poterit, vel quando oportuerit. Dicendum ergo ad mentem Auguſtini, quòd loquatur de reſtitutione ſecundùm mentis præparationem; & de illa reſtitutione, quam facere neceſſe eſt, qualis eſt reſtitutio rei iniuſtè retentæ: ſed quia domino liberè remittente, deſinit eſſe iniuſta detentio, vt patet ex dictis; ideò de reſtitutione rei ablatę, ex libero conſenſu domini retentæ, non poteſt dictum Auguſtini intelligi. *Ad* II. *Explicatur dictum Auguſtin. Non remittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum.*

Ad tertium, de ſpoliato iuri ſuo renuntiante, dicendum; quòd textus ille citatus procedit ex præſumptione, vt ex ipſomet apparet: ait enim, quòd præſumitur non ſponte renuntiare, qui ſpoliatus renuntiat. Si tamen ſponte verè renuntiaret, teneret in conſcientia renuntiatio, vt patet ex.c. immediatè ſequenti ibidem. *Ad* III.

Seqvitvr, non eſſe neceſſariam oblationem rei debitæ in promptu, vt dicebat ſecunda opinio. Nec valet ratio pro illa facta, quia procedit ex præſumptione, qua præſumitur, quòd ſi creditori in promptu res debita offerretur, eam acciperet. Contra quam præſumptionem poteſt eſſe veritas, vt conſtat, & tunc veritati eſſet ſtandum. Vnde ſicut verè poteſt dominus rei illam ſponte donare, & à ſe dominium eiuſdem penitus abdicare; ita poteſt hoc idem facere de actione, quam habet ad rem ab alio re- C tentam. *Reiiciuntur aliæ duæ prædictæ opiniones.* I.

Seqvitvr, non eſſe neceſſarium debitorem eſſe parati animi ad reſtituendum ad hoc, vt à debito reſtituendi liberetur, ſicut dicebat tertia opinio. Nec valet ratio ibidem facta, qua dicitur, non eſſe alioqui debitorem in conſcientia tutum, etiam remiſsione illi facta. Aliud enim eſt, debitorem nõ eſſe tutum & liberum à peccato, quod fateor, ſi præfatam animi præparationem non habeat: aliud verò eſt, eum non eſſe tutum & liberum à reſtitutione facienda. Exemplum eſt clarum; ſi ego rem meam, quam habeo, liberè & ſponte dono Petro, quam tamen Petrus erat alioqui paratus furari, certum eſt, durante hac peruerſa animi intentione, Petrum non eſſe à peccato liberum; eſſe tamen à reſtitutione rei donatæ liberum. Ideò in caſu magis attendenda eſt voluntas creditoris remittentis, quàm debitoris diſpoſitio. Si enim creditor ſponte & voluntariè remittit, tutus erit debitor à reſtitutione facienda, non obſtante qualicunque mala voluntatis eius diſpoſitione. Si autem non ſponte & voluntariè fit præfata remiſsio, non erit debitor liber à reſtitutione, quamcunque bonam habeat voluntatem. Eſt itaque ad voluntatem creditoris remittentis recurrendum, non ad animi præparationem debitoris; vt ſi conſtat, quòd voluntariè fiat remiſsio, aut ſaltem de hoc rationabilis habeatur præſumptio, tunc erit liber debitor, quia ex tunc non eſt rei alienæ iniuſtus detentor, ſecùs aliàs. II.

Ex tribus cognoſci poteſt an remiſsio à creditore facta, ſit voluntaria. SI QVAERAS, quid requiratur, vt remiſsio huiuſmodi fiat ſponte, & voluntariè? Reſpondetur, ex Ariſtotele conſtat, tria eſſe quæ tollunt voluntarium, & cauſant inuoluntarium, ſcilicet, vim, metum, & ignorantiam. Ac proinde ſi remiſsio ex vi, aut metu, aut ex ignorantia fiat, inuoluntaria erit, nec debitorem liberabit. Poteſt tamen creditor, ex multiplici metu remittere. Poteſt enim eſſe metus incuſſus ſeu illatus. Poteſt etiam eſſe metus ab ipſo creditore conceptus. Incuſſus etiam poteſt eſſe ad id, vt remiſsio fiat, aut non ad id incuſſus. Deinde poteſt eſſe à magiſtratu incuſſus, vel à debitore, ſeu ab alio, vice debitoris. Poteſt deinde eſſe metus damni maioris, quàm ſit non ſolutio debiti, aut minoris, aut æqualis. Et rurſus poteſt eſſe metus probabilis, aut leuis. Poteſt denique metus eſſe cauſa principalis remiſsionis factæ; poteſt etiam eſſe minùs principalis. A

Corollarium I. ET IVXTA hęc poſſent multi caſus particulares decidi. Si facta eſt remiſsio ex metu, non ad id incuſſo, vt remiſsio, vel donatio fiat, videtur valida remiſsio & donatio: vt ſi quis in naui exiſtens, ſuborta tempeſtate, metu mortis promittit aliquid alicui Sancto, aut Eccleſiæ, valet promiſsio, ſicut in ſimili caſu valeret votum emiſſum, ex communi ſententia. Et ita ſimiliter in eodem caſu valeret remiſsio, ſi fortè actionem aliquam contra Eccleſiam habebat.

II. SI FIAT remiſsio ex metu, à magiſtratu iuſtè incuſſo, ad id vt remiſsio fiat, valebit remiſsio, ſicut in eodem caſu valeret donatio, aut promiſsionis adimpletio, ſi alioqui tenebatur homo remittere, donare, & promiſſum complere: nam talis metus ad id inducit, ad quod homo alioqui tenebatur. Sicut valet matrimonium contractum ex metu à magiſtratu, vel iudice iuſtè incuſſo, vt ſi fidem dederat, ſi corruperat, & ita in aliis. B

III. SI FIAT remiſsio ex metu probabili damni notabilis, ad id incuſſo à perſona priuata, qui ſit cauſa principalis, ſeu ſine qua non, remiſsio eſt inualida, ſicut in eodem caſu eſſet inualida donatio. Secùs, ſi eſſet metus leuis, & non probabilis, qui nec matrimonium impedit, nedum donationem, aut remiſsionem.

IIII. SI FIAT remiſsio, aut donatio ex metu non acquirendi bonum, aut lucrum, quod remiſsione facta obtinere ſperat, ſiue ſit metus ad id incuſſus, ſiue non, non vitiatur remiſsio, nec donatio, quia talis donatio non metui in caſu, ſed cupiditati lucri ſperati videtur imputanda: donatio autem ex cupiditate facta non ita vitiatur, ſicut ea, quę ex metu fit. Hæc dixerim, vt occaſionem curioſis darem rem particulariùs inueſtigandi, & inter metum & metum, in variis caſibus diſtinguendi.

V. *Multis modis poteſt ignorantia cauſare inuoluntarium* DE IGNORANTIA etiam, quæ inuoluntarium cauſat poſſet multipliciter diſtingui. Vt in propoſito poteſt aliquis debitum remittere, credens nil ſibi deberi, aut non tantum, quantum remittit, & dicitur ignorantia debiti. I. Poteſt ſimiliter ex ignorantia perſonæ fieri, vt ſi is, cui remittit, eſt Petrus, cum putet ſe Ioanni remittere. II. III. Poteſt ex ignorantia qualitatis fieri, vt ſi is, cui remittit, nec pauper ſit, nec conſanguineus, nec ſanctus, cùm putet eſſe talem. IIII. Poteſt etiam ex ignorantia iuris, ſeu facti remiſsio fieri, vt ſi remittit, quia putat ſe ad id teneri, cùm non teneatur. V. Poteſt denique remiſsio fieri ex ignorantia, ſeu errore ab ipſo debitore cauſato, aut ab ipſo creditore concepto, vt de metu dicebamus. VI. Poteſt finaliter remiſsio fieri ex ignorantia inuincibili, ſeu lata, aut craſſa. Et refert ad validitatem remiſsionis, ex qua ignorantia, vel errore fiat. C

VERVM quamuis in foro iudiciali poſsit habere locum hæc tam multiplex ignorantiæ diſtinctio; in conſcientia tamen, & iuris humani diſpoſitionem præueniendo, illa finalis diſtinctio videtur attendenda, ſcilicet, an remiſsio ſit facta ex ignorantia inuincibili, aut ex craſſa, ſeu lata. *Modi prædicti ad duos contrahuntur.* I. Si primum, ſiue ſit de debito, quod remittitur, ſiue de perſona, ſiue de qualitate, aut cauſa principali, ob quam remiſsio, vel donatio fit, tunc vitiatur remiſsio, ſimiliter & donatio. II. Secùs ſi ignorantia erat de cauſa minus principali; aut ſi de principali erat, tamen lata & craſſa: quia tunc, ſicut voluntarium non tollit, ita nec remiſsionem, nec donationem inualidat. *Exemplo declaratur.* Pone exemplum: Si Petrus realiter mihi debet decem, & ad tantam inopiam deuenit, quòd notabilem patiatur neceſsitatem, ſi illum compellam, vt mihi reſtituat, remitto illi ob ſuam inopiam principaliter, quanquam minùs principaliter, quia conſanguineum eum eſſe puto, cùm non ſit; aut quia doctum illum eſſe puto, cùm non ſit, etiamſi hæc ignorantia in me ſit inuincibilis, non vitiat remiſsionem; cùm circa principalem cauſam non errem. Sed de hoc poſteà, quando agetur de rebus ob cauſam datis.

TERTIA

Causa seu quæstio III.
An quãdo debitor bonis cedit, tollatur obligatio restituendi?
Responsio I. bimembris.

A TERTIA causa est cesio, quia debitor bonis cedit. De qua, an liberet debitorem solet dubitari. Similiter & an in ipsa cesione debeat deduci, ne egeat. De quibus infrà Quæstione quinta agendum est: ideò non est quòd in præsentiarum debeamus immorari. Et distinguunt communiter, vnde fuerit orta obligatio in eo, qui vult cedere bonis; quia vel ex delicto, puta, furto, rapina, seu violentia, aut ex contractu alioqui honesto. Si primum, talis debitor iuris beneficio gaudere non debet; sed potiùs vel officio iudicis, vel ad instantiam partis venit corporaliter, aut aliâs secundùm iura puniendus, & meritò potest compelli, vt in integrum restituat, etiam non deducto inde ne egeat, idque in foro iudiciali, vt dicunt Doctores super capit. Quanquam. de vsuris. lib. 6. I. Secus, si obligatio debitoris fuerit orta ex cõtractu; quia tunc admittitur ad cesionem, & gaudet iuris beneficio: quia, scilicet, facta cesione, non potest incarcerari, & expirat actio creditoris contra eum, & in ipsa cesione deducitur ne egeat, vt suprà fuit allegatum. II.

Responsio II. itẽ bimembris.

PRAEVENIENDO tamen iuris dispositionem, stando in metis fori conscientiæ, parum refert an debitor obligationem contraxerit ex contractu, aut ex maleficio, quo ad restitutionem faciendam, & quo ad hoc, quod est, esse deducendum ne egeat. Nam si aliud non sequatur inconueniens, ex restitutione integrè facta, quàm quòd debitor maneat inops, & egestate pressus, si vult cedere bonis, videatur, an bona, quæ habet, sua sint,
B an creditoris. Si creditoris, omnia sunt illi restituenda; nec deducendum est de necessitate, ne egeat; nisi quantum creditor, per viam eleemosynæ, tenetur illi debitori inopi remanenti dare. I. Si autem bona, quæ habet, sua ipsius debitoris sint, & in illis habeat instrumenta ad vitam necessaria, illa sunt illi relinquenda: nec iustum est, quòd creditor debitorem illis instrumentis priuet, cuiuscunque pretij, seu valoris sint. II. Ratio discriminis clara est, quia si omnia quæ habet debitor, non sua, sed creditoris sunt, nulla videtur iniustitia fieri, si illa omnia illi auferantur, & creditori, cuius sunt, reddantur. Si autem præfata instrumenta ipsius debitoris sunt, inhumanum videtur, & contra Domini præceptum, ea illi auferri, vt creditori satisfiat, vt suprà fuit quodammodo probatum.

Ratio data solutionis.

Cedens bonis, si posteà venerit ad pinguẽ fortunam, tenebitur integrè quod debebat restituere.

FACTA autem cesione, sicut debet fieri, puta, in manu creditoris, aut in defectum eius in manu iudicis, & debito confesso, si contingat eum postmodùm ad pinguem venire fortunam, tenebitur tunc id, quod debebat, integrè restituere. Id patet ex ca. Odoardus. de solutionibus. vbi statuitur, vt huiusmodi debitor cautionem det de soluendo, quando ad pinguem venerit fortunam. Qui textus quamuis non apertè loquatur de eo, qui bonis cesserat; satis tamen id ibidem significatur. Idem patet ex suprà dictis in quæstione, qua de inopia debitoris agebatur, vbi conclusum est, pauperem in extrema necesitate aliena capientem, & eadem consumentem, teneri, cùm ad pinguem venerit fortunam, satisfacere &c. Ac proinde hæc tertia causa, qua debitor bonis cedit, ipsum à debito restituendi, cùm poterit, non liberat.

Causa siue quæstio IIII.
An damnum, quod timetur ex restitutione secuturũ, tollat restituendi obligationem.
Explicatur sensus quæstionis.

C QVARTA causa est damnũ, quod ex restitutione facta timetur verisimiliter euenturum; an tale liberet debitorem à debito restituendi. Et sit casus communis de vxore, quæ falsò sibi partum alienum supposuit; aut de adultera, quæ filium ex adulterio, inscio marito, concepit; vnde accidit, vt maritus, & alij filij legitimi defraudentur, mulier hæc pœnitudine ducta satisfacere volens, nullam aliam reperit viam, quàm factum manifestando, in quo & seipsam infamabit, & vitam suam periculo probabili exponet; est quæstio communis, an non, obstantibus his incommodis, teneatur se prodere, an potiùs, ne illa mala eueniant, tacere debeat, & an erit sic à restitutione libera? Dixerunt aliqui, quòd, his nõ obstantibus, tenetur in casu factum prodere; nec releuatur à debito satisfaciendi illo modo, si non potest aliter satisfacere. Pro qua sententia, quam tenet Adrianus, arguitur primò. Quia si talia pericula non timerentur, deberet mulier illa factũ reuelare: igitur etiam ad idem tenetur, esto quòd talia pericula timeantur, quia quod iure naturali, & diuino agendum est, non est propter timorem mortis omittendum, sed iure vtroque tenetur damnificans satisfacere læsis, sicut & vtroque iure fur tenetur rem furtiuam suo domino reddere: quod certum esse suppono.

Argumenta pro parte negatiua. I.

SECVNDO, pro vitanda morte, aut scandalo, non est licitum furari à diuite, vt pauperibus subueniamus, etiamsi pauperes ipsi alioqui parati sint furta, vel homicidia, aut alia peiora mala committere: igitur nec filij legitimi sunt defraudandi, vt spurio prouideatur, sicut defraudarentur, si præfata mulier suum crimen non manifestet. Vnde in II.

casu perinde est, ac si illa adultera à diuitibus furetur, vt pauperem ditet: cùm paria sint, D alienum auferre, & ablatum non reddere.

III. Tertio, ex regula iuris, vtiliùs scandalum nasci permittitur, quàm quòd veritas relinquatur. Si igitur scandalum fratris postponendum est pro veritate vitæ, qualis est læsis satisfacere; à fortiori igitur, fama & mors propria postponenda est pro eadem veritate vitæ; ex quo est pro vitando scandalo postponenda: iuxta regulam vulgatam, Si vinco vincentem te, à fortiori vincam te. *Obiectio.* Nec valet dicere, quod ait Innocent. & Panormi. in cap. Officij. de pœniten. & remissi. quòd scilicet, illa regula, Vtiliùs scandalum &c. intelligitur de teste, vel iudice, qui, propter scandalum, cōtra veritatem nil facere debent. *Solutio.* Non, inquam, valet, vt patet, si attendas glossam Marci 9. vnde regula illa sumpta est, vbi dicitur: Nota, quòd in bono opere nostro aliquando cauendum est scandalum proximi: aliquando pro nihilo habendum. In quantum, sine peccato, possumus vitare proximorum scandalum, debemus. Si autem pro veritate scandalum sumitur, vtiliùs nasci permittitur, quàm veritas relinquatur. Vnde manifestum est, Bedam, cuius est glossa, intendere loqui de veritate, quæ sine peccato non relinquitur, qualis est veritas vitæ, & non solùm de veritate in iudicio dicenda. Cùm ergo restituere alienum, & his, qui per nos læsi sunt, satisfacere sit veritas vitæ, cùm sit de principiis moralibus, naturalibus, & diuinis, sequitur &c.

IIII. Qvarto, quia si quis falsum testimonium contra aliquem insontem in iudicio dixit, tenetur suum dictum in iudicio retractare, & insonti suam famam restituere; non obstante, quod in tali restitutione, ipse restituens maneat infamatus; imò etiam non obstante, quòd pœna talionis veniat in capite puniendus. Igitur infamia & mors, quę ex restitutione euentura timentur, non liberant debitorem, quò minùs teneatur. E

V. Qvinto, creditor siue læsus potest rem suam, quam alius furto abstulit, in iudicio petere, non obstante, quòd ex huiusmodi repetitione sit mors furis verisimiliter sequutura. Similiter principes possunt terras suas, & iura sua ab vsurpatoribus auferre, & eos per bellum compellere, vt quę iniustè retinent, reddant; etiamsi sit verisimile, multorum mortem inde sequuturam. Igitur à fortiori, mulier præfata in casu poterit suum crimen prodere, ad finem satisfaciendi læsis, non obstante mortis periculo, maximè cùm sua repetere, voluntatis sit; læsis autem satisfacere, necessitatis: & ideò si potest in casu mulier satisfacere, tenetur.

Resolutio quæstionis pro parte affirmatiua. His non obstantibus, oppositum videtur tenendum, quòd scilicet, mulier illa non tenetur, cum iactura vitæ, aut famæ suæ, crimen prodere; nec illo modo defraudatis *Probatur I.* satisfacere. Probatur hoc primò ex cap. Officij. de pœnitentiis & remiss. vbi quæstio mouetur in terminis de ea, quæ filium ex adulterio suscepit, aut partum supposuit, quæ id marito reuelare non audet, an sit ad pœnitentiam admittenda. Et dicit textus quòd sic. Igitur non peccat in casu, existente in ea iusto timore, si factum marito non reuelet: nam si in hoc peccaret, ad pœnitentiam admitti non deberet. F

Obiectio contra dictam rationē. Si dicas, quòd non intelligatur textus de pœnitentia sacramentali, quę est absolutio à peccatis, sed de pœnitentia iniuncta, per ipsum pœnitentem adimplenda, quæ *Solutio.* potest his, qui in peccato sunt, iniungi: hoc non videtur sufficienter dictum. Tum, quia *Ratio I.* dicit textus, quòd in hoc casu non est illi pœnitentia deneganda, sed exhibenda. In quo innuitur, quòd pœnitentia est illi debita, quod de pœnitentia iniuncta dici non potest, cùm hæc non sit necessaria, nec debita, vt Codice de confessione discussimus, sed voluntaria, tam ex parte pœnitentis; quia liberum est ei eam petere, quàm ex parte confessarij, cui liberum est eam iniungere. Igitur de pœnitentia sacramentali est textus intelli-

II. gendus. Tum etiam, quia si mulier in peccato permaneret, ratione cuius pœnitentia sacramentalis esset illi deneganda, nil illi prodesset pœnitentiam satisfactoriam pro peccatis iniungere: nam hæc locum habere non potest, antequàm culpa sit, quo ad Deum, remissa. Igitur, esto quòd pœnitentia hęc satisfactoria & iniuncta, non sit illi deneganda, adhuc sequitur illam non permanere in peccato mortali, quo ad Deum, non reuelan-

III. do crimen suum marito. Tum etiam, quia subiungit textus, quòd sacerdos illi mulieri discretam imponat satisfactionem, idque postquàm ad pœnitentiam fuerit admissa.

Iam qvaero, de qua satisfactione discreta loquitur textus; vel enim de satisfactione pro peccato commisso, vel de satisfactione defraudatis agenda? Si primum, igitur pœnitentia, quæ illi non est deneganda, non est pœnitentia iniuncta pro peccatis, quando-

A quandoquidem textus de pœnitentia non deneganda, & de satisfactione discreta imponenda, tanquam de diuersis, loquitur, vt constat; cùm dicat textus, priùs debere pœnitentiam exhiberi, deinde discretam satisfactionem imponi. Ac proinde si de satisfactione pro peccatis loquatur, necesse est, pœnitentiam non denegandam, absolutionem sacramentalem esse. Et ita illa mulier non erat in peccato mortali, non reuelando crimen suum marito. Si autem de satisfactione discreta defraudatis facienda loquatur textus, sequitur idem, scilicet, non teneri mulierem illam in casu, factum marito prodere: nam si ad id teneretur, ad finem satisfaciendi defraudatis, certè hoc illi esset necessariò per confessorem, & Papam iniungendum, & præcipiendum. Itaque non dubito, textum prætendere illam excusari à debito reuelandi crimen suum marito, iusto timore eam tenente: & ita intentum. Hanc rationem volui extendere, pro intelligentia textus, quem (iudicio meo) nonnulli Iuristæ non satis sufficienter exponunt, cum quibus & Adrianus falli videtur.

SECVNDO, idem patet ex sæpe dictis, quia restitutionis obligatio cessat, quando is, cui agenda est, consentit actu elicito, seu debito; aut quando non est rationabiliter inuitus in rei sibi debitæ retentione: sed quando restitutio fieri non potest, sine maiori dispendio & damno, quàm sit rei restituendæ iactura, non est rationabiliter inuitus is, cui res debetur, si sibi non fiat restitutio. Hoc accidit in casu præsenti: nam si vxor illa crimen suum marito reuelet, est periculum animæ mariti, qui inde scandalizabitur: est periculum vitæ ipsius vxoris, quia forte maritus zelotypus eam occidet: est etiam periculum & iactura famæ ipsius vxoris. Tacendo autem, solùm est iactura rei temporalis, puta hæreditatis integræ, in qua manebunt hæredes defraudati. Si autem cum his omnibus damnis vellent hæredes sibi satisfieri, contra ordinem charitatis hoc velle viderentur, qui exigit, vt temporalia pro vita spirituali proximi, & corporali amittantur, seu postponantur. Et ita non est in casu hæres rationabiliter inuitus, si illo modo ipsi non satisfiat. *Probatur II. resolutio quæstionis data.*

B

TERTIO, facit ad idem cap. Duo mala. & cap. Nerui testiculorum. dist. 13. vbi in sententia dicitur, quòd de duobus malis, quorum alterum necesse est eligere, quod minus est, est eligendum. Modò minus malum est, hæredem re temporali defraudari, quàm mulierem fama & vita priuari; ergo mulier in casu non peccat tacendo. Nec valet solutio Adriani, dicentis; textum procedere in casu, quo necesse sit, alterum ex duobus malis facere, cùm in præsenti casu alterum sit malum facere, quod fit non restituendo, alterum verò sit, malum alienum permittere. Non valet, inquam, quia sicut tacendo permittit hæredes defraudari; ita loquendo, seu se prodendo, permittit mala grauiora à marito euenire; etiamsi ipsa ea non faciat. Et sicut tacendo efficit, vt illi defraudentur, ita rem reuelando efficit, vt maritus indignetur, & indignatus, maiora inferat mala. Adde, quòd peius est malum positiuè causare, quàm malum permittere. In casu autem factum reuelando, positiuè causat malum infamiæ, & mortis inde sequentis; tacendo autem, solùm permittit hæredum defraudationem. III.

C

QVARTO, pro vitanda proximi morte, aut etiam propria, siue sit mors famis, siue gladij, licitum est panem alienum, aut arma aliena, aut rem quamcunque alienam, qua in casu opus est, arripere; quando alia via tali necessitati succurrendi, non apparet. Similiter res taliter captas licitum est retinere, quandiu durat præfata necessitas extrema, qua durante, obligatio rem illam restituendi cessat. Igitur pari forma mulier in casu est à restitutione deobligata, quando ex restitutione mors illi sequeretur, qualiter sequeretur in casu proposito: nam tacendo perinde est, ac si ablata retineat, ad propriam infamiam & mortem euadendam. IIII.

IAM RESPONDETVR ad argumenta, pro priori sententia adducta. Ad primum dicendum, quòd supponit falsum, scilicet, quòd in casu ius naturæ & diuinum obligent mulierem illam, cum præfatis damnis satisfacere defraudatis, quod falsum est. Cuius falsitatis ratio est aperta: quia ius naturæ & diuinum obligant ad restituendum alienum, & læsis satisfaciendum; tunc scilicet, quando iniustè, seu iniuriosè alienum retinetur. Quando autem, ex consensu domini elicito aut debito, res eius detinetur, non est iniusta, nec iniuriosa detentio, ideò tunc cessat obligatio restituendi. *Responsio ad argumenta opposita.* *Ad I.*

AD SECVNDVM dicendum, quòd si pauper sit in tali & tanta necessitate, quòd verisimile sit, illum moriturũ, nisi illi prouideatur, licitum est mihi, propria vnde subueniam *Ad II.*

non habenti, aliena à diuite accipere, vt indigentiæ extremæ illius pauperis subueniam. D
Nec in hoc erit diues ille rationabiliter inuitus, cùm id de suis rebus agam, quod ipse facere debuisset. A fortiori ergo, id ipsum poterat ipse pauper, vt propriam mortem euitaret, facere. Et ita ratio hæc potiùs militat pro nobis, nam in casu, ipsa mulier est in extrema necessitate, qua extremè indiget non restituere illo modo. Si autem pauper non sit in tali extrema necessitate, non est licitum aliena arripere, & illi ea dare; ne peccata illa, quæ alioqui facere paratus est, faciat: nam in illa, non necessitate, sed voluntate sua nequam incidet.

Ad III. AD TERTIVM, admisso, quòd regula procedat, non solùm de veritate iustitiæ, sed de veritate vitæ, falsum tamen est, quòd in casu sit de veritate vitæ illo modo satisfacere defraudatis. Sunt enim ea opera de veritate vitæ spiritualis, sine quibus charitas haberi non potest, seu sine quibus verè Dei voluntatem, prout tenemur, non adimplemus. In casu autem non est voluntas Dei obligatoria, vt illo modo satisfiat hæredibus læsis, vt ex dictis satis patet; & ita falsum est, quòd illo modo satisfacere, sit de veritate vitæ.

Ad IIII. AD QVARTVM dicendū, quòd si ex falso testimonio data est causa, vt insontis fama, simul & vita periclitetur, non mirum si falsarius, cū propriæ famæ iactura læsum ab infamia simul & morte liberet, sicut tenetur: imò & cum vitę proprię dispēdio, si ad liberandum insontem à morte sit necessariū. Exemplum est clarum. Si debitor & creditor sunt in æquali necessitate, qua re, quæ debetur, indigent, & cætera paria sint; tenetur debitor E creditori debitum reddere, non obstante necessitate debitoris. Nam in hoc casu ęqualis necessitatis, non est licitum pro releuanda propria necessitate, alium simili necessitate laborantem, rebus suis spoliare. Ita nec æquali hinc inde necessitate existente, erit licitum, aliena, seu alteri debita retinere. Ita in proposito, si læsus in fama extremè indiget, quòd sibi sua fama restituatur, qua nō restituta, ad mortē est condemnandus, tenebitur, qui eum infamauit, famam eidem restituere, etiamsi inde veniat capite plectēdus. Idem dicendū, si ex infamatione, seu falso testimonio mors infamato nō immineat, nec aliud malum, præter infamiam, aut rerum temporalium amissionem, tenebitur infamator, cum periculo similis dispendij, famam iniustè ablatam restituere. Secùs in casu nostro, in quo id, quod debetur, non est nisi bonum aliquod temporale, quod læsis ad vitam, vt suppono, necessarium non est. Damnum autē, quod ex restitutione huiusmodi fieret, in casu est longè maius, scilicet, infamia restituentis, simul & mortis probabile periculum.

Quatenus fama proximo sit restituenda, etiam cum propria fama detrimento.

Ad V. AD QVINTVM dicendum, quòd repetere in iudicio rem furto sublatam, illicitum non est: quanquam inde mors furis sit euentura, quando iustè euentura est, hoc est, iudicis authoritate interueniente. Sicut enim reum iuridicè esse occidendum non obstat, quo minùs possit alius eum accusare, & contra eum deponere, aut delictum denuntiare: ita non obstat, quo minùs læsus possit rem suam in iudicio petere, nec mors damnificatoris imputabitur lęso agenti, sed ipsi reo, qui fecit, vnde damnari mereretur. Secùs esset, si aliundè esset mors lædentis euentura, scilicet, iniustè, & ex indignatione, ira, aut ignorantia occidentis: tunc enim illicitum est, rem debitam cum tanta debitoris iactura petere. Sicut in casu pręsenti, si vxor crimen marito reuelet, iustè timetur mors ex indignatione mariti euentura. Idem dicatur de principe, bellum contra rerum suarum vsurpatorem mouente, quia hoc licitum est, non obstante, quòd inde sit verisimile, multorum neces euenturas, eò quòd supposita iustitia belli, damna, quę inde aduersariis eueniunt, iustè illis euenire constat. De quo postea in Codice de damnis reparandis. F

Potest quis repetere in iudicio rē furto ablatam, etiam cum periculo vita rei iustè accusati.

Obiectio. SI OBIICIAS, quòd ad minùs si præsumatur, quòd maritus non de facto vxorem crimen prodentem occidet, sed iuridicè contra eam in iudicio procedet, vsque ad iuridicam condemnationem, quòd tunc debebit vxor crimen reuelare, vt læsis satisfaciat,

Solutio. Dicendum negando sequelam: quia, quamuis læsis licitum sit, contra reum in iudicio agere, non solùm ciuiliter, sed criminaliter, modò non zelo vindictæ, sed iustitiæ id faciat: non tamen qui reus est, tenetur sponte se prodere, & crimen suum vel in iudicio, vel extra publicare, antequam contra eum agatur: cùm nemo seipsum accusare teneatur. Et ex consequenti, vxor in casu non tenetur marito aliquid reuelare, vnde in iudicio possit contra eam criminaliter agere.

Remedia aliqua circa casum quæstionis propositum. I. QVID AVTEM est illi fœminæ agendum, quæ ex adulterio, inscio viro, filios suscepit? Respondetur, nōnulla solent remedia illi dari. Primū est, si ipsa fœmina habet bona paraphernalia, seu propria aurea habere potest, quæ possit, pro suo arbitrio, distribuere: tunc

A tunc de huiusmodi bonis tenetur defraudatis satisfacere. Si hoc medium locum non habeat, est secundò remedium, vt huiusmodi fœmina nitatur prout potest, filium spurium inducere, vt religionem ingrediatur, aut talem viuendi statum accipiat, quatenus certè portio hæreditatis, aliis debita, ad eum non perueniat. Quòd si hoc remedium locum non habeat, est tertium remedium, quòd huiusmodi fœmina reuelet factum filio spurio, & hoc esset de necessitate agendum, si aliud medium deesset, concurrẽtibus tribus, scilicet si sit verisimile, quòd filius credet matri, & quòd inde non sequatur scãdalum, aut aliud maius damnum, & quòd per hoc verisimiliter speretur indemnitas eorum, qui defraudati sunt. His autem, aut aliquo eorum cessantibus, non tenetur filio spurio crimen suum reuelare.

II. *III.*

AN AVTEM filius teneatur fidem adhibere matri nécne, dicendum, quidquid sit de foro iudiciali, quòd in foro conscientiæ non teneatur ei credere, nisi causam sufficiẽtem ad credendum habeat. Si enim mater durè illum tractauerit, odioq; eum habuerit, econtrà verò alios legitimos filios amanter fuerit prosequuta, illisq; signa dilectionis ostenderit, tunc poterit spurius, audita narratione matris, præsumere, quòd mater ex odio contra ipsum habito, & vt cæteris filiis proficiat, id velit spurio persuadere: si tamen benignè & amanter eum tractauerit, ipsaque sit moribus reformata, timoratæ conscientiæ, & propriæ famæ amica, nec mentiri solita; maximè si in articulo mortis sit, aut tempore B sacro, puta, hebdomada sancta, quando factum filio spurio reuelat, tunc filius videtur, quòd debeat illi fidem adhibere, cùm causam ad oppositum credendum non habeat efficaciorem.

Dubium. *An fili⁹ teneatur credere matri adulteræ, se spurium esse natum.* *Solutio.*

VERVM si hoc tertium medium locum non habeat, est quartum remedium, quod id reuelet marito, vt ipse cautè det operam, quò meliùs possit, ne legitimi hæredes defraudentur. Et hoc remedio videtur esse vtendum, concurrentibus tribus, scilicet, quòd maritus fidem adhibebit vxori, & quòd non inde timeatur verisimiliter scandalum, aut aliud notabile damnum euenturum, & quòd speretur filiorum legitimorum aliorúmue hæredum indemnitas, quibus deficientibus, non opus est hoc remedio vti. Quòd si nullum ex his remediis locum habere potest, non video, quid illi fœminæ agendum supersit, nisi acta pœnitentia, rem Domino commendare.

Remediũ aliud in casu propositæ quæstionis.

ILLVD tamen dicendum est, pro intelligentia Adriani, quòd, scilicet, periculum probabile mortis ex reuelatione marito facta euenturæ, non semper liberet vxorem à debito reuelandi, si ex reuelatione hæredum indemnitas speratur, & hoc est, quando non ex ira, aut indignatione, sed ex malitia mariti mors præsumitur euentura, vt si vxor cognoscat virum per eam facile placari posse, crimine reuelato; nec ob id eum fore iracundia commouendum: scit tamen alios viri cõsanguineos ipsam vxorem odio habentes, occasione sumpta (quam fortè quærebant) virum commoturos, vt vxorem interficiat, tunc occisio non ex fragilitate, aut ignorantia mariti, sed ex malitia, nec data occa- C sione, sed accepta fiet: tunc verum esse puto, quòd vxor teneatur crimen prodere, non obstante periculo mortis probabili. Quæ em̃ de præcepto sunt, prætermitti non debent ad vitandum scandalum passiuum, aut damnum ex malitia aliorum euenturum. Idem dicatur de infamia vxoris, si non ex passione mariti, sed ex malitia eius euentura timetur; quòd hoc non obstante, debet se marito prodere, si, vt dixi, inde speratur defraudatorum indemnitas. Et si hoc verum esset, non est difficile has positiones cõcordare. Sed hoc quid veritatis habeat, statim videbitur.

Casus pro veritate prioris sententiæ dictæ quæstionis.

QVANTVM sit damnum ex restitutione euenire potens, quod obligationem restituendi excludat, non puto posse regulam generalem tradi. Si tamen tale & tantum est, vt is, cui est restitutio facienda, teneatur euitare seu impedire, nec aliter vitari possit, nisi per rei debitæ detentionem, seu per non restitutionem, tunc illa causa existente, cessat obligatio restituendi. Huius ratio est clara, quia in tali casu, debitor rem alienam, contra voluntatem creditoris, non detinet, imò eam ex consensu eiusdem saltem debito tenet. Sed cùm homo teneatur proximum suum ab iniusta morte, si potest, defendere, siue illi mors ex passione, siue ex malitia inferatur, si non aliter illum defendere possit, nisi cum iactura rei temporalis, tenebitur talem iacturam pati, vt proximum ab iniusta occisione defendat. Et ex consequenti, si in casu suprà disputato, vxor timeat verisimiliter, se à marito occidendam, siue ex passione, siue ex malitia, si crimen adulterij illi prodat, non tenetur illud prodere, nec illo modo hæredibus restituere, seu

Quale debeat esse damnum, quod restituẽdi obligationẽ excludat.

 satisfa-

satisfacere, ex quo illi debent, cum suarum rerum iactura, illam à morte etiam ex malitia euētura liberare, si possunt. Et ita nec limitatio nuper in fauorem positionis Adriani posita, videtur tenenda. Et quamuis non sit de scandalo, quod ex malitia euenit, curandum, quò minùs debeamus agere, quæ alioqui essent per nos agenda, hoc verum est, quando scandalum in malum ipsius scandalizati redundat. Secus, si in damnum alterius, vt in propositio casu, in quo, licet de malitia mariti, & aliorum, non esset curandum, nec sufficeret impedire restitutionem, quia tamen huiusmodi malitia, vt creditur, in mortem vxoris redundat, ideò propter mortem illam vitandam, etiam ex malitia prouenturam, est à tali restitutione cessandum. D

NOTA.

Lucrū ex restitutione cessans, non tollit similiter restituēdi obligationem.

ILLVD ETIAM addendum, quòd quamuis damnum ex restitutione subsequuturum suspendat, vel excludat obligationem restituendi; nō tamen eam suspendit lucrum ex restitutione cessans, quando huiusmodi lucrum nō sit ad naturæ sustentationem necessarium: nam si ad id esset necessarium, suspēderet prefatam restitutionem, sicut & damnum. Quod dictum, quia in se satis notum est, non opùs est probationem apponere.

Aliud dubium.

An liceat marito occidere vxorem adulterā.

Solutio communis.

EX DICTIS vna oritur dubitatio, quæ obiter nunc tangenda est. An scilicet maritus possit licitè vxorem adulteram interficere. Ad quam Doctores communiter respondent; quòd antequàm sit in iudicio de adulterio conuicta, à marito interfici non potest, sine peccato mortali, etiamsi eam in adulterio deprehendat. Cuius ratio aperta est: quia qui proximum, sine legitima authoritate, occidit, peccat contra præceptum Decalogi: sed maritus in casu non habet authoritatem eam occidendi, antequàm per iudicis sententiam sit illi tradita ad occidendum eam, si velit. Leges enim permittunt, maritum vxorem, in adulterio deprehensam occidere; ita vt interfectores non puniant, in foro tamen Dei puniendus æternaliter venit, quanquàm vehemens passio mariti multum extenuet culpam. Post sententiam autem iudicis, contra adulterā latam, poterit maritus eam licitè occidere, vt tenet Thomas in 4. distin. 37. q. 1. quē cæteri Doctores sequuntur: vbi ait, non esse dubium maritum illum in hoc casu, culpa & pœna carere, si vxorem, ex zelo iustitiæ, non ex appetitu vindictæ occidat. Ratio est, quia ille iam non sua, sed publica authoritate id agit ex licentia & sententia iudicis, iubentis eam marito tradi, vt si velit, eam occidat. Pro quo facit quod dicitur 33. q. 2. cap. Interfectores suarum coniugum sine iudicio, homicidæ sunt. E

Obiectio siue sententia quorūdam dicentium neq; post sentētiam à iudice latam licere marito adulteram occidere.

VERVM contendebant nonnulli, virum mortaliter peccare, etiamsi cum iudicio & sententia à iudice lata, vxorem adulteram interficiat, hac ratione moti: Quia non habet maiorem authoritatem, ad eam occidendum, post iudicis sententiam, quàm antè. Nam quæro, vnde habet illam authoritatem, vel à lege diuina veteri, quæ iubebat adulteram lapidari; vel à lege diuina noua; vel à lege humana Canonica; vel ciuili; vel ab ipso iudice sententiam ferente? A lege diuina veteri non; quia illa iam per legem nouam, specialiter quod ad cæremonialia & iudicialia, reuocata est: igitur illa nunc nullam authoritatem præstat, ad coniugem occidendum: & si præstaret, non solùm posset maritus eam occidere, sed teneretur, quandoquidem lex illa præceptiua erat, quæ adulteram lapidari iubebat. Consequens tamen est falsum, vt patet. Nec habet authoritatem à lege noua; quia hæc nusquàm iubet nec cōcedit maritis, vt vxores adulteras interficiant: imò Christus adulteram accusatam clementissimè absoluit. Nec à lege Canonica; nam hæc nulli cōcedit, vt adulteram coniugem occidat, horret enim sanguinem, & viros sanguinolentos irregulares efficit, etiamsi iustè quēquam occidi faciant. Nec à lege ciuili, nam hæc, in hac re, non aliud disponit, quàm quòd iudex in sententia sua iubeat vxorem, de adulterio conuictam, viro suo tradi, vt si velit, eam interficiat, & si velit, secum retineat. In hoc autem nec lex, nec iudex videtur dare marito authoritatem eam occidēdi, cùm nec illi id iubeat, nec concedat, sed rem suo arbitrio committit, ita, vt si eam occidat, impunè id fecisse iudicabitur, nec ob id pœna vlla erit à iudice puniendus. Hoc autem non releuat eum à culpa, cùm non necessitate legis, sed sua propria voluntate eam interficiat. F

Responsio pro I. sententia.

Authoritas à iure vel iudice alicui concessa, in duplici differentia est.

RESPONDETVR quòd maritus coniugem occidit in casu, authoritate iudicis, iuxta leges iudicantis. Vnde dupliciter potest aliquis authoritatem à iure, vel iudice ad aliquid habere; scilicet, cū iussione & pręcepto iuris, aut, iudicis, & sine pręcepto & iussione. Primam habent ministri iustitiæ, quia iudices tenentur iuxta leges iudicare, executores autem, vti sunt spiculatores, tenentur iuxta mandatum iudicis, quod iudicatum fuerit, exequùtioni mandare. Secundam autem authoritatem, cum libertate habent

mariti

A mariti ad occidendum coniuges adulteras, & dicuntur etiam ministri iustitiæ, sed voluntarij. Quemadmodùm princeps, qui supra leges est, potest, si vult, reum condemnare, aut etiam si vult, absoluete. Sic etiam sacerdos à curato licentiatus, authoritatem habet sine iussione tamen, aut necessitate ad pœnitentes, in confessione audiendos, si velit, & ad eosdem absoluendos, si velit. Sic etiam multi iudices delegati, authoritatem habent ad excommunicandum, si velint, etiamsi id facere non teneantur. Itaque quòd relinquatur in voluntate mariti, vt si velit vxorem adulteram occidat, non impedit, quò minùs iuris, aut iudicis authoritatem ad eam occidendam habeat.

Qvod avtem sine iudicio maritus vxorem adulteram licitè possit interficere, arguitur primò ex cap. Interfectores. 33. q. 2. vbi Nicolaus Papa ait: Interfectores suarum coniugum sine iudicio, si non addas, adulterarum, quid aliud censendi sunt, quàm homicidæ? In quo significat, quòd interfectores suarum coniugum adulterarum non sunt homicidæ: alioqui impertinenter dixisset, si non addas adulterarum. Et ibidem in cap. Admonere. ait Stephanus Papa, Astulphum, quòd vxorem suam interfecisset, tanquam homicidam reprehendens, pro causa assignat, quòd non inuenisset eam cum alio viro, rem nefariam facientem. Vnde à contrario videtur colligi, quòd homicida non esset, nec reprehensione dignus, si eam cum alio viro rem nefariam facientem inuenisset. *Argumenta quædam ad probandum licere etiã marito adulteram occidere absq; iudicio.* I.

B Secvndo licitum est patri, filiam in fornicatione deprehensam, occidere, idque ex lege ciuili. l. nec in ea. ff. de adulteriis. Igitur etiam licet marito vxorem in adulterio deprehensam occidere. Consequentia videtur, quia magis excusabile est factum si maritus vxorem adulterantem occidat, quàm si pater filiam interimat fornicantem, ex quo vehementiùs mouet maritum dedecus, & infidelitas vxoris, quàm culpa filię moueat patrem. Nec tam naturale est marito vxorem, quàm patri filiam diligere. II.

Tertio, nemo peccat authoritate legis, vt inquit Augustinus, & habetur 23. q. 4. ca. qui peccat. Vnde si quis furem nocturnũ occidat, non peccat, cùm ad id legis habeat authoritatem: sicut nec peccat quis, si pro sui defensione inuadentem occidat, cùm lex ad id authoritatem concedat. Igitur nec maritus vxorem adulteram occidendo peccabit. III.

Respondetvr, hæc minimè contra propositam sententiam cõcludere. Ad primum dicendum cum glos. quòd non ideò dixit (si non addas adulterarum) quia velit significare homicidam non esse, qui adulteram sine iudicio occidit, sed innuit, quòd homicida sit, qui vxorem sine iudicio occidit: maximè si adultera nõ sit. Aut dicatur, Papam id dixisse, habito respectu ad leges ciuiles, secundùm quas, qui vxorem in adulterio deprehensam occidit, non haberi pro homicida, quo ad pœnam. Quod videtur significare idem Nicolaus Papa in cap. immediatè sequenti, vbi ait, licere secundùm mundanam legem, vxorem adulteram interficere, non tamen secundùm legem Ecclesiasticam. Ad C capit. Admonere, quod est Stephani Papæ, dicendum, quòd non assignat pro causa homicidij, quòd vxorem adulterantem inuenit, sed pro causa huius, quòd est Astulphum tam crudeliter vxorem occidisse, cùm causam mortis in ea nõ inuenerit: & ita illi textus non procedunt. *Respondetur ad primum.*

Ad secvndvm dicendum, quòd lex nec patri, ad occidendam filiam, nec marito, ad occidendam vxorem, sine iudicio authoritatem præstat, ideò vterque occidendo peccat. Sed obiicitur contra hoc, quia lex facit differentiam inter patrem, in occisione filiæ, & inter maritum, in occisione vxoris. Si patri non daret authoritatem, sed tantùm permittat eum impunè filiam occidere, cùm hoc idem permittat marito, quando vxorem in adulterio deprehendit, nullam videretur inter patrem, & maritum differentiam lex facere. Dicendum, quòd differentia hæc est, quòd patri permittitur, filiam in actu turpi deprehensam, occidere sine vlla pœna: marito autem non ita simpliciter, sine omni pœna id permittitur, sed cùm longè mitiori pœna, quàm alioqui mereretur. Cuius discriminis causa videtur esse, quia maritus non habet vxorem tanquàm aliquid suum, seu infrà se, sed tanquàm sociam: pater autem habet filiam non tanquàm sociam, sed tanquàm aliquid sui, & infra se: & etiam, quia pater filiam coëuntem occidendo, nulli videtur iniuriam facere; maritus autem vxorem occidendo facit iniuriam legi Matrimonij, per quod illi sociata est, vt innuitur in cap. Admonere, suprà citato. Similiter parentibus ipsius &c. *Ad II. Obiectio. Solutio.*

Ad ter-

Ad III. Ad tertium dicendum, quòd illud ait Augustinus de authoritate legis diuinæ, D & esto id ad legem humanam velimus extendere, debet intelligi de lege iubente, aut concedente, non de lege solùm permittente. Nam leges humanæ multa permittũt, quæ puniri nolunt, cùm tamen apud Deum iniqua sint & peccata, & qui huiusmodi legibus vtitur, non excusatur à culpa, licet excusetur ab humana pœna.

Causa seu quæstio quinta. An solutio debiti facta creditori creditoris, excuset debitorẽ à restitutione.

Qvinta causa, est solutio debiti facta creditori creditoris, quæ si fiat de scientia & consensu creditoris, non dubium, quin liberet debitorem. Si autem fiat creditore inscio, aut eo inuito, est quæstio, an liberet debitorem, vt si ego debeo Petro decem, Petrus autem tantundem debet Ioanni, an ego sim liber, si quod Petro debebam, soluam Ioanni, qui est secundus creditor. Et distinguit Bartol. Quia, si secundus *Sententia I.* creditor, puta Ioannes, & ego debitor, sumus ex eadem causa debitores, satisfacio, si Ioanni soluam, quod Petro eram soluturus. Vt si ego cõduxi domum à Petro, qui eandem à Ioanne conduxerat: aut si ego mutuo accepi à Petro decem, qui Petrus à Ioanne mutuo acceperat, satisfacio, si soluo Ioanni, cui Petrus debitor erat, secus si ex causa disparata ego, & Petrus sumus debitores, vt si ego debeo Petro decem, quę mihi mutuauit: Petrus verò tantundem debet Ioanni propter rem, quam ab eodem emerat; tunc si Petro inuito, aut inscio, soluo Ioanni, non liberor à debito, quo tenebar Petro. Dimitto iura, quæ pro hac sententia ipse citat.

An pdicta sententia sit etiam vera in foro cõscientiæ.

Sed esto, hæc opinio vera sit in foro contentioso, an sit similiter vera in foro cõ- E scientiæ. Super quo clamorosam satis contentionem inter quosdam audiui, super casu sequenti, in quo præfata quæstio inuoluitur. Ego debebam Petro decem, & totidem debebat Petrus Ioanni, sed Ioannes, ob defectum probationis, non poterat iuridicè, nec alia via sua decem recuperare, defunctus est Petrus, cui ego decem debebã, quod meum debitum occultum erat, quia clam illa decem à Petro abstuleram, sed ego sciens Petrum tantundem Ioanni debere, solui Ioanni decem, quæ ego Petro debebam, an potui illud, salua conscientia, facere, manens à restitutione liber? Pro parte affirmatiua arguebatur,

Argumẽta partis affirmatiuæ.

I. Primo, quia ego in casu id feci, quod Petrus facere debuisset, & rem eius vtiliter egi, ex quo id ad salutem animæ ipsius Petri expediebat: & in hac solutione per me facta consensit, aut saltem consentire debuisset Petrus, si sciret me pro illo suum debitum soluisse. Igitur nec peccaui, nec maneo obligatus, illa quæ semel pro Petro solui, iterum illi, aut hæredibus suis soluere, quandoquidem in foro conscientiæ iniustum est, vt quod semel solutum est, iterum soluatur.

II. Secvndo, idem videtur à simili. Si diues pauperi, in extrema necessitate existenti, nolit, cùm debeat, subuenire: ego non habens vnde illi subueniam, potero, etiam diuite inuito, bona sua inuadere, & dare pauperi, ne fame pereat, idque potero absque peccato, & absque debito restituendi, vt ex supradictis, simul & communi sententia Doctorum patet. Igitur etiam in casu, ego videns quòd Petrus nec soluit, nec soluere vult F Ioanni, quod illi debet, potero, quod Petro eram soluturus, soluere Ioanni, & specialiter in casu hoc, quo Petrus defunctus est, qui si in gloria sit, aut in Purgatorio, non dubium, eùm consentire in hoc, quòd Ioanni soluatur, quod ille debebat. Si autem in Inferno sit, quamuis non actu consentiat, non dubium, debere iuxta rationem consentire.

III. Tertio, ego illo modo in casu soluens Ioanni, nulli facio iniuriam, quia non defuncto; constat, ex quo facio, quod ipse, si viueret, facere deberet. Nec etiam hæredibus defuncti iniuriam, seu præiudicium facio, quia sicut succedunt in bonis defuncti; ita etiam succedunt in obligatione, qua defunctus tenebatur: & ita defuncto, & hæredibus suis beneficium facio, eos à debito, quo Ioanni tenebatur, exonerando, potiùs quàm præiudicium.

Alia sententia negatiua.

Qvi vero contrariam tenebant opinionem dicebant, me in casu peccare, id quod alicui personæ determinatæ debeo, eo inuito, alteri soluendo: iniustum esse putantes, quæ aliena sunt, sine domini consensu alienare, nec creditorem amittere actionem contra me, si quæ illi debebam, eo inuito, alteri persolui. Nec verum est vniuersaliter, me à culpa, & restitutione liberum esse, si id facio, quod creditor facere debuisset. Sicut culpa non caret homo priuatus, homicidam occidendo, quod iudex facere debuisset. Nec confessor, si alienum absoluat, quod proprius sacerdos facere debuisset.

Nec

A Nec qui aliena inuadit, contra domini voluntatem, ad sibi, aut pauperi subueniendum, etiamsi id dominus ipse facere debuisset, si monitus sponte fecisset.

Deinde, si ego in casu id quod debeo Petro, eo inuito, possem Ioanni soluere, similiter possem, si nil Petro deberem, sciés quòd Petrus debeat Ioanni, bona Petri clam, aut palàm arripere, vt Ioanni detur, quod illi per Petrum debitum esse scio, quod tamen videtur falsum, quia non sunt facienda mala, vt eueniant bona. *Soluuntur argumenta partis affirmatiuæ. Ad I.*

Nec valet quod in secunda ratione tangebatur, quia si caret culpa qui aliena accepit, vt pauperi subueniat, ideò est, quia non potest pauperi extremè indigenti subuenire. In casu autem præsenti, Ioannes non est in tanta necessitate, vt sine solutione debiti viuere non posit. Sed nec pertinenter adductum est, si defunctus sit in gloria, aut in Purgatorio, aut in Inferno. Nam ex quo defunctus est actu, & ius, quod defunctus cõtra me habebat, in hæredes transiit, ideò non defuncti, sed hæredum voluntas in casu erat attendenda. *Ad II.*

Ad tertivm etiam respondebant, non expirare actionem hæredum contra me per hoc, quòd eos à debito, quo Ioanni tenebantur, liberaui; cùm id non de eorum consensu feci, imò & ipsis rationabiliter inuitis, videtur me id fecisse, quia fortè si rem illis aperuissem, ipsi consensissent, aut per seipsos Ioanni satisfecissent, & ideò quia clam, & illis insciis, rem illis debitam alteri reddo, non liberat me, vt dicunt, à culpa, nec à debito B satisfaciendi hæredibus. *Ad III.*

His non obstantibus, videtur dicendum, aliud esse debitorem in casu à culpa liberari, aliud verò à debito restituendi, seu immediato creditori soluendi. Et quidem si res debita in specie esset reddenda, ita vt functionem non admittat, culpa esset immediato creditori non reddere, nisi ad alteri mediato creditori non reddendum, consensus prioris, aut iudicis authoritas adesset. Si autem res debita functionem admittat, nec sit res in specie reddenda, tunc culpa non est, debitum creditori, creditoris soluere. Excepto, nisi huiusmodi solutio in fraudem, aut damnum fiat immediati creditoris, nam tunc nõ solùm est culpa in debitorem, sed tenetur de damno. Si autem sine fraude & damno fiat creditoris, tunc non video debitorem peccare, si pro creditore immediato, alteri debitum soluat, etiam eo inuito, quia sic nemini præiudicat, nisi sibi ipsi, si fortè immediatus creditor contra eum agere velit, vt quod sibi debebatur, ab ipso recuperet, cui periculo potuit debitor sine peccato se exponere. *Resolutio bimembris. I. Quatenus in casu debitor à culpa liberetur.*

Qvantvm verò attinet ad restitutionem agendam, facta vt præfertur solutione, dicendum, quòd in conscientia tollitur obligatio. Cuius ratio videtur aperta, quia per pręfatam solutionem res est iam ad ęqualitatem redacta, sumpta securitate, quòd secundus creditor non aget contra priorem. Nam secundus creditor habet iam, quod sibi à priori debebatur, prior autem est iam à debito, quo secundo tenebatur, liberatus, debitor etiam iam reddit, quod debebat. Vnde constat, omnes æquales manere, vltra quod C forum conscientiæ, seu iustitia nil aliud exigit. *II. In casu quæstionis, tollitur obligatio restituẽdi in foro conscientia. Ratio I.*

Secvndo idem apparet, quia ex quo debitor soluit Ioanni pro Petro præfata decem, quæ Petrus Ioanni debebat, cùm Ioanni sit satisfactum iure naturæ, videtur debitor succedere in actione, quam Ioannes contra Petrum habebat, & ita casu fit, vt tantum debeat Petrus debitori, quantum debitor ipsi Petro. In quo casu certum est, locum habere recompensam. *II.*

Corollarie sequitur, impertinens esse, in foro conscientiæ debitores ex eadem causa teneri, aut ex diuersa, sed ex eadem siue diuersa facti sint debitores, currit pręfata resolutio, simul & ratio. *Corollarium I.*

Seqvitvr ampliùs, ad casum propositum esse, cum prima opinione respondendum, quòd ego sine culpa pòtui Ioanni pro Petro defuncto soluere, hæredibus insciis, & inuitis, & quòd per talem solutionem sum à debito, quo tenebar in conscientia deobligatus, cùm debitum tale esset, quod functionem admitteret, non solùm vbi meum debitum esset hæredibus notum, sed etiam & à fortiori, vbi incognitum esset. *II.*

Sexta causa est rei debitæ interitus. Et est quæstio, an, si res debita pereat in potestate debitoris, liberet ipsum debitorem à debito restituendi, seu soluendi? De qua quæstione, quia inferiùs latiùs fortè tractabimus, quando de rebus furtiuis agetur, ideò nunc breuiter dicendum, distinguendo de re debita. Quia vel est res in specie debita, qualis est res aliena, quæ functionem non recipit: Aut est res debita in genere, *Causa siue quæstio sexta. An si res debita pereat in potestate debitoris, liberet eum à restitutione. Nota pro solutione.*

genere, vt Iuristæ loquuntur, ita vt nulla determinatè debita sit. Si primum, iterum distinguatur: quia vel debitor est in mora, tempore quo res apud eum perit, vel non. Similiter est videndum, an res huiusmodi pereat ex culpa debitoris, vel non. Et tunc dicendum, quòd si res est in specie debita, & debitor non est in mora, nec ex culpa eius res huiusmodi periit, liberatur à debito restituendi, seu soluendi, nec creditor habet actionem ampliùs contra talem debitorem. Ratio, quia creditor immediatè & directè habebat ius ad præfatam rem, & non ad personam debitoris, nisi mediatè & indirectè; ac proinde pereunte re, & non ex culpa debitoris, perit actio, quam creditor contra debitorem habebat. Secus, si ex culpa debitoris res periisset; quia tunc debitori est imputandus interitus, & tenebitur ad æstimationem rei debitæ. Exemplifica in commodato, locato, deposito, impignorato; de qua autem culpa debitor teneatur, videbitur posteà in Cod. de damnis reparandis &c. D

Conclusio I.

Conclusio II. SI AVTEM debitor fuit in mora, & nunquàm fuit mora purgata, & periit res in specie debita, tenebitur similiter ad æstimationem eius. Quia ex quo fuit in mora, fuit illius rei iniustus detentor, & creditorem iniustè damnificauit, rem eius, eo inuito retinendo, & perinde est, ac si pro tunc rem furtiuam retineret. Dico, nisi mora sit purgata, quia si purgata sit, ex tunc desinit esse in mora; etsi postea res pereat, liber erit debitor, ac si nunquàm in mora fuisset. Purgatur autem, si debitor offerat rem suo domino, volens eam, vti debet, illi reddere; & creditor seu dominus eam recipere nolit. E

Quãdo debitor dicatur esse in mora rem restituendi. SI QVAERAS quando dicitur debitor esse in mora? Dicendum, quòd quando tenetur rem reddere, & non reddit; quia tunc est iniustus rei alienæ detentor. Hoc autem est, quando obligatio est ex delicto orta, vt si debitor rapuit, vel furatus est, aut si ex contractu, & assignatus est dies solutionis, adueniente die designato, si non soluit, est in mora; aut si dies asignatus non est, creditor tamen petit rem sibi reddi, aut solui, si tunc non soluatur, erit in mora ipse debitor, supposito, quòd sit soluendo.

Conclusio III. SI AVTEM res non in specie, sed in genere debita sit, tunc quamuis pereat, etiam sine culpa, aut mora debitoris, non excluditur obligatio restituendi, seu rem debitam soluendi; vt si res debita sit pecunia, vel vestis, vel equus non determinatus; aut aliud huiusmodi, & pereant, manet debitor obligatus. Ratio est clara. Quia obligatio directè & immediatè erat non in re aliqua debitoris, sed in persona eius, licet mediatè sit in re; ideò pereunte re, manet eiusdem personæ obligatio. Excepto, nisi res debita fuerit obsignata, & creditori opportunè oblata, quam tamen recipere noluit, si deponatur illa res sic determinata, & pereat, tũc liberatur debitor. Ratio, quia ex quo res obsignata, & determinata est, & tãquàm res creditoris apud aliquem deposita, perinde est, ac si esset in specie debita. Et etiam, quia debitor rem illam creditori offerendo, quando soluere tenebatur, videtur soluisse, vel quasi, & quia creditor solutum accipere noluit, illi imputabitur, si res postmodùm perierit, non debitori, qui id fecit, quod debuit.

Limitatur prædicta solutio. I.

II. DIXI notãter, si res fuerit opportunè creditori oblata, quia stat, quòd debitor rem debitam in genere, aut in specie offerat creditori, & eo nolente eam recipere, debitor rem illam apud aliquem deponat, vbi sine culpa debitoris pereat, & quòd debitor non sit à debito liberatus; vt si non opportunè, seu non quando debuit, eam obtulit. Pro quo notandum videtur, quòd si res debita est cum termini præfixione, adueniente termino, opportunè offertur, quam si tunc creditor accipere nolit, & posteà sine debitoris culpa pereat, imputabitur creditori, non debitori. F

III. SI AVTEM offeratur ante termini præfixi aduentum, videatur an terminus sit appositus, in fauorem debitoris, vel creditoris. Si debitoris, vt in cõmodato, & mutuo &c. poterit debitor terminum præfixum præuenire, & soluere debitum; quod si creditor recipere nolit, & res pereat, iterum non debitori, sed creditori imputabitur. Si autem fuit terminus in fauorem creditoris adiectus, vt in locato, tunc si debitor rem illam locatam velit ante terminum reddere, non tenebitur creditor eam recipere; nec tunc liberabitur debitor, si res debita ante terminum oblata pereat. Si tamen, elapso termino præfixo, debitor rem debitam offerat, & obsignet, & pereat, ex quo moram, si qua fuerit, tunc purgat, rei interitus creditori imputabitur, vt suprà. Si autem terminus non fuit appositus, quocunq; tempore rem soluat, satisfacit, quam si creditor recipere nolit, & pereat, iterum creditori non debitori imputabitur. Quæ omnia cùm satis sint nota, non opus est in eorum probationem iura citare.

ESSET

A Esset tamen dubium, si res, quæ in potestate debitoris periit, erat eodem modo apud creditorem peritura, an teneatur debitor eodem debito. Ad quod quamuis soleat distingui, vnde fuerit huiusmodi debitum ortum, ex delicto, scilicet, an ex contractu, seu alio titulo non inhonesto: si ex delicto, non excluditur obligatio, secus si ex contractu, videtur tamen ad præsens parum referre, ex delicto, vel contractu huiusmodi debitum processisse, si ita est, quòd res illa erat absque dubio alioqui apud dominum saltem statim peritura, nam tunc in conscientia liberatur debitor ab obligatione, qua tenebatur. Cuius ratio est clara. Quia si post huiusmodi rei interitum, nihil creditori pro re, quæ interiit, soluatur, nullum illi fit præiudicium, nec in bonis animæ, nec corporis, vt patet, nec in bonis fortunæ, quia per non solutionem, non minus habet in bonis fortunæ, quàm alioqui esset habiturus, si res ante interitum reddita fuisset, vt constat ex casu, dempta vtilitate, si quam ex re illa percepisset, si illi ante interitum reddita fuisset, nam ad hanc tenebitur morosus debitor. Aut si rem erat dominus alioqui venditurus, nam tunc morosus debitor tenebitur ad rei æstimationem. Et in his casibus refert, ex contractu, an ex delicto res fuerit possessa.

Aliud dubium. An si res, quæ in potestate debitoris perijt, erat etiam apud creditorē peritura, liberetur debitur à restitutione. Resolutio affirmatiua. Probatur I.

Deinde restitutio actus iustitiæ est, quæ æqualitatem requirit. Si autem debitor in casu post interitum rei tenetur ad eius æstimationem, etiamsi dominus rem venditurus non erat, nō seruaretur huiusmodi æqualitas, quia creditor plus haberet, quàm alioqui esset habiturus, idque cum damno debitoris. Modò autem iustum non est, quenquā cum iactura alterius velle locupletari. Pro quibus facit l. 1. ad legem Rhodiam de iactu. vbi dicitur: Si nauta, cùm sciret dominum nolle, posuit res in naui deteriori, quàm cum domino mercium conuenerat, & perierint, tenetur; nisi fortè illa nauis melior, in qua fuerant ponendæ, perierit. In quo casu licet nauta in culpa fuerit, rem contra conuentionem in peiori naui ponendo, non tamen tenetur res, quę perierunt, restituere, ex quo alioqui non minùs erant perituræ. Sed de his latiùs inferius, vbi alia ponetur responsio rigori iuris magis consona, infrà Quæst. 6. II.

B

Septima causa est iuris, aut iudicis authoritas, de qua est quæstio; an, qui iuris, aut iudicis authoritate aliquid tenet, alioqui non suum, aut alteri debitum, liberetur in conscientia à debito restituendi? Et est ratio dubitādi pro parte affirmatiua, quia secundùm Augustinum, nemo peccat legis authoritate vtens. 23. q. 4. cap. qui peccat. Qui ergo iuris authoritate rem aliquam possidet, non peccat, & per consequens, eam restituere non tenetur. Prætereà talis rei retentio non est iniuriosa, nec iniusta, si iure retinetur. Quia non nascitur iniuriæ occasio, vnde iura nascuntur. C. Vnde vi. l. meminerunt. Et quod iure fit, iustè fit 14. q. 4. cap. quid dicam. Igitur si res iure retinetur, iustè retineretur; si iustè, igitur nulla culpa est eam retinere, & per consequens, nō est necessariò restituenda. Quòd etiam ea, quæ per iudicis sententiam secundùm iura latam iustè retineantur, apparet, quia ex quo leges iustæ sunt, & iudex secundùm eas pronuntiat, iusta igitur erit sententia iuxta eas lata, & is, pro quo sententiatum est, tutus erit, rem illam possidendo; & per consequens, liber à restitutione, exceptione rei iudicatæ.

Causa siue quæstio septima. An qui iuris aut iudicis sententia tenet aliquid non suum, aut alteri debitum, excusetur à restitutione. Ratio pro parte affirmatiua.

C

Oppositvm tamen videtur, scilicet, quòd non semper tutus sit, nec à restitutione liber, qui secundùm ius, aut iudicis sententiam aliquid tenet. Patet hoc de eo, qui rem suam vendendo, emptorem citra dimidium iusti pretij defraudauit, secundùm ius, & in foro exteriori tutè retinet excessum pretij iusti. Nam in contractibus naturaliter licet contrahentibus se circumuenire, vt iura dicunt l. in causæ ff. de minoribus. & ff. locati. l. Item si pretio, §. fin. vbi dicitur; Quemadmodùm in emendo & vendēdo naturaliter cōcessum est, quod pluris sit minoris emere, & quod minoris sit pluris vendere, & ita inuicem se circumscribere: idem in locationibus & conductionibus iuris est. Et tamen in conscientia talis venditor tutus non est, excessum pretij iusti retinendo. Similiter secundùm iura, qui alienum per tempus lege definitum possidet, etiamsi cùm mala fide possederit, potest illud retinere; in conscientia tamen à restitutione non erit liber, quia præscriptio cum mala fide non currit, vt habetur capit. finali, de præscriptioni. & in regula iuris; Possessor malæ fidei, nullo vnquam tempore præscribit. Ad hunc modum posset de aliis exemplificari. Huius dicti ratio est, quia iura multas iniquitates, & mala permittunt, vt maiora vitentur: sed non protinus eas committentes sunt à peccato coram Deo immunes, vt constat. Ita etiam iura defraudatis sæpe actionem contra defraudantes negant, quia sic ad debitum reipublicæ regimen conuenit, non tamen ideò

Responsio pro parte negatiua. Talem scilicet non semper tutum esse, aut à restitutione excusatum. Probatur.

ſunt ipſi defraudantes à culpa & reſtitutione liberi. Iuſtitia etiam conſcientiæ id exigit, D ſcilicet, quod vnuſquiſq; , quod ſuum eſt, aut ſibi debitum, habeat: iuſtitia autem humana lites, prout expedit, impedire curat.

Sententia iudicis in fauorem alicui' data, nõ ſemper liberat eum à debito.

De sententia etiam iudicis in fauorem alicuius data, quòd eum à debito non ſemper liberet, patet, quia non ſemper in conſcientia tutus eſt, qui ſententia pro ſe lata vtitur. Nam contingit ſæpe iudicem ex errore, aut præſumptione iudicare, aut ex falſa teſtium depoſitione, & tunc ſi conſtet, quòd veritas ſit in contrarium, non ſententię, ſed veritati ſtare oportet. Inde eſt, quòd ſi iudex ſententiam ferat pro matrimonio in facie Eccleſiæ, cum ea, quæ clam virum de præſenti acceperat contracto, non eſt iudicis ſententiæ parendum, nec excuſatur ipſa coniunx à culpa, ſi debitum ſecundo viro petenti, ad mandatum iudicis reddat, nec fortè excommunicatio ſuper hoc contra non reddentem lata, erit de neceſsitate tenenda.

Quatenus poſſit eſſe tutus, & à reſtitutione liber, vtẽs iuris authoritate.

Tunc autem erit homo tutus, & à reſtitutione agẽda liber, iuris authoritate vtens, quando ius non permiſsiuum eſt, ſed cõceſsiuum, ex intento volens rem alicui applicare: nam tunc res illa in dominium tranſit eius, cui iure applicatur. Secus ſi ius ſit permiſſiuum, aut ſi ſolùm actionem concedat, aut repetitionem neget, quia talia non releuant in conſcientia debitorem, vt in prima Quæſtione notauimus.

Quando ſententia pro aliquo lata liberet eũ à reſtitutione.

Quando autem ſententia pro aliquo lata eum à reſtitutione, ſeu ſolutione liberet, diſtinguendum videtur: Quia ſi eſt ſententia ſolùm declaratiua, etiamſi ſecundùm E iura & allegata & probata ſit lata, non releuat debitorem, ſi præſumptioni, aut falſæ probationi innititur, ſecus ſi veritati innitatur, & hoc conſtat ei, pro quo lata eſt. Si autem ſit ſententia non declaratiua iuris alterius partis, ſed priuatiua ex cauſa, aut punitiua, per quam, ſcilicet, beneficium, ſeu res alia à poſsidente aufertur, & alteri applicatur, tunc ille alter tutus erit, rem ſibi per ſententiam huiuſmodi applicatam retinendo, nec tenebitur eam reſtituere, niſi à parte rei ſit iniuſta. De his vide Panormitanum cap. 1. de conceſsione præbendarum.

Corollarium.

Corollarie ſequitur, eum, pro quo iniuſta ſententia lata eſt, à qua condemnatus minimè appellauit, non eſſe tutum in conſcientia, quo minùs, ſi ſciat iniuſtam fuiſſe ſententiam, teneatur condemnato ſatisfacere, maximè ſi appellationem, aut eius proſequntionem ob timorem, vel paupertatem, aliámue cauſam eum excuſantem, omiſit. Secus ſi ſpontè & voluntariè in ſententia conſenſit, quia tunc iuri, quod habebat, videtur renuntiare.

Solutio rationis pro parte affirmante.

Ex his patet ad rationem dubitationis, quòd ea, quę illic dicta & allegata ſunt, procedunt de lege conceſsiua, non de permiſsiua. Similiter de ſententia iuſta, & iuſtè lata, non de iniuſta, qualis eſt ea, quæ ex errore, aut falſa teſtium depoſitione lata eſt. De quibus hæc obiter dixiſſe ſufficiat.

Cauſa ſiue quæſtio octaua. An debitor per ingreſſũ religionis liberetur ab obligatione reſtituendi. Sentẽtia prima affirmatiua. Ratio I.

Octava cauſa eſt religionis ingreſſus. De quo quæritur, an debitor per ingreſſum religionis liberetur à debito reſtituendi. Et loquor de debito pecuniario. Dixit Thomas 2. 2. q. vltima, quòd talis debitor poteſt cedendo bonis, religionem ingredi, & liberatur à debito, quo prius tenebatur. Pro qua opinione arguitur primò. Quia propter pecuniam perſona liberi hominis non eſt obligata, ſed res, ideò ſi bonis cedat, incarcerari non poteſt, nec alterius ſubiici ſeruituti: Nam perſona liberi hominis ſuperat omnem æſtimationem pecuniæ. F

II. Secundo, ſi talis debitor, de conſenſu creditorum, religionem ingrediatur, poterit ingredi, & erit à debito reſtituendi liber, ſed in caſu creditores conſentiunt ſaltem actu debito in hoc, quòd relicto ſæculo altiorem ſtatum pro ſalutæ animæ ſumat. Iniuſtum enim, aut contra charitatem videretur, creditorem malle pecuniam ſibi debitam rehabere, quàm alium vitæ perfectiorem & ſpiritualem ſtatum aſſumere.

III. Tertio, non obſtante debito, quo vxor tenetur, poterit vxor, ſaltem ante matrimonium conſummatum, religionem ingredi, & per ingreſſum liberatur à debito coniugali. Ergo non obſtante debito pecuniario, poterit debitor religionem ingredi, & per ingreſſum liberatur à debito pecuniario.

IIII. Quarto, qui iurauit, aut promiſit ſe dare Petro centum, conſtituit ſe Petri debitorem, & ante iuramenti complementum poterit ingredi religionem, & liberatur à debito. Ergo ſimiliter liberabitur ab alio debito pecuniario, ex delicto, vel contractu orto. Idem patet de magiſtro, qui iurauit per tempus aliquod legere, hoc nõ obſtante, poterit

A terit religionem ingredi, cùm tamen non minùs sit seruandum iuramentum, quàm pecuniarum debitum soluendum.

QVINTO, quicquid sit de facultate licitè ingrediendi, arguitur quòd post ingressum sit liber à priori debito. Nam factus est omnino impotens & pauper, nil habens, nec habere potens, vnde restituat, cùm mundo sit mortuus, & si quid accidat eum acquirere, nō sibi, sed monasterio acquiritur. Igitur extincta est in eo prior obligatio, maximè cùm se totum religioni debeat. Vel igitur professio non valuit, vel post factam mansit à debito pecuniario liber. V.

HIS NON obstantibus, videtur oppositum tenendum, prout tenet Gerson in parte 2. respondendo ad casum in terminis, cui subscripserūt multi Doctores Parisiens. scilicet, quòd debitor, qui in sæculo posset creditoribus satisfacere, si per ingressum religionis se impossibilitat ad satisfaciendum, malè agit; nec releuatur posteà, quo minùs teneatur, si posit, debita priùs contracta soluere. Probatur primò, quia debitor in casu, iure naturæ & diuino, tenebatur debitum suis creditoribus soluere, si facultates habebat aut artem, seu industriam, per quam posset acquirere, & satisfacere, igitur non potuit licitè se astringere ad id, quo redderetur impotens ad debita soluendum, quia incauta est obligatio, qua quis se obligat ad aliquid, ad cuius oppositum iure superiori tenetur. Talis est in casu ingressus religionis. igitur &c.

Resolutio pro parte negatiua.

Probatur I.

B SECVNDO, si talis excusaretur religionem ingrediendo, ex eo esset, quia volat ad meliorem vitam, hoc tamen non excusat, quia non est licitum quærere lucrum temporale nec spirituale, cum præiudicio tertij, cùm non sint facienda mala, vt eueniant bona, vt ait Paulus: nec iustū sit, quenquam cum aliena iactura locupletari, vt est textus in cap. suam. de pœnis. Nunc autem huiusmodi professio est in præiudicium creditorum. Adde quòd religionem ingredi est de consilio, debita soluere, de præcepto; consilia autem, secundùm omnium doctrinam intelliguntur, saluis præceptis. II.

TERTIO, non est licitum aliena surripere, vt iuueni in studio literarum subueniatur, de cuius profectu in literis Theologicis magna ab omnibus habetur spes, vt determinatum est Parisiis, contra quosdam, qui oppositum dogmatizabant. Igitur nec licitum est aliena arripere, ad procurandum alicui meliorem statum, puta religionem; sed in casu debitor, qui vt in religione viuat, debita omitteret soluere, perinde est, ac si aliena rapiat, vt ad meliorem ascendat statum, cùm aliena non reddere, & aliena rapere æquiparentur. III.

QVARTO idem patet à simili. Quia non est licitum seruo, sine consensu domini, religionem ingredi, nec vxori sine consensu viri, imò seruus, sine domini consensu ingrediens, extrahetur à monasterio, vt declaratum est in Concilio Triburiensi. Et habetur distin. 54. cap. Nulli. Vxor etiam sine viri consensu ingressa, compelletur ad virū redire, & professio declaratur nulla. cap. Placet. & cap. Quidam intrauit. de conuersione coniugatorum. Igitur non est licitum debitori, sine consensu creditorum. Et consequentia apparet, quia vtrobique est eadem ratio, puta, quia ingressus huiusmodi est in præiudicium tertij. IIII.

C

CONFIRMATVR ex dictis Doctoris sancti, qui tenet, filium non posse religionem ingredi, patrem suum in extrema, aut quasi, necessitate relinquendo, si illi potest subuenire; & non ob aliud, nisi quia ad subueniendum patri iure naturæ, & diuino tenetur. Sed eisdem iuribus tenetur debitor suis creditoribus satisfacere, idque ex vi præcepti Decalogi, Non furtum facies.

Eiusdem cōfirmatio.

POSTREMO, quicquid sit de facultate licitè ingrediendi religionē, arguitur, quòd post ingressum, manet adhuc eadem obligatio restituēdi, si qua via honesta pateat. Quia non minùs liberum est totum monasterium à debitis pecuniariis, quàm sit religiosus aliquis, qui pars monasterij est, sed si monasterium, aut tota religio aliqua debita cōtraxit, per viam furti, aut mutui, aut alterius contractus, tenetur sine dubio ea soluere. Igitur qui religionem ingreditur, tenebitur debita contracta similiter soluere, si illi aliqua alia via honesta pateat. V.

CONFIRMATVR, quia obligatio posterior non potest præiudicare priori, vt patet ex capit. Veniens. & cap. Intellecto. de iureiurando, & his, quæ ibi dicūt Doctores. Cùm ergo ille professus anteà erat creditoribus obligatus, sequitur quòd professio superueniens, eum à tali debito non liberet.

Cōfirmatio duplex.

I.

II Confirmatvr iterum, quia professio non liberat professum à debito succurrendi patri in extrema necessitate existenti, vt ait Henri.quodli.12.sicut nec liberatur à debito leuandi extra puteum aliquem, qui alioqui in aqua suffocaretur. Nec per votum liberatur à debito dandi eleemosynam existenti in extrema necessitate, etiam prælato inuito, vt ait Thomas in 4.distinct.15. D

Soluuntur argumenta opposita. *Ad I.* Ad argvmenta antè opposita respondetur; Ad primum, Si ita esset, vt ratio innuit, quòd scilicet, persona propter pecuniam non est obligata, sed tantùm res debitoris, igitur pereuntibus rebus, periret actio & ius creditoris, & ita persona illa maneret à debito libera, etiamsi vellet in sæculo permanere, nec teneretur ex arte, aut industria quærere, vnde creditoribus satisfaciat, quod minimè Doctor sanctus concederet. Sequeretur etiam, quòd malè facerent iudices, incarcerando personas, quæ cùm res habeant vnde satisfacere possint, nolunt; quia non contra personá, sed contra res esset procedendum, ex quo res solùm, & non persona, sit per opinionem obligata. Sequeretur ampliùs, quòd quilibet debitor liberaretur ab obligatione, per hoc solùm, quòd cedit bonis suis, quod tamen est falsum, quia tenetur in conscientia, cùm ad pinguem venerit fortunam, satisfacere, & dare operam, vt habeat vnde debita soluat, vt suprà diximus. Adde, quòd suprà etiam tetigimus, quòd quando sunt debita generica, & non in specie debentur, persona est directè obligata; cõtra quam creditor directam habet actionem, non ita contra rem. Est itaque persona libera, quia si bonis cedat, nõ est incarceranda, E nec alij seruituti subiicienda; sed non per hoc libera est in conscientia ab obligatione quærendi modum, quo satisfaciat.

Ad II. Ad secvndvm, negandum est, creditorem in casu debere cõsentire in hoc, quòd cum sua iactura debitor religionem ingrediatur. Sicut enim non tenetur creditor sua bona dare, vt alter religionem ingrediatur, ita nec tenetur sua debita remittere, vt alter religiosus fiat, nec id exigit necessariò charitas, cùm religio illi debitori ad salutem necessaria non sit.

Ad III. Ad tertivm, fateor, quòd ante consummationem matrimonij, potest coniunx religionem ingredi, & per eam dissoluitur coniugium ratum, non consummatum. iuxta capit. Ex publico. de conuersione coniugatorum. Sed hoc ideò est, quia sic creditur Christum instituisse; etsi in lege noua expressum non sit, docemur tamen ita esse per exempla Sanctorum, quos ante consummationem legimus mundum, & vxores reliquisse, & perfectiorem statum assumpsisse. Et illud est speciale in coniugio rato. Non sic legimus in casu proposito, exceptionem à iure naturali, & diuino factam esse. Dico secundò, non esse simile; quia etsi matrimonium ratum sit, interim quòd consummatum non est, non est alter alteri sui corporis debitor, cùm de iure illis liberum sit, religionem ingredi, per quam talis contractus dissoluitur. In casu autem nostro, debitor realiter est alteri creditori debitor.

Ad IIII. Ad qvartvm, concesso quòd non obstante iuramento, & promissione, de quibus in casu argumenti, possit is, qui iurauit, aut promisit religionem ingredi, dimissa iuramenti adimpletione, nõ sequitur, quòd in casu proposito possit idem fieri; quia qui promissionem, aut iuramentum in melius commutat, non dicitur iuramentum violare, aut peierare, vt dicitur cap. Peruenit. De iureiurando. Nec etiam potest quis iuramento se astringere ad aliquid, quod sit melioris boni impeditiuum, nec erit obligatorium, si illo animo iurauit, vt scilicet melius boná excluderet. Ideò absq; hoc, quòd obligationi iuramenti præfati contraueniat, poterit intrare religionem: secus in nostro casu, in quo non potest religionem intrare; quin cõtraueniat debito, quo creditoribus tenebatur. Si *Obiectio.* vrgeas, quòd similiter qui iurauit seruire, aut legere; si religionem intrat, cõtrauenit de- *Solutio.* bito, quo tenebatur his, quibus seruiturus erat, aut lecturus. Respon. id esse falsum, quia obligatio iuramenti nascitur ex voluntate iurantis, nec metas eius excedit: & quia iurans non intendebat se astringere aliis, quin liberum sibi maneat ad religionem volare; ideò cùm religionem ingreditur, non agit contra debitum, quo aliis tenebatur, vt constat. In præsenti autem casu obligatio restituendi ablatum, vel mutuò acceptum, non ex voluntate debitoris nascitur; sed ex altiori iure, puta, diuino & naturali, vt patet. F

Ad V. *An si debitor religionem ingrediatur, teneat professio.* Ad qvintvm, quod tangit difficultatem, an si de facto debitor ille religionem ingrediatur, teneat professio, maximè si post ingressum, nulla ei pateat via, debita soluẽdi; dicendum, quòd tenebit professio, non obstante quòd per eam se omnino impotentem

tentem

Solutio affirmatiua. *Ratio*

A tentem faciat ad satisfaciendum creditoribus. Ratio, quia si facultates, per quas satisfacere posit, aliis diuersis quibus velit donet, tenebit donatio; etiamsi inde debitor ille maneat omnino impotens ad restituendum. Ita igitur si suam personam spontè alteri subiiciat, & seipsum alteri tradat, tenebit traditio, cùm in hac re nō minùs libera sit persona illius, quàm res: & ita si seipsum per professionem religioni tradat, tenebit traditio, ex quo sua persona non erit serua creditorum, nec erat creditoribus debita, sed res sunt, quæ in genere debebantur, quanquam persona esset creditori obligata ad illi satisfaciendum. Et ita in hoc tenet verum, quod Thomas pro se citabat, scilicet, quòd propter pecuniam persona liberi hominis non obligatur: quia scilicet, liberè potest de sua persona facere, quod velit, ita vt si personā tradat, teneat traditio; quamuis per circumstantiam posit huiusmodi traditio vitiari: religionem tamen ita de facto ingressus, tenebitur, si potest, curare vt creditoribus satisfaciat, artem aliquam intra monasterium exercendo, vnde aliquid lucretur, idque ex consensu prælati sui, qui illi tenetur ad id licentiam dare, vel pro eo debita eius creditoribus soluere. Quòd si intra monasterium quicquam lucrari non potest, quod posset extra, tenetur extra monasterium id quærere, vnde satisfaciat, idque de licentia sui prælati, vt suprà. Cauendum tamen illi est, ne talia exerceat, vnde scandalum præstet, aut religio derisioni exponatur: nam his inconuenientibus existentibus, cessat obligatio præfata. Quòd si monasterium pro illo non

Etsi teneat professio debitoris religionem ingressi, tenebitur tamen curare si potest, vt creditorib⁹ satisfiat. *Quibus modis id debeat procurare.*

B satisfaciat; quia non vult, vel potiùs quia non potest, nec apparet aliud medium creditoribus satisfaciendi, quàm quòd dimisso habitu in partes aliquas secedat, vbi sine scandalo, & sine omni inconuenienti posit honestè acquirere, vnde debita soluat; crederem consequenter ad id ipsum teneri, & suum prælatum ad hoc debitam licentiam eidem debere tradere: si tamen prælatus eam deneget, erit iam debitor impotens, & durante tali impotentia, cessat obligatio prædicta. Sed non erit prælatus tutus, si causam iustam eam denegandi non habeat. Verùm ea data, aut denegata, tenebitur talis debitor, vbi se repererit, seruare, prout poterit ea, quæ in professione promisit.

Hinc patet ratio, quare professio per seruum, sine consensu domini, & per vxorem, sine consensu mariti, facta, non tenet, & tales reuocantur à religione; & tamen professio à debitore facta tenet, nec reuocatur: quia, scilicet, seruus & vxor non sunt personæ liberæ, quia seruus est aliquid domini, & vxor in corpus suum potestatem non habet, sed vir, & econtrà: & ita illorū personę alienę sunt, ideò reuocantur. Persona autē debitoris non est ob pecuniam debita ipsis creditoribus, vt constat, sed libera; ideò tenet professio, nec reuocatur.

Corollarium. *Quare seruus absq; cōsensu domini, & vxor absq; mariti cōsensu, nequeat religionem profiteri.*

Nona causa est excommunicatio creditoris. De qua quęritur, an excommunicatio creditoris releuet debitorem ab obligatione soluendi illi debitum? Et videntur quidam Iuristæ tenere partem affirmatiuam, vt etiam tenet glos. cap. Absolutos. de hæreticis. Pro opinione facit,

Causa siue quæstio nona. *An excommunicatio creditoris liberet debitorē ab obligatione solutionis.* *Sentētia prima affirmatiua.* *Ratio I.*

C Primo, quia monachus, qui abbati obedientiam se præstiturum promisit, non tenetur eam illi reddere, si abbas ipse postmodùm excommunicetur, vt colligitur ex cap. Sacerdotes. 2. q. 7. vbi ab obligatione obediendi Episcopis & Prælatis excipitur; nisi in fide errauerint: nam ex tunc quia excommunicationem incidunt, cum illis communicare non licet. Vnde nec clerici tenentur Episcopo excommunicato debitam soluere obedientiam.

Secundo, vasalli, qui iureiurando se obstrinxerunt ad fidelitatem suo domino præstandam, non tenentur eam reddere domino in excommunicationem seu hæresin incidenti, vt habetur 15. q. 6. cap. Nos sanctorum. & cap. Iuratos. vbi decretum est, subditos non teneri ad obediendum suis dominis vsquequò pœnitentiam egerint. II.

Tertio, extrà de sententia excommunicationis, cap. Quod in dubiis. & cap. Inter alia. vbi dicitur in sententia, nullos à culpa excusari, cum excommunicatis communicando, nisi eos, quos Gregorius excipit in cap. Quoniam multos. 11. q. 3. sed in illo cap. non excipiuntur, debitores pecuniarij, vt constat. III.

Qvarto, facit ratio, cui etiam gloss. in præfato cap. Absolutos. innititur; quia si quis alteri obligatione, aut iuramento, seu promissione tenetur; intelligitur eum teneri, si alter talis permanserit, cui communicare liceat; vt colligitur ex capit. Quemadmodùm. de iureiurando. vbi dicitur; quòd si quis vxori suæ iurauit, se illam perpetuò in vxorem habiturum: aut si quis iurauit, se cum aliqua contracturum, & illa postmodùm IIII.

cum aliis fornicetur, absolutus est vir à debito iuramenti. Et ita colligunt debitorem nõ teneri ad debiti solutionem, si creditor excommunicetur. D

Sententia II. His non obstantibus, oppositum videtur tenendum. Et inprimis si libeat de creditore excommunicato distinguere, secundùm quod potest esse excommunicatus generaliter, non tamen sit nominatim denuntiatus, & tunc non dubium, quin debitores teneantur illi debita reddere, cùm possint cum eodem licitè communicare, non solùm in humanis actibus, & commerciis, sed etiam in sacris; vt constat per limitationem seu institutionem Concilij Constant. & Basiliens. & Lateranens. sub Leone X. vbi in sententia dicitur, quòd taliter excommunicati non sunt magis euitandi, quàm si excommunicati non essent, antequàm declarentur. Excepto casu, de violenta manuum in clericum iniectione adeò notoria, vt nulla possit tergiuersatione celari.

Conclusio I. *De excommunicato generaliter.*

Obiectio. Si obiicias, quòd tunc sequatur, curatum ad Sacramenta illi excommunicato ministranda teneri; cùm in eisdem Conciliis dicatur taliter excommunicatos non esse, etiam in Sacramentorum perceptione, aut ministratione, vitandos, consequens videtur contra præceptum Christi dicentis: Nolite sanctum dare canibus. Adde, quòd curatus in casu videretur ad peccatum ipsius excommunicati cooperari, ex quo indignus est, cui Sacramenta ministrentur. Respondetur, Curatus in occulto illi Sacramenta ministrando peccaret, cùm legitimam contra eum habeat exceptionem, qua potest eum sine scandalo, aut alio inconuenienti repellere, idq; non ratione præfatæ excommunicationis; sed quia, cùm in peccato adhuc sit, indignus est ad Sacramenta accedere. Secus si in publico, & tempore, quo alij communicant, Eucharistiam sibi ministrari inter alios petat, quia tunc non ita posset sine scandalo repelli. Sed de his alibi latiùs. E

Solutio.

De excommunicato nominatim est pcipuè quæstio. Si autem creditor sit nominatim excommunicatus & declaratus, tunc habet locum proposita quæstio. Et videtur iterum ex parte rei debitæ distinguendum. Est enim quoddam debitum naturale aut diuinum, re ipsa contractum, & per viam restitutionis soluendum; vt si quis alienum furatus est, aut mutuum seu commodatum accepit, quo facto, obligatio tantundem creditori reddi, nõ ex voluntate nascitur debitoris, nec humani legislatoris, sed ex iure naturali & diuino. Aliud debitum est, non ex re, sed ex verbis contractũ; puta, ex stipulatione, promissione, aut iuramento, de dando aliquid alicui. Et si de hoc secundo debito loquamur, probabilis est opinio suprà recitata, quòd scilicet tale debitum suspendatur per excõmunicationem creditoris superuenientem; cùm verba promissiua, etiam iuramento firmata, iuris interpretationem admittant. Et etiam, quia promissio & iuramentum intelliguntur, salua seu excepta superioris authoritate. Nec promissio aut iuramentum de re illicita & prohibita valida sunt, ideò si superueniat casus, in quo licitum non sit, cum creditore communicare, iure etiam humano id prohibente, promissio aut iuramentum præfatum ad talem casum nõ venit extendendum; quia is, qui iurauit, vel talem non habuit intentionem, vel si habuit, incautum fuit tale iuramentum, & non obligatorium. F

NOTA. Debitũ aliquod in duplici esse posse differẽtia. I. II. *Conclusio* II.

Conclusio III. Si vero loquamur de primò debito re ipsa, non verbis contracto; videtur tenendum, quòd excommunicatio creditoris superueniens non liberet debitorem, quo minùs debitum soluere teneatur. Huius ratio videtur aperta, quia prior & maior obligatio, per posteriorem & minorem non tollitur; vt suprà in causa octaua deduximus: modò autem obligatio rem alienam, aut debitam restituendi, est prior excõmunicatione, & maior quàm sit obligatio vitandi excõmunicatum; cùm illa sit naturalis & diuina, hæc autem sit humana: quamuis enim iure diuino teneamur excõmunicatum vitare; quòd autem hic creditor sit excommunicatus, & per nos vitandus, non iuris diuini, sed humani est. Quemadmodùm licet iuris diuini sit prælatis obedire, hodie tamen ieiunare (quod prælatus iubet) non diuini iuris, sed humani est, vt constat.

Ratio I.

Ratio II. Praeterea, non minor est obligatio pecuniarium debitum soluendi, quàm sit obligatio, debitum vxorium, aut δεσποτικόν, atque filiale reddendi; quale vxor marito, seruus domino, filius patri debere dignoscitur: sed hæc debita non expirant, nec suspenduntur per excommunicationem superuenientem mariti, domini, aut patris; vt patet ex cap. quoniam. 11. quæst. 3. Familia etiam licitè communicare potest ei, cui subiicitur, esto sit excõmunicatus, vt dicitur cap. Si verò. de sententia excommunicationis. Sicut clerici possunt Episcopo suo cõmunicare, & monachi suo abbati, esto quòd Episcopus & abbas sint excommunicati. Nec standum esse videtur sententiæ Richardi, & Petri de Palude,

A qui oppositum tenent, moti ex cap. Sacerdotes. 2. q. 7. quod suprà citaui, nam ex illo textu non colligitur, quòd clerici Episcopis excommunicatis communicare non possint, sed quòd in his, quæ superioris dignitatem respiciunt, obedire non tenentur; cùm eorum iurisdictio sit per excommunicationem extincta.

PRAETEREA, contractus cum excommunicato celebratus, non est nullus; & debita inde contracta sunt adimplenda: igitur contractus ante excommunicationem celebratus, per superuentum excommunicationis non annullatur; nec debita inde contracta extinguuntur; etiamsi ipsis excommunicatis actio ad repetendum in iudicio non detur. Id apparet ex cap. Si verè. de sententia excommunic. vbi in sententia dicitur; quòd illi Crucesignati, qui cum Venetis, antequàm excommunicationem inciderent, conuenerant, possint cum eisdem excommunicatis, & in eorum naui simul nauigare, secundùm quod cum illis antea conuenerant, aut tunc conuenirent. III. *Ratio.*

EX DICTIS facile est ad rationes prioris opinionis respondere. Ad primum & secundum argumentum de clericis, qui Episcopo excommunicato, & de monachis qui abbati excommunicato, & de Vasallis, qui domino excommunicato obedientiam & fidelitatem reddere non tenentur; ideò est, quia in illis maioribus per excommunicationem expirat iurisdictio, & potestas dominandi, & etiam, quia debitum, quo præfati suis maioribus tenebantur parêre, non naturale nec diuinum erat, sed humanum, Canonicum, seu ciuile: ideò per ius humanum potuit tale debitum ob causam legitimam extingui. Non sic in casu nostro, in quo debitum pecuniarium, nec iurisdictionem in creditore præsupponit: nec humanum est, sed potiùs naturali & diuino iure debitum. *Soluuntur rationes in contrariũ allatæ.* *Ad* I. *&* II.

B

AD TERTIVM, fateor illic non excipi expressè debitores pecuniarios: sed nec opus fuit eos excipere; cùm sufficienter iure necessario sint excepti in his, quæ necessitatis sunt; quale est, reddere vnicuique, quod suum est. Nec etiam Gregorius illic gratiam facere intendit super communicatione, alioqui necessaria cum excommunicatis, vt quòd vxor debitum viro excommunicato petenti reddat: quòd filius parentibus in necessitate subueniat. Et ita de aliis, in quibus gratia locum non habet, sed declaratio. Super alia verò communicatione, quæ iuri naturali & diuino non innititur, locum habet beneficium iuris, ac proinde nec decretum Gregorij, nec decretales citatæ quicquam contra conclusionem positam faciunt. *Ad* III.

AD QVARTVM dicendum; quòd ratio illa procedit de obligatione, quæ non re, sed verbis contracta est. Et quamuis obligatio, qua vir tenetur vxori, sit re ipsa contracta virtute coniugalis contractus, & per vxoris fornicationem subsequentem tollatur: non tamen per excommunicationem, eò quòd ex Dei institutione, vnde vinculum cõiugale suam habet firmitatem, in casu fornicationis, saltem quo ad torum, extinguitur. *Ad* IIII.

DECIMA causa est creditorum incertitudo. De qua est quæstio, an debitor liberetur ab obligatione restituendi, ob id, quòd incerti sunt creditores, quorum bona retinet; & supposito quòd talia bona, quæ incerta dicuntur, sint pauperibus eroganda, an ad id sit Episcopi authoritas, seu licentia necessaria. *Causa seu quæstio X. An debitor, quòd incerti sint creditores, quorum bona retinet, liberetur ab obligatione restituendi?*

C

RESPONDETVR, ad primum distinguunt Doctores communiter de huiusmodi bonis, quæ incerta dicuntur. Quia aut illorum bonorum, est, aut fuit aliquis dominus cui iure deberentur, si cognosceretur ipse, aut hæres suus: & tunc quia nec cognoscitur, nec cognosci speratur, debita diligentia adhibita; aut etiam si cognoscatur, nullatenus speratur rem sibi reddi posse; de necessitate sunt talia pauperibus eroganda: aut in pias causas in vtilitatem spiritualem domini, seu creditoris, cui debentur, expendenda. Si autem ita sunt incerta, quòd fuit quidem illorum aliquis dominus etiam à debitore cognitus: attamen quia rem illam turpiter dederat, vnde à rei ipsius dominio & iure cecidit; perinde est, ac si non esset certus dominus, cui debeat reddi; & tunc non sunt de necessitate pauperibus eroganda, sed possunt licitè à possessore retineri. Exemplificant, si quis aliquid simoniacè alteri dedit, aut ad corrumpẽdum iudicem, vel testem, seu alium officialem; aut vt alter furtum, seu delictum ad inquisitionem Episcopi non denuntiaret; aut deniq; ad aliquod flagitium perpetrandum: in quibus & aliis casibus poterit ipse, qui res huiusmodi accepit, eas retinere: & de consilio, non tamen de præcepto, aut de necessitate veniunt pauperibus eroganda. Mouentur ad id, quia ex quo dans & accipiens ambo sunt in turpitudine, & in pari turpitudine, melior est conditio possidentis, vt habetur. ff. de condict. ob turpem causam. l. si ob turpem. sequitur quòd iure poterit, qui accepit, eas retinere. *I. Sententia bimembris.* I. II. *Rationes pro* II. *membro.* I.

II. SECVNDO, ad idem facit ratio, quia ex quo is, qui dedit, à rei datæ dominio & iure cecidit, videntur res taliter datæ manere velut communes, & ita primò occupantis efficiuntur, vt habetur Institut. de rerum diuisione. & ita is, qui ea occupat & tenet, poterit ea sibi retinere, ad modum, quo is qui rem ab alio olim possessam, sed pro derelicto habitam, inuenit, dominium eius acquirit, nec tenetur eam pauperibus dare, sed sibi eam poterit retinere. D

III. TERTIO, pro eisdem videtur facere Innocentius capit. Quia plerique. de immunitate. vbi ait, quòd officiales aliquid indebitum extorquentes, prudenter facerent, si illud pauperibus erogarent: non tamen, inquit, damnarem, si illud suis hæredibus relinquerent. Et iterum ait ibidem, quòd mathematicus, aut meretrix, siue alij, dolo aut fraude aliquid à quoquam extorqueant, non tenentur illud restituere, sed poterunt retinere. Et causam dat, dicens; quia in pari causa turpitudinis, melior est conditio posidentis. Quod dicit debere seruari, etiam in foro pœnitentiali.

Oppugnatur dicta sententia quo ad II. partem. OPPOSITVM tamen videtur tenendum, quo ad secundum membrum, in quo opinio videtur in multis deficere. I. Primò, quia dicunt, ea quæ turpiter data, & turpiter accepta sunt, esse bona incerta; cùm tamen his ratio bonorum incertorũ nõ conueniat. Sunt enim bona incerta, quæ quidem dominum habent, sed nescitur quis sit: talia autem non sunt bona à quorum dominio cecidit, qui ea turpiter dedit; sicut nec bona incerta dicuntur, quæ dominum habuerunt, sed iam pro derelictis habentur. E

II. SECVNDO, quia exemplificant de re simoniacè data, & dicunt eam posse retineri ab eo, qui simoniacè eam accepit: exceptis fructibus beneficij simoniacè habiti. Quod tamen est contra omnium sententiam, vt patet ex cap. De hoc autem. de simonia. & aliis pluribus: vbi præcipitur restitui, quidquid prælati, monachi, reges, aut principes simoniacè acquisierunt.

III. TERTIO, quia significant in prima ratione, quam faciunt, rem turpiter datam nunquam debere danti restitui, quod suprà ostensum est, esse falsum: Quando aliquid datum est ob causam turpem, causa non sequuta, in conscientia est danti restituendum, antequàm iure suo, per iudicis sententiam, priuetur, secùs in causa subsequuta.

IIII. QVARTO, quia vniuersaliter videntur accipere quod dicunt, scilicet, quòd in pari causa turpitudinis potior est conditio posidẽtis, ita vt licitè posit rem huiusmodi posidere atque retinere; cùm tamen ipsimet oppositum teneant in ludo alearum: de quo dicunt, quòd lucrans tenetur lucrum reddere perdenti, & tamen ambo fuerunt in pari causa turpitudinis.

V. QVINTO, quia dicunt rem turpiter datam, & similiter turpiter acceptam, posse retineri ab eo, qui accepit: quod est apertè falsum, cùm eo ipso, quòd est res turpiter accepta, retineri non posit: non enim minùs illicita est rei detentio, quàm eiusdem acceptio: imò tantò peior, quantò diutiùs detinetur: & ideò, secundùm iura, meretrix nõ tenetur lucrum ex causa turpi acquisitum, restituere: quia, vt iura dicunt, quamuis causa sit turpis; non tamen turpiter accipitur. ff. de condict. ob turpem causam. l. 4. vnde si turpiter acciperet, restituere teneretur. Inde etiam iudex, qui ob causam iniustè iudicandi munus accipit, tenetur illud restituere. Sicut aduocatus, qui, vt iniustè patrocinaretur, aliquid accepit, non poterit illud retinere, vt ait Augustinus, vbi suprà: quia scilicet turpiter ea acceperunt. Inde etiam vsurarius tenetur vsuras restituere, quia eas turpiter & iniustè accepit. Quòd si ignoret, qui sint hi, à quibus eas accepit, tenebitur eas pauperibus erogare, vt habetur cap. Cùm tu. de vsuris. in antiquis. Et cap. Quanquam. de vsuris. in. 6. & alibi. F

II. Sententia ALIORVM est alia opinio, quam Adrianus in suo. 4. videtur amplecti, & cæteris præferre, scilicet, quòd bona turpiter à turpiter dante accepta, retineri quidem non posint, sed non sint necessariò pauperibus eroganda; quia liberum est accipienti, ea ei qui dederat, restituere, aut si mauult, pauperibus erogare. Et quidquid, inquit, horum faciat, erit liber. *Ratio* Mouetur ad dicendum, quòd posit illi, qui dederat, restituere. Tum, quia leges, quæ determinant turpiter danti non esse restituendum, sunt pœnales, & in odium turpitudinis statutæ: igitur antequàm per iudicis sententiam is, qui dedit, iure quod habuit, priuetur, poterit rem, quam dederat, rehabere, & accipiens poterit eam illi reddere. Est autem. l. 3. ff. de condictionibus ob turpem causam: Vbi disponitur, in hoc casu condictioni locum non esse.

TVM

A TVM ETIAM, quia ait Augustinus, in præfata Epistola ad Macedonium, quòd Aduocatus, qui pecuniam à clientulo, vt iniustè patrocinaretur, acceperat; debet eam clientulo reddere: igitur non tenetur accipiens rem taliter acceptam pauperibus erogare, antè saltem quàm per iudicis sententiam illis applicetur. *II. Ratio.*

VERVM nec opinio hæc omnino placet: nam vt ex prima eius ratione colligitur, sentit, quòd is, qui aliquid ob turpem causam dedit, habeat ius ad sic datum, antequàm per iudicis sententiam tali iure priuetur. Quod tamen verum non esse apparet, quia ex quo ille rem illam, ob causam turpem, alteri dedit; si causa illa est subsequuta, iam videtur is, qui dedit, à se abdicasse omne dominiũ & ius, quod in re sic data habuerat, secùs si causa nõ esset adimpleta. Sicut si quis dat alteri aliquid conditionaliter, sub conditione turpi, conditione adimpleta, nullum danti relinquitur ius ad rem sic datam. Et patet, quia alioqui, ante iudicis sententiam, is qui rem accepit, non solùm posset, sed deberet rem sic acceptam danti restituere, ex quo ius ad rem sic datam ante sententiam iudicis habet. Quod tamen est falsum, & contra ipsum. Inde sequitur, quòd si accipiens posset rem sic acceptam, ei, qui dederat, reddere; eadem ratione posset eam dare cuicunque alteri: ex quo autem causa, ob quam fuit data, subsequuta est, non habet is, qui dedit, maius ius ad rem sic datam, quàm quicunque alius, vt patet; & si sic esset, sequeretur, quòd similiter posset eandem rem sibi retinere. Si enim potest alteri, non habenti ius ad rem, B eam dare, quare ergo non sibi? Et ita sequitur amplius, quòd etiamsi ei, qui dederat, non restituat, quòd nõ tenebitur rem pauperibus dare. Et sic patet solutio ad rationem eius primam. *Reiicitur etiã hæc II. opinio: Et respondetur simul ad I. rationem eiusdem.*

QVOD secundò citat ex Augustino, non illi suffragatur, cùm sanum, & alium sensum posśint verba Augustini habere, quando ait, quòd Aduocatus debet reddere clientulo, quod ab ipso, vt iniustè patrocinaretur, accepit: nam potest hoc procedere antequàm iniustè patrocinetur. Quia, vt suprà tactum est, datum ob causam turpem, causa non sequuta, reddendum est danti. *I.* Potest etiam secundò intelligi, quòd debeat clientulo restitui, quando scilicet clientulus ex ignorantia dedit, vt Aduocatus suam causam, quæ re vera est iniusta, quam tamen ipse iustam putabat, defenderet; aut quia fortè fuit ab ipso Aduocato seductus. *II.* In his casibus clientulo restituendum est. Adde, quòd si hic textus faueret opinioni, nõ solùm inde concluderetur, posse rem turpiter datam, danti restitui, sed debere eidem restitui, quod est contra ipsum opinantem. *Respondetur ad II. rationem huius sententiæ dupliciter.*

VIDETVR ergo tertia opinio tanquam securior tenenda; scilicet, quòd bona incerta sunt pauperibus de necesśitate eroganda, vel in alias causas pias expendenda. Et id non dubitatur, loquendo de bonis incertis propriè, qualia sunt, quæ dominum, sed incertum habent, quem scilicet posśidens nec agnoscit, nec debitè apposita diligentia, cognoscere potest. Et idem dicendum, si dominum cognoscat; est tamen adeò distans, aut in tali loco, quòd nulla habeatur spes, posse rem sibi restitui, nec hæredibus suis: tunc C perinde est, ac si essent bona incerta; & debent in pias causas expendi. Si autem loquamur de bonis incertis largiùs, vt ea, quę turpiter à turpiter dante accepta sunt, de quibus hactenus loquuti sumus; videtur similiter tenendum, quòd sint de necesśitate pauperibus eroganda, quia nulla talia ob illam causam accepta, possunt salua conscientia retineri, & velut propria posśideri: cùm Augustinus in præfata Epistola ad Macedonium, in qua ait, talia bona turpiter accepta retineri non posse; in foro conscientiæ loquatur, vt patet eam legenti. Et cùm taliter data, non sint danti restituenda, ex quo earum ius omninò à se abdicauit, causa ob quam dederat subsequuta; restat, vt bona illa ad pauperes deuoluantur. Et videtur esse de mente Doctoris sancti 2.2.q.62. Similiter & Petri de Palude in suo.4. *Tertia sentẽtia verior: bona scilicet incerta esse pauperibus de necesśitate erogãda, vel in alias pias causas expẽdenda. Explicatur sensus hui⁹ opinionis.*

IAM AD argumenta primæ opinionis respondendũ. Ad primum, quod allegatum est, scilicet, quòd in pari causa turpitudinis, melior est conditio posśidentis, non obstat, quia id procedit quo ad forum iudiciale, in quo titulus possesśionis est fauorabilis. Et ita in illo foro qui posśidet, defendetur in possesśione; ita vt non cogatur rem turpiter acceptam, ei, qui turpiter dederat, restituere. In foro tamen conscientiæ cogendus videtur eam pauperibus erogare. *Respondetur ad rationes I. sententiæ. Ad I.*

AD SECVNDVM dicendum, quòd eo, qui turpiter dedit, dominium & ius rei datæ amittente; quod sic datum est, non ita manet commune, vt vnicuiq; liceat illud occupare, sicut liceret, si res à nemine antea fuisset occupata; sed eo ipso, quòd est turpiter acquisi- *Ad II.*

acquisitum, sicut & turpiter datum, iure videtur pauperibus applicatum. Non sic res amissæ, quæ pro derelictis habentur; quia tales ex tunc communes esse incipiunt, neque cuiquam iuris dispositione applicantur, sed cum aliis rebus communibus primo occupanti relinquuntur. D

Ad III. AD TERTIVM, ex Innocentio sumptum, dicendum, quòd Theologi communiter ab illo in huiusmodi recedunt. Vnde falluntur, qui regulam vniuersalem ponunt, sumpta occasione ex dictis Innocentij, scilicet, quòd quandocunque aliquid ab aliquo possessum, non est alicui certæ personæ, seu loco restituendum; de consilio est, illud pauperibus erogare, & potest licitè retineri. Cuius oppositum constat de vsuris extortis, quando ignorantur hi, à quibus extortæ sunt, quas necesse est pauperibus erogare, vt suprà allegatum est. Similiter de rebus simoniacè acquisitis. Similiter de rebus, quæ re vera alienæ sunt, & si dominus esset certus, essent de necessitate eidem restituendæ, sed cùm incertus sit, debent pro eo, seu in vtilitatem animæ eius expendi, vt tenet Doctor sanctus, & cæteri.

NEC ETIAM tenenda est limitatio, quam Syluester eidem regulę apponit, dicens; regulam esse veram de rebus à turpiter dante turpiter acceptis; quas dicit de consilio esse, pauperibus erogare, & posse licitè ab accipiente retineri. Contra quod procedunt, quæ suprà allata sunt.

Aliud dubium. An in erogandis bonis incertis pauperibus, necessaria sit Episcopi authoritas. E

ESTO IGITVR ita sit, quòd bona incerta sint de necessitate pauperibus eroganda, est dubium, an in illis erogandis sit necessaria authoritas Episcopi. Et dixerunt quidam, quòd sic. Pro quo citant cap. Cùm sit. de Iudæis. Vbi dicitur, quòd bona, quę à Christianis iniquè acceperant, sunt per prouidentiam Diœcesani pauperibus eroganda. Et cap. Quanquam. de vsuris, in 6. vbi dicitur, quòd vsurarij bona reddantur his, à quibus ea acceperunt, si superstites sint, aut hæredibus: sin autem, dentur Ordinario, vt per manum eius pauperibus erogentur. Adde, quòd Episcopi sunt patres, & procuratores pauperum: igitur eis incumbit bona incerta pauperibus distribuere.

Argumentum pro parte affirmatiua.

Confirmatio I.

II.

Resolutio negatiua.

CONTRARIVM tamen tenetur secundùm communem sententiam, scilicet, quòd non est necessaria Episcopi authoritas. Pro qua sententia facit capit. Sicut dignum. de homicidio. §. eos insuper. Vbi de quodam, qui bona defuncti iniquè detinebat, & ex ipsis quædam pauperibus erogauerat, dicitur, quòd quæ aliena erant, si poterant eis, quorum fuerant, restitui, non debebat pauperibus erogare. Vnde à contrario colligitur, quòd si non poterant his, quorum fuerant bona illa, restitui, quòd poterat ea pauperibus erogare. Vbi nulla fit de Episcopi authoritate mentio.

Probatur I.

II. SECVNDO facit capit. Cùm tu. de vsuris. vbi dicitur in sententia, quòd vsurarij cogendi sunt, vsuras restituere his, à quibus eas acceperunt, vel hæredibus suis, & his deficientibus, pauperibus erogare. Vbi ait textus non aliter posse illis peccata remitti. Quod facit pro opinione tertia nuper disputata. Ex quo textu colligitur, non competere Episcopo ius bona incerta pauperibus erogandi, licet ei conueniat ius compellendi vsurarios, vt vsuras incertas pauperibus distribuant. Igitur si vsurarij non compulsi, sed sponte velint vsuras restituere, vel pauperibus dare, non opus est Episcopi authoritate. F

III. TERTIO hoc idem videtur ex cap. Religiosus. De testamentis. lib. 6. vbi in sententia dicitur, quòd exequutor testamenti liberè debet mandata exequi testatoris. Si liberè: igitur nulla opus est Episcopi autoritate.] Quòd si exequutor sine Episcopo potest mandata exequi testatoris, à fortiori ipse testator, si viueret, poterat per ipsum restitutionem, tam certorum, quàm incertorum facere.

Respondetur ad argumentum oppositum.

NEC OBSTANT, quæ pro priori sententia sunt allegata: nam illud cap. Cùm sit. de Iudæis. loquitur de Iudęo, cui cùm esset interdictum officium publicum dari; ipse tamen illud exercens, multa à Christianis extorsit, quæ cùm incerta essent, erant pauperibus Christianis eroganda. Nec erat iustum huiusmodi erogationem fidei illius Iudæi committere, cùm & alienarum rerum cupidus esset, & Christianos odio haberet, quos spoliare, prout potereat, conabatur: ideò ordinatum est, vt Diœcesani manu, aut authoritate distribuerentur. Et simile agendum esset, vbi distributio fidei debitoris commissa, haberetur suspecta, ob eandem rationem. Capit. Quanquam. de vsuris. li. 6. non fauet prę-fatæ sententiæ, quia in illo textu non dicitur, quòd restitutio fieri non possit sine Ordinario, imò potiùs significatur contrarium, scilicet, vt ipsi vsurarij per se, aut per exequutores suos, vsuras omnes restituant his, quibus debentur, & in defectum eorum, ad

Ad I. *confirmationē eiusdem.*

quos

A quos attinebat restitutionem facere, datur actio Ordinario, vt sacerdoti parochiano, aut publico seruo, id est, tabellioni, vt huiusmodi bona accipiant, seu cautionem petant, ad finem hunc, ne scilicet hi, quibus restituenda sunt, illis defraudentur. Ratio insuper facta nil eis suffragatur, quia taliter sunt patres pauperum ipsi Episcopi, vt de bonis sibi superfluis illis curent subuenire. Et si quæ legata, aut incerta bona sciuerint pauperibus, non sicut debent, erogari, compellant eos, ad quos attinet, ne pauperes defraudent. Et in defectum exequutoris, si de pauperibus non curat, aut negligenter ea faciat, quæ pro pauperibus agenda illi commissa sunt, poterit se intromittere.

Ad II. Quatenus Episcopi dicantur patres pauperū.

VNDECIMA causa est dispensatio, seu compositio cum prælato. De qua est quæstio, an debitor liberetur à debito restituendi, per prælati dispensationem, seu compositionem super debitis cum ipso factam: Quod potest tam de debitis certis, quàm de incertis dubitari. Similiter, an posit huiusmodi compositio fieri cum Episcopis, an cum solo Papa, & his, quibus ipse vices commiserit. Loquendo de compositione super debitis certis facta, aut etiam de dispensatione, communis est sentẽtia eam fieri non posse, cùm sit in præiudicium creditoris. Nec Papa potestatem habet quenquam rebus suis, aut sibi debitis, inuitum priuare; qualiter creditorem priuaret, si debitorem à debito, in toto, vel in parte, per dispensationem, aut compositionem liberaret. Excepto, nisi per culpam taliter puniri mereatur: nam sic, per viam pœnæ, posset aliquem inuitum
B rebus suis priuare. Quemadmodùm legitur regna, dominia, & iurisdictiones à nonnullis, ob hæresim, apostasiam, aut aliud crimen, abstulisse; vti passim fieri videmus, quando bella contra persequentes Ecclesiam mouet.

Causa siue quæstio XI.
An debitor per prælati dispensationem, liberetur ab obligatione restituendi?
Sensus q̄stionis.
Responsio communis de debitis certis, negatiua.

AN AVTEM super incertis posit huiusmodi compositio fieri. Et, vt video, multi sentiunt, quòd cum Papa, aut commissariis eius talis compositio tutè fieri non posit; quin is, qui super incertis cum commissariis, aut Papa componit, maneat in conscientia obligatus, ad integrè omnia incerta pauperibus erogandum, non minus, quàm si compositio facta non esset. Ad quod dicendum moueri possunt hac ratione; quia Papa in huiusmodi bonis incertis dominiũ temporale non habet: non igitur potest de huiusmodi, gratiam, seu donationem facere. Nemo enim potest dare, quod non habet. Antecedens apparet, quia si Papa esset rerum temporalium dominus, aut hoc esset ratione successionis, qua Christo, qui dominus omnium est, succedit: aut ob aliquam legem diuinam, naturalem, aut humanam: aut ex voluntate ipsorum dominorum incertorum, sed nullum ex his videtur dicendum. Non enim ratione præfatæ successionis; quia Christus secundùm quòd homo, dominium rerum temporale non habuit; sed summam habuit paupertatem: de cuius inopia, ac paupertate scriptura sæpe mentionem facit, cùm de Christo dicit, Pauper sum ego, & egenus. Ipse etiam de seipso dixit: Filius hominis non habet, vbi caput suum reclinet. Paupertatem etiam verbo docuit, cùm Apostolis iniungeret, vt nil proprium posiderent. Et alteri, ad perfectionem anhelanti, dixit. Si vis per-
C fectus esse, vade, vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & sequere me. Ac si dixisset; si vis me pauperem sequi, & imitari, fac vt in paupertate, sicut ego, viuas. Ita insuper per Ecclesiam est declaratum, Christum paupertatem verbo docuisse, & opere confirmasse. Non igitur Papa, vicarius Christi, iure successionis, habet rerum temporalium dominiũ. Sed nec ratione legis naturalis, aut diuinæ: nam lex diuina, aut naturalis nemini rem aliquam temporalem appropriat; cùm lege, seu iure naturali, & diuino, omnia sint communia, vt suprà dictum. Humana etiam lege non conuenit Papæ dominium bonorum incertorum, quæ à laicis posidentur. Tum, quia nulla talis lex dari potest. Tum etiam, quia si sic esset, errarent igitur hi, qui bona incerta pauperibus erogant, absque libero Pontificis consensu. Posset etiam Papa, omni alia causa seclusa, bona incerta liberè, cui vellet, donare, quod tamen à nemine conceditur. Et eadem ratione apparet, huiusmodi rerum dominium Papæ, non ex voluntate ipsorum dominorum incertorum competere; cùm hoc in nullo iure, nec vlla ratione fundari posit. Ac proinde videtur, quòd Papa non posit præfata bona, nec in toto, nec in parte, alicui donare: & ita facta compositione, non manebit debitor tutus, nisi omnia integrè pauperibus elargiatur.

De incertis verò sententia I. negatiua.

Argumentum pro eadem.

PRAETEREA Papa gratiam facere alicui non potest, in præiudicium tertij. Si autem in compositione partem huiusmodi bonorum incertorum debitori remitteret, esset in præiudicium pauperum, quibus talia bona iure veniunt eroganda. Igitur nec talis gratia fieri potest, nec si fiat, manebit tutus is, cui facta fuerit.

Alia probatio pro eadem sententia.

VERVM

II. Sententia affirmatiua.
Probatur I.

VERVM si alia motiua efficaciora non afferant, non video, quare præfata composi- D
tio fieri non posſit, ipſis debitoribus ſaluis in conſcientia manentibus, & ab vlteriori reſtitutione liberis. Et probatur id. Primò, quia ſi aliquid obſtaret, quo minùs poſſet talis compoſitio fieri, maximè, quia Papa non eſt dominus incertorum bonorum, vt prima ratio tangebat; aut quia ius quæſitum eſt pauperibus, ſed hæc nō obſtant: nam Papa non eſt dominus theſauri Eccleſiæ, & tamen poteſt huiuſmodi theſaurum, quibus velit, concedere, maximè aliqua exiſtente cauſa, & tenebit conceſſio, ſeu diſpenſatio, vti videmus eum paſsim per Bullas & Indulgentias ipſum theſaurum diſpenſare, cùm tamen ſuus nō ſit. Similiter non eſt dominus beneficiorum Eccleſiæ, ſicut nec Sacramentorum, & tamen ea poteſt conferre, & tenebit collatio.

II. SECVNDO, Papa diſpenſat in iure humano, maximè cauſa exiſtēte, & tenet diſpenſatio, etiamſi ius huiuſmodi à Conciliis vniuerſalibus emanauerit, imò ſtatuta per Concilia facta, intelliguntur, excepta Romani pontificis authoritate, vt dicitur cap. Significaſti. de electione. Modò autem, bona incerta, humano tantum iure, pauperibus debita ſunt, & per conſequens, ob cauſam, poterit Papa in illo diſpenſare. Maior ſupponitur, & Minor patet, quia ius naturale, & diuinum, quo tenemur pauperibus ſubuenire, non obligant nos, vt illis bona incerta largiamur, ſed tantùm vt de noſtris propriis, ſi habemus, eorum indigentiam ſubleuemus, non de alienis, qualia ſunt bona incerta. Et ita supereſt, vt ſi hæc bona ſint pauperibus eroganda, ideò eſt, quia iure humano ita videtur inſtitu- E
tum, vt ſuprà allegatum eſt, de vſuris incertis: Et idem videtur de aliis rebus incertis iudicium. Ac proinde, ob iuſtam cauſam, poterit conditor iuris in eodem diſpenſare.

III. TERTIO, non minus ius acquiritur Deo in voto eidem emiſſo adimplendo, quàm ſit pauperibus acquiſitum in bonis incertis diſtribuendis; cùm primum pertineat ad ius naturale, & diuinum, ſecundum autem non niſi ad humanum: Sed Papa poteſt pro cauſa diſpenſare in voto Deo facto, & illud in aliud commutare, vt patet, de voto, & voti redemptione, ita vt is, qui vouit, maneat à debito adimplendi votum liber. Igitur ob cauſam iuſtam, poterit diſpenſare cum eo, qui bona poſsidet incerta, ne ea omnia pauperibus eroget, & ſic diſpenſatus erit tutus.

IIII. PRAETEREA quartò, non minùs debentur clericis Eccleſiæ miniſtrantibus decimæ ac primitiæ, quàm debeantur pauperibus bona incerta; ſed Papa pro cauſa poteſt decimas, in toto vel in parte, à miniſtris Eccleſiæ auferre, & laicis applicare, quemadmodùm ſummi Pontifices regibus Caſtellæ tertiam partem decimarum Eccleſiæ conceſſerunt, aliiſque multis perſonis ſecularibus, ſeu ius patronatus in illos contulerunt, qui ex Pontificum conceſsione, & gratia, decimas omnes illarum Eccleſiarum percipiunt, modò miniſtris de neceſſaria ſubuentione prouideant. Igitur, ob cauſam iuſtam, poterit in huiuſmodi bonis incertis præfata fieri compoſitio, ita vt debitor ab vlteriore reſtitutione liber permaneat.

Reſponſio ad argumenta oppoſita.
Ad I.

PER HAEC patet reſponſio ad rationes in principio factas. Ad primam, quamuis F
Papa dominus non ſit bonorum incertorum, eſt tamen diſpenſator eorum, ſeu diſpoſitor, cui conuenit, de illis, prout vtilitas, aut neceſsitas poſtulauerit, diſponere. Et quia, tanquam pauperum pater, Chriſtum, cuius vicarius eſt, imitatus, qui diſcipulis curam pauperum ſpecialiter iniunxit, bona incerta voluit pauperibus erogari: ita ſi qua cauſa iuſta, & rationabilis, ad huiuſmodi bona aliis piis, & neceſſariis rebus applicandum ſe offerat, poterit ipſum facere, & tenebit factum. An autem in huiuſmodi compoſitionibus ſufficiens cauſa ſemper ſubſit, ipſe viderit.

Ad II. AD SECVNDAM dicendum, quòd in caſu nullum ſit pauperibus præiudicium, qui non aliud ius ad bona incerta habent, quàm ſit illis per ius Canonicum conceſſum; qui autem ius condidit, poterit, abſque alterius præiudicio, ob cauſam iuſtam, res illas in alium finem ordinare.

Cauſa ſeu quæſtio XII.
An debitor liberetur à reſtitutione, ſi tantundem ei creditor debet.
Sententia I.

DVODECIMA cauſa eſt recompenſa, ſiue compenſatio. De qua eſt quæſtio, an debitor liberetur à debito reſtituendi, ſi creditor tantundem illi debet. Dixit Panor. in cap. Bona fides. de Depoſito. Si res hinc inde debitæ, conſiſtunt in pondere, numero, & menſura, ita vt functionem admittant, locum eſſe compenſationi: Secùs verò, ſi res hinc inde debitæ, ratione differāt; vt ſi debeo tibi equum, tu autem debes mihi quinquaginta ducatos, nō habet locum recompenſatio, quia fortè tua intereſt, tuum equum habere potius, quàm pecuniam debitam; aut econtrà mea intereſt, pecuniam mihi debitam

A debitam habere magis, quàm equum. Verùm quamuis hoc teneat in foro contentioso, similiter & in foro conscientiæ, quando creditor potest aliter sine incõmodo rem suam recuperare: si tamen eam sine incommodo recuperare non potest, tunc, qui pecuniam debet, poterit eam tutè retinere, etiam in foro iudiciali: vt habetur. C. de compensatio. l. vltima. vt refert glossa in prædicto cap. Bona fides. Qui autem equum debet, illum per viam recompensæ, nisi authoritate iudicis, retinere secundùm iura non poterit: Quia, vt dicunt, iniustum est, quenquam in rebus suis, propter pecuniam debitam, diminutionem pati.

Oppugnatur hæc sententia ex parte.

ATTAMEN in foro conscientiæ indistinctè videtur tenendum, locum esse compensationi, siue res hinc inde debitæ, eiusdem, siue differentis rationis sint; modò is, qui compensatione huiusmodi vtitur, satisfaciat suo debitori, si fortè inde aliquod interesse patiatur. Et procedit hoc, casu, quo is, qui recompensatione vtitur, rem sibi debitam aliter, sine iactura, recuperare non possit, alioqui culpa non careret, rem alienam, aut in certa specie debitam, creditore inuito, detinendo; cùm meritò & rationabiliter in tali casu esset inuitus: qualiter non esset, si alter creditor aliter non posset, sine incommodo, rem sibi debitam recuperare.

Alia Responsio, quo ad forũ conscientiæ.

SED QVAERI potest, in quibus habeat locum compensatio? Dicendum, quòd in omnibus debitis, dempto deposito, quod in hac re est priuilegiatum, vt habetur in cita-
B to ca. Bona fides. Et hoc propter fidelitatem, in contractu depositi maximè seruandam, in quo res soli fidei depositarij committitur. Ac proinde in commodato habet locum compensatio; esto res commodata non sit de his, quæ in numero, pondere, & mensura consistunt, quod à deposito in hac ratione compensationis differt. Quia commodatũ fit gratia commodatarij: ratione cuius nonnullum ius, saltem ad rei vsum, acquirit, quod non fit in deposito; sed solùm gratia deponentis fit, vltra quod fidei depositarij confisum est. Habet etiam compensatio locum in delictis seu actionibus, quæ ex delicto oriuntur: vt si ambo coniuges adulterium commiserint, neuter in alterum actionem ad coniugale debitum perdit; nec alter alterum debet repudiare, quia paria delicta, mutua compẽsatione tolluntur, vt habetur in cap. vltimo, & penultimo, de adulteriis. Habet etiam locum in pœnis: vt si vterque contrahentium venerit contra contractum, vterque potest pœnam promissam ex conuentione exigere, & vterque poterit à pœna absolui: vt habetur in cap. constitutis. de pœnis.

Dubium I. Quando & in quibus habeat locum compensatio. Solutio.

QVAERI SECVNDO potest, an habeat locum compensatio, quando is, qui compensatione vtitur, dubius est, an tantundem sibi suus creditor debeat, quia cùm certus sit, eum olim sibi debitorem fuisse, dubitat tamen, an sibi debitum soluerit: Dicendum, quæstionem solui ex præfato cap. Bona fides. quòd tunc locus non est compensationi. Ratio, quia oportet causam compensationis liquidam esse, aut quòd breui liquidari possit, vt dicit textus. Quanquam ad forum conscientiæ impertinens est, quòd breui possit
C liquidari, si ipsi, qui compensatione vtitur, liquidum est debitum. Est igitur distinguendum: quia vel vtrunque debitum est liquidum, vel vtrunque incertum, & dubium: vel alterum liquidum, alterum verò incertum aut dubium. Si vtrunque liquidum est, locum habet compensatio. Ratio, quia tunc æqua est vtriusque conditio, facta huiusmodi compensatione; nec alteri debitorum præiudicium fit, cùm vterque habeat, quod habere debet. Si vtrunq; debitum est incertum, aut dubium, similiter locum habet compensatio, ob eandem rationem. Si autem alterum liquidum est, alterum verò dubium aut incertum; tunc non habet locum compensatio: iuxta regulam communem, Liquidi ad non liquidum non est compensatio. Et ratio est aperta; quia tunc obstat mala fides, ne quis compensatione vtatur, cùm certus sit se debitorem esse, & incertus, an econtrà alter aliquid sibi debeat. Et ita, sicut possessor malæ fidei culpa non caret, nisi restituat: ita nec retentor alieni debiti, cùm mala fide, nisi debitum soluat, erit à peccato immunis.

Dubium II. An locũ habeat cõpensatio quãdo is, qui cõpensatione vtitur, dubius est, an tantundem sibi creditor suus debeat. Solutio.

EX DICTIS soluitur illa quæstio, de emphyteuta, qui pensionem per biennium nõ soluit, eo quòd dominus, cui soluturus erat, tenebatur ei in tanta quantitate, an cadat in commissum. Et dicendum, quòd non, in foro conscientiæ; eo quòd pœna, vbi culpa non est, locum habere non debet. Cùm ergo in conscientia præfatus emphyteuta pensionem non soluendo, à culpa, in conscientia, per compensationem, excusetur, sequitur &c. quanquam in foro iudiciali fortè non erit tutus, nisi ante completum biennium compensationem opposuerit. De quo tamen variè sentiunt Iuristæ, ad quos attinet

Dubium III. An Emphyteuta, qui pensionẽ per bienniũ non soluit, eo quòd dominus, cui soluturus erat tenebatur ei in tanta quantitate, cadat in commissum in foro conscientiæ.

EE iudi-

iudicare, an, & quomodo, in huiusmodi casu valeat compensatio in humano foro. De D quo vide Doctores in præfato cap. Bona fides.de Deposito.

Dubium IIII. An cùm debita hinc inde sunt diuersimodè cō tracta, alterum ex mutuatione, alterum ex promissiõe firmata iuramento &c, locum habeat compensatio? Rationes dubij negantes.

Praeterea quæri potest, an, cùm debita hinc inde sunt diuersimodè contracta, alterum ex reali mutuatione, alióue contractu; alterum verò ex promissione iuramento firmata: vt si ego iuraui me tibi daturum decem, tu autem alia via, debes mihi totidem. Similiter, si vtriusque debitum sit reale; alter tamē iurauit se ad terminum soluturum, cùm tamen suus creditor non iurauerit se similiter soluturum: vt si ego à te mutuo decem accepi, quæ ad certum terminum me tibi soluturum iuraui, econtrà tu alioqui debes mihi alia decem: an possim ego, non obstante iuramento, compensatione vti.

I. Ratio dubij est, quia iuramentum de re licita factum, videtur in forma, de iure diuino, seruandum, prout constat ex præceptis Decalogi. Tum etiam, quia si aliquid obstaret, quo minùs in casu esset promissum soluendum, maximè quia is, cui soluendum est, tenetur tantundem iuranti persoluere: sed hoc non, vt patet ex cap. Debitores. de iureiurando. vbi mutuatarius, qui iurauit vsuras soluere mutuanti, tenetur, propter iusiurandum, eas soluere; non obstante, quòd mutuator eas teneatur mutuatario reddere.

II. Idem in sententia, & magis ad propositum, habetur in cap. Ad nostram. ibidem: vbi in sententia dicitur, quòd debitor, qui creditori pignus fructiferum, pro debiti securitate, dederat, pręstito iuramento, de non inferendo creditori grauamen aliquod super huiusmodi pignore, aut fructibus eius: & tamen, contra iuramentum, pignus, authoritate iudicis malè iudicantis, de potestate creditoris rehabuit, talis compellitur, propter E iusiurandum, pignus creditori reddere, cum fructibus inde perceptis, & integrum debitum soluere: esto quòd creditor post solutionem debiti illi factā, teneatur idem pignus cum fructibus debitori restituere: vbi non permittitur præfato debitori quicquam in recompensam fructuum per creditorem perceptorum reseruare.

III. Similiter quęri potest, si vterque debitor se alteri soluturum iurauit, & econtrà, an habeat locum compensatio? Si enim alter solùm iurasset, se soluturum, tenetur iuramentum adimplere: ergo similiter tenebitur, si suus debitor similiter iurasset: quia iuramentum vnius, alterius iuramentum non infirmat. Et ita apparet, quòd in his casibus, in quibus debitor se soluturum iurat, non potest compensatione vti.

Ratio dubij pro parte affirmatiua.

In oppositum, pro altera parte videtur, quòd remittere debitum, & debitorem à debito absoluere, & tantundem illi donare, æquiparentur: igitur qui iurauit, se daturum decem Petro sibi tantundem debenti, si illum à debito absoluat, aut debitum illi remittat, satisfacit iuramento. Talis est, qui compensatione vtitur. Item compensatio quædam solutio est: alioqui debitor non maneret à debito liber. Igitur debitor, qui iurauit se soluturum quod debet, satisfacit, si compensatione vtatur.

Confirmatio.

Resolutio quæstionis. Respondetur ad I. rationem dubij.

Respondetvr, iuramentum licitum seruandum est, secundùm intentionem iurantis, in foro conscientiæ, in quo non obligat, nisi secundùm metas voluntatis ipsius, qui iurat. Ac proinde in casibus prætactis ad intentionem iurantis est recurrendum. Primus casus est. Si quis iurauit dare decem, alteri ad tantundem illi reddendum obligato, F est distinguendum; an absolutè, & categoricè iurauerit se illa decem dare, nil de remissione debiti intendendo: tunc compensatio locum non habet, quia obstat iuramentum categoricè factum. Si autem intentio iurantis fuit non determinata ad dandum decem; sed in genere, ad faciendum alteri gratiam decem, siue de nouo dando, siue debitum remittendo; tunc, quidquid horum fecerit, satisfacit iuramento: nec est illic recompensa, quæ fieri possit; sed iuramentum tantùm est adimplendum. Et procedit hoc, siue ille alter sit debitor iuranti, tempore iuramenti, siue posteà factus sit debitor.

Ad II. Ad secvndvm casum, quo est hinc inde debitum, re, non verbis, contractum, & alter tantùm iurat se suum debitum soluturum; tunc similiter ad intentionem recurratur. Quia vel intendit se iuramento obligare ad debiti solutionem absolutè, sciens alterū sibi tantundem debere; & tunc tenetur soluere: nec habet locum compensatio propter iuramentum, ratione cuius visus est iurans credere iuri, quod habebat ad compensandum. Si autem intendebat ita se adsoluendum obligare, vt non intendat iuri compensandi cedere, tunc iuramentum est interpretandum, quòd iurat, se soluere debitum, si tenebitur illud soluere: & quia absolutè non tenetur, cùm facultatem habeat compensandi, si velit, cui facultati cedere non intendit; ideò habebit locum in casu compensatio, ac si iuramentum non esset appositum.

Ad

A Ad tertium casum, quo ambo debitores mutuò iurant, se inuicem debita soluturos: Dicendum, quòd illis consentientibus, locus est compensationi; secùs si ambo non consentiant, sed vterque vult suum debitum sibi solui: tunc enim vterque tenetur, quod iurauit, adimplere. Secùs aliàs, quia iuramentum in fauorem alicuius factum, illo debitum remittente, dissoluitur. Ideò, si debiti solutio per creditorem differatur, vel suspendatur, vel omninò remittatur, cessat obligatio soluendi. Quæ omnia cùm clara sint, non est, quòd ampliùs immoremur. *Ad III.*

Ex dictis patet ratio, quare in casu ca. Ad nostram. suprà citati, non est permissa compensatio debiti, cum fructibus à creditore perceptis, quia scilicet debitores iurauerant, se nullum grauamen super pignore, nec super fructibus inde perceptis illaturos: in quo apertum est, eos iuri compensationis cessisse, cùm iurassent, se creditori pignus, & fructus pignoris dimissuros, vsque quò illi integram debiti solutionem facerent. *Explicatur ca. Ad nostram, in II. ratione allatum.*

Ad alivd in oppositum adductum, responsio patet: quia licet æquiparentur, debitum remittere, & de nouo aliquid dare, non tamen sunt idem: ideò qui absolutè & categoricè intendit, se iuramento obligare ad dandum, non obstante debito donatarij, non satisfacit remittendo debitum; quia iuramentum secundùm intentionem iurantis est in forma adimplendum. *Respondetur ad rationē pro parte affirmatiua.* Quòd secundò dicebatur compensationem esse quandam solutionem, fateor, sed non inde liberatur à debito, qui illud in forma soluere iurauit; vt B patet ex dictis, & qui secluso iuramento, per compensationem, quodammodò soluisset, iurando se obligat ad realiter soluendum, & non compensandum. *Ad confirmationem eiusdem.*

Ex dictis patet, quando & quomodo in debitis locum habeat compensatio, per quam debitor à debito restituendi liberatur. Esset aliud dubium, an, sicut licitum est, debitum per viam recompensę retinere; ita sit licitum, aliena per viam recompensæ, sine iudicis authoritate, & sine debitoris consensu, capere. Sed de hoc vide infrà, quando de rebus furtiuis agetur. Quæstione XI. *NOTA.*

De rebus furtiuis, & primò de furto.

QVÆSTIO QVARTA.

His vtcvnqve præmissis, quæ, etsi in genere dicta sint, valent tamen ad cognoscendum etiam in particulari, quid in innumeris casibus sit de restitutione tenendum: conuenit tamen ad nonnullas materias, & casus particulares descendere. Quatuor enim modis solent acquiri res, de quibus, an restitutioni sint obnoxiæ, meritò dubitatur. *Quatuor modis solent acquiri res, de quibus an restituenda sint, dubitatur.* Sunt enim quæ contra voluntatem domini, simul & contra legem, acquiruntur, vt res per furtum, & rapinam ablatæ; 1. quædam, quæ contra voluntatem domini, sed non contra legem, vt res per præscriptionem acquisitæ: 2. quædam, quæ ex voluntate 3.
C domini, sed prohibente lege, acquiruntur, vt est lucrum, per meretricium, & ludum acquisitum: quædam denique, quæ ex voluntate domini conditionata seu modificata sunt 4.
obtenta, de quibus paulatim nonnulla sunt inquirenda.

Et primo occurrit inquirendum de rebus furtiuis restituendis; priùs tamen de furto nōnihil dicamus oportet. Præmittamus inprimis quid nomine furti intelligamus. *Quid sit furtū.* Est enim furtum iniusta contrectatio rei alienæ: & sic largè sumitur, & comprehendit rapinam: propriè autem accipiendo, vtrunque; Furtum est occulta, seu fraudulenta contrectatio rei alienæ, inuito domino. Rapina verò est violenta rei alienæ contrectatio. *Quid rapina.* Vnde fur & raptor conueniunt; quia vterque rem alienam, inuito domino, contrectat. Differunt autem, quia fur, per fraudem, seu astutiā; raptor verò per vim aliena capit. *In quo conueniant & differant fur & raptor.* Dicitur verò fur, vt ait Isidorus, à furuo, ob obscuritatem, eò quòd fures tenebras quærunt, vt furentur: ideò vt plurimum nocte furta committuntur.

Est avtem duplex fur, scilicet, nocturnus, & diurnus. *Fur duplex: nocturnus & diurnus.* Quæ distinctio ad id deseruit; quia scilicet personæ priuatæ licitum est furem nocturnum occidere, vt habetur Exodi 22. Et de homicidio. cap. Si perfodiens. Cuius ratio est; quia fur nocturnus timet, ne agnoscatur, aut infametur, aut in furto deprehendatur; & ita præsumitur, quòd venit paratus occidere, ne deprehendatur: ac proinde iure conceditur facultas illum impunè occidendi: maximè si dominus rei, ad suarum rerum defensionem, alio remedio vti non possit. *Licet priuatæ personæ occidere furem nocturnum, non etiam diurnum.* Diurnum autem furem occidere, non ita iure personæ priuatæ permittitur, quia

alia habet remedia is, cui bona surripiuntur: nam potest furem cognoscere, & contrà D
eum cognitum in iudicio agere: potest etiam clamore, & vicinorum conuocatione, furtum impedire. Quæ remedia non ita solent nocte occurrere.

Furtum duplex: manifestum & occultum.

Est etiam furtum manifestum, quale est id, cum quo fur ipse deprehenditur, antequàm rem furtiuam in domum deportet. Et est furtum occultum, cum quo, scilicet, fur non ita deprehenditur. Et deseruit hæc distinctio non ad restitutionem, sicut nec præcedens; sed ad pœnam iuris furi inferendum, quę diuersa contra furem manifestum, & occultum legitur instituta. Verùm quamuis fur teneatur ad restitutionem, ad pœnæ tamen solutionem, antequàm per iudicem condemnetur, minimè tenetur, vt tradunt Doctores cum glos. in c. Fraternitas 12. q. 2. Est enim regula, quòd lex pœnalis non obligat ad pœnam, in foro conscientiæ, ante sententiam latam: excepto, nisi lex talis sit, quæ pœnam ipso facto imponat. Quemadmodùm aliquando datur lex sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, seu ipso facto, aut sub pœna cadendi in commissum ipso facto, aut quòd bona sint ipso facto confiscata. In quibus, & aliis huiusmodi casibus, qui legem violat, eo ipso pœnam incurrit: quanquam ad eius exequutionem necessaria sit sententia saltem delicti declaratiua. Sed de his alibi.

Quando lex aliqua obliget ad pœnam in foro conscientiæ ante latam sententiam.

Variæ furti species.

Est deniqve furtum multiplex, ex diuersitate rei furtiuæ. Dicitur enim aliquod
1. furtum sacrilegium; vt cùm quis furatur sacrum de sacro, sacrum de non sacro, non sa- E
2. crum de sacro. Dicitur aliud peculatus; vt cùm quis bonum Reipub. furatur. Aliud verò
3. dicitur abigeatus, vt cùm quis disperso grege furatur ouem, aut pecus. Aliud verò dici-
4. tur plagiatus, vt si quis hominē furetur. De quibus vide, si placet, Summistas, & Doctores. Et deseruit hęc distinctio non ad restitutionem, sicut nec pręcedentes; sed ad furem iudicandum: nam secundùm iura ad diuersa supplicia sunt huiusmodi fures iudicandi, in quibus non insisto.

Dubium I. An iustè poßit iudex furē pro simplici furto suspendere? Sententia I. negatiua. Fundamentū.

Obiter tamen potest in prę sentiarum quæri, an iustè poßit iudex furem pro simplici furto suspendere, vti alicubi talis viget consuetudo? Et dixerūt quidam, cum Scoto sentientes, quòd non. Quorum ratio talis est, quia tam veteri, quàm noua lege constat, præceptum esse diuinum de non occidendo proximum: igitur non licet quenquam occidere, nisi eos, quos Dominus à dicto suo præcepto exceptos esse voluit. Deus autem, licèt in veteri lege aliqua crimina notauit; propter quæ voluit criminosum morte puniri, qualia sunt blasphemia, homicidium, adulteriū, &c. cuiusmodi delinquentes voluit à prę cepto de non occidendo excipere; fures tamen non ita excepisse videtur, ex quo Deus ipse pœnam pro furto infligendam instituit, vt habetur Exodi 22. cap. scilicet, vt fur aliquando in duplum, aliquando in quadruplum, aliquando verò in quintuplum esset puniendus: vt si furtiuam rem nondum consumpserit, reddat eandem, & vltrà soluat duplum. Si bouem furatus est, soluat quintuplum: si ouem, quadruplum.

Cvivs discriminis ratio aperta esse videtur; quia si res solùm ablata est, & nondum F
consumpta, iniustum videtur, vt tanta pœna illi sit infligenda, ac si rem consumpsisset, cùm referat culpam simplam, aut duplam commisisse. Alia est enim culpa, rem alienam occupare, alia verò, eandem consumere, seu distrahere. Quòd si pro oue furtiua quadruplum, pro boue autem quintuplum reddi iubebatur: ideò est, quia vltra furti quantitatem, ratione cuius maior temeritas est, non tanta solet custodia bobus adhiberi, quanta ouibus, nec boues adeò gregatim esse solent, sicut oues, vnde facilius est bouem, quàm ouem furari. Inde maior pœna debuit contra furantem boues, quàm contra furantem oues imponi. Et quantò res magis est periculo exposita, tantò maiorem pœnam conuenit eos sustinere, qui rem illam surripuerint. Vnde Aristoteles causam quærit in Problematibus, quare, qui ex balneis, aut ex palæstra furatus est, aut ex foro, in nonnullis locis morte mulctetur: qui autem ex domo priuata furatur, furti duplum exoluit. Respondet inter alia, an, quia in domibus rem custodire meliùs possumus: nam & paries firmus, & clauis est, & familiaribus res domesticæ curæ omnibus sunt, vt tutò seruentur. At in balneis, cæterisque publicis locis, facilis cuique facinoris perpetratio est. Nil enim ad custodiam satis, qui sua posuerit, habet præter oculos. Redeundo igitur ad rem, si absolutè Deus præcepit, dicens: Non occides, & inde fures non excipit, sed alios malefactores: sequitur, quòd exceptis his, quos Deus voluit excipere, præfatum præceptum manet in suo vigore, & ita pro furto simplici non erit licitum furem occidere.

Vervm,

A VERVM, quantum attinet ad hunc modum dicendi, videtur fundamentum præfatum, ad id quod prætendunt, minimè valere: nam præceptum illud, Non occides, si intelligatur, vt intelligendum est, scilicet, priuata seu propria authoritate; certum est, tunc & nunc, absque aliqua exceptione, esse obseruandum, nec à tali præcepto sic intellecto, Deus quenquam in lege sua excipere voluit.

Oppugnatur prædictum fundamentum. I.

TVM ETIAM, esto Deus simpliciter tale præceptum dederit, quodque ab eodem Deus quosdam voluit excipere, quos ob certa delicta occidendos esse decreuit; cùm tamen constet huiusmodi exceptiones legales ad præcepta iudicialia pertinuisse, consequens est, eas omnes cessasse, lege Euangelica superueniente: & per consequens, si ad legem veterem respectus esset habendus, opus est præceptum Decalogi de non occidendo, absque aliqua exceptione, nunc debere obseruari; cùm legales exceptiones à præcepto de non occidendo iam sint annullatæ, nec hæreticos aliosque huiusmodi esset in lege gratiæ licitum occidere, vt patet intuenti. Quòd si ad humanas leges atque consuetudines, per maiores approbatas, velis haberi respectum, & non ad exceptiones legales; sequitur posse iustè furem pro simplici furto, sicut & pro aliis delictis, ad mortē damnari. II.

PRAETEREA contra idem fundamentum videtur, quòd in lege veteri statutum erat, vt qui audierit vocem iudicis seu sacerdotis, & obedire noluerit, ex decreto iudicis moriatur homo ille. Deuteron. 17. Similiter filios immorigeros, & parentibus obedire B nolentes, iubebat lapidari. vt habetur in Deuteron. cap. 21. Si genuerit homo filium contumacem, qui parentibus obedire contempserit, ducent eum ad seniores, & lapidetur. Vnde apparet in lege veteri iudices authoritatem habuisse quosdam delinquentes occidendi, & etiam contumaces, & inobedientes; etiamsi specialiter & expresè à præcepto de non occidendo, non fuerint diuinitùs excepti. III.

IDEO ALITER, & pro eadem Scoti sententia arguo; quia nulli licitum est hominem, etiam iniquum, occidere, nisi ad id legitimam habeat iuris, aut iudicis authoritatem: hanc autem humanus iudex, ad furem occidendum, pro simplici furto, non videtur habere, igitur. Nam quæro, vel eam habet à lege diuina veteri, vel à noua, vel à lege canonica seu Ecclesiastica, vel à lege Ciuili, vel denique à consuetudine.

Alia probatio illius sententiæ negatiuæ.

ET QVIDEM à lege diuina veteri talem authoritatem non habet. Tum, quia lex vetus fures non pœna capitis, sed pecuniaria, aut alia, citra tamen mortem, puniebat; vt suppono (loquor de simplici furto). Tum etiam, quia esto lex illa capite delinquentem puniret, iam tamen vim suam amisit, & per legis Euangelicæ superuentum est reuocata: vt apertè ait Paulus ad Hebr. 10. Aufert primum scilicet vetus testamentum, vt sequens statuat. Ac proinde iudex nunc non habet ex illa authoritatem, quenquam pœna capitis puniendi.

A LEGE etiam Euangelica talis authoritas non habetur. Nam lex Euangelica non lex mortis est, sed vitæ. Nec Christus quenquam pro peccato iussit occidi, sed pœnitere: C nam adulteram, quæ secundùm legem erat lapidanda, misericorditer absoluit.

A LEGE insuper Ecclesiastica præfata authoritas non habetur: quandoquidem Ecclesia sanguinem horret, sanguinolentos etiam iudices irregulares facit: non igitur lex Ecclesiastica authoritatem iudici tribuit, vt furem occidat.

A LEGE prætereà ciuili talis authoritas ad furem, pro simplici furto, occidendum non habetur, sed citra mortem venit puniendus, vt habetur. C. de seruis fug. Authen. Sed nouo iure &c. Secùs, si armis aggrediatur in itinere, aut in mari, aut etiam in domo: quia tunc plus est, quàm fur, & potest iure suspendi. l. capitalium. §. grassatores. &. §. famosos. ff. de pœnis. A nulla igitur lege iudices authoritatem habent pro furto simplici quenquam occidendi.

SVPEREST ergo, vt si quam habent, eam à consuetudine habeant. Hæc autem consuetudo, an in præsenti sufficiat ad præfatam authoritatem habendam, non omninò certum esse videtur. Tum, quia talis videtur iniqua, & iniusta consuetudo: nam, secundùm veram iustitiam, pœna non debet culpam excedere; mors autem pro furto inflicta, culpam furti excedere videtur, ex quo per furtum non fuit proximus damnificatus, nisi in bonis fortunæ: mors autem, quæ furi infligitur, longè maius malum est, quàm præfata damnificatio, vt constat. Tum etiam, quia id sonat diuina lex, dicens, secundùm quantitatem delicti, erit & plagarum modus. Et iterum: Quantum glorificauit se in delitiis, tantum ei date tormenti. In quibus voluit diuina iustitia pœnā culpæ esse proportionatam.

Probatur, iudices non habere authoritatem prædictā à consuetudine. I.

Tum etiam, quia talis consuetudo ab initio fuit vitiosa, quando scilicet iudices, sua authoritate, cœperunt fures pro simplici furto, suspēdere, cùm pro tunc, ad id nullam haberint authoritatem, & ita huiusmodi cōsuetudo fuit ab initio contra legem diuinam, & naturalem introducta; quæ iubet, neminem occidendum, propria authoritate. Ac proinde quantumuis antiqua sit præfata consuetudo, cùm legi diuinę videatur esse contraria, non videtur præscribi posse, nec vim vllam obtinere, quandoquidem consuetudo legem vincere non potest dist.11.cap. Consuetudinis. D

Probatur eadē sententia authoritate D. Aug.

Pro eadem sententia facit Augustinus, & habetur 23.q.5.c.si non licet. dicens; his exceptis, quos vel lex iusta generaliter, vel ipse fons iustitię Deus specialiter iubet occidi, quisquis hominem, vel seipsum, vel alium occiderit, homicidij crimine innectitur. In casu autem nec id iubet Deus, nec lex generalis concedit. Igitur.

Resolutio dubij. Principes scilicet posse ferre legem pro furibus suspendēdis etiam pro simplici furto.

Probatur I.

His tamen non obstantibus, videtur, quòd possint principes legem facere, de furibus suspendendis; maximè si sint incorrigibiles: nam propter illa crimina, quę in perniciem Reip. perpetrantur, licitum est statuere, delinquentes è medio tollere: talia sunt furta etiam simplicia, quę nisi acriter puniantur, facile fomentum, & causam præstarent disidiis & iurgiis, ac suspicionibus perniciosis, indeq; lites, & contentiones quàm plures orirentur: imo facilè, si talia permittantur, homines occasionem assumerent, diuites expoliandi, & cæteros ad inopiā cogendi; vnde necesse esset plurimorum vitam periclitari.

II. Deinde pręlati Ecclesiastici possunt pro simplici furto, fures ipsos excommunicare, quod est, eos Sathanæ tradere, vt indubitatum esse suppono, & docet Paulus ad Corinthios, & si possent maiorem pœnam infligere, eam infligerent. Igitur similiter principes laici, possunt leges facere, per quas fures, potissimum incorrigibiles, possint morte afficere. Quandoquidem si membrum non nisi in damnum corporis viuit, satius est ipsum præscindere, quàm cum tanto periculo corporis ipsum viuere permittere. E

Iudices qui pro patriæ consuetudine fures huiusmodi suspendunt, non sunt condemnandi.

Inde fit, vt iudices, qui iuxta patrię consuetudinem huiusmodi fures suspendunt, non veniant cōdemnandi. Id patet, quia quòd lege à principibus & maioribus stabilitur, potest similiter consuetudine fieri, si ipsis principibus de huiusmodi consuetudine constet, & eidem minimè contradicant. Cùm igitur possint principes prefatam legē facere, consequens est, vt consuetudinem introductam velint approbare, quæ cùm cognita & approbata fuerit, non dubium, quin legis vim obtinebit. Et non obstante, ꝙ talem consuetudinem introducentes, ab initio fortè peccauerint, eò quòd ad fures suspendendos authoritatem legitimā non habuerint; posteà tamen temporum successu, consuetudine ipsa vim legis obtinente, excusabuntur iudices iuxta consuetudinem operātes; à qua, velut à lege ciuili, authoritatē habere dicentur. Et procedit ratio, non solùm vbi fur aliquis frequenter furtum commiserit, sed etiamsi consuetudo sit pro vnico furto qualificato furem suspendere. Secùs, vbi consuetudo non sit, nisi ad frequentiā furti pœnam augere.

Respondetur ad rationes contra consuetudinem allatas.

Ad I.

Et per hæc patet responsio ad rationes suprà in oppositum factas, quòd scilicet pœna mortis non excedat culpam latronis, quia in tali punitione nō habetur respectus ad damnum priuatum domino rerum illatum, quod sola rerum iactura est, sed ad damnum publicum, non solùm rerum, sed corporum & animarum, quod ex tolerantia talium furum posset verisimiliter euenire. F

Ad II.

Ad aliud de authoritate iudicum patet ex dictis, iudices eam à consuetudine per maiores cognita & approbata, habere: quæ quidem consuetudo in initio vitiosa esse potuit, & contra legem diuinam & naturalem, ob id scilicet, quia authoritas deerat, hæc autem post principum approbationem minimè deesse videtur, & ita tollitur id, vnde præfata punitio vitiabatur.

Limitatur prædicta resolutio.

Haec autem, quæ dicta sunt, procedunt stando solùm in iure communi: nam in nonnullis regnis, vltra ius commune, sunt statuta facta de suspēdendis furibus, vt in Italia, Gallia, & Germania, quæ propter nimiam frequentiam, & assuefactionem præfati delicti, videntur rationabilia, vt qui virtutis amore à malo non retrahuntur, saltem pœnę formidine coërceantur. l. prima in principio. ff. de iustitia & iure. Ita etiam in Lombardicis constitutionibus per Imperatorem approbatis, statutum est, furem pro primo simplici furto, fustibus puniri, pro secundo mutilari, pro tertio verò suspendi. Quod inde rationabile videtur, quia crescente contumacia, crescere debet & pœna. Vnde hoc idem in aliis regnis obseruatur, ad quæ præfatæ constitutiones Imperiales, per extensionem quandam, peruenerunt. Siue igitur per extensionem legis Imperialis Lombardis traditæ,

A ditæ, siue per consuetudinem à principe cognitam, & approbatam, siue per iurium communium quandam interpretationem, siue per municipalia statuta pręfati fures pro simplici furto suspendantur, non est huiusmodi factum damnandum.

SOLET deinde quæri, an furtum sit peccatum mortale. In quo nil opus est immorari, quando certa sit pars affirmatiua quæstionis. Tum, quia furtum duo dicit, quę digna sunt condemnatione, scilicet, contrectationem iniustam rei alienæ, pro qua cõclusum est, posse iustè furem pœna mortis puniri, & dolum seu fraudem, cum qua furtũ committitur, de qua Ecclesiastici 34. Qui effundit sanguinem, & qui fraudem facit, fratres sunt. Et de vtroque, tanquam de diuersis peccatis, Dominus videtur esse loquutus Marci 10. docẽs, quid ad vitam æternam esset agendum, dicẽs: Mandata nosti, ne fureris. Et pòst: Ne fraudem feceris. &c. Vnde constat mortale esse peccatum furari, ex quo furtum ingressum ad vitam æternam impedit. *Dubium I. An furtum sit peccatum mortale. Resolutio affirmatiua. Probatur* I.

DEINDE idem patet ex Aristotele tertio Ethicorum: vbi tradit, esse aliqua, quę statim nominata, inuolutam habent malitiam, & exemplificat de furto. II.

IDEM ETIAM patet ex testimonio Zachariæ 5. dicens: Hæc maledictio data est super omnem faciem terræ, quòd scilicet omnis fur iudicabitur, hoc est, condemnabitur. Et ita certa est pars affirmatiua quæstionis. III.

POSSET tamen quosdam ad oppositum mouere. Primò, quia Hebræi de Ægypto B egredientes, Ægyptios fraudulenter expoliauerunt, idq; ex Domini præcepto, vt habetur Exod. 12. Fecerunt, inquit, filij Israël, sicut præceperat Dominus Moysi, & expoliauerunt Ægyptios. Deus autem nemini vnquam præcepit quod peccatum esset, vt dicitur Ecclesiastici 15. Nemini mandauit impiè agere. *Obiectio* I.

SECVNDO, esto peccatum sit furari, non tamen videtur, quòd sit mortale, prout dicitur Prouerb. 6. Non grandis est culpa, cùm quis furatus fuerit, mortale autem peccatum, grande peccatum est. II.

TERTIO, ex pœna idem apparet, quia Deus, qui iustus iudex est, pro furto, saltem simplici, non nisi pœnam temporalem infligi statuit, puta, vt solueret fur duplum, quadruplum, aut quintuplum &c. vt suprà dictum est. vnde argumentum sumitur, furtum non esse morte dignum. III.

QVARTO idem apparet ratione, quia mortale peccatum non est, quod cum charitate Dei, & proximi stat: sed hæc simul stant, vt ego velim proximo meo salutẽ æternam, & quòd cum Deo amicitiam habeat & charitatem, & quòd velim substantiam suam diminuere. Et non solùm hæc simul stant, sed alterum ex altero procedere potest. Si enim videam nocere proximo rerum abundantiam, quam possidet, quia inde occasionem sumit, vt perditè viuat, ego simul salutem eius optans, possum ex hac ad eum habita charitate bona sua eidem tollere. Quod perinde esset, ac si furioso gladius tolleretur. IIII.

AD PRIMVM dicendum, argumentum præsupponere falsum, scilicet, quòd filij C Israël commiserunt furtum, quando Ægyptios expoliauerunt. Nam quamuis, ex parte sua, ob cupiditatem seu dolum, peccare potuerunt, ipsa tamen rei acceptio, nec furtum fuit, nec peccatum, cùm ad id agendum, Dei authoritatem habuerint. Quòd si iuris, aut iudicis authoritas sufficit, à furto excusare, si quis rem alterius eo inuito, accipiat, à fortiori Dei authoritas ad hoc ipsum sufficiet. Adde, quòd illa bona Ægyptiorum & multò plura erant Hebræis ob obsequia, quæ Aegyptiis impẽderant, debita. Nec passus est Dominus, vt populus suus, qui tam onerosè Aegyptiis seruierat, mercede debita prorsus careret. *Respondetur ad primum. Filij Israël absque peccato spoliauerunt Aegyptios.*

AD SECVNDVM, quamuis dici posset ideò dictum esse, furtum nõ esse grande peccatum, eò quòd, vtplurimum, eius culpa per inopiam furtis alleuiatur; attamen ad mentem textus dicitur, non esse grande peccatum, si ad alia peccata conferatur, puta, ad adulterium: nam statim subiungit, Fur soluet centuplum, adulter autem perdet animã suam. *Ad* II.

AD TERTIVM dicendum, quòd argumentum ex pœna per iudices instituta, non valet ad cognoscendum peccati grauitatẽ, cùm videamus nonnulla peccata in rep. tolerari, quæ leuiora sunt respectiuè, vt sunt meretricium, vsura citra centesimã, defraudatio citra dimidiũ. Similiter & alia, quę grauiora sunt apud Deum, vt superbia & inuidia, aliaq; quàm plura. Videmus similiter interdum, quæ grauiora sunt, leuiùs, quæ autem leuiora, grauiùs puniri; non solùm per iudicium humanum, sed etiam per diuinum, idque in hoc sæculo. Cuius ratio aperta est, quia iudices, cùm peccata puniunt, non tam grauitatem *Ad* III. *Ratio, quare peccata grauiora aliquãdo leuiùs: leuiora autem grauiùs puniantur.*

peccati in se attendunt, quàm eius qualitatem, puta, si tale sit, quòd soleat in reip. perniciem cedere, & contra pacificum hominum conuictum. Deus etiam iustam peccatorum punitionem pro alio sæculo seruat, vbi vnusquisque reportabit secundùm ea, quæ in proprio corpore gessit. Et quamuis in hoc sæculo sæpe de peccatis vindictam sumat; non tamen ad condignum, sed vt suæ maiestati videtur ad hominum salutem expedire. Vnde & sæpe Psalmista admiratur, homines pessimos in hoc sæculo, prosperitate sublimari, econtrà iustos & sanctos aduersitate deprimi, multamque inopiam, atque dedecus vtplurimum pati, &c. D

Ad IIII

Ad qvartvm dicendum, quòd charitas consistat in dilectione Dei & proximi, dilectio autem Dei non qualiscunque sufficit, sed debet esse verbo, & opere, & veritate, vt dicit Ioannes in Canonica, iuxta dictum Christi dicentis: Qui diligit me, sermones meos seruat. Et hæc est dilectio, quæ dici solet obedientialis. Constat iam, quòd furtum non stat cum huiusmodi Dei dilectione, cùm constet esse contra mandatum Dei. Similiter dilectio proximi charitatiua dicitur, non ea solùm, qua proximo bonum animæ volumus, hoc est, gratiam & gloriam, sed qua etiam nullum illi malum volumus inferre, nec in persona sua, aut sibi coniuncta, nec in fama, nec in bonis fortunæ, cùm dicitur: Non occides, Non mœchaberis, Non furtum facies &c. per quæ Dominus nobis significauit, in quo charitas ad proximum habenda consistat, nempe in hoc, quòd Propheta vno verbo nobis exponit, dicens: Declina à malo, & fac bonum, inquire pacem &c. Argumentum autem probat furtum se compati cum voluntate hac, qua proximo bonum aliquod volumus, puta, animæ aut corporis, quæ inchoata & imperfecta dilectio proximi est, non autem probat se compati cum vera dilectione eiusdem, quæ in his, quæ dicta sunt, consistit. Vnde repugnat, quòd ex vera proximi dilectione furtum possit procedere. Sed nec furtum propriè dicitur, si ad hunc finem bona fratris auferimus, vt ipsi arma iniquitatis tollamus, cùm de ratione furti sit, rem alienam fraudulenter sibi vsurpare. E

Furtum est contra dilectionem Dei et proximi.

Dubium III. *An omne furtũ sit peccatum mortale. Ratiões pro parte affirmatiua.*

I. Qvaeres fortassis vltrà, an supposito quòd furtum mortale peccatum sit, an omne furtum, etiam modicum, sit mortale? Et pro affirmatiua parte videtur ratio: Quia generaliter in Decalogo omne furtum prohiberi videtur, omne autem illic prohibitum, est æternæ vitæ impeditiuum, iuxta dictum Christi: Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.

II. Secvndo, quia quantitas rei furtiuæ licet culpam augeat, speciem tamen peccati non variat. Quemadmodùm in cæteris rebus videmus, per quantitatis varietatem, rerũ speciem minimè variari. Ac proinde licèt paruitas furti, culpam eius minuat, speciem tamen non inde mutat. Et ita si furtum magnum est mortale, pariter erit & paruum &c.

Resolutio negatiua. *Probatur* I.

Oppositvm tamen videtur probabile, scilicet, quòd tam paruum sit furtum, vt mortale non sit. Tum, quia potest esse adeò paruum, vt nullum peccatum sit, vt si dominus rei nil prorsus curaret, se re illa priuari, cùm in nullo per hoc reputet se damnificari, esto etiam aliquale damnum id esset, attamen quia pro nihilo illud reputat. F

II. Tvm etiam facit, vt quidam probant, cap. Et si quęstiones. de simonia. Vbi in sententia dicitur, quòd munus acceptum ab Episcopo ordinante, aut beneficium cõferente, potest esse tam paruum, vt non ob id simoniam cõmittat. Quamuis textus hic non apertè intentum probare videatur, cùm textûs intentum sit, quòd quando munus est adeò paruum, de quo verisimiliter præsumitur, quòd non inde mouetur Episcopus ad ordinis, seu beneficij collationem, quòd tunc, per talis muneris acceptionem, simoniam non committit. Et ita in re parum refert, magnum aut paruum esse huiusmodi munus, quamuis, quantum ad præsumptionem, referat.

III. Deniqve idem ex sententia Doctorum videtur, qui dicunt, quòd contingit venialiter, etiam de libertate contra omnia Decalogi præcepta peccare. Quod inde rursus apparet: nam in Decalogo prohibetur omnis iniuria proximi, & tamen non omnis talis, peccatum mortale est, vt si quis dicat fratri, racha, aut fatue. Nec etiam omnis irreuerentia filij contra patrem, mortalis est, sicut nec omnis inobedientia contra prælatum.

Respõdetur ad rationes cõtrarias. *Ad* I.

Secvndvm hoc, potest ad rationes priores dici, quòd etsi omne furtum in Decalogo prohibeatur, non inde omne tale est mortale peccatum, nisi notabile sit.

Ad se-

A AD SECVNDVM dicendum, quòd licet quantitas furti naturam, & speciem non mutet, quantum ad hoc, quod est, esse furtum, attamen, quantum ad quantitatem culpæ attinet, variat. Et quamuis vnum in re nō excedat in infinitum reliquum, excedit tamen in ratione malitiæ, secundùm Dei imputationem, qui vnum ad pœnā æternam, alterum ad temporalem tantùm dignatur imputare. Sicut tanta, aut tanta deliberatio in homicidio perpetrando speciem peccati non variat, stat tamen, tam paruam esse deliberationem, vt quod alioqui foret mortale, sit veniale. Ad hunc modum de cæteris. *Ad II.*

De rebus furtiuis integrè restituendis.

QVÆSTIO QVINTA.

IAM AD NOSTRVM propositum redeuntes, inquiramus, an sit necessarium omnia aliena, per furtum ablata, aut etiam alioqui debita, integrè restituere, & an liceat ea paulatim, & per partes creditori soluere? Et quæritur id, propter casum communiter euenientem, qualis his diebus dicitur euenisse. Nobilis quidam, nulla bona propria habens, modis iniquis multa bona aliena vsurpauit, quibus se, & familiam, atq; B statum sustentabat. Ad confessionem veniens, cogebatur per confessarium, vt omnia restitueret. Tandem precibus à sacerdote obtinuit, vt paulatim restitueret, quem videns sacerdos paratum non aliter restituere, absoluit. &c. Quæsitum est, an talis teneatur sine mora omnia integrè restituere, præsupposito, quòd si integram restitutionem faciat, ipse, & familia sua fortè mendicare cogetur, aut ad extremam perueniēt egestatem. Secundò, an casu, quo restitutionem debitam faciat, posit & debeat deduci, ne egeat. Tertiò, an confessor in casu conuenienter & rectè illum absoluit. *Explicatur sensus quæstionis.*

AD PRIMVM, an scilicet teneatur omnia sine mora integrè restituere, respondent multi Doctores distinguendo: Si enim dominus, cui restitutio facienda est, est in necessitate, eò quòd rebus suis aut sibi debitis, ad naturæ seu status sustentationem, indiget; iniustè res suæ ab illo nobili detinentur; ac proinde necesse est ea illi restituere. Si verò in tali necessitate non sit; sed potiùs sit competenter diues, ita vt rebus suis, à nobili præfato possessis, non indigeat, non tenetur præfatus nobilis omnia, quæ debet, integrè, & simul restituere, satis est, si paulatim restituat; modò superflua naturæ & statui ipsius occupantis illicò reddat, nec ad aliud est in conscientia compellandus, vt ait Florentinus, & alij. *Dubium I. An omnia furto ablata, integrè sine mora sint restituēda. Sētētia prima.*

OPPOSITVM tamen videtur tenendum, scilicet, quòd non obstante egestate, in qua nobilis, facta integra restitutione, permaneret, teneatur omnia, quæ debet, suo domino reddere. Probatur, quia sicut fuit illarū rerum iniustus occupator, ita est earundē C iniustus detentor, eò quòd res alienas apud se retinet, creditore non consentiente actu elicito, nec debito. De licito suppono. De debito autem probo. Primò, quia dominus illarum rerum iustè potest velle, res suas, aut sibi debitas, eidem reddi: igitur non debet consentire, vt alter debitor eas retineat. Antecedens inde apparet, quia iustè potest sibi, & familiæ suæ egestatem timere, & alia mala, quæ solent ex egestate prouenire: fortuna enim varia est, & quos hodie exaltat, cras deprimit, & humiliat. Patet etiam ex dicto Salomonis, qui cùm filius regis esset & diues, egestatem sibi euenire posse cognoscens, à domino petiit, quæ illi ad victum necessaria forent. Et causam petitionis assignans, ait, ne egestate compulsus, furer, & periurem nomen Domini. Igitur etiam in casu præsenti creditor, etsi ad præsens diues sit, potest idem quod Salomon sibiipsi timere. Neque enim satis iusta videretur præfata Salomonis petitio, nisi diues posset iustè egestatem timere. Ac proinde, in casu proposito, iustè potest creditor velle res suas sibi restitui, & ita non consentit actu debito, vt res suæ, ab alio occupatæ, detineantur, & consumantur. *Sententia secūda resolutoria pro parte affirmatiua. Probatur I. Prouerb. 3.*

SECVNDO, esto in casu creditor egestatem ex non restitutione non timeret sibi euenturam, potest tamen iustè res suas velle habere, & eis liberè frui, vt posit suis domesticis, propinquis, & consanguineis, si fortè indigent, prouidere, ad quod eum charitas magis obligat, quàm ad res suas extraneo relinquendas, qualis est ille nobilis in casu. Assumptum patet ex eo, quod ait Paulus ad Timoth. Qui suorum curam non habet, & *II. Timoth. 5.*

maximè

maximè domesticorum, crudelis est, & infideli deterior. Non igitur debet in casu, in rerum suarum alienationem, contra charitatem ad suos habendam, consentire. D

III. PRAETEREA, esto quòd creditor ille diues sit, & consanguineos indigentes non habeat; sunt adhuc multi alij pauperes, quamuis extranei, & viduæ, virgines innuptæ, quibus, ex charitate, potest ille creditor de suis rebus prouidere; cùm magis ad id, ex ordine charitatis, teneatur, quàm ad res suas dicto nobili relinquendas: nam inter extraneos præferendi sunt meliores, & boni malis, iuxta illud Ecclesiastici: Da bono, & non receperis peccatorem: bene fac humili, & non dederis impio, qualis, in casu, nobilis prefatus esse videtur.

Ecclesiast. 12.

IIII. DEMVS præterea, non esse alios pauperes meliores illo nobili, cui alios in eisdem subueniendo debeat præferre; non tamen ille creditor ita tenetur illi nobili, alioqui pauperi, prouidere, quòd ex toto eum ab egestate præsenti & futura liberet, familiamq; & statum eius sustentet: hoc enim onus non illi creditori solùm, sed etiam cæteris diuitibus incumbit. Ac proinde, esto quòd creditor ille debeat consentire in hoc, quòd nobilis præfatus de suis bonis retineat; erit hoc ad summum verum, in ea & tanta quantitate, quantam in eleemosynam illi erogare tenebatur, non tamen ea omnia, quæ nobilis ille perperàm vsurpata tenet, debet creditor illi relinquere. Et ita dempta parte, quam teneretur ei in eleemosynam dare, omnium aliorum bonorũ erit iniustus detẽtor; ex quo in omnium aliorum detentione creditor, nec actu consentiat, nec consentire debeat, & ita reliqua omnia tenebitur nobilis ille sine dilatione reddere. E

V. PRO HAC sententia facit capit. Si quis. de furtis. vbi, qui ex necessitate famis furtim aliena accepit, ea, iure Canonico, cogitur restituere; non obstante, quòd in eandem famis necessitatem reincidat.

VI. FACIT etiam cap. Cum tu. de vsuris. vbi compellitur vsurarius omnia, quæ per vsuram acquisiuit, suis dominis integrè restituere, etiamsi nil habeat, præter ea, quæ per vsuras acquisiuit, non obstante, quòd in summa relinquatur egestate.

VII. FACIT etiam, quod habetur de verborũ signifi. ca. Exiit. lib. 6. vbi in sententia dicitur; nemini licitum esse de alienis viuere; etiam nec in extrema necessitate, si liberali oblatione, humili mendicatione, vel manuum labore, possit vitæ necessaria acquirere.

Obiectiones cõtra hanc secundam sententiã.

I. CONTRA hanc sententiam obiiciunt quidam, Primò illud cap. Quoniam. 16. q. 1. vbi Hieronymus ad Damasum scribens super decimis, quas laici, per aliquot annos, detinuerant, ait; quòd de consensu Episcopi poterãt eas firmiter retinere. Igitur ita in præsenti, poterat nobilis ille, saltem de Episcopi consensu, bona illa aliena retinere. Respon. Hoc nil obstat; quia textus non ait, quòd laici, ob egestatem, poterant decimas retinere, cùm intentum quæstionis, quæ illic tangitur, longè diuersum sit à pręsenti casu. Intenditur illic quæri, an sit licitum laicis, siue diuites sint, siue pauperes, decimas accipere, & acceptas apud se retinere. Et dicitur, quòd non. Si tamen sic retenta, & monachis & spiritualibus viris cõferantur, si Episcopo cõsentiente id fiat, tenebit factum. Adde, quòd illa bona sic malè per laicos retẽta, poterant indigẽtibus, authoritate Episcopi, erogari; nec erant alicui certo domino personaliter debita, vt est casus noster. Itaq; non est simile. F

Solutio.

II. SECVNDO obiiciunt cap. Sicut hi. 47. distinct. vbi significat Ambrosius, quòd bona superflua diuitum, non ipsorum, sed pauperum sint: & per consequens, si in casu creditor habet, vnde sui, & suorum naturam & statum valeat sustentare, reliqua, quæ nobilis ille retinet, superflua essent ipsi creditori: & ita non iam creditoris sunt dicenda, sed potiùs ipsius nobilis possidentis, & rebus illis indigentis. Respondetur, quòd Ambrosius illic intendit diuitum auaritiam reprehẽdere, qui ea, quę illis supersunt, pauperibus cõmunicare non volunt: non tamen intendit dicere, quòd superflua, quæ diuites habent, sint de dominio & proprietate pauperum.

Solutio.

III. TERTIO obiiciunt, quod legitur Exod. 22. Si pignus à proximo tuo acceperis vestimentum, ante solis occasum reddes ei: ipsum enim solum est, quo operitur, eius indumentum carnis, nec habet aliud in quo dormiat. Si clamauerit ad me, exaudiam eum, quia misericors sum. Similiter Deuteronom. 24. Non accipias loco pignoris superiorem, aut inferiorem molam; quia animam suam apposuit tibi &c: Cuius prohibitionis ratio videtur, quia illa sunt instrumenta vitæ illius necessaria. Et idem iudicium est de aliis vtensilibus necessariis, scilicet, quòd creditor non potest ea loco debiti à debitoribus accipere, quando illis indigeant. Igitur pari forma in præsenti casu non poterit

A poterit creditor iustè à debitoribus paupertate oppresis, ea quæ illi debent, exigere, sed quamdiu indiguerint, debet ipsis debitoribus ea relinquere.

RESPONDETVR, negando sequelam; nec est simile, quod pro simili adductum est: nam in casu illorum textuum, illa pignora sunt ipsorũ debitorũ, sunt etiam illis ad vitam necessaria: ac proinde non sunt, ob debita, à creditoribus rebus illis priuandi, si nil aliud illis relinquitur, vnde victum & vestitum habere posint. In casu aũt pręsenti omnia, quæ nobilis præfatus habet, aliena sunt, & per ipsum iniustè occupata, & detẽta. Inde patet, verum esse, quod communiter dicitur: Si debitor habet instrumenta artis, sine quibus sibi & suis necessaria prouidere non potest; non tenetur in conscientia illa instrumenta vendere, aut ea creditoribus loco debitorum reddere. Secùs si illis datis, aliqua via honesta viuendi illi relinqueretur. *Solutio.*

EST IAM dubitatio, quæ secundo loco posita est, an in præfata restitutione integrè agenda, sit deducendum, ne debitor egeat, aut ne mendicare cogatur, idq; in foro conscientiæ. Et arguitur quòd sic, quia secundùm iura, si aliquis cesit bonis, deducitur, inde, ne egeat: Ait enim lex; Ei qui condemnatur in id quod potest, deduci debet, ne egeat. l. in condemnatione. ff. de regulis iuris. Inhumanum etiam videtur, spoliatum fortunis suis, in solidum condemnari. vt habetur Institut. de actionibus. §. vltimo. Item ff. de cesione bonorum. l. qui bonis. dicitur, quòd bona eius, qui cesit bonis, non sint B secundariò vendenda; quia non debet fraudari alimentis. Cùm igitur leges huiusmodi iustæ sint, erit homini licitum eisdem vti. Ac proinde tales debitores non tenentur in solidum restituere, sed est inde deducendum, ne egeant. *II. Dubium An in prædicta restitutione sit deducendũ, ne debitor egeat, idq; in foro conscientiæ. Argumenta pro affirmatiua. I.*

SECVNDO idem apparet in casu proposito; quia Imperator, vt fertur, solet ad instantiam huiusmodi nobilium, qui nil, nisi quod restitutioni est obnoxium, habent, eisdem schedulam dare, qua posint paulatim creditoribus satisfacere. Dicere autem, hoc fieri non posse, videtur difficile, maximè, cùm nobiles & milites, secundùm iura, cogendi non sint, vt bonorum cesionem faciant; sed in restitutione creditoribus agenda, deducitur ne egeant; vt habetur l. miles. ff. de re. iudic. *II.*

TERTIO facit lex 4. titulo 4, partitione quinta, in legibus Hispanorum: vbi de eo, qui alteri rerum suarum donationem fecit, dicitur, quòd teneatur donatũ tradere, modò donatori relinquatur, vnde competenter viuere posit. Ergo in proposito casu, non ita integrè est restitutio facienda, quin debitori relinquatur aliquid, ne egeat. *III.*

RESPONDETVR quòd istæ & aliæ huiusmodi leges procedant in foro exteriori, & debitoribus in hac parte suffragatur; ne scilicet per iudices compellantur in solidum simul restituere, quæ debent; sed retinere permittantur (si bonis cedere velint) quæ illis necessaria fuerint, ne egeant: in conscientia tamen videtur, quòd tales tuti non sint, huiusmodi legis beneficio vtentes; sed tenentur in solidum restituere, nisi causa aliqua eos ab integra restitutione excuset. Et quòd ita sit, apparet: quia leges humanæ neminem C in conscientia, contra legem diuinam & naturalem, excusant. Diuina autem & naturalis lex est, vt, quidquid homo alteri debet, restituat. Tum ex eo quòd pręceptum est; Non furtum facies. In quo, vt diximus, non minùs prohibetur rei alienæ detentio, quàm acceptio. Cùm ergo, pro sustentanda natura aut statu, non liceat aliena, inuito domino auferre: vbi aliter posset homo suæ indigentiæ prouidere; sequitur, quòd nec ob eandem causam, poterit aliena retinere. *Resolutio. Prædicta argumẽta procedũt de foro exteriori, non autẽ interiori. In foro cõscientiæ pars negatiua vera est. Probatur I.*

TVM etiam idem patet ex dicto Pauli, qui, cùm præmiserit, vnicuiq; suum debitum esse reddendum, addit, dicens: Nemini quidquam debeatis. In quo docemur, vnicuique debere in solidum reddi, quod illi noscitur esse debitum, nedum si ablatum fuerit. *II. Roman. 13.*

TVM etiam idem apparet ex Ezechiele, vbi Dominus impio viam, qua viuere posit, demonstrans, ait: Si egerit pœnitentiam à peccato suo, feceritq; iudicium, ac iustitiam, pignus restituerit, rapinamq; reddiderit, in mandatis vitæ ambulauerit, nec fecerit quidquam iniustum, vita viuet, aliâs saluari non poterit. Vnde glos. cap. cùm tu. de vsuris. ait, quòd vsurarius debet in solidũ vsuras restituere; nec debeat aliquid deduci, ne egeat, quod Panormitanus ait etiam in foro conscientiæ procedere. Et quanquàm alij dicant, id in vtroque foro de vsurario procedere, in odium vsurarum; in conscientia tamen videtur non solùm de vsurario, sed etiam de quocunque alio iniusto detentore esse tenendum; cùm in conscientia eadem sit vtrobique ratio: nempe vt vnusquisque, quod suum est, aut sibi debitum, habeat, prout iustitia exigit. *III. Ezech. 33.*

DIXI

Limitatur data solutio.

Dixi notanter, nisi causa aliqua eos excuset, vt si cùm debitor aliena retinet, non potens simul creditoribus satisfacere; sperat autem se paulatim satisfacturum, si tempus ad id illi conferatur; tunc videtur, ob huiusmodi spem posse debitorem restitutionem differre. Similiter si in dilatione restitutionis rem creditoris vtiliter agit, potest restitutionem differre. Similiter si nulla alia via licita debitori patet, qua possit naturæ subuenire, nisi aliena in toto, vel in parte retineat: Aut si debitor tam necessarius est reipub. quòd si omnia restituat, respub. notabile damnum sustineat. Aut si ex tali restitutione infamia, aliúdue notabile damnum timeatur euenturum. Aut si qua alia iusta differendi causa concurrat, tunc licitum est, iuxta regulam suprà positam, restitutionem differre. Aliâs autem etsi possit legis beneficio in foro iudiciali vti, non tamen erit in cōscientia tutus, nisi illicò in solidum restituat. Dempta ea parte, quam creditor debitori indigenti in eleemosynam dare deberet. Quæ quanta debeat esse, prudētum iudicio, attentis hinc inde qualitatibus, relinquatur. D

III. Dubium. An debitor, non nisi per partes restituere volēs, sit in confessione absoluēdus.

Nunc ad id, quod tertio loco quærebatur, an scilicet, casu quo debitor nolit simul, seu integrè (cùm possit) debita creditori soluere, sed annuatim, aut paulatim, an confessor possit ei huiusmodi dilationem concedere, eumque non aliter soluturum absoluere. Respondetur, Vt video Summulistæ communiter tenent partem affirmatiuam in vtroque, scilicet, quòd possit confessor præfatam dilationem concedere, & sic parato ad terminum soluere, Sacramentalem absolutionem impendere. Eorum ratio hæc est: nam alioqui hæc damna sequerentur, scilicet, decederet pœnitens sine absolutione desperatus, & maneret semper in peccato, debita non soluendo, maneret etiam creditor semper læsus, nulla eidem facta debitorum restitutione. Econtrà verò data per sacerdotem dilatione, impensaq; absolutione, præfata incommoda vitantur, & vltrà agitur vtiliter negotium creditoris. E

Argumentum pro parte affirmatiua.

Conclusio I.

Verum his non obstantibus, videtur oppositum in casu tenendum. Et dicendum primò, quòd sacerdos peccet in casu, illum absoluendo, & absolutio est nulla. Cuius ratio est clara; quia ex quo ille pœnitens animum debita integrè soluendi prout debet, nō habet, nisi paulatim, cùm illicò & simul satisfacere possit, peccat; & ita indignus est, qui sacramentaliter absoluatur, ob obicem malæ voluntatis, quem ponit. Nec excusatur cōfessor ob bonum, quod ex data dilatione subsequitur, quia iuxta Paulum: Non sunt facienda mala, vt eueniant bona. Dare autem Sacramentum ei, qui obicem malæ voluntatis ponit, perinde est, ac si daret sanctum canibus, contra dictum Christi: Nolite sanctum dare canibus, nec mittatis margaritas ante porcos.

Roman. 3.

Matth. 7.

Conclusio II.

Secundo videtur, quòd confessor in casu præfatam dilationem debitori concedens, non teneatur in aliquo creditori, eò quòd ex data huiusmodi dilatione, nullū sequatur creditori damnum, sed potius bonū, ex quo illo modo res suas recuperabit, quas fortè alioqui penitus amisisset.

Conclusio III.

Tertio videtur, quòd talis dilatio per confessorem data, non liberet debitorem à restitutione integrè, & statim facienda, cùm possit; quia talis dilatio nec datur à creditore, nec datur omninò voluntariè; sed ob causam maioris damni creditoris vitandi. Et ita patet ad ea, quæ in Quæstione proposita sunt. F

Quid tenēdum de hac resolutione.

In qua videbor quibusdam inhumanè respondisse, compellendo nobilem præfatum ad integrè restituendum, nec permittendo inde deduci ne egeat, sed tantùm id esse deducendum, quod creditor alioqui in eleemosynam illi tradere debuisset. Fateor duram esse sententiam, sed loquendo secundùm rigorem conscientiæ, non video aliter ad quæstionem respondendum esse. Nec tutum esse arbitror hominem aliena retinere, & consumere, vt mendicitatem & egestatem euadat, quando per mendicimonium viuere possit, quod non modò turpe non est, sed, si patienter sustineatur, apud Deum magni meriti est.

De rebus furtiuis in potestate furis deterioratis, siue destructis.

QVÆSTIO SEXTA.

Qvia

A QVIA CONTINGIT rem furtiuam, post perpetratum furtum, in valore ascendere, similiter & descendere, seu deteriorari, & etiam rem in eodem valore permanere, est quæstio, secundùm quem valorem teneatur fur rem furtiuam restituere? Et video passim Doctores dicere, quòd teneatur rem furtiuam, aut eius æstimationem, secundùm meliorem statum, seu maiorē valorem, quem habuit à tempore furti perpetrati, restituere. Excepto, nisi moram purgauerit, hoc est, nisi rem furtiuam, aut alioqui debitam, suo domino priùs obtulerit, per quem stetit, & non per furem, quo minùs rem suam habeat. Ita ex tunc non manebit obligatus fur, nisi talem reddere rem, qualem habuerit, etiamsi postmodùm deterioretur. *In quonam valore teneatur fur rem furtiuam, restituere.* *Sētētia prima.*

QVICQVID sit de hac secunda parte, in prima videtur aliqua difficultas. Quia fortè in potestate domini, cui restitutio facienda est, res ad tantum valorem non peruenisset, ad quantum in potestate furis peruenit. Deinde si in potestate furis res deteriorata est, fortè fuisset in potestate domini æquè, aut plùs deteriorata; imo fortè in potestate domini periisset. Dicere igitur indistinctè furem rem furtiuam, secundùm maiorem valorem, quem res à tempore perpetrati furti habuit, teneri domino restituere, est dicere, teneri furem rem cum lucro restituere: quod in foro conscientiæ non videtur verum, si tale lucrum dominus non fuisset habiturus. Quod inde apparet, quia restitutio in conscientia venit agenda, secundùm iustitiam commutatiuam, quæ æqualitatem requirit; B hæc autem æqualitas in hoc consistit, quòd ita fiat restitutio, vt dominus, seu creditor intantum sit reintegratus, quantum esset habiturus, si furtum perpetratum non fuisset. Non obstante, quòd iura humana in odium delicti furem condemnent, vt rem, secundùm maiorem valorem, quem habuit à perpetrato furto, restituat. *Oppugnatur hac sententia.*

AC PROINDE dimisso rigore iuris contra furem aut morosum debitorem instituti, esset secunda responsio iuxta naturalem æquitatem, talis: quòd si res furtiua erat vsu consumptibilis, & de his, quæ functionem admittunt, siue post furtum perpetratum in valore creuerit, siue decreuerit, ad sciendum, quantum sit creditori pro re illa reddendum; dici potest, ad hoc esse habendum respectum, an scilicet, dominus læsus erat rem illam citò venditurus, consumpturus, aut distracturus; aut erat in posterum, vt carius eam venderet, seruaturus. Si primum, est reddendum pro illa, quantum illa tempore furti valebat, ex quo dominus ex re illa non erat maiorem vtilitatem habiturus. Si autem erat rem illam ad tempus seruaturus, est reddendum, quantum erat verisimiliter valitura ad tempus illud seruata. Et ita secundùm hoc parum refert, quòd ascenderit, aut descenderit res illa in valore, postquàm fuit furto sublata. Huius ratio est, quia iniustitia furti sufficienter ad æqualitatem hoc modo reduci videtur, ex quo tantum redditur domino læso, quantum ipse alioqui erat habiturus. Pro quo etiam facit cap. Nauiganti. de vsuris. vbi in sententia dicitur, quòd si mercator mercem, quam ad terminum C vendit, non erat seruaturus, non potest pretium maius pro re illa accipere, quàm valet in promptu: secùs si erat rem seruaturus ad tempus, in quo verisimiliter præsumebatur plus valitura. *Secunda sententia trimembris.* I.

SI AVTEM res furtiua non sit vsu consumptibilis, & in potestate furis est meliorata, tenetur fur eam talem reddere, deductis tamen laboribus, & expensis, si quas fecit in ipsius rei melioratione; quæ in omni casu sunt deducendæ, vt ait gloss. in cap. Ad nostrā. de iureiurando. II.

SI AVTEM res furtiua in potestate furis deteriorata est, qualiter erat in potestate domini deterioranda, non tenetur fur huiusmodi defectum in restituendo supplere, sed satisfacit, si domino soluat, quantum dominus, si rem suam habuisset, lucraturus erat. Et sic videtur res ad æqualitatem esse redacta, quamuis humana iura ad plus ipsum furem obligabunt. Pro quo facit exemplum de illo, qui orta maris tempestate, alienas merces accipit, vt eas in mare proiiciat, etiam inuito domino; qui non tenetur valorem earum soluere, nec in aliquo earum domino satisfacere; quia scilicet illæ merces erant alioqui perituræ. Aut si alienas merces in naui peiore, contra domini voluntatem, posuit, vbi perierunt, quando similiter periissent, si in meliori naui positæ fuissent, vt notatur ad l. Rhodiam de iact. l. 1. Secùs si res sit deteriorata, aut destructa ob culpam ipsius furis: nam tunc aliter venit domino satisfactio facienda. III.

Obiectiones cōtra hanc secundam sententiā.

HANC secundam responsionem nonnulli docti, cùm super hac quæstione contenderent, approbârunt. Verùm vt appareat quid veritatis habeat, opponitur contra eam, D

I. Primò, quia non satis pertinens esse videtur, rem furto sublatam vsu consumptibilem esse, aut non, sicut etiam videtur impertinens, dominum rem illam venditurum fuisse, aut seruaturum. Si enim res extat, dominus eius ad eam, quamdiu extat, ius habet, & dominium; ac proinde si in potestate furis sit meliorata, ipsa qualis est, venit suo domino restituenda, siue alioqui eam fuerat venditurus, siue non. Si autem consumpta est, aut in potestate furis destructa, tenetur fur eius æstimationem, secundùm meliorē statum, quem res habuit, restituere. Id probatur, quia ex quo fur fuit in mora, & noluit rem, quando ad maiorem valorem ascendit, suo dño, cùm posset, restituere, perinde est, ac si tunc rem illam, cùm magni valoris esset, de nouo auferret: & per cōsequens tenetur rem tanti valoris, aut eius æstimationem reddere, aliâs non reducitur res ad æqualitatem; quæ quidem æqualitas in hoc consistit, vt tantum restituendo fur reddat, quantum furando damnificauerat. Cùm autem non minùs fur damnificauerit dominum rem suam detinendo, quàm de nouo eam occupando, consequens est; quòd si res multùm in valore, cùm in potestate furis esset, ascendit, multùm dominus tunc damnificabatur; ac proinde restitutio debet correspondere illi maiori damno, quidquid sit de hoc, an scilicet dominus rem illam alioqui erat venditurus, vel non.

II. SECVNDO, spoliato reddenda est res, qua fuit spoliatus, similiter & fructus rei, non tantùm quos furem percepisse constiterit, sed quos possessor de re sua habere potuisset, vt habetur in cap. Grauis. de restitutione spoliatorum. in rubro, & nigro, & in glos. Idem habet gloss. cap. Conquerente. ibidem, & cap. Cùm causam. de officio delegati. Et cap. Non liceat 12. q. 2. Igitur cùm dominus, si rem suam habuisset eo tempore, quo ad maiorem valorem ascendit, eam pro magno pretio vendere potuisset, sequitur quòd fur teneatur rem tanti valoris restituere, quantum in meliori statu res ipsa habuisset, etiamsi de facto dominus rem illam venditurus non fuisset. E

III. TERTIO facit ad idem cap. Quantò. de iureiurando. vbi cùm rex quidam monetam, quam pater suus cudi fecerat, posteà tamen diminutam ad tempus seruare non sine reip. iactura iurasset, mādauit eidem Papa, vt monetam de nouo cuderet legitimam, quæ reduceretur ad statum meliorem, quem habuit tempore patris sui, qui eam primò cudi fecerat. Igitur pari forma, res furto sublata, est restituenda, secūdùm meliorem statum, quem habuit à tempore furti perpetrati.

IIII. QVARTO facit cap. Cum canonicis. de censibus. & cap. Olim causam. eodem: vbi pensiones annuatim soluēdæ in moneta, quæ à principio maioris valoris erat, cùm postmodùm esset in valore diminuta, iubētur solui ad æstimationem antiquæ monetæ. Idem etiam decretum est de mensuris, quæ ab initio maiores erant, quàm posteà; quòd scilicet soluerentur secundùm antiquam mensuram.

V. QVINTO si ita esset, quòd fur non teneretur restituere quod furto abstulit, nisi secundùm ęstimationem & valorem, quem habuit tempore furti perpetrati; si tunc dominus rem illam erat venditurus, sequitur, quòd si furatus est viginti fanecas, quando dominus erat eas venditurus, quæ pro tunc valebant decem ducatos, quæ posteà in pretio & valore ascenderunt vsque ad viginti ducatos, quòd fur non teneretur restituere, nisi decem ducatos, aut decem fanecas, quæ tempore restitutionis valent decem ducatos, aliis decem sibi reseruatis. Sequela patet, quia illic seruatur ęqualitas, cùm illa restitutione facta tantum habeat dominus spoliatus, quantum alioqui erat habiturus. Sed consequens videtur absurdum, quia non minùs tenetur fur domino, quem spoliauit, restituere, quàm teneretur, si res, quas furatus est, mutuò accepisset: sed si fanecas illas viginti mutuo accepisset, totidem teneretur eidem restituere, etiamsi in pretio & valore ascenderint. Ergo etiamsi eas furatus fuit, non satisfacit, æstimationem earum secundùm quòd tempore furti valebant, restituendo: alioqui in hac ratione restituendi, melioris conditionis esset fur, quàm mutuatarius: quod non videtur. F

VI. SEXTO, si præfata responsio esset in alio dicto vera, sequeretur, quòd si quis equum furatus est, qui tempore furti valebat centum, & posteà in potestate furis naturaliter est deterioratus, ita vt non valeat nisi decem, quòd satisfaceret fur, si equum valentem decem, suo domino reddat, supposito quòd dominus equum non erat venditurus, nec ex eo aliquam vtilitatem habiturus: quia in casu iam tantum habet dominus spoliatus, quan-

A quantum alioqui habiturus erat. Consequens videtur falsum, quia si fur cētum ducatos fuisset furatus, totidem tenebitur restituere; sed cùm equum valentem centum ducatos furatus est, perinde est, ac si centum ducatos abstulisset, cùm de æquiualentibus idem sit iudicium. Ac proinde si equus illo modo est deterioratus, non satisfacit reddendo equum valentem decem; similiter si equus in potestate furis ad valorem ducentorum ducatorum ascendit, tunc tenebitur equum suo domino reddere, & ita si non reddit, perinde est, ac si tunc ducentos à domino equi auferret. Et per consequens, siue postea equus deterioretur, & pereat ex culpa, siue sine culpa ipsius furis, tenebitur ducētos ducatos spoliato restituere. Et ita pro priori & communi sententia apparet, quòd res furtiua veniat restituenda secundùm maiorem valorem quem habuit, quamdiu fur fuit in mora.

Hic casvs postremus per famulum cuiusdam Comitis nobis propositus, difficultatem auxisse videtur. Petrus enim equum de domo domini furatus est, qui dominus cùm morbo incurabili laboraret, nulla erat illi spes suo equo vtendi, nec erat illi animus equum vendere, sed eum domi semper paratum habere volebat. Accidit vt Petrus ob causam aliam diu in carcere detineretur, adeò vt nec equo, quē furto acceperat, vti potuerit; tandem equus in domo Petri furis mortuus est. Quæsitum fuit, quid Petrus in cōscientia loco equi restituere teneretur? Confessor enim ad equi solutionē, secundùm B maiorem valorem, quem in potestate furis habebat, ipsum Petrum cōpellebat, his fortè rationibus motus, quas suprà fecimus. Econtrà verò Petrus pro se allegabat, equum eodem modo in potestate sui domini fuisse periturum, sicut & apud se periit. *Cōfirmatur hæc obiectio aliquot exemplis.* I.

Deinde, si quis dolium vini alieni vsurpauit, & diu apud se retinuit, quod tandem in acetum versum est, ita vt nil quasi valeret, cuius deteriorationis causam supponitur vsurpatorem non fuisse, dominumque ipsum antè minimè vendere proposuisse, cùm aliud tempus opportunius expectaret. Talis vsurpator dolium suo domino reddendo in conscientia satisfacit, nec defectum vini deteriorati supplere tenetur, ex quo vinum non minùs fuisset in potestate domini deterioratum. Nec in conscientia necessarium est, spoliatum facta restitutione commodum reportare, qualiter reportaret, si illi redderetur plus, quàm ipse alioqui esset habiturus. II.

Deinde, si quis vineam alterius per vim occupauit, quæ tunc, cùm nouella esset, grandiusculi pretij erat. Tandem successu temporis, cùm vires fructificandi per naturam amisisset, parui valoris facta est. Præfatus occupator pœnitudine ductus, vineam suo domino restituit, simul & fructus inde perceptos: attamen vineæ deteriorationem supplere non est cogendus, eò quòd non fuisset minùs apud dominum deteriorata. III.

Praeterea, quidam cùm in bello esset, sciens superuenire hostes, res omnes vnius populi deuastaturos, præuenit ipse, & multa bona vnius diuitis eiusdem populi surripuit, si fortè aliqua eorum posset sibiipsi è manibus hostium liberare; quod nec ipse, nec do- C minus proprius per humanam diligētiam efficere potuerunt: nam ipsummet illicò hostes spoliauerunt. Talis non tenetur pro rebus sic ablatis spoliato aliquid restituere, eò quòd illicò illis fuit spoliatus, quemadmodùm dominus earum erat alioqui spoliandus. Ad hunc modum possemus in fauorem Petri alia proponere exempla. Si igitur, in his casibus, rerum alienarum occupator non tenetur spoliato rei interitum, aut etiam deteriorationem in restituendo supplere; quando res sint non minùs in domini potestate interituræ, aut deteriorandæ: apparet quòd præfatus Petrus non est in conscientia cogendus pro equi interitu aut deterioratione quicquam in casu restituere. IIII.

Ad propositam quæstionem, iuxta secundam responsionem eam ampliùs explicando, dicendum, præmisso priùs quodam certo fundamento, scilicet, tria esse consideranda in restitutione facienda in prædictis & similibus casibus, scilicet, rem quæ furto sublata est; fructus, quos fur inde percepit; & interesse domini, si quod passus est ex hoc, quòd re sua fuerit spoliatus. De fructibus à fure ex re furtiua perceptis non dubitatur, quin teneatur eos domino rei restituere. Cuius ratio est, quia cui conuenit dominium rei fructiferæ, conuenit similiter dominium fructuum ex re ipsa euenientium. Et loquor de fructibus realibus ex re, quæ fructifera est, prouenientibus, non de industrialibus, quæ ex industria personali solent prouenire: nam hos non opus est restituere, vt videbitur. De interesse etiam domini, si quod ex spoliatione passus est, non etiam est dubium, quin spoliator teneatur pro eo satisfacere, siue sit interesse lucri cessantis, siue damni *Notandum pro solutione. In prædictis & similib⁹ casibus tria esse cōsiderāda, quo ad restitutionem faciendam.* I. II.

 emergen-

emergentis, vt in frà patebit. iuxta ca. finale. de iniuriis. Si culpa tua damnum datum est. D
Et cap. Grauis. de restitutione spoliatorum.

III. De re autem ipsa sublata, est quæstio perplexa, ob multiplicem distinctionem, qua ad quæstionis elucidationem opus est. Quia vel res extat meliorata, vel in eodem valore manet, quem habuit, quando fuit furto sublata, vel extat deteriorata, vel periit, seu consumpta est. Et rursus si deteriorata est, aut periit; vel igitur fur fuit in culpa deteriorationis, & interitus, aut non; sed similiter fuisset in potestate domini deteriorata, aut interitura, sicut in potestate furis. Tunc præueniendo iuris humani dispositionem, stando solùm intra limites fori interioris, dicendum videtur per propositiones.

Conclusio I. Prima propositio. Si res eadem extat, siue meliorata, siue deteriorata, spoliatus habet idem dominium, quòd priùs, & ius ad rem illam; ac proinde si eam exigat, tenetur eandem fur spoliato reddere. Et si laboribus, & expensis furis sit meliorata, hæc debent in foro conscientię deduci, prout suprà allegatum fuit cap. Ad nostram. de iureiurando. Et ratio est, quia nemo debet locupletari cum iactura alterius, qualiter locupletaretur spoliatus, si deberet eidem res meliorata restitui, non deductis laboribus, & expensis meliorantis; quanquam in foro exteriori deduci non debent. Est enim differentia inter forum conscientię, & exterius: quia forum conscientiæ æqualitatem respicit, ita vt vnusquisq; quod suum est, aut sibi debitum, habeat; & ideò sicut iustum est & æquum, vt spoliatus rem suam habeat, ita similiter æquum est, vt spoliator laborem suum, & expensas suas habeat. E Forum autem exterius non solùm æqualitatem præfatam respicit, sed sæpe culpam delinquentis punit, qualis est fur, aut morosus debitor, & in hoc etiam suam æqualitatem attendit, puta inter culpam, & pœnam, de qua forum conscientiæ non se intromittit.

Conclusio II. Secunda propositio. Si res eadem extat in bonitate, & valore immutata, eandem reddendo, satisfacit fur, & creditor cum tali satisfactione debet esse contentus, habito respectu ad fundamentum suprà positum.

Conclusio III. Tertia propositio. Si autem res extat, & deteriotata est, aut in pretio diminuta, cuius deteriorationis, aut diminutionis fur causa non fuerit, & dominus læsus erat rem illam vsq; tunc seruaturus: satisfacit fur rem illam deterioratam reddendo, habito semper respectu ad fundamentum suprà positum, de interesse domini, & fructibus perceptis. Huius propositionis ratio est clara, quia tunc iniustitia ex furto orta, ad æqualitatem reducitur, vt constat.

Conclusio IIII. Qvarta propositio. Si tamen res est deteriorata, aut in valore diminuta ex culpa ipsius furis, qualiter in potestate creditoris diminuta non fuisset, & creditor erat rem illam vsque tunc seruaturus; tenetur fur ad vnum de duobus, vel rem illam reddere, & defectum valoris supplere, vel æstimationem rei soluere, secundùm valorem, quem tunc res in potestate sui domini fuisset habitura; & electio erit apud creditorem iniustè lęsum. Huius ratio etiam est clara, quia quocunque modo ex his satisfactio fiat, inæqualitas ad æqualitatem reducitur, cùm creditor illo modo nihil amittat de his, quæ alioqui erat habiturus. F

Conclusio V. Qvinta propositio. Si verò creditor rem fuisset venditurus, & sit iam in valore diminuta, siue ex culpa furis, siue sine culpa eiusdem, tenetur ad vnum de duobus, scilicet, vel ad reddendum rem supplendo defectum eius, & pro interesse satisfaciendo, vel soluendo æstimationem rei, secundùm valorem maiorē, quem res habuisset, quando vendita à suo domino fuisset: & electio erit similiter in creditore læso. Patet eadem ratione, quia illo modo inæqualitas iterum ad æqualitatem reducitur.

Conclusio VI. Sexta propositio. Si autem res in potestate furis periit, qualiter omninò in potestate domini peritura fuisset, satisfacit fur, si iuxta fundamentum positum fructus perceptos, & quos dominus percepisset, restituat, & pro interesse, si quod dominus passus est, satisfaciat. Huius ratio etiam est clara, quia hoc facto, nil minus creditor lęsus habet, quàm alioqui habiturus fuisset. Sed si creditor rem suam venditurus erat, & periit res in potestate furis, siue ex culpa, siue sine culpa eius, tenetur reddere æstimationem rei secundum valorem, quem res habuisset, quando dominus eam vendidisset, quia per hoc iterum res ad æqualitatem reducitur. Et pro hac sexta propositione facit exemplum suprà positum de dolio vini in potestate furis deteriorato; & de vinea in potestate occupatoris deteriorata, aut destructa, qualiter destructa fuisset in potestate domini.

A PER HAEC potest consequenter ad rationes contra secundam responsionem suprà positas, responderi. Ad primam, quòd non tenetur fur rem furto sublatam restituere semper, secundùm maiorem valorem, quem à tempore perpetrati furti habuit, nisi prout suprà in propositionibus dictum est. Nec etiam necessarium est restitutionem rei, quæ in potestate furis periit, indistinctè facere secundum valorem, quem habuit tempore, quo furto sublata est. Ac proinde esto quòd tempore, quo ad maiorem valorem ascēdit res, non fuerit restituta, si dominus tunc eam venditurus non erat, non opus est eam secundùm illum valorem restitui, sed secundùm quod suprà dictum est, habito respectu ad fundamentum suprà positum. *Respōdetur ad obiectiones in oppositum allatas.* *Ad I.*

AD SECVNDAM dicēdum, quòd ratio fundatur in falso, scilicet furem teneri spoliato de omni lucro & prouentu, quem ex re potuisset habere, siue vendendo rem suam, siue ea ad sui commoditatem vtendo, & si ita esset, standum esset in prima responsione, secundùm communem opinionem data. Nos autem nō ad commoditatem, quam dominus ex re sua potuisset percipere, attendimus, sed ad eam, quam actu percepisset, si re sua priuatus non fuisset. Sed nec in cap. Grauis. de restitutione spoliatorum, præcipitur, quòd fructus, quos læsus percipere potuit, illi restituantur, sed quos verisimiliter percepisset, quicquid illic, & in aliis capit. ibidem citatis dicat glos. Quemadmodùm quando dicitur, quòd debitor morosus tenetur ad interesse creditoris, non habetur respectus ad B interesse posibile, sicut nec haberi debet, sed ad actuale, quod scilicet creditor ex dilatione solutionis passus est, siue loquamur de interesse damni emergentis, siue lucri cessantis. Secus si rem eo tempore venditurus erat, quo ad maiorem valorem ascendit. Pro qua responsione facit Thomas qui in casu, quo quis suffodit semina in campo proiecta, ait quòd non tenetur restituere quantum agri fructus valere potuerint, sed quantū ager sic seminatus valere cōsueuit, cùm multis de causis potuit agrorum fructus impediri. Idē dicitur de debitore moroso, qui non tenetur restituere creditori quantum lucrari potuisset, sed quantùm verisimiliter fuisset lucratus, vt lucrari communiter consueuerat. *Ad II.*

AD TERTIAM sumptam ex cap. Quanto &c. dicendum, quòd nil agit contra responsionem datam, nam illic Papa respectum habuit ad iuramentum, quod sanam admittebat interpretationem. Similiter & damnum, quod ex diminuta moneta populus patiebatur, ideò ne frustra iurasse videretur, simul & ne populus iacturā ex moneta pateretur, iusit Papa, vt iuramtēum de seruanda moneta, quam pater cudi fecerat, seruaretur, sed monetam cudi faceret in eo valore integro, in quo pater primò eam cudi fecerat: hoc enim exigebat reuerentia iuramento debita, & indemnitas populi. In casu autē nostro, cùm non sit secundùm conscientiam ad aliud respectus habendus, nisi ad spoliati indemnitatem, quando ipse, facta restitutione, vt suprà dictum est, seruatur indemnis, id est, quando id habet, quod alioqui erat habiturus, nō opus est respectum habere ad meliorem statum, quem res post patratum furtum habuit, aut habere potuit. *Ad III.*

C AD QVARTAM sumptam ex cap. Cum Canonicis. & cap. Olim causam. de censibus. dicendum, illa nil contra datam responsionem facere, nam in pensionibus soluendis, ad primam institutionem, simul & consuetudinem est attendendum, & tales, & taliter soluendæ sunt, qualiter institutum est eas solui: maximè si institutio fuerit per consuetudinem confirmata, contra quam præscriptum non sit. Et quia in casibus illorum textuum pensiones certi valoris antiquitùs soluebantur, iubet Papa, vt hi, qui pensiones diminutas soluere volebant, secundùm antiquum valorem eas soluant. In 2. tamen Clementina, de decimis, iubetur, vt decimæ soluāntur secundùm cursum, & mensuram pro tempore currente, quia taliter est institutum decimas solui. In casu autem propositæ quæstionis, loquendo secundùm forum conscientiæ, ad æqualitatem seruandam est habendus respectus, quæ seruatur etiamsi res furto sublata non restituatur semper, secundùm maiorem valorem, quem habuit post patratum furtum, maximè si tunc dominus non erat eam venditurus. *Ad IIII.*

AD QVINTAM dicendum, quòd non satis est semper res restitui, secundùm valorem, quem habuerunt tempore commissi furti, quando dominus eas venditurus erat, sed si postea ad maiorem valorem ascenderint, & fur tunc noluit eas restituere, quas tamen tunc dominus, si sibi redderētur, vendidisset, restituendę sunt, secundùm illum maiorem valorem, vt suprà dictum est. Secùs si eas erat dominus seruaturus. Ad casum autem in hoc quinto argumento positum, dicendum, quòd fur non potest lucrum ex fa- *Ad V.*

necis prouenienſ ſibi retinere, ſed debet ſpoliato illud reddere, cùm videatur ad dominum ipſarum fanecarum pertinere, ſicut & ipſæ fanecæ. Nec obſtat, quòd dominus læſus lucrum ex culpa furis per accidens reportet, quia dominus fanecas illas erat pro decem ducatis venditurus, ſi illis ſpoliatus non fuiſſet, ſed quia ex culpa furis ſpoliantis eas non vendidit, & ſucceſſu temporis valuerunt viginti ducatos, quando dominus eas vendidiſſet, ſi reſtitutæ illi fuiſſent, ideò lucrum in caſu per ſe ex re in valore aucta prouenit, per accidens tamen ex culpa furis, qui cauſa fuit, ne pro vili pretio fanecæ venderentur. D

Ad VI. Ad sextam, in quo caſu de equo furtim per Petrum ſublato proponitur, dicendum conſequenter, quòd ſi ita eſt, vt proponitur, quòd dominus equi nullam ex equo commoditatem erat habiturus, & Petrus ſimiliter poſt captum equum nullam ex eo cõmoditatem percepit, & equus deterioratus eſt, ſine culpa Petri, qualiter in poteſtate domini omninò deterioratus fuiſſet, aut interiiſſet, quòd Petrus nil tenebitur ſpoliato in conſcientia. Quia non ratione vtilitatis perceptæ, cùm nullam perceperit. Non ratione commoditatis, quam dominus potuit habere, quia reſtitutio non facienda eſt ſecũdùm commoditatem, quæ percipi potuit, ſed quæ percepta fuiſſet, vt dictum eſt. Non etiam facienda eſt reſtitutio ſecundùm valorem maiorem, quem equus habuit, ex quo tunc non erat à domino vendendus. Non etiam tenetur Petrus deteriorationem, aut interitum equi ſupplere, cùm ſimiliter omnino erat in poteſtate domini deteriorandus, aut interiturus, vt ponitur: igitur ſatisfacit in caſu, ſi equum talem reddat, qualem habet. E

Quid probent exempla pro ſexta obiectione adduta. Quod apparentiſsimè ſuadent exempla ibidem pro Petro adducta, maximè cùm in caſu poſt mortuum equum nil minùs ſpoliatus habet, quàm non ſpoliatus habuiſſet. Et quanquam illo tempore intermedio, à tempore furti commiſsi, vſque ad mortem equi, manſit dominus ſuo equo priuatus, talis tamen priuatio in caſu nec damnum aliquod domino cauſaliter intulit, nec lucrum aliquod eidem ceſſare fecit. Et procedunt hæc maximè, quando equus furto ſublatus, ſtatim in poteſtate furis periit, qualiter ſtatim ſimiliter in poteſtate domini periiſſet, quia tunc equus tali periculo expoſitus, parui, aut nullius eſſet valoris.

Reſpõdetur ad quandam probationem euſdem obiectionis ſextæ. Et qvando arguitur, ſi equus, quando furto ſublatus eſt, valebat centum ducatos, perinde eſt, ac ſi centum ducatos furatus eſſet. Reſpondetur, quòd quantum ad debitum reſtituendi, non eſt idem furari centum ducatos, & furari equum valentem centum ducatos, quia qui centum ducatis ſpoliatus eſt, habet actionem contra furem ad centum ducatos in genere; ideò nil refert ducati illi pereant in poteſtate furis, vel non, nam ſemper manet eorundem debitor, quia, vt Iuriſtæ dicunt, genus nunquàm perit, ideò fur ſemper tenebitur centum reſtituere. Si autem quis equo valente centum ducatos ſpoliatus eſt, habet actionem ad equum illum, qualiſcunq; ſit, quamdiu equus extat. Quòd ſi perit, & non ex culpa furis, ex quo non minùs erat in poteſtate domini periturus, perit præfata actio, & correſpondens obligatio, & manet actio ad fructus à fure perceptos, & ad eos, quos dominus ex equo percepiſſet, & ad valorem equi, ſi illum vendidiſſet: ſed ſi omnia hæc ceſſant, non videtur, ad quid habeat actionem. F

Quatenus defendi poſsit prima ſententia. His tamen non obſtantibus, ſi quis velit cum prima reſponſione tenere, ſcilicet, rem in poteſtate furis deterioratam, ſiue deſtructam, aut conſumptam, debere reſtitui ſecundùm meliorem ſtatum, quem à tempore commiſsi furti res ipſa habuit, non contradico. Pro qua ſententia facit hæc ratio vltra iura, quæ ad id citari poſſent. Quia fur ab eo tempore, quo rem furatus eſt, ſemper eſt in mora, niſi eam purget: igitur tempore, quo res furtiua ad maiorem valorem tam intrinſecum, quàm extrinſecum aſcendit, tenebatur rem reſtituere ſi extabat, vel eius æſtimationem, ſi non extabat, & ab illa obligatione rem ſecundùm illam æſtimationem ſoluendi, non eſt poſtmodùm liberatus: quia nec per remiſsionem, nec ſolutionem, aut quaſi, ſed nec per moram continuatam, alioqui ex propria culpa, id eſt, ex mora continuata reportaret commodum.

Ratiões pro eadem ſententia. I.

II. Similiter reſtitutio rei debet fieri ad ęſtimationem ſecundùm valorem rei conuenientem tempore, quo ſolui debuit, non tempore quo de facto ſoluere velit debitor. Cùm ergo fur debuerit rem furtiuam ſoluere tempore, quo ad maiorem valorem aſcẽdit, ſi antè non ſoluerat, ſequitur intentum. Et ita non ſolùm tenetur fur perceptam ex re furtiua commoditatem reſtituere, & fructus, quos rei dominus alioqui percepiſſet, ſed

A sed etiam rem ipsam furtiuam talem, qualis fuit, cùm in meliori statu esset, vel eius pro tunc æstimationem. Idque de rigore iuris, & de rigore conscientiæ. Secùs de æquitate.

ET SECVNDVM hoc non inconuenit aliquem spoliatum facta restitutione manere ditiorem, quàm si spoliatus non fuisset. Patet, si spoliatus de re furtiua parùm, aut nil commoditatis percepisset; quia scilicet parùm de hoc curasset, spoliator autem multum vtilitatis percepit. Patet etiam idem casu, quo spoliatus rem suam erat venditurus tempore, quo minoris erat valoris, quam tamen non vendidit; quia illa fuit spoliatus, & superueniente tempore, quo longè plus valet, restituatur, vti debet, & tunc pro magno pretio vendit, vel eius æstimationem accipit. Patet etiam casu, quo bona cuiusdam erant per ignem, vel aquam, vel bellum, aut per aliam causam penitus destruenda, & Petrus præueniens, multa eorũ occupauit, ratione cuius ab illo periculo sunt seruata, & posteà suo domino restituta. Et ita hoc idem in multis casibus accidit. Ac proinde non videtur regula certa, quòd quando dominus rem suam erat pro vili venditurus, & furetur eam quis, eamque detineat, quousque ad duplum in valore crescat, quòd satisfacit tunc fur, si reddat solùm, quod dominus ex præfata venditione erat habiturus.

Corollarium I. Quatenus non sit inconueniẽs aliquem spoliatum restitutione facta manere ditiorẽ, quã si spoliatus non fuisset.

SEQVITVR amplius in casu supra posito, quo Petrus equum rapuerat, vnde nec fructum percepit, nec dominus erat percepturus: quòd si equus periit, aut in sua potestate deterioratus est, tenebitur equum talem reddere, qualis equus furto sublatus in B meliori eius statu fuit, vel æstimationem eius secundùm illum statum; esto quòd alioqui erat equus similiter in potestate domini deteriorandus, eò quòd quando equus ad maiorem valorem ascendit, tenebatur fur eum suo domino restituere, nec à restitutione equi, secundùm illum valorem, videtur per moram excusari. Nec releuatur fur ob id, quòd dominus equi nullam erat ex equo vtilitatem accepturus; quodq́; per hoc, quòd equus furto sublatus est, nec damnum est illi domino illatum, nec lucrum impeditum: non, inquam, per hoc releuatur; quia hoc ipsum quod est dominum inuitum suo equo priuare, ita vt illo pro libito vti non posset, est sufficiens damnum domino illatum, quod venit ad æqualitatem resarciendum; quod nisi restituatur qualis dictus est, fieri posse nõ videtur. Duas proposui responsiones, liberum erit lectori eam eligere, quam iustiorem esse cognouerit. Hæc secunda planior, nec multis distinctionibus indiget, sed rigidior & iusta; altera verò suprà extensa humanior esse videtur.

Corollarium II.

Discrimen I. & III. sententiæ.

De currentibus cum fure in actu positiuè.

QVÆSTIO SEPTIMA.

VIDEAMVS nunc an præfata restituendi obligatio, soli furi, qui alienum iniustè accepit, conueniat, an etiam aliis, qui furti verbo, aut opere causa fuère, quos suprà diximus his versibus contineri:

C
Iussio, consilium, consensus, palpo, recursus,
Participans, mutus, non obstans, non manifestans,
Currere cum fure faciunt, furtiq́ reatum.

DE QVIBVS suprà etiam exempla posuimus. Inter hos autem, qui cum fure dicuntur currere, est differentia. Nam quidam currunt positiuè, verbo scilicet, aut opere furi cooperantes, quales sunt, qui in sex primis dictionibus continentur. Alij verò cum fure currunt negatiuè, quales sunt, qui per tres vltimas dictiones præfati versus significantur.

Differẽtia currentium cum fure.

ET ITERVM ex his, qui positiuè cum fure currunt, quidam sunt, qui cùm eo participant in actu furandi, quidam qui in re furtiua, quidam verò qui in actu simul, & in re. De quibus omnibus quæri solet, an teneantur, sicut ipse fur, ad restitutionem, & an teneantur in solidum; & vno eorum satisfaciente, an reliqui eidem teneantur: & si læsus alteri eorum debitum remittat, an cęteri eo ipso sint à debito liberi. De quibus omnibus est breuiter inquirendum.

Currentes cum fure positiuè in triplici sunt differentia.

ET PRIMO de participantibus in actu positiuè, an teneantur. Et est communis Doctorum sententia, quòd sic, quando talis participatio est causa sine qua non, ipsius furti; alioqui si est impertinens ad furti commissionẽ, non inde nascitur in concurrente

An participantes cum fure in actu positiuè, teneantur ad restitutionem. Sententia I. bimembris.

 obligatio

obligatio restituendi. Vtrunque apparet. Primum ex cap.fin.de iniuriis & damno dato. D
vbi dicitur: Si culpa tua damnum datum est, iure satisfacere oportet. Similiter ibidem; Qui causam damni dat, damnũ dedisse videtur. Igitur qui causam verbo, aut opere dat, vt furtum committatur, tenebitur restituere, sicut & ipse fur. Et Exo.22. Si egressus ignis inuenerit spicas, reddet damnum, qui ignem succenderit. Secundum etiam patet, quia qui nec manualiter, nec causaliter aliena accipit, seu detinet, non tenetur restituere, quod certum esse suppono.

Oppugnatur dicta sententia I. quo ad I. membrum.

SED CONTRA occurrit ratio, quia impertinens esse videtur, quòd præfata participatio sit causa sine qua non, cùm stet aliquem furi realiter cooperari ipsum opere iuuando, & tunc non teneri: & econtrà stat, aliquem non fuisse causam, & tamen teneri. Assumptum patet; si fur paratus est multa pretiosa alicuius furari; ego autem adhortatione mea, seu precibus meis ipsum moueo, vt illa dimittat, & aliam rem capiat, quæ minoris est valoris, quod vt faciat, illi opem præbeo, & illum iuuo, rem illam secum in domum furis portando. In hoc casu, verbo, & opere cooperor ad furtum illud, & tamen non teneor. Nam ego in casu non solùm non damnifico spoliatum, sed potiùs rem eius vtiliter ago, cùm alioqui rebus aliis pluribus & pretiosioribus fuisset spoliatus.

II. PRAETEREA si ego consilium alicui do, vt rem suam pro tanto pretio vendat, credens hoc ipsi venditori conuenire, & ita ad consilium meum rem illam vendit, in quo tamen realiter manet defraudatus; ego non teneor illi defraudato, ex quo consilium, E
quod dedi, fraudulentum non fuit, modò, iuxta regulam iuris, ex consilio, nisi fraudulentum fuerit, non nascitur obligatio, de qua in lib.6. Et tamen in casu, verbo causaliter cooperor ad præfatam defraudationem.

III. PRAETEREA idem patet casu quo quis sit determinatus vestem alterius rapere, ego autem in eius comitatu pergo animo impediendi eum, ne vestem alterius rapiat; alter verò qui per se pręfato raptori, si solus iret, sufficeret resistere, videns tamen me raptorem comitari, relicta veste fugit, timens ne à nobis euntibus occidatur, iam in casu, ego meo comitatu sum causa, vt ille alter maneat veste spoliatus, qualiter si ego non irem, non maneret, & tamen non sum obligatus ad vestis restitutionem, ex quo ego in culpa non fui, sed potiùs ibam, vt ipsum spoliatum à damno defenderem. Similis casus poni solet de bellatoribus, qui spolia aduersariorum fugientium accipiunt, qui tamen non fugerent, nisi quia viderunt multos alios cum bellatoribus ire, cùm tamen illi alij non animo bellandi, sed potiùs bellum impediendi ibant. Tales fuerunt causa positiua præfatæ spoliationis, & tamen non tenentur restituere. Ex quibus, & aliis similibus apparet, non esse ad restituendum obligatum omnem, qui verbo, aut opere positiuè cum fure concurrit.

Oppugnatur IIII eadẽ sententia quo ad II. membrum.

QVOD autem teneatur quis, etiamsi verbo, aut opere perpetrati furti, seu illati damni causa sine qua non fuerit, apparet in casu, quo post damnum illatum, aut furtum commissum dominus furis, aut superior eo ratum habet, quod factum esse cognouerit: F
nam secundùm iura, ratihabitio retrotrahitur, & mandato comparatur, & tamen talis ratihabitio non est causa delicti perpetrati, vt constat.

V. DEINDE idem patet casu, quo in capitulo tractatur aliquid in damnum alicuius, & omnes qui sunt in capitulo vnanimiter sua præstant suffragia, vt id, de quo tractant, exequutioni mandetur (quod tamẽ, vt suppono, cedat in damnum tertij) vnusquisq; eorum tenetur: & tamen hi, q. posteriori loco suffragia p̄stant, non sunt causa sine qua non, illius facti, ex quo ipsis oppositũ defendentibus non minùs res exequutioni mandaretur, cùm iam fuerit à maiori parte capituli determinatum illud, de quo agitur esse complendum.

VI. TERTIO idem apparet, si Petrus erat determinatus aliquid rapere, etiamsi meus assensus non accederet, & tamen ego illi assensum præbeo, seu consulo, exhortor, aut iubeo, vt ita faciat; vnde ille animum suum amplius firmat, & ob meum consilium, quod proposuerat exequitur. Iam ego teneor restituere, ex quo fur ille ex meo assensu, seu consilio motus fuit ad furtum committendum; & tamen meum cnnsilium, seu exhortatio, seu iussio non fuit causa sine qua non, imò & me non consulente, nec exhortante, non minùs ille furtum erat commissurus. Hoc idem apparet in casu, quo Ioannes, & ego simul, vel successiuè iubemus, aut consulimus Petro, vt certum furtum committat, aut certum damnum alicui inferat, & Petrus ad vtriusque mandatum, seu consilium sufficienter se ad damnum illud inferendum determinasset. Iam ex quo vtriusque

mandato

A mandato fuit motus ad damnum illud inferendum, vterque, Ioannes ſcilicet & ego, ad ſatisfaciendum tenemur, cùm non ſit maior de vno, quàm de altero ratio; & tamen ego meo mandato aut conſilio non fui cauſa ſine qua non, pręfati damni, quia me non mandante, nec conſulente, ad ſolum mandatum Ioannis fuiſſet pręfatum furtum admiſſum, vt in caſu pono.

RESPONDETVR, cùm certum ſit realem, ſeu manualem rei alienæ acceptionem, ſimiliter & cauſalem, obligationem ſatisfaciendi, aut reſtituendi inducere, conſequens eſt, eum qui furi verbo, aut opere cauſaliter cooperatur, teneri ad reſtitutionem, etiamſi non ſit cauſa ſine qua non, modò cauſa ſit furti, ſeu illati damni. Id patet de his, qui re ipſa æqualiter cooperantur ad furtum committẽdum, vel aliud damnum inferendum, vnuſquiſque tenetur de damno, etiamſi vno eorum non concurrente, cæteri idem damnum intuliſſent. *Reſolutio quæſtionis.* *Probatur.*

INDE VNVS fur non releuatur per hoc, quòd eo quieſcente idem furtum fuiſſet per alium perpetratũ. Nec vnus vſurarius à culpa, & reſtitutione releuatur per hoc, quòd eo non mutuante ad vſuram, eadem vſura per alium mercatorem fuiſſet commiſſa. Nec vnus homicida per hoc, quòd idem homicidium fuiſſet ab alio committẽdum; & ſi duo ſimul ignem alterius domui apponunt, alter à ſatisfactione non releuatur per hoc, quòd per ignem ab altero appoſitum, non minùs fuiſſet domus combuſta. Et ita in ſimilibus.
B Huius ratio eſt clara, quia eſto huiuſmodi damnificatores non ſint cauſa ſine qua non, illati damni, ſunt tamen cauſa, eò quòd per eorum actionem fit præfata damnificatio. Ita ſimiliter dicendum eſt de his, qui cauſaliter damnificant mandato, conſilio, aſſenſu, alióue modo, etiamſi cauſa ſine qua non, non ſint.

SI OBIICIAS, cauſa eſſe non poſſunt, niſi ſint ſine qua non, iuxta vulgatam cauſæ deſcriptionem, qua dicitur, Cauſa eſt, qua poſita, ponitur effectus; & qua non poſita, non poneretur effectus. Igitur ſi abſque horum cooperatione non minùs fuiſſet idem furtum perpetratum, aut damnum illatum, quàm ipſis cooperantibus, non poſſunt verè dici cauſa huiuſmodi damni. Reſpondetur, illam deſcriptionem non omni cauſæ competere, vt patet, ſi duo ignes ſimul eidem ſtuppæ applicentur, vterq; erit cauſa combuſtionis ſtuppæ, cùm tamen neuter ſit cauſa ſine qua non, quia quocunque eorum ſemoto, ab altero fuiſſet combuſta. Similiter in cauſis finalibus idem patet in eo, qui ad Eccleſiam vadit, tum vt diuina audiat, tum etiam vt diſtributiones lucretur; ita vt propter quemcunque ex his finibus iret, altero ſecluſo. De quibus conſtat, quòd vterq; eſt cauſa illius motus, & tamen quocunq; eorum ſecluſo, non minùs motus ille poneretur. Itaque illa deſcriptio competit cauſæ præciſæ, non tamen vniuerſaliter competit cauſæ ſufficienti, cùm ſtet, dare plures cauſas eiuſdem effectus, quarum quælibet ſine altera ad effectum illum ſufficeret; licet nõ ſtet, dare plures cauſas præciſas, vt de ſe ſatis cõſtat. Habet etiam præfata deſcriptio alias limitationes, quas ex conſulto prætereo. Erit igitur alia magis
C propria cauſæ deſcriptio, quam Ariſtoteles 2. Phyſi. tradit, dicens: Cauſa eſt, vnde eſt motus, vel à qua eſt motus. Et facit magis ad propoſitum præſens de his, ſcilicet, qui verbo cooperantur, vt quis furtum committat, ſeu damnum aliud inferat. Si quis de ſe, vel de conſilio, ſeu mandato alterius paratus erat furtum committere, & ante rem patratam accedit, ſeu ſuperuenit conſilium meum, ſeu mandatum, ex quo etiam ille mouetur ad exequendum quod decreuerat, non dubium, me cauſam eſſe talis exequutionis, licet non ſim cauſa ſine qua non. Et ita in aliis exemplis ſuprà poſitis idem videre licet. *Obiectio.* *Solutio.* *Explicatur definitio cauſæ.* *Alia cauſæ deſcriptio magis propria.*

EX HIS patet, quid ad argumenta ſuprà facta dicendum ſit, quorum tria prima probare intendunt, non teneri ad reſtitutionem eum, qui cauſaliter cooperatur ad furtum, ſeu aliud damnum inferendum; etiamſi ſit cauſa ſine qua nõ. Quod concedendum eſt, quando cauſa non eſt ex parte eius iniuſtè data, nec poterit læſus eſſe contra eum rationabiliter inuitus, vt in caſu primi argumenti, in quo is, qui cooperatur ad furtũ, etiam opere ipſo furem iuuando, nec in culpa eſt, nec tenetur ad reſtitutionem; cùm tamen fur ipſe culpæ, & reſtitutioni ſit obnoxius. Ratio inter eos diſcriminis eſt aperta, quia fur iniuſtè rem alienam capit, eam ſibi ſine domini conſenſu volens vſurpare; cooperator verò non illo animo, ſed animo maiora damna vitandi auxilium præſtat; ideò læſus contra primum eſt rationabiliter inuitus, & non contra ſecundum. *Reſpondetur ad argumenta allata in oppugnatione I. ſententia.* *Ad I.*

AD SECVNDVM, in quo de conſilio dato tangitur, dicendum breuiter. Vel conſilium datum eſt in delicto, vel in contractu. Si in delicto, vel ergo is cui conſulitur, *Ad II.* *Conſilium datũ in duplici differentia eſt.* *I.*

erat

erat illud delictum alioqui commissurus, vel non: & dicunt multi, quòd si alioqui erat illud delictum committere paratus, non teneatur is, qui consilium dedit. Verùm hæc responsio procedit secundum eos qui tenent, currentes cum fure non teneri de damno, nisi quando sunt causa sine qua non, illius damni. Quod dictum est esse falsum; ideò aliter de consilio dato in delicto distinguatur: quia vel consilium est causa delicti, & tunc tenetur consulens, sicut & agens, secùs aliàs. Loquor in foro conscientiæ: nam in foro iudiciali ex solo consilio sine ope nō tenetur, saltem secundùm leges, vt apertè habetur Instit. de oblig. quæ ex delict. nasc. §. certè qui nullam opem &c. Dicetur autem esse causa, quando ob consilium ipsum mouetur agens ad furandum, vel damnum aliud inferendum: secùs quando agens nil de consilio curat, sed ob aliam causam ad agendum mouetur. Sed hoc sciri non potest, nisi cognito animo ipsius agentis. Et interim cùm animus agentis ignoratur, ego non obligarem consulentem ad restituendum, sub pœna peccati mortalis, modò paratus sit restituere, quando sciuerit se causam furto dedisse. D

II. *Consilium datum non in delicto est item duplicis generis.* SI AVTEM consilium non datum est in delicto, videtur distinguendum: sunt enim multiplices, qui consilium præstant. Quidam, quibus ex officio, seu ratione eminentiæ, aut stipendij incumbit aliis consulere, quales sunt Aduocati, Theologi, quibus fides solet aut debet adhiberi; confessores, docti, medici, aliique huiusmodi: & tales in consulendo

I. tenētur priùs dare operam, quatenùs rectè, & salubriter consulant, alioqui si damnum inde alicui subsequatur, illis imputabitur, siue ipsi se ad consulendum intromittant, siue exacti priùs. E

II. ALII SVNT, qui consilia præstant, non tales, quales dixi, vt idiotæ, aut mulieres inexpertæ; & in his refert, quòd consilium præbeant antè vel postquàm fuerit ab eis postustulatum: nam si se ad consulendum ingerant, & consulēdo noceant, illis venit damnum imputandum, qui ex imperitia nociuum præbuerunt consilium, & officium alienum vsurpauerunt. Nec in tali casu releuantur per bonam fidem, quæ, vbi culpa, vel imperitia, vel negligentia imputabilis adest, non excusat damnificantem: iuxta cap. Si culpa tua, vel imperitia, vel negligentia damnum datum est &c. de iniur. & dam. dat. Si autem huiusmodi personæ non se ad consulendum ingerant, antequàm ab illis petatur consilium, tunc per bonam fidem potuerunt excusari, & damnum petentibus imputabitur, qui cùm haberent viros expertos, aut doctos, à quibus de veritate, quam quærunt, possint informari, imperitorum quærunt consilium. Secùs si fraudulenter, seu cum dolo datum sit.

Solutio illius II. *argumenti.* ITAQVE illi quibus incumbit ex officio, vel ratione eminentiæ, seu experientię, aut ratione stipendij pro consulendo suscepti, & etiam illi, qui se ad consulendum ingerunt, si scienter, vel ignoranter, ignorantia crassa, debita diligentia ad rectè consulendum nō præmissa, prout qualitas negotij postulauerit, consilia nociua præstant, tenentur de damno. Non sic imperiti, & idiotæ ad aliorum instantiam consilia dantes: nam tales faciliùs per ignorantiam excusantur. Quæ enim in aliis est vincibilis, in his solet inuincibilis esse. F

Obiectio. SED OBITER obiiciet aliquis, impertinens esse consilium cum dolo, aut sine dolo dari ad obligationem satisfaciendi: nam huiusmodi obligatio non ex dolo nascitur, sed ex causali, aut reali damnificatione; modò autem non minus damnificat, qui sine dolo consulit, quàm qui cum dolo. Deinde videtur impertinens, quòd consilium nociuum detur antè, vel postquàm petatur, cùm non minùs sit causaliter damnificatiuum datum pòst, quàm antè. Respōdetur, restituendi obligatio non ex nuda damnificatione

Responsio. nascitur; sed ex iniusta & culpabili, qualis est, quæ per consilium fraudulentum euenit: nam tunc læsus rationabiliter est contra consulentem inuitus; non sic quando cum bona fide datum est, maximè si priùs sit postulatum.

Ad III. AD TERTIVM de his, qui damnificatores comitantur animo impediendi damnum, cùm tamen inde damnum euenire contingat: Respondetur, in casu illo communiter distingui solet. Quia vel huiusmodi comitātes suum animum damnificato intimârunt, seu intimari fecerunt, & tunc non illis imputabitur damnum, sed læsis, qui timiditate fugerunt, quibus præfatus comitatus fugiendi causa non fuit, cùm esset illis intimatum, comitantes non nisi in eorum fauorem alios comitari: Vel isti læsi animum comitantium præfatorum ignorarunt: atque tunc iustè poterant præsumere non pro se, sed contra

A contra se aduersarios comitari, & tunc tenebuntur de damno; quia quamuis eorum animus esset, rem damnificatorum vtiliter agere, non tamen id prudenter & vtiliter egerunt tacentes. Quemadmodùm si quis verbis æquiuocis alteri mandat, seu consulit, vt pecunias mutuet ei, quem scit inidoneum esse ad eas reddendum, cùm sciat illum fugitiuum esse, non significans, quo animo id mandet, aut consulat, cùm eius animus sit in oppositum, certum est mandantem teneri. Et ita hæc & alia huiusmodi exempla nil infirmant, quod dictum est, scilicet eum, qui causaliter iniustè alterum damnificat teneri, sicut & ipse damnificator tenetur, secùs si causaliter damnificat, sed non iniustè.

AD QVARTVM, in quo de ratihabitione tangebatur, dicendum, quòd per solam ratihabitionem non contrahitur obligatio restituendi in foro conscientiæ; nisi ipsa ratihabitio causa sit alienum detinendi, aut pro damno illato non satisfaciendi. Ratio est clara, quia aliàs per solam ratihabitionem nec realiter, nec causaliter damnificatur proximus. Quia tamen is, qui prohibere debuerat, ne nomine suo delictum perpetraretur, ipsumque perpetratum punire, approbauit potiùs, & ratum habuit, dignus est qui puniatur, ac si eius mandato fuisset perpetratum delictum. *Ad IIII.*

AD QVINTVM, de his qui in Capitulo vltimo loco sua vota præstant, dicendum, quòd non obstante, quòd à maiori parte Capituli sit iam per vota decretum, quid in casu sit agendum, & ex consequenti, qui vltimò sua vota conferunt, cum antiquioribus B conuenientes, non sint causa sine qua non, damni inde euenturi; sunt tamen causa sicut reliqui, ex quo de eorum voluntate, & suffragio seu voto, eorumque nomine id quod decretum est, exequutioni mandatur, ex quo ipsi cum reliquis facultatem ad rei exequutionem conferunt. Secùs si de votis huiusmodi, quæ postremò dantur, nil alij curent, qui priùs vota sua dederant: nec etiam decreti exequutor curet, nisi de priorum votis: nam tunc posteriorum vota nullo modo essent causa damni præfati. Et ita videtur limitandum, quod in hoc casu ait Caietanus in Summula. Et est casus, qui frequenter in cõmunitatibus occurrit; vti similis inter consiliarios Regis aliquando dicitur accidisse, cùm in certa lite plures eorum ad eam determinandam congregati, sententiam iniustam (vt postmodùm apparuit) tulissent: & quidam, qui similiter à consiliis erat, post sententiam latam superuenisset, & quam latam reperit, approbauit, cui cum reliquis subscripsit: de quorum omni consensu exequutioni tradita est. Quærebatur, an ille superueniens esset restitutioni obnoxius. In cuius fauorem dicebatur, quod ait Caietanus, scilicet, rem iam fuisse irreuocabiliter sententiatam, quam ipse mutare minimè valebat, quodq; non minùs fuisset iniustitia illud agendo, etiamsi ipse non subscripsisset &c. Iudicio tamen meo, quamuis ille non fuerit causa sine qua non præfatæ iniustitiæ, fuit tamen causa cum cæteris, vt exequutioni traderetur, quod sufficit, secundùm dicta, vt sit cum cæteris obligatus. Pro quo facit Innocentius de his, quæ fiunt à maio. part. Capit. C quòd existens in Capitulo nisi contradicat, si ibi aliqua malè agerentur, habetur pro consentiente, quo ad peccatum, & pœnam: à fortiori igitur si actu votum suum his, qui malè agunt, præstat. *Ad V.*

AD SEXTVM, & postremum dicendum quod probat nostrum principale intentum, scilicet, non esse necessarium cooperantem seu concausantem esse causam sine qua non furti, vel damni illati, sed quòd satis est, esse causam vti in casu est, ad hoc, quòd restitutioni sit obnoxius. *Ad VI.*

EST ITAQVE resolutio, quòd qui cum fure currit ad iniustam rei alienę acceptionem, est videndum, an per se operetur cum fure, manum scilicet applicando, an solo verbo, puta mandato, consilio, consensu, &c. & quocunq; modo concurrat, est videndum, quo animo concurrat, an scilicet rem propriam, vel furis curet, an vt rem læsi vtiliter agat; & si rem læsi vtiliter agere intendit, & id prudenter & vtiliter agit, non tenetur, siue sit causa sine qua non, siue nuda causa ipsius furti. Si autem concurrit, vt rem propriam, vel furis agat, tenetur sicut fur, siue sit causa sine qua non, siue nuda causa. Si autem nullo modo est causa, nec nuda, nec sine qua non, quocunque animo concurrere intendat, non tenetur. *Repetitur breuiter solutio huius quæstionis.*

SI QVAERAS, quando dicetur esse causa nuda, seu simplex? Respondetur, quòd quando mandato, vel consilio, vel consensu, alioue modo mouet animum exequentis, mouet inquantum, vel nouam voluntatem furandi in eo causando, vel veterẽ firmando, seu *Quando censeatur aliquis causa tantum nuda & simplex in proposito.*

seu augendo: ita vt ipse fur inde ad furandum moueatur, etiamsi alioqui ob aliam causam esset furaturus. D

De currentibus cum fure, an teneantur omnes in solidum.

QVÆSTIO OCTAVA.

An quilibet cũ fure participãs teneatur in solidum?

Ratio pro parte affirmatiua.

Ratio pro negatiua.

Resolutio.

COROLLARIE sequitur responsio ad aliam quæstionem suprà tactam, scilicet, supposito quòd cum fure in actu participantes teneantur, an teneatur vnusquisque in solidum. Et pro affirmatiua est ratio; quia læsus iustè poterit contra vnumquenque eorum agere, ad totius damni restitutionem, & iustè per leges vnusquisque poterit in totum condemnari, quod iustè non fieret, nisi vnusquisq; in solidum teneretur. Pro negatiua est etiam ratio, quia non est vnusquisque causa totius damni. Ad quod breuiter dicendum. In tantum aliquis tenetur de damno, quantum fuit damnum, quod ipse suo

I. concursu causaliter iniustè intulit. Vnde sequitur, quòd stat, plures cum fure concurrere, & vnus teneatur in solidum, alter verò in nullo. Patet hoc, si primus fuit causa motiua, seu actiua totius damni; maximè si eo non concurrente, nullum fuisset illatum damnum, talis tenetur in solidum. Econtrà verò si secundus dedit furi præceptum, consilium, seu assensum, sed omninò impertinens ad damnum datum, cùm non inde motus fuerit fur ad furtum committendum, quod non minùs alioqui commisisset, talis in nul- E

II. lo tenetur ipsi læso. Stat etiam quòd vnus teneatur in solidum, alter verò in parte; vt si ad vnius consilium omnes simul ad furandum concurrerunt, & cùm ad locum, vbi furtum est committendum, vnusquisque certam partem rerum alienarum arripuit, iam ille, qui consilium dedit, tenetur in solidum: alij verò ab eo inducti tenentur vnusquisq; pro par-

III. te, quàm surripuit. Stat denique, quòd omnes teneantur in solidum, quando scilicet vno solo nolente alios comitari, cæteri omnes à proposito desisterent. Tunc vnusquisque suo comitatu est causa, quòd omnes ad furandum eant; & ex consequenti vnusquisque etiamsi non nisi partem surripiant, tenetur in solidum, ex quo vnusquisque totius damni causa fuisse, in casu dignoscitur.

Corollarium I. COROLLARIE sequitur, non esse in conscientia tenendum, quòd nonnulli Iuristę sententialiter dixerunt, vt Innocẽtius in cap. Sicut dignum. de homicidio. quòd qui dat furi, aut damnificatori consilium, tenetur in solidum; qui autem dat auxilium, non tenetur nisi in parte. Quorum motiuum est; quia, vt dicunt, cõsilium vagatur in totum, & ita qui consuluit, videtur causa esse totius damni. Qui verò auxilium præstat, non ita ad totum damnum concurrit, sed ad partem, cui ipse manum apponit. Verùm ex dictis apparet impertinens esse aliquem consilio, aut auxilio cum fure in actu concurrisse ad quantitatem eius, quod per eum est restituendum. Nam quòd ad debitum restituendi pertinens est, est causalis damnificatio: ac proinde cùm stet consilium non totius damni causam esse, sed partis, econtrà verò auxilium causam totius esse; stat etiam, tam consilium, quàm auxilium toti damno causam dedisse; consequens est, non esse certum præfatum discrimen, quod inter consilium & auxilium positum est. F

Corollariũ II. SEQVITVR etiam, non esse cum illis in conscientia tenendum, qui dicunt, omnes cum fure currentes indistinctè teneri in solidum, vt videtur Hostiens. dicere. Nec leges, quas pro se citant, illis in foro conscientiæ suffragantur; quia vel sunt pœnales, culpam concurrentium punire volentes, & procedunt in foro iudiciali: vel veniunt intelligendę, quando concurrentes cum fure, suo concursu causam toti damno dederunt, vt colligitur ex. l. vulgaris. §. si duo. ff. de furtis. vbi ponitur exemplum de duobus, qui simul alienum tignum deportauerunt, quod neuter seorsum portare suffecisset, tunc quilibet eorum tenetur in solidum. Et ratio id ostendit; quia obligatio restituendi, seu satisfaciendi non maior ex actu nascitur, quàm sit damnum causaliter illatum, vt constat.

Corollariũ III. SEQVITVR ampliùs, qualiter sit accipiendum, quod Adrianus ait in casu sequenti, quo scilicet fur erat paratus, & determinatus surripere centum ducatos, quibus indigebat. Petrus autem illi consulit, seu aliter eum inducit, vt furetur ducentos: talis, inquit, consulens tenetur in solidum restituere ducentos ducatos, etiamsi fur alioqui non nisi centum esset furaturus. Tum quia consilium suum fertur in totum. Tum etiam, quia consulens

A consulens suo consilio mutauit priorem voluntatem furis, & nouam furandi ducentos causauit;& ita eius consilium vagatur supra totum furtum.

Cvivs decisio quibusdam Doctoribus videbatur dura. Nam si fur priorem voluntatem, qua centum furari decreuerat, non mutasset, sed aliam nouam, qua velit alios centum furari ad consilium Petri conciperet, & ducentos furetur, nō tenebitur Petrus, nisi ad centum; ex quo solùm causauit voluntatem nouam furandi centum, igitur non tenebitur Petrus consulens nisi ad centum;esto quòd ad consilium eius fur vnico voluntatis actu velit ducentos furari. Nam ad illationem damni,& quantitatem furti,cui causa data est,est attendendum,non ad numerum actuum voluntatis,quibus fur aliena surripit.Et ita ex quo fur alioqui centum erat certissimè furaturus,apparet quòd consulenti non est imputandum totum damnum,sed illud quod eius consilio causatum est, scilicet damnum aliorum centum. *Obiectio contra III. corollariū.*

Respondetvr, ratio hæc procedit, si teneremus concursum cum fure non inducere obligationem restituendi, nisi sit causa sine qua non, damni dati. Ad quod cùm multi in præsenti materia principaliter respiciant, non curantes rem ampliùs scrutari, multos casus decidunt aliter fortè, quàm decidendi sunt. Nobis autem stando in his, quę suprà dicta sunt, videtur in præsenti casu distinguendum, non tantùm curando, si vnico actu voluntatis, an diuersis fur ille velit ducentos ducatos furari, quantum de animo B ipsius furis. Si enim fur ita determinatus erat ad furandum centum, quòd ad id fuerit impertinens consilium ei datum de furando ducentos, ita quòd ob consilium nullo modo fuerit motus ad furandum illa centum, quæ furari decreuerat: nec in hoc eius voluntas firmior, aut maior ex consilio facta sit, non obstante nouitate vnici actus ad consilium à Petro datum superuenientis, non tenebitur Petrus, nisi ad centum, quibus ipse causam dedit. Secùs si ad consilium Petri animus furis firmior, aut maior factus fuerit respectu illorum centum, quę furari decreuerat. Nam tunc consilium non solùm ad noua centum, sed ad cētum, quæ furari decreuerat, causam dedit; & ita tenetur in solidum. Quod inde patet, si fur erat paratus centum furari, & superueniat Petri consilium, quo eum in illo proposito firmet, vnde fur ampliùs mouetur ad centum tantùm surripiendum, prout ipse proposuerat; certum est ex dictis, Petrum teneri ad illa centum, quæ fur alioqui erat furaturus. Igitur si ad consilium de furando ducēta animus furis in eo, quod antè ipse proposuerat, ampliùs firmatur, & vltrà se ad alia centum furandum determinat, tenebitur consulens in solidum. *Solutio.*

Seqvitvr ampliùs, eum qui suo præcepto, aut consilio furem ad furandum induxit, non satisfacere, si perpetrato furto, illi consilium oppositum, scilicet de restituendo ablatum dederit, etiamsi furi voluntatem restituendi inducat, nisi actu restitutio fiat. Ratio est clara, quia sicut consilium datum causa fuit, vt fur non solùm furandi voluntatem haberet, sed vt actu aliena surriperet; ita si per oppositum consilium satisfacere vult, C opus est, vt consilium de restituendo illam habeat efficaciam, quam habuit consilium de damnificando. Vnde qui præfatum consilium in delicto deditiduos læsit, furem scilicet, in quo iniquam furandi voluntatem causauit; & alterum, cuius res actu sublatæ sunt. Vtriq; igitur tenetur præfatus consulens; furi, dando operam vt volūtatem restituendi, qua surripuit, habeat; spoliato autem, vt res suæ sibi actu reddantur. *Corollariū IIII.*

Si obicias dictum Chrysostomi: Res per quas causas nascitur, per easdem dissoluitur 27.q.2.cap.omnis res. Igitur cùm obligatio restituendi ex consilio in casu dicto sit orta, sequitur quòd per oppositum consilium sufficienter dissoluatur. Pro quo etiam facit illud in Instit. quibus modis tollitur obligatio: li.3. vbi dicitur. Consentaneum enim visum est, verbis factam obligationem, aliis posse verbis dissolui. Respondetur, admissa Chrysostomi & Iustiniani authoritate, nil tamen contra dicta; quia ratio hæc præsupponit, quòd in consulente ex solo consilio nascatur obligatio, cùm tamen nō ita sit, sed ex consilio efficaci, id est, ex consilio cum opere, seu damno inde subsequuto. Nam vbi solùm esset consilium, aut præceptum furi datum, si non inde damnum est subsequutum, nulla esset in consulente restituendi obligatio. *Obiectio.* *Solutio.*

Praesvpposito ergo, quòd omnes cum fure currentes, qui totius damni causa fuerunt, teneantur in solidum; est adhuc dubium, an vno eorum in integrum restituente, reliqui teneantur eidem. Et video plures Doctores dicere quòd non, eò quòd ille qui restituit, fuit in causa turpitudinis, vnde orta fuit obligatio restituendi. *Aliud dubium. An vno currentium cum fure, restituente totū furtum, reliqui eidem satisfacere teneantur.*

Ratio pro negatiua. Et generaliter dicunt, quòd esto res aliqua restituenda sit, non tamen ei, qui fuit in turpitudine: vt si quis munus dedit iudici, aut aduocato, animo illum corrumpendi. Iudex munus acceptum etsi restituere teneatur, non tamen danti, ratione turpitudinis ipsius. Aut si quis dedit alicui pecunias, ad aliquod facinus perpetrandum, is qui eas accepit, tenetur restituere; non tamen ei, qui dedit, ob eius turpitudinē. Huius rationē assignant; quia qui turpiter dat, ratione turpitudinis meretur rem perdere. Ita igitur in proposito. Ad hunc modum putant mandantem aliquid iniquum & iniustum, in cuius exequutione ipse mandatarius aliquod damnum patitur, non teneri mandatario de damno, sed illi potiùs est imputandum, quod passus est, qui sciens mandatum iniquum esse, illud turpiter est exequutus. D

Resolutio bimembris. MIHI TAMEN, cum eorum bona venia, oppositum videtur tenendum, tam in primo casu, quàm in secundo de mandatario. Vnde pro primo & præsenti casu distinguendum videtur de his, qui cum fure currunt. Quia vel est inter eos aliquis, qui sit causa principalis illati damni, qui scilicet alios ad damnificandū, seu furandum induxit; aut omnes
I. in hac re sunt æquales, qui scilicet æqualiter causam dederunt damno. Si primum, ille, qui principalis causa fuit, tenetur simpliciter ad restitutionem, cæteri verò non simpliciter, sed conditionaliter, scilicet principali non restituente. Inde fit, vt principali restituente, cæteri maneant simpliciter liberi à restitutione facienda. Excepto, nisi cæteri in re furtiua participes fuerint, quia quantum reliqui acceperūt, tenebuntur reddere principali, postquàm ipse in integrum restitutionem fecerit. Iniquum enim esset participes furti lucrum ex suo facinore reportare. Si autem principalis non restituat, quia vel non vult, vel non potest, tunc vnusquisque aliorum tenebitur in solidum spoliato. Et altero soluente, tenebitur ille principalis in conscientia eidem tantundem reddere. Huius ratio clara est, quia non obstante turpitudine concurrentium, is qui principalis est, & cæteros ad damnum induxit, tenetur in conscientia eos indemnes reddere. Nam per hoc res reducetur ad æqualitatem, si is, pro quo alter aliquid, non tam voluntate, quàm necessitate soluit, vt in casu præsenti fit, tantundem ipsi soluenti reddat. Modò autem cùm aliquis ex concurrentibus in integrum, quod principalis debebat, restituit, pro ipso principali restituere videtur. E

II. SI AVTEM inter concurrentes nemo est principalis, sed omnes æqualiter causam damno dederunt, obligatio restituendi omnes simul pariter concernit, supposita æqualitate in damnificatione. Ac proinde si vnus in integrum restituat, reliqui tenebuntur eidem, vnusquisq; pro rata ad eum attinente: & non veniunt ad plus in conscientia compellendi. Quanquā in foro contentioso soluenti pro omnibus, tam in primo casu, quando principalis totū restituit, quàm in secundo, quando nemo est principalis, sed omnes in damno dato sunt æquales, nulla contra alios actio concedatur.

Ratio turpitudinis non obstat quo minùs in cōscientia sit ei restituendū, quod turpiter dedit. QVOD AVTEM turpitudo dantis non obstet, quo minùs in conscientia sit illi reddendum quod turpiter dedit, apparet in exemplo suprà citato, si clientulus dedit Aduocato aliquod munus, vt malè patrocinaretur, talis Aduocatus tenetur eidem clientulo acceptum reddere; vt videtur dicere Augustinus in Epistola ad Macedonium, quę est 54. vbi ait, Aduocatum si non rectæ vitæ rectissimè pœnitet, præmium debere clientulo restituere, quod, vt malè patrocinaretur, accepit, ne iniquitatis habeat mercedem &c. Quam sententiam veram esse puto, scilicet, Aduocatum teneri id, quod à clientulo ob illam causam acceperat, eidem restituere, antequàm Aduocatus iniquum patrocinium, pro quo data erat pecunia, exerceat. Post datum autem iniquum patrocinium, non ita tenetur acceptum danti restituere, sed pauperibus erogare. Discrimen clarum est, quia cùm pecunia à clientulo non fuerit data, nisi ad effectum iniquum, illo non sequuto, reddenda est; quia non intendit eam clientulus dare, nisi ob illam causam: Si autem causa, ob quam data fuit, subsequatur, retineri pecunia non potest, danti tamen reddenda non est; quia eam à se abdicauit, nec ad eam ius sibi reseruauit. Secùs si causa, ob quam eam dedit, actu non subsequatur. F

Aduocatus tenetur id, quod à clientulo pro iniquo patrocinio accepit, eidem restituere.

Soluitur ratio pro parte negatiua. RATIO autem prioris sententiæ parùm valet, in qua dicebatur, quòd ob turpitudinem merebatur homo rem suam, & ius, si quod habebat, perdere: nam hoc dato, aliud est mereri rem perdere, aliud de facto eam perdere. Et iterum, esto mereatur eam perdere, opus est iudicis sententia, vt eam perdat. Et antequàm sententia feratur, res nondum est perdita, sed sibi reddenda.

OCCVRRIT

A OCCVRRIT hîc casus quidam: Cùm multi inter se conuenirent, vt à diuite quodam certam pecuniæ summam per vim auferrent, sicut &, cùm ad nundinas iret, abstulerunt; inter quos nonnulli erant eius propinqui, alij verò potentiores illo, obtinuerunt tandem, vt cæteris debitum remitteret, eisdemque parceret, dempto vno, quem odio habebat, à quo omnem rem proposuit repetere. Dubitatum est, an ille vnus, cui parcere noluit, teneatur in solidum? Pro negatiua parte arguebatur, quòd alij erant principaliores in rapina illa, & illis remittit: igitur hic nil in conscientia illi remittenti debet, quia cessante principali, cessat & accessorium. extrà, de fi. instru. ca. inter dilectos. Tum etiam quia remissio aliis facta, æquiparatur donationi. Si autem spoliatus donationem aliis debitoribus fecisset, ille alius cui nō pepercit, non tenetur lęso, pro eo, quod aliis donauit, cùm vnum esset omnium eorum debitum: vt si multi furati sunt equum, quem vnus eorum tenet, & illi vni dominus equi ipsum equum sponte donet, certè alij liberi erunt à debito satisfaciendi domino pro equo, per eum donato. Hanc partem tenuerunt multi Summulistæ post Innocentium.

Aliud dubium. An, si diues omnib⁹, qui magnam sibi pecuniæ summā abstulerāt, remitteret debitū restituēdi, vnico excepto propter odium, teneatur iste vnus ad restitutionem integram.

Argumentum pro parte negatiua.

ECONTRA verò pro parte affirmatiua arguitur, quia vbi sunt diuersæ obligationes, quarum vna ex alia non necessariò dependet, sed vna est ab altera separabilis, vna semota, non est necessarium alteram remoueri, vt si ex odio fornicationis, aut ludi, iuraui à fornicatione abstinere, similiter à ludo, potest obligatio ex iuramento proueniens, Papa, vel prælato dispensante, remoueri, manente obligatione præcepti, seu legis
B de non fornicando. Sed in præsenti casu diuersæ sunt obligationes, quibus illi, qui ad rapinam illam concurrerunt, obligati sunt, cùm diuersas concernant personas: igitur stat remoueri obligationem vnius illorum, manente aliorum obligatione: talis autem obligatio remoueri potest per voluntatem creditoris, igitur. Sicut si plures simul vouerunt castitatem, mutuò se ad id inducentes, diuersæ sunt obligationes, quæ quia possunt per dispensationem tolli, stat quòd vnius obligatio, Papa cùm eo dispensante, tollatur, & non alterius, cum quo non dispensat.

Argumentum pro affirmatiua.

CONFIRMATVR, quia stat, quòd de multis ad rapinam concurrentibus, aliqui eorum efficiantur omninò impotentes satisfacere; iam eorum obligatio per impotentiam tollitur, & tamen in aliis potentibus manet. Cùm ergo non minùs valeat remissio spontanea creditoris ad tollendam obligationem debitoris, quàm inopia debitoris, sequitur quòd creditore nonnullis ex concurrentibus remittente, & non aliis, erunt illi à debito satisfaciendi liberi, & non hi.

Eiusdem confirmatio I.

CONFIRMATVR iterum, si omnes ad præfatam rapinam concurrentes coram spoliato conueniant, poterunt ab eo precibus impetrare, vt principali raptori remittat, & contra accessores agat, qui si illorum precibus annuat, erit principalis liber, & non accessores. Quod igitur potest facere læsus ad preces illorum, quare non poterit facere
C sponte? Quòd si sponte id possit facere, & faciat, habetur intentum, quòd in casu cæteri erunt liberi, etiam principales, & ille solus, contra quem solum vult spoliatus agere, tenebitur in solidum.

II.

RESPONDETVR, aliud esse læsum, seu creditorem gratiam facere debitori in actione, aliud verò in re debita. Et cùm in casu læsus ille actionem habeat contra omnes illos damnificatores, liberum erit illi debitū, à quo ipse velit repetere. Ac proinde stat, quòd contra cæteros agere nolit, sed contra hunc determinatum. Hæc autem gratia cæteris facta, etsi illos liberet à debito respondendi in iudicio, si constet læsum actioni iudiciali cessisse, qua contra illos agere poterat; non tamen in conscientia liberat illos à debito satisfaciendi. Et ideò facta prædicta gratia quo ad actionem, manent in conscientia omnes obligati satisfacere illi, ac si gratiam talem non fecisset.

Conclusio I.

SI AVTEM gratia remissionis, quam cæteris fecit, erat de re debita, illa æquiparatur donationi, & tunc habet locum dubitatio proposita. Et dicendum, quòd si omnes damnificatores in damnificando fuerunt æquales, & nemo principalior, remissio rei debitæ alicui eorum facta, non debet aliis præiudicare; præiudicaret autem, si alij tenerentur illi læso in solidum satisfacere, illo, cui remissio est facta, penitus libero manente: ideò vt illa remissio aliquid operetur, necesse est, vt ille maneat liber à rata, quæ illum attinebat: alij verò pro suis ratis teneantur; quòd si omnibus aliis remisit, dempto hoc vno, tunc hic vnus in conscientia non tenebitur, nisi ad ratam, quæ illum attinebat.

Conclusio II.

Conclusio III. SI AVTEM inter illos fuit vnus principalis, qui cæteros induxit, tunc puto veram esse primam sententiam, quòd scilicet si læsus illi remissionem debiti spontaneam fecerit, quòd cæteri eo ipso maneant, sicut & principalis à debito satisfaciendi, in conscientia liberi: perinde enim est, ac si debitum condonasset. D

Respõdetur ad argumentũ pro parte affirmatiua. IAM PATET responsio ad rationes pro parte affirmatiua factas. Ad primam dicendum. Quamuis in casu sint diuersæ obligationes personales, quia diuersæ sunt personæ obligatæ; quo ad rem tamen debitam vna est, quia vnum est debitum, cui omnes illi in casu sunt obnoxij: & ideò si illud semel à spoliato remittatur, cessant obligationes omnes illæ personales. Secùs est in eo, qui lege Dei, & iuramento seu voto superaddito tenetur ad aliquid, quia si illud non compleat, diuersa debita apud Deũ contrahit: aliam enim pœnam sustinebit pro violatione diuinæ legis, aliam verò pro violatione voti. Et tunc stat, Deum alteram obligationem remittere, si in altero eorum dispenset, altera remanente.

Ad I. confirmationem eiusdẽ. AD PRIMAM confirmationem dicendum, non idem operari in casu inopiam alterius debitoris, & remissionem creditoris: nam per inopiam cessat obligatio in ipso impotente, manet tamẽ in reliquis condebitoribus. Per remissionem autem debiti, quæ principali debori fit, expirat obligatio in omnibus; cùm perinde sit ac si debitum condonasset. Et cùm non sit diuersum debitum, quo omnes illi in solidum tenebantur, ideò illo condonato, non relinquitur ampliùs debitum illud. E

Ad II. AD SECVNDAM confirmationem dicendum, quòd si in precibus illis de remittenda actione iudiciali tantùm agatur, & non remittendo debito, fateor, quòd sicut creditor ad illorum preces, ita de spontanea voluntate potest præfatæ actioni cedere in fauorem eius, quem ipse elegerit: in conscientia tamen idem manebit debitum. Si autem agatur de remittendo debito principali, tunc ad intentionem deprecantium & creditoris remittendis est recurrendum, scilicet an ipsi intendant obligationem principalis in seipsis in toto, vel in parte suscipere; & cognita remittentis intentione, facile erit in casu iudicare.

De currentibus cum fure in actu negatiuè.

QVÆSTIO NONA.

An negatiuè cũ fure currentes teneãtur ad restitutionẽ furti commissi? Qui aliorum indemnitati prospicere tenẽtur in duplici sunt differentia. I.

DE ALIIS verò, qui cũ fure negatiuè currunt, puta mutus, non obstans, non manifestans, est maius dubium, an tales teneantur de damno. Et de his solet communiter distingui. Nam sunt quidam, quibus ex officio, aut speciali obligatione incumbit indemnitati aliorum prospicere, eorumq; damna vitare; & tales tenentur damnum, sua negligentia datum, resarcire. Excepto, nisi ipsorum læsorum vtilitas exigat dissimulare, ne scilicet maiora damna eueniant, qualiter euenirent, si minora non permittantur: tunc enim ipse læsus, cuius vtilitas per præfatos dissimulantes realiter procuratur, non est in eorum dissimulatione rationabiliter inuitus, sicut nuper de eo, qui furem opere iuuat, dicebamus. Hi sunt reip. gubernatores, duces belli, aduocati, procuratores, aliique publici officiales, atque medici, cæterique conducti, seu stipendiati, qui scilicet, speciali obligatione tenẽtur operam, & solicitudinem adhibere, vt aliorum prospiciant vtilitati, & damnorum vitationi. Et testes, qui cùm in ius vocantur, ex officio tenentur dicere veritatem. F

Tales tenetur de damno. *Ratio.* Tales negatiuè cum fure, aut damnificatore concurrentes, omnium sententia tenentur de damno. Huius ratio est, quia qui alienam rem, aut alteri debitam, quando tenetur, nõ reddit, oportet illum pro interesse satisfacere, quod alij ex eius non redditione patiuntur. Cùm ergo præfatæ personæ specialiter & obligatione personali teneantur operam & diligentiam in aliorum vtilitatem, apponere, & non apponunt; perinde est, ac si rem aliis debitam, idq; cum eorum, quibus debita est, iactura retineant; ac proinde tales tenentur ad interesse, & ratio est clara. Similiter tenetur rei alienæ detentor eam reddere, non solam, sed cum fructu eiusdem rei, quem dominus alioqui percepisset, si res sibi debita, suo tempore eidem reddita fuisset. Id patet ex dictis. Sed opera præfatorum officialium publicorum, seu stipendiatorum est debita his, quorum curam gerunt, & eorum indemnitas est velut fructus, ex opera illis debita procedens: quandoquidem indemnitas illa est effectus in præfata opera virtualiter contentus. Suppono enim,

A enim, quòd opera illa exhibita, fuisset causa præfatæ indemnitatis, ac proinde si suo tempore operam debitam non reddant, necesse est fructum, seu effectum illius operis, quem alij percepissent, restituant: & ita certum est, eos teneri ad præfatam indemnitatem &c.

SVNT ALII negatiuè cum fure, seu damnificatore currentes, non ita specialiter obligati, vt præcedentes, etiamsi omnes lege charitatis damna proximi cùm commodè possunt, euitare teneantur: vt in Codice de Eleemosyna diximus. Hæc tamen obligatio nec specialis est, nec personalis, cùm omnes respectum omnium indistinctè respiciant. De his tamen maius dubium est, nec omnes in eodem conueniunt. Dicũt quidam, quòd si tales cùm furtum vel damnum proximi possunt, sine proprio damno vitare, & non vitant, sed dolosè proximum lædi permittunt, nõ solùm peccant, sed tenentur de damno, sicut & principales damnificatores. Alij verò dixerunt, non teneri ad satisfaciendum, pro permisso damno, siue cum dolo, siue sine dolo proximum lædi seu damnificari permittant. Alij autem tenent omninò contrarium, quòd siue cum dolo, siue sine dolo damnificari proximum permiserint, quanquam peccent, restituere tamen minimè tenentur. II. *Difficultas est de his, qui lege tantum charitatis obligãtur damna proximi euitare. Tres sententiæ.* I. II. III.

PRIMVS modus dicendi non placet in eo, quod de dolo ait, quòd si eo dolo aliquis damno alterius non obuiet, tenetur satisfacere. Primò, quia impertinens videtur dolus in casu ad debitum satisfaciendi. Quod enim impertinens est ad damnificandum B proximum, etiam impertinens est ad obligationem pro damno satisfaciendi. Talis est dolus, quia siue ex dolo, siue sine dolo non obuiantis damno proximi quis desinat obuiare, non minùs proximus damnificabitur, vt suppono. *Reiicitur & oppugnatur I. sententia.* I.

DEINDE ex capit. Si culpa tua. suprà citato, non minùs colligitur oriri debitum satisfaciendi, si ex negligentia sit damnum datum, quàm ex dolo, aut culpa: igitur nihil facit in præsenti casu ad debitum restituendi dolus, etsi faciat ad peccatum. II.

DEINDE aliud est, iniuriam cuique facere, aliud verò in bonis, aut persona eum damnificare. Sæpe autem cessat iniuria, cessante dolo, vbi damnificatio non cessat. Potest etiam remitti iniuria ex dolo illata, non remisso debito pro damno satisfaciendi, vt constat. III.

PRAETEREA, si debeo succurrere vni ex duobus, cùm vtrique æquam patiantur necessitatem, & alteri desino ex odio subuenire, & alteri succurro, iam ex dolo permitto proximum mori, non tamen inde teneor pro huiusmodi damno satisfacere. IIII.

SECVNDA etiam propositio non tenetur communiter, quę ait, omnem hominem, qui negatiuè currit cum fure, aut damnificatore, siue cum dolo, siue sine illo, quando obuiare tenetur, & non obuiat, ad satisfaciendum tenetur. Ratio est, quam suprà tetigimus: quia sola lex charitatis, qua proximus proximo tenetur, non inducit obligationem restituendi, sed lex iustitiæ commutatiuæ hanc inducit obligationem. In præsenti autem casu sola lege charitatis tenentur homines proximorum damna vitare, cùm sine propria iactura id possint; & id non agentes, peccant contra charitatem ad proximum C habendam, non tamen contra iustitiam. Hoc patet exemplo: Si diues videns pauperem extrema necessitate laborantem, cui, ex lege charitatis, per panis aut vini, vestitúsue largitionem subuenire tenetur, & non subuenit, peccat quidem, sed, vt suprà diximus, quod elargiri omisit, minimè eidem pauperi, nec alij restituere tenetur: & multò minùs tenetur illi satisfacere, si fortè pauper ex eleemosynæ debitæ negatione membrum aliquod corporis amisit, aut notabilem morbum incidit. Erat enim hæc obligatio ex lege charitatis proueniens, omnibus indistinctè communis, & non personalis. Ac proinde tales peccant quidem, & Deo satisfacere tenentur, non autem homini. *Reiicitur etiã II. sententia. Ratio.*

ET ITA cum antiquis Doctoribus simul & modernis, scilicet Altisiodotensi, Præpositiuo, & Alexandro de Hales, & Thoma, placet tertiæ opinioni adhærere, quæ ait, eos qui negatiuè solùm cum fure, aut damnificatore currunt, nisi speciali obligatione, vt dictum est, indemnitati læsorum prospicere teneantur, non esse ad restitutionẽ obligatos, etiamsi contra charitatem peccent. *Resolutio pro III. sententia.*

CONTRA tamen hanc tertiam & communem opinionem videntur aliqua militare. Primò quod ait Ambrosius, & habetur 86. distinct. Pasce fame morientem; si non pauisti, occidisti. Vbi æquiparat eos, quorum alter occidit, alter verò fratrem occidi permittit. Et in cap. Non in ferenda 23. q. 3. & est eiusdem Ambrosij, dicitur: Non minùs est in vitio, qui iniuriam socio illatam non repellit, quàm ipse qui infert. Et 83. distinct. in *Obiectiones cõtra eandem.* I.

 prin.

prin. ait Symmachus: Nihil refert mortem inferas, vel admittas. Et Augustinus super illud Leuit. cap. 5. Anima si peccauerit, & audierit vocem iurantis, &c. ait, quòd tenemur fratrem à periurio, alióue peccato, cùm possumus, reuocare; alioqui si tacemus, portabimus iniquitatem. Et habetur 22. q. 5. cap. hoc videtur. D

Solutio. RESPONDETVR, hæc & multa alia huiusmodi, probare hominem peccare mortaliter, qui, cùm possit fratrem ab iniusta morte animæ, aut corporis eripere, non eripit; non tamen inde fit, vt teneatur pro damno, si quod permiserit, satisfacere. Excepto, nisi, vt dictum est, ratione officij, aut stipendij speciali obligatione teneatur læsorum indemnitati prospicere. Itaq; parificantur qui occidit, & occidi permittit, in hoc quod permittēs perinde peccat, ac si per se occideret; quia vterq; contra charitatem peccat; alter vero vltrà contra iustitiam peccat, ideò non est simile.

II. SECVNDO de homicidio voluntario cap. Sicut dignum. §. Illi etiam, dicitur, quòd qui associat homicidam animo occidendi, licet nō apponat manū, pari pœna, vel quasi, venit cum ipso homicida puniendus. Similiter ibidem dicitur de eo, qui associat homicidam animo prohibendi ne impediatur, licet non ipse occidat, nec aliquid positiuum ad occidendum faciat, venit & homicida puniendus. Vnde patet, quòd æquè est in culpa, sicut ipse homicida, ac proinde videtur esse in simili obligatione.

Solutio. RESPONDETVR, licet sit in pari culpa, vel quasi, eò quòd pari pœna, vel quasi venit puniendus, vt ait textus, non tamen inde sequitur, quòd in vtroque eadem sit obligatio pro damno satisfaciendi. Saltem non sequitur ex hoc, quòd ambo sint apud Deum in eâdem culpa, vel quasi; cùm longè aliud sit teneri Deo, aliud verò proximo. Secundò, esto in casu textus, essent in debito satisfaciendi pares, non tamen fuit illic pura damni permissio, seu negatiua causalitas, sed positiua, scilicet ipsa associatio ac comitatus, quibus ipse associans authoritatem seu animum ipsi homicidæ contulit ad facinus perpetrandum. Tertiò, textus ille est pœnalis, & extendit se ad forum exterius, in quo socius homicidæ, sicut ipse venit puniendus. Et nil ad restitutionem, quæ in foro pœnitentiali venit agenda, seclusa humani iuris pœnali dispositione. E

Corollarium. HINC PATET ad cap. Quantæ. de sententia excommunica. suprà citatum, quòd si quis non obuiet clerici percussioni, cùm possit, excommunicatur; non quidem ob debitum satisfaciendi, sed ob culpam negligentiæ: maximè si dolus interuenit. Ideò inde nullo modo infertur, eum qui non obuiat, teneri ad satisfaciendum. Adde quòd, vt glossa ibidem ait, procedit textus, & multi alij huiusmodi, de illis, qui facinori non obuiant, cùm possint, hoc est, cùm ad obuiandum publicam habeant potestatem. Et hoc modo limitant illud cap. de iniuriis & damno dato. Si culpa tua damnum datum est, aut imperitia, aut negligentia, iure satisfacere oportet, de negligentia eorum, quibus ex officio, aut speciali obligatione damnis aliorum obuiare incumbit. Mihi tamen huiusmodi limitationes, quas glossæ his iuribus apponunt, non omninò probantur: vt posteà ostendetur, vbi agetur de rebus ob causam datis, causa non subsequuta. F

III. *Obiectio.* TERTIO, Exod. 21. dicitur de habente cisternam, & eam non cooperiente, & de habente bouem cornupetam, & non eum ligantem seu includentem, quòd teneatur de damno sua negligentia dato. *Solutio.* Respondetur, ideò illos de damno teneri, quia speciali obligatione tenebantur super res suas inuigilare, ne per eas alij damnificentur, si non ratione publici officij, attamen ratione rei possessę. Quandoquidē vnusquisque rem, quam possidet, ita debet possidere, vt sine aliorum præiudicio eam possideat; siue res illa, vnde alteri nocumentum potest euenire, sit puteus, cisterna, animal ferum, aut quodcunque aliud, quod homini simplici nocere potest. Hinc patet, quid de his dicendum, qui ceruos possident, cuniculos, lepores, columbas, aliaque huiusmodi animantia; quæ, quia non includuntur, vicinas proximorum possessiones solent deuastare.

IIII. QVARTO Prouerbior. 29. dicitur: Qui cum fure participat, occidit animam suam: adiurantem audit, & non indicat. Super quo Hieronymus ait, quòd non solùm fur reus sit, sed etiam qui furti conscius, possessori quærenti non indicat. De furtis. cap. Qui cum fure. *Solutio I.* Hinc nonnulli moti sunt ad dicendum, ob textum præsentem indistinctè teneri satisfacere eum, qui veritatem, quam scit, non indicat, siue in iudicio, siue extrà, possessore, hoc est, eo ad quem pertinet, requirente. Quanquā ex textu citato, non video horum sententiam sufficienter probari, *Solutio II. Verior.* cùm dici possit, quod suprà dictum est quòd scilicet reus est furti, qui furem seu rem furtiuam non indicat, id est, perinde peccat, ac si ipse furtum

A furtum commisisset, idque apud Deum. Cum quo stat, quòd non sit in conscientia obligatus læso quicquam restituere. Secùs si persona publica esset, cui ex officio incumberet læsi indemnitati prospicere. Si tamen in testem productus, & in iudicio requisitus veritatem taceat, falsum iurando, etiamsi iuret se nescire, cùm sciat, & inde mansit aliquis iniustè læsus, qui, eo veritatem dicente, fuisset restitutus, tūc tenetur satisfacere, non solùm quia falsum iurauit, & ex consequenti positiuè causam damno dedit, &c. sed etiam quia veritatem, quam sciebat, non manifestauit: ad quod, cùm in iudicio esset, ex iustitia tenebatur, contra quam fecit, veritatem in ius vocatus occultando. Ac proinde multum refert, rem furtiuam non manifestare in iudicio, vel extrà. Quia etsi vtrobiq; peccetur, non tamen est vtrobiq; restituendi obligatio, eò quòd in iudicio contra iustitiam, simul & charitatem peccatur, extra verò non nisi contra charitatem.

QVINTO obiicitur ratione: Quando aliquid impertinens est ad damnificandum proximum, etiam est impertinens ad obligationem satisfaciendi pro damno huiusmodi. Cùm ergo impertinens sit ad damnum proximi actus positiuus cooperantis, si non minùs ad eius puram permissionem esset tale damnum sequuturum, sequitur, quòd si positiuè ad damnum proximi concurrens tenetur satisfacere, etiam tenebitur qui negatiuè seu permissiuè concurrit. Parùm enim refert, quo instrumento, aut modo proximum occidamus, ferro, scilicet, aut pugno, modò eum occidamus. Inde etiam suprà arguebamus, teneri eum, qui proximum cum dolo lædit, similiter & sine dolo, cùm dolus sit ad damnum inferendum impertinens, modò idem damnum sine dolo inferatur, quod cum dolo. V. Obiectio. B

RESPONDETVR ad maximam, eam concedendo. Si enim actus positiuus impertinens est ad damni illationem, non causat obligationem satisfaciendi, si nō minùs erat damnum alioqui euenturum, iuxta ea quæ suprà posita sunt, sed nil contra opinionem, quæ impugnatur. Quia quod dictum est, scilicet, quòd damnum illatum causat obligationem satisfaciendi, & non permissum, procedit quando tale damnum causatur opere aut verbo alicuius, maximè quando alioqui minimè causaretur: & ita actus positiuus in casu non erit impertinens, sed causa sine qua non, damni illati &c. Et quamuis pura negatio aliquando sit causa sine qua non, eiusdem damni, non ita parit præfatam obligationem satisfaciēdi læso, cùm aliud sit damnum causaliter inferre, aliud verò ipsum permittere. Satisfactio autem respondet illationi damni, non permissioni. Nam vbi est pura permissio, alia causa per se damni illatiua reperietur, cui damnum venit imputandum, quæ quidem causa nullatenùs fuit ab ipso permittente adhibita, sicut adhibetur ab eo, qui positiuè concurrit ad damnum. Solutio.

SEXTO obiicitur: Si duo concurrunt ad damnum, alter immediatiùs, alter verò remotiùs, vt si alter ab altero incitetur, si, qui remotiùs se habet ad damnum, tenetur de damno, à fortiori qui immediatiùs ad illud se habet. Iam pono casum, quo Ioannes videt damnum inferri proximo, & paratus est illud impedire, cùm possit; Petrus autem suadet eidem vt quiescat, & damnum illud non impediat, & ita Ioannes quiescit: Petrus in hoc casu tenetur de damno, cùm positiuè videatur ad damnum concurrere, causa per eum data, vt patet ex casu: igitur à fortiori tenebitur Ioannes de eodem damno, ex quo Ioannes fuit à Petro incitatus, vt quiesceret; & ita Petrus remotior causa est illius damni, Ioannes verò propinquior, vt patet: igitur. VI. Obiectio. C

RESPONDETVR, Primò nil inconuenit, eum qui immediatè damnificat, non teneri de damno, & tamen teneri eum, qui illum ad damnificandum incitauit, vt si is qui incitauit, fraudulenter id fecit; inductus autem cum bona fide. Ita in proposito, Ioannes ad non impediendum damnum inductus, non tenebitur satisfacere. Quod inde patet, quia si non inductus, sed spontè damnum illud permitteret, non teneretur, iuxta dicta: igitur à fortiori non tenebitur inductus; & tamen is qui induxit tenebitur, quia causam positiuam dedit damno illato. Non enim is solùm causat damnum, qui illud infert, sed qui impedimentum tollit, quo alioqui damnum fuisset impeditum &c. Solutio.

De participantibus in re furtiua.

QVÆSTIO X.

Duobus modis dicitur quis cũ fure participare. I.

II.

DVOBVS MODIS dicitur aliquis cum fure participare: Vno modo in actione, seu actu furandi, quod fit vel ante furtum, eidem causam præstando, vel ad ipsum furtum perpetrandum opere concurrendo, de quo suprà dictum est. Alio modo in re furtiua, quod fit, quando post perpetratum furtum, res ipsa furtiua, vel aliquid eius ad manus venit ipsius, & hoc est quod nunc quæritur, scilicet, an qui participat in re, teneatur. Est autem distinguendum de re illa furtiua, quia quædam est de his, quæ vsu consumuntur, in quibus dominium ab vsu non separatur. Alia verò est de his, quæ vsu non consumuntur, & de his diuersa est ratio, diuersaque responsio. Et vt in summa, & absque disputatione dicam, si res sit de his, quæ non vsu consumuntur, quam scilicet alius à fure de manu ipsius furis accepit, potuit hoc tripliciter fieri. Quia vel ille cum mala fide rem illam accepit, sciens scilicet, rem furtiuam esse. Vel cum bona fide, credens scilicet non furtiuam esse, sed eum, à quo eam accepit, iure potuisse rem illam alienare. Vel cum conscientia dubia, qua scilicet dubitat furtiuáne sit res illa, nécne. Si cum mala fide accepta est, tunc res illa restituenda est eadem, si extat; vel si consumpta sit, valor ipsius est restituendus, idque siue res illa per viam donationis, siue per viam emptionis, alteriúsue contractus ad secundum peruenerit possessorem. Est autem tunc res vero domino restituenda, non furi. Vtriusq; ratio est clara. Quia cum secundus ille detentor sciuerit rem illam alienam esse, eam sibiipsi accipiendo, furtum commisit, rem alienam iniustè contrectando. Nec minùs damnificauit dominum, rem eius accipiendo, & apud se retinendo, quàm prior fur primo surripiendo, vt ex dictis constat. Nec minùs fuit in mora, non eam reddendo, quàm prior fur fuerit, quando eam detinebat. Ac proinde, vt iniustitia illa ad æqualitatem reducatur, necesse est, hunc secundum detentorem rem illam vero domino reddere, ac si per seipsum eam primitùs fur abstulisset. Quòd autem res illa nõ sit priori furi reddenda, inde patet, quia secundus ille detentor per rei detentionem non furem, sed verum dominum damnificat, rem ipsius iniustè detinẽdo, & dominum, ne re sua vtatur, impediendo.

An qui participat in re furtiua teneatur ad restitutionem.

Res furtiua duplex.

Potest aliquis de fure quippiã accipere tripliciter.

Conclusio I.

D

E

Reiicitur opinio quadam Alexandri.

Ratio.

VNDE AB opinione Alexandri videtur recedendum, qui ait in casu, secundum detentorem posse rem illam priori furi reddere, ne pretium, quod pro re dederat, amittere cogatur, quia vt ait, vnusquisque magis tenetur suę indemnitati consulere, quàm alienę. Contra quod videtur ratio. Sicut enim non licet propriæ indemnitati consulere, rem alienam iniustè accipiendo, aut detinendo, ita nec rem alienam inuito domino distrahendo, sicut in casu fieret, rem illam furi reddendo. Nec etiam sunt facienda mala, vt eueniant bona, qualiter in casu fieret. Nec dominus verus ipsius rei debet secundùm rationem consentire in hoc, quòd secundus detentor rem priori furi reddat, vt suum pretium rehabeat, quæ imputet sibi iniquus emptor, qui scientem rem alienam à fure emit. Et longè rationabilius, & iustius est, vt qui re sua iniustè fuit spoliatus, rem suã rehabeat, quàm quòd secundus detentor pretium, quod iniquè & scienter pro re furtiua dederat, recuperet. Ac proinde rationem sequendo in casu, dominus rei rationabiliter est inuitus, si secundus detentor rem præfatam priori furi, & non ipsi domino reddat. Quòd si pretium, quod furi dederat, vult rehabere, id curet sine veri domini præiudicio; conueniat furem coram iudice, vel faciat dominum rei ipsum secundum detentorem coram iudice conuenire, vt rem suam per iudicis sententiam recuperet, & tunc poterit contra furem allegare. Quòd si hæc remedia locum non habeant, quia fortè rem ad iudicium deducendo, fur alioqui occultus infamabitur, aut alia damna, seu scandala subsequutura timeãtur, rem alienam suo domino reddat, & ipse pretium, prout melius poterit, à fure recuperet, alioqui imputet sibi pretij dati iacturam.

F

Conclusio II.

SI AVTEM secundus detentor rem furtiuam de manu furis nesciẽter, seu cum bona fide accepit, putans rem non esse furtiuam (supposito quòd sit de his, quæ non vsu consumuntur: nam de his nunc loquor) dicendum, quòd durante bona fide, talis detentor non tenetur quicquã restituere, vt constat, quia ipsa ignorantia inuincibilis eum excusat, sicut à peccato iniustæ detentionis, ita etiam à debito restituendi pro tunc. Si autẽ bona fides cesset, & incipiat scire veritatẽ, rem scilicet illam furtiuã esse, tenetur, vt suprà, rem illam domino restituere, & non furi. Si autem secundus ille detentor rem illam cõsumpsit, seu durãte bona fide eam destruxit, vendidit, seu alienauit, tunc, cùm fides bona cessauerit, tenetur vero domino restituere, quantum ipse factus est locupletior. Si enim nullum

Si detẽtor alienæ rei bona fide, cognoscat posteà eam esse furtiuam, quid faciet.

A nullum lucrum sibi acquisiuit, vt si tantum pretium dederat furi, quantum res ipsa valebat, aut si per viam donationis rem illam à fure acceperat, & similiter ipse per viam donationis eandem postmodùm alienauit, aut res ipsa in ipsius potestate, nullo inde commodo percepto, periit, in his & similibus casibus nil tenetur, cessante bona fide, restituere. Econtrà verò si factus est locupletior, vel inde commoditatem aliquam est assequutus, vt si tantundem erat de suis bonis consumpturus, si rem illam consumpsit, aut donatarius si rem donauit, aut si pretium aliquod vel aliam commoditatem ex rei alienatione percepit: idipsum tenetur domino restituere.

Corollarium.

INDE FIT, vt si res illa fructifera erat, & fructus aliquos inde secundus detẽtor percepit, illos, si extant, reddere debet in eodem casu, scilicet, cessante bona fide. Si autem eos consumpsit, donauit, alienauit, &c. vnde aliquod est lucrum seu commodum assequutus, illud similiter reddat. Itaque idem est de fructibus, seu commoditatibus ex re prouenientibus, quod de re ipsa, iudicandum, quantum ad debitum restituendi.

Dubium. An detẽtor rei alienæ bona fide, si cognoscat eam mala fide partam, possit integram furi reddere pro recuperando pretio, quo illam emerat ab eo.

HIC HABERET locum dubitatio, in priori membro posita, casu quo secundus detentor, qui cum bona fide rem furtiuam emerat, eandem integram habet, post malæ fidei superuentum, an possit tunc rem illam furti reddere, vt pretium, quod pro ea dederat, recuperet. Et ratio dubitationis est, quia ex quo hic secundus detentor non fuit in culpa, sed cum bona fide rem illam emit, non est dignus, qui pretium ab eo datum amittat, qualiter amitteret, si rem sic emptam, suo domino & non furi restituat. *Ratio dubij* I. Deinde potest suæ indemnitati consulere, qualiter non consuleret, si rem illam domino restitueret, & non furi. II. Prætereà bona fides non patitur, vt idem bis restituatur, qualiter in casu restitueretur, si res domino, & non furi esset reddenda, quia semel fuit saltem in valore restituta, quãdo pretium ipsius rei, furi, à quo res fuit empta, fuit traditum, & iterum quando res ipsa domino restituitur. III.

B

POSTREMO idem apparet ex communi doctrina, quæ tenet, quòd quando res restitui non potest, sine notabili damno ipsius restituentis, tunc cessat obligatio restituendi, quousq; restitutio sine huiusmodi damno fieri possit, scilicet, si maius damnum aut saltem tantum eueniat restituenti ex ipsa restitutione, quàm sit damnum quod creditori fieret, non facta eidem restitutione. IIII. Quod quidem valdè æquum esse videtur, in his saltem qui non fuerunt in turpitudine, nec in mora. Nam si is, qui restituere debet, sit fur, aut raptor, aut alius iniustus rei alienæ vsurpator, tunc non cessat obligatio ob damnum, quod restituenti ex restitutione eueniret, nisi maius esset, quàm damnum læsi. Itaque in casu pręsentis dubij durum videtur, multis condemnare secundum detentorẽ, qui cùm bona fides cessauerit, rem furtiuam per eum emptam, furi à quo emerat reddat, si non potest commodè aliter pretium per eum datum recuperare. Nec in hoc videtur rei dominus rationabiliter inuitus, vt videtur, idque in fauorem bonæ fidei. Sic tenet Alexander de Hales, parte 4. Et Directorium, & Gabriel, qui eos imitatur.

C VERVM quamuis hoc videatur piè dictum, in rigore tamen conscientiæ oppositum dicerem esse tutius, & agendum, scilicet, quòd si secundus detentor verisimiliter credit, si rem furi restituat, rem ipsam ad eius dominum nunquam peruenturam, tenetur rem illam domino reddere, & non furi, non obstante dati pretij iactura. Id apparet ex dictis, quia non sunt facienda mala, vt eueniant bona. *Resolutio dubij. Probatur* I.

TVM ETIAM si rem furi restituat, credens rem nunquam ad manus domini peruenturam, est cum fure positiuè concurrere ad proximum damnificandum, vt constat, & ex consequenti facta tali restitutione, tenebitur de damno huiusmodi ipse secundus detentor. II.

TVM ETIAM, quia si ob hanc causam esset res illa furi reddenda, ne scilicet, secundus detentor pretium datum amittat, sequitur quòd si fur mortuus est, aut absens, aut omninò pauper factus, posset secundus detentor rem præfatam apud se detinere, aut eam aliis vendere, ne scilicet damni pretium amittat, quod tamen suppono falsum. III.

TVM etiam dominus ipsius rei sciens, rem suam apud secundum detentorem esse, poterit iustè rem illam tanquam suam propriam petere, & nolentem reddere, per iudicẽ compellere, vt eam sibi reddat. Nec in hoc potest rationabiliter ab aliquo condemnari, tanquàm aliquid indebitum faciat, igitur talis dominus in casu non tenetur consentire in hoc, quòd secundus detentor rem suam detineat, aut vendat, aut priori furi restituat, & ita quicquid ex his agat, iniustè aget, cùm spoliatus in his omnibus sit rationabiliter IIII.

inuitus,

inuitus, & per cõsequens tenetur rem illam domino reddere, non obstante quòd pro ea pretium æquale furi dederit. Adde, quòd ex quo cessat bona fides, incipit esse malæ fidei possessor. Secùs si re priori furi reddita, ne pretium quod dederat amittat, est certum, spoliatum in re sua restituendum: nam tunc poterit secundus possessor rem venditori reddere. D

Tertium quæstionis præcipua membrum. *Sententia* I.

SI VERO rem furtiuam aliquis de manu furis accepit, nec bonam, nec malam habens fidem, sed dubitans de re, sit furtiua nécne, dicit Hostień. lib. 4. de pœnitentia, & post eum multi alij, in huiusmodi casu peccare, qui rem alitet accipit, & teneri eam domino restituere, ac si cum mala fide eam accepisset, idque siue per viam donationis, siue emptionis, alteriúsue cõtractus rem illam acceperit. Horum ratio est, quia ex quo conscientia sic accipientis dubia est, videtur accipiens se periculo peccati exponere; nec minus peccatum est, contra conscientiam dubiam, quàm contra positiuam, aliquid agere. Qui autem amat periculum, peribit in illo. Et, quod non est ex fide, id est, ex conscientia, peccatum est.

Conclusio III. *principalis.*

ALITER tamen videtur in præsenti articulo respondendum, scilicet, quòd is qui dubitat rem illam furtiuam esse, potest eam de manu furis accipere, per viam donationis, emptionis, aut permutationis, dummodò huius animi sit, quo scilicet intendat veritatem inquirere, & cùm constiterit furtiuam esse rem, illam suo domino tradere. Et cùm rem illam in simili dubio acceperit, poterit eam tutè retinere, interim dum constat cui sit res illa reddenda, modò ad id sciendum, debitam apponat diligentiam, nec contra taliter, & tali animo rem furtiuam accipientem, aut retinentem poterit dominus rationabiliter esse inuitus, & ita in conscientia non erit reus furti. Imò in casu videtur rem domini vtiliter agere, cuius res fortè alioqui ad manus eius nunquam peruenisset, secùs si oppositum animum habeat, qui rem illam in dubio accipit. E

Soluitur ratio in oppositũ allata.

IAM QVANDO arguitur, contra conscientiam dubiam nõ est licitum alienum accipere, aut retinere. Respondetur, de conscientia dubia distinguendum est. Stat enim quòd rem illam accipiens dubitet, an sit furtiua, nécne, non dubitando de licentia rem illam accipiendi seu retinendi, & tunc non est peccatum, nec contra conscientiam rem illam cum præfata animi præparatione accipere, & retinere, ex quo talis rei acceptio, & detentio in casu potest esse conscientiæ positiuæ conformis, nõ obstante, quòd de facto dubitetur. Aliud enim est dubitare de re, an furtiua seu aliena sit, aliud verò, an possit licitè retineri. Multum itaque refert qualis sit in casu dubitatio.

Dubium circa dictam conclusionem. *An detentor rei alienæ, dubitãs nũ furtiua sit necne, possit eã alienare.*

ESSET tamen dubium, an in eodem casu, quo de re ipsa dubitatur, sit furtiua nécne, sit licitum huic secundo detentori rem illam vendere, & alienare. Et generaliùs occurrit hæc quæstio, quando aliquis cum bona fide rem furtiuam emit, & posteà cessante fide illa, incipit dubitare, an sit res furtiua, eò quòd rumor super hoc incipit seminari; an possit tunc rem illam vendere, ne cogatur per iudicem eam suo domino reddere, non reddito illi pretio, quod furi pro re ipsa dederat. Et est casus qui frequenter occurrit. F

Sententia I.

DIXERVNT aliqui quòd in tali casu, non obstante dubio illo, potest ille detentor secundus rem illam vendere, nec tenebitur pretium pro illa acceptum restituere. Mo-

Ratio.

uentur ad hoc dicendũ, quia talis adhuc manet bonæ fidei possessor, iuxta illud Augustini, & habetur 34. q. 2. cap. Si virgo. vbi dicitur, quòd bonæ fidei possessor rectissimè quisq; dicatur, quamdiu se possidere ignorat alienum. Cùm ergo in casu quo possessor dubitat, an res illa furtiua sit, seu aliena, ignoret eam alienam esse, sequitur quòd est bonæ fidei possessor, & ita poterit tutè rem illam vendere, ac si sua esset, nec tenebitur pretium pro illa acceptum, postmodùm restituere.

Resolutio bimembris.

EGO TAMEN aliter dicerem: Si secundus hic possessor habuit rem illam de manu

I. furis, per viam donationis, & posteà eam ob præfatum dubium vẽdit, tenebitur pretium acceptum domino spoliato reddere, quando constiterit verè rem illam alienam fuisse. Id patet, quia ad hoc idem teneretur, etiamsi rem cum bona fide positiua, qua credebat rem non esse furtiuam, vendidisset, ex quo accepto pretio factus sit locupletior. Igitur à fortiori, si stante dubio præfato rem illam vendat, tenebitur &c.

II. DICO secundo, quòd si rem illam per viam emptionis, seu permutationis, etiam cũ bona fide, de manu furis accepit, & posteà incipit verisimiliter dubitare an sit furtiua, poterit rem illam vendere sine peccato, dummodò emptori rei conditionem exponat, dicens esse dubium an furtiua sit, alioqui perinde est, ac si rem defectuosam venderet,

non

A non propalato defectu. Et esset emptorem defraudare, qui vel rem illam, cognito eius defectu seu vitio, nullatenus emisset, aut pretium longè minus pro ea dedisset. Qua lege seruata, poterit emptori quem repererit vendere; paratus tamen pretium vero domino reddere, si constiterit rem furtiuam esse. Huius ratio etiam est clara, nam si rem illam haberet, & apud se seruare vellet, oporteret illum parati animi esse, rem illam vero domino restituere, si constiterit, cuius sit. Igitur cùm eam vendendo, & pretium pro ea recipiẽdo, perinde sit, ac si rem apud se saltem in valore seruaret, sequitur quòd debet parati esse animi, pretium illud domino reddere, quando constiterit rem suam fuisse, & per cõsequens, cognito vero domino, pretium rei venditæ tenebitur restituere. Nec facit ad oppositum ratio suprà facta, nam falsum est, quòd stante præfato dubio in possessore, dicatur bone fidei possessor. Nec cap. Si virgo. probat quod voluit, quia illud intelligitur non de ignorantia negatiua, qualem habet qui dubitat rem furtiuam esse, sed de ignorantia positiua, qua possessor credit se non alienum possidere, qualis non habetur in casu præfati dubij. Exemplum huius est, quia ad iustè bellandum, non sufficit dubitare de iustitia belli, sed opus est credatur esse iustum. Sufficeret autẽ illud dubitare, si illud dubium bonam fidem non excluderet. Sed de hoc posteà. *Respõdetur ad rationem oppositam.*

ITAQVE in casu præsenti, quando possessor dubitat, rem quam tenet furtiuam esse, id operatur huiusmodi dubitatio, quòd ea extante, non tenetur rem restituere, sed poterit possessor eam tenere, paratus suo domino reddere, si constiterit alienam esse. Et eodem modo poterit, stante eodem dubio, rem illam vendere, paratus similiter pretium reddere, quando constiterit rem alienam fuisse, nec rationabile est bonam fidem conscientiæ dubiæ æquiparare.

B

SI DENIQVE res furtiua, quam quis de manu furis accepit, sit res vsu consumptibilis, tunc aliter, quàm priùs, respondendum est. Et breuiter distinguatur: nam refert, scienter an ignoranter rem furtiuam de manu furis acceperit, & an per huiusmodi acceptionem fur factus sit impotens satisfacere, an non. Si verò fur, de cuius manu alius rem aliquam accepit, non manet potens ad soluendum omnia quę debet, sed potiùs per præfatam rei acceptionem redditur impotens ad restituendum: tunc qui accepit rem illam, tenebitur illam in se, vel in æquiualenti restituere. Et procedunt hæc de eo, qui scienter in re furtiua participat. Si fur, de cuius manu huiusmodi rem alius scienter accipit, manet potens omnia debita suis creditoribus soluere, tunc ille secundus non tenetur acceptum restituere, siue illud acceperit per viam donationis, siue emptionis, seu alterius contractus, sicut teneretur, si res accepta non esset vsu consumptibilis. Ratio discriminis est clara, quia si res illa non est vsu consumptibilis, dominus spoliatus habet ius ad rem illam eandem numero. Si autem sit vsu consumptibilis, non sic habet ius ad rem illam eandem numero, cùm in huiusmodi rebus dominium ab vsu non separetur. Ac proinde in tali casu perinde est, ac si fur daret illi secundo de suis propriis bonis, cùm illa bona furtiua functionem admittant, vt suppono, & hoc maximè verum est, quando res huiusmodi furtiuas aliis similibus rebus miscuit. *Quartum mẽbrũ principalis quæstionis.* *Conclusio IIII. principalis.* *Ratio.*

C

COROLLARIE sequitur, quòd quando aliquis scienter in re furtiua vsu consumptibili participat, parùm refert, quòd fiat, vel nõ fiat inde locupletior. Nam si ex tali participatione fur ipse non manet impotens ad plenè omnia sua debita soluendũ, tunc participans etiamsi fiat inde locupletior, non tenetur de rigore conscientiæ acceptum restituere, cùm res sic accepta non erat eadem numero debita, nec inde mansit fur impotens ad satisfaciendum: tenetur autem, etiamsi locupletior factus non sit, si ex huiusmodi participatione fur maneret impotens plenè satisfacere. *Corollarium.*

SI VERO nescienter, seu cum bona fide facta sit huiusmodi participatio, & fur inde manet impotens ad plenè satisfaciendum, tunc habet locum quod dictum est, scilicet, quòd participans tenetur quantum factus est locupletior, secùs aliâs. *Conclusio V.*

COROLLARIE sequitur, si participans in re furtiua vsu consumptibili dedit furi tantum pretium, quantum res valuit, non tenebitur participans quicquam restituere, ex quo ex tali participatione non mansit fur impotens ad plenè satisfaciendum, cùm tantũ in pretio à participante receperit, quantum illi in re dedit. *Corollarium.*

NOTANTER suprà dixi, hæc vera esse, quando res furtiuas vsu consumptibiles fur ipse aliis similibus miscuit, quia tunc, cùm res furtiuę discerni à non furtiuis non possint, videtur dominium, quod in rebus illis ipse spoliatus habuerat, extinctum esse, & ita perinde *Limitatio quadam quartæ cõclusionis supradicta.*

inde eſt,ac ſi res omnes illæ ſint de dominio furis eas poſsidentis factæ.Si tamen res furtiuæ eædem numero non ſunt aliis commixtæ,ſed ſeorſum ſunt, ita vt à cæteris diſcerni poſsint,ſecùs eſſet, quia tunc dominium, & ius certum ad illas eaſdem, quod priùs ſpoliatus habebat,nondum amiſſum eſt,& tunc idem eſt de participantibus in rebus huiuſmodi dicendum,quod dictum eſt de participantibus in rebus furtiuis, quæ vſu non conſumuntur. D

Aliud dubium. De his qui participant in actu ſimul & in re, an teneatur ſub mortali reſtituere.

Argumẽta pro negatiua. I. OCCVRRIT hîc caſus communis quidem, ſed intricatus,de his qui participant in actu ſimul & in re. Si multi vineam Petri ingreſsi,omnes fructus eiuſdem comedunt,ita vt vnuſquiſque non niſi vnum racemum accipiat:an teneantur hi ſatisfacere ſub pœna peccati mortalis. Pro parte negatiua videtur, quòd ob furti tenuitatem nullus eorum racemum accipiendo mortaliter peccauit, & per conſequens non erit mortale non ſatisfacere,quandoquidem non maius peccatum eſt, remablatam detinere,aut conſumere, quàm rem ipſam inuito domino auferre. Pro affirmatiua etiam eſt ratio, quia dominus vineæ manet notabiliter damnificatus, cui iuſtum eſt, vt ſatisfactio fiat.

II. EADEM dubitatio eſt, ſi Petrus de vinea proximi paulatim omnes racemos tranſeundo colligat, ſic quòd vna die ſingulis horis vnum colligat, alia die tantundem, & ita de aliis,idque cæteris paribus ex parte voluntatis,quæ eſt nõ lædere notabiliter,ſed quia defeſſus eſt,naturam fouere, ſeu guſtui complacere intendit &c. Omnes actus illius videntur ſimiles & æquales,& primus non fuit mortale peccatum,nec ſecundus, nec tertius,nec videtur maior ratio de his,quàm de aliis:igitur nullus fuit mortale peccatum,ac proinde Petrus in caſu fructibus vineæ conſumptis, non tenebitur domino,ſub pœna peccati mortalis, quicquam reſtituere. E

III. ALIVD ſimile his, Petrus tempore meſsis de agro in agrũ, de area in aream diſcurrens, aut de vinea in vineam,colligit de quolibet agro,ſeu congerie tritici vnam ſpicam, aut vnum racemum de ſingulis vineis ad diuerſos dominos pertinentibus,ita vt notabilem quantitatem congregauerit: An teneatur ſic congregata,ſub pœna peccati mortalis,dominis agrorum, ſeu vinearum reſtituere, an ea pauperibus erogare, cùm omnia illa furta ſeorſum ſumpta,non videantur niſi peccata venialia,ad minus non erunt mortalia,& ita nec retentio ſpicarum aut racemorum erit mortalis. Econtrà verò ſi liber ſit à reſtitutione in caſu,daretur poſſe Petrum toto anno ſe,& familiam ſuã de rebus furtiuis,ſine peccato mortali,& ſine obligatione ſub pœna peccati mortalis, accepta reſtituendi,ſuſtentare. Hæc patent inductiuè: Quia non tenetur huic domino, nec illi,nec alij ſub pœna peccati mortalis ſatisfacere: igitur nulli, nec valet dicere, quòd teneatur omnibus, & nulli,quia non cohærent,vt aliâs in ſimili oſtendimus.

Reſpõdetur ad primum argumentum.

AD PRIMVM caſum, ex his qui poſiti ſunt,diſtinguatur. Quia vel ita omnes illi ſocij ad furtum concurrunt, vt alter alteri cauſa ſit damnum illud inferendi, ſic ſcilicet, quòd altero non eunte, nec alter iret,& tunc vnuſquiſque tenetur in ſolidum conditionaliter,ſcilicet ſi alter non ſatisfaciat,& de hoc ſuprà dictum eſt. Vel ita concurrunt, vt nullus ſit alteri cauſa quicquam rapiendi,& diſtinguatur iterum. Quia vel omnes ſciunt de damno per alios illato,vel non,ſed vnuſquiſque putat ſe ſolum racemum accipere. Si primum,omnes tenentur per ſe accepta reſtituere, vnuſquiſque pro eo quod accepit, idque ſub pœna peccati mortalis. Et omnes illo modo vineam ſcienter ſpoliantes, peccant mortaliter,etiamſi vnuſquiſque non niſi granum vnum acceperit. Id patet, quia omnes illi cooperantur ſcienter,ad notabiliter proximum lædendum. Quòd ſi exiguitas furti reddit ipſum veniale, erit hoc, quando non ita notabiliter damnificatur proximus. Si autem vnuſquiſque ex damnificantibus,damnum per alios illatum ignorabat,durante hac inſcitia, ſi inuincibilis ſit, excuſatur à mortali, tam accipiendo,quàm etiam non reſtituendo. Si tamen poſteà notitia veritatis acceſſerit,id eſt, damni notabilis dati cognitio,tenebitur vnuſquiſq; quantum accepit, in ſe,vel in æquiualenti reddere. F

Ad II. AD SECVNDVM caſum dicendum, maiorem eſſe difficultatem iudicare, quod ſit notabile damnum, quàm ad caſum reſpondere. Quod enim vni notabile damnum eſt, alteri tantùm eſt leue. Et ita regula certa dari non poteſt,quantum dicatur,& ſit notabile damnum,ſed attenta paupertate, ſeu facultate ſpoliati,relinquitur hoc arbitrio boni viri determinandum. Cognito igitur quantum alicui ſit notabile damnum, Petrus in

caſu

A casu dicetur tunc primò mortaliter peccare, quamprimum ad notabile damnũ dominus vineæ peruenerit, & eo illato, tenebitur læso, sub pœna peccati mortalis, satisfacere.

Sed pone, quòd accipere viginti racemos non sit notabile damnum; accipere autem vnum & viginti, sit notabile damnum, quantum tenebitur restituere, si vnum & viginti acceperit? An satisfaciat vnum in valore restituendo, cùm alios viginti posset sine mortali, si eos tãtùm accepisset, retinere. *Obiectio.* Crederem quòd tunc teneatur omne ablatum restituere: Tum, quia perinde est, ac si simul 21. acciperet, quod est notabile damnũ ex hypothesi. *Solutio.* Nihil enim refert, paulatim, vel simul quenquam interimas, vel spolies, inquit Hieronymus. Tum etiam, quia restitutio consistit in æqualitate, ac proinde tantum est spoliato reddendum, quantum fuit damnum notabile illatum. Hoc autem non erat vltimi racemi acceptio, sed vltimi cum præcedentibus omnibus, & ita vltimus cum omnibus præcedentibus est reddendus in se, vel in valore.

Ad tertium casum videtur, quòd si homo ille id in fraudem legis de non furando, non faciat, sed quia fortè non habet aliâs vnde sufficienter ipse, & familia sua viuat, excusari poterit saltem à mortali. *Ad III.* Et tunc nòn video rationem, qua veniat ad restitutionem, sub pœna peccati mortalis, cogendus, ex quo neminem illo modo notabiliter damnificauit. Si autem diues sit, qui hæc facit, aut habet vnde competenter viuat, arbitror illum mortaliter peccare, si ea intentione illa particularia furta committat, aut notabi-
B lem acquirat quantitatem. Et ita puto eum omnia sic ablata debere ipsis spoliatis restituere, nisi vnusquisq; ob rei tenuitatem debitum condonet. Sed quamdiu de hac voluntate condonandi non constet, meritò præsumitur, quòd in huiusmodi furtis modicis ob præfatum finem factis, erunt domini rationabiliter inuiti. Vide etiam, an perinde sit, ac si plures domini habeant sua bona simul in vno loco aggregata, & Petrus de bonis huiusmodi congregatis furtiuè notabilem quantitatem capiat: in quo casu, non dubium eum de furto teneri. Sed ab huiusmodi minutis casibus dissoluendis temporis penuria, animúsque ad vlteriora progrediendi abstinere hortatur.

De rebus per creditorem in recompensam debiti ablatis.

QVÆSTIO XI.

Est quoddam furtum similitudinarium potiùs, quàm verum, de quo idem quod suprà quæri solet; An sit de necessitate restituendum? Vt in casu, quo quis suam propriam rem ab alio occupatam clam surripiat. *An qui rem propria ab alio occupatam clam surripit, teneatur ad restitutionem.* Aut secundò, in casu quo creditor de bonis debitoris clam, quantum eidem debebat, accipiat. Et de priori casu facilis est responsio, præmissa distinctione, qualiter scilicet res illa ad detentorem deuenerit,
C scilicet per viam depositi, commodati, locati; aut per aliam iniquam viam, puta furti, rapinæ &c. Et quidẽ si per viam honesti tituli ad eum peruenerit, peccat dominus, qui rem suam, propria authoritate, de alterius potestate, sine detinentis consensu capit, & quodammodo furtum committit, nõ quia rem alienã accipit, cùm sua sit, sed quia detinentem iure, quod ad rem, vel vsum eius habebat, furtiuè priuat, & detinens erit contra dominum sic rem suam surripientem rationabiliter inuitus. *Conclusio I.* Et etiam accidere solet ipsum detentorem ex tali facto damnificari, quia defuncto domino rei sic acceptæ, poterunt eius hæredes rem præfatam à detentore repetere: aut ipsemet detentor scrupulo conscientiæ agitatus si decedat, iubebit valorem rei præfato domino, aut suis hæredibus reddi, putans præfatam ob culpam fortè suam fuisse amissam. Ac proinde præfatus dominus peccat in casu, & tenebitur ei, cui rem abstulit, in conscientia satisfacere, si constiterit eum inde damnificari. Rem tamen reddere non tenebitur, cùm sua sit. Excepto, si is qui rem detinebat, ius ad ipsius rei vsum haberet, vt si res erat illi locata, quia tunc locator tenetur stare contractui. Si autem non cum honesto titulo, sed per viam furti, aut rapinæ res ad detentorem peruenit, poterit dominus clam eam accipere, modò à scandalo, & infamia, aliisque notabilibus damnis caueat, si non speret aliter rem suam se posse recuperare. *Conclusio II.*

In secvndo casu solent maiorem difficultatem facere, & est casus, qui frequenter accidit. Famuli, seruitores, factores, conducti, ac deniq; omnes creditores, quibus *Explicatur in quo sit pcipua difficultas.*

alius aliquid debet, cum debitum vix poſsint planè à debitore recuperare, clam de bonis creditoris tantundem capiunt. Similiter ſi defunctus de debitis in teſtamento non meminerit, ſolent creditores ſuperſtites (ſit vxor, ſint filij, ſint famuli, aut alij extranei) de bonis defuncti clam tantundem ſurripere. Deinde ad inſtantiam debitoris ſeu hęredum ſolet prælatus præcipere, vt omnes qui de bonis defuncti quicquam acceperint, aut detinent, reſtituant, aut denuntient, idq́; ſub pœna excōmunicationis: quę etiam ad ſcientes ſolet extendi, ſi nō quod ſciuerint denuntiauerint. Iam eſt dubium duplex. Alterū eſt, an ſit licitum, quod propoſitū eſt. Alterum verò, an præfata cenſura eos, qui res huiuſmodi abſtulerint, eosq́; qui ſciunt, quis eas abſtulerit, niſi vel reddant vel denūtient, liget &c. D

I. Dubium. An creditor accipiens clā de bonis debitoris ſui, quantum ei debebat, teneatur ad reſtitutionem.

Sentētia prima bimembris.

I. De primo diſtinguunt aliqui de rebus ſic acceptis, an ſint tales, quæ functionē admittunt; quales ſunt, quæ conſiſtunt in pondere, numero, & menſura, quæ vſu cōſumuntur: an econtrà ſint de his, quæ vſu non conſumuntur. Si primum, dicunt, licitum id eſſe, ſeruatis conditionibus ſtatim dicendis, eò quòd recompenſa in rebus, quæ functionem recipiunt, locum habet, vt ſi per vnam viam tu debes mihi centum aureos, ego etiam aliunde tibi totidem debeo, licitè poſſum quod debeo, loco alterius debiti retinere.

II. Si tamen ſit res non conſumptibilis vſu, non habet locum compenſatio, nec licitum eſt loco debiti, clam de bonis non vſu cōſumptibilibus quicquam capere. Pro qua

Ratio I. parte videtur ratio, quia ſi creditor huiuſmodi res, vt dictū eſt, ſurripiat, rem alienam inuito domino capit, nec dominium eius acquirit; quia dominium rei de vno in alium, ſine conſenſu prioris domini particularis, aut ſine conſenſu domini ſuperioris, ſeu legis authoritate, vt ſuprà diximus, non tranſit. In caſu autē, nec adeſt conſenſus domini particularis, vt ſuppono, nec conſenſus aut authoritas iudicis, aut iuris, cum potiùs iura reclament, & eos, qui propria authoritate aliena aggrediuntur, vt ſua recuperent, puniunt, vt habetur. l. 1. C. ne quis in ſua cauſa. Igitur in caſu huiuſmodi, rei dominium in creditorem eam ſurripientem non tranſit, & ita peccabit, & rem illam reddere tenetur. E

Ratio II. Secundo, dominus re præfata ſpoliatus, cùm rem ſuam alicubi eſſe cognouerit, ſiue creditor eam teneat, ſiue alteri donauerit, aut vendiderit, poterit eam repetere, & rehabitam iuſtè retinere, & nolentem eam reddere, poterit iudicis authoritate ad reddendum compellere. Igitur nec tutus erat præfatus creditor rem illam accipiendo, nec eandem detinendo, non obſtante, quòd in recompenſam debiti acceperit.

Reſolutio affirmatiua ſeruatis conditionibus concurrentibus.

Quibus non obſtantibus videtur dicendum, quòd ſeruatis ſeu cōcurrentibus conditionibus, quæ communiter ſolent aſsignari, poterit creditor loco debiti tantundem in valore de bonis debitoris clam abſque peccato, & abſque debito reſtituendi, ſiue id, quod capit, ſit res vſu conſumptibilis, ſiue non. Quas conditiones annumerat ſanctus

Conditio I. Bernardinus, & cæteri poſt eum. Prima, quòd debitū ſuum ſit liquidum, & non dubium,

II. alioqui peccaret propria authoritate volens ſibi ſatisfacere. Secunda, quòd non ſperet debitum ſuum per viam iudicij recuperare, ſine notabili iactura ſua, vt ſi deſunt teſtes idonei, ſi creditor eſt potens, quem iudices timere ſolent, aut eidem volunt complacere, aut ſi res ad iudicium delata magnis eget expenſis, ſeu laboribus, &c. Tertia, quòd nō F

III. ſit veriſimile, inde ſequi infamiam propriam, ſeu damnum corporale, cùm iudices talia

IIII. ſimilitudinaria furta ſi probentur, ſoleant punire. Quarta, quòd nō immineat inde ſcan-

V. dalum, aut grauamen alicui, quòd debeat ex charitate ſaltem euitari. Quinta, quòd cōſcientia creditoris hoc modo ſibi ſatisfacientis ſit ſana, & non læſa, ſed credat id in caſu

VI. ſibi licēre. Sexta eſt, quòd ſit illi veriſimile, quòd ad debitum recuperandum nil ſibi proderit à debitore id petere. His concurrentibus, licitè poteſt creditor de alienis ſibi ſatisfacere. Sed ſi res, quam ſic capit, ſit non cōſumptibilis vſu, vt licitè eam per viam recom-

VII. penſæ capere poſsit, opùs eſt ſeptimam addere conditionem, ſcilicet, quòd nō potuit de aliis rebus vſu cōſumptibilibus accipere, & ſi poſsit de facto, fortè tamen grauamen aliquod ſeu damnum fieret creditori maius, quàm rem non vſu conſumptibilem accipien-

Ratio huius ſententiæ. do. Huius ratio clara eſt, quia ſi poſſet creditor de aliis rebus ſibi ſatisfacere, & non vult, niſi de rebus quæ non vſu conſumuntur, meritò in talis rei acceptione debitor erit rationabiliter inuitus, quia fortè res illa multùm ſibi grata eſt. Si omnia hæc concurrant, aperta eſt ratio huius ſententiæ, quia in tali caſu nulli facit iniuriam, imò rem ad æqualitatem reducit, cùm non aliter poſsit, nec ſperat ad æqualitatem venire. Debitori enim iniuriam non facit, cùm debitor ipſe hoc idem facere debuiſſet, reddere, ſcilicet, creditori quod debet. Iuſtitiæ publicæ iniuriam nō facit, quia tunc ſit publicæ iuſtitiæ in caſu

iniuria,

A iniuria, quando per viam iustitiæ posset suum debitum, si vellet, recuperare, & non vult, sed propria authoritate sibi ius dicit, quod cùm in casu deficiat, sequitur quòd in defectum iustitiæ poterit ipse creditor sibi satisfacere,

SI TAMEN non omnia hæc concurrant, peccabit quidem creditor in casu, sibi in causa propria ius faciens, attamen reddere acceptum non tenebitur, si certum erat sibi tantundem deberi, eò quòd iam res sit ad æqualitatem redacta. Hanc sententiam tenent Doctores communiter, Alexander de Hales, Altisiodorẽsis, glos. in cap. Ius gentiũ. 1. distin. & Innocen. cap. Olim causam. de restitutione spoliatorũ. Adrianus in Quodlibet.

Deficientibus prædictis cõditionibus, peccabit quidem creditor, nõ tenebitur tamen ad restitutionẽ.

EX HIS patet responsio ad ea, quę obiecta sunt contra creditorem, qui rem vsu non consumptibilem, vt sibi satisfaciat, surripit. Ad primum, probat quòd dominium huiusmodi rei in casu non transit in creditorem, & eo dato, non inde fit, vt creditor peccet, rem illam capiendo, aut retinendo, concurrentibus suprà dictis conditionibus, eò quòd dominus rei non est in casu rationabiliter inuitus, cùm creditor tot habeat causas in re aliena agendi, quod agit.

Respõdetur ad primam rationem pro sentẽtia prima allatam.

AD SECVNDVM, Esto ita sit, quòd dominus rei posit rem suam, vbi repererit, repetere, cùm sua sit, non inde sequitur creditorem in facto suprà dicto peccasse, nec rem ipsam restituere debuisse: cùm constet, iura in multis casibus actionem concedere, quando in conscientia res petita reddi non debet, non solùm in pœnis statutis, sed etiam in B rebus aliis, de quibus principaliter contenditur.

Ad II.

QVID tamen, si concurrentibus omnibus prȩfatis conditionibus, apparet creditorem rem alienam propria authoritate in recompensam accepisse, & iudex ad instantiam debitoris, seu ex officio sententiam contra creditorem profert, vt rem acceptam reddat, & iuris pœnam similiter soluat, an tenebitur in conscientia parêre sententiæ? Ratio dubitandi est, quia sententia huiusmodi fundari videtur in culpa damnati: in casu autem nõ fuit in culpa, stantibus dictis conditionibus, econtrà verò sententia lata est secundùm iura, & ita iustè, ac proinde eidem parendum.

Breue dubiolũ.

Ratio dubij.

RESPONDETVR, in casu huiusmodi non teneri in conscientia eum, qui de alienis sibi satisfaciat, parêre sententiæ. Et quamuis iudex iuxta iura iudicauerit, & sententia per eum lata, ex parte ferentis iusta sit, ex parte tamẽ rei, & illius, in quem fertur, videtur iniusta, eò quòd talis in casu non fuit in culpa, nec iniuriam fecit debitori, nec publicæ iustitiæ, vt dictũ est, ac proinde non est dignus, vt contra eum talis sententia feratur. Exemplum est clarum, de sententia lata contra eum, qui clam verè cum aliqua cõtraxerat, postea publicè cum secunda, viuente priore, cõtrahit, & per sententiam ille iubetur, vt cum secunda maritaliter cohabitet, est quidem sententia ex parte ferentis iusta, non tamen ex parte rei, quæ iubetur, & ideò non est illi parendum. Nec obstat quòd in proposito casu ille creditor propria authoritate, & cõtra legem publicam, aliena acceperit. Nam quamuis ad literam videatur contra legem egisse, nõ tamen contra mentem legis. Erat enim C ratio legis, ne, si permitteretur vnicuiq; sibi ius dicere, & in recompẽsam sibi debitorum aliena clam surripere, facilè daretur occasio iniuriis, furtis, infamię, & scandalis, eò quòd multi fingerent rem sibi debitam esse. Multi etiam putarent debitũ suum liquidum esse, cùm liquidum non sit. Multi etiam se de iustitia desperare dicerent, aliaq; multa possent vel fingere, vel obiicere, per quæ furta vellent defendere. Ad obuiandũ verò his omnibus iustè lex præfata statuta est. Cùm tamen in præsenti casu hæc omnia, propter quæ lex facta fuit, cessent, vt constat; ideò ratio legis in casu locũ habere non videtur. Ac proinde absq; iniuria legis potuit fieri, quod dictum est. Nec enim iusta fuisset legislatoris intentio, si vellet præcludere creditori omnem viam, rem suam recuperandi, quando sine aliquo incommodo non sperans à iudice remedium eam posset à debitore recuperare, ac proinde absque legis iniuria potuit fieri, quod factum est.

Respõsio.

Soluitur obiectio quędam.

AD ALIVD verò quod quærebatur de sententia excommunicationis à prælato, in huiusmodi casibus lata, an liget eos, qui sic ablata non reddunt, & eos qui cùm factum sciant, non denuntiant &c. Id videtur pendére ex tenore censuræ, & intentione iudicis sententiam fulminantis. Nam potest censura ferri contra eos, qui verum furtum in casu commiserunt, aut etiam contra eos, qui similitudinarium. Si primum, aperta est responsio, censurã huiusmodi obligare auferentes, vt ablata reddant, & scientes vt rem denuntient, si verè furtim aliquid indebitum sit ablatum. Si secundum, hoc est, quando res ablata est per viam recompensæ, si debitum nõ fuit liquidum & certum, iustè

II. Dubium. An creditor de bonis debitoris sui clam surripiens, quantum ei debebat, incurrat excõmunicationẽ: similiter ij, qui factum sciẽtes, nõ denuntiant. Censura in aliquos variè potest à superiore ferri.

iustè potest per censuram compelli ablata reddere is, qui propria authoritate ea surripuit: & tunc tenebitur talis creditor sententię parêre. Similiter si potuit, absq; incommodo notabili, per viam iudiciariam suum debitum recuperare, dignus est, qui in pœnam reddere cogatur acceptum: & ita in aliis huiusmodi, in quibus, etsi ablata reddere in cõscientia, ante iudicis præceptum, non tenetur, post sententiam tamen latam tenebitur: supposito hanc fuisse ferentis intentionẽ, ligare, scilicet eos, qui cùm debitum non esset liquidum, aut si esset, illud per viam iuridicã recuperare potuissent, aut in recuperatione clancularia excesserunt &c, sibiipsis de alienis propria authoritate satisfecerunt. D

Solutio eiusdẽ dubij.

SED QVOMODO cognoscetur prælatum de furto vero aut similitudinario tulisse mandatum? Respondetur; Ex tenore ipsius mandati, quia aliquando fertur mandatum huiusmodi contra eos, qui per furtum, aut deprauato animo aliena surripiunt, & retinẽt, non timentes Deum &c. Et tunc videtur sententia de vero furto interpretanda, & non de similitudinario: quod sæpe constat licitum esse, & absq; conscientiæ præiudicio, & diuinorum præceptorum contemptu fieri potest.

III. *Et hoc modo duplex est Doctorum sententia.*

ALIQVANDO verò fertur præfatum mandatum contra eos, qui clàm aliena ceperunt, etiã in recompensam debiti, & tunc extendit se ad furtum similitudinarium, in quo casu varia videntur tenere Doctores. Quibusdam enim visum est, huiusmodi sententiam iniustam esse, & nõ esse illi parendum, eò quòd errorem videatur continere, cùm iubeat
I. reddi, quod in conscientia reddi non debet, quale est, quod in recompensam debiti acceptum est, &c. E
II. Aliis autem visum est, sententiam iustam esse, eò quòd, vtplurimum cõtingit, eos qui sibi propria authoritate satisfaciunt, in ipsa satisfactione vel decipi, vel excedere, vel non satis circumspectos esse, vnde digni sint, qui debita amittant, & adhuc vlteriorem pœnam sustineant. Ac proinde præfata sententia errorem minimè continet, cùm propter ea lata sit, quæ vtplurimum accidere solent.

Resolutio.

SED DIMISSA contentione videtur tenendum, quòd præfata sententia etiamsi contra eos feratur, qui aliena in recompensam acceperunt, non se extendit ad causam,
Probatur I. quô præfatæ conditiones concurrunt, eò quòd cùm illis concurrentibus res sit ad ęqualitatem redacta, idque absq; culpa ipsius creditoris, iniustum videretur insontem re sua, aut sibi debita inuitum priuare, qualiter per præfatam sententiam, si in conscientia vale-
II. ret, priuaretur. Deinde si sentẽtia sonaret, præfatum creditorem debere restituere ablatum, etiamsi illud acceperit per viam recompensæ quantumuis iustificatæ, esset sententia errorem intolerabilem continens, nec esset seruanda. Igitur esto, quòd in genere dicat, quòd res in recompensam debiti ablata restituatur, non erit in cõscientia seruanda, casu, quo pręfatæ conditiones concurrant: sed talis sententia, seu præceptũ interpretandum est, casu quo præfatæ conditiones, saltem quæ ad rem pertinentiores sunt, desint.

III. AD ID facit ratio aperta, quia vel præfata sententia iubet rem ablatam priori possessori, aut eiusdem hæredibus reddi per viam restitutionis, aut per viam punitionis, ob culpam commissam rem propria authoritate surripiendi. Primum non videtur dandum, quia re ad æqualitatem redacta, restitutio locum non habet, etiamsi in huiusmodi reductione nonnulla culpa interuenerit. Secundum etiam non est dandum, quia in casu culpa non interuenit, & per consequens non iustè pœna insonti infligitur. Secùs si sententia lata sit contra eos, qui causam iustam, vt sibiipsis de alienis satisfacerent, non habuerunt. F

IIII. ADDE quòd res illa per viam pœnæ, non est de necessitate reddenda, nisi prælati sententia id significaret, scilicet quòd teneatur is, qui in casu alienum accepit, in pœnam pręuaricationis, rem ablatam priori possessori reddere: & tunc haberet vim contra eum, qui iustam causam rem accipiendi non habuit. Secùs in casu proposito.

V. ADDO ampliùs, quòd posset iudex etiam sub censura præcipere, vt, qui per viam recompensę aliquid alienum accepit, illud reddat hac intentione, vt priore possessore in sua possessione restituto, creditor audiatur, & eidem iustitia fiat. Et in tali casu si sperat homo se iustitiam assequuturum, non dubito illum ad rei ablatæ restitutionem teneri. Secùs si re restituta, nõ speret se debitum recuperaturum. Ex his apertum est, quàm necessarium sit ad tenorem præfatæ sententię seu præcepti prælati recurrere, vt eius intentio, quidque in casu sit agendum, cognoscatur.

Corollarium. De iis qui factum eiusmodi scientes non denuntiant.

COROLLARIE sequitur quid de his dicendum, qui sciunt res præfatas in recõpensam esse ab aliquo ablatas, an teneantur ad præceptum prælati rem denũtiare. Pro parte negatiua

A negatiua arguebatur, quia crimina penitùs occulta, non sunt ad mandatum superioris detegẽda. Cùm igitur res alienæ clàm fuerint acceptæ, sequitur. Tum etiam, quia nemo compelli potest ad seipsum infamandum, qualiter se infamaret, si is qui rem accepit, denuntiaret. Tum etiam, quia denuntiatio tunc necessaria non est, quando cederet in oppositum eius, quod superior in suo præcepto intendit, prælatus autem in casu præsenti, quo denuntiationem præcipit, intendit, neminem iniustè rebus à se possesis spoliari, si autem fieret denuntiatio in casu, cogeretur creditor re sua, aut sibi debita carere.

RESPONDETVR, quantum ad denuntiationem attinet, videtur distinguendum. *Resolutio trimembris.* Quia si prælati præceptum intelligitur de vero furto, & verum fuit furtum, tenebuntur I. scientes ad præceptum prælati illud denuntiare, etiamsi occultum sit, maximè si in iudicio humano probari posit. Si verò intelligitur de furto similitudinario, in quo causa iu- II. sta ad aliena auferendum defuit, videtur idem dicendum quod de furto vero. Si autem intelligitur de furto similitudinario, per iustam causam in recompensam debiti facto, III. tunc, sicut principalis ablator, nec restituere, nec denuntiare tenetur, quando denũtiatione facta, rem sibi debitam recuperare non potest, ita nec scientes tenebuntur denuntiare, secùs, si denuntiatione facta, remedium speraret. Secùs autem in casu, qui nuper *Casus quidam.* accidit. Mercator quidam cùm plures haberet creditores, quibus omnibus fortè satisfacere non potuit, mille ducatos quos habebat, suæ vxori dedit, hac lege, vt si sententia B excommunicationis contra occultantes bona illius mercatoris fulminaretur, præfatos ducatos ex tunc donaret vxori. Quo facto fugam arripuit, posteà fuit sententia, vt præfertur, fulminata. *Solutio.* Quærebatur an vxor, aliiq; qui facti notitiam habebant, tenerentur factum reuelare. Dicendum quòd sic, cùm non potuerit vxor verè prætendere præfatos ducatos, suos, per viam donationis, esse, eò quòd donatio non valuit, cùm in fraudem creditorum facta fuerit. Sed hoc ad aliam spectat considerationem.

De rebus per venationem captis.

QVÆSTIO XII.

ET QVONIAM non solùm in rebus mobilibus, sed etiam in se mouentibus furtum committi contingit, vti per venationem, & piscationem sæpe videmus accidere, similiter & in lignorum de aliquo monte scissione, & herbarum pastu in loco alieno, & aliis huiusmodi, ideò conuenit de his aliqua inquirere.

OCCVRRIT igitur quæstio de his, quæ per illicitã venationem capiuntur, an sint restituenda. *I. Dubium. An venatio sit de se licita.* Idem erit de piscatione iudicium. De qua primò id videndũ est, an scilicet sit venatio licita, & loquamur de venatione, quæ saltuosa dicitur, qua ani- *Solutio affirmatiua.* C malia fera, & volucres capi solent. Et dicendum, quòd venatio huiusmodi de se licita est, & ab initio omnibus hominibus ius venandi cõcessum est, prout in Genesi scriptum est *Genes. 1.* ad homines esse dictũ: Dominamini piscibus maris, volucribus cœli, & bestiis terræ &c. Et iterũ in Psal. Omnia subiecisti sub pedibus eius, oues, & boues, volucres cœli, & pisces *Psal. 8.* maris, insuper & pecora campi. Potest tamen venatio ex multis vitiari, puta, si fiat cum damno proximis illato, vti fieri solet, quando per alienum agrum, aut fundum gratia venandi discurritur, aut si fiat cum periculo personæ, vt fit quãdo inter animalia ferocia ipsi venatores nõ satis circumspectè versantur, aut si fiat tempore quo venator aliis rebus insistere deberet, vt fit, quando tempore quo diuina audiri deberent, venationi insistitur, aut si fiat à personis, quibus iure vetita est venatio, vti clericis vetita est, extrà de clerico venatore. cap. fin. vbi dicitur: Omnibus seruis Dei venatiões & syluaticas fatigationes cũ canibus, & accipitres, aut falcones habere interdicimus. *Quatenus Episcopis, clericis, religiosis prohibita sit venatio.* Pœna tamen illic apposita non nisi contra clericos, qui venationem prohibitam frequentant, imponitur. Est aũt pœna, vt si Episcopus sit, tribus mensibus à communione suspendatur. Si presbyter, duobus. Si diaconus, officio suspendatur. Quanquam venatio quieta, causa necesitatis, aut etiam recreationis, clericis permissa sit. Monachis etiam à fortiori vetita est venatio, saltẽ personalis, id est, per seipsos facta: nam per alios venari possunt, & canes ad venandum extra monasterium habere, si saltus, viuaria, aut garenas proprias habeant, aut ius in terminis alienis venandi, vt habetur in Clemen. 1. de statu monachorum. §. Porrò &c.

Quatenus similiter laicis illicita est venatio.

Est insuper laicis illicita venatio ratione prohibitionis, prout in nonnullis casibus iura regalia, & statuta dominorum, aut etiam ipsorum populorum, maximè si sint per Reges confirmata, venationem interdicunt, idque ob publicam vtilitatem fieri posse videtur. Si enim passim hominibus venari permitteretur, & instrumentis quibus velint ad venandum vti, breui tempore animalia terræ, quæ Deus in cibos hominum creauit, deficerent. Ideò certis temporibus iustè prohiberi potuit venatio, quando scilicet huiusmodi animalia sunt fœcundata, aut quãdo terra niuibus est cooperta. Iustè etiam potuit institui, vt homines à certis instrumentis, aut à modis venandi abstineant, idq; in locis publicis. Nec obstat iure naturæ omnibus hominibus ius venandi competere: nam eo dato, potest huiusmodi ius, seu facultas venandi, per eos, qui ad id authoritatem habent, limitari: quales sunt qui rem publicam gubernant, quibus incumbit reipub. commoditatibus consulere. D

Ius venandi an iure naturæ sit commune.

II. Dubium. An venatio prohiberi possit per dominos téporales in locis tã propriis, quàm cõmunibus suorum populorũ.

Sed qvid de dominis temporalibus, qui non ob publicam vtilitatem venationem, & piscationem prohibent; sed ob suam propriam commoditatem, vel recreationem, an iustè posSint id subditis prohibere, & quidem in locis, quæ sunt de dominio ipsorum dominorum? Non dubitatur, quin domini posSint venationẽ prohibere, quemadmodùm quilibet alius priuatus potest aliis prohibere, ne in fundum suum ad venandum ingrediantur: vt dicitur Institut. §. feræ. de rerum diuisione. Extra tamen loca propria, in locis, scilicet, publicis, venationem animalium, quæ ad nullius dominium pertinere dignoscuntur, ob propriam vtilitatem, aut recreationem ipsius domini prohibere, non ita iustum videtur: specialiter si generaliter omnium, quæ capi possunt, venatio cum subditorum præiudicio interdicatur; hoc enim non ad principatum, seu iustam dominationem, sed ad tyrannidem potiùs pertinere videtur, cùm in publicum damnum huiusmodi prohibitio cederet. Non enim populus propter Regem aut dominũ, sed Rex, aut dominus propter populum est creatus: & ita propriam commoditatem cum subditorum iactura quærere non debent. E

Resolutio affirmatiua.

Sed nec negandum est, de consensu populi totius quorundam animalium, aut volucrum venationem etiam in locis publicis domino ipsius populi posse appropriari, & ex tunc posset talis venatio cæteris prohiberi. Huius ratio est clara, quia ex quo terra inter populos diuisa est, & vniuscuiusq; populi terra suis terminis est conclusa, illi populo conuenit ius in terra illa venandi, & non extraneis, qui ad populum illum non pertinẽt. Sicut enim terra illa illi populo est appropriata, ita & ius terra illa vtendi, & in eâdem venandi est eidem populo appropriatum. Nec dubium est, posse populum huic iuri venandi cedere, si velit, & illud in Regem aut dominum suum transferre, & eidem appropriare. Prætereà potest vnus de populo iuri venandi, in fauorem alterius priuatæ personæ, cedere: igitur idem poterit in fauorẽ domini seu principis, & hoc idem poterit alius eiusdem populi facere, & alius similiter quicunque: igitur totus populus poterit in fauorem sui domini, ius venandi à se abdicare. Et quemadmodùm hoc venandi ius, potest ex gratiosa, & spontanea populi voluntate, domino ipsius appropriari, ita similiter potest id fieri per viam contractus, vt si in huius recompensam, dominus alia iura seu tributa populo remittat, quæ alioqui ab illis posset exigere. F

Ratio I.

Ratio II.

Ratio III.

Potest tertiò idipsum fieri ob consuetudinem antiquisSimã, de cuius initio nulla est memoria. Ac proinde, si in regno, aut dominio aliquo talis reperiatur cõsuetudo, aut alius titulus ex dictis, quo scilicet dominus terræ solus, aut alij de licentia ipsius, in locis publicis, lepores, cuniculos, perdices, ceruos, aliaq; huiusmodi venantur, nõ est facile talis dominus condemnandus, nec ob id, quòd venationem huiusmodi prohibet, venit ei absolutio deneganda. Nam ius venandi, etsi iure naturæ omnibus conueniat, nõ tamen de necesSitate, quin posSint illo, ob causam iustam, ad tempus, vt laici, vel ad semper, vt clerici, etiam inuiti priuari. Ac proinde falluntur, qui dicunt, hoc venandi ius in publicis locis ita iure naturæ omnibus competere, vt nullatenùs eodem priuari posSint.

Idem à fortiori respondendũ de locis propriis.

Qvod si hoc verum est, loquẽdo de locis publicis, à fortiori erit verum, loquendo de priuatis aut propriis locis, quæ certis dominis sunt appropriata, scilicet, quòd multas ob causas possunt domini terrarum, subditis venationẽ in locis illis prohibere, in quibus ius venandi ipsis solis potest appropriari, vel ex consensu gratioso populi, vel ex vi contractus, vel ex antiquisSima consuetudine, vel ex priuilegio concesso ab eo, qui authoritatem ad illud conferendum habet. Hoc modo videmus in Hispania prohibitam esse à regibus,

A regibus, aliisque multis dominis in certis locis ipsis appropriatis venationem, etiam in ipsorum dominorum vtilitatem & recreationem. Et tunc ob prohibitionem erit illicita, & peccaminosa venatio.

III. Dubium. An venari contra prohibitionẽ sit mortale. Sententia I. negatiua.

AN AVTEM tunc sit peccatum mortale, contra prohibitionem venari, Et dixerunt aliqui, quòd non. Tum, quia ipsa venatio notabile præiudicium non affert. Tum etiam, quia lex, aut statutum, quo aliquid prohibetur, non obligat ad mortale, nisi aliud tale sit iure diuino, aut Canonico prohibitum. Quod tamen non satis cautè nec verè dictum esse arbitror: nam contra solam legem naturę contingit mortaliter peccare, vt docet Paulus loquens contra eos; qui in pura lege naturæ viuentes creaturas potiùs, quàm creatorem adorabant, & crimina nefanda committebant, & contra filios parentibus inobedientes, de quibus & aliis concludit dicens: Qui talia faciunt, digni sunt morte: non solùm qui faciunt, sed qui facientibus consentiunt.

Oppugnatur I. Rom. 1.

STAT ETIAM mortaliter peccare contra legem ciuilem aliquid agendo, etiamsi iure diuino, aut Canonico prohibitum non sit. Vt si Imperator aliquid sub pœna capitis, aut membri mutilationis, aut publicæ flagellationis, seu perpetui carceris iubeat, supposito quod ad id iubendum iusta causa subsit, certum est, huiusmodi pœnas non nisi pro peccato mortali infligi. Idem docet D. Paulus dicens: Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit: nam qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit. Et loquitur illic B de potestatibus secularibus: nam statim addit, timendam esse potestatem non tantùm propter iram, sed etiam propter conscientiam. Non enim sine causa gladium portat. Dicere ergo nil esse peccatum mortale, nisi quod diuina aut Canonica lege prohibitum est, est error. II.

Rom. 13.

Falsum est, nil esse mortale, nisi quod diuina vel Canonica lege prohibitũ est.

Respõsio ad dubium. I.

IN PROPOSITO autem an sit mortale peccatum contra prohibitionem venari, non est dubium, si ad alterius dominium id, quod venatione capitur, pertineat, cùm sit furtum, quod de se mortale peccatum est: quamuis id quod taliter capitur, posset tam parui valoris esse, vt mortale nõ sit. Deinde, esto quòd res sic capta ad nullius dominium antea pertineret, stat huiusmodi venationem mortalem esse, si sub tali pœna prohibeatur, quæ mortalem culpam prærequirit, vt de se satis constat, etiamsi lex illa solùm ciuilis sit. Sed de his vide Codicem de Ieiunio, vbi quædam regula traditur, ad cognoscendum, quando humanæ leges obligent ad mortalem culpam. II.

An capta per venationẽ sint necessariò restituenda.

Supponitur. Animalia &c. iure gentiũ esse communia, & quomodo fiant propria alicuius.

QVIBVS præmissis, breuiter videndum est, an capta per venationem sint de necessitate restituenda. Et pendet quæstio hæc ex alia, an taliter capta pertinuerint priùs ad dominium alicuius, an non. Et quantum ad hoc, ex dictis patet, animalia terræ, & volucres cœli, & pisces maris iure gentium communia esse: fiunt autem propria his, qui primò ea occupauerint. Dicuntur autem ab aliquo occupata & apprehensa, non solùm quando manu alicuius apprehenduntur, sed quando in tali loco ipsius conclusa retinentur, vt non habeant ipsa animalia suam libertatem naturalem eundi, quô velint, C contra voluntatẽ domini loci, in quo detinentur; cùm dominus huiusmodi loci, facilè, si velit, possit ea manu apprehendere, foramina occludendo, ne possint exire. Exemplum est clarum de apibus, quæ in alueo continentur, de columbis, quæ in columbario concluduntur, de ceruis, aliisque animalibus feris, quæ in nemore, aliquo muro aut sepe circumcluso continentur. Iam talia videntur ad dominium ipsius, cuius est locus ille, pertinere; nõ solùm quamdiu sunt intra locum huiusmodi, sed etiamsi inde cum animo redeundi egrediantur. Cum animo autem redeundi egredi dicuntur, quamdiu consuetudinẽ redeundi in eundem locum non amiserunt. Ac proinde, qui talia acceperit, contra domini loci voluntatem, furtum committit, & tenebitur restituere. Quæ omnia satis colliguntur ex Institut. de rerum diuisione. §. feræ. & ex Partita. 3. tit. 28.

Conclusio I.

Conclusio II.

SI AVTEM venatio fiat in locis aliis non ita circumclusis, quin animalia ipsa suam habeant naturalem libertatem eundi, quô velint; vt sunt, quæ nec apprehensa ab aliquo, nec conclusa in loco alicuius sunt; talia efficiuntur ipsius capientis, eò quòd ad nullius dominium anteà pertinere videntur. Et hoc certius est, si in locis publicis venatio fiat, non obstante domini prohibitione.

In quo sit difficultas.

An quod in loco aperto, alicui appropriato, cõtra domini voluntatem quis ceperit, restituere tenentur. Sententia I.

SI TAMEN venatio fiat in loco alicui appropriato, non tamen circumcluso, sed penitùs aperto, esset dubium, an quod illic contra domini loci voluntatẽ captum fuerit, sit restituendum, an pertineat ad dominum loci. Et video nonnullos dicere, ꝙ taliter capta sunt de dominio illius, cuius est locus. Mouetur ex hoc, quia illa animalia in loco illo

naturalem eundi quô velint, non habeant, contra voluntatem domini ipsius loci, qui facilè potest illis viam egrediendi occludere: & tunc dominus loci potest aliis ingressum ad venandum prohibere; & si contra prohibitionem ingrediantur, & aliquid capiant, tenebuntur ea restituere; ex quo dominus loci in casu non modò ad actum venandi, sed ad feras sic inclusas, ius habet & dominium. D

II. Est alius locus proprius quidem alicuius, non tamen circumclusus, sed apertus & patens, ita vt liberum sit feris illic existentibus egredi, & ire quô velint; & tunc dominus loci poterit prohibere, & defendere ingressum ad venandum. Quæ autem capta fuerint ante iudicis sententiam, capientis efficiuntur; secùs post sententiam contra eum de reddendo datam. Et ita per viam restitutionis rem captam reddere in conscientia non tenebitur, quamuis de damno, si quod intulit, teneatur ad sensum dictum.

III. Est tertius locus venationis publicus, seu communis, & in his venationem fieri animalium, & volucrum, à nemine anteà occupatorum, per dominos, ad ipsorum vtilitatem, prohiberi non potest; bene tamen ob causam publicæ vtilitatis seu honestatis, maximè ad tempus, vt suprà diximus. Et si super hoc prohibitio fiat, quod captum fuerit, antequàm per iudicis sententiam fuerit alicui applicatum, ipsius capientis efficitur, nec venit de necessitate restituendum.

Aliud dubium. An qui in locis vetitis venatur satisfaciat soluendo pœnam contra venantes decretam. Sensus quæstionis duplex.

Est tamen dubitatio, an, qui in locis vetitis venatur, satisfaciat soluendo pœnam contra venantes institutam; an vltrà etiam ad reddendum, quod venatione ceperant, in se, vel in æquiualenti teneantur. Et quidem si venatio fiat in locis publicis, aut etiam propriis non circumclusis quæstio locum non habet: quia, vt ex dictis patet, in huiusmodi venationibus nemini fit iniuria, nisi legi, seu legislatori, cuius lex seu statutũ perperàm per venatorem violatur; ac proinde tunc res aliter capta, nisi super hoc sententia feratur, non est in conscientia restituenda, sed satisfacit venator, si pœnam, ad quam fuerit condemnatus, soluat. E

I.

II. Si vero venatio fiat in locis circumclusis, aut etiam extrà; si venatione capiantur feræ ad locum illum pertinentes, videtur talis venatio furtum esse, iuxta ea quæ dicta sunt, & in his habet locum proposita dubitatio. Et videtur quòd venator in casu non satisfaciat pœnam soluendo, nisi etiam ipsum principale restituat, eò quòd omne furtum in conscientia est restituendum; sed venatio in casu est furtum, cùm sit rei alienæ iniusta contrectatio: igitur.

Responsio. Non solũ ad pœnam, sed etiã ad restitutionem tenetur.

Ratio I.

II. Deinde in casu, venator ille legi de non furando, iniuriam fecit, & domino similiter, cuius erant feræ venatione captæ, iniuriam fecit: legi quidem, seu legislatori, quia legem violauit: domino verò, quia rem ipsius eo inuito occupauit. Oportet ergo vtriq; iniuriam passo, satisfacere; domino, rem suam reddendo; legi verò, seu publicæ iustitiæ, pœnæ legis se subiiciendo. Et sicut, si domino res sua restituatur, à pœna legis non manet immunis, si iudex legem exequi velit; ita si pœnam legis soluat, & legi satisfaciat, non inde remanet liber à restitutione, domino per eum damnificato facienda. F

Limitatur data responsio.

Et procedit hoc, excepto nisi dominus læsus, sit pœna legis contentus; siue sit pœna personalis, siue pecuniaria; aut si statuto sit cautum, vt qui talia contra prohibitionem ceperint, non ad aliud, quàm ad pœnam teneantur: nam tunc soluendo pœnã, erit à restitutione facienda liber. Si tamen per statutum id sciri nõ posit, ad consuetudinem in talibus seruari solitam, est recurrẽdum: si enim domini venatione læsi non soleant feram captã, aut eius æquiualentiam petere, sed solùm ad pœnam legis contra huiusmodi venatores agere solent, signum est dominos huiusmodi sola pœna esse contẽtos, ex quo de principali re furtiua non curant. Si verò domini solent de re furtiua contra venatorem agere, vltra pœnam legis, tunc argumentum est, dominos non esse cum pœna contentos; maximè si ex pœna nulla illis commoditas eueniat, vt si sit solùm personalis &c.

Eadem est solutio de iis, qui de alienis locis ligna cædunt, qui piscantur, aut oues pascunt.

Similis dubitatio est de his, qui de monte alieno ligna, absq; domini consensu, scindunt: & de his, qui in loco vetito piscantur: & de his, qui oues in locis prohibitis pascunt, an scilicet satisfaciant per pœnæ solutionem: Dicendum, quòd ad statuta & consuetudinem patriæ in his videatur recurrendum, vt inde constet de voluntate domini læsi, si sit, vel esse debet pœna statuta contentus, vel non: Nam nisi per statuta, aut consuetudinem domini lęsi debitum remitti non constet, generalis regula conscientiæ est, iuxta quantitatem damni dati restitutionem esse faciendam; siue alia pœna ab huiusmodi furibus exigatur, siue non.

Aliud dubium. An custodes huiusmodi locorũ facto iuramento de fidelitate, semper teneantur apprehendere vel denuntiare venatores, piscatores &c. cõtra domini voluntatem.

A ALIA HINC oritur dubitatio de his, quibus custodia locorum, in quibus feræ, aut pisces, aut volucres, aut ligna contra prohibitionem dominorum, seu legum capi solent, commissa est, apposito per eos iuramento, quòd fideliter ea custodient; & quos venari, piscari, aut ligna de monte scindere viderint, apprehendent, & denuntiabunt; an teneantur huiusmodi custodes ad id quod iurârunt, semper, an possint cum quibusdam dissimulare, & dissimulãtes, an teneantur aliqui domino loci seu montis restituere; & si pecunia ad id corrupti sint, an teneantur eam restituere, & cui: Si verò custodes ipsi tempore furti ab aliis perpetrandi se abscondant, & potentes furtum sua præsentia, aut voce prohibere, illud tacendo fieri permittunt, vt fures apprehendant, & ab eisdem pœnam legis exigant, aut recipiant, an teneantur &c.

AD HAEC breuiter dicendum, distinguendo de huiusmodi prohibitione, quia aut facta est iustè ab eo, qui ad id potestatem habet, aut tyrannicè, qualiter nonnulli domini solent in terris suis, etiam in locis publicis venationem prohibere, & piscationem, cùm iure non possint. Si tyrannicè, aut iniustè vetita est venatio, dicendum quòd custodes ad id deputati nec teneantur venantes apprehendere, nec eos denuntiare; non obstante iuramento per eos præstito, quod in casu hoc obligatorium non est; quandoquidem vinculum iniquitatis esse non debet, & in malè promissis fides venit rescindenda. Cùm ergo, secluso iureiurando prædicto, iniquum sit taliter venantes in locis publicis apprehendere, B aut punire, qui iure venandi, per præfatos dominos, inuiti priuari non potuerunt; sequitur custodes ad eos apprehendendos seu denuntiandos non esse adstrictos. Perinde enim esset, ac si iurassent se daturos ensem, venenum, taxillos, ornamenta, aliaque huiusmodi, his quos sciunt illis malè vsuros: aut si quis iuret tyranno illi denuntiare viros, qui ex legitima coniuge prolem habent; aut qui ex arte licita cibum quęrunt, sciens denuntiationis huiusmodi finem, esse illorum punitionem. *Conclusio I.*

SI AVTEM præfata prohibitio legitimè facta est, tenentur custodes suum officium fideliter agere; possunt tamen prædicti custodes aliquando cum venantibus, aut piscantibus, seu ligna scindentibus dissimulare, modò hæc concurrant, scilicet, quòd hi, qui taliter aliena de locis vetitis capiunt, tãta sint necessitate constricti, vt à crimine, seu culpa excusentur. Secundò, quòd eorum necessitas, seu indigentia sit ipsis custodibus nota. Tertiò, quòd non, nisi quantum necessitas exigit, capiant. Ratio primi est, quia si necessitas tanta non sit, quæ eos à culpa furti excuset, digni sunt qui puniantur; ac proinde sunt denuntiandi, iuxta fidelitatem, & iuramentum custodum. Ratio secundi est, quia si custodes prẹfatam necessitatem capientium ignorent, aut etiam dubitent, tenebuntur, propter officium, & iuramentum, eos apprehendere, & denuntiare, quousque necessitas constet. Ratio tertij etiam est nota: quia si vltrà quàm eorũ indigentia postulat, capiant, non erunt à crimine furti immunes, & per consequens nec à pœna.

II. Conclusio. In quibus casibus possint prædicti custodes cũ aliquibus dissimulare.
I. II. III.

QVANTA autem debeat esse huiusmodi necessitas, ob quam possint custodes cum C capientibus dissimulare, non cadit sub regula certa; excepto nisi sit extrema, vel quasi, ita vt vix possint aliter vitam suam, & suorum conseruare: nam tunc dominus ipse deberet in ipsa suarum rerum captura consentire. Similiter quando iustè, aut verisimiliter præsumitur, quòd dominus in huiusmodi rerum captura consentiret; vt si capiens sit amicus, aut propinquus, aut alius, cui dominus ipse gratiam similem faceret, si sciret. Multi tamen sunt, qui si à domino licentiam venandi, & alia prædicta capiendi peterent, eam obtinerent; & tamen si eam non petunt, cùm facilè possint, non ita dominus in venatione per eos facta consentiret; & tales poterunt per custodes apprehendi, & denuntiari.

SI VERO præfati custodes, extra dictos casus, cum quibusdam dissimulent, vt in locis vetitis, si circumclusa sint, venentur, aut de monte alieno ligna scindant, an teneantur domino loci, seu montis tantundem restituere? Respondetur, si certum esset ipsum venatorem, aut lignorum scissorem teneri in conscientia, capta suo domino restituere, non esset dubium quin custodes dissimulantes similiter tenerentur; eò quòd licet ad præfatum furtum non positiuè, sed negatiuè concurrãt; attamen ex officio & speciali obligatione tenentur sua custodia dominum loci illæsum seruare. Si tamen principalis eorum captor nõ tenetur in conscientia, nisi ad pœnam, idq; postquàm in ea condemnatus fuerit, videri posset quòd nec ipsi custodes teneantur per alios capta, ob suam dissimulationẽ, restituere. Pro nunc tamen non dubito custodes in casu teneri de dãno, *III. Conclusio.*

suo

suo domino ob eorum iniquam dissimulationem illato, satisfacere; etiamsi principales captores iuxta statuta, & consuetudinem patriæ, in conscientia ante condemnationem non teneantur. D

Casus in quo custos tenetur de dãno suo domino, etiamsi venator &c. ante condemnationẽ non teneatur.

ET HIC est vnus casus, in quo cùm principalis damnificator in conscientia non teneatur, tenetur tamen concurrens: eò quòd principalis captor diuersa obligatione teneatur ab ea, qua custodes tenentur: nam illi non nisi iuxta statuta, & mores patriæ tenentur; custodes autem tenentur speciali obligatione, ratione officij, ratione fidelitatis, & ratione iuramenti, ad prospiciendum indemnitati præfatorum dominorum. Cùm ergo dominus ex dicta dissimulatione maneat lęsus, sequitur eos teneri; esto quòd principalis læsor in conscientia non teneatur, & etiam, quia dominus iustiùs est contra custodes inuitus, quàm contra principales; quia hi poterant furari in casu cum periculo pœnæ, cui se exposuerunt, nec ampliùs debet dominus ab illis exigere: illi autem nullatenus contra officium, fidelitatem, & iuramentum dissimulare potuerunt. Adde quòd ad id sunt stipendiati, vt fideliter præfata loca custodiant; ideò tenebuntur domino iuxta quantitatem illati damni, aut iuxta quantitatem pœnæ, quæ de iure erat domino applicanda, si ipsi non dissimulassent, & optio erit apud dominum.

IIII. *Conclusio.*

SI DENIQVE custodes cum venatoribus dissimulent, se abscondentes, vt alij liberè vetita capiant, vt ipsi postmodùm eos apprehendant, & puniri faciant, peccant
I. huiusmodi custodes. Primò contra præceptum de corrigendo fratre: non enim minùs tenemur fratrẽ à peccato seruare, ne cadat, si possumus, quàm postquàm ceciderit, E
II. eum à peccato eleuare. Peccant etiam contra fidelitatem, domino loci debitam; quia tenentur damnum eiusdem, prout poterunt, euitare. Peccant tertiò contra charitatem
III. ad proximum habendam, qua tenentur, dum absque propria iactura possunt, illius damnum euitare: modò autem ex præfata dissimulatione hæc omnia accidunt; venatores in peccatum reale incidunt: dominus loci rebus suis iniustè spoliatur: & ipsi spoliantes in pœnam statuti, seu legis contra tales institutam, similiter incidunt, quæ omnia commodè possent per custodes, si dissimulare noluissent, euitari. Ac proinde non sunt à culpa immunes; & si pœna contra venatores apposita sit personalis, aut talis, quæ in commoditatem domini loci spoliati non cedat, tenebuntur domino de damno sua dissimulatione illato; secùs aliâs. Venatoribus autem qui pœnam luent, quam non soluerent, nisi custodes dissimulassent, non tenebuntur de damno, ex quo ipsi huiusmodi pœnam meruerunt. Nec obstat quòd custodes præfati ad prædictum damnum, sua dissimulatione negatiua, concurrerunt, cùm ex officio tenerentur non dissimulare: non, inquam, obstat, quia mutus qui ex officio ad loquendum tenetur, si inde læditur is, ad cuius indemnitatem officium suscepit, tenebitur illi; non tamen aliis, pro quibus tale officium minimè susceperat.

Soluitur obiectio quædam.

De gabellis non defraudandis. F

QVÆSTIO XIII.

SOLET PRAETEREA in gabellarum solutione furtum committi, sicut econtrà in earundem impositione, & exactione multos indebitè grauari: cum quibus qualiter se confessores habere debeant, à multis eorum est dubitatum. Ideò nunc breuiter quædam sunt inquirenda, tam de his qui gabellas imponere, & exigere possunt, quàm de his qui eas impositas soluere tenentur; vt inde pateat, quando in his locum habeat restitutio. Et accipio gabellam largè, vt se extendit ad collectas, tallias, guidagia, syndagia, pedagia, telonia, aliaque huiusmodi, quæ ex diuersitate rerum soluendarum seu personarum, diuersa nomina sortiuntur. Nominibus tamen omissis, apparet gabellam aliquando solui de bonis ab homine possessis, idque iuxta subditorum facultatem, & dicitur collecta: Aliquando de bonis venditis, quam quidem venditor soluit, & dicitur vulgariter, alcabala. Aliquando de bonis emptis, quam emptor soluit, de rebus ad cibum, & potum pertinentibus, & dicitur, assisium. Aliquando de bonis, quæ per certa loca portantur, seu vehuntur, & dicitur vectigal, seu guidagium, seu pedagium. Aliquando de bonis ex mari acquisitis, & dicitur telonium. Aliquando de bonis inuentis; seu aliter conquisitis, quæ varias habẽt nuncupationes. Hæc autem, si iustè imposita sint, soluenda in con-

Generalis acceptio nominis Gabella.
Gabella de varijs bonis solui potest.

A in conſcientia veniunt, ſecùs ſi iniuſtè. Et refert loqui de gabellis nouiter impoſitis, aut de veteribus, de quarum initio nulla eſt memoria.

Vt igitvr, quæ nouiter imponuntur iuſtæ ſint, tria ad minus requiruntur, ſcilicet, authoritas, cauſa, & forma. Authoritatem eas imponendi habet Imperator, Papa, Concilium, & Rex, & antiquiſsima conſuetudo, de cuius initio nulla eſt memoria, vt declarat Innocentius in capit. Super quibuſdam. §. Præterea. de verborum ſignificatione. vbi dicitur; duximus declarandum illa eſſe pedagia, guidagia, ſalinaria interdicta, quæ non apparent Imperatorum, vel Regum, vel Lateranenſis Concilij largitione conceſſa, vel ex antiqua conſuetudine à tempore, cuius non erat memoria, introducta. Idem habetur in ſententia de cenſibus, cap. Innouamus. in antiquis. In hoc tamen locum habet preſcriptio, iuxta communem Doctorum ſententiam; quia multi reges, aut ciuitates, aut populi, aut domini temporales, iura principis in hac re præſcripſerunt, qui poſſunt nouas gabellas imponere, quod quidem ius potuerunt ex antiquiſsima conſuetudine eas imponendi acquirere.

Ad gabellas nouas imponēdas tria requiruntur. Authoritas, & quinam eā habeant.

II. *Cauſa, & qualis nam illa eſſe debeat.*

Secvndvm requiſitum eſt, cauſa. Hæc autem eſt neceſsitas, vel vtilitas publica: non enim talia imponenda ſunt ob principis ſeu domini priuatam vtilitatem, quandoquidem non populus propter regem, ſed rex propter populum eſt inſtitutus. Poſſet tamen tanta eſſe principis aut domini inopia, ſeu rerum penuria, cui communes reditus

B non ſufficerent, qui pro ipſius debita ſuſtentatione poſſet gabellam ſubditis imponere, quod non tam in priuatam domini, quàm totius regni, ſeu in Reipub. vtilitatem redundaret; maximè ſi rex illam inopiam incidit, rem ſui regni vtiliter agendo; puta, ſi in bello pro ſui regni defenſione habito, aliámue ob cauſam, quæ ad regni vtilitatem attineret, in paupertatem incidit.

Vnde si rex bellaturus, aut rem aliam acturus à ſuo regno egrediatur, & inde conſumptis facultatibus in penuriam deueniat, eſt videndum, an neceſsitate, an voluntate ad bellũ proceſſerit: ſi neceſsitate, aut publica vtilitate motus fuerit, vt ad iniuriam ſibi, aut regno ſuo illatam vindicandam, ſeu inferendam impediendam, aut ad hoſtium potentiam extenuandã, aut ad iuſſum, ſeu exhortationem Papę, pro Eccleſię defenſione contra infideles proceſſerit: aut denique ob alias neceſsitates, ſeu cauſas fidei Eccleſiæ, aut regno ſuo conuenientes, ſuas conſumpſerit facultates; vt Regem noſtrum Carolum zelo ſanctiſsimo aliquoties motum eſſe credendum eſt, iuſtum eſt, vt ſubditi contribuant; & tunc iuſtè poterit gabella imponi, & collecta à ſubditis exigi. Si tamen non ſic egreſſus eſt, ſed animo ſcilicet alia regna, ciuitates, & loca ſubiiciendi, aut laudem & gloriam humanam acquirendi, & ſui conatus poſteris memoriam relinquendi, vnde nulla ſuo regno creſcat vtilitas; tunc etſi in penuriam incidat, ſubditi non ita tenentur eidem vltra communes reditus contribuere, ſi ipſe alioqui poteſt ſibi de neceſſariis prouidere. Similiter ſi reditus ſuos inaniter, & non in bonum ſuæ reip. conſumpſerit; aut aliis pro-

C digè donauerit; aut ſi ad bellum progreſſus, temerè in eo ſe geſſerit, & in aliis huiuſmodi caſibus ad egeſtatem deueniat, id illi venit imputandum: nec iuſtum eſt in talibus caſibus nouis exactionibus ſubditos grauare, ſi, vt dixi, ipſe poteſt aliter ſuis neceſsitatibus ſubuenire. Hæc in ſententia Thomæ in Epiſtola ad Duciſſam Brabantiæ.

III. *Forma.*

Tertivm requiſitum eſt forma, qua ſcilicet, omnia debent æqualiter, ſecundùm proportionem geometricam, ſubditis imponi, attenta ſcilicet ſubditorum facultate. Adde huic moderamen: nam non maiores præſtationes debent imponi, quàm cauſa, propter quam imponuntur, exigat; alioqui in ea parte, qua exceditur, iniuſta eſt exactio, ob cauſæ iuſtæ defectum, & exceſſus venit reſtituendus, vt habetur in cap. Quia pleriq;. de immunitate. vbi taliter extorta vltrà quàm cauſa exigat, reſtitui mandãtur, & tantundem pauperibus reddi. His igitur concurrentibus iuſtificantur gabellæ, ſeu præſtationes impoſitæ, & ita iuſtè poterunt recipi, ſicut & imponi; ac proinde quæ ſic fuerint acquiſita, non veniunt reſtituenda. Econtrà verò aliquo ex his deficiente, iniquæ ſunt & iniuſtæ exactiones; & ita nec tutè imponi, nec recipi poſſunt, ſed ſi receptę fuerint, ſunt reſtituẽdæ. Nouas inſuper gabellas, aut pedagia non tenentur homines ſoluere, niſi conſtet ea legitimè, & pro cauſa iuſta impoſita eſſe; alioqui ius ea iniqua eſſe præſumit. Pro quo facit capit. Quanquam. de cenſibus. libro ſexto capitu. Peruenit. de cenſibus. in antiquis, vbi dicitur, quod vt cenſus ſolui debeat, oportet ad quid, & quando ſoluendus ſit, præſciatur.

Tribus prædictis conditionibus concurrentibus gabellæ iuſte recipiuntur: ſecus reſtituendæ ſunt.

An Veteres gabellæ, de quibus nulla est memoria, possint exigi & recipi. Solutio affirmatiua.

De veteribus autem gabellis, de quarum initio nulla est memoria, dicendum quòd dominus potest eas exigere, & recipere. Neque curandum est, quam ob causam fuerint impositæ, nec si cessauerit vel non cessauerit causa, propter quam inductæ fuerint; cùm de earum initio & causa nulla sit hominum memoria: vnde in casu iustè pro recipientibus præsumitur, quòd ob iustam causam, & cum debita authoritate fuerint impositæ. Itaque in his non video causam scrupulos ingerendi, & eos qui in antiquissima consuetudine sunt, & præscripta inquietandi; maximè si eos ab exactione gabellæ præfatæ cessaturos non speratur. D

Obiectio.

Sed forte aliquis obiiciet, quòd quando non constat, quam ob causam, & ex cuius authoritate fuerit aliqua gabella imposita, non potest tutè exigi, non obstante antiquissima consuetudine. Nam cap. Super quibusdam. suprà citatum, videtur declarare quis posit gabellas imponere, dicens in sententia, quòd Imperator, Rex, & Concilium, & qui id ex antiquissima habent consuetudine: modò autem aliud est aliquem habere ius imponédi gabellas, ex antiquissima consuetudine; aliud verò est ius exigendi gabellas. Multi enim domini eas ex antiquissima consuetudine exigunt, & recipiunt, qui tamen eas imponere aut impositas augere non possunt.

Solutio.

Respondetur, imò textus ipse de vtroque videtur loqui, scilicet de gabellarum impositione, & de earum receptione, & in sententia ait, quòd imponi nisi ab Imperatore, Rege, & Concilio non possunt: & nisi ab his impositæ fuerint, aut nisi ex antiquissima consuetudine introductæ sint, iure recipi aut exigi non possunt, cùm sint interdictæ. In quo innuitur, quòd etiamsi non constet, cuius authoritate sint impositæ; si tamen consuetudo eas exigendi, & recipiendi sit adeò antiqua, de cuius initio non constet, iure recipi possunt. Quod est in fauorem multorum dominorum particularium, qui ex antiquissima consuetudine gabellas, collectas, pedagia, aliaq; obsequia in terris suis exigunt, non aliam causam præter huiusmodi antiquissimam consuetudinem habentes, qui non sunt in hoc facilè condemnandi, nisi fortè talis esset exactio, quæ in notabile subditorum grauamen cederet: nam tunc per temporis tractum non esset excusanda talis exactio. E

Dubium. An gabellæ iustè impositæ, obligent in cõscientia debitores; et an defraudantes teneãtur ad restitutionem?

Iam est quæstio, an, postquàm aliquę tales exactiones iustè impositæ fuerint, obligent in cõscientia debitores ad earum solutionem, an posint potiùs subditi, seu transeuntes, salua conscientia eas defraudare, ita vt non teneantur ad restitutionem. Video quosdam Doctores tenere, quod licitè posint homines gabellas, & pedagia salua conscientia defraudare, quodque posteà non teneantur in conscientia eas restituere; eò quòd putent leges de pedagiis, & gabellis, aliisque huiusmodi impositionibus pœnales esse: leges autem pœnales in conscientia non obligant ante condemnationem, vt vulgariter ad id citatur gloss. cap. Fraternitas. 12. q. 2. &c.

Sententia I. Probatur I.

Lex non purè pœnalis.

Ad sciendum autem quando lex aliqua humana in conscientia ad culpam obliget, aut non, sic distinguunt: quia vel lex est præceptiua, & non purè pœnalis, etiamsi pœnam apponat, & tunc quodammodò duo statuuntur: alterum est id, de quo principaliter lata est lex: alterum verò est pœnæ solutio; vt si forma legis sit talis, præcipimus, mandamus, statuimus, &c. vt homo aliquid tale faciat, sub pœna decem aureorum. & ita potest de aliis exemplificari. Et tunc dicunt, certum esse legem illam obligare in conscientia ad id, de quo primò lex ipsa lata est. Est alia lex, quam purè pœnalem esse dicũt, vt si non duo, sed vnum tantùm per eam statuatur, vt si forma talis sit; Qui tale, aut tale fecerit, soluat tantum: aut qui non manifestauerit omnia, quæ in via portat, cadat in cõmissum: vbi non ponitur verbum aliquod præceptiuum, sed sola pœna soluenda: & tunc tales leges non obligant ad culpam. Probant hoc exemplo: si dominus cum seruitore legem fecerit, quòd die qua non affuerit mensæ sui domini, certam partem salarij sibi deputati perdat, nemo diceret seruitorem illum mensæ deficientem peccare, quamuis pœnæ statutæ obnoxius sit. F

Lex purè pœnalis.

II. Probatio.

Resolutio affirmatiua.

Probatur I.

Verum aliter in præsentiarum videtur dicendum, quòd lex, eo ipso quòd lex est & iusta, obligat in conscientia ad culpam, vel mortalem, vel venialem, secundùm condentis intentionem & materiam subiectam, vt alibi explicuimus. Si enim lex est, & iusta, consona est rectæ rationi; ac proinde si legislator intendat per eam obligare, subditi tenentur, alioqui contra legem, & contra rectam rationem, & contra intentionem legislatoris agentes, non peccarent, quod est contra omnem philosophiam moralem, & contra

doctrinam

A doctrinam Christi, qua iubemur, vt nostris superioribus obediamus, prout Paulus apertè dicit: Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Et illis statim docet esse parendum, non solùm propter iram, sed propter conscientiam. Vbi loquitur de potestatibus secularibus, vt constat, cùm dicat; non sine causa gladium portant &c. *Rom. 13.*

DEINDE si lex pœnalis iusta est, iustè igitur pœnam illam statuit: pœna autem iustè nemini nisi propter culpam debet infligi: igitur qui in pœnam legis incidit & iustè, priùs opùs est culpam incurrat veram vel præsumptam, imò veram. Quamuis enim iudex aliquando pœnam infligat, sine culpa vera, sed tantùm præsumpta, seu falsè probata: lex tamen vnde non debet iniuria nasci, culpam veram præsupponit, vt locum habeat pœna per legem statuta; iuxta regulam de excommunicatione à iure, quæ nunquàm ligat, vbi culpa vera non præcessit. II.

PRAETEREA specialiter in præsenti materia patet, culpam esse & contra conscientiam gabellas defraudare; iuxta doctrinam Pauli dicentis: Reddite omnibus debita: cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal: cui honorem, honorem: & nemini quicquam debeatis. Talia etiam Regibus & temporalibus dominis deberi Christus significauit, quando dixit: Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari: & quæ sunt Dei, Deo. Ac proinde qui iustas gabellas, aut pedagia defraudat, peccat, & restituere tenetur. III. *Culpa est & contra conscientiā defraudare gabellas. Rom. 13. Matth. 22.*

CONFIRMATVR hoc idem, quia si subditi non tenerentur huiusmodi tributa soluere, sed tantùm essent sub disiunctione obligati ad ea soluenda, vel se pœnæ contra non soluentes institutæ exponendum: iniustè ergo compellerentur per iudices ea soluere. Iniustè etiam Reges ea exigerent, vel reciperent, si non absolutè, sed sub disiunctione deberentur: nam si debitor ad duo sub disiunctione tenetur, liberum est ei, quod ex illis maluerit, soluere. Iniustè etiam domini temporales tributa huiusmodi his, qui vulgò arrendadores dicuntur, venderent: nam aut vendũt, quod suum est, aut sibi debitum, vel quod alienum est. Si secundum, iniusta est venditio. Si primum, igitur iniusta est harum exactionum defraudatio, & ita intentum. IIII.

B

NEC OBSTANT, quæ pro altera sententia solent afferri. Primùm, quod lex pœnalis non obliget ante sententiam latam: nam in hoc intelligitur de obligatione soluendi pœnam, & verum est. Secùs de obligatione id agendi, quod lege statutũ est. Adde quòd lex de huiusmodi tributis soluendis non purè pœnalis, sed postquàm legitima autoritate sunt alicui appropriata, sua sunt & sibi debita: & per consequens lex naturalis est, quæ dictat & iubet, vt soluantur ei cui debentur, & pœna contra non soluentes apponitur, tanquàm contra eos, qui ea quæ debent, soluere nolunt. *Respondetur ad probationes suprà dictæ sententiæ. Ad I.*

SECVNDO, exemplum quod de seruitore allegatum est, non est simile. Illud enim non dicitur lex, seu statutum superioris subditis datum, sed est pactum quoddam, seu contractus inter dominũ & seruitorem initus, quo seruitor se obligat ad semper mensæ domini pro certo stipendio assistendum; quòd si vnquam defuerat, pro rata de statuto stipendio tollatur. In casu autem nostro non est pactum, vel contractus inter dominum & subditos, sed lex illis tanquam subditis imposita, ad cuius obseruantiam possunt inuiti compelli. *Ad II.*

C

TERTIO, quòd posset aliquis obiicere, est, quia si subditi tenerentur in conscientia huiusmodi tributa soluere, sequeretur quòd si se pœnæ exponant, & pœnam legis incidant & soluant, manerent obligati soluere gabellam omissam: Dicendum, consequens esse concedēdum; nisi is, cuius interest, pœna ipsa contentus sit, vt suprà de his qui fraudulenter in locis alienis venantur, piscantur, & ligna scindunt, dicebamus. *Aliud argumentum pro eadem sententia. Solutio.*

NEQVE TAMEN vniuersaliter nego posse dari legem pœnalem, quę ad solam pœnam & non ad culpam obliget, si scilicet ipse legislator animum ad aliud, quàm ad pœnam obligandi non habeat; qualia sunt multa statuta collegiis, religionibus, atque communitatibus tradita: Talia enim non sunt, pœna peccati, sed sub pœna ipsius legis seruanda, etiamsi id quod fieri statutum est, sit rationi rectæ consonum. Nec enim omnis recta ratio obligatoria est, nec opus est legislatorem aliquid iuxta rectam rationem statuentem, habere animum obligandi absolutè. *Dari potest lex aliqua pœnalis, quæ ad solā pœnam obliget.*

HIC TAMEN videtur notandum, quòd in certis locis, in quibus pedagia seu vectigalia solui solent, transeuntes non plenariè veritatem rerum manifestant, nec ob id indistinctè sunt obligandi ad restituendum, quod suppresserunt. Potest enim pedagiorum collector committere debitoribus, vt ipsimet dicant rerum seu mercium quanti- *Quatenus in soluendis vectigalibus, mercium quātitas sit detegenda.*

 tatem,

I. tatem. Quòd si id illis in conscientia eorum, aut sub iuramento committatur, non du- D
bium, quin teneantur totam veritatem manifestare, & eam nō plenè dicentes peccant,
II. & id, in quo collectorem defraudant, restituere tenentur. Similiter si collector ita illis
veritatem dicendam committat, vt nec sub iuramento, nec iuxta eorum conscientiam
aliquid exquirat; sed simpliciter illis remittit, vt rem manifestent, idque confidens eo-
rum fidelitati, ex qua fiducia non nisi simplicem manifestationem ab eis exigit, tenen-
tur totam veritatem dicere, alioqui peccant, & tenentur integram gabellam soluere, seu
III. restituere. Si autem collector ideò simplicem loquelam ab illis exigit, quia non intendit
ab eis totum debitum recipere, sed illis condonare intendit; quia scilicet amici sunt, aut
viam illam frequentant, vnde frequens lucrum ipsi collectori accrescit, aut ne illi per
aliam viam res suas deportent, aut ob aliam huiusmodi causam: tunc nec tenentur to-
tam rem manifestare, nec occultatum tenentur restituere, eò quòd interuenit collecto-
NOTA. ris expressa, aut tacita condonatio. Caueant tamen debitores à mendacio, quod in hoc
casu frequenter solet interuenire, & si interueniat, peccatum erit: an tamen teneantur
occultata restituere, nécne, ad animum collectoris, cuius interest, est recurrendum, si
scilicet donare intendat aliquid, aut nihil.

De gabellis soluendis, causa earum cessante. E

QVÆSTIO XIIII.

An cessante causa impositarum gabellarum, cesset obligatio eas soluendi.
Sentētia I. affirmatiua.
Argumētum I.

QVAERITVR vltrà, an cessante causa, ob quam fuerunt gabellæ, seu pedagia imposita, cesset ipsa gabella, ita vt non ampliùs sit necessarium eam soluere. Et video passim Doctores dicere, quòd cesset in casu gabella, seu pedagium. Pro qua sententia arguitur,

PRIMO, quia cessante causa, cessat effectus: vt habetur capit. Post translationem de renuntiationibus. Et cap. Cum cessante. de appellationibus. & aliis multis iuribus. Specialiter. l. cum pater. §. dulcissimis. ff. de legatis. 2. vbi est textus ad literam, quòd dictum generale restringatur ad rationem dispositionis, & contra tenorem verborum. Exempli gratia: legauit mulier omnia bona materna fratribus, ne cum auunculis suis quandam controuersiam filius habeat. Quod legatum generale ad ea bona solùm restringitur, quæ communia cum fratribus habebat, eò quòd communitas solet controuersiam párere. Ex ratione enim & causa dispositionis, sumitur notitia intentionis ipsius legislatoris, ad quam potiùs, quàm ad verborum sonum est attendendum: iuxta regulam iuris: in l. non dubium est C. de legi. Nec refert vtrum lex causam exprimat, vel probabili ratione, seu indubitatis coniecturis colligi possit. Quod dixerim propter eos, qui dicunt, quòd cessante causa legis, cessat & ipsa lex, quando causa est in lege expressa: imò si expressa non sit, modò sit probabili coniectura cognita, pro- F
cedit maxima huius rationis.

II. *Matth. 18.* SECVNDO idem patet de præcepto Euangelico, quo tenemur fratrem peccantem corrigere. Cuius causa est, emenda, seu correctio fratris: si tamen constat, nostram correctionem minimè illi profuturam, cessat obligatio illum corripiendi: iuxta illud Augustini, Si scirem tibi non prodesse, non te terrerem, non te admonerem. De pœnitentia *2. Thessal. vlt.* distinct. 7. cap. Si quis autem &c. Ita etiam quod ait Paulus. Denuntiamus vobis, fratres, in nomine Domini, vt subtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinatè. Quod prçceptum communiter limitatur ad rationem prçscriptam, quantum scilicet ad nostram, vel aliorum cautelam, aut fratris reductionem vtile aut necessarium fuerit. Si igitur pedagium, seu guidagium, ob aliquam causam finalem fuit impositum, sequitur, quòd ea cessante, cessat & impositio, atque lex. Et ita si huiusmodi causæ cessatio nota sit hominibus, peccant qui pedagia exigunt, & non peccant qui ea defraudant, nec restituere tenentur.

III. TERTIO idem videtur ex dictis, quia ad hoc, quòd gabella, seu pedagium iustè imponatur, vltra authoritatem, & æquitatem, seu moderamen, requiritur causa legitima, quæ si defuerit, non dubium impositionem esse iniustam, & non obligatoriam. Ac proinde eo ipso quòd causa cessat, locum impositio non habet.

A His tamen non obstantibus, visum mihi aliquando est, & nunc etiam videtur aliter respondere distinguendo: supposito namque quòd pedagium ob certam causam fuerit institutum, certumque sit causam illam cessasse, esset videndum, an causa illa cessauit à paucis annis, qui non sufficiant ad præscribendum ius exigendi & recipiendi huiusmodi pedagium: & tunc cessat obligatio soluendi tale pedagiũ. Quia sicut pedagium, sine causa iusta subsistente, de nouo institui non potest; ita & eadem lex continuari sine causa iusta non potest, alioqui cùm causa, & ratio legis sint anima legis, consequens est, ratione hac & causa cessante, legem ipsam mortuam manere: si tamen causa illa cessauit à multis annis, qui ad præscribendum sufficiunt, & interim pedagium solutum est, tunc licet non vi legis primæuæ, tamen vi præscriptionis veniunt pedagia huiusmodi soluenda; si scilicet tantum sit tempus, per quod causa cessauit, vt de initio cessationis non extet memoria: tunc enim, sicut iustè ob antiquissimam consuetudinem recipiuntur; ita & ob eandem præscriptam iure debentur, nec defraudari possunt, & defraudata sunt restituenda. Hoc enim videtur ex dictis colligi: sicut enim antiquissima consuetudo dat facultatem huiusmodi gabellas, & exactiones imponendi, à fortiori dat facultatem eas ab antiquo impositas, & receptas exigendi, & recipiendi. Et quòd ius eas exigendi sit præscriptibile, patet, quia omnes res & iura præscribi possunt de se, exceptis his, quæ iure excipiuntur, qualia non sunt huiusmodi iura gabellarum. Quòd si id verum est, pedagia scilicet non cessare in casu, quo certum sit causam cessasse; à fortiori erit verum casu, quo de causa impositionis dubitetur, & de ipsius causæ cessatione, cùm sola antiquissimi temporis præscriptio sufficere videatur.

Resolutio bimembris. I. II.

B

Forte contrà quis obiiciet, quòd in præsenti casu præscriptio non habeat locum; tunc quia in tributis publicis præscriptio non currit, vt notare solent Doctores in capit. dilectio. 16. q. 4. §. potest: tum etiam, quia cum mala fide non currit. Si igitur domini temporales, præfata pedagia exigentes, sciunt, causam ob quam fuerunt imposita, cessasse, sequitur eos malæ fidei possessores esse: tum etiam, quia contra ignorantes non currit præscriptio. Cum ergo subditi, vel omnes, vel multi eorum ignorent causam subsistere, sequitur &c.

Obiectio triplex. I. II. III.

Respondetvr, hæc non militare contra propositam responsionem: nam in casu possunt omnia concurrere, quæ ad præscribendum requiruntur, scilicet titulus exigendi præfatas gabellas. Quia licèt de initio illius impositionis non constet, iure & iustè præsumitur ab habente autoritatem factam esse. Secundò, bona fides potest illic concurrere, etiam cognito, quòd causa cessauerit, præsupposito quòd bona fides dicatur ea, qua homo probabiliter credit, se licitè rem possidere, quam possidet; vt posteà, quando de præscriptione agetur, patebit. Tertiò, temporis longitudo in casu non deest, vt suppono. Nec obstat cap. peruenit. de censibus. in antiquis; quia procedit de censibus nouiter impositis. Vide ipsum, & nota gloss. ibidem, quæ huic nostræ sententiæ fauet.

Quid probent allata obiectiones.

C Qvando ergo in oppositum arguitur, quòd in tributis non currat præscriptio, id procedit de debitoribus tributorum, quæ cùm Reipub. debita sint, debitor ab eorum solutione per temporis tractum non excusatur. Secùs autem de iure ea exigendi, hoc enim præscribi potest.

Soluuntur eadem. I.

Qvando secundò dicebatur, præscriptionem non currere cum mala fide &c. eo admisso dicendum, quòd in casu præsenti, esto quòd domini temporales sciant causam impositionis cessasse, possunt bonam fidem habere, credentes se iustè & iure posse talia tributa exigere; si non ob causam primæ impositionis, saltem ratione præscriptionis: quanquam hoc non curreret de illis dominis, qui viuebant eo tempore, quo illis scientibus causa impositionis cessauit, aut paulò ante; currit tamen de successoribus tempore quorum non extat memoria cessationis causæ. II.

Qvando tertiò arguebatur, quòd præscriptio non currat contra ignorantes, eo admisso, in casu nostro procedimus, quando certum est, causam primæuæ impositionis cessasse, ideò obiectio non habet locum. Et esto multi subditi ignorent, an causa subsistat nécne; facilè tamen possunt ab aliis peritioribus, si volunt, informari: quod cùm non velint, perinde est ac si in gabellarum solutione consentiant. Itaque videtur probabilis præfata responsio, quòd scilicet, quamuis causa primæuæ impositionis cessauerit; successit tamen alia causa, qua iure potest, & debet solui gabella præfata, scilicet præscriptio. Adde quòd successu temporis dominorum status & expensæ, & per consequens III.

 necessitas

necessitas crescant, vt vix possint cum antiquis, & propriis reditibus statum suum sustinere: vnde si præfatæ gabellæ, aut tributa illis amouerentur, esset fortè necessarium, subditos per aliam viam aggrauare, aut necessaria ab eisdem exigere, vt huiusmodi necessitatibus dominorum prouideatur. D

Corollarium. COROLLARIE sequitur, non esse opùs iudicem adire ad hoc, quòd subditi, ob cessationem causæ præfatæ impositionis, à solutione pedagiorum huiusmodi sint immunes: nam si à paucis annis causa cessauit, subditi id scientes, tutè poterunt pedagia defraudare, nec tenentur ea in conscientia soluere, absq; iudicis sententia: si autem à multis annis cessauit, de cuius initio non extat memoria, tenentur ea in conscientia, iure præscriptionis soluere, absque etiam iudicis sententia. Quanquam adire iudicem, qui super re sententiam ferat, ad hoc deseruiret, vt sciant subditi, an possint in foro exteriori compelli ad eorum solutionem, an non. Deseruiret etiam, si dubitarent se teneri, aut non teneri ad ea soluenda.

Respondetur ad argumēta I. sententia. *Ad I.* EX HIS patet solutio ad argumenta suprà facta. Ad primum, cessante causa, cessat effectus, procedit de causa præcisa sine qua non; vt si non esset nisi vnica causa ipsius effectus. In casu autem præsenti aliæ sunt causæ superuenientes, vltra causam primam impositionis præfatæ, scilicet, præscriptio, & succedentes dominorum necessitates &c.

Ad II. QVOD IN SECVNDO arguebatur, de præcepto corripiendi fratrem, non est simile; quia in illo vnica datur causa præcepti de corripiendo, scilicet, correctio ipsius delinquentis: ideo si illa non speratur, cessat præceptum pro tunc. E

Ad III. QVOD TERTIO arguebatur, scilicet, quòd huiusmodi gabellæ requirant causam, quæ est publica necessitas: Respondetur, quòd ad gabellas imponendas causa talis requiratur; post impositionem verò, satis est aliam causam legitimam ad eas exigendas concurrere; etiamsi eadem causa primæ impositionis non subsistat, vt in casu.

Aliud dubium. An teneantur pedagia soluere subditi, si domini in assecuratione viarum sint negligentes. Sensus q̄stionis. ALIVD DVBIVM de pedagiis, seu guidagiis, quæ pro viis assecurandis sunt instituta, si domini in viarū assecuratione sint negligentes, an teneantur transeuntes pedagia in conscientia soluere. Loquor de pedagiis & guidagiis iustè impositis, sicut & imponi possunt: nam quamuis dominus temporalis ex officio teneatur prouinciam sibi commissam purgare, & vias assecurare: nam ad id illi communes reditus sunt statuti; stat tamen huiusmodi reditus non semper sufficere, ideò tunc poterit, accedente legitima autoritate, iustè pedagium, aut guidagium imponi, aut etiam ob alias causas rationabiles, & tunc procedit dubitatio. *Sententia I. negatiua.* *Ratio I.* Gabriel, cum Angelo, & Baptista, aliisque multis dicit quòd non, sed possunt ea non soluere, & occultare, modò à mendacio caueant, nec defraudata restituere tenentur. Pro quibus facit ratio suprà facta; quia cessante causa finali legis, cessat lex. Cùm ergo causa legis in præsenti fuit, vt dn̄s vias assecuraret, sequitur &c.
II. Tum etiā, data ob causam, causa non sequuta, repetuntur. ff. de condict. caus. dat. caus. non secū. Pedagia autē præfata dantur ob causam illam, scilicet, vt viæ assecurentur. F
III. Tum etiam, si ex contrahentibus alter id, ad quod ratione contractus tenetur, nō complet, alter erit à debito immunis: in casu autem perinde est, ac si domini cum transeuntibus contraxissent; ille de assecurandis viis, hi autē de soluendis pedagiis. Ac proinde dominis non assecurantibus vias, non tenebuntur transeuntes ad pedagiorū solutionem.
IIII. PRAETEREA domini, qui in viis assecurandis sunt negligentes, non possunt tutè pedagia recipere; sed si acceperint, tenentur ea restituere: igitur nec transeuntes in casu tenebuntur ea in conscientia soluere, ex quo illis dominis negligentibus debita nō sunt. Antecedens probatur à simili: nam clericus beneficiatus suum officium negligens adimplere, non potest tutè reditus beneficij percipere; sed si perceperit, tenetur eos restituere, quos suos ob negligentiam officij minimè fecit. Similiter stipendiatus pro opere aliquo à se agendo, tenetur stipendium reddere, seu restituere, si opus, pro quo fuit stipendiatus, omittat. Vt patet de Aduocato, de cathedratico, & de quocunque alio ad opus aliquod conducto, seu locato &c. Igitur sic erit in proposito.

Oppugnatur p̄dicta sententia. CONTRA horum tamen sententiam, videtur inprimis Doctores suprà citatos non satis sibi cohærere: nam dicunt, præfatos dominos temporales, in viarum assecuratione negligentes, posse pedagia recipere, & ad eorum restitutionem non teneri; & quòd subditi in casu possint talia pedagia non soluere, sed possint ea defraudare, & defraudata non teneantur restituere: & sic videtur tenere Gabriel in 4. Nam quæro, vel

A vel dominus, vt præfertur, negligens habet ius ad exigendum, & recipiendum præfata pedagia, vel non: si sic, igitur transeuntes tenentur ea dominis soluere, nec possunt ea defraudare: si non, igitur domini tenentur, si ea receperint, restituere, ex quo nullo iusto titulo ea recipere potuerunt, cùm nec ratione donationis (quam transeuntes facere non intendunt, quando pedagia soluunt) nec ratione debiti, cùm ea debita non sint.

POSSET igitur, præfatam opinionẽ in parte defendendo, probabiliter teneri, quòd præfati domini possint pedagia recipere, & recepta non teneantur restituere, non obstante quòd in viis assecurandis sint negligentes, nec ob id transeuntes à debito soluendi pedagia deobligentur, eò quòd, vt videtur ex Doctoribus post Hostiensem colligi, & tenet Gabriel, vbi suprà quæst. 8. obligatio domini de assecurandis viis non est cathegorica, sed disiunctiua, qua tenetur diligẽtiam & expensas, si oporteat, apponere, quatenùs viæ sint tutæ, vel in defectum huius transeuntes reddere indemnes, & quodcunque horum faciat, tutus est pedagia recipiendo, & satisfacit debito, quo tenetur. Supponimus enim legem de tali pedagio soluendo iustam esse: obligat igitur dominum, vt vias assecuret, vel si negligens sit, transeuntes reddat indemnes. Transeuntes autem obligat, vt instituta pedagia soluant, & sicut domini diligentiam in viis assecurandis adhibentes satisfaciunt debito, quo tenentur, etiamsi transeuntes contingat spoliari, absq; hoc quòd B huiusmodi damna reparent, ita econtrà si damna reparent, satisfaciunt, etiamsi in viarum assecuratione expensas nõ faciant, nec diligentiam adhibeant. Si tamen nec vnum, nec alterum faciant, non video quo pacto à peccato simul, & restitutione receptorum excusentur, nec video quo pacto transeuntes ad solutionem pedagiorum teneantur, si certum sit præfata pedagia ob causam illam, scilicet, vias assecurandi, esse instituta.

Resolutio affirmatiua. *Probatur* I. II. *Limitatio.*

ET SECVNDVM hoc potest ad priores rationes responderi. Ad primam, scilicet, cessante causa &c. dicendum, vt ad propositum attinet, quòd causa finalis præfatæ institutionis est, vt transeuntes securè possint peregrinari, à periculo spoliationis tuti: cessat autem huius institutionis causa, quãdo cessat periculum rerum & personarum, per viam illam transeuntium, & illo cessante, cessat lex & per consequens pedagium, tam quo ad ius exigendi, quàm etiam quo ad debitum illud soluendi: & hoc cum limitatione suprà posita, scilicet, nisi tam diu anteà periculum cessauerit, vt non extet de initio cessationis memoria. Cessat secundò pedagium quo ad vtrunq;, quando quamcunq; diligentiam dominus pro viis assecurandis apponat, aut expensas faciat, nulla securitas rerum & personarum illac transeuntium speratur. Durante tamen periculo viarum cum sperata seu possibili securitate ob domini diligentiam apponendam, durat lex præfati pedagij, quæ tam dominum, quàm transeuntes obligat, vt suprà dictum est: & tunc negligentia dominorum non releuat transeuntes à solutione pedagij.

Respõdetur ad rationes pro negatiua. *Ad* I.

AD ALIAM, quòd allegatur, data ob causam, causa non sequuta repetútur &c. procedit de his, quæ voluntate dantur alicui, vt iis qui ea accipit, aliquid operetur: non tamen de his, quæ legis necessitate debentur, qualia sunt pedagia, quæ, durante periculo viarum, legis necessitate reddi debent, nec repeti permittuntur, nisi constaret dominum, nec vias velle assecurare, nec transeuntes indemnes reddere. *Ad* II.

C

AD ALIAM de contrahentibus, quorum altero, quod ad eum attinet, non complente, alter est à debito contractûs absolutus. Esto id ita sit, in præsenti tamen casu pedagium non per viam contractûs, sed per vim legis debetur, ideò durante lege, tenentur transeuntes pedagia soluere, prout dictum est, etiamsi dominus expensas in viis assecurandis nõ faciat. Quemadmodùm homines ex prouentibus tenẽtur decimas soluere, etiamsi curatus officium suũ, vti debet, non compleat, vt habetur in cap. tua. de decimis. *Ad* III.

AD ALIAM, quo arguitur à simili quia scilicet, curatus officium negligens non faciat reditus suos &c. dicendum, eo concesso, non esse simile casui præsenti: quia curatus, seu beneficiatus non potest suæ obligationi aliter satisfacere, quàm officium sibi iniunctum adimplendo: ideò si negligit, non fecit fructus suos: Idem de stipendiato pro opere aliquo agendo. Dominus autem temporalis potest aliter suæ obligationi satisfacere, etiamsi expensas & diligentiam non apponat, scilicet, si transeuntes reddat indemnes, ex quo, vt dictum est, disiunctiuè est obligatus, & non cathegoricè, seu absolutè. Accipe exemplum de his, qui merces assecurant, etiamsi diligentiam pro earum assecuratione non adhibeant. *Ad* IIII.

Hæc maxima: Deficiente causa, deficit effectus: in multis deficit. I. SVNT TAMEN qui difficultatem faciant in eo, cui hæ dubitationes positæ innitantur, quod est velut iuris principium, seu regula, scilicet, deficiente causa deficit effectus: contra quod videntur multa militare. Primò, quia lex de ieiunãdo ad subiiciendum corpus spiritui, ne ex carnis rebellione spiritus ad carnales affectus trahatur, aut ad satisfaciendum Deo pro peccatis, statuta est, & tamẽ sunt, & possunt esse multi, qui carnem domitam habent, siue per virtutis exercitium, siue per medicamina, siue per naturalem complexionem, & tamen lex præfata non cessat quo ad illos, sed illam, sicut & cæteri, seruare tenentur. Multi etiam sunt, qui pro peccatis suis alia via plenè satisfecerunt, erga quos non minùs vim habet lex, quàm si non satisfecissent. Adde quòd multi sint, qui in diebus ieiunij vehementiùs à carne tentantur, & tunc caro magis spiritui rebellat, quàm si non ieiunarent: in quibus omnibus cessat causa legis præfatæ, & tamen lex ipsa, & ipsius obligatio non cessat. D

II. PRAETEREA causa, ob quam lege statutum est delinquentes puniri, est eorum culpa: non enim iustè sine culpa possent homines pœnam sustinere; sed per pœnitentiam delinquentis cessat culpa, & tamen non cessat pœna per iudicem infligenda, nec legis dispositio, vt constat. Videmus enim homicidas, fures, hæreticos, aliosque criminosos, propter culpam commissam, de qua tamen penitùs contriti sunt, pœnam legis sustinere.

III. PRAETEREA finalis causa institutionis Baptismi est, vt homo remissionem culpæ originalis assequatur, & innocentiam amissam recuperet; & tamen si homo per veram cordis pœnitentiam remissionem præfatam sit assequutus, similiter & innocentiam, ita vt culpa sit simul & pœna omninò condonata, manet ad huc obligatus Baptismum suscipere. Idem patet de Pœnitentia sacramentali, quæ ad finem assequendi peccatorum remissionem est à Deo instituta, & tamen obligatio eam suscipiendi non cessat, esto quòd homo priùs sit omnimodam remissionem per contritionem consequutus. E

IIII. PRAETEREA decimæ institutæ sunt ob causam sustentandi ministros Ecclesiæ, eidem deseruientes; & tamen curatis suum officium, vti debent, non complentibus, non inde deobligantur subditi à solutione decimarum. Oblationes etiam, ac donationes in Ecclesia à fidelibus fiunt ad hunc finem, vt scilicet, clerici suis sacrificiis, & orationibus Deum placent, & fundatores præfatos Deo reconcilient, & tamen etiamsi clerici Deum non placent, qui in peccato mortali, & indignè sua officia complent, tenentur laici, seu alij ad quos distributio pertinet, clericis bona relicta distribuere.

V. PRAETEREA iudicibus data est lex, vt inter litigantes iudicent, ad finem hunc, scilicet, vt quisque quod suum est, aut sibi debitum, habeat; & tamen testibus falsè deponentibus, cessat causa illa finalis, cùm nõ cessat in iudice obligatio iuxta allegata, & probata iudicandi. Igitur.

VI. PRAETEREA lex coniugij inducta est ad finem procreandi prolem, seu vitãdi fornicationem; & tamen vbi nec speratur proles, nec fornicatio timetur, altero debitum petente, tenetur alter, iuxta legem coniugij, illud persoluere. F

VII. PRAETEREA vota, tempore pestis emissa, ad finem placandi Deum, aut tempore siccitatis ad finem impetrandi pluuiam, aut tempore infirmitatis ad finem sanitatis obtinendæ, aut tempore tempestatis in mari sæuientis, seu alterius periculi notabilis, ad finem illud euadendi, obligant vouentem; etiamsi causa finalis cesset, & nõ subsequatur.

VIII. PRAETEREA si tempore, quo ciuitas est ab hostibus obsessa, iubeat dux, seu custos ciuitatis, ne aliquis ex vrbe egrediatur, ob hanc causam scilicet, ne egressus aliquid aduersariis reuelet, valebit huiusmodi præceptum, aut lex contra omnem egredientem, etiamsi egrediens nil sit aduersariis reuelaturus. Ad hunc modum possent complura alia ad hoc propositum afferri. Ex quibus apparet præfatam regulam, quæ ait; cessante causa &c. nonnihil difficultatis habere, non solùm in materia de pedagiis, sed in aliis multis. Ad hæc tamen & alia huiusmodi non est difficile respondere, si de legibus distinguamus. *Quomodo prædicta solui possint.*

Leges variæ. SVNT enim leges punitiuæ, sunt præmiatiuæ, sunt etiam quæ ad virtutum actus homines alliciunt; sunt verò quæ ad Deum religiosè certo modo colendum sunt institutæ: aliæ denique sunt, quarum finis est homines ab illicitis reuocare. Et in his causa ipsarum legum non momentanea est, sed continua, quandoquidem semper conuenit homi-

A hominesà malo abstinere, & bonum operari, Deum religiosè colere, & ipsum placare, atq; eum gratum & acceptum habere: ideò talium legum obligatio nõ cessat, esto quòd effectus per eas intentus non semper subsequatur, satis est, si frequenter eueniat, quodq; semper euenire posit, si velint homines, prout conuenit, viuere.

ALIAE SVNT leges & præcepta, quæ data sunt ad aliquem particularem finem, per quas intenditur talis, aut talis finis subsequutio, idque principaliter, aut præcisè, & tunc illa causa cessante, cessabit & lex. Tale est præceptum de corripiendo fratrem delinquẽtem, per quod id solum intenditur, vt frater corrigatur: ac proinde si talis finis intentus, nullatenùs ex correctione speretur, aut si iam sit in esse positus, tunc cessat obligatio huiusmodi præcepti de fratre corripiendo. Talis est lex de soluendis certis pedagiis, vel asisiis, ad finem particularem præcisè instituta, scilicet, ad reparandos muros ciuitatis, aut pontem ædificandum, aut vias stratas præparandum, aut aliis huiusmodi publicis necesitatibus occurrendum, quibus non stantibus, leges huiusmodi latæ non essent: tunc quidem cùm finis intentus fuerit in esse positus, aut si nullatenùs per illud medium speratur, cessat lex de tali medio lata. Cuius ratio est aperta, quia legislator in huiusmodi casibus non intendebat homines ad talia media obligare, nisi ob causam, finem intentum obtinendi.

In quibusdã legibus ac præceptis supradicta maxima verificetur.

ALIAE VERO sunt leges ad certum finem particularem datæ, sed non præcisè, sed B etiam ob causam aliã, & tales non cessant, esto cesset causa illa particularis, qualis est lex de suscipiendo Baptismum, aut pœnitentiam: quæ quamuis ad hunc finem particularem sit instituta, scilicet, vt homo veniam consequatur, sed non solùm ob id instituta est, sed etiam vt Deus colatur, & Deo satisfactio fiat: Sacramentorum enim susceptio ad cultum Dei pertinere dignoscitur. Similiter lex de soluendis decimis ad finẽ sustentandi Ecclesiæ ministros est data, sed nõ solùm ob id, sed etiam in recognitionẽ dominij vniuersalis, quod Deus in omnibus rebus habet. Et ideò quamuis vna causa particularis cesset, quãdiu altera manet, manet & lex. Ita etiam in lege de reddendo debitũ coniugale, quamuis finis ipsius sit susceptio prolis, seu fornicationis vitatio, & aliquando cesset huiusmodi causa, non ideò tollitur obligatio reddendi, eò quòd manet alia causa, scilicet, vnicuiq; esse reddendũ, quod suum est: modò viri corpus ad ius pertinet vxoris, & ecõtrà. Similiter de voto emisso ad hunc finẽ particularem, scilicet, vt vouens assequatur aliquid, quod optat, etsi hoc cesset, manet tamen alia generalis causa, scilicet, vota & promissa esse Deo reddenda. Quod est de iure naturæ, & diuino. Et per hæc patet ad exempla suprà dicta.

Quare in supradictis casib⁹ deficiat illa eadẽ maxima.

De immunitate clericorum à solutione gabellarum.

QVÆSTIO XV.

C ALIVD PRAETEREA inquirendum est, an clerici, seu personæ Ecclesiasticæ teneantur ad exactiones præfatas, per potestatem secularem impositas, sicut laici. Et responsio est certa quòd non: quia Ecclesiæ & personæ ecclesiasticæ, quales sunt omnes qui ordinem aliquem susceperunt, etiamsi solam tonsurã primam acceperint, & omnes religiosi, & religiosæ, simul & res eorũ sunt à potestate, & seruitute laica exemptæ, nec laici possunt de illis, nec de rebus illorum censum, aut tributum aliquod exigere & recipere, vt est textus in cap. non minus. de immunitate Ecclesiarum. & in cap. aduersus. ibidem. & cap. quanquã. de censibus in 6. & in aliis innumeris locis, vbi pœnę & censuræ cõtra laicas potestates infliguntur, si huiusmodi impositionibus personas ecclesiasticas, aut res eorum grauauerint. Excepto ob publicas necesitates laicis & clericis cõmunes: quia tunc debent & ipsi subuenire, idq; cõcurrentibus duobus, scilicet, si laicorũ facultates non sufficiant, & Episcopus consulatur, quanquàm secundùm iura ciuilia id non voluntati clericorum aut Episcopi relinquatur, sed vtrisq; necesitas imponitur, clericis vt cõtribuant, Episcopis autem, vt clericos contribuere nolentes compellant. l. 54. Partita 1. titulo 6. Similiter si negotia exercent, scilicet emendo aliqua, quæ immutata posteà vendãt, tenentur tributum soluere, sicut laici, quòd vulgò dicitur Alcauala, similiter & pedagium: quia clerici negotiantes in his æquiparantur laicis. cap. quanquam. de censibus. lib. 6. & per consequens, si huiusmodi tributa defraudent, tenentur restituere, sicut laici. Verùm de his vide Summistas.

An personæ Ecclesiasticæ teneantur ad soluẽdas gabellas. Solutio negatiua.

Limitatio prædictæ solutionis.

EST

Dubium. An eiusmodi exemptio clericorum sit iuris diuini vel humani. Est tamen in præsenti dubitatio communis, an clericis competat huiusmodi exemptio de iure diuino, an humano: nam ius Canonicum ait, quòd iure diuino id illis cõpetat. cap. quanquã. de censibus. in 6. Ius verò ciuile, quòd ab Imperatoribus, & aliis dominis secularibus est illis huiusmodi exemptio cõcessa. l. quinquagesima, Partita & titu. suprà citatis. Quòd aũt iure diuino sint clerici ab huiusmodi tributis simul & potestate laica exempti, probant primò ex eo, quod habetur Genes. ca. 47. vbi legitur, quòd Ioseph subiecit omnem terram Ægypti cum populis, & terminis suis regi Pharaoni: exceptis sacerdotibus cum terra sua. Et sequitur, quòd ex tunc factum est velut in legem, vt cũctus populus tributum solueret, exceptis sacerdotibus. Quòd autẽ id fuerit à Ioseph dictum, Domino pronuntiante, apparet ex cap. Tributum. §. quamuis. q. 8. D

Quod iure diuino probatur primò.

II. Secundo, afferunt quod habetur 1. Esdræ 7. vbi legitur, sacerdotes, Leuitas, ianitores, cæterasq; personas ecclesiasticas à tributis esse exemptas.

III. Tertio, afferunt quod legitur in Psalmo 104. Nolite tangere christos meos, &c. vbi per christos, sacerdotes videntur intelligi, christus enim vnctum significat.

IIII. Qvarto, afferri potest, quod de sacerdotibus in Exodo & Leuitico scriptum est, quòd Deus elegerit eos in obsequium suum; & Deo oblati sunt, & consecrati, ac proinde non debent potestati seculari esse subiecti. Facit ad hoc cap. duo. 12. q. 1. Pro quo etiam facit, quod legitur Numer. 18. Decimas & primitias dedi filiis Leui, vt seruiant mihi in altari. In quo innuit Dominus, se eos in suum seruitium elegisse, & per consequens eos à seruitute aliorum hominum exemisse. Vnde Hieremias Threnorum 1. præuidens Ecclesiæ subiectionem, deplorat, dicens: Princeps prouinciarum facta est sub tributo. Et citatur cap. non minùs. de immunitate Ecclesiæ. E

V. Qvinto afferunt ex nouo Testamento, quod Christus dixit, quando census ab eo exigebatur, dicens: Reges terræ à quibus accipiunt tributum, à filiis suis, an ab alienis? Respondit Petrus, ab alienis. Concludit Christus, dicens: filij ergo liberi sunt. Ne autem eos scandalizemus, vade, & stateram quam in pisce repereris, solue pro te, & pro me. Vnde apparet Christum, & Petrum, qui caput est Ecclesiæ, ac proinde totam Ecclesiam liberos esse à tributis Cæsari, seu domino temporali soluendis.

VI. Sexto facit ad id cap. si Imperator. 96. d. vbi Ioannes Papa decernit, Imperatorem non iudicem aut præsulem Ecclesiæ esse, sed filium. Et pòst: Ad sacerdotes Deus voluit, quæ Ecclesiæ disponenda sunt, pertinere, non ad seculi potestates, quas Ecclesiæ suæ sacerdotibus voluit esse subiectas. Et pòst: Non à legibus publicis, non à potestatibus seculi, sed à pontificibus & sacerdotibus omnipotens Deus Christianæ religionis clericos & sacerdotes voluit ordinari, & discuti, & recipi de errore remeantes. Et ibidem cap. nunquam. decernitur, non esse humanarum legum de pontificibus ferre sententiam, absque Ecclesiæ constitutis. Præterea 11. q. 1. in cap. relatum. decernit Alexander Papa, omnia negotia Ecclesiarum ad sedem Apostolicam ab ipso domino traditam esse, *Matth. 16.* ipso dicente: Tu es Petrus, & super hanc petram &c. Similiter ibidem in cap. Placuit. & F est Concilij Carthaginiensis, decernitur, clericum à laico iudicari non posse. Et pro causa traditur, cùm priuatorum etiam causas Apostolus ad Ecclesiam deferri, atque ibidem determinari præcipiat. Et iterum sunt ibidem alia decreta Patrum, dicentia clericos à laicis iudicari non debere, sed honorari à regibus. cap. Sacerdotibus. Et cap. Continua &c. vbi legitur, Constantinum Imperatorem de clericis dixisse: Vos à nemine iudicari potestis, quia ad Dei solius iudicium reseruamini. Ex quibus apparet clericos non humana dispositione, sed diuina ordinatione à potestate seculari exemptos esse ipsos, & res ipsorum.

Resolutio. Non esse iuris diuini, sed tantùm humani. Interim tamen, quòd alia fundamenta efficaciora non occurrunt, videtur oppositum esse verum, scilicet, quòd non sit de iure diuino, post legem veterem abolitam obligante, clericos seu personas Ecclesiasticas à potestate seculari esse exemptas: sed hanc exemptionem dicerem clericos ex concessione potestatis secularis obtinuisse & obtinere. *Probatur primo ex veteri lege.* Id apparet primò, quia tempore legis veteris, aut legis naturæ primogeniti erant sacerdotes, & ad cultum Dei, atque sacrificia, & rerum oblationem dedicati; non tamen ob id erant à suis maioribus (siue reges essent, siue iudices) exempti, quando nondum erat aliquis summus sacerdos institutus, cui reliqui essent subiecti. Et quanquã de hac re pro tempore legis naturæ Scripturam non habeamus apertã; ratio tamen ipsa docet, antequàm potestas ecclesiastica à seculari esset distincta, eisdẽ legibus tam hos, quàm illos

A illos fuisse subiectos. Tempore etiam legis scriptæ, quamuis Dominus inter hos, & illos quo ad officium, & rerum seu terrarum possessionem differentiam fecerit, eò quòd Leuitas & sacerdotes voluerit sacra tractare, & solis decimis & primitiis, aliisque Deo oblatis debere esse contentos, attamen viuente Moyse, illius indicio cæteri omnes, tam qui ex Leui, quàm qui ex aliis tribubus descendebant, erant iudicandi. Nec in hoc videtur repugnantia aliqua, scilicet, quòd nonnulli essent specialiter ad spirituale ministerium deputati, & tamen quòd in ciuilibus, imò & criminalibus possent per laicos iudicari; maximè si leges seculares tales essent, quòd omnes obligarent: nam tunc ad huiusmodi legislatores attineret, præuaricatores ipsarum legum punire. De quo 11. q. 1. cap. Sicut.

QVOD si ad legem nouam, & ea quæ post eius aduentum legimus, deueniamus, apparet Christum, qui omnium caput est, Pilato fuisse subiectum, eumq; in illum potestatem habuisse, dicente Christo: Non haberes potestatē in me vllam, nisi tibi datum esset desuper. Paulus etiam, cùm causam suam, non vti debebat, tractari videret, ad Cæsarem appellauit, à quo se iudicari oportere dixit: Idem etiam ait: Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Qui cùm omnem animam dicat, neminem etiam clericum excipere videtur: quinimò omnes inferiores, principibus, & regibus secularibus subiectos esse significat, cùm apertum sit, Paulum illic de potestatibus secularibus esse B loquutum. *Probatur secūdo ex noua lege.* I. *Ioann. 19.* *Actor. 25.* *Rom. 13.*

DEINDE ius positiuum non dissoluit obligationem naturalem, aut diuinam, quæ præerat, sicut nec lex Euangelica debita priùs contracta tollit, siue sit debitum carnis, siue debitum pecuniarium, siue seruitutis, siue alterius obedientiæ. Hoc patet de seruo, qui ad fidem conuertitur, Baptismus non reddit illum à seruitute priore liberum, vt docet Paulus, & Petrus: Similiter debitum coniugale per Baptismum subsequentem non tollitur: Baptismus enim, vt ait Ambrosius, peccatum tollit, non coniugium. Debitum etiam pecuniarium per Baptismum, aut legem Christi de nouo susceptam, non tollitur, sicut nec per sacerdotium, aut alium ordinem posteà susceptum. Ac proinde nec debitum subiectionis & obedientiæ, quam quis alteri certa speciali lege debet, tollitur, eo ipso quòd quis ordinem clericalem accipit, nisi maiorum authoritate interueniente. II. *1. Cor. 7.* *1. Pet. 2.*

Præterea si per ordinem liberaretur eo ipso homo à seruitute, in qua erat priùs, maximè esset, quia per ordinem homo dedicatur specialiter cultui diuino, & per consequens, eo ipso eximeretur à seruitute alteri debita: sed hoc nó, quia tūc à fortiori vxoratus, si ordinem suscipiat, eo ipso eximeretur à seruitute, qua tenetur vxori debitum reddere postulanti: cùm hoc non minùs diuinum cultum impediat, quàm seruitus seu subiectio, qua homo homini subiectus est. III.

DENIQVE hac ratione vnica videtur tenendum quod dicimus: quia scilicet nil debet dici esse de iure diuino, quod ex ipso iure diuino ostendi non posit. Cùm ergo præ-C fata clericorum exemptio non posit ex iure diuino ostendi, sequitur &c. Id patet, quia maximè ex his, quæ ante oppositum sunt allegata, sed illa nil probant. Patet ad ea respondendo. IIII. *Respōdetur ad argumenta cōtraria.*

AD PRIMVM, esto Ioseph omnem terram Pharaoni tributariam fecerit, excepta terra sacerdotum, non inde fit, vt iure diuino sint sacerdotes exempti: quia quod Ioseph statuit, non fuit diuinum, sed humanum ius. Non enim videtur, quòd Deus iure statuerit, vt sacerdotes Gentilium, qui idòlis sacrificabant, hāc immunitatem & exemptionem haberent, quam minimè merebantur. Fuerunt igitur immunitatem adepti, Ioseph ordinante, & rege approbante seu confirmante. *Ad I.*

AD SECVNDVM, de Esdra citatum, ex ipso textu apparet similiter regem Artaxerxem gratiam illam sacerdotibus, ac Leuitis illius populi fecisse, vt nec vectigal, nec tributum aliquod illis imponeretur in gratiam ipsius Esdrę. *Ad II.*

AD TERTIVM, ex Psalmo citatum dicendum, quòd illic ad literam non de sacerdotibus solùm loquatur, sed de toto populo ipsius Dei, quando duxit eos in terram promissionis per multa bella, contra impios reges habita, quos & Deus ipse puniuit & destruxit, vt suum populum saluaret, quem Christus suos appellat; quia ab eo erant electi, & vnctione suæ gratiæ vncti, in quibus etiam erat implicita fides Christi venturi, ideò dicebat eos Christos suos suos. Vnde patet, id impertinenter citari, ad probandam clericorum immunitatem. *Ad III.*

AD QVAR-

Ad IIII. AD QVARTVM dicendum, quòd esto Deus Leuitas in suum seruitium elegerit, vt scilicet in templo ministrarent, non sequitur, eos omninò à potestate seculari cum rebus suis esse exemptos: quia stat bene, vt de multis potestati seculari subditis, nonnulli determinati, sint ad spirituale ministerium deputati, & non alij, salua subiectione potestati seculari debita. Quemadmodùm bene cohæret, quosdam ex vasallis regis esse ad eius domus seruitium aliquod deputatos, & quòd si furantur, vel homicidia & alia flagitia perpetrent, veniant per iudices alios iudicandi. Excepto, nisi rex ipse eos omninò à cæteris iudicibus exemptos faciat. Et quod ex I. Threnorum citatur, scilicet, Princeps prouinciarum facta est sub tributo, parùm ad propositum confert: quia ad literam illic loquitur Hieremias de ciuitate Hierusalem, quam prophetabat à gentibus conculcandam, & tributis, aliisque miseriis subiiciendam, sicut & adimpletum fuit: & ita non de clericis tantùm loquebatur. Adde quòd quando deplorabat principem prouinciarum fore tributariam, non de tributo legitimè imposito loquebatur, sed de tyrannicè, & per violentiam post crudele bellum imposito: cum quo stat, quòd clericis posit à suis legitimis regibus tributum aliquod imponi, nisi iura humana reclamarent. D

Ad V. AD QVINTVM, illud videtur in se difficultatem habere: Primò, quia in colloquio illo, quod Christus cum Petro habuit, non se habuit velut instituens clericorum immunitatem, sed argutiuè visus est colligere, quod prætendebat; id autem potuit colligere ex humanis legibus, seu ex more & consuetudine inter homines vsque tunc obseruata: sic enim, vt quod volebat inferret, dixit: Reges terræ à quibus accipiunt tributum, à filiis suis, an ab alienis? Vnde patet, ex consuetudine seu more fuisse Christum argumentatum. Deinde cùm intulit, filij ergo liberi sunt, scilicet, à tributo, esset dubium, an loqueretur de filiis regum temporalium, an de filio Regis æterni. Et vtcunque sit, nec Petrus, nec alij clerici sunt filij regis temporalis, aut æterni, vnde illis hæc immunitas debita sit. Sed quantum ad loci huius intelligentiam attinet, aliâs copiosiùs. E

Ad VI. AD SEXTVM, quod ex Patrum decretis sumptum est, dicendum, quòd non apparet, vbi, & quando dominus personas Ecclesiasticas à potestate seculari in personis & rebus exemerit: constat tamen in veteri lege Dominum quosdam ex suo populo, puta eos, qui ex tribu Leui erant, in sui obsequium, ac ministerium elegisse, diuersamq; fuisse pontificum & regum potestatem, ac iurisdictionem, diuersaq; huius & illius potestatis officia fuisse: nec dubitandum est, huiusmodi differentiam à Domino, vel institutam, vel potiùs approbatam fuisse. Verùm demus id ita tempore legis illius fuisse obseruatum, non inde fit, vt in lege Euangelica hoc ipsum sit de iure diuino necessariò obseruandum; eò quòd sicut cæremonialia præcepta illius legis, ita & iudicialia, per aduentum nouę legis, cessauerunt. Ac proinde in hoc punčto ad legem Euangelicam esset recurrendum, in qua tamen non videmus Christum clericos à potestate seculari exemisse. Itaque si Patrum decreta dicunt, Domino disponente, & iure diuino statuente, clericos esse exemptos, referatur id ad veterem legem: quemadmodùm de decimis decreta Patrum definiunt, esse de iure diuino soluendas, Quòd si quo ad quotam intelligatur, referendum est ad tempus legis veteris, cùm tamen in lege noua decima quo ad quotam cessauerit. Similiter & Patrum decreta dicunt, de iure diuino vetitum esse in secundo gradu consanguinitatis, aut affinitatis contrahere: quod ad legem veterem relatum, verum est; in lege autem noua hæc omnia iudicialia cessârunt. In multis tamen quæ in lege veteri à Domino erant disposita, Ecclesia legem illam imitatur, ex diuina illius temporis ordinatione exemplum sumens, & illa solent dicere esse de iure diuino. Ea etiam quæ pontifices allegant pro personarum Ecclesiasticarum libertate, non adeò apertè sententiam illam probant, vt refelli tanquam impertinentia non posint; sed quia quodammodò videntur ad hoc ipsum alludere, citantur. F

Quomodò dici queat, clericos iure diuino statuente ab exactionibus esse exemptos.

Clericos ab omni laicorũ potestate exẽptos esse ex Imperatorum cõcessione probatur.

VIDETVR igitur in quæstione præsenti Imperatorum concessionem potiùs, quàm legis diuinæ institutionem locum habere, etiamsi rationi consentaneum sit, clericos in Dei sortem electos ab omni tributo laicis soluendo, simul & à potestate seculari exemptos esse debere. Vnde de multis Imperatoribus legitur, quòd hanc immunitatem personis Ecclesiasticis dederint, vt Constantinus, & Constans, & Iustinianus. C. de sacrosanct. Ecclesi. l. Sancimus. Hoc idem legitur in Concilio Parisiensi, à regibus Ecclesiam obtinuisse, vt habetur in cap. Tributum. & cap. Secundum. 23. q. 8. & in multis iuribus tam canonicis, quàm ciuilibus: vtcunque autem sit, certum est, personas Ecclesiasticas ab exa-

A ab exactionibus laicorum esse immunes, exceptis excipiendis. Ac proinde nec tenentur pedagia, nec vectigalia, nec assisia soluere, nec in domibus suis hospites dominorum temporalium admittere. Si autem oppositum illis inuitis fiat, aut non habito Romani Pontificis consensu, ad tyrannidem pertinere videtur.

ALIVD dubium de forensibus, an teneantur, sicut & subditi ad gabellarum solutionem. Similiter vectigalia an sint debita pro rebus, quæ ad vsum vehuntur. De assisiis etiã seu gabellis, quæ in vino, & carne solent imponi, esset dubium an sint iusta: habent enim hæc specialem difficultatem; & videntur iniqua. Primò quidem, quia quamuis domini possint gabellas subditis suis imponere, quę collectæ solent nuncupari, & si iustè ponantur, sunt per subditos soluẽdæ: Forenses tamen, cùm subditi non sint, sicut nec cæteri peregrinantes transeuntes, non ita apparet eos, sicut subditos ad solutionem teneri. *Aliud dubium. An forenses teneantur ad solutionẽ gabellarum. Ratio I. negatiua.*

DE VECTIGALIBVS etiam super rebus, quę ad vsum vehuntur impositis, ratio iniquitatis apparet, vt arguit Caietan. in Summa, quia tunc accideret vt plurimũ, quòd qui pauperiores sunt, plus contribuerent, quàm qui ditiores: quod in se videtur iniquum: Et sequela patet, quia illa quæ vehuntur ad vsum, non nisi ob indigẽtiam vehuntur, & ita qui plus indiget, plus vtitur, & pluries, & ita plus soluit: onera autem debent ęqualiter secundùm proportionem imponi. Adde quòd secundùm leges ciuiles pœnâ capitis plectuntur, exigentes pro his, quæ ad vsum feruntur. C. de vectigalibus. l. vniuersi. II. *An vectigalia sint iusta pro rebus ad vsum cõportatis, imposita.*

B DE ASSISIIS seu gabellis, quæ in vino & carne solent imponi, similiter apparet ratio iniquitatis: Tum quia illa ementes, non nisi ad vsum ea emunt, vt sibi & suis de vitæ necessariis prouideant: igitur non minùs iniqua sunt huiusmodi assisia, quàm vectigalia in rebus ad vsum deportatis imposita. Tum etiam, quia per huiusmodi assisia fit, vt ditiores minus contribuant, quàm alij indigentes, eò quòd multi sint, qui vina & carnes & alia necessaria in suis propriis bonis habent, vt non sit illis opùs ea emere, & tales assisium non soluunt, alij autem rebus illis indigentes, soluunt. Tum etiam, quia per hoc contigit, non solùm subditos, sed etiam extraneos, & transeuntes talia assisia soluere. Similiter & clericos, & scholares exemptos, & vbi est magna scholarium copia, accidit, vt ipsi longè plus soluant quàm naturales, quibus suæ reip. necessitatibus subuenire incumbebat, non extraneis nec exemptis. III. *An ea, quæ in vino & carne imponũtur sint etiam iusta.*

VERVM cùm in his & similibus locum habeat præscriptio, vt suprà dictum est, si talis & tanta consuetudo gabellas huiusmodi exigendi, & easdem soluendi viget, de cuius initio non constat, ego eis qui hæc exigunt & recipiunt, vt suprà dicebam, scrupulos nõ ingererem, nec ad restituendum accepta compellerem, nec restituere nolentibus absolutionem sacramentalem denegarem. Secùs si essent nouæ impositiones in loco aliquo introductæ: nam tunc opùs est, cõditiones, quas suprà posuimus, obseruare, vt huiusmodi nouæ gabellæ iustè imponantur, & ab omnibus solui debeant. *Resolutio.*

PER HAEC patet ad dubia proposita, de forensibus, qui dicuntur hi, qui ad forũ res C venales aliunde afferunt, dicendum, quòd tenentur, de his quæ vendunt, tributa assueta soluere, non tamen tenentur ad collectas, quia hæ solis subditis veniunt imponendæ, in quarum impositione habẽdus est respectus ad bona, quæ quisq; subditorum possidet, & secundùm portionem bonorum, eisdem collectæ quantitas debet imponi: alioqui iniustè imponentes, tenebuntur restituere his, quos plus æquo grauauerunt. *Soluuntur rationes in cõtrarium allata. Ad I.*

AD ALIVD de vectigalibus, quæ rebus ad vsum portatis ponuntur, fateor illa inhumana esse, & meritò per ius reprobata, possunt tamen in certis casibus iustificari. Primò, si tanta sit necessitas reipub. subueniendi, vt alia remedia sine hoc ad reipub. conseruationem seu defensionem minimè sufficiant: nam tali necessitate existente, non solùm res, sed personam & vitam deberent homines pro sua repub. exponere, quod longè maius est, quàm de rebus, quæ ad vsum afferantur, aliquid soluere. Secundò, videtur rem posse excusari, si ex consensu totius communitatis statuatur, vt de huiusmodi rebus, quæ ad vsum vehuntur, aliquid soluatur, sed tunc huiusmodi obligatio non se extendit, nisi ad ipsos consentientes, qui ad communitatem illam pertinere noscuntur: nil enim obstat, quo minùs possint homines spontè sibiipsis onera imponere. Potest tertiò excusari, si locus, per quem res sunt vehendæ, adeò sit periculis expositus, vt vix possint homines nec in rebus, nec in personis tuti transire: & tunc pro assecurãdis viis, personis, & rebus, non videtur iniustum de se, aliquid de rebus, quæ ad vsum vehuntur, cõtribuere. Excepto, nisi personę sint adeo pauperes, & miserandę, quibus ex debito charitatis sit à po- *Ad II. Quaten⁹ vectigalia pro rebus ad vsum cõportatis imposita, possint esse iusta.* I. II. III.

tentioribus subueniendum: talia enim vectigalia in casu iustè possunt ab eo qui habet au- D
Obiectioni respõdetur. thoritatem imponi, & iustè exigi & recipi poterunt. Nec obstat, quòd qui ditiores sunt rebus deportandis non indigentes, minùs quàm hi qui indigent soluant: quia in hoc casu non nisi transeuntibus, seu res aliquas vehentibus vectigalia imponũtur, eò quòd propter vehentium assecurationem, non propter quiescentium sunt ordinata. Potest præterea quartò res excusari ob antiquissimam consuetudinem, de cuius initio non extat memoria, quæ etiam principibus scientibus & consentientibus est obseruata. Excipio semper casum notabilis paupertatis ipsorum, qui res ad vsum vehunt.

Ad III. AD ALIVD de asisio, quod lingua Hispanica dicitur, sisa, dicendum, quòd si de nouo debeat alicubi imponi, iustum est vt ad illa omnia, quæ dicta sunt, habeatur respectus. Et si directè & immediatè prætenditur bonum illius reip. nõ deberet exigi, nisi à ciuibus illius populi: si verò ad aliorum etiam vtilitatem pertineret, posset ab aliis similiter exigi, si tamen tam antiqua consuetudo est asisium imponere absq; personarum discretione, non auderem rem condemnare: maximè si consuetudo in populis inuicem obseruetur, vt scilicet asisium soleat exigi ab ementibus ad alium populum pertinentibus; & ecõtrà in illo alio populo exigantur ab his, qui ad hunc populũ spectant. Deniq; quod in huiusmodi gabellis attendendum est, si nouiter imponuntur, est, vt videatur in quorum vtilitatem instituantur: nam ab illis poterunt regulariter exigi, non ab aliis. Ideò asisium videtur inter alias gabellas disconuenientius, eò quòd in illo vix posit æqualitas obseruari, quin plus grauentur, qui minùs grauandi sunt, & econtrà. Quæ autem conuenientior est ad populi necessitatibus iustè occurrendum, est collecta, quæ solis subditis aut ciuibus illius populi imponitur, seruata debita proportione. E

Corollarium. *Gabella non vitiatur ex eo, quod qui plus indiget, plus soluat.* COROLLARIE sequitur, non inde vitiari nec condemnari debere gabellam, ob id scilicet, quòd qui plus indiget, plus soluit: nam sæpe accidit, vt qui pauperiores sunt, plura ex indigentia vendant, quàm alij qui ditiores sunt, & tamen iustè ab illis exigitur gabella, quæ dicitur; Alcauala. Contingit etiam, vt qui in nundinis negotiantur pauperiores sint, & magis indigentes, quàm alij, qui non ita negotiantur, & ita plus soluunt, quàm ditiores, nec hoc solet, nec debet condemnari. Sicut etiam accidit in solutione decimarum, quòd qui pauperiores sunt & magis indigentes, plus in decimis de prædiis soluunt, quàm alij, qui cùm ditiores sint, non habent vnde decimas soluere debeant; & tamen Ecclesiæ ministri non minùs illis ditioribus decimam non soluentibus ministrant, quàm aliis indigentibus fructus suos decimantibus. Ac proinde ratio Caietani suprà facta, qua condemnat vectigalia, super rebus quæ ad vsum afferuntur, non videtur concludere, eò quòd in vectigalibus, teloneis, pedagiis, aliisque gabellis, quę Alcauala dicũtur, atque asisiis, non habetur respectus ad quantitatem seu facultatem rerum, quas homines posident, quemadmodùm in collectis: sed ad quantitatem eorum quæ venduntur, & emuntur, aut vehuntur: de illorum enim agitur vtilitate & commodo: nam qui vendunt, & emunt, iudice indigent, qui inter eos iustitiam faciat, si fortè aliqua in suis F negotiationibus controuersia seu lis oriatur. Qui etiam res per viam deferunt, assecuratione viarum indigent, vt tuti sint viatores, siue diuites sint, siue indigẽtes. Ad hunc modum potest de aliis sua ratio asignari.

Soluitur ratio Caietani damnantis vectigalia de rebus quæ ad vsum afferuntur imposita.

Aliud dubium. An qui contra prohibitionem clã transferunt aliquas res de loco ad locũ, teneãtur restituere easdem. SEQVITVR responsio ad dubium quoddam: Cùm prohibitum sit, ne quis pecunias, aut equos de regno in regnum, sub pœna perditionis pecuniarum, aut equorum, transferat: multi autem, custodibus nescientibus, aut corruptis, aut dissimulantibus, equos, & pecunias transferunt; an tales teneantur in cõscientia equos ac pecunias clam translatas restituere, quemadmodùm qui gabellas defraudat, eas restituere tenetur? Et
Ratio dubij. ratio dubij est, quia collectores, qui dicuntur arrendadores, maius pretium dederũt pro gabellis, simul & pro iure leuandi pœnam ab his, qui clàm res prohibitas transferunt, quam si solas gabellas emissent: & ita videntur hi in casu defraudari, si illis restitutio debitæ pœnæ non fiat.

Solutio. RESPONDETVR, si in transferendis de regno in regnum pecuniis, aut equis, nulla gabella imposita est, sed sola cõmissi pœna contra illos est imposita, pręfati translatores nil tenẽtur collectoribus restituere, eò quòd illa lex de rebus illis nõ transferendis purè pœnalis esse videtur, ideò non obligat ad pœnam, ante sententiã latam: secùs de gabellis defraudatis, quia hæc restituendæ sunt, vt patet ex dictis. Si autem custodes, quos collectores posuerunt, pecuniã aut aliter corrupti disimulârunt, & res prædictas transferri

permi-

A permiſerunt, tenebuntur ipſis collectoribus ad pœnam, ſi qua erat. præfatis collectoribus de iure applicanda, niſi cuſtodes diſsimulaſſent, vt ſuprà de cuſtodibus montium dicebamus. Quanquam ſanctus Bernardinus, & alij poſt ipſum, teneant oppoſitum, dicentes quòd ex quo ante ſententiam latam non teneantur ad pœnam ipſi, qui præfatis ſtatutis contraueniunt, quòd ex conſequenti ipſi cuſtodes ad eandem non tenebuntur, etiamſi eorum incuria, aut certa ſcientia & voluntate præfata violentur ſtatuta. Verùm cùm ad hunc finem ſint præfati cuſtodes inſtituti ſimiliter ſtipendiati, vt fideliter loca cuſtodiant, & quod illis iniunctũ eſt, diligenter faciant, quatenus dominus, aut eius collector nec debitis defraudetur gabellis, nec pœnas iure illi debitas amittat, non video, quo pacto poſsint in caſu à ſolutione gabellarum ſimul & pœnarum iure collectoribus applicatarũ excuſari, etiamſi ipſi tranſeuntes ad pœnam minimè teneantur, cùm ipſorũ collectorum interſit cuſtodes in ſuo officio diligentes & fideles eſſe: ideò non mirum ſi intereſſe, quod collectores ex culpa cuſtodum patiuntur, ipſis cuſtodibus imputetur.

Iam ad rationem dubij dicendum, quòd ſi gabellarum emptores maius pretium contulerunt, quàm ſi ſolas gabellas emiſſent, ideò eſt, quia datum eſt illis ius ad leuandũ pœnam, contra huiuſmodi tranſlatores impoſitam; quam ſi lucrari volunt, opùs eſt inuigilent, ne aliquis res transferat, illis neſcientibus, alioqui pœna non erit illis debita. *Soluitur ratio dubij.*

B

De rebus per præſcriptionem poſſeſsis.

QVÆSTIO XVI.

Et qvoniam de præſcriptione ſæpe dictum eſt, videre conuenit de rebus, quæ per præſcriptionem acquiruntur, an ſint de neceſsitate reſtituendæ, ſi lapſo tempore præſcriptionis ſciat poſſeſſor rem ad alium dominum pertinere, ſeu alienam fuiſſe. Et primo de præſuppoſito, hoc eſt, de præſcriptione quęrendum eſſet, quid ſit, quis poſsit præſcribere, quæ etiam res præſcribi poſsint, & quæ, & quot requirantur ad legitimè præſcribendum: nam his ignoratis, non poterit homo, quantumuis doctus ſit, ad caſus præſentem materiam concernentes, legitimè reſpondere. Sed cùm materia hæc iuridica ſit potiùs quam Theologica, ſatis erit hæc in ſumma perſtringere, exactiorem rei cognitionem ad Iuriſtas remittendo. Accipitur ergo præſcriptio largè, vt ſub ſe vſucapionem comprehendat, & econtrà: quæ ſi propriè ſeu diſtinctè accipiantur, in hoc differunt, quòd vſucapio in rebus mobilibus, præſcriptio verò in immobilibus reperiatur. Definitur autem vſucapio communiter ſumpta ſic; Eſt acquiſitio dominij, per continuam poſſeſsionem temporis lege definiti. ff. de vſucap. l. 3. Præſcriptionem etiam communiter ſumptam definiunt, qui Panormitanum ſequuntur, ſic; Eſt ius quoddã ex tem-
C pore congruens, authoritate legum vim capiens, pœnã negligentibus inferens, & finem litibus imponens. Quam deſcriptionem Doctores communiter approbant.

Inſtitutum authoris in hac materia.
Præſcriptio & Vſucapio quomodo differãt.
Vſucapio quid?
Quid præſcriptio.

Qvanqvam id, quòd dicunt pœnam negligentibus imponens, non omnibus placet: quia, vt dicunt, iura non in pœnam negligentiæ, ſed potiùs ad obuiandum negligentiæ hoc inſtituerunt: vt declaratur in legibus Hiſpanorum Partit. 3. titu. 29. l. 1. Et notat illic gloſſ. Verùm nullam video in hoc repugnantiam, ſcilicet, quòd preſcriptio ſit inſtituta ad obuiandum negligẽtiæ, ſimul & in pœnam negligentium; imò pœnæ vt plurimum ad vtrunque inſtituuntur, vt conſtat.

Obiectio.
Solutio.

Non potest autem omnis homo præſcribere, ſed is, qui proprio nomine rem poteſt poſsidere, vt habetur in cap. ſi diligenti. de præſcript. inde fit, vt nec ſeruus, nec mente captus, nec poſsidens precariò, nec colonus, nec vſufructuarius, nec creditor, cui pignus aliquod commiſſum eſt, poſsint præſcribere: nec hi qui capaces non ſunt rerum ſeu iurium, quæ tenent; quorum omnium vna ratio eſt: quia de ratione præſcriptionis eſt poſſeſsio: hi autem prænominati aut non poſſunt poſsidere, aut non poſsident nomine ſuo. Seruus tamen poteſt præſcribere domino ſuo: tutor ſiue curator, pupillo ſuo: mente captus tamen poteſt præſcribere, modò in initio, quo rem alienam poſsidere cepit, vſum rationis habuerit, ſimul & in fine: eſto quòd medio tempore in dementiam inciderit. Secùs ſi in initio, vel in fine fuerit mente captus: vt habetur Partit. & titulo ſuprà citatis. l. 2.

Quis præſcribere poſsit.

Caſus ſine dubium quoddã.

Hinc patet ad caſum, quo emphyteuta per quadraginta annos à ſolutione penſionis ceſſauit, an poſsit exceptione præſcriptionis ſe tueri. Et videtur quòd non, vt notant Doctores in.l. malè agitur. C. de præſcript. 30. vel 40. annor. Cuius ratio eſt, quia emphyteuta poſsidet nomine domini, non ſuo:ſi tamen emphyteuta venderet fundum alicui tertio,irrequiſito domino,tertius ille poſsideret pro ſuo, & tãquam ſuum, & tunc curreret præſcriptio illi tertio. Pro quo allegant.l.2. ff. pro ſuo &c. D

Reſolutio eiuſdem.

Verum eſto ita ſit, vt emphyteuta in caſu fundum ſibi non præſcribat, eò quòd illum non ſuo,ſed domini nomine poſsideat, an tamen per nõ ſolutionem penſionis per quadraginta annos maneat liber ab eiuſdem ſolutione:aliud enim eſt fundum,aliud verò libertatem à penſionis ſolutione præſcribere: dicendum tamen quòd neutrum ſibi præſcribit,& de fundo cõſtat ob cauſam prædictam.De libertate autem inde patet, quia emphyteuta in tempore illo non videtur bonam fidem habere,cùm ſciat,vt ſuppono, ſe teneri ad ſolutionem penſionis, etiamſi dominus eam non exigat, cùm terminus ſolutionis ſit aſsignatus, qui pro domino interpellat. Ex parte tamen domini triplex cauſa poteſt aſsignari,quare adueniente termino penſionem non exegerit. Vna, quia ignorabat penſionem illam ſibi deberi. Alia,quia voluntariè diſsimulabat, volens in hoc gratiã facere debitori.Tertia verò,quia negligẽs fuit in rei ſibi debitæ recuperatione. In primo & ſecundo caſu non valuit cõtra illum præſcriptio.Et quamuis in tertio valeret,attamen obſtat mala fides emphyteutæ.Et quod in hac re dico de emphyteuta, videtur dicẽdum de quocunq; alio,cenſum ſeu tributum annuatim ſoluere obligato,quòd ſcilicet per nõ ſolutionem non acquiratur titulus præſcriptionis ad non ſoluendum. Excepto, niſi talis eſſet contractui conditio appoſita, quòd debitor nõ teneatur,etiam adueniente termino exactionis,penſionem ſoluere,niſi ad expreſſam domini petitionem : nam tũc domino non petente,cum bona fide poſſet debitor penſionem non ſoluere, & ſi dominus ſimul negligens ſit, poterit in conſcientia contra illum præſcribi. E

Triplex cauſa, quare dominus adueniẽte termino pẽſionem non exegerit ab emphyteuta.

Contra quẽ fieri poſsit præſcriptio.

Sed nec poteſt quis contra quemcunque præſcribere:quia non contra eum, qui adeò impotens eſt aut impeditus, vt rem ſuam in iudicio petere non poſsit, eò quòd in illo non reperitur cauſa contra illum præſcribendi, ſcilicet,negligentia. Inde eſt, quòd contra mente captum,contra minorem,ante ſcilicet vigeſimumquintum annum, contra ignorantem, contra filium ſub poteſtate patris exiſtentem, contra vxorem,cuius vir non eſt adminiſtratione priuatus: & denique contra omnem qui legitimam ſeu iuſtam cauſam habet,ſeu impedimentum, ne contra poſſeſſorem agat. Et ita ſi dominus rei iuſto timore non eſt auſus rem ſuam à poſſeſſore repetere, non præſcribitur contra illum. Secùs ſi eſſet timor leuis:aut eſſet ignorantia craſſa,& culpabilis, aut impedimẽtum fragile,quod ipſe impeditus poſsit, ſi velit, amouere: quia tunc non excuſantur tales à negligentia,& per conſequens, poteſt contra illos præſcribi. Inde eſt, quòd contra abſentem non currat præſcriptio,ſi abſentia talis eſt,& per tantam diſtantiam,vt intra tempus lege definitum,rem ſuam petere non poſsit.Secùs ſi abſentia non ſit per tantam diſtantiam:ſi tamen ab initio præſcriptionis erat præſens dominus rei, & potuit contra detinentem agere,& noluit,iam fuit in negligentia, & ita tunc currit præſcriptio, etiamſi ſe abſentet. Nec etiam contra excommunicatum præſcribitur, quia agere non poteſt. Excepto niſi fuerit in mora petendæ abſolutionis.Nec currit præſcriptio tempore belli, nec tempore peſtis,nec tempore,quo vel non eſt iudex, vel ſi eſt, eſt malignus, qui iuſtitiam non facit. F

Quo tempore nõ currat præſcriptio.

Caſus quidam de certo legato per teſtatorem facto.

Inde patet ad caſum,quo teſtator certa legata mandauit pauperibus diſtribui,pro bonis incertis,quæ ex vſuris,aut aliter illicitè acquiſiuerat,penitus ignorãs,qui ſint, quibus illa debentur. Hæredes autem nõ credentes defunctum bona aliqua per vſuras, aut aliâs turpiter aggregaſſe, ea omnia per triginta annos cum bona fide poſsident (quod tempus ſupponitur ad præſcribendum ſufficere)elapſis tamen triginta annis,cœperunt hæredes credere teſtatorem multa bona turpiter acquiſiſſe;dubitatur an hæredes præfati teneantur poſt triginta annos præfata legata pauperibus ſoluere. Excuſabunt ſe ratione præſcriptionis, & etiam quia Epiſcopus, cui pro pauperibus agere incumbebat, illo tempore eos ad legata complendum minimè compulit. Et ita viſus eſt Syluester verbo, reſtitutio. 7. illos à debito ſoluendi legata excuſare.

Solutio.

Præſcriptio cõtra miſerabiles perſonas minimè currit.

Mihi tamen talis reſponſio non placet,cùm præſcriptio contra miſerabiles perſonas, quibus negligentia imputari non poteſt, minimè currat; quales ſunt pauperes, qui per

A per se hæredes compellere non possunt, maximè cùm ignorent vtplurimum, quod per defunctos sit illis legatum. Et quamuis Episcopus in huiusmodi sit pauperum administrator seu procurator, qui in casu negligens fuerit in compellendo hæredes ad legata soluenda, eius tamen negligentia pauperibus nocere non debet, sicut negligentia tutoris pupillo minimè nocet. Ac proinde in casu iniquum esse videtur, pręscriptionem contra pauperes currere, ex quo non currit contra minorem, pupillum, aut filium sub patris potestate existentem, nec contra ignorantem, nec cõtra eos, quibus negligentia imputari non debet: igitur nec contra pauperes miserabiles, maximè in casu præsenti, in quo similia legata non adimplere, est in notabile præiudicium animæ testatoris, qui per talia prætendebat se à peccatis exonerare, cùm non tam pauperum intererat legata solui, quàm animæ ipsius testatoris.

Quanã res nequeant pscribi.

NEC ETIAM omnes res præscribi possunt, illæ, scilicet, quæ iure statutæ sunt, ne præscribantur, scilicet, res sacræ pręscribi non possunt: Si enim quæ principi debentur, vt tributa, & res fisci, pręscribi non possunt, à fortiori quæ Dei sunt, & Deo sunt consecrata, præscribi non debent. Insti. de rerum diuis. §. sacræ. I.

RES ECCLESIAE præscribi non possunt saltem à laicis, quia eorum alienatio prohibita est. Nec ius decimarum potest à laicis præscribi. Ratio, quia ius illud posſidere nõ possunt; de ratione autem præscriptionis est, rei præscriptæ possessio, secùs ab aliis personis ecclesiasticis, quę iura spiritualia possunt posſidere. Et generaliter à laicis ea præscribi non possunt, quæ per eos non possunt posſideri: oportet enim præscribentem rei pręscriptæ capacem esse. Inde religiosus, qui votum fecit paupertatis, rem alienam non potest præscribere, cùm illius capax non sit. II.

B

CONTRA obedientiam præscribi non potest. Ratio, quia iure naturæ, & diuino subditum oportet suo prælato obtemperare. de præscriptio. cap. cùm non liceat. III.

CONTRA procurationem ratione visitationis debitam præscribi non potest. cap. cùm ex officij. eodem: quia visitantibus & Ecclesiæ ministrantibus, naturali iure & diuino temporalia ad eorum sustentationem debẽtur: Nemo enim, vt ait Paulus, suis stipendiis militat. Dico notanter, de procuratione debita ratione visitationis: nam alia seruitia, quæ ratione cõsuetudinis, aut ob aliam causam prælatis traduntur, præscribi possunt, vide gloss. cap. cùm non liceat. eodem titulo. IIII.

TRIBVTA seu functiones publicæ, quę principi debentur in recognitionem dominij seu principatus, pscribi non possunt. l. cõperit. C. de præscrip. 30. vel 40. annor. Ratio est, quia iure naturæ & diuino subditi tenentur nõ solùm verbo, sed opere principem suũ recognoscere: iuxta dictum Christi: Quod est Cæsaris, date Cæsari. Nec conuenit, vt quæ in bonum publicum sunt principi debita, per tempus illi denegentur; res tamen seruatæ principi in signum specialis priuilegij, acquiri possunt consuetudine tanti temporis, de cuius initio non est memoria: vnde & domini inferiores & ciuitates præscribere possunt potestatem legitimandi, restituendæ famæ, & creandi tabelliones: quæ principi sunt reseruata, si subest tantum tempus, de quo in cap. super quibusdam. §. prætereà, & vt illic notat Panormitanus. de verb. signif. V.

C

RES PVBLICAE, quæ ad publicum vsum ciuitatis sunt institutæ, vt viæ, plateæ, & pontes, &c. præscribi non possunt. Huius ratio est, quia cùm præscriptio sit in odium negligentium instituta, & in præsenti casu negligentia locum non habeat, cùm liberum sit homini platea, aut ponte vti, si velit, ideò nec præscriptio locum habet. VI.

LIBER HOMO præscribi non potest. Ratio, quia cùm seruitus homini tam grauis sit, vt nemo sit, qui libertatem non optet, de nemine præsumitur, nisi voluntatem suam exprimat, quòd velit tam miserabilem conditionem subire, sed sua libertate, si posſit, vti. Ac proinde impotentia illius impedit præscriptionem. Institutio. de vsucap. §. 1. VII.

RES VITIOSA, quæ per furtum, aut vim est acquisita, præscribi non potest, saltem per tempus minus, quàm sint triginta anni. Id institutum est in odium furti: Institu. de vsucap. §. quod autem. &. §. furtiuæ. Fructus autem rei furtiuæ, quam aliquis bona fide emit, qualiter præscribi posſint, declaratur Partit. 3. titulo 29. l. 5. Quòd scilicet, si durante bona fide res sic empta conceperit fœtum, aut fructum dederit, poterit talis fructus præscribi: Secùs si tempore conceptionis, seu fructus dati, cessauit in tali possessore bona fides. VIII.

IX. LIMES parochiarum seu prouinciarum præscribi non potest. Extrà, de parochi. cap. Super eo. Ratio, vt ex iure colligitur, est, ne termini prouinciarum confundantur. Et hoc verum, quando constat certè de limitibus; secùs si de illis legitimè non constet, quia tunc præscribi possunt; secùs etiam de limitibus agrorum seu terminorum, qui ad personas priuatas attinent. Hæc igitur quæ dicta sunt, præscribi non possunt, prout est communis Doctorum sententia. In quibus & in aliis hanc materiam concernentibus, ad Iuristas recurratur. D

Aliu quidam casus.

PATET ex dictis responsio ad casum, super quo nonnulla orta est contentio. Conuentus quidam ex antiquissima consuetudine, de cuius initio nulla est memoria, solet personas eiusdem conuentus Episcopo præsentare, vt illis Episcopus de quibusdam beneficiis, in certis Ecclesiis vacantibus, collationem faciat, & canonicam institutionem, idque absque hoc, quod Episcopus vllum de præsentatorum idoneitate examen faciat, cùm conuentus eos quos præsentat, priùs examinauerit. Econtrà Episcopus prætendit, se beneficia præfatis non collaturum, nisi per ipsum fuerint priùs examinati. Dubitatur an conuentus per præfatam consuetudinem contra Episcopum præscripserit, ita vt teneatur Episcopus, sine præuio per eum facto examine, præsentatis beneficia conferre; cùm nec sui prędecessores huiusmodi examen fecerint? Respondetur quòd non: Primò, quia iure diuino aut naturali conuenit Episcopis, eos quos ad ordines seu beneficia, maximè curam animarum habentia, promouerint, priùs examinare, & an tales idonei sint, nécne, agnoscere. Quod satis docet Paulus 1. ad Timoth. 3. & ad Titum 1. Idem etiã colligitur ex eo, quod in Ezechiele legimus; Dominum, scilicet, exactissimam rationem ab Episcopis de ouibus sibi commissis petiturum, si fortè aliqua ex Episcopi culpa aut negligentia petierit. Ac proinde iure saltem naturali Episcopis conuenit inquirere, & examinare, an idonei sint hi, quos ad necessaria ouibus ministrandum admiserint: de quorum idoneitate nisi priùs certiorentur, constat promotionem periculosam esse, cùm ex eorum idoneitate ouium salus quodammodò pendere videatur. Itaq; officio pastorali videtur diuino & naturali iure annexum esse officium examinandi, quos ad ministerium ecclesiasticum debeat admittere. Cùm ergo ab eo onere, ad quod quis iure diuino, aut naturali tenetur, per solum tractum temporis deobligari non possit; sequitur præfatum conuentum contra Episcopum non præscripsisse quo minùs possit præsentatos examinare, vt de eorum idoneitate, sicut debet, certioretur. E

Solutio multiplex. I.

Quo iure conueniat Episcopis, eos quos ad ordines siue beneficia promouẽt, examinare de dignitate.

II. SECVNDO facultas examinandi eos, qui promouendi sunt, non Episcopis ob ipsorum vtilitatem concessa, sed potiùs ob vtilitatem ouium illis commissarum; & ita si in casu conuentus præscripsisset, non tam contra Episcopum, quàm contra oues Christi Episcopo commissas pręscripsisset, eò quòd ipsarum ouium interest, idoneus, an non, talis minister illis conferatur. Talis autem præscriptio legitima, & iusta esse non potest: tum, quia esset in perniciem salutis ipsarum ouium: tum quia in ouibus ipsis nulla est negligentia, ob quam contra illas præscribi possit. Et quamuis fuerit in Episcopis prædecessoribus negligentia, qua, sine præuio examine, præsentatos ad beneficia promouebant; hæc tamen negligentia ouibus nocere non debet; sicut suprà de negligentia tutoris, & Episcopi circa legata dicebamus, quòd pupillo & pauperibus nocere non debet, qualiter in casu noceret ouibus, si Episcopi absq; examine & probatione pręsentatos ad curam animarum indistinctè admitterent. F

Prædicta præscriptio in casu iusta non esset.

III. TERTIO, consuetudo quantumuis antiqua, nisi rationabilis sit, & præscripta, legem vincere nõ valet humanam, nedum diuinam aut naturalem, vt iura declarant. Hæc autem consuetudo, quam præfatus conuentus prætendit, rationabilis non est, cùm nil magis rationi sit consentaneum, quàm vt is, cui ex officio incumbit, idoneos ministros promoueat, de eorum priùs idoneitate certioretur, & si oportuerit, eos priùs probet, & examinet.

IIII. QVARTO, quid aliud est conuentum præfatum prætendere compellere Episcopum, vt beneficia præsentatis non priùs per eum examinatis conferat, quàm quòd Episcopus Ecclesiasticum ministerium, oculis (vt ita dixerim) clausis, eis, quos idoneos esse ignorat, committat: in quo non solùm Episcopus peccabit, si id fecerit; sed & hi, qui eum ad id compellere intendunt: cùm Episcopum ab iniuncto sibi officio impedire prætendant.

PRO

A PRO QVO etiam alia ratio facit: quia non minùs fauorabilis est in iure vltima voluntas, quàm consuetudo contra legem inducta; sed si testator suum testamentum & legata fecit, quæ omnia cuiusdam fidelitati confessus eidem adimplenda commisit, addita clausula, quòd non possit Episcopus ab illo rationem exequutionis exigere; talis clausula non valet, nec testatoris voluntas in hac re debet adimpleri, quia scilicet est impeditiua officij Episcopalis, quale inter alia est, testamentorum exequutores ad eorum complementum compellere, vt tradunt Doctores in Clemen.1.de testamẽtis. Sit igitur vnusquisque iure suo contentus: Conuentus si ad pręsentandum ex consuetudine, vel ex priuilegio ius habet, præsentet: Si consuetudinem habet præsentatos examinandi, examinet. Econtrà Episcopus si iure astrictus est præsentatos promouere, promoueat, modò ad id, ad quod promouentur, idonei sint: & de ipsorum idoneitate sit sufficienter certioratus: si tamen per se sciat, præsentatum non esse idoneum, aut à viris fide dignis audiuerit, aut conscientiæ scrupulo super eius idoneitate agitetur, non priùs eum promoueat, quàm ipsum examinet; alioqui nec officium sibi iniunctum debitè complet, nec propriæ conscientiæ satisfacit, nec ouium sibi commissarum saluti, vti debet, consulit. Nec tamen negandum est, posse Episcopum ab obligatione simul & facultate examinandi eos, quos promoturus est, exonerari. vt si Papa illi iubeat, vt eos promoueat, qui per regem, aut conuentum, aut vniuersitatem illi præsentẽtur: nam tunc obligatio examinandi pręsentantibus iniungitur: & Episcopus, qui pastor inferior est, per supremum
B pastorem ab illo onere videtur exemptus: solus tamen tractus temporis, aut antiquissima consuetudo, Episcopum exonerare non sufficit. Sic videmus multos per Vniuersitates ad beneficia nominari, seu præsentari, quibus prælati, absque vlteriore examine beneficia ex Papæ ordinatione conferre tenentur. Nec obstat in casu proposito, præsentatos priùs per conuentum examinari: quia cum hoc stat, quod dictum est, scilicet, Episcopum de præsentati idoneitate probabiliter dubitare.

Ratione eadem solutio cõfirmatur.

SI QVAERAS, quando incipit currere præscriptio? Respondeo, facilis est quæstio, si præmittamus ea, q̃ requiruntur ad legitimè præscribendum: hęc autem sunt, bona fides, possessio, & negligentia illius contra quem pręscribitur, & titulus: de quibus statim dicetur. Si igitur ita est, quòd hæc omnia simul requirantur, ita vt quodcunq; horum deficiat, præscriptio currere non possit: aperta est responsio, quòd tunc incipiat currere, quando primùm illa requisita concurrunt, sic scilicet, si illa omnia simul apponãtur, tunc incipit currere. Si successiuè, quando id, quod postremò aduenit, aliis requisitis permanẽtibus, tunc incipit currere: vt si quis primò rem alienã possidet, & deinde habet bonam fidem, deinde accedit titulus, & in hoc interim dominus rei est à negligẽtia excusatus; vel quia nescit factum, vel quia non potest contra detentorem augere &c. Et tandem de re certioratus, cùm agere possit, non agit, iam incipit esse negligens: tunc incipit currere præscriptio. Aut si primò incipit possidere, etiam cum titulo, & dñs negligit cõtra detento-
C rẽ agere, & deinde accedit bona fides in ipso detentore, cæteris eodẽ modo permanentibus; tunc præscriptio incipit currere, quando hæc bona fides accedit: quia tunc primò omnia requisita ad cursum præscriptionis concurrunt, & non antè, idque in cõscientia.

Quãdo incipiat currere præscriptio: Quæ item requirantur ad legitimè præscribendum.

INTERRVMPITVR autem præscriptio, quando cessat aliquid de requisitis, siue cesset bona fides, siue possessio, aut etiamsi intra tempus lege definitum, is, contra quem præscriptio currebat, aliquam faciat diligentiam pro rei suæ recuperatione, vt culpa negligentiæ nequeat illi imputari; siue detentorem coram iudice conueniendo, siue aliquam protestationem faciendo, aut aliquid aliud, quod de iure illi suffragetur. De quo vide glossam in capit. illud autem. de præscriptio. Præscriptione autem interrupta, opùs est, si debeat currere seu procedere, vt iterum de nouo incipiat, maximè si à possessione cecidit; aliâs non procederet ob defectum continuæ possessionis. Excepto, si interrupta possessione, ante eius interruptionem, & post recuperatam rem, bonam fidem ipse possessor habeat: quia tunc, vt communiter tenent Doctores, interruptio possessionis non impedit, quò minùs currat præscriptio.

Quando præscriptio interrumpatur.

Præscriptiõe interrupta, quid requiratur, vt ea rursum currat.

EA AVTEM, quæ ad legitimè præscribendum de iure requiruntur, sunt, bona fides, continua possessio, per tempus lege definitum, & titulus, & quòd res sit præscriptibilis ab ipso, qui præscribere prætendit.

Ad præscribendum de iure requisita.

QVIBVS suppositis, videtur conclusio hæc tenenda scilicet legislator potuit talem statuere legem; scilicet, quòd præscribens rem aliquam seu vsucapiens, seruatis præfatis conditio-

conditionibus, incipiat esse dominus eiusdem rei completa præscriptione; atq; is, cuius D
res priùs erat, desinat esse dominus. Et probatur dupliciter:

Conclusio. Qualis ferri possit lex de præscriptione à legislatore.

Probatur I.

Primo, quia illud iustè per principem statui potest, quod est necessarium ad pacificam subditorum conuersationem: talis est lex prædicta, quæ nisi seruaretur, fierent lites innumerabiles, vel odia plurima. Nam prior dominus, vel eius hæres, si dominio rei priuatus non esset, posset talem rem post quantumcunque tempus repetere; & cùm, vt plurimùm accidit, quòd desint testes ad suum dominium probandum, esset valde difficile, vel impossibile priori domino iustitiam facere; cùm non posset secundus possessor à possessione, sine sufficienti probatione eiici: & ita multa inter partes odia orirentur, periclitaretur iustitia, iniustia maneret impurgata; & per consequens, pax in republica turbaretur.

II. Secundo, princeps legislator iustè potuit, & potest aliquem dominio rerum suarum priuare, si talis commisit, vel committit delictum reipublicæ damnosum: sed ille, contra quem quis præscribit, committit tale delictum, cùm sit negligens, de rebus suis non curando, nec eas colendo, nec fructus & vtilitates ex ipsis per se, nec per alium capiendo, quantum in ipso est: hoc autem reipub. constat esse damnosum. Et per eandem negligētiam est similiter causa, quòd crescat materia litigiorum, pacem reipublicæ perturbantium, vt satis de se constat. Igitur.

E

De fide ad præscribendum necessaria.

QVÆSTIO XVII.

An cum dubia conscientia valeat præscriptio.

Suppositio.

Circa dicta tamen aliquot occurrunt inquirenda. Primum, an cum conscientia dubia currat, seu valeat præscriptio: inprimis supponatur, quid super hoc iure dispositum sit. In regulis iuris lib. 6. dicitur, possessor malæ fidei nullo vnquam tempore præscribit. Et de præscriptionibus ca. finali in antiquis, dicitur; quoniam omne, quod non est ex fide, peccatum est, synodali iudicio definimus, vt nulla valeat absque bona fide præscriptio, tam canonica, quàm ciuilis. Cùm generaliter sit omni constitutioni atque consuetudini derogandum, quæ absque mortali peccato non potest obseruari. Vnde oportet, vt qui præscribit, in nulla temporis parte rei habeat conscientiam alienæ. hæc ibi. Quo supposito, dixerunt aliqui, vt habetur in gloss. præfati capit. quod bonæ fidei possessor dicatur, qui conscientiam habet dubiam; ac proinde sequitur, quòd cum conscientia dubia currat & valeat præscriptio. Id probant per. l. qui scit. §. bonæ fidei. ff. de vsuris. vbi dicitur; Emptor bonæ fidei, possessor est, donec fundus euictus fuerit. Sed stat, quòd detentor interim conscientiam dubiam habeat, an sit fundus alienus. Igitur. F

Sententia I. affirmatiua.

Ratio I.

II. Secundo, Panormitanus idem tenens probat ex capit. si virgo 34. q. 1. vbi dicitur; In iure prædiorum tamdiu vnusquisque bonæ fidei possessor dicitur, quamdiu possidere se ignorat alienum. Cùm igitur qui conscientiam habet dubiam ignoret, vt constat, sequitur &c.

III. Tertio idem probant ex cap. dominus. de secundis nuptiis. vbi de vxore, quæ de morte prioris mariti dubitat, dicitur, quòd reddat debitum secundo viro postulanti: debitum autem coniugale sine bona fide reddi non potest: igitur conscientia dubia non tollit bonam fidem.

II. Sententia negatiua.

Probatur I.

Econtra alij dixerunt, vt Adrianus & Antoni. in d. cap. finali, quòd conscientia dubia in casu excludat bonam fidem. Tum, quia bona fides credulitatem, seu assensum interiorem importat; dubium autem assensum excludit de eo, de quo dubitatur: qui enim dubitat, nec credit vnum nec alterum ei oppositum: & ita dubitatio tam bonam, quàm malam fidem videtur excludere.

II. Secundo, qui agit contra conscientiam dubiam, ita peccat, sicut si contra conscientiam positiuam ageret; eò quòd exponit se periculo peccandi, contra illud Ecclesiastici 3. Qui amat periculum, peribit in illo. Vnde regula magistralis sumpta est, Qui se exponit periculo peccandi, peccat. Hoc idem significat Paulus dicens: Omne quod non est ex fide, peccatum est: hoc est, ex conscientia, qua illud, quod fit, licitum esse putetur.

Quæ

A Quæ expoſitio magis textui ipſi conuenit,quàm alia communis:etſi vera ſit,in qua dicitur, non eſſe ex fide, quod contra conſcientiam fit.

TERTIO, qui dubius eſt, maximè ex probabili cauſa, an res ſit aliena, peccat eam detinendo,ſi velit eam abſolutè ſeruare,qui exponit ſe periculo furti:igitur tale dubium excludit bonam fidem, & per conſequens, cum illo dubio præſcriptio non valet. Cùm igitur intentio Decretalis inualidantis præſcriptionem, cui non adeſt bona fides, ſit amouere occaſionem peccandi mortaliter,rem alienam poſsidendo,& non minùs peccet, qui alienum detinet contra conſcientiam dubiam, quàm ſi cum mala fide rem alienam detineret; ſequitur præſcriptionem cum conſcientia dubia non valere. Nec valet quod ait Panormitanus,diſtinguendo de dubio poſſeſsionis, & de dubio proprietatis: quia ſiue is,qui alienum detinet,dubitet rem ſuam eſſe,an alienam;ſiue dubitet, an in ea poſſeſsionem habeat licitam, peccat eam detinendo: ſequitur impertinens eſſe in propoſito de proprietate, aut de poſſeſsione dubitare. III.

ET SECVNDVM hoc, facile eſt ad rationes prioris ſententiæ reſpondere. Ad primam,quòd lex illa non illis ſuffragetur, Primò,quia per illum textum æquè probaretur præſcriptionem valere cum mala fide, ſicut cum conſcientia dubia: quia interim quòd fundus euictus fuerit,poterit ſcire fundum illum alienum eſſe,ſicut & dubitare. Secundò, quia lex ipſa expreſsè loquitur in caſu, quo emptor ſcit rem fuiſſe alienam, & non illius,qui vendidit. Lex igitur illa procedit quantum ad fructus percipiendos, qui in caſu legis cum bona fide percipi dicuntur, vt ait Adrianus. Vnde lege ſtatutum eſt, vt ſi quis rem fructiferam emit, ſciens rem illam alienam, & non vendentis eſſe, dummodò neſciat an furtiua ſit, ſeu vi rapta, quòd poſsit fructum rei à ſe poſſeſſæ vſu capere. De quo, parte & titulo ſuprà citatis.l.5.cum gloſſ. Ratio autem, quare in caſu dicatur bonæ fidei poſſeſſor, eſt; quia cum hoc, quòd ſciat rem illam non vendentis fuiſſe, ſtat quòd credat eam non eſſe vitioſam, ſed facultatem habuiſſe eum, qui eam vendidit, ad vendendum &c. *Reſpondetur ad rationes* I. *ſententiæ.* *Ad* I.

B

AD SCVNDAM ex capit. ſi virgo. dicendum,quòd ille textus procedat non ignorantia negationis,ſed prauę diſpoſitionis.Id apparet,quia Auguſtinus ibidem æquiparat virginem illam neſcire virum alienum eſſe, quo ad releuari ab adulterio, & poſſeſſorem rei ignorare eam alienam eſſe, quo ad releuari ab iniuſta detentione. Sed certum eſt, quòd ſi virgo dubitet, an vir ille aliam habeat vxorem,& manēte hac conſcientia dubia, illi nubat, & eidem carnaliter commiſceatur, peccat: ſi non per adulterium certum, tamen per adulterandi periculum, cui ſe exponit, peccat. Igitur vt illa per ignorantiam excuſetur, opùs eſt ignorantia illa ſit prauæ diſpoſitionis, quæ licèt errando putet illum non eſſe aliàs vxoratum: ita igitur in propoſito, ex quo parificantur, peccabit, qui rem alienam retinet,dubitans an ſit aliena. Ac proinde vt per ignorantiam ab iniuſta rei detentione excuſetur,oportet quòd ſit ignorantia prauæ diſpoſitionis. *Ad* II.

C AD TERTIAM ex capit. dominus.dicendum, quòd textus ille procedat quantum ad forum iudiciale, in quo compelletur vxor debitum reddere poſtulanti, quamdiu de morte prioris coniugis probabiliter dubitatur: ipſa autem quamdiu in conſcientia dubia perſeuerat,tenetur abſtinere ob periculum adulterandi, vt nuper dicebatur. Quod autem illa conſcientia dubia excludat bonam fidem, apparet, quia vxor, quæ cum bona fide cum aliquo contrahit, ea durante, poteſt non ſolùm reddere,ſed exigere coniugale debitum. Vtrunque enim per bonam fidem venit excuſandum,cùm tamen textus inter exigere, & reddere differentiam faciat. *Ad* III.

ALITER tamen videtur ad quæſtionem reſpondendum,ſecundùm quòd dubium, de quo quæſtio propoſita eſt,poteſt eſſe diuerſum: quia vel eſt ſpeculatiuum, vel formaliter practicùm. Poteſt namque eſſe dubium de qualitate rei ſeu de facto; & poteſt eſſe dubium de licentia retentionis ipſius rei: Aliud enim eſt dubitare de re poſſeſſa,an ſit aliena; aliud verò an ſit licitū eam tenere, vt ſuprà tetigimus, & aliàs latiùs diſcuſsimus. Et quidem ſi dubitatio ſolùm ſit circa rei conditionem, & non attingat ad licentiā rem ipſam detinendi; tunc illa dubitatio non excludit bonam fidem, in qua quis dicitur eſſe, quamdiu inuincibiliter credit eſſe ſibi licitum,rem illam detinere. Exemplum eſt clarum:Si emi rem à Petro, dubitans an ſit ipſius, an alterius, putans tamen probabiliter Petrum poſſe rem illam alienare & vendere; tunc hæc ſimul ſtant, ſcilicet, dubito de re, an aliena ſit, an ipſius Petri, & probabiliter credo me poſſe illam emere& retinere *Reſolutio quæſtionis.*

& non

& non ſolùm hoc, ſed ſtat me ſcire rem illam non Petri vendentis eſſe, ſed alterius, domini ſcilicet ipſius, & ſimul probabiliter credere, quòd Petrus facultatem habeat eam vendendi, quodque ego poſſum ab eo eam licitè emere, & emptam poſsidere. Iam conſtat, quomodò conſcientia dubia de re aliena, imò & ſcientia de eâdem, quòd aliena ſit, non tollat bonam fidem hominis eam ementis & poſsidentis; & ita tunc licitè poterit res illa detineri, & currit præſcriptio cum conſcientia dubia de conditione rei. Si autem dubitatio non in conditione rei ſiſtit, ſed etiam de licentia ſeu facultate eam licitè retinendi habetur; tunc nō ſolùm eſt dubitatio ſpeculatiua, ſed practica, & reddit conſcientiam læſam, & retentionem rei illicitam & iniuſtam: & tunc huiuſmodi dubitatio excludit bonam fidem, nec permittit valere præſcriptionem in foro conſcientiæ, vt cap. finali ſuprà citato apertè colligitur. D

Explicatur textus quidam ſuprà citatus pro I. opinione.

INDE PATET, qualiter poſsit textus capit. dominus de ſecundis nuptiis ſaluari in conſcientia. Similiter & vxor dubia de morte prioris mariti ab adulterio excuſari, ſi ſecundo poſtulanti debitum reddat: quia ſcilicet ſtat, quòd eius dubitatio ſiſtat in conditione rei ſeu in facto; ſcilicet, an prior vir mortuus ſit, nécne, non procedendo ad dubium de licentia reddendi: ſtant enim hæc ſimul, quòd dubitet de morte prioris, & credat probabiliter à viris doctis inſtructa, quòd debeat reddere ſecundo poſtulanti, iuxta textum citatum.

Corollarium. An detinens rē alienā, dubius num ſit aliena, peccet.

COROLLARIE ſequitur, non eſſe indiſtinctè verum, quod ait Adrianus, & tangitur in ratione tertia, quam ſuprà pro eo fecimus, ſcilicet, quòd qui rem aliquam detinet, dubius an ſit aliena, peccet: quia ſe periculo furti exponit: ſi enim dubitat an ſit ſua, an Petri, vbi dubium eſt æquilibre, non tenetur rem Petro dare, etiamſi tutè poſsit; eò quòd fortè id cederet in præiudicium ſuum, quia fortè res eſt ſua: modò autem magis tenetur homo ſuæ indemnitati, quàm alienæ conſulere, vbi cætera ſint paria. Exemplum eſt notum de eo, qui contraxit cum Berta ancilla, putans eam liberam eſſe, de qua poſteà dubitare incipiat, an libera ſit, non tenetur eidem poſtulanti debitum reddere, etiamſi ex affectu vxoris poſsit; eò quòd reddendo, ſibi præiudicaret, quia cogeretur ſeruam in vxorem tenere: perinde enim eſt debitum non reddere, & alienam rem detinere. Et ita, ſicut in hoc poſtremo caſu, vir coniugale debitum non ſoluendo non peccat per iniuſtitiam, ita nec in propoſito caſu peccat, qui alienum retinet, vtrobique ſimili dubitatione exiſtente. Si autem debitam diligentiam faciat, vt ſciat an libera ſit, an ſerua, & in fine ſimilis maneat dubitatio, non tenebitur debitum illi ſoluere: ita in caſu, ſi alienum detinens ſit dubius, an ſit alienum, debet diligentiam facere, vt de veritate inſtruatur, in cuius fine, ſi maneat eadem dubitatio, quæ priùs, poterit rem poſsidere, paratus eam vel æquiualentem reddere, quando eam alienam fuiſſe conſtiterit, & tunc poterit præſcriptione iuuari; cum conſtet illum in mala fide non eſſe. Secùs vbi poſsidens rem ſcit non eſſe ſuam, dubitat tamen an ſit Petri, an Ioannis: tunc non poteſt iuſtè rem illam ſibiipſi retinere, niſi de conſenſu illorum, qui ſuam eſſe prætendunt. E

Aliud dubium. An præſcriptio valeat cum mala fide. Dicta quæſtio, pendet ex alia, ſcilicet, an iura Canonica poſſint abrogare leges ciuiles, & de facto in materia propoſita. Sententia I.

DEINDE quæritur, an præſcriptio valeat & currat cum mala fide. Et eſt ratio dubitandi, quia ſupponimus, ſecundùm iura ciuilia, præſcriptionem aliquam, ſaltem longiſsimi temporis, currere cum mala fide; econtrà verò videmus definitum eſſe oppoſitum in cap. finali de præſcriptionibus in antiquis. Vnde apparet, pręſentem quęſtionem iam apud Iuriſtas ventilatam, quodammodò pendere ex hac, ſcilicet, an iura Canonica abrogare, annullare leges ciuiles, & de facto in materia præſcriptionis eas irritent. Et dixerunt multi, vt referunt Doctores in dicto capit. finali, & in regula, poſſeſſor. in 6. quòd Papa non poſsit inualidare leges ciuiles & imperiales in terris, quæ non ſunt ipſi Papæ ſubditæ, ſecùs in terris ſuis. Et ita inferunt, quòd leges imperiales de præſcribendo cum mala fide, valeant, & ſeruandæ ſint in terris Imperij. Quodque cap. finale præallegatum valeat in terris ipſius Papæ: Imperium enim & ſacerdotium ex eodem principio prodierunt, vt in Authen. Quomodò oportet Epiſc. & diſtinctas habent poteſtates, quarum altera alteram iuuare debet, non deſtruere: illa in ſpiritualibus locum tenet, hæc autem in temporalibus. F

II. Sententia.

ECONTRA verò aliorum ſententia eſt, quòd leges ciuiles in hac re ſint ſimpliciter abrogatæ, per iura canonica: quia vbi vergit periculum animarum, præualent vbique leges Canonicæ, quas non dedignantur imitari ciuiles. Vnde diſtinct. 10. capit. conſtitutiones dicitur: Conſtitutiones contra canones & decreta præſulum Romanorum,

vel

A vel bonos mores, nullius sint momenti. Et quòd de facto præscriptionem cum mala fide à lege ciuili concessam inualidet, apparet, quia Canon ait, vt nulla valeat absque bona fide præscriptio, tam canonica quàm ciuilis: & secundùm hanc sententiam, prefatum cap. finale non se extendit ad præterita, quia antequàm leges ciuiles essent per canonicas abrogatæ, vim habebant, & currebat præscriptio cum mala fide: secùs post determinationem Ecclesiæ.

Aliorvm verò alia est sententia, quæ distinguit inter res præscriptibiles, & iura realia seu personalia præscriptibilia: in rebus enim non currit præscriptio cum mala fide possessis, eò quòd huiusmodi res possideri sine peccato cum mala fide non possint: præscriptio autem cum peccato non currit, vt Decretalis intendit. In iure autem personali seu reali nō ita, quia potest aliquis perdere seruitutem rusticam per tempus, si iure, quod habet, negligit vti: idque sine peccato ipsius præscribentis; eò quòd huiusmodi præscriptio non requirit factum ex parte præscribentis, quod illi peccatum sit: quia si debitam seruitutem non reddat, non peccat, nisi petatur; & ita huiusmodi iura extinguuntur ad tempus, in fauorem debitoris, etiamsi debitor malam habeat fidem, sciens scilicet se talis seruitutis debitorem esse. Quam sententiam Hostiensis communiter Summistæ sequuntur. *III. Sententia.*

Adrianvs, his opinionibus vtcunque recitatis, tenet, leges ciuiles in hac re non B esse per canonicas abrogatas, quamuis illis sit derogatum: hoc est, in parte sunt inualidatæ, in parte verò in sua sunt efficacia relictæ: ita scilicet, quòd vbi mala fides sine peccato ipsius possessoris seu debitoris habetur, potest præscriptio cum mala fide currere: secùs si malæ fidei sit peccatum annexum; quia tunc præscriptio non valet, vt iure canonico definitum est: per quod non prætenditur obuiari omni præscriptioni, quę cum mala fide fit, sed ei, quæ cum peccato fit: vt patet, rationem ipsius textus attendendo. Potest enim, vt ait, aliquis alienum possidere, vel etiam debitum non soluere, sciens alienum esse quod possidet, aut se debitorem esse, absque hoc, quòd peccet. Vt si sit ei probabile, quòd dominus rei, seu creditor consentiat in rei possessione, aut non solutione debiti, vel simpliciter, vel ad tempus, ob causam aliquam, vel ob voluntatem suam: aut si alienum possidens, sciens alienum esse, proponat efficaciter dominum quærere, paratus rem illi reddere, cùm repererit, & posteà id è memoria eius excidit per longum tempus: iam ille possidet alienum cum mala fide actuali, scilicet, quam ab initio possessionis habuit, & habituali per totum tempus lege definitum, & sine peccato; ideò in casu currit illi præscriptio. *IIII. Sententia.*

Confirmat hanc suam sententiam, quia Canon non vtitur verbo tollendi, vel abrogandi, sed derogandi, cùm dicat, omni constitutioni derogandum esse, &c. Igitur non damnat omnem præscriptionem cum mala fide currentem; alioqui simpliciter deberet constitutionem ac legem ciuilem abrogare, qua statuitur, vt valeat cum mala fide C præscriptio. Nec oportet legem ob id reddere nullam, quòd extendat se ad aliquos casus iniquos, vt patet de lege generaliter data, quæ quidem suas opùs est vt habeat exceptiones & ἐπιεικείας. Igitur esto quòd lex ciuilis, qua statuitur, vt præscriptio valeat cum mala fide, in certis casibus non sit obseruanda, non ideò efficitur nulla.

Haec controversia fortasse ex nominis æquiuocatione pendet: Ego enim, sicut suprà de conscientia dubia, ita nunc de mala fide distinguerem: nam mala fides potest accipi pro scientia seu credulitate, qua quis credit se alienum possidere, aut se debitorem alicuius rei esse, vt per innumera iura patet. ff. de verborum significa. l. bonæ fidei. Et cap. si virgo. suprà citato, & alibi. vbi bonæ fidei possessor dicitur, qui credit non alienum, sed suum esse, quod possidet. Ideò econtrà malæ fidei possessor est, qui credit, aut scit alienum esse, quod possidet: & hæc fides magis speculatiua est, quàm practica. Alio modo accipitur fides pro conscientia practica, quæ dictat quid agendum, quid nō agendum; aut quid liceat agere, quid non; quid liceat retinere, quid non. Et mala fides dicetur, secundùm hoc, in præsenti materia in aliquo esse, quando alienum possidet, aut detinet contra conscientiam hanc, dictantem rem illam reddendam esse, & non detinendam. Et prima mala fides sola non sufficit reddere rei detentionem illicitam, bene autem secunda. Et de hac secunda dixit Paulus, Omne quod non est ex fide, peccatum est: non de prima. *Resolutio quæstionis. Duplex acceptio malæ fidei.* I. II.

DECRETALIS autem citata de fide mala, videtur loqui, ſumpta fide ſecundo modo, ex quo in initio Decretalis pro fundamento præfatæ definitionis Concilij ponitur dictum Pauli, cùm ait: Quoniam omne quod non eſt ex fide, peccatum eſt: Synodali iudicio definimus, vt nulla valeat abſque bona fide præſcriptio. Et de hac fide puto procedere regulam iuris, poſſeſſor malę fidei nullo vnquam tempore pręſcribit, id eſt, qui contra conſcientiam alienum poſsidet. Quæ conſcientia non eſt, qua putat rem alienam eſſe præciſè, ſed qua id putans, ſimiliter putat, aut credit rem illam eſſe reddendam, & non detinendam. D

Quid habeat probabilitatis IIII. sententia. PER HAEC patet propoſitionem Adriani in bono ſenſu veram eſſe, ſeu probabilem, cùm ait, poſſe præſcriptionem currere cum mala fide, id eſt, cum credulitate, aut ſcientia de re, quòd aliena ſit, cui peccatum non ſit annexum; eò quòd illa fide ſtante, ſimul ſtat, quòd credat licitum eſſe ſibi rem illam detinere: vel quia præſumit dominum non eſſe inuitum; vel quia non adeſt, & paratus eſt eum inquirere, vt reddat: vel quia, qui alienum emit, oblitus eſt ſe emiſſe, & vult illud domino ſuo reddere, & pòſt recordatur ſe verè emiſſe. Certum eſt in his & ſimilibus, malam fidem, primo modo ſumptam, ſed ſine peccato, interuenire. Conſequenter etiam patet, veram eſſe aliam ſententiam, quæ vniuerſaliter aſſerit, nullam præſcriptionem valere cum mala fide interueniente, ſi fides pro conſcientia practica, vt dictum eſt, accipiatur: quia talis ſemper habet annexum peccatum, ſcilicet rei poſſeſsionem contra conſcientiam. E

Oppugnatur I. sententia. COROLLARIE ſequitur, præfatas opiniones in quibuſdam deficere. Primo in eo, quòd ait, non poſſe Papam leges ciuiles abrogare, niſi in terris ſuæ iuriſdictioni in temporalibus ſubiectis &c. deficit in hoc, ſimul & in eo quòd ait, quòd valeat cum mala fide

I. præſcriptio in terris Imperij. Primum vniuerſaliter dictum videtur falſum eſſe, quia Papa habet à Domino officium paſtorale totius orbis, quòd ſibi collatum eſt, Chriſto dicēte,

Ioan. 21. Paſce oues meas & agnos &c. Igitur ei incumbit proſpicere ſaluti animarum ſibi commiſſarum: & per conſequens, ſi ſint aliquæ leges ciuiles, quæ cedant in periculum, aut perniciem animarum, quales ſunt, quæ peccata fouent, ſequitur quòd poterit eas non ſolùm limitare, ſed penitùs abrogare & annullare, ſi tales ſint, quæ magis in perniciem cedant animarum, quàm in vtilitatem. Deinde ipſi reges & Imperator in his, quæ animam concernunt, ſunt ſubditi Papæ, & poteſt illis multa etiam ſub cenſura, prohibere: igitur ex conſequēti, ſi leges iniquas eos facere contingat, quæ in perniciem animarum cedant, poterit Papa eas annullare; & valebit annullatio, alioqui non eſſet Papæ pleniſ-

Matth. 18. ſima poteſtas conceſſa; contra id, quod ei dictum eſt, Quodcunque ſolueritis ſuper terram, &c.

II. SECVNDO deficit in eo, quòd ait, præſcriptionem cum mala fide currere in terris Imperio ſubditis, & non in terris ipſius Papæ. Cuius falſitas ex dictis eſt nota: tum quia Papæ incumbit ſaluti omnium fidelium proſpicere, & non ſolùm eorum, qui in ipſius terris commorantur. Igitur cùm Concilij præfata definitio omnibus ſit neceſſaria; igitur ad omnes fideles ſe extendit. Tum quia ſi Papa nullas terras ſibi in temporalibus ſubditas haberet, poſſet definire, quod definiunt, & ad omnes fideles eius præſens definitio ſe extenderet. Igitur non obſtante, quòd terras habeat, præfata definitio ad omnes ſe extendit, ex quo omnium ſalutem concernit. Et dicere oppoſitum, eſt penitùs irrationabile. F

Similiter II. sententia. SECVNDA opinio ſimiliter videtur in duobus deficere. Primò, quia ait, leges ciui-

I. les in hac re ſimpliciter eſſe abrogatas: cuius oppoſitum apparet ex ratione facta pro Adriano, cùm Decretalis non verbo abrogandi, ſed derogandi vtatur: modò aliud eſt

II. legem abrogare, quod eſt, eam in toto annullare: aliud verò legi derogare, quod eſt eam limitare, ita vt in parte teneat, in parte verò non teneat. Secundò deficit in eo, quòd ait, præſcriptionem cum mala fide cucurriſſe, ante Decretalem illam, ſed non poſt. Contra quod videtur, quia hæc Decretalis non inducit nouum ius, ſed declarat: non enim ait, ſynodali iudicio ordinamus, volumus, ſtatuimus, &c. quæ verba ſunt noui iuris inductiua: ſed ait, definimus, hoc eſt, declaramus. Et per conſequens, ſicut prȩſcriptio cum mala fide, poſt illam declarationem non valet, ita nec ante illam.

Examinatur 3. sententia, quæ in aliquibus casibꝰ vera est, in aliis non item. TERTIA opinio, quæ ponit differentiam inter præſcriptionem rei poſſeſſæ, & iuris realis aut perſonalis, in certis caſibus eſt vera, in aliis autem non ita: Eſt enim quędam præſcriptio ad acquirendum ius reale ſeu perſonale; & eſt præſcriptio ad extinguendum huiuſmodi

A huiusmodi ius,& si sit personale ius,adhuc est duplex prescriptio ad illud extinguendum, secūdùm quod duplex seruitus est alicui debita. Quædam est certa,quæ debetur,etiamsi dominus non exigat; ita vt debitor teneatur singulis annis, seu mensibus, seu temporibus, aliquid in seruitium alterius facere. Alia verò est seruitus incerta, ad quam quis tenetur,quando dominus eam exegerit.

Præscriptio duplex.

Præscriptio ad acquirendū ius reale seu personale,duplex est.

De prima præscriptione, quæ fit ad acquisitionem iuris in persona, vel prædio, vel monte,vel pascuis alienis,ad piscādum, venandum, ligna scindendum,oues pascendum, & alia huiusmodi, quia factum requirit præscribentis, idem est iudicium, quod de præscriptione rerum alienarum. Itaque vtrobiq; requiritur bona fides,ad legitimè præscribendum;alioqui furtum, seu violentia committeretur.

Posterior præscriptio etiā duplex est.

De alia verò præscriptione,quæ fit ad extinguendum ius huiusmodi seu seruitutem,per quam debitor sibi libertatem acquirit,si seruitus erat certa,& debebatur,etiamsi à domino non exigatur,similiter est necessaria bona fides:Non enim minus peccatum est,debitum retinere,& creditori,vel domino,cui debetur,non soluere; quàm rem alienam auferre, & retinere, idque si debitor sit in mora: quod fieri potest die pro homine interpellante, etiamsi homo, seu creditor debitum non exigat. Ac proinde si bona fides non interueniat, quæ censum, vel seruitium, vel rem aliam debitam non soluentem à peccato excuset; non video quomodò valeat illi præscriptio in foro conscientiæ: cùm B Decretalis omnem præscriptionem, sine exceptione cum mala fide, inualidet.

De praescriptione verè ad extinguendum ius, seu seruitutem incertam, quæ non debetur, nisi domino exigente, seu iure suo vti volente, videtur procedere hæc tertia positio: Nam in hac non requiritur factum, seruitutem personalem, aut realem præscribentis: sic enim præscribens nec alienam rem, nec aliquid alteri debitum retinet, vt constat; sed solùm concurrit non vsus ipsius domini, qui iure suo non vtitur, vt quia cùm habeat ius venandi,piscandi, pascendi, per agrum alterius transeundi, aquam per alienum fundum ducendi; &c. hæc tamen omittit ad tempus. In hac præscriptione non exigitur bona fides in eo,qui suæ personæ,aut rerum suarum libertatem præscribit; nec est in peccato per hęc,quòd dominus iure suo non vtatur,nec alienum possidet,nec rem debitam retinet,perditur ius per non vsum eius,& sibi libertas acquiritur:modò ex negligentia dominus iure suo vti desinat. II.

Vnde mvltis modis contingit aliquem iure suo, quod in agrum seu rem alterius, aut in personam habet, non vti: quia scilicet non potest, vel quia se ius illud habere ignorat,& tunc contra illum nō præscribitur:Vel quia,etsi possit,vult tamen in gratiam debitoris ad tempus ab exactione seruitutis cessare: tunc etiam non præscribitur contra illum, si de tali gratia constet. Si autem suo iure vti desinit, ob negligentiam suam,tunc non mirum,si ad tempus certum huiusmodi ius amittat. Et tunc nil refert, quam fidem habeat,bonam aut malam,is qui talem seruitutem seu libertatem à seruitute præscribit. C Vnde quantumcunque malam fidem habeat,qui seruituti obnoxius est, puta, si putat se teneri ad reddendum seruitutem tempore, quo verè non tenetur, non desinit præscriptio currere:quia vbi non requiritur bona fides,mala præscriptionem non impedit.Nec obstat Decretalis citata,quæ ait, quòd nulla præscriptio valeat cum mala fide; quia procedit de præscriptione rei alienæ, seu alteri debitæ, cuius retentio & non redditio in se peccatum est: & non ob solam conscientiam.

Multis accidit modis aliquē iure suo, quod habet in aliquid, non vti.

Corollarie sequitur,debitorem non soluentem quod debet,non præscribere sibi debitum, etiamsi per notabile tempus creditor illud non exigat; nisi ex parte debitoris adsit bona fides,& ex parte creditoris negligentia.Et dicitur quis in repetendo debito negligens, quando potest repetere; & non volens gratiam facere, ex incuria repetere desinit.Et multò minùs valet præscriptio, si debitor desinat soluere cum mala fide, non obstante lege,vel statuto aliquo in contrarium. Vnde quamuis per statutum caueri possit, ne creditor actionem habeat ad rem debitam petendam, nisi intra certum tempus eam petat;non tamen id sufficit,vt debitor sibi rem debitam præscribat. De hoc vide Adrianum,quotlibet.5. *Corollarium I.*

Seqvitvr inde, quòd si hi qui reditus colligunt, qui vulgò dicuntur, arrendadores,decimam, seu reditum ab aliquo sibi debitum, intra triennium non petat; non ideò debitor liber est in conscientia à debiti solutione: esto quòd præfatus collector actionem contra illum amittat. Excepto, nisi verisimile sit, quòd velit debitum condonare; *II.Corollariū.*

LL quod

quod tamen non facilè præsumendum est; quia de nemine præsumitur quòd velit rem D suam perdere.l.qui vas.§.vetare.ff.de furtis.

III. Corollariũ. COROLLARIE sequitur, impertinens esse ad rem possessam præscribendam, ex quo errore quis eam possideat: nam distinguunt communiter de errore facti aut iuris: & iterum de errore iuris obscuri, vel clari. Et dicunt, quòd error facti, non error iuris saltem clari, excuset possidentem, & faciat valere præscriptionem: videtur tamen, stando in dictis, quòd siue possideat quis rem alienam ex errore facti, siue iuris clari, siue obscuri, stat quòd habebat bonam fidem, si error sit inuincibilis, vnde putet sibi licitum esse rem illam possidere. Qui autem dicunt, quòd error iuris, saltem clari non releuet possidentem, procedunt ex præsumptione: quia præsumitur, quòd ius illud non nisi ex culpa seu negligentia ignoretur, cùm facilè posset homo, si inquireret, illud scire. Stat tamen huic præsumptioni veritatem opponi, & tunc stabitur veritati, non præsumptioni in foro conscientiæ.

IIII. Corollarium. SEQVITVR ampliùs, ad bonam fidem non sufficere, credere suum esse quod quis possidet, nisi credulitas sit probabilis, & inuincibilis. Si enim crassa sit, aut affectata huiusmodi credulitas, non excusat eum, qui alienum possidet, à peccato: & per consequens ille rem præscribere non potest cum tali credulitate, etiamsi credulitatem practicam habeat, qua credat non esse rem illam alteri reddendam. Corollarium patet ex intento præfatæ Decretalis. B

V. Corollariũ. COROLLARIE sequitur, prælatum aut alium secularem dominum, quibus subditi in eorum promotione solent sponte seruitium aliquod facere, per spontaneam oblationem alicuius muneris, non præscribere contra illos ius tale seruitiũ exigendi, etiamsi in multis annis illud obtulerint. Ratio est clara, quia præscriptio non nisi contra negligentes currit: in præsenti autem subditi non negligentes, sed munera sponte & gratiosè sunt offerentes. Nec obstat cap. seruitium 18.q.2. vbi dicitur, quòd seruitia consueta dari Ecclesiis aut prælatis, reddantur: nam hoc procedit, quando consuetudo est antiqua, & dubitatur, an sit debita talis præstatio: & quamdiu nescitur, an indebita sit, præsumitur quòd sit debita. Secus si subditi assueta seruitia reddere cogantur: quia tunc, si possunt se à præstatione eximere, & negligunt, stante in prælato bona fide, valebit præscriptio. Et sicut non currit præscriptio contra eos, qui sponte munera frequenter offerunt; ita nec contra eos, qui putantes se ob causam aliquid debere, annuè illud soluunt; quia possunt, cùm sciuerint causam non subesse, à solutione cessare; ignorantia enim videtur eos releuasse.

De eodem titulo.

QVÆSTIO XVIII.

F

An præscribens rem aliquã putans esse suam, post cognoscens fuisse alienam, possit eam retinere, an debeat restituere?

SVPEREST, quæstionem propositam breuiter absoluere: An qui legitimè rem aliquam pręscripsit, cum conditionibus ad præscribendum requisitis, & posteà instruatur, & credat rem illam alienam fuisse, quam suam esse putauerat, sit posteà in conscientia tutus, eam retinendo: an teneatur eam priori domino reddere. In qua quæstione varia sentiunt Doctores, quorum sententias, & per eos allegata referre longum esset; satis erit, paucis, quid sentiant, ostendere. Quidam indistinctè tenent, illum esse tutum rem illam sibi tanquam propriam retinendo. Pro qua sententia arguitur: Primò, quia lex iusta ab initio potuit rerum dominia diuidere, & ea diuersis personis applicare. Ita Augustinus & habetur distinct.8.cap.quo iure. sed non minor est autoritas principis, seu legis post diuisionem, quàm anteà fuerat: igitur nunc poterit per legem iustam res vnius alteri tradi: talis est lex pręscriptionis, quę propter bonum publicum, & ad lites dirimendas est instituta.

I. Sententia. *Argumẽtum* I.

II. SECVNDO, quia legislator potest iustè punire transgressorem legis pœna corporali: ergo à fortiori pœna pecuniaria. Cùm ergo negligentia hominum in rebus suis non repetendis detrimentum afferat reipub. cùm sit pacis impedimentum: ergo potest in pœnam negligentium rem eorum fisco applicare: & per consequens ei, qui tempore à lege definito eam occupauit.

TERTIO

A TERTIO res alicuius poteſt in alterius dominium tranſire ex conſenſu licito, vel debito ipſius domini particularis, vt ſuprà diximus: ſed omnes qui principi ſubditi ſunt, conſentiunt in legibus iuſtis, & ad pacem, & vtilitatem publicam neceſſariis; & ita conſentiunt in lege pręſcriptionis:& per conſequens,cùm huiuſmodi lex rem negligentis in poſsidentem transferat,ſequitur, quòd in hoc ipſo conſentiat antiquus ipſius rei dominus, ſaltem actu debito. III.

QVARTO,nemo obligatur reſtituere quod iuſtè poſsidet;ſed in caſu homo ille poſt lapſum tempus præſcriptionis,iuſtè rem illam poſsidet, quia iure poſsidet tam Canonico, quàm ciuili. Si iure,iuſte:ſi iuſtè,bene. Auguſtinus.& habetur.14.q.4.ca.quid dicam, in fin. Et confirmatur,quia nemo legis autoritate peccat.23.q.4.cap. qui peccat.in prin. Id etiam poſſumus,quod iure poſſumus: ſed homo in caſu legis autoritate rem illam tenet, & poſsidet: igitur eam tenendo, & poſsidendo non peccat, & ita non tenetur eam reſtituere. IIII.

ALIORVM ſententia eſt in oppoſitum,ſcilicet, quòd qualitercunque quis præſcripſerit, ſi lapſo tempore præſcriptionis, adueniat mala fides, qua ſciat, rem quam tenet, alienam fuiſſe,tenetur illam reſtituere,ſi nullo alio quàm præſcriptionis titulo eam poſſideat. Pro quo arguitur, quia fundamentum præſcriptionis eſt bona fides, vt ex dictis patet:igitur deficiente bona fide,corruit ipſa præſcriptio; & ita titulo præſcriptionis re- II. *Sententia.* *Ratio* I.
B tineri non poteſt. Sicut vbi non eſt mutuum, vſura locum non habet. Et vbi character Baptiſmi non eſt, Ordo locum habere non poteſt. Et vbi deficit conſenſus maritalis, coniugium non valet &c.

SECVNDO ex regulis iuris in 6.Locupletari cũ iactura aut detrimento alterius non debemus: Sed in caſu alienum poſsidens locupletior fieret cum alterius detrimento, ſi nullum alium titulum habet, quàm præſcriptionem: igitur tenetur rem illam reddere. II.

TERTIO ex curſu temporis nulla oritur obligatio,cùm nec tollatur tempore.ff.de actioni. & obligatio. l.obligationum .§.placet. Vnde Auguſtinus: ſi nunquam tenuiſſes eius aſſenſum, nullus te defenderet numerus annorum 33.quæſt.5. cap.quod Deo pari. Igitur ſi quis alienum retinet,ſine domini conſenſu,non poterit ex temporis longitudine excuſari. III.

ALII MEDIA via incedere volentes, diſtinguentes dixerunt: Vel homo ille rem acquiſiuit titulo oneroſo, puta, per viam emptionis, aut permutationis: & tunc non tenetur rem reſtituere, cùm iuris authoritate adiutus, magis teneatur ſuæ indemnitati conſulere,quàm alienæ;nec bona fides patitur quòd idem bis reſtituatur. Et ita ſi bona fide pro re illa aliena tantundem in valore dederat, ſequitur, &c. Si autem rem habuit titulo gratioſo, vt per viam donationis, aut legati, aut hæreditariæ ſucceſsionis, ſeu per rei inuentionem;tunc tenetur rem ſuo domino cognito reſtituere,quia non debet cum alterius iactura locupletari. III. *Sententia.*

C HIS TAMEN non obſtantibus;videtur aliter ſub diſtinctione reſpondendum:quia vel ſubeſt iuſta cauſa,ob quam iuſtè poſsit rei dominus antiquior ipſa priuari,& tunc tutus eſt in conſcientia qui rem illam legitimè præſcripſit, etiamſi poſtmodùm ſciat rem illam alienam fuiſſe.Iuſta autem cauſa videtur & eſt,ſi dominus rei fuit negligens,vt ſuprà tactum eſt,quam negligentiam lex punire intendit:ſi tamen dominus rei præſcriptę in negligentia, aut culpa non fuit, ob quam ſit re ſua dignus priuari, tunc iniquum eſſe videtur, præſcribentem rem illam ſuo domino non reddere, & cum alterius, qui culpa caret,iactura locupletari: idq; in caſu quo is, qui cum bona fide præſcripſit,factus eſt locupletior, alioqui bona fides excuſabit eum, ne rem cum bona fide conſumptam reſtituere teneatur. Secùs ſi res eadem præſcripta conſumpta non ſit; quia tunc quocunque titulo, ſiue gratioſo, ſiue oneroſo eam acquiſiuerit, tenetur eam ſuo domino reſtituere. Quanquam in hoc caſu, quo rei dominus negligens non fuerit, datur ei actio, vt intra quatuor annos, poſt completam præſcriptionem, rem ſuam petat, & audietur. *Reſolutio bimembris.* I. II.

IN HOC igitur articulo,quo de reſtituenda re præſcripta agitur, illud attendẽdum eſt, an præſcriptio fuerit legitima, hoc eſt, in qua omnia ad præſcribendum neceſſaria concurrerint: & tunc lapſo tempore præſcriptionis, abſque ſcrupulo conſcientiæ poteſt [illegible]æſcribens eam tanquam propriam poſsidere: non obſtante quòd completa præſcri[illegible]e ad notitiam eius perueniat,rem illam alienam fuiſſe; ſecùs ſi aliquid de neceſſa[illegible] præſcribendum defuerit.Ideò præmiſimus ſuprà ea, quæ ad præſcribẽdum requi- *In reſtituẽda re præſcripta, quid præcipuè attendendum.*

LL 2 runtur,

runtur, & contra quem posſit, aut non posſit, præſcribi, & quæ res ſint præſcriptibiles: & illis cognitis, facile eſt ad quamplures caſus in præſenti materia reſpondere. D

Quatenus vera ſit I. ſententia. NVNC reſpondendum eſt ad rationes pro prioribus ſententiis ſuprà factas. Et dicendum ad primam opinionem, eam veram eſſe, ſi in præſcribendo ſint omnia, quæ requiruntur, ſeruata; alioqui non eſt legiſlatoris intentio, quenquam re ſua priuare, nec ad id poteſtatem habet abſolutam, niſi iuſta culpa vel cauſa concurrat.

Oppugnatur III. argumentum eiuſdē ſententia. TERTIA tamen ratio, & quarta videntur ſuas habere difficultates: nam in tertia innuitur, quòd ex quo ſubditi conſentiunt in legibus iuſtis, ſunt in conſcientia tuti, qui completa præſcriptione, rem, quam ſciunt alienam fuiſſe, ſibiipſis retinent: cùm conſenſus dominorum concurrant, ex quo legi iuſtæ conſentiunt. Verùm ex hoc ſequeretur, paritate rationis hominem ſemper tutum eſſe, quando rem ſibi à iure, vel à iudice adiudicatam retinet, cùm tamen oppoſitum ſit verum: cùm ſecundùm iura, poſsit homo vſuram citra cēteſimam accipere, & retinere. Et qui citra dimidium iuſti pretij contrahentem defraudat, poteſt lucrum retinere acquiſitum. Et ſæpiſsime, ſecundùm iura, datur alicui actio ad rem, quam etiam ſententia in fauorem eius ſubſequuta retinere nō poteſt; maximè cùm ſæpe contingat, iudices iuxta allegata iudicātes, indignum damnare; damnatione autem dignum, abſoluere: eſto quòd iudex iuſtè, & ſecundùm leges iuſtas iudicauerit: & tamen hi, pro quibus ſic iudicatum eſt, non ſunt ideò in conſcientia tuti. Pro quo eſt manifeſtum exemplum de executione ſententiæ delegati, quæ tranſiit E in rem iudicatam, quam ordinarius tenetur exequi; quamuis eam ſciat iniuſtam eſſe: cap. paſtoralis. §. quia verò. de officio legati. & tamen non ideò tutus eſt in conſcientia is, in cuius fauorem lata eſt ſententia. Itaque populus conſentit, quòd legiſlator faciat leges iuſtas, & quòd iudices iuxta eas iudicent, ex quo ita ad publicam expedit vtilitatem: non obſtante, quòd leges huiuſmodi in damnum quorundam aliquando cedant; non tamen inde opùs eſt, quòd populus conſentiat in hoc, quòd hi qui huiuſmodi legibus in foro exteriori iuuantur, dominium rerum alienarum acquirant. Aliud enim eſt conſentire in legum iuſtarum inſtitutione, earumque obſeruatione, ad quod ſubditi ob communem pacem tenentur: Aliud verò in ſuarum rerum iactura, & amiſsione, quo ad forum conſcientiæ.

Similiter IIII. argumētum pro eadem ſententia allatum. IN QVARTA ratione idem in ſententia ſignificatur, quod modò impugnatum eſt, ideò quod dicitur; nemo legis autoritate peccat; quamuis id Auguſtinus de lege diuina dicat, eſt etiam de lege humana verùm: quæ ſi verè lex ſit, non præſtat autoritatem ad perperàm aliquid agendum: eſto quòd ſæpe aliqua peccata permittat, ea non puniendo.

Reſpondetur ad rationes II. ſententia. RATIONES etiam ſecundæ opinionis directè videntur procedere contra præſcriptionem, etiamſi legitima ſit: ideò ad eas videtur reſpondendum. *Ad I.* Ad primam, fateor bonam fidem fundamentum eſſe præſcriptionis; ſed hoc intelligitur pro tempore, quo præſcriptio currit, vt ex dictis patet. Poſt completam autem præſcriptionem, res quæ anteà alterius erat, iam facta eſt poſsidentis; etiamſi poſteà ſciat rem illam alienam fuiſſe, cum qua ſcientia adhuc ſtat bona fides: iuxta ea, quæ ſuprà de fide loquuti ſumus, accipiendo fidem pro conſcientia, quæ dictat de licentia poſſeſsionis. F

Ad II. AD SECVNDAM ex regula iuris: nemo debet cum alterius detrimento locupletari; verum eſt autoritate priuata, ſecus autoritate publica legis, vt in præſenti.

Ad III. AD TERTIAM, eſto ex curſu temporis præciſè obligatio non oriatur, attamen ſi cum temporis curſu alia concurrant, quæ ad præſcribendum ſufficiant, iam non ſolus temporum curſus, ſed legiſlator ad id poteſtatem habens concurrit.

Soluitur fundamentū III. ſententia. QVOD ETIAM tertia opinio dicebat de titulo gratioſo & oneroſo, videtur quodammodò impertinens ad quæſtionem præſentem: nam poſt completam præſcriptionem, quamdiu bona fides habetur, res tutè retineri poteſt, quocunque titulo fuerit acquiſita. Si autem mala fides habetur, practica, qua ſcilicet credit ſe illicitè, ſeu iniuſtè rem illam detinere, hac ſtante, tenetur rem reddere, ſiue titulo oneroſo, ſiue gratioſo eam obtinuerit, vt patet.

De rebus per meretricium, aut aliâs turpiter acquiſitis.

QVÆSTIO XIX.

SOLET

A SOLET PRAETEREA quæri de turpi lucro, quale est, quod per meretricium acquiritur, an sit de necessitate restituendum. Et quoniam hęc quæstio præsupponit actus meretricios turpes esse, inquirere conuenit, an ita sit semper, an potiùs vnquam licitum fuerit, aut sit, mulierem extra legem coniugij alicui viro copulari, vt quæstio hæc ad meretricium, ad concubinatum, & ad simplicem fornicationem se extendat. Et pro parte affirmatiua, quòd scilicet præfatus actus sit vel fuerit aliquando licitus, multiplex est ratio dubitandi.

An copulatio viri cum muliere, extra legē coniugij, sit vel fuerit aliquando licita.

Argumenta pro parte affirmatiua.

PRIMO exemplo sumpto de Thamar, quæ cùm soluta esset à lege viri, se Iudæ carnaliter supposuit. Et quòd in hoc non peccauerit, inde apparet, quia cùm illa esset ad combustionem iuxta legem condemnata, eam tamen ipsemet Iudas, qui tunc temporis Iudex erat, à pœna, ad quam condemnata fuerat, absoluit, eamque insuper à culpa excusauit, dicens: Iustior me est, quia non tradidi illi Selam filium meum. Igitur ob causam aliquam licitum est fornicari. Idem apparet de Raab meretrice, & de Ruth Moabitide, de quibus Euangelium meminit. I. *Genes. 38.* *Matth. 1.*

SECVNDO idem apparet de fœmina, cui iudex præcipit, vt viro quem actu habet, debitum coniugale persoluat, quem tamen scit suum legitimum maritum non esse, publicè tamen cum eo contraxit. Talis fœmina non videtur reddendo peccare, maximè si B ex non redditione videat scandalū imminere. Tum, quia iudici iustè aliquid præcipienti parendum est: iuxta illud Christi, Matth. 23. Super cathedram Moysi sederunt scribæ & pharisæi: quæcunque dixerint vobis, facite. Quod tunc maximè procedit, quando iudex iuxta legem iudicium tulerit, vt in casu huius rationis suppono. Tum etiam, quia magis obligat præceptum de non scandalizando, quàm præceptum de non cognoscendo virum alienum. Quando autem duo præcepta simul seruari non possunt, quod minus est, maiori cedere debet, vt dicitur 13. distinct. cap. duo mala. II.

TERTIO idem apparet, quia aliquando licitum est vxori suo marito debitum postulanti denegare: igitur aliquando erit licitum, ob causam aliquam, viro non suo commisceri. Non enim minus peccatum est, aliquid contra iustitiam facere, quale primum est, quàm contra temperantiam, quale secundum est. III.

QVARTO ad idem facit ratio, quia stat quòd fœmina nullam aliam habeat viam, qua mortem famis, aut gladij possit euadere, quàm viro non suo in actu illo consentire: igitur tunc ad minus erit ei licitum fornicari. Et consequentia apparet, quia ob similem, & eandem causam licitum est aliena, domino inuito, surripere, non obstante præcepto de non furando. IIII.

POSTREMO idem apparet, quia actus, qui per se malus nō est, nec aliqua lege prohibitus, est licitus: talis est simplex fornicatio, seu copula huius viri soluti cum hac soluta. Quòd autem talis actus lege aliqua vetitus non sit, apparet; quia maximè in præcepto V. C Decalogi, de non mœchando: sed hoc non, cùm constet aliud esse mœchiam, quæ lege etiam ciuili prohibita est: aliud verò simplicem fornicationem, seu meretricium, quòd secundùm legem toleratur.

ET DE concubinatu idem apparet: tum quia in lege veteri licitum erat concubinas habere, quas sanctos patres habuisse legimus, vt patet de Abraham, Genes. 25. Et de Leuita, Iudicum 19. Et de aliis pluribus idem scripturam percurrenti constare potest: & etiam per leges ciuiles videtur cōcubinatus approbari, per quas determinatur, quis possit, & qualem concubinam habere: vt habetur Partit. 4. titulo. 14. VI.

OCCASIONE huius postremæ rationis, propter contentiosos, moueo quæstionem: An meretriciū, seu simplex fornicatio sit peccatum mortale, iure naturali, diuino, aut humano prohibitum? Quòd enim sit peccatum, omnes fatentur. Et probat Durandus; quia vel talis actus ordinatur ad delectationē, & sic malus est, cùm in malum finem ordinetur: aut ordinatur in prolem, & sic etiam malus est; quia vt plurimum cedit in malum prolis, eò quòd cùm parentes lege coniugali iuncti non sint, non eam adhibent curam in liberorum educatione, quam adhiberent, si copulati essent. Sed quidquid sit de huius rationis efficacia, solet dubitari, an simplex fornicatio sit lege diuina prohibita, an etiam naturali: nam quòd peccatum mortale sit, & lege canonica prohibita, non dubitatur; cùm id certum esse non ambigitur, vt patet. 22. q. 1. capit. vltimo. vbi dicitur, quòd pro periurio debeat talis pœnitentia imponi; qualis pro homicidio voluntario, & pro forni-

Pro resolutione est alia quæstio, An eiusmodi actus sit peccatum mortale, & quo iure prohibitus.

Certum est mortale pecatū esse, & lege Canonica prohibitum.

fornicatione, & pro cæteris criminibus mortalibus imponi solet: vbi huiusmodi fornicatio inter mortalia peccata connumeratur. Omnis etiam concubitus, præter vxorium, iure Canonico est reprobatus 32.q.4. cap.nemo. & cap. meretrices. Similiter iure ciuili omnis talis coitus est reprobatus per Authenticam de lenonibus, & Authenticam, scenicas mulieres. In quibus Imperator ait, quòd sit castitatis amator, & quòd in istis spiritualibus velit dispositionem canonum sequi. Quanquam iure ciuili concubinatus permittatur, vt maius malum euitetur, puta, vagus concubitus, quem in multorum perniciem cedere experientia commonstrat. D

An similiter fornicatio sit lege diuina prohibita?

An avtem fornicatio sit lege diuina prohibita, posit alicui videri, quòd non: Tum quia concubinatus non est lege diuina prohibitus: cùm, vt suprà diximus, multos viros amicos Dei, concubinas habuisse legamus.

Rationes negatiua. I.

II. Tvm etiam, quia si in lege diuina simplex fornicatio reprobaretur, maximè in præcepto Decalogi, quo dicitur: Non mœchaberis. Sed hoc non, quia mœchiæ nomine non simplex fornicatio, sed adulterium venit intelligendum: vt leges ciuiles declarant, & Augustinus idem super Exodum capit.20. dicit. quia ait, concubitum coniugis cum coniuge alterius reprobatum esse. Similiter concubitum soluti cum ea, quæ virum habet, & econtrà. Attamen concubitum eius, qui vxorem non habet, cùm ea, quæ virum non habet, non, inquit, legitur per scripturam sacram esse prohibitum.

III. Tvm etiam, quia ex communi consensu hoc differt inter hoc præceptum, Non mœchaberis: & illud, Non concupisces vxorem proximi tui: quia scilicet in primo prohibetur actus, in secundo verò animus. Sicut idem discrimen solet assignari inter hoc præceptum, Non furtum facies: & illud aliud, Non concupisces rem proximi tui. Cùm ergo in illo secundo prohibeatur animus accedendi ad vxorem alienam, non ad solutam: igitur in præcepto de non mœchando, non prohibetur actus cum soluta, sed cum aliena: & per consequens, lege diuina non simplex fornicatio, sed adulterium prohibetur. E

Resolutio affirmatiua.

Respondetvr, his non obstantibus, tenendum est, quòd lex diuina damnat non solùm adulterium, sed etiam fornicationem, quæ fit inter solutum, & solutam. Hoc

Probatur I. *Matth.5.* patet primò in præcepto Decalogi de non mœchando, vbi mœchiæ nomen ad omnem fornicationem extenditur, vt Christus innuit, dicens: Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est in corde suo: vbi mœchari dicitur omnis, qui mulierem non suam concupiscit.

II. Idem sensus patet ex Augustino super Exod.20.ca. vbi cùm proponat, vbi in diuina lege simplex fornicatio soluti cum soluta prohibeatur, concludit, quòd in hoc præcepto de non mœchando prohibeatur omnis illicitus concubitus, qui scilicet præter legem coniugij fit, & omnis talis venit nomine mœchiæ intelligendus.

III. Idem sensus patet ex glossa interlineari ibidem dicente, quòd per mœchiam intelligatur omnis concubitus, extra legem coniugij factus: quia, vt ait, à parte totum intelligitur.

IIII. Idem sensus colligitur ex sententia Ambrosij, & habetur 32.q.4.ca.nemo. vbi dicit, adulterium esse omnem concubitum factum extra legem coniugij. Cùm ergo simplex fornicatio sit extra legem coniugij, vt constat: sequitur, eam nomine adulterij & mœchiæ venire intelligendam: non enim illud potuisset Ambrosius dicere, nisi nomen mœchiæ, & adulterij ad omnem concubitum extra legem coniugij factum extenderetur. F

Solutio V. argumenti in initio quæstionis allati.

Ex quibus soluitur quintum argumentum suprà adductum.

V. Praeterea ex doctrina Pauli hoc idem patet, ad Thessalon.4. vbi ait: Scitis, quæ præcepta tradiderim vobis per Dominum Iesum. & addit. Hæc est voluntas Dei, sanctificatio vestra, vt abstineatis ab omni fornicatione. vbi notatur præceptum Domini fuisse, vt homines ab omni fornicatione abstineant. Si ab omni, non igitur à solo adulterio est, ex Domini præcepto, abstinendum; sed etiam à simplici fornicatione. Et iterum ad Ephes.5. Omnis fornicator, aut immundus, aut auarus, non habebit hæreditatem cum Christo. Sed quia fortè dicerent aliqui, quòd in huiusmodi autoritatibus per fornicationem, non simplex fornicatio, sed adulterium intelligatur, ideò induco dictum

VI. Christi Matthæi 15. vbi ait: Non quod intrat in os coinquinat hominem, sed quod à corde exit. A corde exeunt cogitationes malæ, fornicationes, & adulteria, &c. vbi apertè de fornicatione, & adulterio, tanquam de diuersis loquitur: & hæc peccata, ait, hominem coinquinare. Igitur non solùm adulterium, sed etiam simplex fornicatio in lege Christi est reprobata.

A IDEM etiam patet ex 1. ad Corinth. 6. vbi dicit Paulus: Nolite errare, quia nec fornicarij, nec idôlis seruientes, nec adulteri, neq; molles, regnum Dei posſidebunt. Vbi apertè notat fornicationem spiritualem (quæ est idololatria) & adulterinam, & ſimplicem: & omnes has significat eſſe mortalia peccata. VII.

QVOD etiam lex diuina antiqua huiuſmodi ſimplicem fornicationem reprobet, conſtat ex Deuterono. 23. vbi dicitur: Non erit meretrix de filiabus Iſraël, nec ſcortator de filiis Iſraël. Idem patet ex 4. cap. Tobiæ, vbi ſenex iuſtus ad filium ſuum ait: Attende fili, & caue ab omni fornicatione, & non admittas tale crimen cum aliqua, quæ non ſit tua vxor. Ex quo conſtat, tunc etiam fuiſſe crimen, id eſt, mortale peccatum alicui extra legem coniugij copulari. VIII.

An ſimiliter fornicatio ſit mortalis naturali iure prohibita.

SECVNDO reſtat videre, an ſimplex fornicatio ſit peccatum mortale iure naturali prohibitum, etiam diuino, & humano iure ſecluſis. Et videtur dicere Durandus, quòd non. Ratio quam dat, hæc eſt: Quia lex naturæ ſola non poteſt quenquã ſub pœna æterna obligare, eò quòd lex naturæ nil de æterna pœna docere, aut attingere poteſt, niſi Deus eam reuelaſſet. Tum etiam, quia nullus poteſt ſuis legibus quenquam ſub aliqua pœna obligare, quam tranſgreſſoribus infligere non poſſit: ſed tota natura naturata nemini poteſt æternam pœnam infligere: igitur lex naturæ non poteſt quenquam ſub tali pœna obligare. Itaque ſentit, quòd ſimplex fornicatio non eſt peccatum mortale, niſi B ex prohibitione iuris diuini, & humani.

Ratio pro negatiua.

Oppugnatur illa ratio.

Falſum eſt, legẽ naturæ nõ poſſe ſub pœna peccati mortalis obligare.

VERVM, ſalua pace, fundamentũ ſuum niſi ſanè intelligatur, videtur falſum, ſcilicet, quòd lex naturæ nõ poſſit ſub pœna peccati mortalis quenquam obligare: quod falſum eſſe patet ex doctrina Ariſtot. in 3. Ethic. vbi docet, eſſe aliqua peccata morte digna, & de ſe talia, pro quibus vitandis eſſet mors ſuſtinenda, exemplificat de homicidio, de adulterio, de mendacio, &c. & hæc dixit cùm in ſolo lumine naturali interiùs viueret. I.

IDEM etiam patet ex doctrina Pauli ad Roman. 1. reprehendentis gentiles in ſola lege naturali viuentes, & eam per idololatriam, & immunditias, & inobedientias, contra id, quod Deo, & ſuperioribus debetur; præuaricantes, concluditque, quòd non ſolùm digni ſint morte, qui huiuſmodi faciunt; ſed qui facientibus conſentiunt. Igitur omni iure diuino, & humano ſecluſis, poſſunt peccata mortalia contra legem naturæ committi. II.

DEINDE idem Paulus ad Rom. 7. apertè docet, ante legem à Deo datã, fuiſſe peccatum, quamuis mortuum, & per legem ſuſcitatum. Nec enim lex induxit peccatum, ſed illud, vt ait, manifeſtauit. Et loquitur de peccato mortali, vt patet intuenti. III.

HOC ETIAM idem patet de Cain, qui mortaliter peccauit, fratrem ſuum Abel occidendo. De quo diuina lex, quæ fratricidium prohibebat, nondũ erat tunc diuinitùs præter naturalem rationem data. Deus etiam mundum diluuio deſtruxit, propter peccata mortalia, ab omnibus commiſſa. De quibus legem vltra eam, quæ naturaliter mentibus C hominum inſita erat, nondum acceperant. Igitur dicere, quòd ſecluſa lege diuina, & humana lex naturæ neminem ad actum aliquem ſub pœna æterna obliget, eſt error. IIII. *Geneſ. 4.*

Reſpõdetur ad rationem pro parte negatiua adductam.

AD RATIONEM pro Durando factã facilè eſt reſpondere: quia quamuis natura naturata pœnam æternam nemini valeat infligere; præcipit tamen, aut prohibet aliquid per legem naturæ, cui niſi obtemperetur, pœnam æternam Deus præuaricantibus retribuet. Quemadmodùm, quamuis humana poteſtas pœnam æternã efficere non poſſit; poteſt tamen legem facere, cuius violator pœna æterna torquebitur. Nec ad hoc, quòd lex naturæ ad aliquid ſub æterna pœna obliget, neceſſarium eſt, per legem naturæ æternã pœnam poſſe cognoſci: ſatis eſt per legem naturæ culpam agnoſci, vt dignus ſit qui culpam commiſerit, æternaliter puniri. Sed de his vide Codicem de ieiunio.

Reſpõdetur ad ſextũ argumentum initio quæſtionis de cõcubinatu propoſitum.

NEC OBSTANT ea, quæ pro ratione dubitandi obiecta ſunt: nam cõcubinæ, quas patres veteris Teſtamenti habuiſſe legimus, vxores eorum erant, ſed minùs principales, cùm vnam principalem haberent vxorem, cui vxoris nomẽ appropriabatur. Et vxor Leuitæ, de qua Iudicum 19. concubina illic appellata eſt, cùm tamen verè vxor illius eſſet. Quando rurſus inquirebatur, vbi in lege diuina ſit prohibita ſimplex fornicatio? Dicendum, id ſatis ex dictis patêre, tum ex Decalogo, vbi dicitur: Non mœchaberis. Et quamuis nomen mœchiæ ſtrictè non niſi pro adulterio accipiatur, ex dictis tamen conſtat, etiam ad omnem illicitum concubitum extendi: vt expreſsè ait Auguſtinus, & habetur 32. quæſt. 4. cap. meretrices. Et ſicut nomine furti omnis illicita rei alienæ vſurpatio intelli-

intelligitur, quando in Decalogo furtum prohibetur: ita omnis illicitus concubitus D prohiberi intelligitur, quando mœchia prohibetur. Per idem patet ad tertium obiectũ, ſcilicet, quòd quando prohibetur vxoris alienæ cõcupiſcentia, omnis mulieris, quę propria vxor non eſt, concupiſcentia intelligitur prohiberi; idque ex ſana ſanctorum Doctorum intelligentia.

Reſpõdetur ad primum argumentum ibidẽ allatum.

Dubium. An mulieres à S. Matthæo cõmemoratæ fuerint peccatrices.

Sententia I.

IAM AD rationes in principio propoſitas, in quibus ipſarum tanguntur difficultates, reſpondeamus oportet. In prima tangitur difficultas, an mulieres illæ, quas Matthæus in Genealogia Chriſti cõmemorat, fuerint peccatrices. Faber omnes illas à peccato excuſat, & inſignes eas & ſtudioſas fuiſſe aſſerit. Thamar à culpa inceſtûs cum ſocero ſuo commiſsi excuſat, quia ſe illi zelo iuſtitiæ ſuppoſuit: ſcilicet, vt Iudas traderet illi alterum filium, qui de lege in virum illi tradendus erat, vt ſemen defuncto fratri ſuſcitaret; quod tamen pater implere recuſauerat: Item quia Iudas re comperta eam iuſtificauit, dicens: Iuſtior me eſt: Item quia illa, quæ duos filios in vtero habuit, duorum populorum figura fuit, ſcilicet, iudaici & gentilis. Raab etiam excuſat, quia de illa multa bona leguntur Ioſue 6. Similiter ad Hebræos 11. In catalogo Sanctorum de fide commendatur. Quòd ſi Ioſue 2. & 6. & ad Hebræos 11. meretrix appellatur, ipſe nomen meretricis hoſpitam interpretatur, quaſi nõ ſit nomen vitij, ſed officij; quæ merebat quidpiam ab hoſtibus, ex his quæ illis apponebat. Quod probat ex Chaldæo paraphraſte, qui loco, meretrix, legit cauponam ſeu cauponariam. Item ſi ſordida fuiſſet, Salomon prin- E ceps de tribu Iuda, eam in vxorem non accepiſſet. Ruth verò excuſat: Tum quia de illa multa pia leguntur, Ruth 1. Quòd ſi ad pedes Booz noctu iacuit, id, ait, pudicè feciſſe, iure propinquitatis illum in virum petens. Tum quia de hoc ipſo fuit à Booz commendata, cùm dixit: Benedicta filia tu à Domino, quia priorem miſericordiam poſteriore ſuperaſti. Berſabee excuſat: Tum quia violentiam paſſa fuit, quæ regis iuſſui reſiſtere non potuit. Tum quia in ſolo Dauid legitur illud peccatum punitum, non in Berſabee. Tum quia Nathan Propheta ad Dauid de Berſabee loquens, comparat eam oui innoxiæ, cui violentia allata eſt. Tum deniq; quia illa fuit figura ſynagogæ, de qua Canticorũ 3. Egredimini filiæ Sion, & videte Salomonem, quem mater coronauit diademate &c.

Secunda ſententia verior.

SED QVONIAM hæc omnia maiorem exigunt diſcuſsionem, quibus ſi in præſentiarum ſatisfacere vellemus, magna à noſtro inſtituto digreſsione opus eſſet: ideò cum communi Sanctorum ſententia dicendum, prædictas mulieres, ſi non omnes, ſaltem aliquas earum peccatrices fuiſſe, ſcilicet, Thamar, & Berſabee: è quibus ſicut prima à culpa inceſtûs per bonam intentionem excuſari non potuit; cùm malum, vt bonum eueniret, facere non debuiſſet: ita ſecunda per metum humanum à culpa adulterij non eſt omnino excuſanda, cùm debuiſſet potiùs mortes mille ſuſtinere quàm fidem coniugij contra Dei legem violare. Nec Iudas ſimpliciter dixit Thamar iuſtam eſſe, ſed ſe ipſo iuſtiorem: nec illam caſtam eſſe dixit, & à culpa inceſtus immunem, ſed iuſtius eſſe, quod illa prætendebat, quàm quod Iudas fecerat. Illa enim prætendebat ſibi dari filium F Iudæ in virum, qui de lege illi debebatur, & hoc iuſtè: Iudas autem filium, quem dare debuerat, denegauit, & hoc iniuſtè. Et ita Iudas non iuſtificat Thamar nurum ſuam in facto, ſed in intentione. Berſabee etiam culpa non caruit, quamuis per metum, quo regi contradicere timuit, fuerit eius culpa valde extenuata: quæ ſi legem, & timorem Dei ipſi Dauid obieciſſet, fortaſsis eius animum ab illo ſcelere reuocaſſet. Nec obſtat ſolum Dauid punitum eſſe, non Berſabee, quia non Dauid, ſed Berſabee nonnullam ſui erroris excuſationẽ videtur habuiſſe: ſed nec omnium crimina, nec omnes peccatores Deus in hoc ſeculo punit; puniturus tamen cùm mundum iudicauerit, niſi per pœnitentiam eorum peccata deleantur.

Reſpõdetur ad ſecũdum argumentum ſuprà dictum.

An in caſu illius argumenti, ſit iudici neceſſariò parendum.

Sentẽtia prima affirmatiua.

IN SECVNDA ratione alia tangitur difficultas, ſcilicet, an in caſu argumenti ſit neceſſarium iudici parere. Et videtur Magiſter Sententiarum in 4. diſtinct. 38. tenere partem affirmatiuam, quam ſimiliter tenuit Hugo de ſancto Victore lib. 2. de Sacramentis. Similiter alij Doctores recentiores, qui dicunt, quòd in caſu illa fœmina excuſetur

Ratio.

propter obedientiam, quam Eccleſiæ debet, & propter timorem ſcandali. Pro quorum ſententia videtur facere cap. literas. de reſtitutione ſpoliatorum. vbi videtur Innocentius innuere, quòd poſsit fœmina à peccato excuſari, ſi viro, quem conſanguineum eſſe in

Confirmatio.

gradibus, lege humana prohibitis, cognoſcit, debitum ad iudicis mandatum reddat, quemadmodùm tenet Hoſtienſ. in cap. propoſuit. de coniugio ſeruorum. quòd tempore litis

A litis pendentiæ, poſsit quis commiſceri ei, cui mouet quæſtionem ſtatus ad mandatum Eccleſiæ, abſque hoc, quòd in eam velut in vxorem de nouo conſentiat.

Sed cvm eorum bona venia, oppoſitum videtur tenendum, ſcilicet, non poſſe licitè ad præceptum iudicis fœminam ei carnaliter commiſceri, quem conſtat virum ſuum non eſſe; ſiue inter eos ſit impedimentum, quod lege diuina contractum impedit coniugalem, ſiue quòd lege humana eundem impedit: & in caſu tenetur potius excommunicationis ſententiam ſuſtinere, quàm actum carnalem extra legem coniugij contra ius diuinum exercere. Et quamuis in caſu Eccleſiæ videatur inobediens; non tamen ita eſt, ſi mentem iudicis aut iuris attendimus: qui ſi ei ſufficienter de impedimento in ſuo foro conſtaret, talem ſententiam minimè contra legem diuinam tuliſſet. Itaque quamuis verbis iudicis contrauenire videatur non parendo, non tamen eiuſdem intentioni contrariatur. Quòd ſi iudex intẽdat eam in caſu obligare, etiamſi ipſa præfati impedimenti ſit conſcia, tunc Deo obediendum eſt potiùs, quàm hominibus: nec propter iudicis ſententiam debet, imò nec poteſt propriæ conſcientiæ contrauenire. Nec obſtat cap. literas. ſuprà citatum, quia illic Innocentius refert aliorum opiniones, de quibus illic ſententiam ferre non intendit. Adde, quòd illic modum tradat à iudice in ſimili caſu ſeruandum, vt ſcilicet, ſi probationes de impedimento iuris diuini paratæ ſint, talis fœmina viro petenti non reſtituatur; secùs ſi ſolùm fuerit humani iuris impedimentum. *Solutio negatiua.* *Propter iudicũ ſententiam, nõ eſt propriæ conſcientiæ repugnandum.* *Soluitur ratio contrariæ ſententiæ.*

B Modum etiam tradit, quo in foro conſcientiæ ipſa fœmina ſe debeat habere, ſi conſcia ſit impedimenti: nempe vt propter ſententiam propriæ conſcientiæ minimè contraueniat. Similiter dicatur ad id, quod ex Hoſtieñ. eſt allegatum, quod ſcilicet vir, qui vxori quæſtionem ſtatus mouet, non tenetur ad mandatum Eccleſiæ, lite pendente, illi vxori, quam ancillam eſſe credit, carnaliter commiſceri: nam ſi ei vxorio affectu carnaliter cõmiſcetur, ſibi præiudicium facit, ex quo ipſo facto cogetur eam tanquam vxorem retinere: ſi autem non vxorio affectu id agit, fornicabitur. Et ita nec hoc, nec illo modo tenetur ad mandatum Eccleſiæ illi commiſceri. Sed de his alibi latiùs. *Ad cõfirmationem eiuſdem.*

In tertia ratione hæc alia tangitur difficultas, an coniunx teneatur ſuo coniugi, quoties debitum petierit, reddere. Quod cùm ad materiam de matrimonio directiùs pertineat, ad eam eſt reſponſio remittenda: nunc tamen breuiter reſpondendum, quòd non ſemper teneatur alter alteri debitum coniugale perſoluere; vt ſi petens adulterium commiſit, ſi morbum contagioſum, ſeu periculoſum habet; ita vt carnale commercium in notabile damnum corporis alterius eorum, aut etiam prolis cederet. In his & ſimilibus non tenetur debitum reddere poſtulanti, nec debitum denegando vllam petenti facit iniuriam; cùm in talibus caſibus ipſe poſtulans in debiti negatione non ſit rationabiliter inuitus. Ac proinde cõceſſo, quòd vxor poſsit aliquando viro petenti debitum denegare, non inde fit, vt eidem licitum ſit alieno viro aliquando commiſceri, cùm id lege diuina negatiua conſtet eſſe prohibitum. *Reſpõdetur ad tertium argumentum initio propoſitum.*

C Et per hæc etiam patet ad quartum, in quo id quæritur: quare pro vita ſaluanda licitum ſit aliena bona, domino inuito, ſurripere; & tamen pro eadem vita ſaluanda non ſit licitum alieno viro commiſceri? Ad quod dicendum, huius cauſam hanc eſſe, quia aliena bona auferre peccatum non eſt; niſi quia talis ablatio eſt iniuſta, & iniurioſa: quæ cauſa cùm ceſſet, ſi dominus in ſuarum rerum ablatione actu elicito, aut debito conſentiat, vt ex ſæpe dictis patet; ideò in caſu licita redditur alienarum rerum ablatio; attamen alieno viro commiſceri, malum & peccatum eſt, & ex lege diuina illud prohibente, cuius malitia per humanam voluntatem auferri non poteſt, ſicut poteſt auferri ab actu, quo aliena bona capiuntur. Ac proinde niſi ad fornicandum diuina accedat diſpenſatio, licitè fieri non poteſt. *Reſpõdetur ad quartum argumentum.*

Qvintvm & vltimum ſatis ex dictis arbitror eſſe ſolutum. Et per hæc patet ad id, quod in quæſtione de turpi lucro ſupponebatur.

De eodem titulo.

QVÆSTIO XX.

Svperest

An lucrum ex quæstu meretricio acquisitũ sit restituendum. Argumẽta partis affirmatiuæ. I.

SVPEREST AD ID, quod principaliter quærebatur respondere, an scilicet lucrum, ex meretricio acquisitum, sit de necessitate restituendum, & arguitur quòd sic. Primò, pro opere peccaminoso non est licitum pretium accipere, nec acceptum detinere. Probatur à simili; quia pretium acceptum pro testimonio falso ferendo, aut pro patrocinio iniusto, aut pro ferenda iniusta sententia, est de necessitate restituendum, vt tradit Augustinus in epistola ad Macedonium. Et habetur 14.q.5. cap. non sanè. Igitur fœmina pretium accipiens turpitudinis, tenetur illud restituere. D

II. SECVNDO, non minùs iniquum est, fœminam corpus suum alieno viro pro pretio tradere, quàm proprio, sed si pretium à viro proprio accipiat, vt illi corpus suum præbeat, vltrà quòd peccat, tenetur pretium restituere: igitur à fortiori, si adultero pro pretio corpus suum tradat: si enim corpus fœminæ venale non est, respectu mariti, igitur nec respectu adulteri. Similiter arguit Augustinus, quòd non sit licitum iudici sententiam iniustam vendere, ex quo nec iustam vendere potest.

III. TERTIO ad idem, pretium pro re spirituali acceptum, est restituendũ: igitur etiam pretium acceptum pro corpore fœminæ tradito, ad vsum carnis. Consequentia patet, quia sicut res spiritualis venalis non est, vt constat de simonia per totum; ita nec corpus fœminæ ad talem vsum est venale: nam viro proprio de necessitate est gratis reddendum, alieno autem pro nullo pretio est concedendum. E

IIII. QVARTO, vbi inter datum, & acceptum non seruatur æqualitas, quam iustitia requirit, est excessus de necessitate restituendus, vt suppono: sed in traditione corporis, & pretio dato æqualitas reperiri non potest, eò quòd pretium datum alicuius valoris est; corporis autem traditio, cùm peccatum sit in casu, nullius valoris est: igitur tale pretium est integrè restituendum, ex quo pretium se toto excedit valorem præfatæ traditionis.

V. QVINTO facit pro eodem quod habetur in l. Lutius Titius in fin. ff. de iur. fisc. vbi dicitur: Mortua rea crimine extincto, prosequutionem eorum, quę scelere acquisita probari possunt, fisco competere &c. Per quem textum tenẽt communiter Doctores, quòd meretrix non publica tenetur in foro animæ turpiter acquisita restituere. Et æqua ratio videtur de meretrice publica, ex quo in ea maior est turpitudo, quàm in occulta; saltem ratione scandali. Nec per maiorem turpitudinis frequentiam culpa publicæ meretricis alleuiatur, sed potiùs augetur.

VI. SEXTO facit, quod habetur in l. affectionis. ff. de donationibus. vbi in sententia habetur, quòd non valeat donatio meretrici à milite facta, & conuenit ipsi repetitio: Igitur pari ratione non valebit donatio meretrici facta, à quocunque fiat.

VII. SEPTIMO facit ratio, quia si meretrix posset licitè lucrum ex turpitudine acquisitũ, tanquam proprium retinere, sequeretur quòd posset de illo oblationẽ facere, contra id quod habetur Deuter. 23. Non offeres mercedẽ prostibuli in domo Domini &c. Et Ecclesiastici 34. vbi dicitur: Oblatio ex iniquo, oblatio est maculata: & dona iniquorum nõ probat altissimus. Et addit, Nec in multitudine sacrificiorum repropitiabitur peccatis eorum. Et procedit textus de his, qui ex turpi & iniquo lucro volunt sacrificare. Quod etiam citat ad hoc propositum Augustinus, & habetur 14.q.5. in principio. F

Alia q̃stio magis vniuersalis, scilicet, An quod per actum peccaminosum acquisitũ est, sit restituendum. Sentẽtia prima affirmatiua. *Ratio* I.

VNIVERSALIVS autem quæri posset, an sit de necessitate restituendũ, quod per actum peccaminosum est acquisitum, quodcunq; illud sit. Et videtur quidã Doctores tenere quòd sic: vt Innocen. cap. quia pleriq;. de immunitate Ecclesiæ. Quem etiam ibidem sequitur Panor. 10. q. conclusione 3. & Hostiensis cap. cùm sit. de Iudæis. Ad quos etiã videtur Palude declinare. Pro qua sententia faciunt, quæ dicta sunt in parte: tum etiã facit cap. cùm sit. §. officiali verò. de Iudæis &c. vbi in sententia dicitur, quòd Iudæi secundùm prouidentiam Diœcesanorum in eleemosynas pauperum Christianorum conuertant quidquid ratione publici officij inter Christianos fuerunt assequuti, & vt ex textu apparet, videtur huius ratio esse, quia Iudæi illa officia licitè exercere non poterant.

II. FACIT præterea cap. ad liberandam. eodem titulo. in princip. vbi in sententia dicitur, quòd non sint ab excommunicatione absoluendi hi, qui arma & alia vetita vendunt Sarracenis, quousq; quidquid illa illicita negotiatione lucrati sint, in subsidium terræ sanctæ expenderint. Vnde apparet, causam quare lucra illa expendere tenebãtur in pias causas fuisse, quia per illicitam & peccaminosam negotiationem ea quæsiuerant.

A TERTIO facit pro hoc dictum Pauli ad Roman. 11. Si radix sancta, & rami, & econtrà; si radix infecta, & rami. Quod consonat ei, quod Christus dixerat: Arbor mala non potest fructus bonos facere. Et ideò lucrum ex opere peccaminoso prouenieris, erit vitiosum & infectum, ac proinde dimittendum. III. *Matth. 7.*

FACIT quartò, quia si quis iurauit se nullum munus accepturum, & posteà, contra iuramentum præstitum, munus accipiat, tenebitur illud restituere, ne iuramento contraueniat. Igitur pari forma, qui contra legem obligantem aliquid lucratus est, tenetur illud restituere, ne legi obliganti contraueniat. IIII.

QVINTO, facit ratio, quia si datio pretij pro opere peccaminoso esset valida, & teneret, etiam esset valida promissio aliquid dandi pro peccato patrando: consequens videtur falsum, quia promissio aut stipulatio turpis, inualida est de iure, vt habetur. l. generaliter. ff. de verborum obligationibus. Nec refert quòd promissio fiat pro scelere perpetrato, aut pro perpetrando, vt habetur. l. Si plagij. eodem titu. vbi dicitur: Si plagij faciendi vel facti causa concepta sit stipulatio, ab initio non valet. V.

IN OPPOSITVM tamen video Doctores communiter declinare, qui in quæstione hac, de re turpiter acquisita ita distinguunt: quia vel turpitudo tenet se ex parte recipientis solùm, ita vt illi sit illicita huiusmodi lucri acceptio; & tunc tale lucrum iustè retineri non potest, sed restituendum est danti, ex parte cuius nulla fuit turpitudo: vt si litigator putans se iustam causam habere, timetque quòd iudex non illi iustitiam faciet, offert illi munus, vt iustè iudicet: aut si timet, testem, nisi pretio illi dato, veritatem non dicturum &c. tunc est turpis lucri acceptio, sed non datio. Similiter in vsura, vbi lucri acceptio turpis est, & non datio. Ideò in his, & similibus est facienda restitutio danti. *Sententia prima trimembris.* I.

B

SI AVTEM turpitudo se tenet ex parte dantis, & recipientis simul, tunc restitutio non debet fieri danti: quia obstat illi sua turpitudo (vt in simonia, in qua non solùm qui recipit, sed qui dat aliquid pro spirituali, peccat) sed est pauperibus restituendum. Quod cùm ius non præcipiat, erit id de consilio, vt dicunt. II.

SI VERO turpitudo se tenet ex parte modi, aut circumstantiæ, ita vt lucri acceptio in se probita non sit, tunc sic turpiter acquisitum non est restituendum; vt exemplificant de meretricio lucro, in quo licèt modus, seu medium, per quod acquiritur, sit illicitum, non tamen ipsa lucri acceptio: sicut habetur. ff. de condictione ob turpem causam. l. 4. §. 1. vbi dicitur: Licèt meretrix turpiter faciat in eo quòd est meretrix: non tamen turpiter accipit. III.

ITA CONSEQVENTER dicunt de eo qui mercatur in die festo, aut in loco sacro, vbi, & quando prohibitum est negotiationes exercere, quòd quamuis lucra sic acquisita sint turpia ratione loci, aut temporis, non sunt tamen restituenda; supposito quòd aliqua iustitia, & æqualitas inter datum & acceptum seruetur. Durum enim esset eos ad restituendum compellere, qui non vltra quod iustum fuit, pro suis mercibus receperunt. Durum etiam esset compellere eum, qui negotia cum hæretico, aut excommunicato exercet, seruata mercis & pretij æqualitate, vt pretium restituat, aut lucrum iustum. ad hunc modum de aliis. Itaque quando lucri acceptio illicita non est, iustè retineri potest, etiamsi modus acquirendi fuerit ob aliquam circumstantiam, illicitus: secùs vbi ipsa lucri acceptio est illicita, vt in simonia, in vsura, in muneribus iudici oblatis. *Corollarium.*

C

SVNT TAMEN in hac præfata responsione aliqua, quæ difficultate non carent. Primum, quia dicunt, quòd quando turpitudo se tenet ex parte dantis, non est illi acceptum restituendum, quia obstat ei sua turpitudo: nam quamuis qui turpiter dedit, dignus sit qui rem datam amittat, non tamen ob id quòd turpiter dedit, perdit ius ad rem datam in conscientia. Vt si clientulus dedit aliquid Aduocato, vt malè patrocinaretur, debet Aduocatus quod sic accepit, clientulo reddere, vt ait Augustinus in epistola ad Macedonium. Quod specialiter verum est, si scienter dedit Aduocato, ad hunc finem scilicet, vt iniustè patrocinaretur: & post rem acceptam per Aduocatum, antequàm iniustum ferat patrocinium, pœnitet rem perperàm accepisse, tenetur clientulo rem illam reddere, etiamsi turpiter dederit, antequàm is, qui turpiter dedit, per iudicem ad dati amissionem condemnetur: nam post sententiam contra eum latam, non erit illi res restituenda. *Oppugnatur prædicta sententia primo quo ad secundum membrum.*

SECVN-

II. *Contra secundũ membrum.* SECVNDVM, quia præsupponunt, quòd quando lucri, seu rei acceptio illicita est, similiter sit illicita eiusdem rei detentio. Contra quod stat ratio in casu, quo creditor potens rem sibi debitam iuridicè recuperare, si velit, tamen ipse propria authoritate de rebus debitoris clàm, aut per vim sibiipsi ius dicit, & sibi satisfacit; certum est huius rei acceptionem illicitam esse, & iniustam, & tamen potest ab ipsomet postmodùm licitè retineri. Sicut qui rem apud alium deposuerat, clàm illam ab ipso accipiat, peccat eam sic accipiendo, & tamen acceptam non tenetur in conscientia depositario reddere. Similiter si Petrus detinet rem, quam ego dubito meã esse, an ipsius, qui eam tenet; si eam stante dubio accipio, pecco, acceptam tamen illi restituere nõ teneor, quamdiu est dubium probabile, quòd mea sit. Non enim in casu huius dubij teneor Petri indemnitati potiùs, quàm meæ propriæ consulere, idque ante sententiam contra me latam: nam in his casibus iure possum compelli sic ablata restituere, siue reddere priori possessori, imò & iustè ad rei amissionem damnari possum; ante tamen sententiam contra me latam, ea quæ illicitè accepi, licitè potero retinere. Sicut in matrimonio est etiam clarum exemplum, si voui, aut iuraui vxorem non accipere, eam accipiendo pecco, acceptam autem retinendo non pecco. Ad hunc modum potest de aliis exemplificari, ac proinde ad propositum non est validum argumentum; Lucri acceptio est turpis ex parte accipientis: igitur res sic accepta est de necessitate restituenda. Cùm multa prohibeantur fieri, quæ tamen facta tenent. D E

III. *Cõtra tertium membrum.* TERTIVM, quia quod indistinctè dicunt, posse meretricem lucrum turpiter acquisitum retinere, dubium habet, cùm tale lucrum sit merces iniquitatis, quã Augustinus vbi suprà, significat retineri non posse. Cùm em̃ dixisset aduocatum debere reddere, quod, vt iniustè patrocinaretur acceperat, causam huius tradens, addit dicẽs, ne iniquitatis habeat mercedem. Adde, quòd non declarant, quando est turpis lucri acceptio, & quando non, vbi vtrobique ob turpem causam illud lucrum accipitur.

IIII. *Cõtra quartum membrum.* QVARTVM, quia dicunt quòd quando turpitudo se tenet ex parte dantis, & recipientis, quòd de consilio est, lucrum tale pauperibus dare, sed potest licitè retineri. Contra quod faciunt rationes, quæ statim subiungentur.

Sententia secũda de secũda q̃stione, scilicet, pro opere peccaminoso non esse licitum pretiũ recipere, aut retinere. *Probatur* I. ALIQVANDO mihi visum fuit generaliter cum illis tenere, qui dicunt, quòd pro nullo opere peccaminoso, siue commissionis, siue omissionis, quando tale opus in se peccatum est, & non solùm ob circumstantiam deprauantem, licitum est pretium recipere, nec ob illam causam lucrum huiusmodi retinere, nisi alius titulus iustus, vel honestus cõcurrat: tum propter rationes suprà ante oppositum factas: Tum etiam, quia opus peccaminosum non est venale, sicut nec res spiritualis: hæc, quia non est pretio comparabilis, cùm bonorum temporalium valorem excedat: illud autem, quia nullius est valoris, sed omnino tanquam vile, & turpe, & inutile fugiendum. Pro quo etiam facit Augustini sententia, vbi suprà, qui significat mercedem iniquitatis retineri non posse, cùm nec Iudas, cùm pessimus esset, ausus fuerit pretium, quod acceperat pro eo, quòd Christum tradiderat, retinere, sed illud restituit. F

II. SECVNDO idem patet argumento Augustini suprà significato, quia si sententia iusta à iudice lata non est venalis, nec pro ea potest iudex pretium accipere, nec acceptum retinere: à fortiori ergo sententia iniqua non erit venalis, nec poterit pro ea pretium recipi, nec receptum retineri, quandoquidem in vtroque casu iudex pretium recipiens, reciperet aliquid ob illam causam indebitum. Idem de aduocato, qui, vt iniustè patrocinaretur, mercedem accepit: Ait enim in epistola ad Macedonium, numero 34. Si iustitia syncerius consulatur, iustiùs dicitur aduocato, redde quod accepisti, quando contra veritatem stetisti, iniquitati affuisti, iudicem fefellisti, iustam causam oppressisti, de falsitate vicisti; quàm cuiquam in quolibet officio militanti, redde quod accepisti, quando, iubente iudice, cuicunque causæ hominem necessarium tenuisse, ne resisteret, vinxisti, ne fugeret, inclusisti: postremo autem permanẽte lite, exhibuisti, aut finita dimisisti. Et tandem concludit dicens, nisi fortè restituendum est alienum, quod per furtum clanculò aufertur, & restituendum non est alienum, quod in ipso foro, vbi peccata puniuntur, decepto iudice, & circumuentis legibus, obtinetur. Vbi apertè dicit, pretium pro iniusto patrocinio, & pro iniqua sententia receptum, esse restituendum; nec tales à restitutione deobligantur in foro conscientiæ, etiamsi leges ciuiles sint, quæ contra illos actionem negant. Quia, vt ait Augustinus ibidem, Pecunia à malis malè habetur, & à bonis tantò meliùs

A meliùs habetur, quantò minùs amatur: sed inter hæc toleratur iniquitas malè habentium,& quædam inter eos iura constituuntur, quæ appellantur ciuilia, non quòd hinc fiat vt benè vtentes sint,sed vt malè vtentes minùs molesti sint &c. In quibus docet eos, qui mercedem iniquitatis habent,per leges ciuiles minimè excusari,quò minùs teneantur ea restituere, quamuis per huiusmodi iura humanam pœnam possint euadere.

TERTIO, idem videtur ex hoc, quod habetur de simonia, cap. nemo presbyterorum.vbi dicitur,Qui emolumentum aliquod tempore accipit,vt peccatum alterius Episcopum,vel eius ministros celet, aut pro respectu cuiuscunque personæ, familiaritatis, vel consanguinitatis innotescere detrectat, gratia vel fauore minùs dignè pœnitentem ad reconciliationem adducit, aut liuore aliquo dignè pœnitentem à recōciliatione impedit,simoniam committit.Vbi docemur,pretium seu emolumentum receptum ab aliquo,pro opere peccaminoso,aut pro omissione operis, id quod alioqui tenetur,esse restituendum. III.

QVARTO idem videtur,quia pro opere ad quod quis de præcepto tenetur, non est licitum aliquid recipere:igitur nec pro opere peccaminoso,ad cuius oppositum ex præcepto tenetur. Antecedens patet. ff. de condictione ob turpam causam. Si dedi tibi ne sacrilegium facias, ne furtum committas, ne hominem occidas, condici potest. Item si tibi dedero,vt mihi reddas rem depositam apud te.l.5. titulo allegato, teneris acceptum B restituere. IIII.

DIXI notanter,nisi alius titulus honestus, seu causa concurrat: puta,libera & spontanea donatio,aut emptio,seu venditio,aliúsue iustus contractus:nam tunc non obstante turpitudine actus,vel modi,quo aliquid est acquisitū, poterit licitè retineri. Vt si quis in die festo, vel loco sacro negotia alioqui licita exerceat, quod illic peccatū est,est violatio festi,& loci profanatio,pro qua non licitum est pretium accipere. Secùs pro re ipsa quæ venditur,quæ propter locum,aut tempus in quò venditur,valorem suum non amittit,ideò pretium rei cum lucro inde iustè recepto,licitè retineri potest:nec pretium illud nascitur ex loci profanatione,sed ex re ipsa, quæ vendita est, & ex voluntate contrahentium.Similiter si quis negotietur cum excōmunicato, quod illic peccatum est, est extra necessitatem cum illo communicare, pro quo non est licitum mercedem accipere, seu pretium;bene tamē pro re,vel obsequio,quod illi impensum est.Similiter si quis iurauit se rem suam non venditurum,& posteà illam vendat,peccat quidem vendendo, quia iuramentum violat,pro quo pretium non recipit, sed pro re vendita: & si iuramentum nō se extendit nisi ad non vendendum,quamuis peccet vendendo;venditio tamen tenebit, quòd poterit iustum pretium licitè retinere. Similiter si quis iurauit, se non seruiturum Petro,& posteà eidem seruiat, licet peccet cōtra iuramentum, poterit tamen sine violatione iuramēti,seruitij mercedē recipere,& retinere; secùs si iurasset se pro seruitio nullum recepturū pretium:nam tunc ob iuramentum, tenetur pretium acceptū restituere, C sicut qui iurauit se vsuram soluturum,tenetur eam soluere cap.debitores.de iureiuran.

Limitatur prædicta secunda sentētia,quo ad vltimam particulam.

EST ITAQVE in hac quæstione de opere peccaminoso distinguēdum:nam quoddam est tale ratione suî, quia scilicet vel per se malum est,vel in se prohibitum.Aliud verò est illicitum,non ratione suî, sed ratione circumstantiæ,scilicet loci, temporis, scandali,voti,aut iuramenti &c. Pro primo non est licitum pretium recipere nec retinere, benè tamen pro secundo, vt patet ex dictis, maximè si opus tale sit,quod seclusa illa circumstantia,est pretio comparabile.

Resolutio authoris.

ET PER hæc patet ad primam quæstionem,quòd scilicet meretrix nec publica,nec occulta, potest pretium prostibuli recipere, nec retinere, velut pretium illi nefario operi correspondens; nisi alia causa concurrat, qualis est donatio ipsius dantis, qui liberè vult illi donare, non obstante, quòd opus ipsum turpe sit causa sine qua non, talis donationis. Nec placet eorum sententia, qui dicunt meretricem posse licitè mercedem prostibuli recipere per viam mercedis, etiam via donationis seclusa. Quod probant exemplo Iudæ & Thamar, qui de fidelitate cōmendatur,quòd hædum, prout promiserat, ipsi Thamar misit.Genes.38.Quod, vt dicunt,minimè fecisset,si Thamar promissum hædum recipere non potuisset,eò quòd ad iniquam receptionem videretur cooperari. Verùm mihi paruam fidem facit hæc ratio ad probandum, posse meretrices pretium prostibuli recipere:tum,quia sicut Iudas à culpa non excusatur in hoc quòd ad Thamar accessit; ita poterat in alio peccare cooperando, scilicet, ad iniquam hædi receptionem:

Eiusdem respōsio ad primā quæstionem suprà propositam.

Reiicitur aliorum sententia.

tum etiam, quia esto Thamar peccasset, hædum in pretium prostibuli recipiendo, non ideò peccasset Iudas hædum dando, cùm stet lucri acceptioné iniquam esse, & eiusdem traditionem licitam, vt patet de solutione & receptione vsuræ, vbi peccat qui recipit, non qui soluit. Similiter quando peccator occultus publicè à suo curato Eucharistiam accipit, peccat accipiens, & non curatus dans. D

Corollarium. Ex dictis patet, qualiter posśint à debito restituendi turpiter acquisita excusari lenones, histriones, adulatores, & reliqui ad opera nefaria conducti, vt ad occidendum, percutiendum, infamandum, aliásue iniurias, seu damna iniusta inferẽdum. Nam quamuis huiusmodi operum iniquorum mercedem recipere non posśint per viam pretij, ob ipsa opera debiti, possunt tamen per viam donationis.

Obiectio. Sed obiicies: quia in lucro meretricio non videtur concurrere donatio liberalis, sed alius contractus locationis, quo corpus ad vsum fornicarium locatur, vel innominatus, scilicet, dabo vt facias, vel consentias in hoc: vt in exemplo suprà ex Genesi citato apparet, in quo Iudas, & Thamar expresśè super pretio conuenerunt. Igitur talia lucra ex simili contractu acquisita, tenebuntur meretrices etiam publicæ restituere.

Solutio. Respondetvr, esto ita sit, quòd talis contractus, & pactum interueniat, adhuc est in illo contractu admixta donatio, qualis reperitur in contractu emptionis, aut locationis, in quo quis dat pretium excedens valorem rei, in cuius datione nec metus, nec coactio, nec ignorantia interuenit, sed spontanea voluntas: & ideò qui sic dat excesśiuum pretium, totum excessum videtur condonare: & ideò recipiens plus, cùm minus dederit, excusatur à restitutione superaccepti ob donationem contractui mixtam, modò eius animus talis sit, vt pretium illud excesśiuum recipiat, non solùm in vim pretij sibi pro re vendita debiti, sed etiam ob donationem, quam videt ementem velle illi facere excesśiuè donando. Ita in proposito, cùm is qui ad meretricem ingreditur, sciat opus ipsum fornicarium illicitum esse, & animæ saltem nihil prodesse, sed mortaliter obesse; & sciens & volens dat aliquid quod valorem operis nefarij cognoscit excedere, videtur condonare quod dat, & ita poterit à meretrice non turpiter, sed licitè recipi & retineri; modò illud non tanquam pretium suo operi fornicario debitum accipiat. Nam si sic illud, quia ob ipsum opus sibi debitum, accipiat, peccat accipiendo, & si vult illud sic acquisitum licitè retinere, opùs est animum mutet, quo scilicet velit illud tenere eo modo, quo potest, siue velut pretium corporis, siue velut donatum. Ac proinde non parùm refert, quo animo hæc turpia lucra accipiantur, aut retineantur. E

Corollarium I. Corollarie sequitur, quòd si ipse fornicator non intendit dare, quod dat per viam donationis, nisi per viam pretij, quia fortè putat meretrici esse debitum pretium ob opus ipsum turpe, & hoc constet ipsi meretrici, quòd tale turpe lucrum recipi non potest, nec retineri, cùm desit donatio, & alius honestus titulus illud retinendi. Sicut qui dat pretium excesśiuum pro re aliqua empta, putans rem tanti valoris esse, cùm non sit, nec ipse intentionem habeat donandi; tunc ipse venditor tenebitur excessum restituere. F

II. Corollariũ. Corollarie sequitur, quòd cùm huiusmodi turpia lucra non videantur, nisi per donationem posse accipi & retineri, debere attendi an donatio sic facta, sit per iura reprobata & inualida: nam tunc certum est talia lucra esse restituenda. Vt si is qui dat, est mente captus, & minorennis, qui donare nõ possunt. Sunt etiam qui aliquid ob causam indebitam dant, qui etsi intendant, & posśint donare, non valet donatio. Sicut nec post rem datam valet spontanea per eos facta remisśio. Exempla patent de his, quæ Inquisitores ab hæreticis, & iudices à partibus litigantibus, & Visitatores à clericis accipiunt, qui à restitutione acceptorum, minimè ob spontaneam partium remisśionem liberantur. De quibus habetur in Clement. nolentes. de hæreticis. & in cap. statutũ. de rescriptis. & cap. exigit. de censibus. libro 6. Pro quo facit quod habetur Exod. 23. & Deutero. 16. vbi iudicibus interdicitur munerum receptio. Ac proinde in præsenti negotio non est idem iudicium de omni turpi lucro; cùm aliquod sit, cuius receptio illicita est, & est restituendum, aliquod verò, cuius receptio licita & permissa est, seu concessa, & tale non opùs est, vt restituatur.

III. Corollariũ. Seqvitvr ampliùs contra Innocent. in cap. quia pleriq;. de immunitate &c. quòd cùm donatio liberalis liberet meretricem à debito restituendi donatum, quòd si meretrix fraude, vel dolo aliquid à scortatore extorserit, tenetur illud eidem restituere, vt ait Thom.

A Thom. 2. 2. q. 62. Similiter si donatio sit excessiua, ita vt donans maneat depauperatus, qui vix se,& familiam possit sustentare,tenetur restituere,quia donatio non valuit.Similiter si meretrix suis persuasionibus aliquid extorsit ab amico, qui amore illius inflammatus dat illi,quod alioqui non daret, videtur restituendum, quia non minùs obcæcat hominem amor excessiuus, quàm vinum, ita vt huiusmodi donatio non videatur omnino spontanea,seu voluntaria. Et hæc fortè ratio mouit multos Doctores ad dicendum, quòd publica meretrix, quæ propter quæstum corpus exponit,non teneatur restituere; alia verò non publica, quæ non propter quæstum, sed propter libidinem, corpus exponit,tenetur restituere: quia scilicet non ita obcæcantur homines amore publicæ, sicut occultæ,vt experientia docet. Vide Bapti.resti.14.§.14.

Respõdetur ad argumenta pro prima quæstione allata.

Ad I.

PER HAEC patet responsio ad rationes in priori quæstione de lucro meretricio factas. Ad primam,quando arguitur à simili esse tale lucrum restituendum,sicut & merces à iudicibus,testibus,& aduocatis,pro iniustitia facienda,seu facta recepta;dicendũ quòd nõ est simile,quia his interdictum est,ob illam causam pretium accipere,& meritò, cùm talia peccata sint contra publicam iustitiam, propter quæ non solùm veniunt rei acceptæ amissione puniendi,sed acriùs puniri deberent. Secùs in lucro meretricio, quod secundùm iura permittitur & declaratur quòd non turpiter accipitur, maximè ob donationem per legem non reprobatam.

Ad II.

B AD SECVNDAM,in qua arguitur de vxore, quæ ab alieno pretium corporis recipere non potest,sicut nec à proprio,dicendum,quòd quantum attinet ad obligationem restituendi lucrum turpe, parùm refert mulierem solutam esse, aut maritatam:si enim vtrobiq; interuenit donatio, facta ab eo, qui eam facere potest, vtraque potest tale lucrum retinere. Si verò neutrobiq; huiusmodi donatio interuenit,neutra potest lucrum retinere,cùm humana iura non ita permittant adulteria,sicut meretricia,imò potiùs ne adulteria committantur,meretricia permittuntur. Si tamẽ vxor nolit viro corpus suum sine pretio tradere,extorsio est,& sic acceptum tenetur restituere. Excepto nisi maritus velit donare. De quo pòst.

Ad III.

AD TERTIAM dicendum, quòd non est simile,quod pro simili adducitur, quia in simonia vetita est pretij acceptio,& retentio,vt suppono;ideò est taliter acceptum restituendum. Secùs in lucro meretricio, in quo licèt modus, quo acquiritur,sit turpis,non tamen est turpis acceptio.

Ad IIII.

AD QVARTAM dicendum, quòd ratio procedit,vbi esset purus cõtractus locationis,& nulla interueniret donatio, quia tunc, vt dictum est, non posset pretium pro actu peccaminoso recipi,nec retineri. In proposito autem semper interuenit donatio,quæ per leges non reprobatur. vide legem.

Ad V.

AD QVINTAM de lucro turpi ab occulta meretrice acquisito, dicendum, quòd, quantum ad forum conscientiæ attinet,nil refert publicam esse meretricem, vel occul-
C tam,quanquam ad rationem vocabuli attendendo,illam dicimus meretricem,quę plurium libidinibus patet,vt habetur 34.distin. cap. vidua. Et ita si meretrix est,satis publica debet esse:iura tamen differentiam ponunt inter hanc,& illam: Nam si occultè sint meretrices,lucra quæ sic acquirunt,amittere merentur,& datur actio fisco,vt possit ea à talibus auferre. Verùm ante sententiam condemnationis contra eas latam, dominium lucri apud ipsas est:non sic de publicis. Et non solùm id de occultis meretricibus verũ est; sed etiam de aliis carnalibus, quarum turpitudinem leges non permittunt, sed puniunt. Vt si nuptæ sint,aut virgines,aut consanguineæ &c. lucra per eas acquisita per fiscum repeti possunt,sed ante sententiam licitè retinentur. Ratio autem quare diuersa sit iuris dispositio de occultis,& de publicis,videtur esse;quia si occultę permittantur, multa incõmoda in republica oriri possent,rixæ,scilicet, & cõtentiones inter ribaldos, vt experientia docet. Similiter tales occultæ sub habitu honestatis magis alliciunt homines ad sui amorem,vnde apud eas longè sunt liberaliores, & plus quàm conuenit illis largiuntur; & inde eos turpiter in paupertatem incidere accidit, &c. Quæ inconuenientia non ita ex publicis sequuntur, vt patet.

Ad VI.

AD SEXTAM dicendum, aliud esse tenendum de lucro, quod miles meretrici donauit,aut concubinæ,aliud verò de lucro,quod alij meretricibus donant: nam primum, salua pace Adriani,recipi à meretrice nõ potest,nec retineri,si sciat iuris dispositionem. vide legem. Quia nõ ratione operis peccaminosi,vt dictum est,nec ratione donationis à

milite factæ, quia talis donatio, secundùm iura, est nulla, seu inualida, quod speciale est in D militibus, sicut in minoribus, & nõ in aliis, vt communiter dicunt Doctores. C. de donation. int. vir. & vxor. l. 3. & l. miles ita. §. mulier. ff. de testam. milit. Hoc autem institutum est in fauorem militum armatæ militiæ, qui pro republica pugnant; quibus si donare cõcubinis permitteretur, accideret eos non habere, quæ illis ad pugnandum sunt necessaria, quod in notabilem reipub. perniciem cederet.

Ad VII. AD SEPTIMAM dicendum, consequentiam non valêre: stat enim quòd lucrum turpe, de quo loquimur, sit de dominio ipsius meretricis, & quod non liceat ei oblationem de illo publicè facere. Nam etiam in lege non licebat oblationem Domino facere de pretio canis, esto tale pretium ad dominium hominis, qui canem vendiderat, pertineret, vt in eodem textu dicitur: scilicet, Non offeres mercedem prostibuli, nec pretium canis in domo Domini; quia vtrunque abominatio est &c. Illud, quia in irreuerentiam Dei, meretricium prohibentis, fieri videretur: Hoc autem, propter vilitatem canis, simul & significationis. Significat enim homines voraces, & rapaces, vt significaret rapinam, & fornicationem Deo esse abominabilia. Sed de hoc aliâs.

Respõdetur ad alterã quæstionem suprà propositam. AD ALIVD secundum, in quo vniuersaliùs quærebatur, an sit necessariò restituendum, quod per actum peccaminosum est acquisitum; puta, per illicitam negotiationem, patet ex dictis respõsio: nam si negotiatio, seu cõtractus in se illicitus est, nisi interueniat donatio, lucrum sic acquisitum retineri non potest. Si verò sit cõtractus, seu negotiatio E in se licita, & iusta, vbi scilicet æqualitas inter datum, & acceptum seruetur, sit tamen ex circumstantia illicita, ratione, scilicet, temporis, loci, personæ, aut scandali, &c. tunc non

Probatur I. est sic acquisitum necessariò restituendum. Huius ratio est nota, quia restitutio non est necessaria, vbi nil contra iustitiam commutatiuam actũ est, cùm restitutio actus iustitiæ cõmutatiuę sit; sed in huiusmodi casibus nil contra iustitiã commutatiuã fit, eò ꝙ in talibus negotiationibus seruatur, vt suppono, æqualitas inter mercedem, & pretium. Igitur quãuis aliunde vitium in negotiatione eueniat, non inde nascitur obligatio restituendi.

II. SECVNDO idem colligitur ex cap. cùm sit. de Iudæis. vbi in sententia dicitur, quòd Iudæi cõuertant in eleemosynas pauperum quidquid ratione publici officij inter Christianos sunt assequuti. Supponitur eñ eos illicitè illa officia publica exercuisse. Qui textus specialiter sonat de Iudęis, nec debet extẽdi ad omnes alios vniuersaliter, qui aliquid ex officio, aut negotiatione illicita acquirũt. Id patet, quia si ad omnes tales esset textus extendendus, non ergo esset necessarium, eum expresse ad Saracenos extendere, sicut textus ipse sonat: ait enim, Hoc idem extẽdimus ad Paganos. Ac proinde à Iudæis, & Paganis non tenebuntur illicitè acquisita in eleemosynas expendere.

Respõdetur ad rões pro sententia affirmatiua illiꝰ q̃stionis allatas PER HAEC patet ad argumenta suprà facta, Ad primum sumptũ ex hoc textu, cap. cùm sit. dicẽdum, quòd illud procedat solùm de Iudæis, & Paganis, & pœnale est, in pœnam, scilicet, eorum, qui multa prætextu officij à Christianis extorquebant, seu iniustè

Ad I. accipiebant. F

Ad II. AD ALIVD, sumptum ex cap. ad liberandam. dicendum similiter, quòd pœnale est, & non est illis iniunctum in vim restitutionis, sed in pœnam delicti, vt non absoluantur à censura, nisi quæ sic acquisierunt, in subsidium terræ sanctæ expenderint; & tunc ideò in conscientia tenebuntur ea sic expendere, quia non aliter ab excommunicatione veniunt absoluendi, vt ait textus. Vnde fit, quòd si de facto absolutionem à censura obtinerent, non manerent in conscientia obligati ad ea, quæ acquisierunt per illicitam negotiationem, in subsidium terræ sanctæ expendenda, sed possent ante senten tiam latam ea retinere, iuxta cap. fraternitas. sæpe citatum. 12. q. 2.

Ad III. AD TERTIVM ex Paulo sumptum, dicendum, quidquid sit de dicto Pauli, quod verisimum est, etsi ad aliud propositum dictum, in præsenti tamen, vt ait Adrianus, illicita negotiatio non est radix lucri inde euenientis, sed voluntas, vel donantis, vel cõtrahentis, est velut radix, quæ causat, seu efficit translationem dominij rei sic acquisitæ. Verùm opponi potest, quòd illa voluntas contrahentis etiam est peccaminosa, sicut & ipse contractus: nam circumstantia quæ vitiat opus, similiter vitiat voluntatem operis, vt cõstat: & ideò per hanc solutionem non tollitur, quin radix illius lucri sit infecta, & per consequens lucrum ipsum. Ideò videtur quòd pretium illud, aut lucrum, non est fructus ex illicito contractu ortus, nec ex voluntate contrahendi, quæ similiter in casu vitiosa est, sed potiùs ex mercis valore suo modo, quamuis impropriè procedere videtur. Sicut equus

locatus

A locatus párere dicitur pecuniam domino equi; ita res vendita ob sui valorem dicitur similiter vendenti dare seu párere pretium. Modò autem quamuis negotiatio humana vitietur, res tamen vendita non ob id valorem suum amittit, nec in se inficitur.

Ad IIII.

AD QVARTVM dicendum, quòd valet ratio, vbi cætera sunt paria, scilicet, quòd sicut iurauit quis se munus non accepturum; ita lex iubeat alicui ne munus accipiat, tunc sicut primus ob iuramentum non potest munus recipere, & acceptum tenetur reddere, ita & secundus; cùm vtrobique esset turpis, & illicita receptio. Modò autem aliud est, legem prohibere negotiationem in tali tempore, aut loco fieri: aliud verò, si fiat, pretium pro merce accipere, vt de se satis constat.

Ad V.

AD VLTIMVM dicendum, quòd nil obstat dicere promissionem esse inualidam, & tamen si fiat donatio, quòd teneat, quia promissio facta lenoni non valet, & si tradatur promissum, valet donatio, vt habetur l. mercalem. C. de condictione ob turpem causam. Adde quod promissio facta ob causam turpem, antequàm opus, pro quo facta est, fiat, est inualida, & rescindēda, cùm turpis fuerit, de qua procedit dictum illud, In malè promissis rescinde fidem: si tamen opus, pro quo facta est, fiat, ex tunc in conscientia videtur adimplendum promissum ratione fidelitatis. Pro quo facit exemplum Iudæ & Thamar suprà citatum, qui de fidelitate commendatur, eò quòd id, quod ob turpem causam promiserat, adimpleuit.

Dubium.
An qui p̄dicat absq; licentia p̄lati, acquirens inde bona aliqua, teneatur illa restituere.

B EX DICTIS sequitur responsio ad dubium aliud, scilicet, an qui prædicat sine licentia prælati, & inde bona aliqua acquirit, teneatur illa restituere. Ratio dubij est, quia videtur turpe lucrum esse, cùm per actum peccaminosum sit acquisitum: *Solutio.* Dicendum quòd quamuis ille prædicator in casu peccet, culpa tamen non tam prædicationi, quàm negligentiæ, qua licentiam obtinere neglexit, inest; ideò non tam commissiuè, quàm omissiuè in casu peccat, cùm actus ipse prædicationis de se bonus sit: ideò quod ratione prædicationis fuerit acquisitum, non turpiter est receptum, & per consequens nec restituendum. Secùs si illud fuerit prædicatori datum, vt prædicet sine licentia prælati: nam tunc, cùm causa, ob quam datum est, expressè contineat culpam, erit turpiter acquisitum, velut merces iniquitatis, quæ retineri non potest, vt suprà de aliis fuit exemplificatum.

De rebus per ludum acquisitis.

QVÆSTIO XXI.

Ludus ex parte finis potest esse multiplex.

SOLET PRAETEREA communiter quæri, an lucrum per ludum acquisitum sit de necessitate restituendum: Et cùm tale lucrum, ratione ludi, per quem acquiritur, turpe soleat appellari, priùs breuiter videre conuenit, an ludus sit turpis, an licitus. Et in primis supponendum est,
C ludum multiplicem esse, maximè ex parte finis. Est enim quidam fa- 1.
ctus ad deuotionem excitandum; quidam ad corpus, vel ingenium 2.
exercendum; quidam ad delectationem dandum, vel capiendum; quidam verò ad lu- 3.
crum acquirendum. Ludus autem, vtplurimum de se illicitus non est, quicquid horum, 4.
quæ dicta sunt, prætendatur: potest tamen multipliciter vitiari, videlicet ratione prohibitionis; qualiter ludus torneamentorum, similiter & alearum prohibitus est. Potest etiam per circumstantiam deprauari, vt si fiat cum verbis, aut factis turpibus, si cum periculo vitæ seu salutis corporalis, si cum scandalo fratris, si tempore, aut loco minimè conuenientibus, si à personis grauibus, & in dignitate constitutis. ad hunc modum de aliis variis circumstantiis dici posset.

Ludus per se licitus, multis modis vitiari potest.

I. Dubium. An ludus ad delectationē animalem capiendam factus sit illicitus.

VT AVTEM ludum primum & secundum omittamus, qui scilicet ad deuotionem excitandum, vel corpus, seu ingenium exercēdum fiunt, quos ob huiusmodi causas non turpes, sed licitos esse constat; de tertio tamen ludo, qui gratia delectationis animalis dandæ vel capiendæ fit, posset aliquis dubitare, an ob huiusmodi finem deprauetur, etiamsi aliæ prauæ circumstantiæ non apponantur. Dico, inquam, de ludo ob animalem delectationem facto, nam de eo qui fit ad delectationem spiritualem, nō dubitatur quin licitus & sanctus sit: qualem exercuit Dauid coram Arca Domini 2. Reg. 6. Et pro parte affirmatiua, quòd scilicet præfatus ludus ob delectationem animalem factus sit inde illicitus, arguitur primò: Quia non videtur licitum in hoc seculo huiusmodi animales

Pars affirmatiua probatur I.

 delecta-

delectationes prætendere,ſicut nec ridere,iuxta illud Lucæ 6. Væ vobis qui ridetis, quia D
flebitis. Super quo Ambroſius 1. lib. de officiis ait: Non ſolùm ergo profuſos, ſed etiam omnes iocos declinandos arbitror.

Confirmatur. Facit ad idem,quod legitur Prouerb.14.Riſus dolore miſcebitur,& extrema gaudij luctus occupat. Quod gloſſa exponit de luctu perpetuo. Facit etiam Chryſoſtomus ſuper Geneſ.dicens:Non dat Deus ludere,ſed diabolus:audi quid ludentes paſsi ſint,Sedit populus manducare,& bibere,& ſurrexit ludere &c.

II. Praeterea ſecundò facit Auguſtinus lib. de pœnitentia, dicens: Cohibeat ſe à ludis,à ſpectaculis ſeculi,qui perfectam conſequi vult remiſsionis gratiam. Idem etiam lib. de vnica pœnitentia ait:Quotidie dolendum eſt de peccato,quod declarat ipſa dilectionis virtus. Et infrà: Pœnitere, eſt pœnam tenere, vt ſemper puniat in ſe vlciſcendo, quod commiſit peccando. Et poſteà:Pœnitentia eſt vindicta ſemper puniens in ſe,quod dolet commiſiſſe: vbi dolor finitur, deficit pœnitentia; ſi verò pœnitentia finitur, quid relinquitur de venia?Et habetur de pœnitentia diſtinct. 3. cap. pœnitentia eſt quædam. Ex quibus apparet peccatori nunquam licitum eſſe delectationem quęrere,& ita nec ob delectationem ludere, nec ob eandem cauſam ludis aſsiſtere.

III. Praeterea tertiò,quòd à ludis tam agendis,quàm à ſpectandis abſtinendum ſit, apparet exemplo Sanctorum,de quibus legitur in hoc gloriatos eſſe,quòd à ludis abſtinuerint.Vnde Hierem.15.Non ſedi in conſilio ludentium. Et Tobiæ cap.3.dicitur: Nun- E
quam cum ludentibus miſcui me, nec cum his, qui in leuitate ſenſus ambulant participem me præbui.

IIII. Praeterea quartò,ſi licitus eſſet ludus propter delectationem factus,licitum ergo eſſet homini ſe in huiuſmodi ludis exercere, & ſimiliter inde victum quærere; & per conſequens licitum eſſet de hiſtrionatu viuere,& hiſtrionibus res noſtras donare, quod tamen videtur falſum:nam contra primum ait Cicero 1. de officiis: Non ita generati à natura ſumus,vt ad ludum,& ad iocum facti eſſe videamur, ſed ad ſeueritatem potiùs, & quædam ſtudia grauiora atque maiora. Et contra ſecundum ait Auguſtinus ſuper Ioannem,quòd donare res ſuas hiſtrionibus, vitium eſt immane. Et ita videri poſſet,ludum cauſa delectationis factum,illicitum eſſe.

Reſolutio negatiua modò in ea delectatiõe homo non collocet finem ſuum.

Probatur I. His tamen non obſtantibus, tenendum eſt oppoſitum, ſcilicet,ludum ob delectationem animalem factum,nõ ob id eſſe damnandum, quòd per eum delectatio quæritur,modò homines in ipſa animali delectatione finem ſuum non collocent. Id patet ex Ariſtotele 2. & 4. Ethic. vbi in ſententia ait:Sicut excedere in ludo vitium eſt,ita & in ludo deficere vitioſum eſt: ſed medium in illo, ſicut in cæteris humanis actionibus,tenendum eſt,quod medium vocat virtutem eutrapeliæ. Ibidem etiam appellat duros, & agreſtes eos,qui nec ridiculum aliquid dicunt,nec aliorum moderatos ludos recipiunt. Seneca etiam ita conſulit, dicens: Sic te geras ſapienter, vt nullus te habeat tanquam aſperum,nec contemnat, quaſi inutilem. Cicero etiam 1. de officiis ait:Ludo & ioco vti F
quidem licet,ſed ſicut ſomno, & quietibus cæteris, tunc cùm grauibus, ſeriiſque rebus ſatisfecerimus.

II. Facit ad idem Auguſtinus 2. Muſicæ, dicens: Volo tandem tibi parcas, nam ſapientem decet interdum remittere aciem rebus agendis intentam. Vbi docet interdum expedire recreationem aliquam, atque delectationem ſumere.

III. Facit etiam quod legitur in collationibus Patrum, quòd beatus Ioannes Euangeliſta,cùm quidam ſcandalizaretur quòd eum cum diſcipulis ſuis ludentem inueniret, dicitur mandaſſe vni eorum,qui arcum gerebat, vt ſagittam traheret, quod cùm pluries feciſſet,quæſiuit vtrum hoc continuè facere poſſet?qui reſpondit,quòd ſi hoc continuò faceret,arcus frangeretur: Vnde beatus Ioannes ſubintulit,quòd ſimiliter animus hominis frangeretur, ſi nunquam à ſua intentione relaxaretur.

IIII. Legitur etiam in vitis Patrum,quòd beato Paphnutio reuelatum eſt, quòd quidam ioculator futurus erat ſibi conſors in vita futura.

V. Facit deniq; ad idem ratio, quia ſicut corpus labore fatigatum indiget quiete, & recreatione ad ſui refocillationem, vt poſteà ad laborẽ redire poſsit: ita & animus, quia finitæ virtutis eſt,ſolet fatigari, & recreatione indiget, vt ad debitas operationes poſteà expeditior redire valeat. Maximè cùm experientia conſtet, ex animi fatigatione corpus ſæpe debilitari, & vtrunque ineptum ad debitè operandum reddi. Cùm igitur quies

animi

A animi, seu recreatio non videatur in alio, quàm in delectatione consistere, ideò licitum aliquando erit, huiusmodi delectationem quærere, ad quam maximè præfati ludi conducere videntur.

Dixi notanter in conclusione, modò homines in ipsa animali delectatione finem suum non constituant: nam vt Aristoteles 10. Ethicorum docet, delectatio non propter se, sed propter operationem quærenda est. Ideò qui delectationem animalem tanquam finem intenderet, delectatione ipsa abuti videretur, & ea fruendo peccaret, iuxta Augustini & vulgatam sententiam: qui ait, totam hominis peruersitatem consistere in vtendo fruendis, & fruendo vtendis. Vnde fit, vt in tantum liceat delectationem in ludis quærere, quantum ipsa mentis fatigatio, & debita operatio postulauerit. Et sicut ab hoc deficere vitium est; ita & superfluam & excedentem delectationem quærere vitiosum est. Si quęras in quo est maius vitium, in excedendo, an in deficiendo? Puto quòd in excedendo, iuxta sententiam Aristotelis 9. Ethicorum, dicentis, quòd pauci amici propter delectationem sunt habēdi, quia parum de delectatione sufficit ad vitam, quasi pro condimento, sicut parum de sale sufficit in cibo. *Limitationis prædictæ sententiæ ratio.*

Per haec patet ad rationes antè oppositas. Ad primam dicendum, quòd Christus illic loquatur contra homines, qui non nisi in deliciis & voluptatibus volunt in hoc seculo viuere, voluptatem & delectationem sibiipsis finem præstituentes. Quod autem B illic ait Ambrosius, omnes scilicet iocos declinandos esse, procedit, quando personæ dignitas, seu qualitas postulauerit. Nam illic de Ecclesiasticis personis loquitur, quas sacrę doctrinæ potiùs, quàm ludis insistere conuenit. Sed non negat eis interdum licitum esse ludere: ait enim ibidem: Licèt interdum ioci honesti, ac suaues sint, tamen ab Ecclesiastica horrentur regula. Similiter dicatur ad aliud ex Prouerbiis citatum, quòd Sapiens illic loquatur de risu stultorum, quales sunt, quos suprà diximus, non nisi voluptates huius seculi quærere. Ad aliud ex Chrysostomo sumptum dicendum, quòd loquatur de his, qui inordinatè ludis vtuntur, delectationem ac voluptatem sibi finem præstituentes. Quod satis innuit, quando ait, illos homines postquàm cibo, & potu saturati sunt, ad ludendum surrexisse. *Respondetur ad argumenta partis affirmatiuæ. Ad I.* *Ad confirmationem eiusdem.*

Ad secvndam ex Augustino allegatam, dicendum, quòd loquatur secundùm congruentiam pœnitentium, quibus conuenit à ludis, quantum commodè possunt, abstinere; secùs si ratio suadeat recreationem interdum capere. Quòd vltrà ait, peccatori nunquam à fletu, & pœnitentia esse cessandum, intelligitur per superuentum contrariæ voluntatis, vt suprà latiùs in Codice de pœnitentia, explicuimus. *Ad II.*

Ad tertiam ex Hieremia citatam, dicendum, quòd Propheta illic loquatur secundùm congruentiam hominis, cuius status magis luctum requirebat, cùm esset amaritudine plenus, vt ipse innuit, statim subiungens: Solus sedebam, quoniam amaritudine replesti me. Quod ex Tobia citatum est, procedit de ludis superfluis, & vanis, vt patet C ex eo, quod statim subnectit, neque cum his, qui in vanitate ambulant participem me præbui. *Ad III.*

Ad qvartam dicendum, quòd histrionatus, prout ordinatur ad solatium hominum, non est de se illicitus; nec histriones ob id condemnandi sunt, modò illo officio moderatè vtantur, & aliæ circumstantiæ, quæ ludum vitiare possent, amoueantur, & suo tempore ea, quę viro Christiano necessaria sunt, faciant. Concedo insuper, posse histriones ex huiusmodi officio victum quærere, & licitum esse mercedem moderatam eisdem tribuere. Nec vniuersaliter damnandi sunt, qui histriones sustentant, sed qui superfluè, seu excessiuè cum illis bona sua consumunt, maximè si turpiter suo ludo, seu officio vtuntur. Et de his intelligatur dictum Augustini, ibi citatum. *Ad IIII.*

Demvs iam aliquem ludum illicitum esse, seu turpiter fieri, cùm certum sit peccare eos, qui taliter ludunt; est tamen dubium de assistentibus huiusmodi illicitis ludis, an peccent, sicut exercentes. Ad quod dubium breuiter dicendum distinguendo: nam aliud est ludis assistere, aliud in eisdem delectari, quæ constat diuersa esse, & ab inuicem separabilia. Si de sola assistentia quæratur, est iterum subdistinguendum: nam aut est persona publica, cui ex officio, dignitate, aut conditione incumbit, eos, qui ludunt, ab ipso ludo illicito retrahere: aut est alia persona priuata. Si primum, talis peccat assistendo, eò quòd sua assistentia videtur sic ludentibus autoritatem præstare; sed eius peccatum potius in hoc consistit, quòd cùm deberet homines ab illicitis *II. Dubium. An spectãtes ludum illicitũ peccent, sicut exercentes. Sensus duplex. De I. sensu. I. Conclusio.*

II. ludis retrahere, & eos impedire, non solùm non retrahit, sed aſsiſtit. Si autem ſit perſona priuata, iterum ſubdiſtinguatur: nam vel eſt talis, quæ ſua aſsiſtentia cauſam præſtat, vt ludus illicitus fiat, ſeu continuetur, & tunc velut cooperatores peccati, peccant, ſicut & ipſi ludentes, ſi id aduertant, aut aduertere debeant. Nam per inconſiderationem non dubito multos à culpa excuſari. Si tamen eorum aſsiſtentia non ſit cauſa ludi, vt prædictum eſt, tunc per ſolam aſsiſtentiam, aut viſionem non videntur eſſe in culpa, ſi alia circumſtantia huiuſmodi aſsiſtentiam non deprauet. D

III.

De II. ſenſu eſt I. ſententia.

SI AUTEM quæſtio ſit de delectatione voluntaria, qua in ludo, cui aſsiſtunt, delectantur, dixit Gabriel, cum Baptiſta, & Angelo, & cæteris, quòd non peccant, eò quòd id, de quo delectantur, non eſt de ſe malum, nec lege diuina, aut naturali prohibitum, ſed humana lege, qualiter ludus alearum prohibitus eſt. Nec etiam delectantur in tali ludo ea ratione, qua prohibitus, aut malus eſt.

II. Sententia verior.

MIHI TAMEN non omnino hic dicendi modus placet, imò videtur, quòd qui ſcienter & deliberatè lætatur in ludo, ſeu opere mortaliter peccaminoſo, peccat mortaliter, ſiue opus ipſum mortale ſit ex obiecto, ſiue ex Eccleſiæ prohibitione, aut ex alia quacunque circumſtantia. Si enim videam clericum, aut religioſum debitum officium ſuum abſque cauſa prætermittere, ſi in hoc ipſo deliberatè gaudeo, pecco. Si videam hominem ſanum robuſtum in Quadrageſima carnibus ſaturari, & in hoc ipſo voluntariè lætor, pecco ſicut ipſe. Et ſi video peccatorem ita confeſsionem, & Euchariſtiam contemnere, vt ea ſemel ſaltem in anno, quando tenetur, non recipiat, & eo ipſo lætor, pecco. Nec ego ſcirem huiuſmodi voluntarias delectationes in his, & ſimilibus caſibus à mortali excuſare. Nec minùs peccant, qui de alienis lætantur peccatis, quàm qui lætantur cùm malè fecerint. Idem ergo de ludis dicendum, quòd ſcilicet, ſi peccata mortalia ſunt, ratione obiecti, aut circumſtantiæ, aut ratione prohibitionis, ſicut peccant ludentes; ita qui in ipſis ludis ex propoſito lætantur, ſimiliter peccant, cùm ſecundùm Paulum, non ſolùm facientes, ſed qui facientibus conſentiunt, digni ſint, qui pœnas luant. E

Probatur.

Confirmatur.

CONFIRMATUR id, quia ſi aſpicientes poſſent licitè in talibus lætari, igitur ipſi, qui huiuſmodi ludos faciunt, poſſent ſimiliter in eiſdem gaudere, cùm delectatio operantium & aſsiſtentium eiuſdem rationis eſſe videantur. Sed conſequens inde apparet falſum, quia tunc non oporteret eos, qui huiuſmodi ludos vetitos exercent, de eiſdem poſtmodùm pœnitere, quod eſt falſum. Non enim hæc cohærent, ſcilicet, quòd tenentur dolere quòd fecerint, & quòd gaudeant ſe feciſſe; ac proinde ſi ludus illicitus eſt, ſicut eum facere peccatum eſt, ita & in ipſo deliberatè lætari peccatum erit, ſiue is, qui lætatur ſit ipſe qui ludit, ſiue qui ludentibus aſsiſtit.

Obiectio.

FORTE OBIICIES multa eſſe opera de ſe bona, & hominibus ad corporis ſeu animæ ſalutem proficua, quæ tamen contingit, per aliquam circumſtantiam, deprauari, vt prædicatio veritatis, ſubuentio proximi in neceſsitate, comedere carnem, qua natura indiget; in quibus quatenus bona ſunt lætari, nulla videtur culpa, modò lætitia hæc de illis quatenus cum tali deprauata circumſtantia fiunt, non habeatur. Reſpondetur: duo ſunt in præfatis operibus conſideranda, ſcilicet, operis qualitas, & effectus inde ſubſequutus. De opere in ſe vndecunque deprauato gaudendum non eſt, nec ipſi operanti, nec aliis aſsiſtentibus, cùm huiuſmodi opus, quantumuis ex obiecto bonum, Deo minimè placeat. De effectu autem & vtilitate, ſi qua inde aliquos eſt ſubſequuta, licitè & meritoriè poſſumus gaudere, vt facile eſt exemplificare. Similiter poſſet aſsiſtens in induſtria, & modo ipſius ludentis lætari, quia ludendo non iraſcitur, non mentitur, non peierat; à quibus & ſimilibus raro ſolent ludentes abſtinere. F

Solutio.

Corollarium I. An taurorũ agitatio ſit licita? Senſus dubij.

COROLLARIE ſequitur, quid de ludo, qui per taurorum agitationem fit, ſit tenendum, an ſcilicet licitus ſit, qualem in Hiſpania videmus. Pro quo dubio breuiter aduertendum, triplices eſſe perſonas, quas præſens dubium concernit: ſunt enim quidam, quorum autoritate tauri agitantur, vt ſunt, qui rempub. regunt: ſunt aliqui, qui per ſe tauros agitant, ſiue equeſtres, ſiue pedeſtres: ſunt denique alij, qui præfatæ agitationi aſsiſtunt.

Concluſio I.

AD PRIMOS attinet, diligentiã, & ſolicitudinem præmittere, ne in loco, vbi tauri ſunt agitandi, ſint perſonæ, quibus periculum veriſimiliter timeatur euenturum; quales ſunt pueri, ſenes, fœminæ, mente capti, claudi, ſeu infirmi, aliique, qui, veniente tauro, fugere, & ſe in loco tuto ponere nõ poſſunt: hoc enim periculo exiſtente, peccant hi,

quorum

A quorum autoritate taurus in plateam publicam emittitur, secus aliàs. Quòd si interdum mors alicui, aut damnum aliud, præter intentum, & scientiam præfatorum rectorum, acciderit (modò debitam præmiserint diligentiam) non venit illis imputandum; nec ob id, quod rarò & per accidens euenit, sunt humani actus vniuersaliter condemnandi, vt potest in aliis, tam ludis quàm seriosis exemplificari.

AD SECVNDOS, qui scilicet per se tauros in platea agitant, & ad currendum contra se eosdem irritant, pertinet non temerè id agere, sed propè securitatis locum habere, vbi se facilè possint, veniente tauro, recipere; alioqui peccant, temerè taurum irritantes, & eundem spernentes, viribus, aut industriæ propriæ fidentes. *Conclusio II.*

AD TERTIOS, hoc est, ad assistentes attinet, si recreationem, aut delectationem capere volunt, non de peccato, aut negligentia, si qua in rectoribus fuit, nec de currentium temeritate, nec de damno alicui ex taurorum agitatione eueniente lætentur. De cæteris autem factis illic contingentibus, quæ culpa carent, lætari licitè poterunt. *Conclusio III.*

COROLLARIE sequitur, posse sub statuto iuramento firmato taurorum agitationem cadere, cùm per se mala non sit, sed tales possunt apponi circumstantiæ, quòd bona, & studiosa reddantur. An autem sit apta materia voti, alia quæstio est. De qua alibi. *Corollarium II.*

De eodem titulo.

B

QVÆSTIO XXI.

NVNC DE QVARTO ludo, qui scilicet causa lucri fit, specialiter de ludo alearum, qui fortunę potiùs, quàm industrię innititur, videndum est, an scilicet talis ludus licitus sit, & an lucrum inde quæsitum, sit de necessitate restituendum. De lucris enim per alios honestos ludos acquisitis non loquor, cùm citra controuersiam sit, ea non esse de necessitate restituenda, si perdẽs potuit rem, quam perdidit, alienare, & fraus omnis ac dolus in ludo cessauit. Sed nec de quocunque ludo alearum loquor, in quo pecunia fortunę exponitur: non enim omnis talis, causa lucri fieri dicitur; quia nõ obstante, quòd pecunia etiam in notabili quantitate interueniat, stat quòd ludus non gratia lucri, sed recreationis exerceatur. Potest enim pecunia interuenire, non tanquam finis principaliter in ludo intentus, sed tanquam stimulus, seu medium quoddam ad recreationem capiendam ordinatum, quæ sine pecunia interueniente minimè caperetur: tunc enim non causa lucri, sed recreationis ludere dicimur: & de tali ludo cum lucro inde percepto, idem quod de aliis honestis ludis videtur esse iudicium. *An ludus ad lucrum institutus sit illicitus, & an lucrum inde quæsitum sit restituendum. Explicatur sensus quæstionis.*

LOQVOR igitur de ludo alearum, qui causa lucri fit. Et sunt, qui non solùm ludum, qui fortunæ innititur, damnant, & lucra inde acquisita necessariò restituenda esse dicunt; sed etiam omnes alios contractus, & humana commercia, quę fortunę innituntur, similiter damnanda esse dicunt: vt sunt vadiatio, sortiaria diuisio, ludus ollæ, mercium assecuratio, in terra vel in mari, & alia huiusmodi, in quibus temporalia bona, quæ Deus hominibus pro suis necessitatibus concessit, fortunæ, ob causam lucri exponuntur. Quanquam de assecuratione non ita id affirmare audent; Conradus tamen idem de assecuratione, quod de aliis prædictis sentit: quamuis, an lucrum per assecurationem acquisitum, sit de necessitate restituendum, non ita vt de cæteris lucris affirmet. vide ipsum. quæst. 71. *De priore quæstionis parte. Sententia I. affirmatiua, esse illicitum.*

C

PRO HAC igitur sentẽtia arguitur primò, quia per ludos præfatos nutritur otium, quod videtur iure diuino vitandum, iuxta illud Genes. 3. In sudore vultus tui vescêris pane tuo. Et Iob. 5. Homo nascitur ad laborem, & auis ad volatum. Et Paulus ad Ephes. 4. Qui indiget, laboret, operando manibus suis quod bonum est, vt habeat vnde tribuat necessitatem patienti. Et rursus: Qui non laborat, non manducet. Adde quòd vna de causis, ob quas vsura solet per Doctores reprobari, est, quia fouet otium: si enim hæc licita esset, omnes diuites vsuras exercerent, vnde & in otio viuerent. *Probatur I.*

SECVNDO, quia omnis distractio rerum prodigalis est damnanda; talis est ea, de qua ludentes inter se conueniunt: nam si lucrantur, accipiunt, vnde non oportet, scilicet ab amicis: si perdunt, dant quibus non oportet, scilicet diuitibus. Propter quod damnat Aristoteles aleatores, tanquam prodigos, qui res suas, non vt oportet, expendunt. II.

TERTIO,

III. Tertio, bona temporalia quæ nobis Deus pro nostris, & nostrorum necessitatibus concessit, periculo, & maximè ex cupiditate, exponere, videtur esse peccatum: nam inde sæpe accidit homines pauperiores effici, & familiam eorum fame perire. Quod si non semper eueniat, est tamen aptum natum ex conditione ipsius contractus euenire. Vnde qui personam suam, aut famam, sine necessitate, aut publica vtilitate periculo fortunæ exponit, peccat: sicut enim vita nobis necessaria est, ita & fama nostra nostris proximis est necessaria. Igitur peccatum erit, vitæ instrumenta, qualia bona temporalia sunt, fortunæ exponere: qualiter in ludo alearum exponuntur. D

IIII. Qvarto, concupiscere res alienas peccatum est, & iure diuino prohibitum; sed talis concupiscentia interuenit in præfatis ludis fortunæ, imò ipsa cupiditas dat causam ludo, cùm ludus non nisi causa alienum acquirendi fiat.

V. Qvinto, illa commercia sunt hominibus illicita, per quæ periculo blasphemandi & peierandi, & alia nefanda verba dicendi se exponunt, tales sunt contractus prædicti: nam cùm lucrum soli fortunæ, quæ Deus est, innitatur, hanc autem vtrique ludentium succedere sit impossibile: superest vt is, cui fortuna non arridet, contra fortunam loquens, contra Deum, qui fortuna est, loquatur; imò & directè in Deum insurgunt, tanquam qui causa fuerit perditionis.

VI. Sexto, & currit specialiter de ludo alearum, quem constat lege ciuili esse prohibitum. l. alearum vsus. C. de religiosis, Et Authen. de sanctiss. episcopis. §. interdicimus. & ff. de aleæ lusu & aleatoribus. per totum. Quæ leges quamuis ratione sui, regna quæ non sunt imperio subdita, non ligent, bene tamen eos, qui Imperatori subditi sunt. Vniuersaliter etiam videtur alearum ludus omnibus esse prohibitus: quia leges ciuiles, quæ legi diuinæ aut naturali non aduersantur, per canones confirmantur, vt habetur 10. dist. cap. de capitulis. cum sequentibus. Canones autem Ecclesiastici omnes vniuersaliter ligant. Est autem huiusmodi ludus clericis specialiter interdictus, vt habetur de vita, & honestate clericorum. cap. clerici officia. Similiter & ad laicos extenditur, vt habetur. 35. dist. cap. Episcopus. E

VII. Postremo hæc sententia videtur autoritate Doctorum confirmari; qui pro maiori parte in materia de ludo dicunt, quòd alearum ludus illicitus est, & lucrum inde quæsitum communiter dicitur esse turpe, & turpiter acquisitum.

Posterior quæstionis pars. An lucrum per aleam acquisitū sit restituendum. Argumenta pro parte affirmatiua.

I. Qvod avtem lucrum per aleam acquisitum, sit de necessitate restituendum, etiamsi lucrans non sit ad id per iudicem condemnatus, arguitur, Primò, quia legis intentio non solùm est ludum prohibere, seu lucrum, quod per ludentes prætenditur, inualidare. Si enim quis ad aleam ludat, vbi pecunia non interueniat, non ageret contra legem, ageret autem, si causa lucri luderet: igitur legis intentio potiùs est, lucrum quàm ludum prohibere, ac proinde lucrū huiusmodi contra legem accipitur, & contra legem retinetur, & per consequens est de necessitate restituendum.

II. Secvndo, in ludo gratia lucri facto, is qui perdit, iniustè per lucrantem damnificatur, si lucrum perditum ab eo accipiat, ex quo is qui lucratur, alterum rebus suis per medium illicitum ac vetitum spoliat. Igitur iniusta est huiusmodi lucri acceptio, & per consequens restituendum, iuxta capit. finale de iniuriis. Si culpa tua damnum datum est. F

III. Tertio, vbi prohibetur rei alienæ concupiscentia, à fortiori prohibetur rei alienæ acceptio. Cùm ergo ludenti prohibitum sit, ne rem alienam concupiscat, vt patet ex Decalogo præceptorum: à fortiori igitur erit eidem prohibita rei alienæ acceptio; qualiter accipitur, quando colludenti fortuna non succedit: & ita sicut contra proximi charitatem est, res eius concupiscere, ita & contra eandem erit, res eius ab eo inuito accipere. Nec valet dicere, quòd ludens non desiderat damnum proximo colludenti, sed desiderat quòd fortuna illi succedat: nam in casu, qui hoc desiderat, non nisi vt rem proximi lucretur desiderat: & per consequens, principaliùs desiderat de rebus proximi ditari, iuxta Aristotelem: Propter quod vnumquodque tale, & illud magis. Sed nec iustum est quenquam cum alterius iactura locupletari: vt habetur in ca. suam. §. quia de pœnis.

IIII. Qvarto, si perdens lucrantem coram iudice conueniat, iudex secundùm leges compellet lucrantem, vt lucrum perdenti restituat, hoc autem iustè præcipere non potest, nisi quia præfatum lucrum ipsius perdentis est, aut sibi debitum; alioqui si nec suum est, nec

A est, nec sibi debitum, quo pacto iustè compellitur lucrans id quod lucratus est perdenti reddere?

QVINTO, lex quæ perdenti repetitionem concedit, non est pœnalis, nam si pœnalis esset, cùm perdens non minùs in culpa fuerit quàm qui lucratus est, cùm vtrique ludum vetitum exercuerint, res perdita non esset perdenti per iudicem reddenda, cùm æquè fuerit sicut & lucrans in causa turpitudinis: non igitur in pœnam lucrantis per leges statutum est, vt lucrum perdenti restituat. Superest ergo, vt per vim restitutionis, & non per vim pœnæ lucrum sit perdenti reddendum. V.

ET CONFIRMATVR hoc ex l. alearum vsus. C. de religiosis, vbi præmissa lege ludum prohibēte, dicitur: Si contrà factum fuerit, nulla sequatur condemnatio, sed solutum reddatur, & competentibus actionibus repetatur ab his, qui dederunt. Vnde colligi videtur, quòd talis solutio perdenti sit inutilis ipso iure, quodq; non transferat dominium rei perditæ in lucrantem. *Confirmatio eiusdem.*

SEXTO, in re dubia tutior pars est eligenda, nec in conscientia tutus est, qui dimissa tuta & certa via, incertam eligit; sed certum est, quòd lucrans restituendo est tutus in conscientia, & tamen dubium est, an illud retinendo sit tutus, idque ob contrarietatem opinionum. Igitur qui lucratur, nisi restituat, periculo damnationis se videtur exponere. VI.

B HIS NON obstantibus, aliter videtur ad vtrunque articulum respondendum, & sit primum dictum; quòd ludus alearum de se, seclusa iuris humani prohibitione, non est illicitus, nec ex obiecto, nec ex fine. Primum patet, quia si de se, & ex obiecto esset illicitus, ob nullam causam posset licitè exerceri, etiam nec causa recreationis, quod suppono falsum: quia quæ de se, & ex obiecto malitiam habent, sunt intrinsecè mala, ac proinde per nullum bonum finem possunt à malitia denudari, vt ait sententialiter Aristoteles 3. Ethicorum. Secundum etiam patet, quia sola intentio lucrandi, si tamen moderata sit, non sufficit vitiare ludum; alioqui non solùm ludus alearum hac ratione redderetur illicitus, sed etiam quicunque alius, quantumuis honestus contractus vitiaretur, si causa lucri fiat, quod est contra communem sententiam. *Resolutio prioris partis quæstionis.* *Conclusio* I.

SECVNDVM dictum, non redditur sufficienter huiusmodi ludus illicitus per hoc, quòd bona temporalia simpliciter fortunæ exponuntur. Nam in sorte diuisoria, bona quodammodò fortunæ committuntur: nam in hæreditate diuidenda, aut diuidendis animalibus, aliisque rebus, quæ finita societate diuidi solent, licitum est sortiri, maximè si non aliter concordari possunt, vt tenet Thomas, 2. 2. & post eum reliqui Doctores: specialiter super illud Prouerbiorum 17. Sortes mittuntur in sinum, & à Domino temperantur. Ita etiam sæpe si qua est in dignitatibus & honoribus acquirendis controuersia, sorte dirimi solet; esto quòd huiusmodi bona fortunæ exponantur. De vadiatione est idem iudicium: nam sæpe contentiones & rixæ per vadiationem, quam vulgò, apuesta, C dicimus, dirimuntur. In quo casu licita est vadiatio, sicut & diuisoria sors. De assecuratione certius est, eam non esse illicitam, imò videtur rebus publicis maximè proficua. Multi namque mercatores non auderent merces in longinquas regiones, aut de longinquis locis ad prouidendum eis transferre, nisi præuia assecuratione; qua seclusa, notabilem rerum penuriam multæ ciuitates, & regna paterentur. Ac proinde huiusmodi assecurationis contractus tantò magis, quàm ludus licitus est, quantò magis rebus publicis est necessarius aut vtilis. Non obstante, quòd in assecuratione bona temporalia hinc inde fortunæ committantur. *Conclusio* II.

TERTIVM dictum, esto præfatus ludus alearum de se, aut ratione finis illicitus non sit, potest tamen ex multis circumstantiis, sicut cæteri humani contractus, vitiari, etiam humani iuris prohibitione seclusa. Vt si ludentes, rerum, quas ludunt, nec domini sint, nec veri earum administratores; aut si sint, fraude aut dolo, cùm ludunt, vtantur. Aut si fraus non sit, frequentiùs tamen, quàm deceat, ludunt; & eo tempore, quo ab aliis actibus, seu officiis, quibus tenerentur incumbere, impediuntur. Et si hæc cessent, in tanta tamen quantitate ludunt, quòd ex rerum amisione pauperiores fiunt, & ipsi cum eis, qui eorum curæ commissi sunt, notabiliter patiuntur. Aut si hæc cessent, ludunt cum aliorum scandalo, cæteris occasionem præstantes, vt huiusmodi ludos immoderatè exerceant. *Conclusio* III.

Ac

Aç proinde seclusis huiusmodi circumstantiis, ludus præfatus si humanis legibus prohibitus non esset, non videtur esse damnandus, maximè propter rationes suprà factas, quæ, vt patet, prætendunt, non solùm ob humanam prohibitionem ludum alearum esse damnandum, sed etiam ea seclusa: ideò ad argumenta breuiter respondeamus. D

Respondetur ad argumenta initio proposita.

Ad I. Ad primvm, quando arguitur quòd per ludum huiusmodi fit, vt homines in otio viuant; dicendum, quòd otium quod communiter reprobatur, non qualiscunque aut quantacunque quies est, nisi tanta sit, qua homo ea, quæ debet, negligat operari. Præceptum enim de operando aliquid corpore, aut animo, cùm affirmatiuum sit, non pro semper obligat; ac proinde dato illo tempore, quo ab opere cessare licet, poterit homo absque vitio otiandi, ludum aliquem exercere: & ita ludus alearum pro illo tempore nõ debet, ob illam causam, damnari, nisi eo tempore fiat, quo aliis rebus deberet homo incumbere.

Ad II. Ad secvndvm, quando arguitur quòd taliter ludentes sint prodigi: Respondetur, quòd Aristoteles ideò damnat huiusmodi ludentes, quia accipiunt, vnde non oportet, puta ab amicis, aut aliis indigentibus, quibus ipsi dare debuissent potiùs, quàm ab eisdem accipere: ideò in casu ex circumstantia reddetur vitiosus. Verùm cùm hæc circumstantia non semper ludo alearum adsit, sequitur non esse vniuersaliter ludum, ob illam circumstantiam, damnandum. E

Ad III. Ad tertivm, de expositione, qua per ludum res fortunæ exponuntur, responsum est suprà, hoc nõ sufficere ad deprauandum ludum, sicut nec sufficit ad multos alios contractus deprauandum, in quibus res temporales fortunæ committũtur. Adde quòd non ita res in ludo pereant, quin alteri colludenti acquirantur, cui ipse, qui perdit, easdem, si vellet, poterat alioqui absque aliqua conditione donare. Non igitur repugnat, quòd easdem conditione aliqua eueniente colludenti donet, ac proinde non est de ludente idem iudicium, quod de illo, qui vitam, aut famam, aut temporalia bona ita periculo exponit, vt eorum interitus nulli prodesse valeat.

Ad IIII. Ad qvartvm, quando arguitur quòd ludus fiat ex alienarum rerum cupiditate, dicendum, hoc nõ debere doctos mouere, vti mouere video ad indistinctè damnandum ludum alearum, ob hanc causam. Putant enim ludentes gratia lucri agere contra præceptum Decalogi; Non concupisces rem proximi tui: in hoc tamen distinguendum est: nam duobus modis possumus rem alienam concupiscere. Vno modo, per media licita, puta, ex consensu domini rem illam posidentis: & hoc de se, nisi per aliud vitietur, illicitum non est. Alio modo, per media illicita, puta per furtum, rapinam, fraudem, alióue modo iniusto, in quo dominus rei sit rationabiliter inuitus. Et hoc peccatum est, & in illo præcepto prohibitum. In casu autem præsenti, si ludens rem alterius concupiscit; nõ per furtum, aut fraudem, seu vim cupit rem illam habere, sed de scientia, & voluntate colludentis: ideò voluntariè & sponte contrahunt, vt is cui fortuna successerit, rem alterius lucretur: & ita sola cupiditas lucri ludum damnare non debet, dummodò sit cupiditas ratione moderata, ita vt colludens non maneat ex perditione notabiliter depauperatus. Alioqui omnes alij honesti cõtractus, in quibus homo res aliorum habere prætendit, essent similiter damnandi, cùm vtrobique similis sit rei alienæ in contrahente cupiditas. F

Ad V. Ad qvintvm dicendum, quòd licèt in ludis talia iuramenta, fraudes, mendacia, & blasphemiæ interueniant, hæc tamen vitia sunt ludentium, non ludi, nec per se ex ludo proueniunt, sed ex ludentium malitia accidunt, vt in simili ait Augustinus, de mendaciis, & fraudibus, quæ in aliis licitis negotiationibus accidere solent; quòd scilicet negotiantium vitia sint, non ipsius negotij. Et ita patet, rationes illas, quæ seclusa legis prohibitione, procedunt, non sufficienter probare intentum. Nam si attendas, videbis rationes illas pariter de cæteris ludis probare, eos scilicet illicitos esse, si de ludis alearum probaret intentum, vt de se patet. Superest ergo, quòd si ludus alearum illicitus est, semotis omnibus circumstantiis, per quas deprauari posset, ideò sit, quia lege aliqua prohibitus est, quemadmodùm in sexta ratione tangebatur: de quo statim dicetur.

Resolutio posterioris partis q̃stionis: scilicet,

Illvd videtvr difficilius, & ad propositum nostrum pertinentius, quod in secundo articulo tangebatur, an scilicet, supposito quòd ludus alearum illicitus sit, lucrum inde acquisitum sit de necessitate restituendum. Et quæritur hoc in casu, quo ludentes

A ludentes liberam suarum rerum administrationem habeant, omnisque dolus & fraus cesset, nec aliqua ex suprà dictis circumstantiis, quas diximus ludum deprauare, interueniat. In qua quæstione cùm tot, & tam variæ sint opiniones, quas omnes referre molestum foret, ideo illis dimissis, quid magis rationi consonet, in præsentiarum dicemus. Et quidem videtur, quòd nulla causa occurrat, vnde obligatio huiusmodi lucrum restituendi oriatur. Nam aut esset propterea, quòd turpiter acquisitum est, id est, per actus peccaminosos, quales sunt, ludum vetitum exercere, & hoc non: nam lucrum per meretricium acquisitum non est de necessitate restituendum, vt suprà visum est, & tenent Doctores, tam Theologi, quàm Iuristæ. Lucrum etiam ex emptione, & venditione tempore, aut loco prohibitis facta, modò iniustitiam non contineat, restituendum non est, esto quòd turpiter, id est, per actum turpem, & peccaminosum sit acquisitum. Lucrum etiam ex participatione cum excommunicato alioqui licita acquisitum, aliaque lucra per donationem prodigalem aut lenocinium acquisita, quamuis medium, quo acquisita sunt, sit illicitum, non tamen sunt restitutioni obnoxia. Igitur non ideò restituendum est, quod per ludum alearum est acquisitum, quia scilicet talis ludus illicitus sit.

Lucrũ per aleas acquisitum non esse necessariò restituendum.

Probatur I.

SECVNDO, non etiam sunt præfata lucra necessariò restituenda, quia scilicet ex fortuna sunt acquisita. Patet hoc de piscatoribus, quibus aliquando fortuna succedit, aliquando non. Patet de possessoribus agrorum, quorum fructus aliquando ex fortuito B euentu notabiliter crescunt. Patet etiam in casu, quo Petrus promisit se Paulo daturum centum, si quis cras Capitolium ascenderit: in quo casu lucrum Paulo euenturum ex futuro, & casuali euentu pendet, vt constat, & tenet promissio, & conditione subsistente est adimplenda: vt habetur in l. à Titio. ff. de verborum obligationibus. Sicut si quis promisit Petro se illi daturum centum, si cras pluerit, tenet promissio, & conditione eueniente est adimplenda: & taliter acquisitum non est restituendum, sicut nec restituere oportet, quod quis per assecurationis contractum acquisiuerit. Et ita in aliis quampluribus casibus potest homo ex casu fortuito lucrum acquirere, quod tamen restituere minimè tenetur. II.

TERTIO, non etiam sunt necessariò præfata lucra restituenda, quia ex cupiditate ludentis sunt procurata, etiamsi cupiditas immoderata fuerit, modò res ex voluntate prioris possessoris acquiratur. Nam in omni contractu oneroso, seu illiberali potest contrahens rei alienæ immoderatam habere cupiditatem, non tamen ideò rem sic acceptam tenebitur restituere, modò nullam in re iniustitiam commiserit. Si equum alienum mihi concupisco, paratus, si dominus non dederit, eum per vim arripere, & tamen spontè dominus mihi equi donationem fecerit; non tenebor illum restituere, etiamsi immoderatè illum concupiuerim. Itaque immoderata rei alienæ cupiditas, restitutionem inducere non sufficit, si in re ipsa nulla iniustitia committatur. Quemadmodùm nec immoderatus affectus, quem ad res meas habeo, inducit in me obligationem ad res C meas alienandas. III.

QVARTO, non etiam sunt præfata lucra necessariò restituenda, quia is qui perdit, non omnino voluntariè ea persoluit, sed cum pœnitudine quadam aut dolore. Nam sæpe debitor, vel mutuatarius quod debet, cum dolore soluit. Qui rem ad terminum emit, sæpe similiter termino adueniente, pretiũ debitũ cum dolore creditori reddit. Donatio etiam sponte facta, sæpe cum dolore suo tempore adimpletur, sicut & vir cùm sponsalia contraxit, sæpe sponsam in vxorem inuitus accipit. Et promissa sæpe inuoluntariè soluuntur: attamen in his omnibus tenet contractus, & quod per contractus huiusmodi fuerit acquisitum, non est de necessitate reddendum: imò vniuersaliter quando præcessit voluntaria obligatio, qua quis ad aliquid se obligauit, siue absolutè, siue cum conditione, parum refert ad hoc, quòd factum teneat, eum qui se obligauerat, postea inuitum aut spontaneum id reddere, quod debet. IIII.

QVINTO, non etiam sunt præfata lucra necessariò restituenda ob id, quòd qui perdit, nil loco eius quod soluit à lucrante recipit: nam in omni donatione liberali idipsum reperitur; non tamen ob id venit restituendum quod donatarius accepit. Similiter idem reperitur in assecuratione mercium, pro qua assecurator mercedem recipit, loco cuius nil de bonis suis assecurato reddit. Et in multis aliis hoc idem sæpe contingit, vbi acceptum non est de necessitate restituendum. V.

VI. SEXTO, præfatum lucrum non est de necessitate restituendum, ratione legis humanæ ludum prohibentis: nam de lege diuina, & naturali ex dictis apparet talem obligationem non prouenire. De Canonica lege probatur intentum: nam hæc specialiter clericis data est, & esto quòd laicis data sit, vt ex fine cap. Episcopus. colligitur 35.distin. Illic tamen, non lucrum restitui præcipitur, sed ludus alearum interdicitur, & non qualiscunque, sed frequentia eius: nam textus ille contra eos, qui ludo deseruiunt, procedit; verbum autem, deseruire, frequentiam importat, vt etiam illic ait glossator. D

Neq; per legem ciuilē esse prædictum lucrum restituendum probatur. I. QVOD ETIAM lex ciuilis non vniuersaliter obliget ad restitutionem lucri per aleam acquisiti, apparet. Primò, quia non procedit de gabellis, cæterisque, qui superiorem non recognoscunt, cùm lex principis non nisi ad subditos debeat extendi. Nec obstat quòd leges ciuiles per Canones confirmantur ea in parte, qua legi diuinæ, & naturali non aduersantur: nam legis confirmatio non se extendit plusquam lex ipsa: aliud enim est legis extensio, aliud verò legis confirmatio, & ita legis ciuilis confirmatio, quæ per Canones fit, non plures obligat, quàm lex ipsa alioqui obligasset.

II. SECVNDO, quia lex illa ciuilis in multis regnis dicitur esse per contrariam consuetudinem reuocata, quam principes, & eorum officiales sciunt, & tamen nec contradicunt, nec contrauenientes in aliquo puniunt.

III. TERTIO, esto lex illa ciuilis reuocata non sit, non tamen iubet lucri ex alea prouenientis restitutionem fieri. Nam in legibus suprà citatis aliisque, quæ de hac materia loquuntur, id videtur esse dispositum, vt perdentes contra lucrantes actionem, vsque ad quinquaginta annos habeant, vt apparet in l.alearum vsus.C.de relig.& sump.fun.& ale. lus.& aleat.Et in constitutione græca.Et quamuis illic Episcopo, & officialibus suis concedatur, vt à lucrantibus lucrum accipiant, & pauperibus distribuant; non tamen ex hoc sequitur, quòd in conscientia teneantur hi, qui lucrati sunt, lucrum restituere: nam lex illa repetitionem concedit.Alia verò, quæ de Episcopis loquitur, pœnalis est, ideò, vt ait Petrus de Palude, ante sententiam contra lucrantem datam, minimè currit, iuxta glossam sæpe citatam 12.q.2.c.fraternitas.Imò aliud addit præfatus Doctor, quòd si lucrans, id quod lucratus est, pauperibus erogauerit, & posteà contra illum agatur, potest coram iudice excipere, dicens se illud iam pauperibus distribuisse, & erit liber:Imò alij Doctores adhuc aliud addunt, quòd lex illa etiam est in multis regnis abrogata, quo ad repetitionē illam:quia, vt refert Baptista, iam non audiuntur perdentes, nec illis actio contra lucrantes conceditur.Quicquid tamen de hoc sit in præfatis legibus, nec negatur dominium lucri in lucrantem transire, nec sic lucratum præcipitur restitui, sed solùm videtur actio perdendi concedi, si ea velit vti. Ac proinde fortè minùs rationabiliter loquuntur, qui dicunt præfatam legem esse per solum non vsum abrogatam, quia cùm lex non necessitet perdentē, vt contra lucrantem agat, sed liberum sit ei agere, & non, consequens est, vt si non agatur contra lucrantem, non inde aliquid contra legem fieri, occasione cuius debeat abrogari, vt notat Panormit. in cap.Ioan.de clerico coniugato. E F

IIII. PRAETEREA si lucrantes tenerentur lucrum, ante sententiam iudicis, restituere, maximè pauperibus, vt hi, qui contrarium tenent, affirmant, cùm perdenti obstet sua turpitudo, quòd si sic esset, sequeretur, quòd si perdenti restituant, non releuantur, quo minùs pauperibus tantundem erogare teneantur, iuxta cap. ea te. in prin. de iureiuran. vbi dicitur, onus non remittitur sed augetur, cùm cuique improuidè soluitur, quod alij ex debito est præstandum.

V. POSTREMO, si lucrum ad ludum alearum acquisitum, ob id esset necessariò restituendum, quòd ludus ille prohibitus est; sequitur quòd à simili esset restituendum id, quod quis vltra vnum solidum per alium ludum honestum acquisiuerit: nam in eadem alearum l.vsus cauetur, ne quis vltra vnum solidum ad alios ludos honestos ludat. Consequens suppono falsum, & contra communem Doctorum sententiam.

Corollarium. COROLLARIE sequitur, quòd si in terris, quæ legibus imperialibus subditæ sunt, in quibus lex alearum ludum prohibet, & repetitionem concedit, lucrum inde acquisitum non est de necessitate restituendum; à fortiori, restituendum non erit in terris imperio non subditis, nec etiam in subiectis, si lex sit per contrariam consuetudinem, quantum ad restitutionem, seu repetitionem, reuocata. Sic enim Doctor sanctus significat 2.2.q.32. art.7. Quòd scilicet si nulla esset legis humanæ circa ludos prohibitio, non esset necessariò restituendum lucrum inde acquisitum, si is qui perdidit, sui iuris erat, liberam

habens

A habens rerum suarum administrationem; nec perdens fuit per vim attractus, nec fraus aliqua in ludo interuenit. Similiter extra hos casus restituendum non est, si lex humana, inquit, sit per contrariam consuetudinem reuocata. Itaque ex sola vi legis huiusmodi lucrum prohibentis, putat lucrum esse necessariò restituendum: sed cùm leges huiusmodi solùm videantur perdenti repetitionem concedere, vt suprà dictum est, videtur, iuxta conclusa, talē obligationem restituendi non sufficienter in legis prohibitione fundari.

Ex dictis patere potest responsio ad rationes pro parte opposita suprà factas. Ad primam dicendum, quòd lex prohibeat alearum ludum causa lucri notabilis factum, non tamen prohibet lucri acceptionem, nec eo ipso quòd ludum prohibet, ipsum inualidare intendit. Quod per exempla facile est cognoscere: si Petrus, & Maria votum continentię emiserunt, non dubium est, lege diuina illis interdictũ esse, ne inter se maritaliter contrahant, sibi inuicem corpora sua tradentes; & tamen si de facto contrahant, non inualidatur contractus, & tenet mutua suorum corporum traditio. Similiter si quis ex officio habeat libros scribere, & inde soleat sibi victum quærere, interdicitur eidem ne in diebus festiuis librum causa lucri scribat, quod minimè interdicitur, si absq; illa causa scriberetur; & tamen, si ob lucrum contra præceptum scribat, non interdicitur ei lucri acceptio. Itaque non lucrum, sed artis vsus lucratiuus prohibetur. Quemadmodùm negotia lucratiua intra Ecclesiam fieri, vetitum est; sed si fiant, non ideò lucri acceptio prohibetur. Ita in proposito lex prohibet ludum causa lucri factum, sed non lucri acceptionem. Et quamuis legis intentio, quæ ludum illo modo factum prohibet, sit, ne homines res suas inutiliter amittant, aut ne rebus suis inutiliter spolientur, hęc tamen legis intentio non cadit sub præcepto, aut prohibitione eiusdem, sed ludum ipsum, ob illam causam exercere, est quod lege prohibetur.

Respondetur ad argumenta supra pro affirmatiua parte adducta.

Ad I.

Quatenus alearum ludus sit lege prohibitus.

B

Ad secvndam dicendum, falsum esse, quòd is, qui lucratur, perdentem damnificat, lucrum ab eo accipiendo, nec propriè in casu is, qui perdit, dicitur damnum pati, cùm ipse sponte velit, aut ratione contractus velle debeat, si quid perdiderit, lucranti soluere: non enim omnis patrimonij diminutio dãni nomine venit intelligenda, sed ea, quæ ex culpa alterius, altero inuito, euenit. Hæc enim differentia solet inter damnum, & iacturam poni, quòd iactura fit propria voluntate, damnum autem contra voluntatem ipsius damnificati, vt notant Doctores in cap. quia sæpe. de electione. lib. 6. Alioqui donatarius aliquid à donante per viam donationis accipiens, diceretur donantem damnificare, cùm ex tali acceptione maneat donantis patrimonium diminutum. Nec obstat, quòd ex culpa ipsius lucrantis perdenti præfata diminutio eueniat, ex culpa, inquam, quam contra legem ludendo committit: non obstat, quia in illa culpa ambo sunt pares, in contractu illo alearum ambo sponte consenserunt, ambo etiam æqualiter ad id, quod perdiderint, soluendum se obligârunt: ac proinde si alter perdit, non lucranti, sed sibi debet iacturam seu damnum, si quod patitur, imputare.

Ad II.

C Ad tertiam, ex dictis patet solutio, quòd id quod lex diuina prohibet, dicens: Non concupisces rem proximi, eandem habet limitationem & intelligentiam, quam habet illud aliud: Non capias opere rem proximi tui. Vbi sicut non prohibetur omnis rei alienæ acceptio, sed ea in qua dominus ipsius est rationabiliter inuitus, quæ dicitur iniusta rei alienæ contrectatio; ita non prohibetur omnis concupiscentia rei alienæ, sed ea qua concupiscimus rem proximi, contra eius voluntatem, possidere: quod est rem alienam iniustè, aut iniuriosè concupiscere. Qualiter non concupiscit, qui causa lucri ad aleam ludit. Modò autem is qui perdit, non est cum ratione inuitus, si lucrans id, quod lucratus est, habeat: imò ratione contractus, & tacitæ promissionis videtur debere soluere, quod perdiderit. Adde quòd si ratio valeret, non solùm de ludo alearum, sed de quocunque alio honesto & licito contractu, causa alicuius lucri facto, procederet, quod tamen non est concedendum.

Ad III.

Explicatur hoc præceptum: Non concupisces rem proximi tui.

Ad qvartam dicendum, quòd lucrum, quod quis in ludo acquisiuit, nec perdentis est, nec in conscientia est perdenti debitum; cum hoc tamen stat, quòd habet actionem ad repetendum: vt si quis rem valentem decem, vendidit pro quindecim, illa quindecim nec ipsius vendentis sunt, nec in conscientia illi debentur; attamen poterit contra emptorem agere, & iudex compellet emptorem ad soluendum illa quindecim, etiamsi emptor fuerit defraudatus, sed citra dimidium. Idem patet in pœnis alicui iniuriam vel damnum passo per iudicem applicandis, quæ ante latam sententiam, nec suæ

Ad IIII.

sunt ipsius, qui iniuriam passus est, nec ipsi in conscientia debitæ: esto quòd actionem habeat ad repetendum, & iudex iustè poterit reum ad pœnæ solutionem compellere. D

Ad V. AD QVINTAM dicendum, quòd lex illa pœnalis est, quæ perdenti repetitionem contra lucrantem concedit, & in pœnam vtriusq; colludentium fit, vt perdente petente, lucrans teneatur id quod fuerat lucratus perdenti reddere, etiamsi perdens fuerit in eâdem causa turpitudinis. Nec arbitror minorem esse pœnam, ipsi perdenti ad eius petitionem lucrum restitui, quàm sit ipsius restituentis: quia eo ipso quòd perdens repetit, notam infamiæ videtur incidere, nec homines postmodùm eum dignum iudicabunt, cum quo humana commercia fiant, tanquam qui promissionem, & fidem tacitè datam pro re caduca non necessaria violauerit.

Ad eiusdem confirmationem. AD CONFIRMATIONEM dicendum, quòd lex illa nil agat contra conclusionem propositam, cùm in ea id prætendatur, scilicet, quòd iudex nullam aliã ludentibus pœnam inferat, quàm ꝙ ad petitionem perdentis is qui lucratus fuerat, lucrum reddere compellatur: non tamen disponit, quòd casu quo nõ repetatur; debeat perdenti restitui.

Ad VI. *Dubio in conscientia, num lucrum restituendum sit, quid faciendum.* AD SEXTAM & vltimam, quod grauem tangit difficultatem scilicet, quid agendum in casu, quo Doctores varia opinãtur. De qua infrà, Deo dante, videbitur. Pro nunc tamen dicendum, quòd si is qui lucratus est, dubiam habeat conscientiam, debeátne lucrum restituere, an non: Fateor, durante dubio, eum teneri ad illud, quod tutius esse cognouerit: puta, ad restituendum, idque ne discrimini aut periculo peccandi se exponat, E qualiter se exponeret, contra conscientiam dubiam lucrum illud retinendo: poterit tamen, dubio deposito, illi opinioni adhærere, quam viderit, aut audiuerit à Doctoribus fide dignis approbari, quibus se tutè poterit conformare. Et quia non video autoritatem, aut rationem conuincentem ad tenendum, esse de salutis necessitate præfatum lucrum restituendum, opinioni liberanti potiùs, quàm condemnanti arbitror adhærendum; attentis modificationibus suprà tactis, scilicet, quòd nulla fraus interuenerit, nulla ad ludendum coactio, quodque ludentes sint sui iuris, qui res suas donare, & alienare liberè possint, quodque ad quantitatem eius, pro quo luditur, simul & ad ludentium patrimonium, ne scilicet notabiliter diminuatur, habeatur respectus. Raro tamen, vt fertur, hæc omnia per ludentes attenduntur; ideò prudentis erit confessoris, antequàm ludentes liget, vel absoluat, rem priùs, vt debet, perpendere.

Corollarium I. *Nihil interest in proposito an alter ab altero ad ludendũ fuerit incitatus.* *Ratio.* COROLLARIE sequitur, impertinens esse ad obligationem lucrum restituendi, alterum ex colludentibus, per alterum ad ludendum esse attractum, vt infert Adrianus contra Thomam, & alios; ratio, quia talis attractio non intulit vim perdenti, ac proinde huiusmodi attractio non reddit contractum lusorium inualidum, sicut nec inuoluntarium; alioqui si alter alterum ad emendum, seu vendendum aliúmue contractum celebrandum attraheret, eo ipso redderetur inualidus huiusmodi contractus, quod non est dicendum. Refert tamen, qualis & quanta sit colludentis attractio: nam potest vis, seu coactio, seu metus tantus interuenire, vt tollat voluntarium; & tunc nec contractus erit F validus, nec lucrum inde acquisitum poterit retineri; secùs si attractio sit per leues preces, aut aliquas suasiones, omni vi, coactione, & metu cessantibus.

Corollarium II. *Perdẽs in ludo, tenetur in conscientia soluere perditum.* *Probatur I.* COROLLARIE sequitur, contra ipsum Adrianum, perdentem teneri in conscientia soluere perditum, non obstante actione, quam ad repetendum habet, per quam à debito soluendi minimè liberatur. Ratio, quia naturale est, vnumquenque promissionem, & iuramentum de re licita factũ, debere adimplere: cùm ergo colludentes ratione contractus lusorij tacitè promittant, se, quod perdiderint, soluturos, & ad id per huiusmodi contractum se obligant, sequitur eos teneri: nec obstat turpitudo lucri, quæ non tam in lucro, quàm in modo, quo acquiritur, reperitur. Exemplum est clarum in lucro meretrici promisso, quod quamuis turpe ex modo illud acquirendi sit, ob promissionem tamen venit soluendum. Quemadmodùm Iudas, ne mendacij aut perfidiæ argui posset, id quod promiserat ei, quam meretricem putabat, per famulum fideliter misit. Quòd autem actio repetendi perdenti concessa non obstet, apparet à simili de mutuatario, qui promisit, aut iurauit se vsuram soluturum: is enim tenetur promissum complere, iuxta capit. debitores. de iureiuran. Esto quòd illi ad repetendum competat actio, & vsurarius vsuram acceptam teneatur eidem restituere.

II. PRAETEREA ex contractu iure non inualidato nascitur obligatio; cùm ergo ius, quãuis præfatum contractum prohibeat, ipsum tamen non inualidat, sed tantùm perdenti repeti-

A repetitionem,si ea vti velit,concedit; sequitur, quòd antequàm contra lucrantem agat, & contra ipsum sententia feratur,tenetur perdens lucranti soluere. Et quamuis ex contractu lusorio per legem prohibito obligatio ciuilis non oriatur,bene tamen naturalis.

PRAETEREA, vel lucrans acquirit ius ad id, quod in ludo lucratur, vel non. Si sic, igitur perdens tenetur lucranti reddere id, ad quod ius habere dignoscitur. Si non,igitur lucrans non poterit iustè retinere,quod in ludo fuerit lucratus;ex quo non alio titulo illud tenet,quàm quia illud lucratus fuit:ideò si hoc nullum ius illi ad lucrum pręstat, non iure, sed iniuria lucratum retinebit, & per consequens tenebitur illud in conscientia restituere, quod est contra ipsum Adrianum. Aut igitur fateatur perdentem teneri ad id,quod perdiderat,lucranti soluere;aut lucrantem lucrum ex ludo acquisitum teneri perdenti restituere, etiam ante condemnationem. III.

COROLLARIE sequitur,contra eundem Doctorem,si ludens soluit lucranti quod perdidit, compensationem locum non habere: Vt si Petrus in ludo amisit decem,quæ Ioanni lucranti soluit, cui idem Petrus aliunde alia decem ex mutuo alioue contractu debebat, non poterit Petrus loco decem, quæ soluit, alia decem, quæ aliunde debet,retinere; sed facta rei amissæ solutione,tenetur,sicut priùs, decem, quæ mutuo acceperat, restituere: & multò minùs poterit loco decem, quæ in ludo amisit, & soluit, tantundem propria autoritate de bonis lucrantis, eo inuito,capere ante sententiam, pro amittente B latam:non obstante,quòd Petrus ex lege actionem contra lucrantem ad id, quod in ludo amisit,habeat.Corollarium patet,quia compensatio locum non habet,nisi hinc inde aliquid sit inuicem debitum. Cùm ergo is,qui decem lucratus est,non teneatur in conscientia lucrum amittenti restituere;econtrà verò qui in ludo decem amisit, aliunde teneatur decem lucranti reddere,sequitur in casu,compensationem locum non habere.

III Corollariũ. Lusore soluente lucranti quod perdidit, compensatio locum non habet.

NEC OBSTAT motiuum,quod pro se affert,dicens,quòd quando pœna ipso iure, vel ipso facto venit alicui certæ personæ applicanda,potest talis persona de æquipollentibus compensare,quasi lex eo ipso,quòd quis ad ludum alearum aliquid amittit, & soluit, ipsum lucrum solutum eidem amittenti applicet: cùm tamen huiusmodi applicatio ipso iure aut facto non fiat, sed tantùm amittendi datur actio, vt intra quinquaginta annos id quod perdidit, in iudicio repetat, & ad eius instantiam iudex lucrantem compellet,vt quod lucratus fuerat,eidem reddat.Vnde patet,amittentem non habere ius ad id, quod amisit,antequam facta repetitione,per iudicem restituatur:quod enim semel amisit,& soluit,nec suum est,nec sibi debitum,ante iudicis sententiam.Vnde notant Doctores super cap.fœlicis.de pœnis.lib.6.quòd in pœnis executio fieri non potest,nisi iudicis sententia præcedat. Quod si verum est de pœnis ipso iure inflictis, à fortiori verum erit de pœnis per iudicem infligendis: si enim ante iudicis sententiam lucrum acquisitum, esset in conscientia amittenti debitum, quo pacto possit lucrans à debito restituendi liberari, non video. Liberatur autem,secundùm hunc Doctorem: vel ergo fateatur, ante C sententiam latam esse restituendum, vel neget in casu, ante sententiam compensationi locum esse.

Obiectioni cuidã respondetur.

ITAQVE in pœnis,quæ alicui certæ personæ per legẽ,ipso facto, aut ipso iure,etiam sine iudicis sententia applicantur, crederem compensationi locum esse, siue sit pœna conuentionalis, siue legalis. Vbi tamen pœna huiusmodi non fit, alicui certæ personæ ipso facto applicatur,nisi præmissa partis repetitione,& iudicis sententia interueniente: tunc sicut pœna,antequàm repetatur, illi non debetur, ita nec locum habet compensatio in conscientia. Cùm ergo in ludo alearum non eo ipso,quòd alter aliquid lucratur, ipsum lucrum amittenti applicatur, nisi amittens repetat, & iudex lucrum reddi percipiat,sequitur intentum.Et quòd non eo ipso lucrum præfatum per legem amittenti debeatur, constat ex dictis: quia si lucrans, antequàm coram iudice conueniatur, lucrum pauperibus erogauerit,non compelletur per iudicem tantundem amittenti reddere, vt ait Petrus de Palude,& suprà tetigimus. Quæ omnia sunt per confessores diligenter attendenda,vt sciant,quos in huiusmodi casibus,qui frequenter accidunt,debeant absoluere,aut absolutionem denegare.

Limitatur III. prædictũ corollarium.

VT IGITVR in summa dicam; tria sunt in genere, ob quæ lucrum, per ludum acquisitum, venit restituendum, quorum vnum se tenet ex parte amittentis; vt si rei perditæ dominium non habuit, nec liberam administrationem, nec facultatem, qua rem illam posset donare,aut alienare. Secundum se tenet ex parte lucrãtis:vt si colludentem

Tria sunt, propter quæ lucrũ in ludo acquisitũ est restituendum.

vi, aut metu ad ludendum attraxit, aut illum in arte ludendi notabiliter excedit, aut dolo, seu fraude in ludo vsus est. Tertium se tenet ex parte ipsius rei lucratæ: vt si talis fuit, quam perdens alienare non potuit, aut tantæ quantitatis respectiuè, vt perdentis patrimonium maneat notabiliter diminutum, & ipse notabiliter depauperatus. Ac proinde caueant ludentes cum pueris ludere, cum minoribus, cum scholasticis, sub potestate constitutis, cum religiosis, qui nil proprium habere possunt, cum mente captis, cum furibus, atque vsurariis, cæterisque, quorum bona sunt restitutioni obnoxia, aliisq; huiusmodi, si volunt à debito restituendi lucrum, per ludum acquisitum, liberi esse. D

III. (margin)

Aliud corollarium.

SEQVITVR ex dictis, parum aut nil differre inter lucrũ per aleam, aut per alios licitos ludos acquisitum, quantum ad debitum restituendi lucrum taliter acceptum; esto differentia sit quo ad rationem culpę. In casibus enim, in quibus lucrũ per aleam acquisitũ, est restituendũ, in eisdem per alios honestos ludos acquisitum, est similiter restituendum.

Aliud corollarium.
An alter superans alterum in arte ludendi teneatur lucrum restituere.
Solutio.

COROLLARIE sequitur, quid ad dubium hoc respondendum sit, scilicet, si colludentes non sunt in ipso ludo pares, sed alter alterum in arte ludendi superat, an teneatur excedens, si quid fuerit lucratus, restituere. Et habet hæc dubitatio locum magis in ludis, qui viribus, & ingenio, seu arti innituntur, quàm in his, qui principaliter aut præcisè ex fortuna dependent. Et dicendum, quòd ex quo casu non est vtriusque ęqua conditio, sed alter cùm ludit est in tuto, vel quasi; alter verò vtplurimum est in periculo, consequens est, ludum illum gratia lucri factum, de se illicitum esse, & lucrum ab eo, qui inferior est, per lucrantem, qui in tuto est, iniustè recipi, & per consequens debere amittenti restitui, etiam iudicis sententia non expectata. Excepto, nisi is, qui inferior est, excessum alterius colludentis sciat, & sciens & volens ludat; quia tunc perinde est, ac si id quod amiserit, donare velit: nam tunc nec iniustè recipitur, nec iniustè retinetur, & ita non est de necessitate restituendum. E

Aliud dubium de eadem re, scilicet, excessus in arte ludendi.

QVID TAMEN si duo, qui anteà inuicem minimè cognouerunt, nec alter alterius superioritatem in ludo vnquam fuerit expertus, sibi occurrant, & de ludendo conueniant, & eadem ignorãtia in eisdem existente, is qui alterum excedit, lucretur, an posteà cùm alter alterum excedere cognouerit, teneatur id quod lucratus est, illi restituere? Et ratio dubij est, quia in casu æqua erat vtriusque conditio, quantum ad eorum existimationem, cùm neuter alterius sciret excessum, & ita vterque æqualiter lucro, & damno in casu se exposuerunt; & ex consequenti neuter erit rationabiliter inuitus, si alter aliquid fuerit lucratus, & per consequens cessat obligatio restituendi. Secùs si excessum alter, altero ignorante, sciret, vti communiter Doctores tenent in casu, quo breui sunt certæ merces in abundantia superuenturæ, & anteà quàm superueniant mercatores superuentum ignorantes, merces suas pro pretio communiter currente vendunt, valet contractus, nec est aliquid restituendum: esto quòd si mercium superuentus cognitus esset, tantum pretium pro præfatis mercibus traditum non fuisset.

Ratio dubij. (margin)

Ratio pro altera parte dubij.

ECONTRA verò facit ratio etiam in simili casu de contractu, in quo defraudatio re ipsa incidit, vtroque ex contrahentibus bonam fidem habente, qui scilicet defraudationem interuenire penitus ignorent; tunc defraudatione cognita, restitutione opus est in conscientia, igitur pari forma in præsenti. F

Solutio.
Respondetur ad rationem dubij posteriorem.

RESPONDETVR, lucrum in casu, durante præfata ignorantia, acquisitum, iustè recipitur, & retinetur, ex quo liberè in contractu consenserunt, & quousque se inuicem in ludendo probarent, successu ludi, rem, quam ludebant, voluntariè exposuerunt, nec de restituendo cauerunt, vbi de alterius excessu constaret. Secùs si de hoc cauissent, maximè quòd ludi euentus, quo alter alterum superauit, non erat casus inopinatus; cùm sæpissimè accidat ludentem colludentem superare, esto quòd ab initio se impares esse nescirent. Nec obstat simile adductum de venditione, in qua re ipsa incidit defraudatio; quia de iustitia, & natura contractus emptionis, & venditionis est, quòd inter datum, & acceptum seruetur æqualitas. Ideò quando constiterit, hanc æqualitatem seruatam non fuisse, excessus est restituendus: secùs si in casu proposito, in quo non est ratio dati, & accepti, & habet contractus lusorius leges differentes, à legibus aliorum contractuum.

Obiectio.

SI OBIICIAS, in casu non esse æquam colludentium conditionem à parte rei, cùm in re ipsa alter sit in tuto, alter verò in periculo seu damno: quòd si admittens sciret, minimè cũ excedente contraxisset: Respondeo, concesso illo, nil contra responsionẽ sequitur; quia ludentiũ intentio hæc fuit, rẽ scilicet, quã ludebant, sponte successui exponere,

interim

A interim dum de alterius excessu constaret, quemadmodùm de vadiatione potest exemplificari:vt si duo contendant Turcam mortuum esse,& cùm res ipsis vadiantibus incognita sit,in re tamen sit certum,Turcam illum,de cuius morte contendunt,mortuum esse;constat,eum qui Turcam mortuum esse contendebat,in re ipsa tutum esse,alterum verò in periculo;& tamen lucrum, per huiusmodi vadiationem acquisitum, non est de necessitate restituendũ,sicut esset,si is qui lucratus est,certus esset de morte illius Turcæ & certum esse supprimeret:nam tunc mala fide,seu dolo videtur cum alio vadiare. Sed si se certum esse de morte Turcę alteri conuadianti affirmaret,& eius certitudine non obstante,alter putans Turcam viuere,vadiare contendat,tunc rei iactura ipsi amittenti venit imputanda,non lucranti,qui veritatem,quam sciebat,aperuit.Et tunc,quamuis non sit æqua vtriusq; conditio,cum alter certò sciat se lucraturum, alter verò non, non ideò vitiat contractum, eò quòd admiscetur quodammodò ex parte admittentis donatio,qui cùm sibi Turcam mortuum esse affirmetur, volens tamen vadiare, contendit, & rem quam deponit,volens vult periculo exponere. Quanquam in his & huiusmodi casibus,in quibus admissio alterius colludentis seu vadiantis ex ignorantia prouenit admittentis, tutius esset lucrum taliter acquisitũm restituere,eò quòd ignorãtia dedit causam ludo, & vadiationi huiusmodi;de rigore tamen conscientiæ standum videtur in dictis.

Exemplo declaratur solutio.

Corollarie sequitur ex dictis,quid dicendum ad casum qui in ludis chartarum
B communiter euenit. Alter certò scit se in qualitate chartarum, aut punctorum quantitate alterum excedere;alter tamen id nescit,& qui de lucro certus est,summam pecunię, quam coràm habet,in sortem mittit, quod vulgò dicitur, embidar el resto: alter verò ex ignorantia hoc ipsum acceptans, quicquid coràm habet, amittit: An is qui lucratus est, teneatur restituere,ex quo in casu non erat vtriusque æqua conditio, cùm lucratus esset in tuto scienter; alter verò in periculo, & ignoranter: Dicendum consequenter ad ea, quæ suprà dicta sunt, non esse huiusmodi lucrum de rigore restituendum, eò quòd hac lege ab initio spontè contraxerunt,vt qui certus esset de lucro,posset summam pecuniæ, quam coràm habet, in toto, vel in parte in sortem mittere, quæ lex cùm æqualiter pro vtroque colludentium posita sit,per vtrunq; venit seruanda. Et non obstante,quòd pro illa vice melior sit lucrantis conditio; satis tamen est, quòd pro toto tempore, quo ludus continuatur, in lege illa æquales sint:nam quod vni nunc accidit, hoc idem poterit alteri accidere. Hoc idem in ludo scachorum fieri, & seruari videmus, quòd scilicet, alter,antequàm suum moueat calculum,videt,& certus est se lucraturum;quod tamen alter minimè videt:& qui certus est, sortem super qua luditur auget, quod altex ex ignorantia acceptat,& sortem ipsam ex eâdem ignorantia perdit. In quo casu iterum melior est lucrantis conditio, qui certus est de lucro, quàm amittentis, qui se vincendum non videt;& tamen lucrum taliter acquisitum non est de necessitate restituendum, eò quòd hac lege ab initio contraxerunt,vt quilibet eorũ,quando velit,posit sortẽ,super qua luditur,augere,etiãsi de lucro sit certus.Ideò cùm lex pro vtroq; sit instituta,iustũ est vt per
C vtrunq; seruetur,cùm certum sit, contractus ex conuentione legem,& vim accipere.

Corollarium.

Casus quidam proponitur.

Solutio negatiua.

Ludus scachorum.

De rebus conditionaliter datis,conditione deficiente.

QVÆSTIO XXIII.

Cvm saepe accidat,aliquid alicui sub aliqua conditione donari, quæritur an deficiente conditione, sit taliter acceptum semper restituendum.Supponatur,multiplicẽ esse donationem,absolutã,conditionalem,modalẽ,& causalẽ.Quid aũt conditio sit,quid modus,quid causa, vide glo.cap,verùm.de conditionibus appositis,& Doctores ibidẽ. In quorũ explicatione ad pñsens non est immorandũ.Nunc de donatione conditionali loquamur.Et proposita q̃stio videtur ex hac alia pendere, an scilicet, inualida sit donatio conditionalis semp,quando cõditio deficit.Et arguitur,ꝙ defectus conditionis,donationem non reddat inualidã. Primò,quia si donatio non teneret ob defectum conditionis,sequeretur ꝙ contractus factus sub cõditione impossibili,nõ teneret consequens videtur falsum in contractu matrimoniali,sub cõditione impossibili facto,ꝙ validus est,cũ talis conditio habeatur ꝓ non adiecta.vt habetur cap.si.de conditionibus

Donatio potest esse multiplex.

An defectus cõditionis semper reddat inualidam donationem conditionalẽ.

Argumẽta negatiua. 1.

appositis.§.fin.vbi dicitur, conditionem impossibilem, aut turpem, quæ non sunt contra substantiam coniugij, haberi pro non adiectis. Idem etiam probatur in casu, quo quis Titiam hæredem instituat, sub hac conditione, si cœlum digito tetigerit, valet institutio, etiamsi non subsistat conditio, vt habetur Institut. de hæredib. instit.§. impossibilis. vbi dicitur: Impossibilis conditio in institutionibus, in legatis, in libertatibus, & fidei cõmissis, pro non scripta habetur. D

II. Secundo, idem arguitur de conditione honesta possibili: Si aliquis donauit prædium Ecclesiæ, sub conditione aliqua possibili & honesta, tenet donatio, etiamsi conditio deficiat. vt habetur in capit.verum.de conditionibus appositis; nec reuocatur donatio, nisi donator expresse adiecerit, quòd conditione non existente, reuocetur, vt illic dicit textus.

III. Tertio idem apparet in legatis: Si quis legat Titiæ ducentos, si non nupserit, si autem nupserit, legat ei centum: si tamen posteà nubat, debet habere ducentos, vt probat Panormitan.ex.l.Titię, si nõ nupserit.ff.de conditio.& demonstratio. & tamen conditio minimè adimpletur. Idem etiam dicunt Doctores in casu, quo quis relinquit centum filiæ suæ, si nupserit; si autem religionem ingrediatur, non relinquit ei, nisi quinquaginta: & tamen si illa religionem fuerit ingressa, debet habere centum; cùm tamen conditio, sub qua centum erant legata, non adimpleatur.

IIII. Quarto, donatio facta sub conditione honesta, aliquando non tenet, etiamsi cõditio compleatur, vt patet in substitutione, qua quis Petrum substituit, sub hac conditione; si hæres institutus sine filiis decesserit, posteà verò hæres institutus fiat monachus, & ibidem sine filiis decedat, iam completur conditio, & tamen non valet substitutio, sed expirat: quia non Petrus substitutus, sed monasterium succedit, vt communiter tradunt Doctores. vt refert Baptista, verbo, legatum.§.24. Et Syluester, verbo hæreditas.4.§. vltimo. Si ergo donatio, sub honesta conditione facta, conditione completa, non tenet: igitur à contrario, donatio sub honesta facta, conditione deficiente, tenebit. E

V. Quinto, non minùs necessarium est, causam subsequi, vel modum compleri ad hoc, quòd legatum, ob certam causam, seu modum factum, teneat, quàm conditionem existere ad hoc, quòd donatio conditionalis sit valida: iuxta legem vulgarem, data ob causam, causa non sequuta, repetuntur. Sed datum seu legatum ob causam, causa non subsequuta, aliquando tenet. Vt si quis legat Petro decem, vt inde domum, vel fundum sibi emat, tenet legatum, etiamsi modus non compleatur: igitur etiam tenebit in simili donatio conditionalis, etiamsi conditio deficiat.

Cõclusio prima affirmatiua loquendo de iure naturali, aut diuino.

His non obstantibus, aliter videtur dicendum. Refert enim loqui, stando intra metas iuris naturalis, & diuini, seclusa, scilicet, humani iuris dispositione, aut ea stante. Si enim, stando intra metas iuris naturalis, aut diuini, loquamur, certa est conclusio, & communiter approbata, quòd donatio, sub conditione, & non aliter facta, non tenet, nisi existente conditione. Id patet ex ratione cõditionis, quæ à natura sua habet suspen- F

Probatur I. dere actum, vel contractum, vsque ad superuentum eius, vt in ipsius definitione satis significatur. Est enim conditio actus vel contractus suspensio ex euentu incerto futuro ei apposito, in quem euentum eius dispositionis facta est collatio. vt habetur. ff. si certum petatur.l. itaq;. Aut, vt Bartolus definit, Conditio est futurus euentus, in quẽ dispositio suspenditur. Sed secundùm hoc, conditio impossibilis, aut de præterito seu de præsenti, propriè, & strictè, non est dicenda conditio. Nos tamen, quantum ad præsens attinet, largiùs conditionem accipimus, vt non solùm ad euentum futurum, sed etiam ad pręteritum, & ad impossibile se extendat.

II. Secundo, idem patet ex conclusione à Theologis communiter approbata, scilicet; quando promissio, vel contractus ex mera nascitur voluntate, eius obligatio nõ excedit metas ipsius voluntatis, vt patet in voto, iuramento, & promissione; quæ in conscientia non nisi ad mentem eius, qui vouit, iurauit, aut promisit, eundem obligat. Vnde falluntur, qui inter votum, & iuramentum hanc differentiam asignant, vt votum obliget, secundùm intentionem vouentis, iuramentum autem secundùm deliberatam verborum attestationem, vt in Codice de pœnitentia tetigimus. Cùm ergo donatio fiat secundùm meram voluntatem donantis, sequitur, quòd eius obligatio nõ excedat metas ipsius donantis; excederet autem, si ipse non intendens, se nisi sub certa conditione obligare, deficiente conditione maneat obligatus.

A IN IVRE tamen humano ſtando, videmus in nonnullis contractibus conditionalibus, conditiones, quæ apponuntur, pro non adiectis haberi; vt ſi ſunt turpes, aut impoſsibiles, quemadmodùm in matrimonio, & religione, legatis, aliiſque contractibus, qui de cauſis fauorabilibus fiunt, vt ex iuribus ipſis patet, & tenet huiuſmodi contractus, præfatis conditionibus deficientibus. Videmus ſimiliter, in quibuſdam contractibus, honeſtas, & poſsibiles conditiones apponi, ob quarum tamen defectum, ipſi contractus minimè vitiantur, vt patet de quibuſdam legatis, aut donationibus factis, vt inter arguendum tetigimus. *Concluſio ſecūda de iure humano.*

EST IAM dubium, an in foro conſcientiæ ſtandum ſit huiuſmodi iuribus, tam ante ſententiam iudicis ſuper his latam, quàm poſteà? Et ratio dubitandi eſt, quia iura humana in humanis contractibus poſſunt obligationem ponere, & remouere, idq; in pœnam contrahentium, vel in odium turpitudinis, vel in fauorem cauſæ, ſuper qua contractum eſt, vt dicit Durandus in 3. Sed quæritur in quo foro huiuſmodi iura locum habeant? *Dubium. Quatenus ſecūda concluſio intelligenda ſit.*

ET VIDETVR, quòd præfata iura procedunt in foro iudiciali, non autem in foro conſcientiæ. Quòd ita ſit, apparet: quia ſi de intentione eorum, qui ſub conditione contrahunt, certa & ſufficiens haberetur cognitio, quod ſcilicet, conſentire nō intenderint, vbi conditio deficeret, iura non dicerent, contractus tales tenere, vbi conditionem, ſub qua contractum eſt, certum eſſet deficere: vt ſi is, qui ſub aliqua conditione aliquid donauerit, expreſsiſſet, ſe non aliter donare intendere, niſi ſubſiſtente conditione; tunc nō B teneret donatio, ſed reuocaretur conditione deficiente, etiamſi donatio fuerit Eccleſię facta, vt apertè habetur in cap. verum, ſuprà citato, de conditionibus appoſitis. *Solutio. Procedit in foro iudiciali, nō item in foro cōſcientiæ. Ratio I.*

SECVNDO idem apparet. ff. de donationibus. l. 2. §. fin. vbi dicitur: Si Titio decem donaui, vt inde Stichum emeret, qui priuſquàm emeret, mortuus eſt, an illa decem repetam, quæſtio facti eſt magis, quàm iuris: quia ſi illa de cauſa dedi, aliter non donaturus, repetam. In quo apertè ius ad mentem donantis recurrendum eſſe ſignificat, in caſu, quo modus, vel conditio non fuerit adimpleta. Ac proinde, ſi ſub conditione impoſsibili contrahit, expreſsè dicens, ſe non aliter conſentire, niſi conditio compleatur, cùm per hoc ſufficiens de mente contrahentis certitudo habeatur, ſequitur, quòd tunc non eſt reiicienda conditio. *II.*

TERTIO idem apparet in contractu matrimoniali, ſub impoſsibili conditione facto, in quo etſi ius conditionem reiiciat, non ideò in conſcientia manet verum matrimonium; eò quòd de ſubſtantia huius contractus eſt verus contrahentium conſenſus, adeò vt ſi conſenſus deſit, cætera etiam cum ipſo coitu celebrata fruſtrentur: vt dicitur in cap. cùm locum. De ſponſalibus. Cùm igitur iura huiuſmodi contrahentium conſenſum, ſeu eius defectum ſupplere non poſsint, conſequens eſt, in caſu non eſſe validum coniugium. Inducunt igitur iura in huiuſmodi caſibus obligationem in foro iudiciali, non tamen in foro conſcientiæ. *III.*

C VERVM adhuc remanent tria dubia: Primum, quare, ſecundùm iura, conditio impoſsibilis contractui matrimoniali appoſita, reiicitur, & pro non adiecta reputatur, cùm illa ſcienter appoſita, potiùs videatur diſſenſum cōtrahentium ſignificare, quàm eorum conſenſum? Si Iuriſtæ reſpondeant, quòd ideò hoc eſt, quia ius præſumit conditionem illam ioco, & non ſeriò per contrahentem apponi, cùm ſciat contrahens illam impoſsibilem eſſe. Contrà ſtat ratio: quia tunc ob eandem cauſam deberet conditio impoſsibilis, cuicunq; contractui apponatur, reiici, & pro non adiecta haberi. Si dicunt non eſſe idem in cæteris profanis contractibus: nam cauſa matrimonialis eſt in iure fauorabilis, ideò in fauorem matrimonij talis conditio reiicitur: vt dicitur in cap. finali. de conditionibus. Contrà, quia tunc eſſet ſimiliter conditio impoſsibilis reiicienda contractui matrimoniali appoſita, etiamſi expreſsè qui contrahit, diceret ſe non aliter conſentire, niſi conditione illa ſtante. Quod eſt contra communem ſententiam: quia tunc non reiicitur, ſicut nec reiiceretur, quando, qui conditionem appoſuit, neſciebat eam impoſsibilem eſſe, ſed potiùs eam poſsibilem eſſe putabat; reiiceretur autem, ſi cauſa reiectionis eſſet ſolùm fauor matrimonij. *Alia tria dubia I. Quare conditio impoſsibilis in cōtractu matrimonij, pro non adiecta reputetur ſecundùm ius Canonicū.*

VNDE meritò Durandus, cum cæteris Theologis miratur, quo modo Eccleſia iudicet matrimoniū eſſe, quod ſub conditione impoſsibili contractum eſt: cùm talis cōditio ab his ſoleat apponi, qui nolūt id, de quo agitur, facere: vt ſi non habeo animū dandi tibi veſtem, quam à me petis, ad ſignificandum me nolle dare, dico, ſi cœlum digito tangas, dabo.

SI DI-

Si dicant, quòd non iudicat Ecclesia in casu verum esse matrimonium, sed obligationem inducit, vt personæ illæ, quæ sub conditione imposibili contraxerunt, verè & absolutè contrahant, ne videantur impunè Sacramenta irridere, vt videtur dicere Petrus de Palude. Contrà: quia tunc Ecclesia non compelleret illos, qui sic contraxerunt, maritaliter viuere, sed potiùs deberet eos compellere, vt de nouo contrahant: nam sine vero, & absoluto consensu viuere maritaliter non possunt. Consequens est falsum, cùm Ecclesia in casu pro huiusmodi matrimonio iudicat, & eos absque hoc quòd de nouo contrahant, compellit vt maritaliter viuant. Vnde in cap. 1. de conditionibus appositis ita dicitur: Quicunque sub conditionis nomine aliquam desponsauerit, & eam relinquere voluerit, dicimus quòd frangatur conditio, & desponsatio irrefragabiliter teneatur. Et quamuis intelligatur communiter de conditione turpi, quæ non est contra substantiam coniugij, eadem penitus est ratio de conditione imposibili, cùm æquè pro nō adiectis ambæ habeantur: & tamen hic textus non dicit esse renouandum contractum, sed ipsum irrefragabiliter esse seruandum. D

II. Dubium. An Ecclesia per huiusmodi ius faciat illud esse verum matrimoniū sub tali conditione contractum, an solùm declaret illic esse verum matrimonium.

Hinc oritvr secundum dubium, an Ecclesia per huiusmodi ius faciat illud esse verum matrimonium, sub tali cōditione contractum, an solùm declaret esse illic verum matrimonium. Primum dici non potest, quia ius humanum non potest efficere, vt matrimonium sit, quod humano iure secluso, verum matrimonium non esset, stante eâdem personarum legitimatione, aut illegitimatione: matrimonium enim consensu efficitur contrahentium, non lege superiorum. Secundum etiam dici non posse apparet: quia tunc ante iuris humani institutionem, aut eo secluso, verum esset coniugium, sub imposibili conditione scienter contractum; quod est contra responsionem datam, & contra communem Doctorum sententiam. Hoc idem dubitari potest in aliis contractibus, & legatis sub conditione aliqua factis: quæ tamen secundùm iura tenent, etiamsi conditio deficiat, prout inter arguendum ex parte tangebatur. E

III. Dubium. An iura, quæ volunt dictas conditiones pro nō adiectis haberi suppleant, quod in consensu sic contrahentium deficit &c.

Tertivm dubium, & quæro iterum: Iura quæ huiusmodi conditiones contractibus, aut legatis appositas pro non adiectis haberi volunt, an procedant per viam dispositionis, ita vt disponant, & velint huiusmodi contractus eandem vim habere, quam, non appositis præfatis conditionibus, habuissent? Et si sic, videtur tales contractus validos esse, & in foro conscientiæ, sicut & in iudiciali, seruandos; eò quòd iura videntur defectum consensus in contrahentibus supplere. Aut procedunt per viā interpretationis, eò quòd contrahentes nō sufficienter exprimunt, quid, si conditio deficeret, vellent: & iura in fauorem quarundam causarum in meliorem partem verba contrahentium interpretantur, quatenus suum sortiantur effectum. Et si sic, videtur obstare casus in tertio argumento suprà adductus, scilicet, si quis legat filiæ centum, si nupserit: si autem religionem ingrediatur, legat ei quinquaginta, & tamen ipsa religionem eligēte, debent secundùm iura dari ei centum. Quod nō videtur ex iuris interpretatione prouenire, cùm ipse legās suum animum sufficienter expresserit, idem de alio casu ibidem tacto, in quo legans similiter suum animum sufficienter explicuit; ita vt interpretatione non indigeret, & tamen contra animum legantis, iura in his & aliis casibus rem ipsam disponunt. F

Quomodò ius in prædictis casibus interpretetur verba cōditionalia.

Respondetvr, saluo meliori iudicio, quòd videatur ad hæc dicendum, quòd in contractibus, in quibus conditio aliqua reiicitur, & in aliis, in quibus de iure non requiritur conditionis subsistentia, ius ipsum verba conditionalia interpretatur, non in sensu, quem contrahentes de facto habent, nec in sensu, quem verba ipsa faciunt, sed in sensu, in quo fiunt, seu fieri rationabiliter possunt: idque quando non habetur expressa de animo contrahentis certitudo: nam hac habita, non opùs est contrahentium verba aliter interpretari: quia vt habetur in regulis iuris: De incertis, non de certis opùs est coniectura. Et ita verba matrimonialia sub conditione imposibili dicta, iuris interpretatione accipiuntur in sensu absoluto, ac si conditio illa apposita non fuisset. Vnde quia non satis certum est, an seriò, an iocosè illa conditio fuerit per contrahentes apposita, ideò in fauorem matrimonij voluit ius verba illa sensum categoricum, seu absolutum habere, qualem haberent, si conditio apposita non esset; ita vt conditio apposita nil penitus operetur. Similiter ob eandem causam institutio hęredis, per verba conditionalia, sub conditione imposibili facta, iuris interpretatione, in fauorem vltimæ voluntatis accipiuntur in sensu, quem verba illa, seclusa conditionis appositione, fecissent.

Exemplis res declaratur.

I.

Simili-

A SIMILITER in donatione, quæ Ecclesiæ, sub conditione possibili, & honesta, per aliquem facta est, quando non exprimit quòd nõ aliter donare intendat, iuris interpretatione accipiuntur verba illa donatiua in sensu absoluto: eò quòd non satis certum sit, an habuerit animum donationem reuocandi, si modus aut conditio non compleretur. II.

SIMILITER si Petrus legauit Titiæ cc. si non nupserit, illa verba iuris interpretatione accipiuntur, ac si talis conditio non esset apposita. Pro quo videtur esse specialis ratio quia; illa conditio videtur in grauamen Titiæ cedere, cùm legans videatur eam quodammodò ad perpetuò continendum obligare, & videtur conditio matrimonij impeditiua. Quemadmodùm si legato apponatur conditio, quæ de se retrahit legatarium ab ingressu religionis; talis conditio iure reiicitur, idque, vt dixi, quando ipse legans nõ sufficienter expresit, quid esset acturus, si conditio deficeret: tunc enim ius ipsum verba legantis in fauorem matrimonij, & religionis interpretaretur. III.

SIMILITER si quis substituat Petrum sub conditione, scilicet, si hæres sine liberis decesserit, & non ampliùs mentem suam explicet, quid scilicet acturus esset casu, quo hæres religionem ingrediatur, an vellet monasterium tali hæreditate priuare, nécne: ideò locum habet iuris interpretatio, qua verba illa intelligantur, excepto, si hæres religionem profiteatur. IIII.

ITAQVE quatuor conditiones iure solent probari, & pro non adiectis haberi: scilicet impossibilis, turpis, & ea quæ à matrimonio retrahit, & quæ religionis, aut maioris boni est impeditiua: quæ quidem in nonnullis contractibus reiiciuntur, puta, quia causas concernunt, quæ iure fauorabiles sunt. Differenter tamen, quia impossibilis, & turpis simpliciter reprobantur, & pro non adiectis habentur. Aliæ verò possibiles, & licitę non reiiciuntur, nisi ex suppositione, scilicet, si alter velit religionem ingredi, vel coniugem accipere. Reiiciuntur autem non præcisè, ob qualitatem ipsarum conditionum; quia tunc, siue contrahentes explicent sufficienter animum suum, siue non, essent reiiciendæ. Nec præcisè ob fauorem prædictarum causarum, ob eandem rationem, sed propter vtrunque simul, & quia animus contrahentium non fuit in prædictis conditionibus apponendis sufficienter expressus: quibus omnibus concurrentibus, locum habuit præfata iuris interpretatio.

Conditiões quatuor iure solent probari, & pro nõ adiectis haberi.

B

COROLLARIE sequitur, quòd donationes, legata, & contractus, sub dictis conditionibus facti, tenent non solùm in foro iudiciali, sed aliquando, & sæpè in foro cõscientiæ. id patet, si animum contrahentis, quando verbis vtitur conditionalibus, attendamus: nam vel intendit stare contractui in sensu, quem verba faciunt, vel in sensu, in quo à iure accipiuntur & interpretantur. Si primum, non valent in foro conscientiæ, & hoc est, quod suprà conclusum est. Secùs si secundum, quia tunc perinde est, ac si absolutè contraherent, ex quo tales volunt iuris stare interpretationi. *Corollarium* I.

HINC DATVR modus defensandi, conditionem propriè accipi in capit. verum. de conditionibus appositis. & non pro modo, licèt sit cõtra communem Doctorum expositionẽ, scilicet, si is, qui rem Ecclesiæ conditionaliter donauit, nil exprimens, quid in defectu conditionis esset acturus, velit iuris interpretationi stare, vt patet intuenti. II. *Corollariũ.*

C

EX DICTIS patet ad tria dubia suprà posita: Ad primum dicẽdum, quòd in matrimonio reiicitur impossibilis conditio, propter qualitatem conditionis, simul & causæ, quę fauorabilis est, & etiam, quia contrahens non satis expresit, quo animo conditionẽ, quam impossibilem esse sciebat, apposuit, ioco, scilicet, an seriò. Si tamen intus verè, & absolutè in coniugium non consenserit, verum in conscientia matrimonium non erit; sed sola iuris interpretatione, & in foro iudiciali.

Respõdetur ad I dubium suprà dictum.

AD SECVNDVM dicendum, quòd Ecclesia, seu ius humanum in casu non faciat coniugium validum, quod in se inualidum est; sed iuris præsumptione in fauorem coniugij iudicat illic verum esse matrimonium, ex quo iudicio procedit ad compellendum sic contrahentes, vt maritaliter viuant: in conscientia tamen si maritaliter, ob Ecclesię iudicium, viuere velint, necesse est denuò, vti debent, contrahant. *Ad* II.

AD TERTIVM dicendũ, quòd iura in præfatis conditionibus reiiciendis procedãt, vt dictum est, per viam interpretationis; nec intendunt aliquid contra mentem contrahentium disponere, sed mentem eorum ab ipsis nõ satis expressam in meliorem partem interpretari. Et quando obiicitur, quòd in casibus tertij argumenti sufficienter testator mentẽ suam explicuit, & tamen ius contra mentẽ eius disponit: quod contra dicta vehementer *Ad* III.

menter vrgere videtur. Vide tamen, si possit conuenienter dici, quòd in illis casibus sunt duo legata, quorum cuilibet apponitur conditio quodammodò reiicienda: alteri apponitur conditio grauis, perpetuam inducens continentiam, & à matrimonio retrahens: alteri verò apponitur conditio melioris boni impeditiua. Vnde quando ait testator; lego Titiæ. cc. si non nupserit; per conditionem illam vult Titiam perpetuò continere. Et quia non addidit expresè dicens, & non aliâs, ideò esto, quòd Titia contrahat, de conditione minimè curatur. Quando verò ait, si nupserit, lego ei centum, per hanc conditionem videtur eam ad nubendum obligare, & eam à meliori bono, scilicet, à perpetua continentia impedire. Nec etiam expresè addidit, & non aliâs: ideò talis conditio similiter repellitur. Itaque in huiusmodi casibus, vbi non simplex, sed multiplex est legatum, fortè voluit ius illa legata seorsum interpretari, ac si vnumquodque eorum seorsum factum fuisset, idque in fauorem coniugij, & continentiæ, vt siue nubat, siue non nubat, semper habeat cc. idq; in foro iudiciali. In foro tamen conscientiæ ad animum legantis est recurrendum, qui si certus sit, illi in conscientia stabitur: si autem incertus sit, tutè poterit iuris interpretationi seu præsumptioni stari. Si tamen hæres probabiliter de animo legantis dubitat, non est per confessorem ad solutionem legati astringendus, antequàm per iudicem condemnetur: quia vbi dubium est æquilibre, an legatum debeatur legatario, nécne, melior est conditio possidẽtis. Et per hæc patet ad rationes in principio quæstionis factas, dempta vltima, in qua de donatione modali tangitur. de qua paulò pòst videbitur. D E

An res cōditionaliter donata, deficiente cōditione, sit restituenda.

Solutio.

Ex eisdem etiam patet responsio ad principale, quod de rei conditionaliter donatæ restitutione quęrebatur: Ex quo enim donatio conditionalis, conditione deficiente, non tenet, restituendum est, quod per donationem illam fuerat acceptum. Nec donatario suffragatur ius, quia id valet, vt dictum est, in foro contentioso, nec erit ipse donatarius tutus, per exceptionem rei iudicatæ, si res ad iudicium delata, fuerit pro eo ex iuris interpretatione iudicatum, quando ipse donatarius certus est, quòd animus donantis fuerit non aliter donare, nisi subexistente, seu adimpleta conditione, per eum apposita: idque, siue donator tempore donationis, siue aliâs animum suum donatario explicuerit. Secùs tamen, si animo non explicato voluit ipse donator stare iuris interpretationi: nam tunc, vt suprà dicebatur, illi etiam in foro conscientiæ erit standum.

Vnde cognoscẽdum sit, quid donator sub cōditione à iure reiecta, intenderit.

Ad cognoscendum autem, quid donator, seu legans, aut aliter sub conditione, quæ iure reiicitur, intenderit, non parum confert huiusmodi contrahentes scire, aut nescire præfatam iuris interpretationem. Nam si sciunt, & in contractibus huiusmodi verba non apponant, per quæ se à iuris interpretatione recedere significent, iustè præsumitur eos velle iuris interpretationi stare, & sensum iuris in suis contractibus conditionalibus prætendere. Si autem iuris interpretationem ignorant, tunc durè cum illis ageretur, si in foro iudiciali iuris interpretationi, quam nunquam audierunt, stare cogantur; maximè si hæc ignorantia non illis inuincibilis fuerit. Quemadmodùm durè (ne dicam iniustè) ageretur, si iudex eum, qui sub conditione impossibili, quam tamen bona fide possibilem esse putat, cum aliqua contraxit, compelleret secundùm iuris interpretationem, contra eius animum, stare contractui. F

Corollarium I.

Casus quidam proponitur.

Inde patet ad casum, de quo Iuristæ tam variè sentiunt. Testator reliquit legatum quoddam Petro, hæres legatum illud integrè legatario soluit, & credens sufficere hæreditatem ad omnia, Falcidiam, quam secundùm leges detrahere potuit, non detraxit, an legatarius teneatur hæredi restituere. Pro affirmatiua apparet, quia hæres ex errore facti soluit legatum integrum, & per consequens illi nocere non debet, cùm non error facti, sed iuris nocere soleat. Pro altera parte facit, quia testatoris voluntas videtur esse completa. Dicendum cum Antonio de Butrio, cuius solutio videtur aliis præferenda, quòd in hoc casu, non tam de errore hæredis curandum est, quàm de testatoris voluntate. Vel ergo testator, cùm legatum illud mandauit, sciebat iuris dispositionem, quod disponebat à legato posse per hæredem Falcidiam detrahi; aut id ignorauit. Si primum, & non addidit, ne locum in casu haberet Falcidia, cùm id addere potuerit, argumentum est, testatorem à iuris dispositione noluisse recedere: ac proinde non erat legatario totum legatum debitum, nisi quod detracta Falcidia superesset: & per consequens, legatarius in casu tenebitur, quod superaccepit, hæredi restituere. Si autẽ testator ignorauit iuris dispositionem de detrahenda Falcidia, tunc meritò præsumitur eius voluntatem

Responsio.

A tem fuisse, legatum integrum legatario mandare: & ita in casu, non obstante errore hæredis, non tenebitur in conscientia legatarius quicquam restituere. Secùs in foro iudiciali, cùm hæres ex facti solùm ignorantia, non iuris, integrum legatum soluerit.

SEQVITVR ampliùs, in foro conscientiæ nil referre, conditionem appositam impossibilem esse à natura, vel ex lege, vel de facto, ad hoc quòd donatio, legatum, vel contractus teneat; quamuis secundùm iura, & in foro iudiciali referat. Corollarium pro prima parte patet: quia in foro conscientiæ ad mentem donantis, seu aliter contrahentis est recurrendum, & non ad iuris præsumptionem, seu interpretationem. Pro secunda etiam patet; quia secundùm iura, quamuis conditio impossibis à natura, vel à legis prohibitione habeatur pro non adiecta, conditio tamen, quæ de facto impossibilis est, non ita: vt si lego Petro fundum, si mihi dederit montem aureum, est côditio impossibilis de facto, & tamen vitiat legatum, & non tenet, nec habetur conditio pro non adiecta, vt patet Parti. 6. titulo 4. l. 4. vbi apertè hoc dicitur. II. Corollariû.

SEQVITVR prætereà impertinens esse, quo ad forum conscientiæ, in huiusmodi donationibus conditionalibus conditionem de repetendo, deficiente conditione, expressè ponere, aut eam sola mente tenere ad hoc, quòd donatarius teneatur, vel non teneatur donatum restituere, si ipsi constet sufficienter, aut verisimiliter animum donantis fuisse, non aliter donare, nisi côditione existente, etiamsi lex in præfatis casibus actio- III. Corollariû.
B nem ad repetendum donanti minimè concedat. Patet hoc ex dictis: quia non ad iuris præsumptionem, sed ad mentem contrahentis, seu donantis est in côscientia recurrendum, vt etiam à simili patet: quia quamuis lex defraudato, citra dimidium iusti pretij, côtra defraudantem actionem non concedat, non ideò defraudans est in côscientia à debito restituẽdi deobligatus. Tum etiam, quia quo ad metas iuris naturalis, aut diuini, nil refert conditionẽ tacitam, aut expressam esse, modò constet donatario de animo ipsius donantis: quia expressio fit solùm propter certiorationem; eum autem qui certus est, certiorare non ampliùs oportet.

INDE ITERVM fit, vt non obstante nullitate contractus, ob defectum solennitatum, quæ de iure adhiberi deberent, potest quis, quod sic fuerit adeptus, licitè in conscientia retinere, modò fraus & deceptio non interuenerit. Ratio huius clara est, quia solennitates adinuentæ sunt, vt fraudibus & dolis obuietur; ac proinde his cessantibus, si de animo contrahentium constat, nil in foro conscientiæ impedit solennitatum defectus. IIII. Corollariû.

VNDE ITERVM fit, hæredem teneri, in foro conscientiæ, ad soluendum legata, testamenti minùs solennis, si sciuerit nullam fraudem interuenisse, & sibi constet, illam fuisse testatoris mentem, vt ait Panormitanus, post Innocentium, cap. quia plerique. de immuni. Eccles. V. Corollariû.

C

De rebus ob causam datis, causa non subsistente.

QVÆSTIO XXIIII.

IAM DE DONATIONE, quæ modalis dicitur, modo non subsequuto, facilè est ex dictis cognoscere, an teneat, nécne, & an taliter acceptũ sit de necessitate restituendum. Verùm, vt donationem causalem etiam in hoc titulo includamus: quæri posset vniuersaliùs, an res data ob causam, causa non subsistente, nec subsequuta, sit de necessitate restituenda? nomen causæ extendendo ad præteritam, & præsentem quæ propriè, seu strictè causæ dicuntur, & ad futuram, quæ proprius dicitur modus. Et pro parte negatiua arguitur primò, de causa futura vt suprà ex capit. verum. de conditionibus. vbi conditio, pro modo accipitur, secundùm communem, & veriorem intellectum, vbi in sententia habetur; quòd si quis aliquod prædium Ecclesiæ sub modo donauit, quòd teneat donatio, etiam modo non subsequuto.

An res data ob causam, causa non existente, nec subsecuta, sit restituẽda.

Argumẽta pro parte negatiua.

I.

SECVNDO facit, quod suprà in quinto argumẽto adduximus: Si quis legauit Petro decem, vt inde domum, vel fundum sibi emat, tenet legatum, etiamsi Petrus modũ appositum non seruet, nisi de repetendo cauerit, vt est communis Doctorum sententia. II.

FACIT tertiò l. si repetendi. C. de condict. ob causam, vbi dicitur; Qui aliqua donauit vxori alterius, vt huiusmodi liberalitate, eius maritum ad secum proficiscẽdum prouocaret, III.

uocaret, quia conditionem repetendi non adiecit, debet integra manere donatio, causa seu modo non subsequuto. D

IIII. QVARTO arguitur de causa præterita ex Institutionibus de legatis. §. longè magis, vbi dicitur: Longè magis legato falsa causa non nocet, veluti cùm quis ita dixerit: Titio, quia me absente negotia mea curauit, Stichum do, lego. Vel ita: Titio, quia patrocinio eius capitali crimine liberatus sum, Stichum do, lego. Licet enim neque negotia testatoris vnquam gesserit Titius, neque patrocinio eius liberatus sim, legatum tamen valet: hæc ibi. Vnde patet, donationem ob causam factam, causa non existente, validam esse.

V. QVINTO arguitur de causa præsenti. Si quis paupertate pressus, fingat se inter Christianos peregrinum, aut infirmum, aut inter infideles, mutato habitu se infidelem esse simulet, vt faciliùs eleemosynam, qua indiget, consequatur. & ob illam causam hi, qui eum vident, eleemosynam illi porrigunt: talis donatio tenet, nec sic acceptum est necessariò restituendum: & tamen causa, ob quam facta est donatio, verè non subest; & ita defectus causæ, ob quam aliquid donatum est, non inualidat donationem, siue loquamur de causa futura, siue de præsenti, aut præterita.

Causa ob quam aliquid datum est, duplex est. I. II. HIS TAMEN non obstantibus, videtur sub distinctione respondendum. Est enim causa, ob quam aliquid datum est, duplex, scilicet, impulsiua, vt Iuristæ loquuntur, & finalis. Prima est, vnde animus donantis ad dandum mouetur. Secunda verò est, quam is, qui donat, finaliter intendit: vt si ad preces Petri medicus infirmum curet, eum alioqui minimè curaturus, causa motiua, seu impulsiua sunt preces à Petro præmissæ. Causa verò finalis est, infirmum sanare. Similiter si quis ad prædicationem alicuius pœnitentiam egit, causa motiua ad pœnitendum est prædicatio, finalis tamen est, gratiæ remissionis impetratio. Tunc dicendum, quòd si donatio fiat ob causam finalem, illa non subsistente, non tenet in conscientia donatio; & ex consequenti, quod taliter fuerit acceptum; venit restituendum. Cuius ratio est, quia cùm quisque posſit rei suæ modum, vel pactum imponere, legibus aut iure non improbatum; naturali iuri contrarium est, & valde iniquum, vt qui modum, legem, seu conditionem rei impositam seruare noluerit, rem ipsam nihilominus teneat. Ratio hæc fundatur ff. de pactis. l. in traditionibus. & C. de contrahen. empti. l. 3. E

Conclusio resolutiua. *Probatur* I.

II. FACIT ad id, quod legitur Matthæi 25. de seruo, cui paterfamiliâs talentum dederat, vt cum eo aliquid lucraretur. Et cùm paterfamiliâs veniret rationem talentorum à seruis exacturus, & seruus ille nil lucratus esset, talentum, quod illi dederat, ab eodem abstulit. Igitur ita in proposito, qui rem ad finem aliquem donatam acceperit, si id non fecerit, ad quod res illi donata erat, tenebitur reddere quod accepit. Et habet verum, nô solùm in foro conscientiæ, sed etiam in iudiciali, iuxta legem communiter allegatam: Data ob causam, causa non sequuta, repetuntur.

III. FACIT etiam ratio in quæstione præcedenti tacta, cum ibidem illatis: quia cùm donatio ex mera voluntate donantis fiat, non debet metas ipsius voluntatis excedere, qualiter excederet, si res, quam non aliter, nisi causa, ob quam donauerat, subsequuta, donare intendebat, causa non subsequuta, efficitur donatarij. Vnde in Institut. de rerum diuisione. §. Per traditionem dicitur: Nil tam conueniens naturali æquitati, quàm voluntatem domini, volentis rem suam in alium transferre, ratam haberi. Et procedunt hæc nô solùm de rebus, ob causam futuram datis, sed ob præsentem, & præteritam; ita vt si aliquid sit ob talem causam principaliter datum, & non aliâs, illa non subsistente, non tenet donatio, sed taliter acceptum est restituendum. F

IIII. HOC IDEM confirmatur à simili de legibus, quæ quidem earum causa finali cessante, cessant & ipsæ: vt habetur cap. post translationem. de renuntiationibus. & capit. Cum cessante causa, cessare debet effectus. de appellationibus. Nec tam ad verba legis, quàm ad eius intentionem est attendendum: quia non intentio verbis, sed verba intentioni seruire debent. Nec sermoni res, sed rei sermo debet esse subiectus: vt ait Hilarius. Vnde fit, vt sæpe quis verbis legis se conformans, legem ipsam violet: iuxta regulam iuris in sexto: Certum est in legem impingere, qui verba legis amplexus, contra legis nititur voluntatem.

Corollarium I. INDE etiam est, quòd præceptum de fraternè proximum corripiendo cessat, quãdo finis intentus, qui est delinquentis emenda, minimè speratur: iuxta decretum Augustini

A stini dicentis;Si scirem tibi non prodesse,non te terrerem, non te admonerem. de pœnitentia,distinct.7.cap.si quis autem. Inde etiam gabellarum solutio cessat, quãdo causa,ob quam principaliter fuit imposita, cessat; vt suprà suo loco diximus.

Corollariũ II.

INDE ETIAM est, vt in conscientiæ foro in legatis complendis, animus testatoris est inuestigandus,vt est communis Doctorum,etiam Iuristarum practica:de quo si constiterit,ille seruandus est;sin autem, ad præsumptionem recurratur. Vt si accidat casus, quo quidam in testamento legauit decem cuidam puellæ maritandæ: puella autem,antequàm modus compleretur, mortua est: quærunt Doctores an tunc expiret legatum, ita vt hæres illud soluere non teneatur, sed posit sibiipsi retinere, an potiùs debeat alij puellæ maritandæ tradere? Et communiter distinguunt:quia vel certum est,testatorem illud legatum præfatæ puellæ mandasse,habendo respectum ad puellam:Vel certum est, illud mandasse, habendo respectum ad animam suam: Vel dubium est, ad quod horum habuerit respectum.Si primum,expirat legatum,modo non completo;qui nec compleri iam in casu posse speratur. Si secundum, non expirat, sed alia puella quærenda est,cui ad eam maritandam legatum tradatur,vt animus testatoris compleatur,cùm adhuc cõpleri posit. Si tertium, locus est coniecturis, & poterit tutè iuris præsumptioni stari. Hoc est,quòd illud ad suam animam exonerandam mandauit. Sic tenet Panormitanus in cap. nos quidem.de testa.

f Examinatur solutio cuiusdã casus in secũdo corollario propositus.

B QVOD verum esse non dubito,si legatum esset conditionale,& non modale: nam si modale sit,& in solam præfatæ puellæ vtilitatem factum, tunc,etiamsi puella ante modum completum decesserit, non videtur expirare legatum,nisi de hoc ipse testator cauerit,dicens, seu significans, se non aliter, nisi ad modi illius complementum,legatum facere. Si tamen de hoc non cauerit, tenebitur hæres in conscientia, legatum, quod puellæ non tradiderat, illud suis hæredibus restituere;non sic, si legatum fuisset conditionale. Cuius discrimen videtur clarum:quia si conditionale fuit, suspenditur vsque ad conditionis euentum,nec vsque tunc debetur; & ita ea non eueniente, legatum legatario minimè debetur. Quando autem legatum modale est, non suspenditur vsque ad euentum modi, sed illicò legatario debetur; & ita mortuo legatario, ius legati ad legatarij hæredes deuoluitur, etiamsi modus non fuerit adimpletus. Idque quando legatum fuit factum in solam vtilitatem ipsius legatarij, secùs si in vtilitatem alterius tertij, seu in honorem ipsius testatoris; secùs etiamsi modus ille,per testatorem appositus,fuit causa principalis & finalis legandi,quia tunc modo non subsequuto,repeti posset.Colligitur autem testatoris intentio ex verbis,quibus in legando vsus est:vt si dixit, Titiæ lego decem, vt maritum accipiat, talem vel talem personam, qualem testator nominauerit, iam agitur de iure tertij:tunc,modo non subsequuto,expirat legatum. Si verò dicat, Titiæ lego decem,vt maritum,quem velit,accipiat:seu,vt habeat,cum quo posit maritari: Tum videtur,quòd non mariti, aut alterius vtilitatem testator ipse prætendit,sed ipsius
C puellæ: & tunc cùm legatum huiusmodi posset in vtilitatem ipsius puellæ cedere,siue maritum accipiat,siue religionem ingrediatur,siue aliter velit in seculo continenter viuere,visus est testator rem illam simpliciter illi puellæ donare. Secùs si de opposito cauisset,vt suprà dixi.

Legatum modale,mortuo legatario,non extinguitur, sed ad hæredes deuoluitur, licet modus non fuerit adimpletus.

Dubium.

An donans aliquid ob causam ante huius cõplemẽtum, possit pœnitere, & donatarius teneatur acceptũ reddere.

Solutio affirmatiua.

FORTE quæret aliquis,an,qui aliquid ob causam donauit,ante causæ complementum,posit pœnitere,& donatarius teneatur acceptum reddere?dicendum quòd sic: In hoc enim donatio modalis à contractu locationis alicuius rei differre videtur; quia in contractu locationis altero nolente, non relinquitur alteri pœnitentiæ locus,cùm hinc inde fuerit obligatio orta. Secùs in donatione modali, in qua, sicut liberum est donatario id, quod acceperat, reddere, & dicere se nolle modum adimplere:ita æquum est,vt donanti liceat,ante modi complementum,id quod donauerat, repetere, si donatarius nolit,aut non posit modum adimplere, modò ipsum donatarium indemnem reddat. Pro quibus legem ipsam afferamus,quæ rem satis explicare videtur, & est l. si pecuniam. ff.de condictio.causa data. cau. non sec.in principio. vbi dicitur: Si pecuniam ideò acceperis,vt Capuam eas:deinde parato tibi ad proficiscendum conditio temporis, vel valetudinis impedimento fuerit, quo minùs proficiscaris, an condici posit? Videri posset, quòd cùm per te non steterit,posset dici repetitionem cessare: sed cùm liceat pœnitere ei qui dedit, proculdubiò repetere potest id quod datum est; nisi fortè tua intersit,non accepisse te ob hanc causam pecuniam: nam si ita res se habet,vt licèt nõdum profectus

ſis;ita tamen rem compoſueris, vt neceſſe habeas proficiſci; vel ſumptus,qui neceſſarij ſunt ad profectionem, iam feciſti, vt manifeſtum ſit, te plus fortè, quàm accepiſti, erogaſſe, conditio ceſſabit: ſed ſi minus erogatum ſit, conditio locum habebit. Ita tamen vt indemnitas tibi præſtetur eius, quod expendiſti. Hæc ibi. D

Reſpõdetur ad argumenta initio pro parte negatiua propoſita.

Ad I. PER HAEC patet reſponſio ad ea, quæ ante oppoſitum ſunt allegata. Ad primum ſumptum ex cap. verum. de conditionibus &c. patet ex dictis reſponſio, quod ſcilicet illa determinatio procedat ex iuris præſumptione, ſeu interpretatione, qua iure præſumitur, quòd is, qui Eccleſiæ prædium, aut aliud quid cum modo aliquo donauit, non erit inuitus, ſi Eccleſia donatum retineat, etiamſi modus ſeruatus non fuerit. Et quòd textus ille procedat ex huiuſmodi præſumptione apparet; quia ſi donator cauiſſet de repetendo, modo non ſubſequuto, tunc Eccleſia id, quod per donationem acceperat, ſi modus non fuerit ſubſequutus, tenebitur reſtituere, vt illic ait textus. Et ideò ſi de repetendo non cauit, ius, in fauorem Eccleſiæ, donationem illam interpretatur. Vnde fit, vt ſi donatore de repetendo non cauente, æquè certum foret ſe non aliter donare intendiſſe, niſi modo ſubſequuto, non magis teneret in conſcientia donatio, quàm ſi de repetendo cauiſſet; cùm certum ſit, præſumptionem debere cedere veritati: & hoc eſt, quòd ſuprà diximus, ſcilicet, impertinens eſſe, quo ad forum conſcientiæ, eum qui conditionaliter, aut modaliter donat, ſeu legat, expreſsè, aut tacitè de repetendo cauere, conditione, vel modo non completo. E

Ad II. AD SECVNDVM, quod in ſecundo argumento tactum eſt, ſcilicet, legauit quis Petro decem, vt inde domum, vel fundum ſibi emat, ipſe autem nec domum, nec fundum emit, an teneatur illa decem, quæ ei legata fuerant, reſtituere? Dicendum, quòd ſi certum eſt, teſtatorem in præfato legato non habuiſſe reſpectum, niſi ad vtilitatem legatarij, tenet legatum, nec tenetur illud, modo non ſubſequuto, reſtituere: quia tunc iuſta eſt præſumptio, qua præſumitur teſtatorem non emptionem domus, aut fundi finaliter prætendiſſe, ſed vt legatarius haberet, vnde ſibi commodiùs prouidere poſsit. Secùs ſi legatum fuiſſet cum modo, qui aliorum reſpiceret vtilitatem; vt ſi legaſſet decem Petro, vt inde Titio ignaro fundum emat, aut vt inde capellam, vel hoſpitale ædificet, ſeu dotet: tunc modo illo non ſubſequuto, reuocatur legatum, nec poterit illud Petrus ſalua conſcientia retinere.

Ad III. *Solutio duplex.*

I. AD TERTIVM, de eo qui aliquod munus vxori alterius donauit, vt ipſa maritum ſuum ad ſecum proficiſcendum, aut ad maiorem amicitiam cum illo habendam prouocaret; communiter tenetur, quòd etiamſi illa cauſa, ſeu finis non ſubſequatur, tenet donatio: quia non eſt cauſa finalis, ſed impulſiua. Contra quod aliquis obiiceret, quòd ſcilicet illa cauſa, ob quam in caſu munus datum fuit, ſit cauſa finalis, cùm ſit id, gratia cuius ſit donatio. Vnde finis, quem donator prætendit, videtur in caſu duplex, remotior, qui & principalis eſt: & eſt, quòd maritus illius vxoris cum eo proficiſcatur, ſeu illi amicior fiat & propinquus, quem tanquam medium ad principalis aſſequutionem prætendit, & hoc eſt, vxorem maritum ſuum ad præfatum finem prouocare, ideò illi donationem præfatam facit: & ita prouocatio per vxorem facienda finis ſub fine eſt ipſius donationis, Quod ſatis ex morali doctrina certum eſſe ſuppono. F

II. AC PROINDE poſſet aliter, & fortè clariùs ad id, quod quæritur, reſponderi, præmittendo quòd duobus modis poſsit donatio modalis fieri. Vno modo, per iniunctionem oneris, quod donans intendit donatario ad modi complementum imponere, non aliter donare intendens. Alio modo, ſine oneris iniunctione, vt ſi non intendat donatarium ad modum appoſitum obligare, ſed vel eum ad modũ allicere, vel eum ad eundem irritare. Si primum, modo nõ adimpleto, non tenet donatio, ſecùs ſi ſecundum. Et fortè hanc domini Iuriſtæ finalem cauſam appellant, ſcilicet, finem propinquum, quem principaliter is, qui donat, aut legem condit, intendit, quo deficiente, donare, aut obligare minimè vult. Et ſecundùm hoc, ſi primo modo facta eſt præfatæ vxori donatio, intendendo ſcilicet ei onus hoc iniungere, vt maritum ad id, quod dictum eſt, prouocet, vxore non prouocante, donatio eſt reuocanda, & non tenet. Si tamen non cum onere facta eſt præfata donatio, ſed vt inde vxor illa moueatur ad prædictam mariti prouocationẽ; tunc, ſiue prouocet virum, ſiue nõ, tenet donatio, nec eſt de neceſsitate taliter acceptum reſtituendum. Quia tunc cauſa, ob quam donatio fuit facta, poteſt dici impulſiua, & nõ finalis: quia ſcilicet donator ideò donauit, vt vxorem illam ad prouocandum maritum

Donatio modalis dupliciter fieri poteſt.
I.
II.

ſuum

A suum incitaret. Huius exemplum est: Si quis iuuenem, quem diligit, honestum aut literatum fieri desiderat, ad quem finem multa illi bona tribuit, vt viros honestos, & literatos comitetur: non quidem animo ei onus aut obligationem ad illos comitandum iniungendi, sed vt eum datis muneribus alliciat, vt viros honestos comitetur: tunc siue illos comitetur, siue non, tenetur is, qui munera præfata accepit, restituere, etiamsi causa, ob quam data fuerunt, non sit subsequuta: quia non finalis ad sensum dictum, sed impulsiua fuit. Secùs si cum oneris iniunctione, vel expressa, vel tacita fuerint illi res illæ donatæ, quia tunc causa illa finalis esset.

AD QVARTVM, de donatione ob causam falsam facta, dicendum consequenter ad ea quæ dicta sunt, quòd si sit causa finalis & principaliter à donante intenta, sine qua animum donandi non habuit, & de huiusmodi donantis animo constet, non tenet donatio, & taliter acceptum est restituendum. Ratio est, quia si causa illa finalis fuit, ad sensum dictum, quodammodò est conditionalis donatio: nam hæc conditio tacitè, vel expresè in animo donantis apposita est, scilicet, si non ita est, quòd Titius negotia mea curauerit, aut me à capitali crimine liberauerit, non do. Quod si in donatione exprimeret, nec in conscientia, nec in iudicio compelleretur stare donationi. Præterea qui ob causam falsam finalem, quam veram esse putat, aliquid donat, ex errore donat, alioqui non donaturus: & cùm nil magis voluntarium impediat, quàm error, sequitur in casu, præfatam donationem ex errore causæ factam, voluntariam non fuisse: & ita in conscientia non tenuit. Ad textum autem citatum dicendum, quòd procedit in foro exteriori, & ex præsumptione, qua ius præsumit in casu causam illam non finalem, sed impulsiuam fuisse, ex quo donator de repetendo non cauit, cùm potuit: quòd si voluisset, explicuisset. Et hoc est, quod ait. l. si repetendi. C. de condict. ob caus. dat. Conditio in corde retenta, nõ ducit repetitionem. Inde patet ad casum, quo Petrus putans se debere centum Platoni, cùm non ita sit, soluit eidem illa centum, nil exprimendo: An teneatur Plato sic acceptũ restituere? dicendum, quòd in cõscientia teneatur, si nulla causa appareat, ob quam voluerit Petrus illa centum liberè Platoni donare. Pro quo facit apertè. §. is quoque. Instit. Quibus modis re contrahitur obliga.

Ad IIII.

B

Explicatur textus quidam in eodem argumẽto citatus.

AD QVINTVM de his, qui causas falsas fingunt, ratione cuius simulationis aliquid impetrant, quod alioqui nõ impetrarent, distinguendum videtur: Quia vel causa, quam simulãt, est principalis, seu finalis ad sensum dictum, vel solùm impulsiua, & minus principalis. Si primum, non valet donatio, & acceptum est restituendum. Vt si quis dictis aut factis se pauperem, aut infirmum, aut aliâs qualificatũ esse fingat, vnde alij multa eidem donant, tunc nõ valet ex parte recipientis donatio, sed restituere tenetur: quia quidquid dolo, vel fraude aliquis extorserit, si fraus, seu dolus sit circa causam finalem & principalem donationis, restituendum est: quia est datum ob causam non subsistentem. Dixi notanter, ex parte recipientis, nam in casu ex parte donantis valet donatio, quia is, qui donauit liberè, id propter Deum facit, & ita qui propter Deum aliquid dedit, Deo dedisse videtur, iuxta dictum Christi: Quod vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. Ac proinde taliter acceptum, non ei qui dedit, sed Deo, hoc est, alicui pauperi reddendum est.

Ad V.
An simulans se pauperẽ, infirmum etc. ratione cuius simulationis multa dona acquirit, teneatur ea restituere.
Solutio bimembris. I.

C

SI AVTEM fictio, seu simulatio sit circa causam aliam minùs principalem, seu impulsiuam, modò causa finalis vera sit, tunc donatio tenebit; nec per defectum causæ simulatæ vitiabitur; vt patet in casu ipsius argumenti, in quo causa finalis, seu principalis eleemosynæ est releuatio indigentiæ ipsius donatarij. Si tamen in casu is, qui donat, non ad paupertatẽ, sed ad causam simulatam principaliter respicit; vt si quis simulat se amicum, seu consanguineum, aut in officio, seu religione sodalem, cùm non sit, & ob id illi aliquid donatur; tunc an sic acceptum sit de necessitate restituendum, distinctione opus est: Quia vel illud erat alioqui, ob aliam causam veram, sibi debitũ, seu ex necessitate dãdum: vt si talis donatarius erat paupertate notabili, hoc est, extrema, vel quasi pressus, & tunc non est sic acceptum restituẽdum, cùm esset aliâs debitum, etiamsi ob causam falsam & simulatam datum fuerit. Huius ratio est clara; quia aliquid est alicui debitum; & si creditor tantundem clàm, seu furtiuè, aut per vim, seu per viam mutui à debitore accipiat, non tenetur in conscientia sic acceptum restituere. Igitur nec à fortiori, quãdo per simulationem causæ falsæ aliquid aliâs sibi debitum impetrat. Secùs si taliter impetratum, non erat alioqui debitum.

II.

Corollarium I. Corollarie sequitur contra Angelum restitutio. 1. §. 8. eum qui simulatione sanctitatis legatum aliquod, aut bonum impetrat, teneri ad taliter acceptum restituendum, eò quòd dolo & fraude videtur illud extorsisse. Et procedit hoc, vt præcedentia, quando scilicet, causa principalis seu finalis donationis est sanctitas, quam simulat: alioqui si apparet esse aliam causam principalem donationis, tunc sanctitas simulata nō erit finalis, sed impulsiua. D

Obiectio. Si argvas, vt arguit Angelus in sententia, scilicet, id quod alicui sanctitatem simulanti donatur, dari principaliter propter Deum, & ita causa principalis, & finalis non sanctitas simulata est, sed Deus: & ita taliter acceptum non est necessariò restituendum: *Solutio.* Respondetur, negando vltimam consequentiam: quia eadem ratione sequeretur, datum ob paupertatem simulatam non esse restituendum, cùm similiter propter Deum principaliter donetur: quod tamen est contra ipsum Angelum. Ideò dicendum, quòd quamuis Deus sit in huiusmodi donationibus causa principalis & finis, est tamen finis vltimus & remotus: causa tamen finalis propinqua, non Deus, sed paupertas, aut sanctitas quam quis simulat, est. Et procedūt hæc contra hypocritam, qui se studiosum fingit, cùm non sit, & contra eos, qui se religiosos fingunt, & non sunt: & cōtra eos, qui fingunt se captiuos redimere, & puellas maritare, & alia similia pia opera facere, & non faciunt: si ob hanc causam, tanquā principalē, & finalem aliqua illis donentur, restituenda sunt.

II. Corollariū. *Multis modis potest aliquid ex errore donari.* Seqvitvr iam, quid de rebus ex errore donatis dicendum: potest enim hoc multipliciter accidere, prout error potest multiplex esse. Nam vel est error in persona, vt si quis donat Petro, putās se donare Ioanni: vel est error in re donata, vt si quis dat aurum, putans se dare aurichalcum, vel si dat rem alienam, putans se dare suam. Aut est error in qualitate personæ, seu rei donatæ. Exemplum primi; vt si quis donat Petro peccatori, putans eum sanctum esse, aut laico, putans eum clericum esse, aut diuiti, putans eum pauperem esse. Exemplum secundi, vt si quis dat vestem nouam, putans se veterem, & ruptam dare. Itaque vel error est circa substantialia contractus donationis, qualia sunt persona, & res quæ donatur: & tunc non dubium, donationem non tenere, & taliter acceptum, præfato errore cognito, debere restitui, ei, scilicet, qui donauit, vel alteri, cui donator intendebat donare. Aut est error in qualitate, & tunc dicunt aliqui donationem vitiari, quia existentibus omnibus, quæ sunt de substantia donationis, tenet donatio, sed cum errore qualitatis, seu accidentis stat omnia substantialia seruari, cùm accidens sit, quod potest adesse, & abesse, præter subiecti corruptionem. Et patet à simili in contractu matrimoniali, in quo si omnia substantialia concurrant, tenet coniugium, etiamsi error qualitatis interueniat, vt si vir putat vxorem, quam accipit, castam aut diuitem esse, cùm non sit. Verùm quidquid sit de contractu maritali, de quo aliàs: loquendo ad propositum de donationibus ex errore factis, etiamsi sit error cōditionis, aut qualitatis, videtur distinguendum: quia aut illa qualitas, de qua huiusmodi error habetur, est causa finalis, & sine qua non, præfatæ donationis, ad sensum suprà dictum, vel non. Si primum, non tenet donatio in foro conscientiæ. Cuius ratio est, quia non concurrunt omnia, quæ sunt de substantia donationis: nam inter hæc, quod potissimum est, est libera & spontanea dandi voluntas: hæc autem non habetur, quando causa finalis, & principalis, ob quam donatio fit, non subsistit, quamuis per errorem subsistere putetur: nec aliquid magis dicitur voluntarium tollere, quàm error. Secùs, si qualitas in qua erratur, non sit principalis & finalis, & sine qua non. E

An eiusmodi donata sint restituenda. *Solutio.* F

III. Corollariū. Corollarie sequitur, stando intra metas naturalis, & diuini iuris, impertinens esse errorem illum, qui de qualitate habetur, esse ex dolo, ac simulatione donatarij causatum, aut ab ipso donante conceptum, ad hoc quòd donatum sit, vel non sit restituendum: quia quandocunq; huiusmodi error habitus sit, si qualitas, de qua habetur, sit causa principalis, & finalis, ad sensum dictum, donatio non valet, & per consequens re cognita, venit taliter acceptum restituendum. Si tamen illa qualitas, in qua erratur, causa finalis non sit, poterit sic acceptum retineri: vt si quis donat alicui, quem pauperem esse putat, cùm non sit, & ob illam causam principaliter donat, nil valet donatio, siue donatarius fingat se pauperem esse, siue non fingat: econtrà verò, si non ob illam causam principaliter dat, sed quia consanguineus est, & sit verè talis, tenebit donatio. Quanquam in foro exteriori refert, vnde præfatus error sit causatus: quia contra dolosum, & simulantem iudicabitur in fauorem donantis, si dolus probetur.

Corol-

Coroll. IIII. An, si prælatus conferat alicui beneficium, putãs esse castum, vel sanctũ, &c. cùm non sit, teneatur iste beneficium acceptum resignare. Sententia I.

A CoROLLARIE sequitur, quid dicendum in casu, quo prælatus beneficium alicui ex errore confert, putans scilicet illum castum, vel sanctum esse, cùm non sit, an talis teneatur beneficium taliter acceptum resignare. Et dixit Alexander de Hales, parte 4. distinguendum esse: quia vel error ille processit ex simulatione clerici, qui se talem simulauit, vt beneficium impetraret, vel aliunde. Si primum, ait illum teneri ad beneficij resignationem: quia dolo, & fraude illud obtinuit, & ingrediens & ingressus est vitiosus: quemadmodùm & legatum, illo modo acquisitum, seu procuratum, est restituendum. Secùs (inquit) si error ille fuit aliundè in prælato causatus: quia tunc licèt ingrediens sit malus, ingressus tamen non est vitiosus, supposito, quòd clericus ille sit ad tale beneficium alioqui idoneus.

II. Sententia. Ratio I.

ECONTRA verò Adrianus ait in casu, non esse de necessitate tale beneficium resignandum. Cuius ratio est, quia beneficium non tam conferri debet pro præcedentibus meritis, quàm pro futuris: ideò satis est, si clericus ille posteà mores in melius commutet. Quæ responsio inde confirmatur, quia beneficium datur propter officium: non quidem propter officium præteritum, sed propter exercendum, per ipsum beneficiatum. II. Potest etiam pro hac sententia alia causa assignari, quia quamuis ob sanctitatem, quæ verè in illo hypocrita non existit, prælatus eidem beneficium dederit; illa tamen causa III. non est, sicut nec esse debet, principalis, seu finalis, sed impulsiua: finalis autem causa B præfatæ collationis est idoneitas ad tale beneficium, & cùm supponatur, clericum illum promotum, esse ad illud beneficium idoneum; ideò taliter acceptum resignare non tenebitur. Adde amplius in confirmationem eiusdem, quòd esto prælatus, ob sanctitatem IIII. simulatam, principaliter, ac finaliter beneficium illud contulerit, nõ inde erit obligatus is, qui promotus est, illud resignare, eò quòd erat alioqui sibi ex iustitia distributiua debitum, supposita eius idoneitate, vti supponimus: esto quod non plus illi, quàm aliis clericis æquè idoneis fuerit debitum præfatum beneficium. Huius exemplum est notum, vt si alicui certa pecunię summa, vt eam pauperibus eroget, sit commissa, & sint multi pauperes, è quibus occurrit vnus simulans se ipsius eleemosynarij propinquum esse, cùm non sit; ob illam tamen causam principaliter illi eleemosyna erogetur, non tenetur præfatus pauper eleemosynam, cum præfato dolo acceptam, restituere, eò scilicet quòd alioqui ratione veræ paupertatis, & indigentiæ esset eidem debita, etiamsi non magis illi, quàm aliis æquè pauperibus deberetur.

SEQVITVR inde, quòd etiamsi clerico illi fuerit beneficium, ob turpem causam collatum, clerico id sciente, non tenetur beneficium taliter acceptum resignare, contra eundem Alexandrum, supposita semper eiusdem clerici idoneitate: vt si Episcopus habet rem cum matre, aut sorore ipsius clerici, ob quam causam principaliter prælatus illum ad tale beneficium promoueat. V. *Corollarium.*

C *De rebus ob causam necessariam datis, causa subsequuta.*

QVÆSTIO XXV.

An res datæ ob causam necessariam, sint restituendæ causa ea subsecuta. Explicatur sensus quæstionis.

DEINDE videre conuenit de rebus ob causam datis, causa subsequuta, an sint aliquando restituendæ. Est autem triplex causa, ob quã aliquid dari solet, puta, necessaria, honesta, & turpis. Loquor autem nunc de causa necessaria, non de ea, quæ per naturam, seu rei præteritionem facta, est necessaria: nam de datis ob huiusmodi causam, non dubium, quin retineri possint: vt si dono Petro decem, quia Deus æternus, & omnipotens est; aut quia Petrus anno elapso causam meã defendit, supposita causæ veritate, non dubium, donationem validam esse: sed loquor de causa necessaria necessitate præcepti, ita vt causa necessaria, ob quam aliquid datum est, sit opus humanum, ad quod ipse donatarius erat alioqui obligatus.

DE REBVS igitur ob huiusmodi causam necessariam datis, priùs videamus, & sit casus: Petrus videns Ioannem in tanta esse necessitate, quòd nisi suam operam illi impendat, aut aliàs eum ab iniuria defendat, bona ipsius Ioannis periclitabuntur, aut persona sua notabilem iniuriam patietur: vult quidem Petrus Ioãnem iuuare, & defendere, non tamen, nisi pecunia data, qua accepta, operam alioqui debitam Ioanni impendit.

Quæritur, an taliter acceptum sit de necessitate restituendum. Verùm, quia præsuppo- D
nit quæstio, Petrum in casu teneri ad proximum suum defendendum; & illi in necessi-
Quid hic sit indubitatum. tatibus succurrendum. De hoc præsupposito priùs videndum est, an ita sit, vt supponitur.
Tenemur proximum à morte famis eripere. Quod specialiter quæritur de obligatione proximum ab iniuria, seu morte iniuriosa defendendi. Nam quòd teneamur proximum à morte famis, illi nostra bona communicando, eripere, suprà in C. de eleemosyna latiùs ostensum est, iuxta vulgatum Ambrosij decretum: Fame pasce morientem, si non pauisti, occidisti. Et iterum: Non minùs criminis est, quàm habenti tollere, cùm possis, & abundans sis, indigentibus denegare. Vbi æquiparat furto hoc, quod est, eleemosynam indigenti non erogare, & homicidio hoc, quod est, fame pereunti cibum non porrigere. Sicut & Hieronymus rapinam dicit esse vltra id, quod nobis est necessarium retinere, & ea pauperibus non elargiri 42. distinct. cap. 1. §. quomodo etiam. Quod propter diuites dictum, qui cùm videant pauperes sæpissimè necessitate premi, claudunt viscera sua apud eos, quos à Dei charitate remotos esse, Ioannes in sua Canonica docet. & Iacob. cap. 5. ad diuites loquens, ait: Agite nunc diuites, plorate vlulantes in miseriis, quæ aduenient vobis. Diuitiæ vestræ putrefactæ sunt, vestimenta vestra à tineis comesta sunt, aurum & argentum vestrum æruginauit: &
In quo consistat difficultas. ærugo eorum erit vobis in testimonium, & manducabit carnes vestras, sicut ignis. Thesaurizatis vobis iram in nouissimis diebus.

An teneamur proximũ ab iniusta morte, alijsq; iniuriis defendere?

Rationes negatiua. I. *Matth. 26.*

His tamen dimissis, quæ necessitatem subueniendi proximis fame pereuntibus E
sufficienter nobis incumbere docent, dubium est de morte gladij, aliisq; iniuriis proximo illatis, an teneamur ab his proximum, cùm possumus, defendere. Et ratio difficultatis est, quia Petrum, volentem Christum ab iniuria & morte, per Iudæos illi parata, defendere, Christus ipse reprehendit, dicens: Mitte gladium in vaginam, nam omnis qui gladio occiderit, gladio peribit.

II. Deinde non magis tenemur proximum ab iniuria, & morte gladij defendere, quàm ipsemet seipsum; sicut nec tenemur eum magis diligere, quàm ipsemet seipsum; sed ipsemet potest, absque vlla defensione, suiipsius mortem iniuriosè illatam, æquo animo pro Christo, & fide eius sustinere, cùm legamus Sanctos gaudentes ad supplicia iuisse, aliosque morti pro Christo se sponte obtulisse, cùm possent silendo, vel fugiendo, aut arma capiendo, mortem illam iniuriosam euadere.

III. Pro quo facit etiam Christi consilium Matth. 5. Si quis te percusserit in vna maxilla, præbe ei alteram. Et Paulus ad Rom. 12. Non vos defendentes, sed date locum iræ.

Resolutio affirmatiua. *Probatur* I. His tamen non obstãtibus oppositum videtur esse tenendum, scilicet, quòd homo tenetur proximum suum ab iniuria defendere, & à morte iniusta, si potest, eripere. Huius ratio est clara, quia tenetur homo non occidere proximũ, nec illi iniuriã inferre: igitur tenetur non permittere proximum suum iniuriam pati, & per consequens tenetur eum defendere. Antecedens patet ex præcepto Decalogi: Non occides. Et consequentia satis certa est ex decreto Symmachi, distinctio. 83. Non grandis differentia est, F
mortem inferas, vel admittas: mortem enim languentibus videtur infligere, qui hanc, cùm potest, non excludit. Idem patet ex decreto Gelasij 7. q. 1. cap. omnes. vbi dicitur: Qui negant fugientibus, & necessitatem patientibus faciendam esse misericordiam, ipsum Christum negant, qui est misericordia, & veritas.

II. Pro quo etiam facit decretum Ambrosij suprà citatum. Et habetur 86. distinctio. capit. pasce. Quisquis pascendo hominem seruare poteris, si non paueris occidisti.

III. Hvc facit etiam Augustinus, cùm ait, Si quisquam inimicum suum periculosis febribus phreneticum factum currere videret in præcipitium, nónne tunc potiùs malum pro malo redderet, si sic eum ire permitteret? Vnde patet, teneri hominem, si viderit proximum suum seipsum occidere velle, illum, ne se interimat, impedire: igitur etiam tenetur proximum ab iniuria & iniusta morte aliundè illata, si potest, defendere.

IIII. Facit etiam capit. non inferenda 23. q. 3. vbi dicitur: qui à socio non repellit iniuriam, cùm potest, tam in vitio est, quàm ille qui facit.

Ad quos pertineat ea obligatio proximũ defendendi. Qvod cvm ita sit, esset dubium, an hæc obligatio fratrem ab iniuria defendendi, his solum conueniat, qui in potestate sunt constituti, in alios iurisdictionem habentes: An potius generaliter omnibus, qui viribus possunt iniuriam passim defendere.
Sententia I. Et vt

A Et vt refert gloss. in capit. præallegato, non in ferenda: Sunt qui tenent, quòd huiusmodi obligatio, non nisi maioribus, potestatem iurisdictionis in alios habentibus conueniat: cæteri verò, etsi possint fratrem ab iniuria defendere, & rectè agerent, non tamen tenentur. Pro quo allegant capit. fortè. eâdem causa quæst. 4. vbi in sententia decernitur, his, qui potestatem habent iudicandi, competere delinquentes coërcere, corripere, & degradare. Allegant etiam cap. duo ista nomina 23. q. 4. vbi in sententia significatur, illi competere delinquentes corripere, cui cura, seu regimen eorũ conuenire dignoscitur. Allegant etiam cap. quantæ. de sententia excommunicatio. §. fin. vbi in sententia dicitur, pari pœna puniendos esse eos, qui, cùm possint clericum ab iniuria defendere, non defendunt, & eos qui iniuriam inferunt. Quod secundùm communem, & verum intellectum, procedit de his, qui potestatem habent iurisdictionis, non de personis priuatis. Postremò rationem afferunt, sic arguentes: Si quilibet teneretur alium defendere: igitur si quis pecuniam pro defensione alterius reciperet, teneretur eam restituere: quod est falsum &c.

Argumẽtum I. — II. — III. — IIII.

His tamen non obstantibus, videtur oppositum esse tenendum, iuxta ea quæ suprà allegauimus. Quia defendere proximum ab iniusta morte, & illi in suis necessitatibus subuenire, officium charitatis, & ad præceptum fraternæ charitatis pertinens: charitatem autem ad proximum indigentem habere, cuilibet homini conuenit; quemadmodùm cuilibet iniunctum est, proximum sicut seipsum diligere: vnicuique etiam mandauit Dominus de proximo suo. Nec satis est proximum indigentem affectu diligere, nisi affectum, & operam nostram, qua indiget, illi impendamus: iuxta dictum Ioannis in Canonica, Fratres, diligamus non tantum verbo, sed opere, & veritate.

Responsio. Pertinet ad oẽ. Probatur I.

B

Confirmo idem ex cap. non in ferenda. suprà citato, vbi dicitur; qui à socio non repellit iniuriam, cùm potest. vbi, si potest, diceret potestatem iurisdictionis, & non virium potestatem, non dixisset textus, qui à socio iniuriam non repellit; sed debuisset dicere, qui à subdito iniuriam, cùm potest, non repellit. Hoc idem patet per exemplum, quod ibidem Ambrosius affert de Moyse, qui Hebræum iniuriam ab Ægyptio patientem defendit, cùm tamen tunc Moyses nullam in Hebræos, nec Ægyptios iurisdictionis potestatem haberet, nec diuinam, nec humanam: vt suppono ex cap. 2. Exod. II.

Confirmo iterum ex capit. dilecto. de sententia excommunicatio. libro 6. vbi dicitur: Licet vnicuique suo vicino, vel proximo, pro repellenda iniuria, suum impartiri auxilium. Imò si potest, & negligit, videtur iniuriantem fouere, ac esse particeps eius culpæ. III.

Iterum idem confirmo ex Prouerbio. capit. 24. vbi dicitur: Erue eos, qui ducuntur ad mortem: & qui trahuntur ad interitum, liberare ne cesses. Si dixeris, vires non suppetunt: qui scrutator est omnium ipse intelliget, & Seruatorem animæ tuæ nil fallit, redde tque homini iuxta opera, &c. Vbi apertum est, Prophetam loqui de potentia virium corporalium, & non de potestate iurisdictionis. IIII.

C

Nec valent allegata contra hanc sententiam. Nam capit. fortè. suprà citatum, impertinens est huic proposito, cùm illic loquatur Augustinus de correctione iudiciali, & delinquentium punitione, vt ex textu ipso constat. Quod officium, fateor, non nisi iurisdictionem habenti competere. Secùs de succurrendo proximo indigenti, & de defendendo ipsum ab iniuria, quod etiam priuatis personis competere, ostensum est.

Respondetur ad argumenta in contrariũ allata. Ad I.

Nec obstat secundò capit. duo isto nomina. suprà citatum: quia illic docet Augustinus, cui ex officio conueniat delinquentes corrigere & increpare, eorumque curam habere. Et dicit id competere regentibus eorum, siue sint Episcopi, respectu subditorum, siue Patres, respectu filiorum, siue Domini, respectu famulorum, siue Mariti, respectu vxorum: non tamen id negat cæteris ex charitate competere: quandoquidem fratrem corripere, præceptum est charitatis vnicuique datum; iuxta illud Mathæi 18: Si peccauerit in te frater tuus. Vbi non dixit, si peccauerit in te subditus tuus, seu famulus tuus, sed frater tuus: vt intelligamus hoc præceptum de fratre corrigendo, omnibus indistinctè traditum esse. Quanquam quibusdam, ob eorum officium, specialiùs delinquentes corrigere conueniat. Adde quòd non loquatur illic Decretum de defensione proximi ab iniuria eidem illata, vt constat: & ita textus impertinenter videtur allegatus. *Ad* II.

Nec

Ad III. NEC OBSTAT tertio ca. quantæ. de sententia excommunica. & communis glossa D eiusdem. Quia esto ita sit, quòd pœnam illam canonicam non incurrant omnes, qui, cùm clericum defendere possunt, non defendunt: sed tantùm hi, quibus ex officio, & iurisdictionis potestate id conuenit. Omnes tamen, etiamsi priuati sint, culpam incurrunt, qui sine incommodo proprio possunt iniuriam passim defendere, & non defendunt.

Ad IIII. NEC OBSTAT postremò ratio suprà facta, quia esto de præcepto charitatis teneatur vnusquisque alterum ab iniuria defendere, iustè potest pro ipsa defensione mercedem accipere, vt statim patebit. Relinquitur ergo, obligationem defendendi proximũ, & illi in suis necessitatibus operam, qua indiget, impendendi, omnibus vniuersaliter conuenire, tam his qui potestatem habent iurisdictionis, id est, personis publicis, quàm priuatis, licèt differenter: quia personæ publicæ ad id duplici titulo tenentur, scilicet, ratione officij publici, & ratione charitatis ad fratrem habendæ: personæ autem priuatæ ad id ex sola charitate generaliter tenentur.

Respondetur ad rationes pro superiori dubio adductas.

Ad I. AD EA VERO, quæ pro ratione dubitandi ante oppositum tacta sunt, dicendum ad primum de Petro, qui volens Christum defendere, fuit reprehensus à Domino: Quòd quemadmodùm principes peccauerunt, Christum crucifigendo, ita & reliqui cognoscentes, Christum iniuriosè à principibus tractari, & occidi, peccauerunt, ipsum non defendendo: vt ait Augustinus super Psal. 81. & habetur 23. q. 3. cap. fin. Quòd si Petrus fuit à E Domino reprehensus, quando gladio seruum Malchi percussit, facilem habet responsionem: Quia cùm Apostoli interrogassent Christũ, an percuterent in gladio eos, quos contra Christum venire videbant, debuerat Petrus, sicut cæteri, quid Christus responderet, expectare: quod non fecit, sed præueniendo propria voluntate gladium exemit. Deinde Petrus non tam animo defendendi Christum, quàm vindictam sumendi, videtur gladium exemisse, vt ait glossa interlinea. Matth. 26. Vnde quòd Christus, eum reprehendendo, subiunxit: Qui gladio percusserit, gladio peribit, de his intelligitur, qui propria authoritate percutiunt, ad vindictam sumendum, vt patet per Augustinum, sic illud exponentem. Et est eius expositio canonizata, & habetur 23. q. 4. ca. ille gladium accipit. Adde quòd Petrus priùs fuerat à Domino reprehensus, eò quòd vellet Christum à passione retrahere, quando suadebat ei, ne iret in Hierusalem, cùm illi Christus intimasset, hanc esse Patris voluntatem, vt scilicet, Christus pateretur. Ac proinde volens Petrus secundò Christi necem impedire, meritò fuit à Domino reprehensus. Itaque id speciale fuit in Petro, aliisque Apostolis, quibus Christus prædixerat Dei patris voluntate decretum esse, vt ipse pateretur; ideò minimè debebant gladiis necem Christi impedire.

Ad II. AD ALIVD, in quo arguitur non teneri nos ad defendendum proximum, ex quo ipse nõ tenetur seipsum defendere, vt exemplificatur de sanctis Martyribus, dicendum; fateor, quòd in casu Sancti illi patienter mortem sustinebant, quodque seipsos defendere non tenebãtur, eò quòd pro tunc sic fortiter pati expediebat, vel ad alios fideles in F fide confirmãdos, vel ad alios ad fidem conuertendos: & ordo charitatis id postulabat, vt animam suam pro amicis, & proximis ponerent: cùm hoc tamen stat, quòd alij, potentes à morte illa iniuriosa eos eripere, tenerentur ad id, ex pręcepto charitatis. Si obiicias, sicut expediebat illos Sanctos pro publica fratrum salute patienter mortem ferre; ita expediebat, vt alij permitterent eos sic pati, ad publicam fratrum salutem. Respondetur, negando sequelam: Quia quemadmodùm Christus non tenebatur se à morte sibi illata defendere, cùm posset, & eum pati pro publica salute expediebat; alij tamen tenebantur eum defendere, ne Christi neci consentirent: prout apertè ait Augustinus, Psal. citato, scilicet 81. Ita & in proposito.

Ad III. QVOD AVTEM citatum est ex Matth. 5. & ad Rom. 12. ad probandum, non debere quenquam seipsum defendere, non probat intentum, eò quòd illæ authoritates non de defensione, sed de vindicta sunt accipiendę, prout Paulus ibidem explicat, statim subiungens: scriptum est enim, Mihi vindictam, & ego retribuam. Standum igitur est in conclusione suprà probata: & non solùm proximo operâ nostrâ indigenti tenemur eam, pro ipsius defensione, impendere: sed etiam, vt eundem & res suas à damno notabili illis alioqui euẽturo eripiamus, ex eâdem charitate tenemur: prout Exod. 23. præceptum est. Si videris asinum odientis te iacentem sub onere, non pertransibis, sed subleuabis cum eo, &c. Et sic patet de supposito.

IAM

A IAM DE EO, quod quærebatur, breuiter videndum eſt, an ſcilicet data ob cauſam alioqui neceſſariam neceſsitate præcepti, ſeu ad quam homo alioqui tenetur, ſint reſtituenda. Et arguitur pro parte affirmatiua, Primò de iudice, qui ſi aliquid recipiat, vt iuſtè iudicet, tenetur acceptum reſtituere, vt ſuprà ex Auguſtino in epiſtola ad Macedonium deduximus, quando agebamus de rebus per actũ peccaminoſum acquiſitis. Idem etiam patet de teſte, qui in ius vocatus, tenetur deponere veritatem, ſuper qua fuerit à iudice interrogatus: & ſi pro ea deponenda aliquid extorſerit, tenetur illud reſtituere: quia ſicut ſententia iudicis venalis non eſt, ita nec teſtimonium veritatis, ex eodem Auguſtino.

Nunc de quæſtione principali initio propoſita.

Argumenta pro affirmatiua eiuſdem. I.

SECVNDO de his, qui alioqui ſufficienter ſtipendiati ſunt, ratione cuius ſtipendij tenentur aliquid agere, ſi pro eo, ad quod ratione ſtipendij tenentur, aliquid à partibus ampliùs exigunt, & recipiunt, peccant, & reſtituere tenentur: quia id ad crimen pertinet concuſsionis. & patet ex Auguſtini ſententia, vbi ſuper illud Ioannis Baptiſtæ, quod ad milites dixit: Eſtote contenti ſtipendiis veſtris, neminem concutiatis: Lucæ 3. ait. Non de his tantùm militantibus ſcriptura loquitur, qui armata militia detinentur, ſed quiſquis militiæ ſuæ cingulo vtitur, dignitatis ſuæ miles aſcribitur. Atque ideò hæc ſententia poteſt dici, verbi gratia, militibus, protectoribus, cunctiſque rectoribus, quicunque ſibi ſtipendia publicè decreta conſequuntur: ſi ampliùs quærit, tanquam calumniator B & concuſſor, Ioannis ſententia condemnatur. Et habetur 23.q.1. cap. militare. in prin. De eodem etiam habetur 1.q.1. cap. iubemus. cum reliquis ibidem ſequentibus. II.

TERTIO de his qui alienum detinent, puta commodatum, vel depoſitum, ſi aliquid extorqueant, vt huiuſmodi res ſuis dominis reddant, tenentur accepta reſtituere, ex ſententia omnium; non ſolùm in foro conſcientiæ, ſed etiam in iudiciali, vt habetur. ff. de condictio. ob turpem cauſam. l. 2. & l. vltima. in quibus in ſententia dicitur, pecuniam extortam, ob cauſam reddendi alicui, quod illi debitum eſt, repeti poſſe. Et exemplificat de commodato. Item ibidem ſic dicitur: Si dedi tibi ne ſacrilegium facias, ne furtum, ne hominem occidas, condici poteſt. Et tamen conſtat cauſas illas neceſſarias eſſe neceſsitate præcepti, puta, non facere ſacrilegium, non furari, neque occidere. Idem patet de vxore, quæ non vult marito debitum coniugale perſoluere, niſi pro pecunia, quæ vltrà quòd peccat, tenetur pecuniam reſtituere, tanquam turpiter, & iniuſtè extortam, cùm ipſa alioqui teneretur debitum reddere. III.

QVARTO pro eodem facit ratio, quia inferior non poteſt aliquid exigere, ſeu recipere, vt ſuo ſuperiori debitam exhibeat obedientiam, cùm ad hanc alioqui, velit, nolit, teneatur. Similiter ſi quis votum fecit, non poteſt aliquid exigere, vt ipſum votum compleat. Diues etiam videns pauperem in extrema neceſsitate, non poteſt aliquid exigere, vt illi rem, qua indiget, largiatur, cùm ad id alioqui teneatur. Et facit pro hoc ſpecialis ratio: quia vel diues ille tenetur illi pauperi ſuccurrere donando, vel mutuando. Si priC mum, nil igitur poteſt pro eo, quod donat, extorquere: quia tunc non donaret. Si ſecundum, vſuram videretur committere. IIII.

POSTREMO idem apparet de prælatis, qui pro conferendis beneficiis nil exigere poſſunt, cùm ad id ipſi alioqui teneantur, cùm nõ domini beneficiorum ſint, ſed diſpenſatores, & ſimoniam committerent: & ita acceptum ob illam cauſam tenerentur reſtituere. Similiter domini temporales, quibus cõuenit, ſecundùm iuſtitiam diſtributiuam, officia publica conferre, ſi ob hanc cauſam aliquid exigant, aut recipiant, tenentur reſtituere, tanquam hi, qui, quod non ſuum eſt, vendunt. V.

EX QVIBVS omnibus aliquibus viſum eſt, quòd vniuerſaliter ſunt omnia illa reſtituenda, quæ ob cauſam alioqui neceſſariam neceſsitate præcepti, ſeu ad quæ quis alioqui tenetur, recepta ſunt: eò quòd vniuerſaliter dicunt, nil poſſe à quoquam recipi, ſeu exigi pro eo, quod ipſe alioqui debet. Quia omne quod debetur, gratis eſt perſoluendum.

Sententia quorundam.

HIS NON obſtantibus videtur aliter ſub diſtinctione reſpondendum. Sunt enim præcepta, quę homo adimplere tenetur, in duplici differentia: Quædam enim pertinent ad iuſtitiam ſeruandam, quæ intendit reddere vnicuiq; quod ſuum eſt, aut ſibi debitum. Quædam verò pertinent ad charitatem; & hæc iterum ſunt triplicia: quædam pertinent ad charitatem, quæ ad Deum habenda eſt: quædam ad charitatem, quæ ad ſe: quædã verò ad charitatem quæ ad proximum habenda eſt. Iterum præcepta, quæ proximi vtilitatem reſpiciunt,

Pro ſolutione notandũ præcepta homini adimplenda in duplici eſſe differẽtia: quæ rurſus variè ſubdiuiduntur.

respiciunt,sunt duplicia:Quædam enim sunt,in quorum adimpletione nec magna opera nostra necessaria est,nec pecunia,sed in vno,aut paucis verbis consistunt,vt est delinquentem verbo corrigere, tristem consolari, infirmum visitare,&c. Alia sunt, in quibus notabilis opera seu labor est necessarius,aut etiam pecunia,seu aliud pecunia comparabile; secundùm quod proximi indigentia postulauerit. Rursus de proximo indigente distinguere conuenit: quia aut est inops omnino, qui, scilicet, non habet, nec habere sperat,vnde ei,qui operam,vel pecuniam sibi impenderit,retribuat. Aut non tam inops est,quin habeat,aut habere speret,vnde pro accepto beneficio æquiualentiam reddat. D

Conclusio I. Qvibvs præmissis, responsio patet per tria dicta. Primum est, non potest homo aliquid extorquere, aut exigere ob causam necessariam necessitate præcepti, quod ad iustitiam pertinet. *Ratio.* Hæc patet,quia opera iustitiæ venalia non sunt, sed gratis agenda: siue sint opera iustitię ministrandę,aut exercendę,siue sint opera iustitiæ vnicuique,quod suum est, reddentis. Hoc videtur sufficienter probatum per ea, quæ ante oppositum sunt allegata.

Conclusio II. Secvndvm dictum, non potest homo aliquid extorquere, vel exigere ob causam necessariam necessitate præcepti charitatis, quod Dei honorem atque cultum concernit, nec quod ad propriam ipsius hominis attinet vtilitatem. *Ratio.* Hoc etiam certum est, quia non potest aliquis vendere cultum,& honorem ipsi Deo debitum, quem Deus sibi impendi iure præcepit.Vnde quamuis homo Deum colens & honorans, vti debet, possit inde ex Dei liberalitate, & gratia præmium sperare, non tamen hoc ipsum vendere. E Sicut non potest aliquid exigere, ne sacrilegium faciat, ne nomen Dei peiuret, ne votum violet, ne Deum blasphemet, quod notum esse suppono. Similiter non potest homo aliquid exigere, ne seipsum, secundùm animam, aut secundùm corpus, occidat, ne seipsum infamet;nec potest aliquid exigere,vt de peccatis doleat,& confiteatur, vt mores prauos in meliores commutet: absurdum enim omnino videtur,homines operam alteri vendere, quæ non nisi in ipsius operantis vtilitatem fit.

Conclusio III. Tertivm dictum, homo potest aliquid exigere ob causam necessariam necessitate præcepti, quod proximi vtilitatem concernit,scilicet, quando operam, ac laborem notabilem, seu pecuniam pro proximo exponit, si proximus ille habeat, vel habere sperat, vnde retribuat, etiamsi actu non habeat,sed pauper sit. *Probatur* I. Hoc patet quantum ad operam impensam: quia ex sententia Pauli, Nemo tenetur suis stipendiis pro alio militare. Sic enim 1.ad Corinthios 9.ait.Quis militat vnquam suis stipendiis:quis plantat vineam, & de fructu eius non edit?Quis pascit gregem,& de lacte eius non manducat?Quod testimonio legis statim confirmat, dicens, scriptum est in lege Moysi: Non alligabis os boui trituranti. Et iterum hoc idem ex Christi ordinatione dispositum esse declarat, dicens:Ita Dominus ordinauit his,qui Euangelium annuntiant,de Euangelio viuere,prout Christus dixerat Lucæ 10. Dignus est operarius cibo suo. Nec valet dicere, hæc procedere, quando aliquis non necessitate, sed voluntate in alterius vtilitatem operatur: F non,inquam,valet,nam Paulus præceptum Christi habuit,vt euangelizaret: ad id enim se à Domino missum esse, ipse testatur, dicens: Non enim misit me baptizare,sed euangelizare, & tamen non tenebatur gratis ministrare, seu officium prædicationis exercere: ac proinde poterat ob huiusmodi ministerium suum exigere stipendium.

II. Hoc idem patet ex cap.precariè 10.q.2.vbi dicitur, neminem esse cogendum de suo altari beneficium facere. Inde est, quòd medicus, sicut operarius,possit mercedem sui laboris exigere; similiter & aduocatus potest suum patrocinium vendere, sicut & iuris consultus suum consilium,vt apertè habetur cap.non sanè 14.q.5.non solùm quando id sine necessitate faciunt,sed etiamsi cum necessitate præcepti id faciant; vt si infirmus esset alioqui periturus,nec sit nisi vnus medicus,qui illum possit curare,tenetur,sub pœna peccati mortalis, eum curare, sed non gratis. Similiter si non sit,qui valeat insontem à iudicio condemnationis eripere,nisi aduocatus,teneretur ad id operam suam impendere,sed non gratis.Similiter si non sit,qui domum proximi à ruina, vel incendio propè veniente possit liberare, nisi Petrus, tenetur operam suam, prout potest, apponere, sed non gratis. Poterit enim mercedem sui laboris exigere,ex quo vtiliter gessit negotium illius.pro quo facit.l.Pomponius.ff.de negotiis gestis.

III. Hoc etiam idem patet de teste, qui si sit in ius vocatus, licèt teneatur veritatem gratis deponere,non tamen tenetur operam,laborem,& expensas factas eundo,stando, & re-

A & redeundo gratis exponere:sed pro illis poterit,quod iustum fuerit,exigere:vt patet in cap.statutum. de rescriptis.§. pro ferendo in 6. Etiamsi operam, & expensas illas de necessitate præcepti faciat.

IDEM ETIAM patet de eo,qui alterum ab iniuria,vel alio damno defendit,qui,licèt ad id aliquando ex charitate teneatur, non tamen gratis, sed potest mercedem exigere, nec repeti potest,vt citari solet.l.si.pater.ff.de dona.§.primo. Ex quibus & multis aliis patet, quòd potest quis exigere aliquid, ob operam proximo impensam, ad quam alioqui de præcepto charitatis tenetur, eò quòd non tenetur gratis huiusmodi operam impendere. IIII.

QVOD ETIAM nec pecuniam teneatur gratis donare, etiamsi eam ex præcepto charitatis indigenti communicare teneatur, patet ex his,quæ nuper dicta sunt, & ex his quæ in Codice de eleemosyna diximus: Si enim operam proximo ex necessitate charitatis impendo, possum æstimationem exigere, vt ex dictis constat. Igitur etiamsi pecuniam ex eadem necessitate reimpendam, potero illam postmodùm exigere,nec teneor illam, sicut nec operam, gratis donare. Pro quo facit exemplum; si non possum proximum ab aduersariis superuenientibus liberare, nisi equum, quem habeo, illi tradam,vt fugiat, teneor quidem equum illi ex charitate tradere, non tamen donare, sed potero posteà equum, vel æstimationem repetere.

Non tenetur aliquis proximo grauiter laborãti subuenire pecuniã donando: satisfacit mutuando.
Probatur I.

B PRO QVO facit.l.Nesennius.ff. & l.alimenta C.de neg.gest. vbi in sententia dicitur; quòd si ego habeo tritici abundantiam, quòd, superueniente famis necessitate, teneor his,qui huiusmodi necessitatem patiuntur,triticum meum communicare;non tamen donando,sed potero protestari, quod mutuem illis, quodq; repetam ab eis, quando soluere poterunt. II.

HOC IDEM probat Adrianus ex cap.si quis.de furtis.vbi dicitur:Si quis per necessitatem famis, aut nuditatis furatus fuerit cibaria, vel vestem, aut pecus, pœniteat hebdomadas tres; & si reddiderit,non cogatur ieiunare. vbi secundùm vnam lecturam Doctorum, quamuis necessitas fuerit maxima, si posteà, pinguiorem fortunam sortitus, non restituerit, peccat:si verò, necessitate cessante,statim restituit,in nullo delinquit,& non cogitur pœnitere. Vnde colligit nos minimè teneri pascere fame morientem, gratis donando, sed possumus protestari de dati repetitione, quando ad pinguem veniret fortunam. Sed de hoc vide in Codice de eleemosyna. III.

IAM FACILE patet responsio ad ea,quæ pro priori sententia sunt allegata. Si enim iudex pro sententia iusta, & testis pro testimonio ferendo non possunt aliquid exigere, ideò est; quia ad id tenetur ex præcepto ad iustitiam pertinente. Similiter si hi,qui sufficienter stipendiati sunt, non possunt amplius exigere pro eo, ad quod ratione stipendij sunt obligati; ideò est, quia, ex quo de stipendio conuenerunt, & ratione eius, se ad aliquid obligauerunt, tenentur ad illud ex præcepto iustitiæ, etiam obligatione ciuili. Id C enim iustitia postulat,vt pacta,& cótractus seruentur,quos homines ex cósensu faciunt. Ac proinde milites, aduocati, iurisconsulti, & cathedratici, & reliqui,si semel de stipendio conuenerunt, ratione cuius se obligârunt ad suas operas impendendas, non poterunt posteà amplius exigere, sine crimine concussionis. Excepto,nisi initus contractus de alterius partis consensu rescindatur.

Respondetur ad argumenta opposita.
Ad I.
II.

SEQVITVR inde, non satis certam esse sententiam Innocentij in capit.quia plerique.vbi in summa ait,medicum,aduocatum,& minores officiales,si non dolo malo,sed publicè,immoderatè tamen aliquid extorquent,quod non teneantur restituere, nisi sic extortum sit in notabili quantitate. Et probat ex capit. non sanè 14. q.5. nam textus ille potiùs est contra sententiam Innocentij,quàm pro eo. Patet; quia loquens de officialibus inferioris ordinis, quàm sint iudices, ait textus, quòd extorta ab eis per immoderatam improbitatem repeti solent. Vnde apparet quòd ea,quæ per immoderatam improbitatem extorserunt,tenentur restituere. Quod autem fefellit Innocentium,hoc esse videtur; quia illam particulã,per immoderatam improbitatem, putauit copulandam esse cum sequentibus, scilicet, repeti solent:non cum præcedenti, scilicet, extorta ab eis: ita vt fuerit eius sensus, quòd extorta à præfatis minoribus officialibus repeti solent, per immoderatam improbitatem. Nam statim additur in textu, magisque reprehendimus eos, qui talia insitatè repetierunt, quàm qui ea de more sumpserunt. Quòd autem non ea fuerit mens Augustini, cuius est decretum, patet: quia Augustinus non excusat eos, qui

Corollarium. Reiicitur opinio quædam Innocentij.

Explicatur mẽs & sententia D. Augustini in dictis argumentis allegatis.

qui aliquid indebitum extorserunt, sed eos, qui illud de more sumpserunt, vt ipse textus ait: mos autem non corruptelam, seu extorsionem dicit, sed consuetudinem & vsum licitum, vt patet. Adde quòd Augustinus in Epistola ad Macedonium, vnde hic textus sumptus est, postquàm dixit, Extorta repeti solent, addit, data per tolerabilem consuetudinem, non solent. Et deinde subiungitur clausula citata, scilicet, magisque reprehendimus eos, qui talia insitatè repetierunt &c. ac proinde textus ille truncatus est in Gratiano. Quidquid igitur fuerit extortum, siue à maioribus officialibus, siue à minoribus, siue in magna, siue in parua quantitate, restituendum est: quemadmodùm si quis vendit rem vltrà, quàm valet, etiamsi excessus modicus sit, tenetur restituere in foro conscientiæ: quanquam secundùm iura repeti non posit, nisi fuerit vltra dimidium iusti pretij, de quo inferiùs suo loco videbitur. Et per hæc patet ad primum, & secundum. D

Ad III. EODEM modo ad tertium est respondendum, quòd scilicet, qui alienum detinet, siue sit furto sublatum, siue accommodatum, siue depositum, tenetur de necessitate, & gratìs illud restituere, eò quòd huiusmodi restitutio actus iustitiæ est. Sicut & vxor tenetur gratìs suo marito debitum reddere coniugale, quia corpus vxoris sub viri potestate est, sicut & corpus viri sub potestate vxoris: iuxta Paulum 1. ad Corinth. 7. Similiter pro eo, quòd est, non sacrilegium facere, non furari, non occidere &c. nil exigi, aut recipi potest, cùm hæc alioqui debita sint ex præcepto, ad iustitiam pertinente; quod sicut iubet vnicuique, quod suum est, reddere: ita iubet nemini damnum, aut iniuriam inferre. Et E esto illa ad præceptum charitatis fraternæ pertineant; ex quo tamen talia sunt, quæ adimpleri, sine expensis, facilè possunt, ideò gratìs sunt adimplenda.

Ad IIII. AD QVARTVM pari forma dicendum, quòd pro eo, quòd homo obediat superiori nil exigi, aut recipi potest: quia obedientia superioribus specialiter debita est, & ideò ex iustitia est illis gratìs reddenda. Non enim minùs ad iustitiam pertinet, debitam obedientiam reddere, quàm rem alienam suo domino, & corpus marito reddere postulanti. Verùm quamuis operam nostram, & pecuniam indigenti impendere ad obedientiam pertineat: non ideò necesse est id gratìs facere. In illo enim opere duo sunt consideranda: alterum est, Deo id iubenti obedire, quod ad iustitiam pertinet, & ob hanc causam non est licitum aliquid exigere. Alterum est, bona nostra proximo indigenti communicare, & hoc ad charitatem attinet potiùs, quàm ad iustitiam: ideò hoc non tenemur gratìs, & cum damno nostro facere.

PATET ETIAM ad id, quod de voto dicebatur, quia votum adimplere tenetur homo gratìs, cùm id ex præcepto charitatis ad Deum habendæ fiat: quandoquidem Deo promissum est, quod homo vouit: imò etiam videtur ad præceptum iustitiæ pertinere, ex quo ipse vouens se Deo ex voto debitorem fecit, non minùs quàm homo homini se debitorem ex contractu facit. *Obiectio.* Si obiicias, quòd ad talis voti adimpletionem necessaria sit opera & pecunia in vtilitatem pauperum, vel Ecclesiæ expendenda: Vt si vouit quis personaliter per mensem, vel annum, seruire Ecclesiæ alicui, & in fine dare illi decem F aureos. Igitur cùm non teneatur quis alteri beneficium cum iactura aut damno proprio facere, sequitur, quòd poterit pro huiusmodi voti adimpletione aliquid exigere. *Solutio.* Dicendum, consequentiam non valere, ex quo ipse se obligauit sponte ad illud gratìs expendendum; secùs in aliis casibus suprà positis.

CVM ETIAM arguitur de diuite, qui eleemosynã facit existenti in extrema necessitate, qui tamen nil ob id recipere, aut exigere potest, dicendum, quòd licet non posit aliquid vltra id, quod in pauperis vtilitatem expendit, exigere, quia id foret vsura; potest tamen, cùm dat, protestari se repetiturum, quando is, cui subuenit, ad pinguem venerit fortunam: idque tunc maximè, quando id, quod taliter est expensum, est notabilis quantitatis: & tunc poterit, quod dederat, repetere, vt suprà dictum est. Nec tenetur diues semper & cuicunque pauperi donando subuenire, cùm posit eius indigẽtiam mutuando releuare. vt in Codice de eleemosyna disputatum est.

Ad V. AD POSTREMVM, ex dictis solutio patet, quia ad iustitiam pertinet, prælatos beneficia, & dominos publica officia benemeritis distribuere: ideò ob id non possunt aliquid exigere. Sed de hoc posteà & ita patet ad quæstionem.

ESSET TAMEN dubium, esto non posit homo aliquid exigere pro eo, quod alioqui ex officio, aut stipendio, aliáue causa tenetur gratìs agere, an posit alius eidem, ob

A ob eandem causam, aliquid offerre, & ipse oblatum recipere absque debito restituendi. Sed & de hoc infrà, suo loco, latiùs disputabimus.

De rebus ob causam honestam acceptis.

QVÆSTIO XXVII.

Prima quæstio. An pecunia accepta ob causam honestam, causa completa sit restituenda? Sensus quæstionis.

DEINDE VIDEAMVS, an, si cui pecunia data est, vt bonum aliquod honestum agat, qui accepta pecunia opus ipsum, ob quod data est, compleat; an teneatur pecuniam taliter acceptam restituere. Et inprimis obiiceret aliquis titulum quæstionis vanum esse, cùm præsupponat, posse hominem opus honestum, ob pecuniam, facere, cùm videatur eo ipso, quòd opus aliquod propter pecuniam fit, honestatem, quam alioqui haberet, amittat: ideò de hoc inprimis videndum, an opus humanum, propter pecuniam factum, desinat honestum, & bonum esse. Et arguitur quòd non. Primò, quia intentio, quæ de se mala non est, non vitiat opus ex illa intentione factum: sed pecuniam, aut bonum aliud temporale appetere, non est de se illicitum, maximè si moderatè appetatur, cùm huiusmodi bona sint ad vitam necessaria: iuxta illud Salomonis: B Diuitias, & paupertatem ne dederis mihi, sed victui meo tribue necessaria. Igitur opus ex appetitu pecuniæ factum, non ideò honestatem suam amittit.

II. Quæstio. An opus bonum & honestum ob pecuniam factũ vitietur? Argumenta negatiua. I. Prouerb. 30.

SECVNDO, esto præfata intentio immoderata, aut illicita sit, non ideò vitiatur opus ex ea factum, si opus alioqui bonum sit. Quod à simili patet; quia intentio bona non rectificat opus, seu electionem ex ea procedentem, si ipsa electio alioqui esset vitiosa, & mala. Imò nec eius malitiam minuit, alioqui in tantum posset intentio in bonitate crescere, vt totam electionis malitiam excluderet. Pro quo facit Aristoteles dicens, contingere sæpe, intentione existente bona, electionem esse vitiosam. II.

TERTIO, esto mala intentio vitiet opus ex ea factum, non inde fit, opus suam bonitatem amittere, cùm contingat vnum & idem opus simul malum esse, & bonũ. Quod patet, si opus illud ex duabus volitionibus imperetur, quarum altera bona sit, altera verò mala: tale enim est opus imperatum, qualis est actus, à quo imperatur, & fit: iuxta dictum Saluatoris in sententia dicentis, talem esse fructum, qualis est arbor, vnde nascitur. Cùm igitur stet in casu, vnum opus ex duabus radicibus procedere, bona scilicet, & mala, participabit qualitatem vtriusque. III.

QVARTO, si mala intentio ita vitiaret opus, quòd non maneret bonum moraliter, nec meritoriè; sicut illicitum est, tale opus ob illam causam, scilicet, pecuniam, facere: ita illicitum esset, pecuniã dare, vel offerre alicui, vt illud opus faciat, quod alioqui bonum est: quia hoc esset hominem ad peccandum irritare, & illi ad peccatum cooperari. Con- C sequens videtur falsum, quia non est peccatum Deum imitari: legimus autem Deum offerre, & promittere hominibus multa bona, non solùm spiritualia, sed temporalia, vt & ea faciant, quæ facienda sunt, vt patet ex multis scripturæ locis, specialiter ex Deuteron. 28. IIII.

Dubium I. circa I. argumentum. An pecuniã & bona temporalia liceat appetere? Sententia I. negatiua.

IN HIS rationibus diuersæ tanguntur difficultates, quas conuenit absoluere, priusquàm ad id, quod propositum est, respondeamus. In prima, illa dubitatio tangitur, an sit licitum, pecuniam, seu bona temporalia appetere. Et dixerunt nonnulli hæretici, id minimè licitum esse his, qui Christi volunt esse discipuli, iuxta illud Lucæ 14. Nisi quis renuntiauerit omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus. Pro quo etiam facit, quod dicitur Matth. 19. Difficilius est diuitem ingredi regnum cœlorum, quàm camelum per foramen acus transire. Vbi, difficilius, videtur impossibilitatem dicere, sicut *Ratio I.* & impossibile est, camelum per foramen acus transire. Facit ad idem, quia vt legitur II. Matthæi 10. & Marci 6. Christus iniunxit discipulis suis ne possiderent aurum, nec argentum. III. Et iterum Matthæi 6. dixit: Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra. Et infrà: Ne soliciti sitis animæ vestræ, quid manducetis, neque corpori vestro, quid induamini &c. IIII. In quibus & sequentibus videtur Christus præcipere, vt homines omnem affectum, curam, & solicitudinem rerum temporalium deponant, rem hanc totam soli diuinæ prouidentiæ committentes. Facit etiam huc, quod ait Augustinus, super dictum Christi, Matthæi 6. Primò quærite regnum Dei, & hæc omnia adiicientur vobis. vbi

Augustinus ait, bona temporalia non esse quærenda, saltem quæ necessaria non sunt. Cui etiam consonat Paulus 1. ad Timoth. 6. Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus. Ex quibus & aliis huiusmodi hæretici homines condemnant, qui diuitias, seu bona temporalia possident, quærunt, aut appetunt. Et secundùm hos, non dubium eos peccare, qui opera alioqui bona, propter pecuniam faciunt.

Prædicta senten tia erronea est. Resolutio affirmatiua.

Ab horum tamen opinione tanquam erronea, & meritò condemnata, recedendum est; cùm constet, multos viros vitæ sanctitate probatos, & Dei amicos, diuitias possedisse. Vt patet de patriarchis, de iudicibus, de regibus, aliisque multis, ex quibus plures Dei amicos fuisse constat. In pluribus etiam Conciliis id declaratum est, posse scilicet homines non solùm laicos, sed clericos bona temporalia possidere; vt posteà de Ecclesia, & personis Ecclesiasticis latiùs ostendetur. Sicut igitur licitum est bona temporalia possidere; ita licitum est eadem appetere, non solùm quæ ad vitam appetentis necessaria sunt, sed etiam alia naturæ superflua, modò propter ipsamet non appetantur, sed propter alium finem bonum. Quanquam huiusmodi superflua appetere multis periculosum sit: vnde non immeritò Christus diuitias huius seculi spinis comparauit, quippe quæ animam pungunt, & illi sæpe occasio sunt in multa vitia cadendi.

Respondetur ad rationes eiusdē sententiæ.

Ad I. Quae autem pro parte hæreticorum sunt allegata, nil illis suffragantur: quod enim dictum est, nisi quis renuntiauerit &c. procedit non de renuntiatione, quò ad effectum, sed quò ad affectum; qualiter renuntiant hi, qui non adeò bonis temporalibus sunt affecti, quin parati sint quando, & quomodo, & quibus ea oportuerit expendere. Nam Nicodemus, Lazarus, & Ioseph ab Arimathia discipuli fuerunt Christi, & tamen diuitias possederunt. *Ad II.* Quod dicitur, impossibile est diuitem ingredi regnum Dei; de illis est accipiendum, qui non solùm re, sed affectu, & spiritu diuites sunt, qui scilicet ita diuitiis animo adhærent, vt in eisdem glorientur, eisdem fruantur, in eisdemque suam fœlicitatem collocent. *Ad III.* Quòd autem dicitur, Christum discipulis præcepisse, ne aurum, & argentum possiderent, fateor id Apostolis Christum iniunxisse, quando primò eos ad prædicandum per Iudæam, & Galilæam misit: illud tamen præceptum Christus relaxauit, quando secundò eos ad prædicandum gentibus misit, vt ait Chrysostomus, iuxta illud Lucæ 22. Quando misi vos sine sacculo, nunquid aliquid defuit vobis? & subiungit: *Ad IIII.* Nunc qui habet sacculum, tollat, similiter & peram. Quòd rursus dixit Christus: Nolite thesaurizare vobis in terra &c. contra eos procedit, qui non tam æterna, & cœlestia bona, quàm hæc, quæ videmus, temporalia, caduca, atque interitura procurant, ea primò & principaliter quærentes: quos docet Christus, quid primò debeant quærere, dicens: Primò quærite regnum Dei &c. *Ad V.* Quod vltimò ex Paulo allegatum est, cùm ait, Habentes alimenta &c. consilium est, non præceptum. Quæ omnia ex serie ipsius textus Euangelici satis nota esse videntur.

II. Dubium circa II. argumentum supra propositum.

An bona intentio minuat malitiā electionis, quæ alioqui mala esset: & econtrà mala intentio bonitatem electionis.

Sententia I. affirmatiua.

In secundo argumento illud tangitur, an scilicet intentio bona tollat, aut minuat malitiam electionis, quæ scilicet alioqui mala esset, & mala intentio bonitatem similiter electionis minuat. In qua quæstione partem affirmatiuam elegerunt multi, scilicet, quòd licèt bonitas intentionis non omnino tollat malitiam electionis, eam tamen minuit. Pro qua facit quod ait magister in secundo Sententiarum 40. dicēs: Peior, inquit, est, qui concupiscendo, quàm qui miserando furatur. Facit etiam huc illud Augustini, vt habetur 22. quæst. 2. capit. primum. vbi cùm octo ponat genera mendaciorum, ait in sententia, quòd peius est mentiri libidine mentiendi, quàm recreationis causa: & peius recreationis causa, quàm ad saluandum bona temporalia proximi: & adhuc peius ad saluandum bona temporalia, quàm ad saluandum vitam corporalem. Inde apparet, quò melior est intentio, eò magis culpam, seu malitiam electionis minuere: & ita conformiter ad hoc, quò peior est intentio, eò magis electionis bonitatem minuit.

Probatio.

Oppugnatur I.

Contra tamen hanc positionem facit ratio, quia si mala intentio bonitatem electionis minueret, sequeretur, hominem ob venialem culpam præmio aliquo æterno in perpetuum priuari, & per consequens pro solo veniali æternaliter puniri, idq; nō solùm in inferno, sed etiam in cœlo. Et sequela probatur, si homo det eleemosynam propter Deum, simul & propter vanam gloriam venialem. Si hæc intentio, quæ de vana gloria habetur, minueret bonitatem illius operis, aut ex toto eam auferret, sequitur, hominem illum

A illum sic operantem non habiturum tantam gloriam, & gratiam, quantam habiturus esset, si intentionem illam venialem non apposuisset. & ita intentum.

PRAETEREA secundò, si bona intentio malitiam minueret electionis, staret igitur hominem, furando, aut mentiendo scienter, & deliberatè, non peccare. Patet, quia si furetur vt vni pauperi subueniat, aliquis gradus malitiæ tollitur per opinionem: igitur si furetur, vt duobus subueniat, plus de malitia aufertur; & ita cùm malitia furti finita sit, tantum potest bona intentio augeri, vt tota electionis malitia excludatur. Nec valet, quod solent ad id respondere, dicentes malitiam in casu non secundùm æqualitatem, sed secundùm proportionem diminui, vt dicere solent, qui tenent charitatem infusam per peccata venialia remitti: non enim valet, nam pono quòd illæ multę intentiones bonæ, per quarum quamlibet erat malitia electionis diminuenda, simul apponantur, tunc non habet locum, quod de diminutione malitiæ secundùm proportionem dicitur. Nec valet secundò dicere, quòd non est eadem electio, sed diuersa, quando noua, & diuersa intentio apponitur: eò quòd electio habeat pro obiecto non solùm materiam, de qua est, sed finem, ob quem fit. Non, inquam, valet, quia stat electionem diuersam esse ab intentione, & tunc currit ratio facta: quia eadem electione manente, quæ suum proprium habet obiectum, stat diuersas intentiones superuenire. II.

CONFIRMATVR, supposito quòd remissio conatûs conducat ad diminutionem III.
B malitiæ. Sit igitur ita, quòd volitio furandi ex conatu vt duo, sit malitiæ vt duo: & si remitteretur conatus ad vnum, volitio præfata perderet vnum gradum malitiæ, ita vt maneat actus ille malus vt vnum. Ex opinione etiam ponamus, quòd si certa bona intentio apposita fuisset, tolleret ab actu malitiam vt vnum. Iam si simul concurrant præfata bona intentio, & remissio conatus vt vnum, erit ablata malitia tota prædictæ volitionis furandi. & ita intentum.

PRAETEREA tertiò, si bona intentio aliquem gradum malitiæ in electione, quæ mortale peccatum est, tolleret, sequeretur, quòd à fortiori tolleret omnem malitiam electionis, quæ solum esset veniale peccatum; cùm incomparabiliter peior sit grauus quicunque electionis, mortaliter culpabilis, quàm electionis venialis: & ita staret, hominem ex bona intentione mentiri, & tale mendacium omni culpa carere. IIII.

QVICQVID sit de rationibus his, possumus sententiam suprà positam tenere, sed tamen sine ipsius præiudicio, aliter, præmissa de electione mala distinctione, videtur respondendum. Nam si electio mala est ex obiecto, seu per se, eius malitia, quam ex obiecto habet, per bonitatem intentionis nec tollitur, nec minuitur. Si verò electio non ex obiecto, aut per se mala est, sed aliunde, potest omninò eius malitia per bonam intentionem excludi, & multò magis minui. *NOTA. Electionē esse dupliciter esse malam. Resolutio dicti dubij.*

PRIMVM patet, quia si actus de se malus est, & non solùm quia prohibitus malitiam secum habet inuolutam, seu annexam: & quam sic habet, existentibus eisdem cau-
C sis, eam semper habet. Et pro hoc faciunt rationes suprà factæ.

SECVNDVM etiam patet de violatione ieiunij, & sabbati, quæ non, nisi quia prohibita, mala est: potest tamen ex tali intentione, & causa fieri, vt sua denudetur malitia, & bona & laudabilis fiat. Idem patet de communicatione cum excommunicato, quæ si sine bona intentione, & causa fiat, peccatum est; & tamen ex tali intentione, & causa fieri potest, quòd peccatum non sit, sed meritum: & ita de aliis.

QVID TAMEN dicendum ad motiua pro priori sententia allegata? nam Magister, & Augustinus de electione mala ex obiecto loquuntur: quia alter de furto, alter verò de mendacio loquuti sunt, quorum malitiam ob bonam intentionem minorem esse dicunt. Respondeo, quòd dictum Magistri saluatur per hoc, quòd eius, qui concupiscendo furatur, electio mala est simul & intentio; eius autem, qui miserando furatur, sola electio mala est; ideò non mirum, si primus magis quàm secundus peccet. Ad dictum Augustini, quod magis vrget, dicendum, quòd mendacium malitiam, quàm ex obiecto habet, per superuentum bonæ intentionis minimè amittit: si quam tamen malitiam habet ex fine, seu intentione aliqua, illa poterit variari, & minui huiusmodi intentione variata, seu in meliorem commutata. Verùm cùm non sit animus in his nunc insistere, sed ad alia pertinentiora transire, satis sit hæc obiter tetigisse. *Solutio probationis I sententiæ affirmatiuæ.*

IN TERTIO argumento illud quæritur, an stet eundem actum simul bonum, & malum esse. Et dixerunt Lutherani non solùm actum malum, simul & bonum, sed etiam malum, III. *Dubiū circa III argumentū principale.*

An possit idem actus, simul esse bonus & malus. Sententia I. Lutheranorum.

malum, & meritorium esse posse. Cùm enim constet aliqua humana opera Deo grata esse, & ex gratia, & acceptione ipsius Dei meritoria esse, & ex ipsorum Lutheranorum dogmatibus constet, hominem in omni opere suo, quantumuis bono, peccare: sequitur, eundem actum meritorium esse simul & peccatum. Quidquid sit de ipsorum dogmatizantium mente, verba tamen eorum id, quod dictum est, apertè significant. Quòd autem homo in omni opere, quantumuis iusto peccet, probant: quia cùm scriptura dicat, non esse hominem in terra, qui peccator non sit, iuxta illud Ecclesiast. 7. Non est homo iustus in terra, qui non peccet. Et Psal. 142. Non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens. Christus etiam in Euangelio dicat: Luc. 6. Non potest arbor mala (qualis omnis homo est) fructus bonos facere: sequitur nullam esse hominis operationem, quæ mala non sit.

Probant Lutherani hominem in omni opere suo quantumuis bono peccare.

I.

II. Idem probant per illud Genes. 6. Omne desiderium cogitatuum cordis humani, vanum & prauum omni tempore. Et Esai. 9. Omnes hypocritæ sunt, & nequam, & vniuersum os loquutum est stultitiam. Et capit. 41. Ecce omnes vani, & vana opera eorum: ventus, & inania consilia eorum. Et cap. 53. Omnes nos quasi oues errauimus, vnusquisque in viam suam declinauit, & posuit Deus iniquitatem omnium nostrorum. Et cap. 64. Omnes iustitiæ nostræ velut pannus menstruatæ.

III. Et Psalmista: Non est qui faciat bonum, non est vsque ad vnum. Omnes declinauerunt, & inutiles facti sunt. Et iterum: Omnis homo mendax. Hæc & alia scripturæ testimonia solent afferre, quibus dictum Gregorij addunt, qui super Iob cap. 9. ait Sanctus vir omne meritum virtutis nostræ vitium esse conspicit, si ab interno arbitrio districtè iudicetur. Augustinus etiam lib. 9. confessionum ait: Væ hominum vitæ quantumcunque laudabili, si remota misericordia iudicetur. In quibus significant omne opus, quantumuis bonum, in se malum esse, & vitiosum. Ex quibus putant hi dogmatizantes se suum probasse intentum, scilicet, opus hominis simul esse, peccatum, & ex gratia Dei esse vitæ æternæ meritorium.

Dicta Lutheranorum sententia erronea oppugnatur.

I. Attamen nec verum est, sed erroneum, quod isti asserunt: nec testimonia suprà citata illis suffragantur. Primum patet; quia error est, dicere omnem humanum actum esse peccatum. Vt enim Christum, & Virginem gloriosam omittamus, in quibus certum est nullum fuisse peccatum, nec actuale, nec originale; cùm tamen multa opera humana fecerint, de cæteris Sanctis, aut viris iustis patet, eos multa opera fecisse, aut facere, quæ peccata non sunt: vt patet ex Paulo 1. ad Corinth. 3. qui quædam opera humana comparat auro, & argento, & lapidibus pretiosis, eò quòd pura sint, & ab omni sorde peccati aliena, nec habeant aliquid admixtum, quod igne veniat cremandum. Quædam verò sunt combustioni proxima & impura, qualia sunt illa opera, quæ comparat ligno, fœno, & stipulæ, per quæ Augustinus venialia peccata intelligit.

II. Deinde certum est, iustorum opera grata esse Deo, & illi accepta: quæ tamen, si peccata essent, Deo minimè placerent: cùm Psalmista testetur, Deum peccatores odio habere, similiter & peccata omnia.

III. Deinde, si omnia humana opera peccata essent, omnia igitur talia essent contra legem Dei, prout inquit Psalmista: Præuaricantes reputaui omnes peccatores terræ. Et Augustinus: Peccatum est dictum, vel factum, vel concupitum contra legem Dei. Consequens est absurdum, cùm multa opera fiant conformiter ad legem Dei, vt patet de operibus factis ab his, qui timent Deum.

IIII. Deinde sequitur, hominem in lege Dei esse perplexum, ad impossibile obligari. Nam vnusquisque tenetur omne peccatum vitare, & per legem Dei tenetur multa opera facere, quæ omnia si peccata essent, teneretur ea homo facere, & non facere: contra id quod ait Hieronymus de Ecclesiasticis dogmatibus: Anathema, qui dixerit Deum homines ad impossibile obligare.

V. Postremo non est negandum, esse aliqua opera humana rectæ rationi consona, & in nullo ab ea discrepantia: quandoquidem potest voluntas id, & eo modo agere, quod & quo modo per rationem agendum esse cognouerit. Quo in esse posito, ille actus erit bonus, & non malus, cùm humani operis malitia non nisi in difformitate rectæ rationis consistat: quæ omnia cùm de se notissima sint, non est quòd in his ampliùs immorari debeamus.

A QVOD etiam testimonia suprà citata horũ sententiæ minimè faueant, patet. Quod enim ait Ecclesiastes: Non est iustus in terra, qui non peccet: non intelligitur ita, vt semper & in omni opere peccet, vt isti volunt: sed quòd nemo sit, quãtumuis iustus, qui gloriari posit, se nunquam peccasse, aut peccato subiacuisse, etiamsi sit infans vnius diei, vt ait Iob 13. Similiter accipiendum est, quod ex Psal. citatum est: Non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens. Cui cõsonat illud: Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nosmetipsos seducimus: cum hoc tamen stat hominem aliquando bona, & pura opera facere. Quòd etiam ait Christus de arbore mala, quòd non potest fructus bonos facere, hoc non ad personam operantem, sed ad voluntatem operantis est referendum. Stat enim hominem in peccato esse, & aliquando opus bonum, quamuis non meritorium, facere, vt in Codice de satisfactione deduximus: non tamen stat, ex peruersa voluntate bonum opus procedere. nam de hac arbore loquebatur Christus.

Respõdetur ad illorum probationes. *Ad I.* *Ioannis 1. cap 1.*

QVOD ex Genes. citatum est, nil pro illis facit: nam illic loquitur Scriptura de hominibus carnalibus, qui carnis inclinationem sequebantur, ob quorum demerita diluuium inductum est. Vnde ait ibidem: Omnis caro corruperat viam suam. Vbi per carnẽ, homines carnales, seu carnis inclinationi dediti intelliguntur. Vnde Genes. 8. dicitur: Omnis homo ab adolescentia sua in malum pronus est. *Ad II.*

QVOD etiam ex Isaia allegatum est, Omnes hypocritę sunt &c. de Iudæis procedit, B & non de quibuscunque: sed de illis, qui simplices seducebant, fingentes se Prophetas, aut Sanctos esse, cùm nõ essent: qui etiam multa falsa docebant, exhortantes potiùs ad hominũ traditiones, quàm Dei. Sed præter hos erant, aut esse poterant, qui aliqua bona opera & pura facerent. Quod etiam ait: Omnes iustitiæ nostræ quasi pannus menstruatæ, secundùm glossam interlinearem, non de omnibus operibus humanis est accipiendum, sed de operibus legalibus, quę Iudæi faciebant, & faciũt post Christi passionẽ, postquàm legalia opera facta sunt immunda, & mortifera: cùm tamen Iudæi in ipsis vsq; adhuc suam collocent iustificationem. Quod deniq; ait Psalmista: Non est qui faciat bonum &c. de Gentilibus, non Deum, sed idola colẽtibus loquitur ibidem, secundùm Augustinum, & gloss. Itaq; si veram Scripturæ intelligentiam attendamus, facilè cognoscemus, quàm impertinenter præfata testimonia ab his hæreticis allegentur. *Ad III.*

HAC IGITVR assertione dimissa, dixerunt alij Doctores Catholici, posse eundem actum humanum simul esse malum moraliter, & meritorium. Vt si quis eleemosynam vero pauperi debitam, largiatur diuiti, quem inuincibiliter putat pauperẽ esse. Et si quis amore prolis in cultum Dei educandæ, ad non suam accedit, putans inuincibiliter eam suam esse, vt accidit Iacob, quãdo primò ad Liam accesit. Quòd enim tales apud Deum mereãtur, apparet: quia opera à Deo acceptantur ad præmium seu supplicium, secũdum animũ, ex quo fiunt. Cùm ergo in huiusmodi casibus animus operantis sit, Deo obsequi, ac seruire, videtur quòd talis animus, cum opere inde subsequuto, debeat à Deo acceC ptari: nec iustum est, quòd propter cõscientiam inuincibilem, mercedem, quàm alioqui apud Deum homo mereretur, amittat. Quòd verò talis actus sit moraliter malus, inde probant, quia est contra rectam rationem. Nam ex quo est conformis conscientiæ erroneæ, quamuis inuincibili, opùs est, vt sit difformis rectæ & veræ conscientiæ oppositæ: & ita erit actus malus moraliter, etsi non ad pœnam imputetur, cùm per ignorantiam inuincibilem excusetur. Sic videtur Martinus lib. de temperantia sensisse.

Secunda aliorũ sententia, eundẽ scilicet actũ humanum, moraliter esse simul posse malũ & meritoriũ.

SED QVICQVID sit de opere, illo modo propter Deum facto, an sit meritorium, nécne, videtur tamen hanc opinionem esse falsam in eo, quòd ait, actum ex præfata conscientia factum, esse malum moraliter. Vnde contra eam arguitur: sit casus communis, quo quis inuincibiliter putet vxorem, quam de facto tenet suam, legitimam esse, cùm non sit, cui reddat debitum postulãti, si in aliquo casu verificaretur, quod ait opinio, maximè in hoc; sed hoc non, quia illa redditio in casu non est actus malus moraliter, cùm sit actus factus cõformiter ad rectam rationem, qualis est ea, quæ dictat esse illi in casu reddendum debitum, cùm ita sit, vt significat: eò quòd stante præfata conscientia inuincibili, tenetur debitum reddere postulanti.

Oppugnatur hac etiam opinio. *I.*

SI DICAS, imò falsam esse præfatam conscientiã, quia cùm sibi liberum sit eam deponere, si deponat, nõ tenebitur reddere: & ita falsum est simpliciter in casu, quòd tenetur reddere, ex quo potest nõ reddendo peccatum euitare, si conscientiã deponat. Contra hoc: nam pono quòd sit conscientia inuincibilis, quam nõ posit vincere, nec habeat

Obiectio I. *Solutio.*

vllam causam ad eam deponendum, nec sine temeritate eam deponet, tunc excluditur D
solutio data, vt patet intuenti.

Obiectio II. Si rursus dicas, præfatam conscientiam adhuc esse falsam, quia putat per eam se teneri ex lege debitum reddere, cùm non ita sit, sed ex conscientia tantùm. Sed hoc similiter excludi facilè potest, ponēdo, quòd putet inuincibiliter se teneri, nil inter legem, & conscientiam distinguendo, sed indistinctè.

Solutio.

Qvod autem præfata conscientia recta sit, inde apparet: quia sequitur ex veris, in bona consequentia sic arguendo: Ei, quam puto inuincibiliter esse meam, est per me debitum reddendum: hanc puto inuincibiliter esse meam: igitur per me est illi reddēdum. Constat maiorem, & minorem veras esse, similiter & consequentiam bonam: igitur certum est, conclusionem veram esse, quod prætendimus.

Obiectio III. Nec valet dicere esse aliam rationem rectam, cui præfata operatio difformis est, quod sufficit ad malitiam eius moralem: talis est lex Dei, quæ iubet, non debere virum mulieri cōmisceri, extra legem coniugij. Quod enim hoc nō valeat, apparet: tum quia in casu lex diuina nō dictat, nec iubet, non esse debitum reddendum; quia cùm oppositum dictet cōscientia inuincibilis præfata, quam verā esse conclusum est, falsa igitur esset lex illa diuina, quæ oppositū dictaret, quod est absurdum. Tum etiā, quia vel lex diuina vniuersaliter dictat, & iubet, quòd nemo vnquam non suam carnaliter cognoscat, vel dictat & iubet, quòd nemo vnq̃ cognoscat, quam non suam esse cognouerit. Si primum dicāt, E lex illa diuina illo modo generaliter sumpta, falsa esset, nam ex ea cum vna vera, sequitur vna falsa, sic arguendo: Nunquam est aliena cognoscenda, sed hæc (in casu proposito) est aliena, igitur hæc in casu non est à tali cognoscenda. Consequens est falsum, cùm ostensum sit suprà, conclusionem oppositam esse veram. Cùm ergo minor sit vera, vt constat, restat maiorem esse falsam. Si dicant secundum, sequitur, ꝙ in casu præfata debiti redditio non est contra legē Dei rectè intellectā, vt patet intuenti; ac proinde actus ille in casu nulli rectæ rationi contrarius est, & per consequens, nullam habet moralē malitiam.

Solutio.

Oppugnatur secundò eadem opinio. Secvndo, ille homo in casu proposito, qui conscientiam illam inuincibilem deponere simpliciter non potest, vel saltem non sine temeritate, vnum de duobus debet, secundùm rectam rationem, eligere, scilicet, reddere, vel negare. Non secundum, quia tunc peccaret contra conscientiam, igitur primum est illi eligendum, secundùm rectam rationem, & ita intentū. Quod iterum inde patet, quia in tali casu vir prudens hoc ipsum illi consuleret, scilicet, vt si cōscientiam habet inuincibilem, quam deponere, sine temeritate, non potest, se illi conformet, & si ipse prudens sit, hoc ipsum ipsemet ex prudentia eligendū esse cognoscet, & ita redditio debiti in casu prudenter fit, & per consequens nō malè moraliter. Ac proinde non verificant in casu actum eundē meritorium esse, & malum moraliter. Quanquam esset difficultas de actu, contra legem facto, conformiter ad cōscientiam inuincibilem erroneam, quam aliàs probauimus possibilem esse, etsi multi oppositum opinentur. Similiter de actu ex obiecto malo ex ignorantia, seu conscientia F inuincibili facto, quod ex obiecto videtur suam habere malitiam, & ex conformitate ad conscientiam inuincibilem suam bonitatem. Verùm de his alibi latiùs agendum, cùm nostro intento principali sint peregrina.

III. *Sententia.* Alii vero, vt Caietanus in opusculis, dixerunt, non posse eundem actum simul esse meritorium, & malum, possē tamē esse bonum moraliter, & malum venialiter, quod inquit, frequenter accidere, vt quando facimus aliqua opera moraliter bona, ex suo genere cum aliqua circumstantia moraliter mala, vt si mutuatum reddam, nō tamen cum debita hilaritate.

Oppugnatur similiter primo. Contra hanc sentētiam videntur multa militare. Primò moralium Philosophorum doctrina, qui in sententia tradunt, humanum actum bonū moraliter, aut studiosum non esse, quacunq; sit mala circumstantia vestitus. Quod facile est videre in tertio Ethicorum, vbi Aristoteles de fortitudine loquens vera, & similitudinaria, ait, quinque esse modos fortitudinis similitudinariæ. Primus, dum quis subit pericula, propter metum: Secundus, dum propter honorem, vel fugiendam vituperationem. Sed primi, inquit, deteriores sunt, quòd non pudore, sed metu ducti, illud agunt. Nam præfecti recedentes à pugna, verberibus redire compellunt. Tertius, quia peritiis rerum iuuatur fortitudo. Quartus, cùm ira fortitudo dicitur. Videntur enim fortes, qui per iram, ceu feræ bestiæ in percussores feruntur. In quo modo fatetur, quòd concitatio, seu ira fortes adiuuat,

Quinque modi fortitudinis similitudinariæ.
I.
II.
III.
IIII.

A adiuuat, si faciunt propter decus. Non est igitur fortitudo, si dolore, aut ira concitati, in periculum deferuntur, nil præuidentes eorum, quæ incurrunt: nam sic asini quoq; fortes essent, cùm nec verberibus quidem à pabulo remoueri possint. Quintus, neque fiducia: V. nam ebriosi tale aliquid faciunt; fidentes enim fiunt, cùm ebrij sunt; cùm verò non sunt ebrij, pericula fugiunt. Verè autem fortis est, quæ terribilia hominibus videntur, & sunt, ea subire: quia decoris est, ita facere, & turpe, non facere.

SIMILITER in 6. Ethicorum idem in sentẽtia tradit, humanum scilicet actum, virtutis actum non esse, nec moraliter bonum, si ob alium finem quemcunq; fiat, qui decus nõ sit. Idem similiter tradit Seneca ad Lucilium epist. 81. dicens: Omnia agenda sunt, vt quàm gratissimi simus. Nostrum enim hoc bonum est. Quemadmodùm iustitia nõ est, vt vulgò creditur, ad alios pertinens, magna pars eius in se redit. Nemo non, cùm alteri prodest, sibi profuit; non eo nomine dico, quo scilicet adiuuare adiutus, protegere defensus: quod bonum exemplum circuitu ad facientem reuertitur: sicut mala exempla recedunt in authores, nec vlla miseria contingit his, qui patiuntur iniurias, quas posse fieri faciendo docuerũt: sed quod virtutum omnium pretium in ipsis est. Non enim exercentur ad præmium. Rectè facti, fecisse merces est. Gratus sum, non vt alius mihi libentiùs præstet, priori irritatus exemplo: sed vt rem iucundissimam, ac pulcherrimam faciam. Gratus sum, non quia expedit, sed quia iuuat hoc, vt scias ita esse, gratum esse nõ licebit, nisi videat ingratus. Si reddere beneficium non aliter, quàm per seipsum iniuriæ potero, æquo animo ad honestum consilium per mediam infamiam tendam. Nemo enĩ mihi pluris æstimare videtur virtutem, nemo illi magis esse deuotus, quàm qui boni viri perdidit famam, ne conscientiam perderet &c. Itaque quòd hi Philosophi prætendunt, hoc est, nullum humanum opus bonum moraliter dici posse, hoc est, bonum virtutis, quod ob alium finem, quàm decus, sit factum: aut aliter, quàm prudentia, & recta ratio dictauerit. Taliter autem non fiunt opera, quæ sunt mala venialiter ob finem non talem aut cum circumstantia deprauante facta.

II.

III.

B

FACIT ad idem Dionysius in lib. de diuinis nominibus: Bonum est ex integra causa, malum autem vndefariam, seu ex singulis defectibus. Igitur vbi est aliqua macula moralis, & non bonarum circumstantiarum integritas, non potest actus moraliter bonus dici, sed simpliciter malus. Quod etiam Aristot. 2. confirmat, dicens: Bene agere contingit vno modo, malè autem multifariam. IIII.

VIDETVR igitur non stare, eundem actum bonum moraliter esse, de quali bonitate morales Philosophi loquuti sunt, simul & malum venialiter, quanquam non puto Caietanum de integra bonitate morali fuisse loquutum. Multò minùs stat, actum esse meritorium apud Deum, simul & malum venialiter: nam vltrà quòd id Parisiis damnatum est, facit authoritas Euangelij Matth. 6. Attendite, ne iustitiam vestrã faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis, alioqui mercedem non habebitis. Vnde patet, quòd apponere circumstantiam vanæ gloriæ, vitiat actum, & excludit mercedem, & ita impedit, ne sit meritorius. Et iterum ibidem: Nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua. Vbi secundùm Doctores per sinistram appetitio laudis, per dexteram autem voluntas mandata seruandi significatur. Et illic docemur actus nostros debere mundos esse ac puros, absque vllius maculæ mixtione, si velimus eos nobis ad vitam prodesse. Sicut alicubi significatum est: Si rectè offers, rectè autem non diuidis, peccasti, quiesce. Quod Augustinus extendit ad omnem hominem iusta, & recta operantem; non tamen omnes, quas debet, circumstantias apponentem. Esset tamen difficultas de actu imperato, ex duobus actibus elicitis procedente, quorum alter bonus, alter malus sit, an erit simul bonus, & malus; cùm actus imperatus talis sit, qualis est imperans. Sed de his alibi.

Resolutio dicti dubij negatiua.

Probatur I.

C

II.

III.

IIII. *Dubium circa quartum argumẽtũ principale suprà propositum.*

IN QVARTO argumẽto illud tangebatur, an scilicet sit licitum pecuniam alteri dare, vel offerre, vt aliquod opus alioqui honestum faciat, etiamsi factum, ob illam causam, vitietur. Et habet locum hæc quæstio non solùm de oblatione pecuniẽ, vt opus honestum voluntarium fiat, sed etiã, vt quod alioqui necessarium est, seu de præcepto fiat, ad quod scilicet, homo erat aliàs obligatus. Et pro parte negatiua est ratio dubitãdi. Primò, quia, vt ibidem arguebatur, offerre pecuniã alteri, vt opus peccaminosum, aut vitiosum faciat, est, eum ad peccandum inducere, & eidem offendiculum ponere, & peccato eius consentire: cùm tamen Paulus ad Rom. 1. damnet non solùm eos, qui mala faciunt, sed qui facientibus consentiunt.

An nihilominus liceat alicui dare pecuniam ad exercendũ aliquod opus honestum.

Argumenta pro parte negatiua. I.

SECVN-

II. SECVNDO, si pecuniam ob illam causam recipere, peccatum est, ergo & pecuniam ob eandem causam offerre peccatum erit, per locum à correlatiuis, quem inter alios tradit philosophus 2. Rhetori. Nam si vni iustè ac bene agere interest, & alteri pati intererit: quemadmodùm Nicomedon publicanorum princeps arguebat dicens: Si vobis locare turpe non est, nec nobis conducere. D

III. TERTIO idem apparet ex capit. quàm pio. 1. q. secunda. vbi cōcluditur, quòd omne datū optimum, & omne donum perfectum à Patre luminum est descendens. Restat ergo, qui pro Ecclesiæ susceptione munus acceperit, donum Dei, quod à Patre luminum descendere debuit, vendat; munus autem largiendo emat. Vnde videtur, non solùm damnari eos, qui munus recipiunt, sed etiam qui offerunt ob hanc causam, scilicet, vt Ecclesiam aliquam habeant.

Sententia quorūdam Iuristarum. NONNVLLI Iuristæ super capit. dilectus. de simonia. ad id respondent, dicentes, posse pecuniam alicui offerri, vt ea agat, quæ suæ saluti necessaria sunt; non tamen vt ea agat, quæ supererogationis sunt: quale est, religionem ingredi. Nec aliud, vt videtur, pro discrimine assignant, quàm quòd illa sunt ad salutem hominis necessaria: hęc autem nō, quasi hoc sufficeret, vt in illis simonia non committatur, in his autem sic; cùm necessitas operis eius spiritualitatem non tollat.

Resolutio. Duobus modis posse dari pecuniam alteri vt aliquid operetur. I. Conclusio I. Hoc primo modo licitum est. Probatur I. IDEO præfatis non obstantibus, videtur aliter sub distinctione respōdendum: quia duobus modis potest aliquis alteri pecuniam, aut munus aliquod offerre, vt aliquid operetur. E Vno modo per viam dispositionis, intendens, scilicet, alterum disponere & inclinare, vt opus, quod ab offerente prætenditur, agat; qualiter homines alioqui duri mollescere, & per preces, aut obsequium aliquod illis gratum, aut etiam per oblata munera flecti solent: & hoc modo licitum est aliquid offerre, promittere, & dare in casu. Sic enim Deus per promissiones non solùm rerum æternarum, sed etiam temporalium solet homines allicere & inuitare, vt ea, quæ debent, agant, & operentur: quod genus alliciendi maximè valet, vt homines ad bonum excitentur, sicut experientia docet. Nam homines cùm in re aliqua, quam summè optant, aliquid prosperè sibi succedere vident, feruentiùs ad Deum recurrunt, & eidem feruentiori conatu seruire proponunt. Sic matres excusantur, quæ datis, vel promissis muneribus liberos, seu filias inducunt, vt vel religionem ingrediantur, vel maritis suis, vti debent, obsequantur, vel vt Sacramenta frequenter accipiant. Sic etiam sæpe legata fiunt, vt legatarij aliqua agant, quæ vel necessaria eis sunt, vel valde salutaria: qualia sunt opera supererogationis; & taliter data, donari dicuntur donatione simplici, quando nec pro opere agendo tanquam pretium ipsius operis datur, nec onus seu obligatio illud agendi ipsi accipienti imponitur.

II. SECVNDO modo potest aliquid tale offerri, per viam causæ finalis, vt scilicet homo pro munere consequendo, tanquam pro causa finali seu principali, ad opus illud faciendum inducatur: vt si sic oblatio fiat, Accipe hoc, vt facias illud, quod datur per viam contractus innominati; & tunc est distinguendum de opere, ad quod inductio fit. Quia F sunt aliqua opera, quæ gratis agenda sunt. Vt mutuare, spiritualia dare, aut recipere, iustitiam facere, veritatem deponere, neminem lædere.

Hic modus distinguendus est.

Conclusio II. Limitatio. ET PRO his & similibus aliquid per viam causæ finalis ad sensum dictum offerre, vtplurimum peccatum est; sicut & pro eisdem mercedem recipere, illicitum est. Dico, vtplurimum; quia propter salutem ipsius inducti, aut aliorum; imò ad releuandum corporalem alicuius indigentiam, licitum est munus alicui offerre, vt tale quid faciat, siue sit de necessariis ad salutem, siue non. Nec hoc est directè, & per se hominem ad peccandum inducere, sed per accidens: quia aliud est dicere, dabo tibi aliquid, vt Baptismum suscipias: aliud verò, vt Baptismum pro munere suscipias. Primum in casu est licitum, secundùm nunquam.

Conclusio III. Reiicitur sententia Iuristarum suprà posita. ALIA VERO sunt opera, quæ non tenetur homo gratìs agere, & ad illa non solùm potest homo per munera inuitari, per viam donationis, sed pro munere, & mercede induci, & per viam causæ finalis & contractus: qualia sunt ædificare, nūtium deferre, & alia huiusmodi. Vnde fit, non esse distinguendum inter opera, quæ ad salutem necessaria sunt, & inter opera supererogationis, quantum ad hoc, quod est aliquem, mediante munere, ad bona opera inducere. Nam, vt dictum est, per viam dispositionis vtrunque, per viam autem causæ finalis, neutrum videtur esse licitum. Quòd autem licitum sit homines ad ea, quæ illis ad salutem necessaria sunt, pro munere inuitare, patet ex Augu-

stino

A stino ad Macedonium. Et habetur 23. q.4. cap. penultimo: vbi ait, Debet homo diligere proximum suum, sicut seipsum, vt quem potuerit hominem beneficentia, consolatione, vel informatione doctrinæ, vel displicinæ coërctione adducat ad colēdum Deum. Idem, contra Petilianum scribens, significat, dicens: Quòd autem nobis obiiciunt, quòd res eorum concupiscamus, & auferamus, non rectè obiiciunt; sed vtinam Catholici fiant, & non solùm quæ dicunt sua, sed etiam nostra in pace, & charitate possideant. Inde fit, vt possimus aliquā in vxorem ducere, si Christiana fiat 28.q.1. caue. Inde damnatis ad mortem licitum est vitam donare, vt Sacramentum fidei suscipiant. Idem legitur Syluestrum Papam fecisse, qui omnibus, qui illo tempore volebant ad fidem conuerti, pecunias & munera offerebat. Nec videtur minùs licitum, homines ad fidem oblato munere inuitare, quàm minis, & terroribus, & oneribus iniunctis eos ad eandem trahere: hoc autem licitum esse Gregorius docet 23.q.6.cap. iam verò. In quo differunt ea, quæ necessitatis sunt, ab his, quæ sunt voluntatis: quia ad prima potest aliquando homo non solùm muneribus inuitari, sed minis & terroribus attrahi: ad ea verò, quæ voluntatis & supererogationis sunt, quenquam per minas & terrores attrahere, non ita licet, sicut precibus & muneribus licitum est, eos ad huiusmodi inuitare. *Non minùs est licitū homines ad fidem &c. oblato munere allicere quàm minis & terroribus.*

Nec obstant, quæ ante oppositū sunt obiecta. Ad primum enim dicendū, quòd non est illicitum, hominem ad aliquod opus, quod in se bonum est, inuitare: esto quòd B accidat, ipsum malè fieri ob prauam intentionem, aut circumstantiam, per operantē appositam; maximè si ex huiusmodi inuitatione aliqua notabilis vtilitas spiritualis, aut corporalis speretur. Quemadmodùm licitum est, delinquentem corripere, etiamsi sciatur inde ira, aut indignatione ipsum, qui corripitur, commouendum; quando tamen eius emenda speratur, vt tradunt Doctores communiter. Nec hoc est peccato ipsius inducti consentire, sed potiùs ipsius, vel aliorum vtilitati prospicere. *Respōdetur ad argumenta pro parte negatiua adducta. Ad I.*

Ad secvndvm dicendum, quòd locus ille à correlatiuis in multis deficiat: nam qui vsurā iurauerit soluere, & posteà eam soluit, licitè agit, iuxta cap. debitores. de iureiu. & tamen vsurarius illicitè recipit. Similiter si maritus, contra votum de continentia per eum emissum, debitum ab vxore exigat, peccat exigendo, & tamen vxor non peccat reddendo. Eodem modo de aliis posset exemplificari. *Ad II.*

Ad tertivm ex capit. quàm pio. pro nunc dicendum, illud procedere de munere dato, per viam causæ finalis, non per viam dispositionis, seu inuitationis, vt dictum est, vt etiam ibidem glossa ait, in verbo, interuentu, vbi ait: non illic prohiberi nisi pactionem: nam & dando, honorando, & loquendo possumus hominibus blandiri, vt ibidem dicitur. Hæc obiter dixisse sufficiat, ad difficultates in rationibus quæstionis suprà positis tactas. *Ad III.*

Nvnc breuiter ad propositam quæstionē, in qua quærebatur, an opus alioqui bonum deprauetur per hoc, quòd fiat ob pecuniam, seu ob aliud temporale munus; dicen-C dum. Si opus tale sit, quod debet gratis fieri, nō dubium quin deprauetur, si propter pecuniam fiat, modò affectus operantis in ipsa pecunia sistat, & nō in alium bonum finem appetitus operantis tendat. Si autem opus tale sit, quod homo non teneatur gratis facere, tunc, si propter pecuniam fiat, non erit illicitum, nisi pecuniæ appetitus sit immoderatus: quia tunc, ob deprauatam intentionem, deprauabitur opus ex ea factum. Solutio autem rationum, quæ illic factæ sunt, sufficienter patet ex dictis. *Resolutio secūda q̄stionis suprà initio proposita: quaten⁹ deprauetur op⁹ bonum pecunia oblata & accepta.* I. II.

Corollarie sequitur, non parum referre, qualiter homo opus alioqui bonum facturus, oblatum munus accipiat: nam refert qualiter illi datum, vel oblatū sit. Si enim per viam dispositionis tantùm illi donatum est, non video, quare nō possit donationem acceptare, & donatum accipere eo modo, quo à donante datur: non quidem in pretium seu mercedem operis, quod facit, aut facturus est; sed quia alter illi spontè & liberaliter donauerat, etiamsi cum intentione mouendi hominem ad bene agēdum: quo accepto, liberum erit ei operari, & ab operatione abstinere. Si autem per viam causæ finalis pecunia offeratur seu detur, tunc ob illam causam, sicut dari nō potest pro opere alioqui gratis agendo, nisi vt suprà: ita nec pro cuiusmodi opere potest sic datum seu oblatum recipi. Secùs, si detur pro opere, quod quis non tenetur gratis operari. *Corollarium.*

Hinc patet responsio ad principale quæsitum, an scilicet sit de necessitate restituē-dum, quod ob causam, seu opus honestum, & non necessarium, receptum est. Si enī liberè & spontè donatum est, per viam tantùm dispositionis, sicut ex illa via recipi potuit: ita ex eadem *Resolutio prima quæstionis initio proposita, de necessitate restituendi.*

ex eâdem poterit retineri, nec necessariò est restituendum. Si autem per viam causæ finalis datum est ad sensum dictum, tunc, sicut recipi non potest, ita nec retineri, quando opus est alioqui gratis agendum. Secùs aliâs. D

Corollarium I. HINC PATET quid dicendum, si aliquis oblatam pecuniam accipiat, vt vxorem ducat, vt continenter viuat, vt religionem ingrediatur, vt clericus fiat: an sic acceptum teneatur restituere: similiter si quis, vt suscipiat onus iustitiam ministrandi, aliquid accipiat vt sententiam iustam pronuntiat, vt in testem productus verum deponat, & ita de aliis: quod Doctores solent communiter damnare, & ad muneris accepti restitutionem obligare, cùm tamen, distinguendum sit, vt suprà ostensum est.

II. Corollariũ. COROLLARIE sequitur, non esse simoniam, quoties in beneficij, aut ordinis collatione pecunia interuenit. Patet, si quis per viam dispositionis spontè, & liberaliter pecuniam prælato donat, hac scilicet intentione, vt moueatur ad conferendum, dignis & idoneis beneficia & ordines, modò ipse prælatus, pecuniam spontè oblatam, non accipiat tanquam causam principalem, pro qua collationes faciat, sed tanquam spontè donatam. Nam licitum est, spontè dare, & recipere aliquid, etiam notabilis valoris, hac intentione, vt spiritualia ministrentur, modò non inde velut ex causa animus ministrantis moueatur: vt colligitur ex cap. etsi quæstiones. de simonia.

III. Corollariũ. COROLLARIE sequitur, per interuentum pecuniæ aliquem fieri religiosum, sine simonia, & sine debito restituendi, vbi pecunia sit causa sine qua non, modò data sit per viam dispositionis, qua prælatus monasterij, aut animus ingressuri disponatur, dum tamen absit pactum. Est tamen dubium, an interueniente pacto, talis ingressus sit semper simoniacus. Vt si sit casus, quòd Petrus, qui religionem ingredi appetit, est debitis grauatus, & ideò nolunt, nisi solutis priùs debitis, eum ad monasterium recipere: an sit licitum, sic cum illo pacisci, Ego soluam tua debita, ne hoc sit tibi impedimentum, adiecto pacto de repetendo, si posteà religionem non ingrediatur. E

Dubium. An ingressus religionis pacto aliquo interueniente, sit illicitus & simoniacus. Explicatur sensus dubij.

AVT SI religionem ingressurus videt se indoctum, & cupit literis priùs incumbere ad tempus, qui tamen sumptus ad id necessarios non habet; ego autem videns eius salutarem intentionem, do illi sumptus necessarios ad incumbendum literis, adiecto pacto de repetendo, si posteà non ingrediatur religionem; an id fieri licitè posſit. Et videtur quòd non; quia vel datur per viam dispositonis, & hoc non: quia ipse Petrus sufficienter dispositus est ad religionis ingressum, ex parte sua, cùm id appetat. Aut datur ob causam tollendi impedimentum, ratione cuius Petrus voluntatem suam adimplere nō poterat: & si ob hanc causam pecunia daretur, licita esset datio, si liberum maneret Petro ingredi religionem, & non ingredi: quæ libertas illi per pactum interpositum auferri videtur: ideò in casu videtur pecunia illo modo data, dari ob ingressum religionis, & hoc videtur illicitum, tam ex parte dantis, quàm ex parte beneficium recipientis, vt apparet

Resolutio.

I. ex cap. quam pio, suprà citato. Ac proinde dare aliquid Petro religionem ingressuro, per viam dispositionis licitum est, & habet locum, quando Petrus alioqui indispositus F

II. est ad religionem, aliis rebus & finibus intendens. Dare etiam ad remouendum impedimentum, similiter licitum est, si pactum de intrando non apponatur. Et remoto tali impedimento, tenebit datio, etiamsi Petrus posteà animum ingrediendi religionem mu-

III. tauerit. Dare autem ei aliquid ad remouendum impedimentum, vt eo remoto religionem ingrediatur, tali lege, vt si non ingrediatur, datum repetatur, non est licitum: & taliter acceptum est restituendum, nō danti, qui simoniacè dedit, sed religioni, quam erat

Limitatio. ex pacto ingressurus. Secùs, si ob inopiam monasterij, ego dem aliquid monasterio, ob causam tradendi Petro religionem ingressuro, quæ illi fuerint in monasterio necessaria: nam licitè poterit pactum de repetendo apponi, si Petrus religionem non fuerit ingressus, eò quòd tunc cessat causa, ob quam erat data pecunia, scilicet, alere Petrum in monasterio, &c.

Aliud dubium. An licitè fiant legata cum pacto, vt legatarius fiat clericus, vel religiosus &c.

QVID tamen, quòd sæpe legata fiunt cum pacto, si legatarius continenter viuat, si religionem ingrediatur, si clericus fiat, & tenent legata; & taliter accepta, adimpleta conditione, nec repetuntur, nec restitui debent: quæ quidem legata sæpisſimè fiunt nō solùm per viam dispositionis, sed per viam causæ finalis; & tamen secundùm cap. quàm pio, suprà citatum, hæc omnia viderentur condemnanda, & taliter accepta restituenda: cùm hæc omnia, scilicet, continenter viuere, religionem ingredi, & clericum fieri, inter Dei dona connumerentur, ad quæ non est licitum homines per pecuniam prouocare,

A care, vt textus innuit: Dicendum, talia excusari, quia vtplurimum legantur, vt legatarius in illo statu decentiùs viuat: & ideò, modo, vel conditione non impleta, repetuntur, quia deficit finalis causa, quam legans prætendebat, scilicet, decentiùs legatarium in tali statu sustentari. Secundò possunt excusari propter necessitatem, aut notabilem vtilitatem spiritualem ipsius legatarij, de quo verisimiliùs & certiùs est, quòd in cultu Dei atq; operibus bonis exercebitur in tali positus statu, quàm aliàs.

Solutio.

HAS ET ALIAS plures difficultates nobis ingerit illud. cap. quàm pio 1.q.2. ratione cuius communiter Doctores damnant non solùm eos, qui emunt, & vendunt spiritualia, sed etiam eos, qui ea non gratis accipiunt: sed pecunia oblata ad ea accipiendum inducuntur: cùm tamen hi non videantur spirituale aliquid vendere, aut emere. Qui eñ accepta pecunia religionem ingreditur, non aliàs ingressurus, non dicitur propriè vendere religionem, nec religionis ingressum. Sicut nec is, qui pecuniam illi offert, vt religiosus fiat, non propriè dicitur emere religionem. Nam de ratione venditionis est, vendentem id, quod vendit, alteri, scilicet emptori, velle tradere. Qui autem pecuniam obtulit Petro, vt religiosus fiat, nullam religionem à Petro accipit; nullam etiam Petrus pro pecunia eidem oblata dedit, sed gratiam à prælato illi factam accepit. Si enim prælatus acciperet pecuniam, vt Petrum ad monasterium admittat, esset illic rei spiritualis emptio, & venditio. Si tamen pecunia detur Petro, non vt aliquid spirituale gratis det, sed
B vt illud recipiat, non ita propriè est illic emptio, & venditio: sed nec Christus dixit, gratis accipite, & gratis date, sed, gratis accepistis, gratis date: vbi prohibuit aliquid pro datione rei spiritualis dare, nõ prohibuit aliquid pro receptione rei spiritualis accipere. Si obiicias, quòd tunc non peccaret, qui pecuniam prælato offert, vt ab eo promoueatur, sed solùm peccabit promouens: Consequentia non valet, quia scriptura non minùs emptores, quàm venditores condemnat, quales sunt in casu promotus, & promouens. In casu autem, is qui ordinem, pecunia per eum accepta, accipit, nec ordinem emit, nec vendit; quia ordinem non dat, sed accipit, pecuniam etiam non dat, sed accipit.

An etiã illi, qui pecunia oblata spiritualia quadam, vt accipiant, inducũtur, emant ea spiritualia.
Solutio negatiua.
Matth. 10.
Obiectio.
Solutio.

PRAETEREA si in casu Petrus, ob pecuniam per eum acceptam promotus, dicitur venditor, similiter qui pecuniam eidem ob illam causam obtulit, diceretur emptor, & cùm scriptura pariter emptores, & venditores rerum spiritualium condemnet, sequitur, quòd sicut semper est illicitum vendere, ita semper esset illicitũ emere. Consequens apparet falsum ex dictis: nam licitum est non modò pecunias offerre, etiã cum tali lege aut conditione, vt alter Baptismum recipiat; sed etiam vt vitam consequatur, vt patet de Iudæis ad mortem condemnatis, quibus Ecclesia consueuit offerre vitam, si tamen baptizari velint, vt suprà tactum est. Quod argumentũ est, eum, qui pecunias ob illam causam offert, non esse emptorem rei spiritualis, quem scriptura condemnat: & per consequens nec eum esse venditorem per scripturam cõdemnatum, qui pro pecunia sibi oblata spiritualia ab alio eidem collata recipit. Sed quoniam hæc alterius negotij sunt, & ad Codi-
C cem de simonia pertinentia, pro nunc cum his, quæ cõmuniter dicuntur, transeamus.

De rebus ob causam turpem datis, seu promissis.

QVÆSTIO XXVIII.

RESTAT INQVIRENDVM de rebus ob causam turpem datis, seu promissis, atq; acceptis; an scilicet huiusmodi datio aut promissio ob illã causam vitietur, & an, quæ ob eandem causam accepta fuerint, sint obnoxia restitutioni. Et quod ad dationem attinet, facilè potest ex dictis cognosci, quando scilicet sit huiusmodi datio vitiosa, & quando non. Est enim de causa turpi, ob quam aliquid datur, distinguendum: quia aut est in se turpis, scilicet, ratione obiecti, seu ex prohibitione, quia scilicet, in se prohibita est; aut est turpis solùm ex circumstantia aliqua ipsum opus deprauante, quæ tamen ab ipso opere separabilis est. Si primum, tunc non dubitatur, quin datio deprauetur, si fiat ob causam turpem illo modo: tum, quia dare aliquid alteri, vt opus in se turpe committat, est hominem directè ad peccandum inducere, quod apertum est, esse contra charitatem ad Deum, & ad proximum habendam. Tum, quia dare aliquid ob illam causam, est remunerare aliquid, quod nulla remuneratione, nullo pretio, nulla mer-

An datiò pecuniarum vel alterius rei, ob turpem causam sit vitiosa.
Solutio trimẽbris.
I.

cede dignum est, sed vituperio, atq; supplicio. Tum etiam, quia huiusmodi datio in casu D videtur ex deprauata voluntate procedere, quia, scilicet, ex affectu seu appetitu talis causæ, pro qua mercedem vult dare. Et tenet verum conclusio, siue datio huiusmodi fiat ob causam turpem committendam, siue iam commissam. Si autem opus turpe, ob quod aliquid datur, sit turpe secũdo modo, iterum distinguatur; quia vel id, quod sic datur, datur ob opus ipsum in se, aut ob qualitatem operis. Si primum, licita est datio, dummodò opus illud non sit ex his, quæ gratìs agenda sunt. Si secundum, scilicet, si quis alteri aliquid det, vt opus illud taliter faciat, qualiter scilicet fieri nisi malè non potest, tunc perinde est, ac si datio fieret ob causam per se turpem: quæ omnia cùm clara sint nil opùs est per exempla ampliùs ea explicare. Est tamen dubium de promissione modali, & de conditionali, quando causa, seu conditio, sub qua promissio de aliquo alioqui honesto fit, an sit licita, & in conscientia adimplenda, posita, vel adimpleta conditione. De quibus videndum est, & primò de modali.

II. (margin) III. (margin)

An promissio ob turpem causam facta, sit licita. Solutio.

De promissione igitur ob causam turpem facta, an licita sit, videtur similiter dicendum, quòd non est licitum promittere aliquid ob causam per se, seu in se turpem; nec ob causam cum circumstantia deprauante factam, si fiat promissio propter operis qualitatem; vt de datione fuit exemplificatum. Potest tamen fieri promissio ob causam in se honestam, etiamsi per accidens ex circumstantia eam deprauari cõtingat. Et in hoc parua est difficultas. Maior autem est de vi talis promissionis, an scilicet obligatoria sit. E

An promissio eiusmodi obliget in consciẽtia, turpi causa subsecuta.

Sit igitur casus, quo quis alteri promittit certam pecuniæ quãtitatem, ob causam per se turpem, puta, vt hominem occidat, vt sacrilegium faciat, aut aliud committat flagitium. Esset quæstio, an talis promissio sit in cõscientia obligatoria, post causam adimpletam seu subsequutam. Nam in foro iudiciali certum est, ex stipulatione turpi nullam oriri obligationem. Et dixerunt aliqui quòd sic, & iudicio meo, probabiliter; quia omnis promissio, maximè si iuramento sit firmata, quæ potest sine detrimento salutis adimpleri, est in conscientia adimplenda, modò non sit maioris boni impeditiua; talis est promissio, de qua in casu. Hæc minor apparet, quia id, quod in casu promissum est, est, assignatam pecuniam dare, quod in se licitum est, & non contra salutem dantis, nec recipientis, vt constat. Nam si opus turpe commissum non sit, nec committendum, & illa pecunia detur, licita est talis datio. Quòd autem subsequatur operis turpis commissionem, non ideò efficitur vitiosa: opus enim iam commissum, & præteritum non tollit bonitatem, seu licentiam operis subsequentis.

Sententia prima affirmatiua. Probatur I.

II. Secundo idem apparet, quia secundùm iura, conditio turpis habetur pro non adiecta, vt habetur de conditionibus appositis, cap. finali; cùm etiam turpis conditio sit de iure impossibilis: conditio autem impossibilis etiam à contractu reiicitur, secundùm iura, vt habetur in cap. vltimo, de pactis. Igitur tenebit in casu promissio, ac si sine illa cõditione turpi facta fuisset: sed si sine conditione, aut causa turpi facta fuisset, esset in conscientia obligatiua. igitur. F

Eiusdem cõfirmatio.

Et cõfirmatur, quia ille, qui dotauit Ecclesiam, & fecit eam consecrari, apposita cõditione, quòd res talis Ecclesię nõ essent sub ordinatione Episcopi, tenetur reddere promissum, non obstante turpitudine conditionis, quæ, quia mala est, & iniusta, reiicitur.

III. Tertio idem apparet exemplo Iudæ, qui promisit Thamar ob causam turpem, scilicet, vt consentiret se ab eo carnaliter cognosci, vnum hœdum, quem postmodùm, vt promissum compleret, eidem misisse legitur. Genes. 38. In quo de fidelitate commendatur.

Probabilis est prædicta sententia.

Quicquid sit de harum rationum efficacia, quæ suas habent difficultates, dico, sententiam hanc probabilem esse, distinguendo, quemadmodùm posteà distinguetur. Itaque stando in hac opinione, quando promissio completur, non debet compleri ob causam turpem commissam, sed ob fidelitatem ad proximum seruandam: & hoc modo adimpletio promissionis licita est; esto quòd promissio facta fuerit turpis, eò quòd proximum ad peccandum inducebat.

Obiectio I.

Et si primò arguas; turpis promissio non est adimplenda, dicente Isidoro, & habetur 22. q. 4. In malè promissis rescinde fidem: in turpi voto muta decretum: Dicendum,

Solutio.

id procedere de promissione turpi, ex obiecto seu re promissa, qualis non est promissio præsentis casus; quia licèt sit turpitudo in causa, non tamen in eo, quod agendum promittitur, post causam subsequutam.

Etsi

A Et si secundò arguas, quòd in casu non potest is, qui promisit, promissionem complere, nisi ex causa, & motiuo turpi: nam si promissum complet ex vi promissionis, & ipse non nisi ob illam causam turpem promisit se rem illam daturum, igitur non potest promissum complere, nisi ob causam illam turpem, & ita sine peccato non potest promissum complere, & per consequens, promissio non est obligatoria. Hoc argumento putat Durandus in suo 3. præfatam sententiam de falsitate conuincere, sed fallitur, vt puto. Vnde dici posset cōsequenter loquendo, quòd quamuis in casu, causam illam turpem esse completam, sit causa sine qua non, adimplendi promissum; non tamen est causa finalis, sed impulsiua solùm. Nam causa finalis non est, nec esse debet, nisi fidelitatem seruare, quam minimè seruaret, nisi promissum compleret ad exemplum Iudæ, qui similiter, ne de mēdacio aut perfidia argueretur, misit, quod ob turpem causam se missurum promiserat. Stat enim, causam illam turpem, fuisse causam finalē promissionis, & quòd sit solùm impulsiua causa ipsius adimpletionis. *Obiectio II.* *Solutio.*

Si tertio arguas, si licita est promissionis adimpletio, licita igitur fuit facta promissio, & econtrà: nam licentia promissionis videtur ex licentia ipsius adimpletionis pendêre: Dicendum, verum id esse, si cætera essent paria, hoc est, quòd causa turpis sit causa finalis dationis rei promissæ, sicut causa finalis ipsius promissionis. Quod tamen in præsenti non oportet; quia quando ille in casu se daturum promittit, ideò finaliter, & principaliter promittit, vt opus illud turpe ab altero fiat. Quando autem post causam subsequutam dat quod promisit, ideò dat, vt fidelis sit in promissis; ideò stat quòd promissio fuerit turpis & adimpletio licita & debita: si tamen promisisset, se illud daturum ob causam illam turpem, ita vt hoc, quod dico, ob causam illam turpem, sit determinatio dationis, & simul cum datione sub obiecto cadat promissionis, tunc promissio est turpis, non solùm ex causis dictis, sed ex obiecto: quia fit de datione ob turpem causam, & tunc non est adimplenda, sed peccatum est eam adimplere. Secus si, ob causam illam, sit determinatio promissionis, & nō donationis promissæ, & tunc currit quod dictum est. *Obiectio III.* *Solutio.*

B

De promissione autem conditionali, qua aliquid alioqui bonum, & honestum promittitur, sub conditione inhonesta, an sit vniuersaliter huiusmodi promissio damnāda, sicut damnatur promissio modalis, & an sit obligatoria, adimpleta conditione: quamuis videatur eadem quæstio cum præcedenti, & quòd eodem modo sit respondendum; non tamen omnino ita est. Vnde dicendum breuiter, quòd talis promissio conditionalis potest dupliciter fieri, scilicet, in odium turpitudinis, quæ sub conditione ponitur, aut ex affectu, vel appetitu ipsius conditionis appositæ. Exemplum primum, vt si quis sentiens se fragilem, & ad vitia carnis procliuem, odio habeat eadem vitia, & promittat, quòd si in vitium illud ceciderit, faciet certam peregrinationem, aut certā eleemosynam erogabit: tunc promissio est licita, & de necessitate in conscientia adimplenda. Exemplum secundi, vt si quis cupiens cum quadam virgine rem habere, promittit se peregrinaturum, vel certam eleemosynam daturum, si res ad vota succedat; tūc promissio est turpis, ex prauo appetitu procedens, & adimpletio similiter erit turpis, si ex simili prauo affectu fiat; erit tamen licita adimpletio & debita, si ex fidelitate seruāda, sicut fieri debet, fiat. Excepto, si conditio apponatur tanquam causa finalis adimpletionis, & se teneat ex parte obiecti ipsius promissionis. Vt si taliter promittat, scilicet, si hæc res pro voto succedat, promitto me ob eandē causam aliquid daturum, vel facturum: nam tunc nec ꝓmissio potest licitè fieri, nec licitè adimpleri. Et in hoc idem iudiciū est de promissione modali, ob causam turpē facta, & de conditionali sub conditione inhonesta facta. *An promissio cōditionalis non honesti, sub conditione inhonesta, obliget, impleta conditione.* *Responsio.*

C

Si obiicias, quòd tunc sequeretur quòd votum peregrinationis sub conditione inhonesta, & ex eius appetitu facta, esset obligatoria, adimpleta cōditione, saltem quando ipsa inhonesta conditio non informet promissam peregrinationem: Consequens videtur falsum, quia votum tale est turpe, igitur non est à Deo acceptatum; & per consequens nec obligatorium: Dicendum, concessa consequentia prima, quodque votum fuit turpe. Distinguo quòd Deus illud non acceptauerit, vel ad remunerandum huiusmodi votum turpiter factum; & fateor non esse sic Deo acceptum, vel ad promissum honestum ipsi Deo reddendum; & sic nego illud non acceptari à Deo. Exemplum huius est clarum de omni voto, & iuramento absolutè in peccato mortali facto, de aliquo honesto opere in honorem Dei agendo: tale enim votum, quia in peccato mortali fit, *Obiectio.* *Solutio.*

non acceptatur à Deo ad remunerandum illud, acceptatur tamen, quo ad obligationem & debitum illud adimplendi. D

An acceptū ob turpē causam, sit restituendū.

Solutio.

Id vero, quod secundò in quæstione quærebatur, an acceptū ob turpem causam sit restituendum, ex dictis satis notum esse arbitror: nam si ob causam per se turpem precisè aut principaliter sit acceptum, sicut licitè recipi non potuit; ita nec ob eandem causam retineri, & per consequens restituendum est. Secùs si interuenit donatio dantis, supposito quòd donare illud potuit: nam tunc causa donationis recipi & retineri potest. Si autem illud acceptum est ob causam non de se, sed solùm, ex circumstātia, turpem, tunc supposito quòd tale opus non esset de his, quæ gratìs agenda sunt, licitè fuit acceptum, & ita non est de necessitate restituendum. Sed quia de hoc articulo suprà latiùs dictum est, quando agebatur de turpi lucro, ideò nunc supersedendum.

De rebus per transactionem acceptis.

QVÆSTIO XXIX.

An iniuriā passus, possit ab actione iniuriarum cessare propter aliquod donum sibi oblatum.

Cvm haec scriberem, occurrit casus præsenti materiæ non impertinens. Cùm quidā ab alio iniuriam accepisset, & eum, à quo acceperat, criminaliter accusasset, amicorum precibus, simul & pecunia interueniente, à querela recessit. De pecunia autem super qua conuenerunt, medietas fuit statim soluta, reliqua medietas erat ad annum soluenda. Et tempore solutionis adueniente, is qui iniuriam passus fuerat, petiit sibi reliquam medietatem reddi: econtrà verò qui iniuriam intulerat, petit ab eodem, vt medietatem, quam acceperat, sibi restitueret. Primus conuentioni innitebatur. Secundus verò obligationi, qua iniuriam passus, eam gratis remittere tenebatur in foro conscientiæ; ac proinde medietatem illi solutam eum indebitè recepisse. Quæritur, quid in conscientia agendum? E

Responsio.

Ante accusationem potest: post eam verò non item.

Ratio discriminis.

Limitatio.

Respondetvr, non est in præsentiarum animus de trāsactione ex proposito loqui, cùm iuridica sit potiùs, quàm Theologica quæstio de transactionibus, an scilicet, iniuriam passus possit trāsigere, hoc est, ab actione iniuriarum aliquo sibi dato cessare, nisi quantum quæstio proposita nunc exigit. Et dicēdum, quòd ante accusationem positam licita sit transactio, post accusationem verò non ita, saltem vniuersaliter. Discrimen est; quia antequàm causa ad publicam iudicis cognitionem perueniat, nulli fit prejudicium, si partes inter se componant. Posteà verò publicæ iustitiæ videretur præiudicium fieri, cùm sit iam iudici acquisitum ius in causa illa cognoscendi, eandemque sententiandi; ideò sine iudicis authoritate transactio fieri non deberet, quod satis rationabile videtur. Excepto, quòd iura ipsa transactionem in quibusdam concedunt, puta in criminibus seu causis priuatis, non ita in delictis publicis, vt videri potest in legibus Hispanorū, F parti. 7. titulo de accusationibus, cum glos. & iuribus ibidem citatis. Cùm igitur in præsenti casu delictum fuerit priuatum, & nō publicum, sequitur, posse in eo transactionem fieri; maximè si iniuriator procedente actore veniret iure occidendus, mutilandus, flagellandus, aut perpetuò infamandus, pro quibus pœnis redimendis licitum est aliquid dare, vt dicitur vbi suprà.

Aliud dubium.

An iniuriam passus, teneatur illam remittere.

Argumenta pro affirmatiua. I.

Vervm hæc dominis Iuristis relinquendo, duo in casu proposito sunt explicanda. Primum, an iniuriam passus teneatur iniuriam acceptam remittere, iuxta illud, quod in Oratione dominica quotidie petimus: Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Et subiungitur in Euangelio: Nisi dimiseritis, Pater vester nō dimittet vobis &c. Et Ecclesiastici 28. Relinque proximo tuo nocenti te, & tunc deprecanti tibi peccata soluentur.

II. Facit pro eodem parabola patrisfamiliâs, qui omne quod seruo suo dimiserat, repetiit, eò quòd suo conseruo ipse similiter remittere noluerit. Matthæi 18. Vnde & Christus, docēs hanc remissionem proximis agendam nobis necessariam esse, ait: Qua mensura mensi fueritis, remetietur & vobis. Vnde Cyprianus contra eos, qui remittere no-
III. lunt proximis suis, ait: Excusatio tibi nulla in die iudicij superest, cùm secundùm tuam sententiam iudiceris, & quod feceris, ipse patiaris. Facit ad hoc B. Augustinus in Enchiridio, dicens: Qui roganti peccati sui veniam, & petenti ex corde non dimittit, nullo modo

A modo existimet à Domino sua peccata dimitti, quoniam mentiri veritas non potest; ideò subdit Dominus, si autem non dimiseritis hominibus, nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra. Facit & beatus Gregorius, dicens: Bonum quòd à Deo compuncti petimus, hoc ipsum primò proximis faciamus. Quapropter non docuit nos Dominus priùs petere peccatorum remissionem, & posteriùs peccata dimittere aliis, sed simul petere, Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus &c. Facit similiter Chrysostomus, dicẽs: Christum docuisse, vt priùs remittamus debitoribus nostris, & ita dimitti nobis debita oremus. Et oppositum agentes ait, propria sententia ipsorum cõdemnari. Pro eodem est, quod Christus tradit Matthæi 5. Si offers munus tuum ad altare, & frater tuus habet aliquid aduersùs te, vade priùs, & reconciliare fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum. Ex his aliisque multis posset aliquis moueri ad dicendum, iniuriam passum teneri sub pœna peccati mortalis, illatas sibi iniurias condonare, nec posse iniuriantem accusare, nec contra eum procedere.

(margin: IIII. V. VI.)

Aliud est offensam remittere, aliud damnum ex iniuria acceptũ cõdonare.

HIS TAMEN non obstantibus aliter sub distinctione respondendum est. Aliud eñ est offensam & rancorem dimittere: aliud damnum, quod quis ex iniuria passus est, condonare: Aliud verò actioni contra iniuriantem habitæ cedere, seu ab actione cessare. Et secundùm hoc dicendum, quòd iniuriam passus, tenetur peccatum & offensam, seu iniuriam sibi illatam remittere, ex corde omne odium, iram, & rancorem aduersùs iniu-B riantem conceptum deponendo. Hoc videtur sufficienter ex authoritatibus suprà citatis probatum, quæ omnes de huiusmodi remissione, quæ ex corde fit, communiter intelligũtur: ita vt necessarium sit, nullam in eo, qui iniuriam passus est, aduersùs iniuriantem inimicitiam retineri. Sic ait Chrysostomus, locum suprà citatum exponẽs: Qui inimicitiam in corde, & in ore seruat, aduersùs lædentem, non Deum orat, sed irritat; apud Deum gratiam non obtinet, sed æternam damnationem sibi postulat. Sic etiam Bernardus ait: Venia Dei peccatori non datur, cuius cor rancore inuidiæ aut liuore afficitur. Et addit: Si igitur vis, vt tibi à Deo peccata remittantur, omnis rancor & discordia è corde tuo euellatur. Hoc idem significatur Ecclesiastici 28. Homo homini reseruat iram, & à Deo quærit medelam. Et addit, quod suprà citatum fuit: Relinque proximo tuo nocenti, & tunc deprecanti tibi peccata soluentur. Facit quod ait Cassianus, collatione 9. post alia concludens: Quisquis ergo in se delinquenti fratri non ex corde dimiserit, non indulgentiam, sed condemnationem deprecatione hac sibimet impetrabit. Sic etiam Augustinus in Enchiridio, de peccatis proximis remittendis loquutus est de præfata remissione, quæ ex corde fit.

(margin: *Conclusio I. Offensa remittenda est. Probatur argumẽtis suprà adductis.* Item II. III. IIII. V. VI.)

ET FACIT aperta ratio pro hac sententia; quia vnusquisq; tenetur proximũ suum, sicut seipsum, diligere, non solùm amicum, sed etiam inimicum, iuxta Christi præceptũ de charitate datum: Audistis, quia dictum est, Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum. Ego autem dico vobis, Diligite inimicos vestros &c. Matth. 5. Igitur ne-C cessarium est ei, qui iniuriam passus est, rancorem & inimicitiam de corde deponat. VII.

SIT SECUNDUM dictum, quòd iniuriam passus, aut aliter læsus non tenetur iniuriam remittere, damnum quod passus est, condonando. Hoc patet, quia vnusquisq; potest iure suam indemnitatem procurare, & damnum, quod iniustè passus est, coram iudice petere: nam ad hoc statutæ sunt leges, tam diuinæ, quàm humanæ, ac deputati iudices, quorum officio compelli possint hi, qui damnum intulerunt, siue in corpore, siue in honore, fama, aut rebus quenquam damnificauerunt: petere autem iustitiam, non est iniustum. Antecedens certum est ex libris Moysi, vbi leges traditæ sunt de damnis per iudices reparandis. Patet etiam de legibus tam secularibus quàm canonicis, per quas damnificãtes læsis satisfacere compelluntur, iuxta cap. finale de iniur. & damnato dato: Si culpa tua damnum datum est, iure satisfacere oportet.

(margin: *II. Conclusio. Nõ tenetur quis damnum, quod passus est condonare.*)

SIT TERTIUM dictum, quòd iniuriam passus non tenetur de necessitate iniuriam remittere ab actione iniuriarum cessando, seu actioni cedendo. Id patet, quia iustè potest contra iniuriantem coram iudice agere, non solùm vt sibi debita fiat satisfactio, sed etiam vt iniurians condignam pœnam sustineat. Vtrumq; patet. Primum ex cap. si illic. 23. q. 4. vbi in sententia dicitur, liberum esse ei, qui iniuriam passus est, ignoscere iniurianti, aut cõtra eum agere, si velit, aut supplicatione flecti ne agat. Vnde colligunt, nemi nem cogi debere ad remittendam iniuriam. Patet etiam ex eo, quod ait Augustinus in Enchiridio, dicens: Et qui emendat verbere, in quem potestas habetur, vel coërcet ali-

(margin: *III. Conclusio. Neque tenetur quis ita remittere iniuriam, vt cedat actioni. Probatur.*)

qua disciplina; & tamen peccatum eius, qui ab illo læsus aut offensus est, dimittit ex corde, vel orat, vt ei dimittatur, non solùm in eo, quod dimittit ex corde, atque orat, verùm etiam in eo, quod corripit, & aliqua emendatiori pœna plectit, eleemosynam facit, quia misericordiam præstat. Multa enim bona præstantur inuitis, quando eorum consulitur vtilitati, non voluntati. Et habetur 45. distin. cap. & qui emendat. Idem dicitur 23. q. 5. cap. de occidendis. vbi in sententia dicitur, iustè sæpe homines peruersos occidi posse, & sanctius esse eos punire, quàm parcere. Idem in sententia ad longum ait Augustinus in epistola ad Vincentium, qui post alia ait: Non omnis qui parcit, amicus est; nec omnis qui verberat, inimicus est. Meliora sunt vulnera amici, quàm fraudulenta oscula inimici. Melius est cum seueritate diligere, quàm cum lenitate decipere. Vtiliùs desipienti panis tollitur, qui de cibo securus iustitiam negligebat, quàm esurienti frangitur, vt iniustitiæ seductus acquiescat. D

Limitatur prædicta conclusio.

Ex qvibvs satis docemur, expedire sæpè iniurias hoc modo non remittere, sed contra iniuriantes agere & procedere, cùm id ad eorum correctionem, seu ad aliorum exemplum nouerimus conuenire; dummodò agentis intentio non sit contra iniuriantem vindictam sumere, & suo appetitui satisfacere; quia hoc charitati proximi videretur repugnare, sed ex zelo iustitiæ potest id per iniuriam passum fieri, sicut ex eodem potest per iudicem pœna condigna iniurianti infligi. Sic tenet Thomas 2. 2. quæst. 108. argum. primo, de vindicta. Et cæteri Theologi. Et ita patet de primo, ait enim: Est ergo in vindicatione considerandus animus vindicantis: si enim eius intentio feratur principaliter in malum illius, de quo vindicta sumitur, & ibi quiescit, non est omnino licitum; quia delectari in malo alterius, pertinet ad odium, quod charitati repugnat, qua omnes homines diligere debemus. Nec aliquis excusatur, si malum intendat illius, qui sibi iustè intulit malum; sicut non excusatur aliquis per hoc, quòd odit se odientem: non enim debet homo in alium peccare propter hoc, quòd ille peccauit priùs in ipsum: hoc enim est vinci à malo, quod Apostolus prohibet ad Roman. 12. dicens: Noli vinci à malo, sed in bono vince malum. Si verò intentio vindicantis feratur principaliter ad aliquod bonum, ad quod peruenitur per pœnam peccantis, puta, ad emendationem peccantis, vel saltem ad cohibitionem eius, & quietem aliorum, & ad iustitiæ conseruationem, & Dei honorem, potest esse vindicatio licita, aliis debitis circumstantiis seruatis. Hæc ille. E

Aliud dubium.

An acceptũ pro iniuria remittenda, sit restituendum.

Respõsio duplex.

Erat secvndvm, quod in casu quærebatur, an scilicet accepta pro iniuria remittenda, sint de necessitate restituenda. Et ex præmissa distinctione patet responsio: Si enim iniuriam passus, pecuniam pro remittenda iniuria primo modo, scilicet, ex corde accepisset, non dubium quin esset restituenda, cùm talis remissio venalis non sit, sed potiùs ex charitate debita, & ipsi remittenti potiùs quàm iniurianti vtilis & necessaria, vt de se patet: ideò pro tali remissione nil recipere potuit. Si tamen loquamur de remissione iniuriæ aliis modis facta, cedendo, scilicet actioni, qua etiam criminaliter contra iniuriantem agere poterat, nedum ad damni sibi illati refusionem; non dubium est iniuriatum posse iuxta quantitatem damni, quod passus est, ad arbitrium boni viri, satisfactionem recipere; nec receptam tenebitur restituere. Id patet, quia damnificans tenetur damnificato satisfacere iure naturæ, diuino, & humano. Vt etiam apertè habetur in cap. si quis contristatus. 90. distinct. in textu & glos. Et in cap. si illic. 23. q. 4. suprà citato. Dico notanter, iuxta quantitatem damni quod passus est; quia si vltra id, ipse iniuriam passus, aliquid ab iniuriante exigat, ne contra illum criminaliter agat, cùm possit, illud nec iuste exigi nec recipi, nec ob illam causam retineri potest: cùm non sua, sed reipublicæ intersit, criminosos publicè puniri: ac proinde in casu talis iniuriatus non quod suum, sed quod alienum est, videretur vẽdere. Et licèt iniuriãti sit licitum pœnam redimere, vt dictum est, iniuriato verò illam vendere minimè licet, sicut nec liceret iudici. Etsi illam ob causam iniuriatus aliquid exigeret, & reciperet, fortè secundùm iura esset infamis, vt ait glos. in cap. si illic. vigesimatertia. q. quarta.

I. II. F

Limitatur secunda pars datæ responsionis.

De rebus per mercationem acquisitis.

QVÆSTIO XXXI

Praeterea

A PRAETEREA in negotiationibus, seu venditionibus, & emptionibus solet aliquando interuenire iniustitia, vnde locum habeat restitutio; ideò de his aliqua sunt inquirenda, specialiter duo in genere. Primum attinet ad licentiam negotiationis. Secundum verò ad restitutionem lucri inde euenientis. De primo solet quæri, an negotiatio, seu mercatio sit licita. Et pro parte negatiua posset aliquis obiicere factum Christi, qui eiecit de templo ementes, & vendentes: Matth.21. Super quo Chrysostomus ait: Christus eiiciens ementes, & vendentes, docuit nos, mercatores Christo placere non posse, ideò Christiani non debent esse mercatores.

An negotiatio seu mercatio sit licita.

Argumenta partis negatiua.

I.

II. SECVNDO Psal.70. dicitur, quia non cognoui negotiationes, introibo in potentias Domini. Vnde docemur negotiationem impedire ingressum regni cœlorum. Dicuntur autem negotiatores, vt hic exponit Cassiodorus, qui vili emunt, vt cariùs vendant.

III. TERTIO de pœnitentia distinct.5.cap. qualitas. ait Leo Papa: Qualitas negotij vel arguit, vel excusat negotiantem. Et sequitur: Difficile est inter ementes, & vendentes nõ interuenire peccatum. Vnde argui potest, peccatum esse, negotia exercere, eò quòd negotiatores periculo peccandi se exponant.

IIII. QVARTO eadem distin.cap.falsas. ait beatus Gregorius: Ad veram pœnitentiam peruenire non possunt, qui negotia non relinquunt. Et ibidem cap. de his, ex Concilio B Aureliano damnantur, qui ad secularia negotia, post actam pœnitentiam, redeunt.

Responsio affirmatiua.

HIS NON obstantibus, tenendum est oppositum; scilicet quòd negotiatio de se non est illicita, siue loquamur de negotiatione largè, vt ad emptiones, & venditiones omnes se extendat, siue strictè; vt illa dicatur negotiatio, qua quis rem emit, vt eam postmodùm cariùs vendat. Et probatur conclusio, Primò ex Augustino, & habetur distinct. 88. fornicari semper non licet: negotiari aliquando licet, aliquando non. Antequàm fias clericus, licet, facto clerico, non licet. Iterum Augustinus ibidem excusat mercatores, & negotiatores, etiam lucrum ex negotio quærentes, quia laboris sui mercedem, qua digni sunt, quærunt: iuxta dictum Christi: Dignus est mercenarius mercede sua. Consonat etiam beatus Clemens, qui in Epistola sua ait: Negotia mundana & secularia opera sibi inuicem exhibeant vacantes laici, qui Ecclesiasticis non deseruiunt.

Probatur I.

II. SECVNDO idem probatur ratione, quia si damnanda esset negotiatio, aut esset ratione sui, & hoc non, vt ex dictis constat; cùm illa iustè possint exerceri, seruata æqualitate inter pretium, & mercem: Aut ratione mendaciorum, periuriorum, fraudum, & aliorum peccatorũ, quæ illic solent commisceri, & hoc non; quia illa vitia, vt inquit Augustinus, vitia sunt negotiantis, non negotij. Negotium, inquit idem, non facit me malum, sed iniquitas mea, &c. Et habetur dist.88.c. quoniam. alioqui, vt idem arguit, similiter essent damnandæ omnes artes mechanicæ, cùm in earum exercitio soleant similia peccata commisceri. Aut esset illicita negotiatio ratione lucri, quod negotiatores intẽ-C dunt, & hoc non; quia iustè potest quis intendere lucrum pro eo, ꝙ suis laboribus, & expensis, & periculis ad cõmunitatis, seu aliorũ vtilitatem agit: tales sunt mercatores, qui aliunde merces afferunt, & conseruant, vt huic, vel illi reip. subueniant, & cæteris indigentibus necessaria ministrent. Quandoquidem nulla prouincia rebus omnibus, quibus indiget, abundat; nec vnusquisq; facultates habet, quibus posit aliunde de omnibus necessariis sibi, & suis prouidere. Necesse igitur est, esse aliquos, qui his rebus operã impendant; & talibus licitũ erit lucrũ ꝑtendere, modò vltimatè finem in lucro non collocent.

III. TERTIO, illud non est tanquam illicitum damnandum, sine quo respublica subsistere non potest: talis est negotiatio, seu emptio, & venditio. Tolle humana commercia, & tunc necesse erit homines aliena rapere, vt sustentari posint, aut certè fame, nuditate, aut aliàs miserabiliter quam plures perire. Si dicas, negotiationes non damnari simpliciter, sed eas, per quas lucrum quæritur. Contra hoc procedit ratio suprà facta, quę inde ampliùs confirmatur; quia ex quo mercatores reip. seruiunt, si resp. vellet eos conducere, & obligare, vt suis laboribus, expensis, & periculis merces aliunde afferant, & pro ciuibus indigentibus easdem conseruent, non dubium, rempublicam debere illis suum iustum stipendium conferre, & illi possent iustè illud recipere. Cùm igitur respublica illis tale stipendium de rebus publicis non asignet; iustè igitur poterunt mercatores id, quod per suum ministerium merentur, ab illis, quibus ministrant & seruiunt, recipere, suis mercibus iustum & rationabile pretium asignando, vnde aliquid lucrentur.

Soluuntur argumenta opposita: præcipuè autem respondetur.
Ad I.

Per haec patet ad rationes suprà factas. Ad primam dicendum, quòd ex facto Christi, quo ementes, & vendentes de templo eiecit, non sequitur, ipsam emptionem in se, Christo displicere, sed solùm ratione loci, quem suis negotiationibus profanabant. Id patet, quia statim dixit Christus: Nolite domum Patris mei facere domum negotiationis. Ad Chrysostomi & alia, quæ citata sunt, dicendum, quòd procedunt de negotiationibus, quę cum peccatis, mendaciis, & periuriis fiunt, vt patet ex capit. eiiciens. 88. distinct. Similiter ex capit. quid est aliud. vbi ait Cassiodorus: Negotiatores illi abominabiles existimantur, qui iustitiam Dei minimè considerantes, per immoderatum pecunię ambitum polluunt merces suas, plus periuriis onerando, quàm pretiis. Tales, inquit, eiecit Dominus de templo. Et de talibus procedit capit. falsas, cum capit. sequenti: de pœnitentia. distinct. 5. D

Et ad II.

Ad illud, quod in tertia ratione tactum est, scilicet quòd qui se exponit periculo peccandi, peccat: &c. Dicendum, quòd procedit de periculo obruenti, non de eueniente seu accidente. Dicitur autem periculum obruens, quando tale est, quod non est in potestate eius, qui se illi exponit, illud euitare, ex quo se illi exposuit; aut saltem non sine magna difficultate poterit illud postmodùm euitare. Exemplū primi: Vt si quis se proiiciat in foueam, eo tempore quo celebraturus est, aut aliud quid facturus, quod post eius proiectionem non est in ipsius potestate adimplere. Exemplum secundi, vt si quis volens vires suas experiri, nudum se cum nuda in lecto associat, tentans an sit potens tentationem carnis superare: quod in casu perquàm difficile est. Talibus periculis se exponere, peccatum est. Dicitur autem periculum eueniens, seu accidens, quòd ex quo se illi aliquis exponit, poterit illud non cum notabili difficultate superare, seu vitare, si vult: qualia sunt mendacia, periuria, aliaque huiusmodi, quæ in venditionibus solent interuenire. De quibus ait Augustinus, vt suprà induxi, quòd hæc vitia sunt hominis, non artis, quæ sine his vitiis exerceri potest. E

Ex multis causis vitiari potest negotiatio seu venditio.

Potest tamen negotiatio, seu venditio multipliciter vitiari, scilicet ex parte rei, quæ venditur. Secundò, ex parte vendentis, seu negotiantis. Tertiò, ex parte eius, cui res venditur. Quartò, ex parte loci. Quintò, ex parte temporis. Sextò, ex parte modi. Septimò, ex parte finis. Similiter ex aliis causis, seu circumstantiis, de quibus breuiter est inquirendum, & particularia dubia proponenda.

I. Causa. Ex parte rei quæ venditur, idq; dupliciter.
I.

Primo igitur vitiatur negotiatio, seu venditio ex parte rei, quæ venditur: vt si talis sit, quæ vendi sine peccato non potest: quod fit dupliciter. Primò, quia venalis non est, vt si sit sacramentum, ordo, beneficium Ecclesiasticum, seu aliquid spirituale, quorum venditionem constat simoniam esse. Similiter iniustitia, testimonium, aut etiam quodcunquę opus peccaminosum; quæ similiter venalia non sunt.

II.

Secundo modo vitiatur negotiatio, quia eius venditio per leges humanas prohibita est, vt patet de frumentis publici canonis. vt habetur C. quę res vendi non possunt. l. 3. vbi talia vendi sub pœna capitis prohibetur. Idem patet de filio & libero homine, qui vendi non possunt: excepto quòd pater potest vendere filium, necessitate famis vrgente. l. 1. & 2. C. de patribus qui filios distraxerunt. Quod quamuis patri concedatur, non tamen matri; sicut nec marito permittitur vxorem vendere, etiamsi famis necessitate prematur. Cuius discrimen est, quia non ita est vxor in potestate viri, & filius in potestate matris, sicut est filius in potestate patris: vt habetur C. de patria potestate. l. si filius. & partita quarta, titulo 17. lege septima. Idem patet de veneno, quod nec per se, nec alteri rei admixtum, potest ad humanos vsus prodesse, sed solùm nocere. De quo iure ciuili dispositum est, quòd flagitiosæ rei, id est, quæ nullo modo per additionem alterius rei, potest esse vtilis vsui humano, nec emptio, nec mandatum, nec societas valere potest: vt habetur. l. quòd sæpe. §. 1. de contrahenda emptione. Idem patet de libello famoso, qui ad nil est vtilis, sed perniciosus: & huiusmodi libelli inuentor debet non diffundere ad alios, sed ipsum destruere, aliàs grauiter peccat: vt habetur 5. q. 1. per totum. & ita de aliis. F

Dubium. An licita sit venditio rerum, quibus bene & male vtuntur.
Ratio dubij.
Confirmatio.

Est tamen dubium de aliis rebus, quibus contingit homines bene, & malè vti, an sit earum venditio licita: quales sunt ornamenta quædam, quæ solent homines ad lasciuiam prouocare, & taxilli, & instrumenta lusoria. similiter & arma offensiua, &c. Et ratio dubij est. Quia qui talia vendunt, videntur cooperari ad peccatum ementium, instrumenta iniquitatis illis ministrando. Et Innocentius de sagittariis, capit. vnico, dicit, artem illam mortiferam & odibilem balistariorum, & sagittariorū aduersùs Catholicos & Chri-

A & Christianos exerceri, de cætero sub anathemate prohibemus. Quòd si ars illa mortifera & odibilis est,& non nisi quia solent homines balista & sagittis ad malum vti,eadem ratione cætera prænominata dicentur mortifera & odibilia.

Dicendum, quòd in huiusmodi hæc regula videtur tenenda, scilicet, si venditores viderint,aut præsumpserint, seu præsumere debeant, quòd emptores illarum rerum eas emant ad aliquod facinus seu malum per se, vel per alios agendum, peccant, si eas res vendant;cùm perinde sit,ac si furioso arma ministrent,& ad fratris peccatum cooperentur. Si tamen ementes sint personę honestę,de quibus venditor iustè præsumere non potest,quòd res illas velint ad abutendum illis;tunc, etiamsi postmodùm accidat eos rebus illis abuti,non peccat venditor res illas vendendo.Sic enim ait Augustinus ad Publicolam: Absit,vt ea,quæ propter bonum ac licitum facimus, aut habemus, si aliquod per hoc, præter nostram voluntatem, cuiquam malum acciderit, nobis imputentur. Vnde fit, vt qui præfatas res indistinctè vendunt, nil scilicet inter ementes distinguendo, peccant: nec tales sunt absoluendi; nisi vel officia deponant,vel debita solicitudine qualitatem ementis considerent: vt si meretrix sit, vel famæ læsæ, & emit fucos, monilia, & alia ornamenta. Aut si puella sit, seu innupta, & fœcunda,& emit venenum,vt prolem conceptam interimat.Aut si venefica sit,& emat ea,quæ ad maleficium perpetrandum conferunt. Aut si lusor sit, & emat chartas,& taxillos;maximè si sit scholaris,aut Ecclesiasticus,aut minorennis,aut mente captus.Aut si furiosus sit,seu vindicatiuus,habens inimicos:aut insanus,aut temerarius,aut ebriosus,& emat arma offensiua;de quibus verisimile est, quòd ea emant ad facinus aliquod perpetrandum. Cùm venditor hæc cognouerit, aut rationabiliter præsumpserit, peccauit res huiusmodi vendendo. Secùs quando nullam causam habuerit ad aliquid sinistrum de ementibus præsumendum: tunc enim nō opus est venditorem nimis esse curiosum,sed poterit, sine peccato, res pręfatas vendere. Nec enim facilè de aliquo præsumere debet, quòd malus sit.

Responsio bimembris. I. II.

B

Et per hæc patet ad rationem dubij; quia tunc dicetur venditor ad ementis peccatum cooperari, quando habita prædicta cognitione, seu rationabili præsumptione, res præfatas vendit emptori: tunc enim non excusatur venditor, sicut nec emptor. Et quamuis non minùs cooperetur ad peccatum ementis, qui re illa est abusurus, etiamsi vendens conditionem ementis ignoret;illa tamen cooperatio est præter intentum vendentis, & per ignorantiam inuincibilem excusatur.

Vendentes eiusmodi res sine vllo discrimine peccant.

Respondetur ad rationem dubij.

Ad alivd de sagittariis, ex Innocentio allegatum, dicendum,quòd non simpliciter condemnatur ars sagittariorum & balistarum, nisi quando indistinctè exercetur ad bonum, & malum; specialiter quando exercentur, & arma venduntur aduersùs Catholicos,& Christianos in bello iniusto, vt illic significat textus.

Ad eiusdē confirmationem.

Secvndo modo redditur illicita negotiatio, ex parte personæ negotiantis, vt si sit clericus,cui negotiari prohibitum est. Pro quo breuiter notandum, negotiationem C esse triplicē: Quandam œconomicam,quæ fit ad sustentandum se,& domum suam, prout necessitas postulauerit:& talis negotiatio clericis non est interdicta,sed concessa, dicente Paulo ad Timoth.3. Oportet Episcopum suæ domui esse bene præpositum, cui conuenit specialem curam suorum gerere,eodem dicente: Qui suorum curam non habet,& maximè domesticorum,crudelis est,& infideli deterior 1.ad Timoth.5.Ac proinde clericis conceditur ea emere,quæ domui suæ sunt necessaria.Similiter ea quę de reditibus, aut aliis bonis eisdem supersunt, vendere, vt magis necessaria emant.

II. Causa. Ex parte personæ negotiantis. Negotiatio triplex I. Oeconomica.

Alia est negotiatio politica, cuius finis est publicis populi necessitatibus succurrere, & hæc gubernatoribus ciuitatum conuenit, non clericis, qui à secularibus negotiis debent esse remoti: iuxta dictum Pauli 2.ad Timoth.2. Nemo militans Deo implicat se negotiis secularibus.Et 88.distinct.decernitur deiiciendus Episcopus,sacerdos, vel diaconus seculares curas assumens.

II. Politica.

Alia est negotiatio lucratiua,qua scilicet quis aliquid emit,vt illud posteà cariùs vendat. Et hoc fit dupliciter: Vno modo,si emptor rem,quam emit,aliquo artificio seu industria mutat & meliorat;& rem sic melioratam posteà cariùs vendit, & hoc non tam negotiatio,quàm artificium dicitur.Et licita est clericis,vt habetur de vita & honest.clericorum.cap.clerici officia. Et ex Concilio Carthaginensi idem patet:& habetur 91.distinct.cap.clericus.Et in aliis capitulis. Et de consecratione,distinct.5.ca.nunquam.vbi, & in multis aliis conceditur clericis,quod de suo artificio honesto,sibi,& suis,& pauperibus victum,

III. Negotiatio lucratiua duplex est. I.

victum,& cætera necessaria quærere possint, ad exemplum Pauli, qui cùm Christi Apostolus esset, artem scenofactoriam exercuisse cum Aquila & Priscilla legimus, Actuum 18.c.Similiter possunt clerici opera ruralia (sine tamen sui officij clericalis præiudicio) exercere: vt habetur de celebratione missarum. Possunt etiam iumenta emere, & nutrire, vt posteà ea meliorata cariùs vendant, saltem ex consuetudine, quæ in multis locis seruatur & toleratur; maximè si fœnum aut auenã propriã habeant,non tamen habent iumenta propria,quæ illa comedant.Et potest tanta esse clerici necessitas, quòd etiamsi fœnum & propriã auenã non habeat, possit iumenta emere, vt postmodùm meliorata vendat. Alias autem negotiationes, in quibus clericus artificium non apponit,vnde res totum valorem suum, vel maiorem partem sortiatur, exercere non potest, vt ait Conradus. Verùm hæc limitatio non videtur in iure fundata; nec rationabile videtur quòd liceat clericis emere ligna,ferrum,corium,pannum, vt illa,suo artificio apposito,mutata vendant:& quòd non liceat eis emere aurum,argentum,sericum, vt ea per eorum artificium variata vendant;etiamsi longè maior sit rei valor ex natura sua,quàm ex superposito artificio. D

Reiicitur quædam limitatio.

Modus II. negotiationis lucratiuæ.

Alio modo potest aliquid emi,vt cariùs vendatur absque aliquo artificio apposito, aut rei melioratione seclusa, quod propriè dicitur negotiatio: & talis negotiatio lucratiua est,quę clericis est interdicta,vt habetur 88.distin.cap.fornicari.vbi ait Augustinus,Fornicari semper non licet,negotiari aliquando licet aliquando non licet.Antequàm clericus fias, licet: facto autem clerico, non licet. Hieronymus etiam, vt ibidem habetur,ait: Clericum negotiatorem ex paupere diuitem, ex ignobili nobilem factum, tanquam pestem fuge. Et Gelasius ibidem capit.consequens.sub pœna suspensionis iubet clericis, vt à negotiationibus abstineant. Quòd autem hæc sit negotiatio clericis prohibita,apparet ex Chrysostomo,sic eam exponente,Matthęi 21.dicente:Quicunque rem comparat, non vt integram & immutatam vendat, sed vt materia sit sibi inde aliquid operandi,ille non est negotiator.Qui verò rem comparat,vt integram & immutatam vendendo lucretur, ille est mercator, qui de templo Dei eiicitur. E

Obiectio. An clericus negotiationes sibi prohibitas, possit per alios exercere?

Esset tamen dubium,an illas negotiationes,quas clerici per seipsos facere nõ possunt,possint per alios exercere:supposito quòd alioqui in se licitæ sint. Vt si clericus habet pecunias naturæ & statui superfluas, aut etiam necessarias: An possit eas factori consanguineo,aut famulo tradere,vt cũ illis negotietur, & ipsi clerico aliquid lucretur: Respondetur absq; disputatione:Tria sunt,propter quæ clericis interdicitur negotiatio.

Propter tria interdicitur clericis negotiatio.

I. Primum, quia finis eius est lucrum temporale, quod clerici contemnere debent; & habentes alimenta,& quibus tegantur,debent esse contenti,vt ait Paulus 1.ad Timot. 6. Vnde & Dominus, cùm terram promissionis inter filios Israël diuideret, sacerdotibus & Leuitis terram nullam, nec possessionem assignauit, sed de decimis & primitiis, per laicos illis offerendis, voluit eos viuere.

II. Secundum est, quia raro huiusmodi negotiationes sine peccato fiunt, vnde & periculosæ sunt valde,vt ait Sapiens Ecclesiastici 27.dicens: Duæ species difficiles & periculosæ mihi apparuerunt:Difficile exuitur negotians à negligentia,& nõ iustificabitur caupo à peccatis labiorum. Hoc ait:quia negotiatores vt plurimum suæ spiritualis salutis sunt negligentes, & mendacia & periuria sæpe suis negotiationibus intermiscent. Et Leo Papa, vt suprà induxi, ait, Difficile est inter ementes, & vendentes non interuenire peccatum. F

III. Tertium est, quia huiusmodi negotia retrahunt homines à rebus spiritualibus, quibus incumbere, clericorum est officium proprium: iuxta Pauli sententiam, Nemo militans Deo implicat se negotiis secularibus. Vnde & clerici dicuntur, quod vocabulum,sortem sonat:quia sunt in sortem Domini electi,vt dicitur 12.q.1.cap.duo sunt.Inde debent coronam rasam habere, ad significandum quòd inter ipsos, & Deum nõ debent temporalia interponi,sed potiùs debent studio literarum incumbere, vt habetur 16.q.1.

Resolutio affirmatiua. Probatur I. ex triplici illo capite suprà enumerato.

Haec tamen non obstant,quo minùs possint clerici per alios negotiari. Hoc patet,discurrendo per tria,quæ prædicta sunt. Quod enim primò de lucro dicebatur, non obstat; quia quamuis non omne lucrum possint clerici appetere, vt si turpe & illicitum sit,possunt tamen multa lucra licita & honesta prætendere,& appetere,illa in bonum finem ordinando:& si ratio illa prima valeret,nullum lucrum,quantumuis honestũ, possent clerici ꝓcurare, nec per se, nec per alios;quod suppono falsum, vt ex dictis apparet.

Secundum

A Secundum non obstat, quin posit clericus per alios negotiari: nam quamuis peccata per negotiatorem ipsi negotio commisceantur, non inde clerico imputantur, si nō ipse, sed alius negotiatur, vt satis de se constat. Tertium etiam non obstat, quia ex quo clericus per se negotia non exercet, liber omnino manet, vt posit completè officium Ecclesiasticum sibi iniunctum adimplere; ac proinde rationes præfatæ non sufficiunt ad dicendum clericum non posse per alium negotia exercere.

Facit prætereà pro hac sententia, quia in iure non est clericis negotiatio interdicta, nisi personalis, quam scilicet ipsi personaliter exercent, vt habetur Clemen.1.de vita & honestate clericorum. vbi prohibetur illis, ne officium tabernarij, aut macellarij personaliter faciant. Nec absque causa dicitur, personaliter, nempe vt intelligamus, id clericis per alios facere minimè prohiberi. *Probatur* II.

Facit ad idem capit. significante. de appella. vbi dicitur, quòd canonici habebant stallos, in quibus carnes incidebantur. Quanquam hoc potiùs faciat ad dicendum, clericos posse loca & instrumenta tabernæ aut macelli locare, vt ibidem talia per alios exerceantur officia. Directiùs facit Clemen.1. de statu monachorum.§.porrò. vbi dicitur, quòd monachi, quibus per se venari prohibitum est, possunt tamen id per alios facere. Et ita, vt fertur, multa sunt monasteria, & Ecclesiæ, quæ de suorum redituum prouentibus, ea quæ supersunt, mercatoribus tradunt, vt negotiantes illis cum certo, vel cum incerto B. lucro respondeant. III.

Nota tamen, quòd si clerici, quibus negotia aliqua prohibentur, illa exerceant, peccant mortaliter, saltem si publicè, & personaliter. Quod ex pœna illis apposita apparet: nam de illis dicitur, quòd nisi abstineant, excommunicētur, aut suspendantur. Quæ pœnę non nisi pro mortali solent, & debent infligi: Extrà, ne clerici vel monachi. Et procedit hoc de clericis in sacris: nam si in minoribus sint, non peccant mortaliter illa exercentes, vt multi sentiunt, qui de his benigniùs interpretantur iura. De aliis pœnis vide Clemen.1.de vita & honestate. & Doctores ibidem. *Limitatio quædam dicta resolutionis.*

Tertio redditur illicita præfata negotiatio seu venditio ex parte ementis; vt si quis vendat res aliquas alioqui venales illis personis, quas scit, vel verisimiliter conijcit, rebus illis ad peccatum abusuras, vt patet ex suprà dictis, in primo modo, quo venditionem vitiari diximus. Idem potest dici de his, qui cibos vendunt in Quadragesima, aut diebus ieiunij his personis, quas sciunt, vel verisimiliter præsumunt, quòd cibos volunt ad ieiunium violandum, vbi nulla appareat causa, eos ab obligatione ieiunandi excusans, vt aliàs in Codice de ieiunio disseruimus. Idem etiam dicendum de his, qui vinum vendunt his, quos sciunt facilè inebriari. Idem dicendum de Christianis, qui vendunt ramos Iudæis volentibus suum festum tabernaculorum celebrare. Et de his, qui vendunt eisdem agnum, seu arietem ad festa, seu præcepta ceremonialia legis veteris celebranda. Similiter idem dicendum de Christianis, qui vendunt Saracenis arma, C ferrum, galeas, naues, lignamina pro nauibus, vel galeis ædificandis, equos, victualia, aut etiam quæcunque mercimonia: vt patet Extrà, de Iudæis & Saracenis. cap. ita quorundam. & ex Extrauagan. Nicolai quarti, quæ incipit, Olim tam in generali. Et ex alia Clementi. quæ incipit, Multa. Et ex processu Papæ, qui fit annuatim in cœna domini, colligitur, illa omnia quæ dicta sunt, non posse Saracenis vendi; tunc maximè, quando ea emuntur ad expugnandum Christianos, etiamsi non hac intentione à Christianis vendantur, satis est, quòd vendentes sciant talia posse Saracenis deseruire ad Christianos impugnandos, vt innuitur in cap. significauit. de Iudæis & Saracenis. Veneti tamen dicuntur habere dispensationem, vt eis liceat vendere Saracenis alia ab armis, ferro, nauibus, & lignaminibus: vt ait Conradus.q.51. Similiter vendere vasa sacra in eadem forma laicis illicitum est, quanquam fracta, aut forma mutata illis vendi possint. Similiter res pupilli ipsi tutori vendi non possunt. Venditio etiam redditur illicita, si res vendatur excommunicato, eò quòd non est licitum cum eo communicare, exceptis casibus, qui communiter excipiuntur: de quo aliàs. *III. Causa. Ex parte ementis. Explicatur illa causa multis exemplis.* 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7.

Qvarto redditur vitiosa venditio, seu negotiatio ex parte loci; vt si in loco sacro, puta, in Ecclesia, aut cœmeterio huiusmodi negotiationes profanæ fiant, vt patet Matthæi 21. cùm Christus eiecit de templo ementes, & vendentes. Quòd autem non ideò eos eiecerit, quia cum mendaciis & periuriis illa in templo exercebant, vt aliqui dicunt, apparet ex dictis ipsius Christi, qui statim causam adiungens, ait: *IIII. Causa. Ex parte loci.*

Nolite

Nolite facere domum Patris mei domum negotiationis. Vbi solùm videtur respectum habuisse ad locum Deo sacratum. Idem habetur de immunitate Ecclesiarum lib. 6. capit. decet domum Dei. vbi iubetur, vt cessent negotiationes in Ecclesiis, & earum cœmeteriis, & præcipuè nundinarum, ac fori cuiuscunq; tumultus &c. Nec solùm peccant, qui negotia in Ecclesia exercent, sed hi, qui ea illic exerceri faciunt, aut etiam permittunt, quibus id prohibere ex officio incumbit: quia error, cui non resistitur, approbatur 83. distinct. capit. error. Nec refert qua intentione talia negotia illic fiant, scilicet causa lucri, aut causa pietatis, seu deuotionis. Tum, quia in dictis textibus non animus, sed opus ipsum illic factum prohibetur. Tum, quia bonitas intentionis non tollit electionis malitiam, vt suprà tangebamus. Tum denique, quia bonum est ex integra causa, malum autem multifariam. Itaque circumstantia loci sufficit opus ipsum vitiare; quod alioqui ratione sui, similiter & ratione finis licitum esset. D

Corollarium. Eiusmodi loci circumstantia nouam inducit culpam, etsi fiat tempore, quo Ecclesiastica officia non impediuntur.

VNDE INFERTVR contra Caietanum in opusculis, circumstantias loci inducere nouam culpam, etiamsi opus in loco fiat, eo tempore, quo non est impeditiuum officiorum Ecclesiasticorum, de quo in Codice de confessione nonnihil tetigimus. Id patet ex modò dictis: nam vendere res aliquas venales, propter bonum finem, &c. licitum est; quę tamen, si in Ecclesia vendantur, peccatum est, etiam extra tempus talium officiorum. Nam causa per Christum assignata, quare ementes de templo eiiceret, non erat, præfata officia impediri, sed domum Dei, domum negotiationis fieri: quæ causa locum habet, quocunque tempore negotia in Ecclesia fiant, siue diuina officia impediantur, siue non. Vnde rursus fit, vt qui in Ecclesia contra Deum peccat, duplici peccato peccet, scilicet, ratione obiecti, & ratione loci; cùm non minus profanetur domus Dei per opera alioqui peccaminosa, quàm per venditionem alioqui licitam. Nec ad id necessarium est, ipsum peccantem, seu vendentem habere locum sacrum pro obiecto, quando peccat, aut vendit; satis est, quòd si aduertat, facilè scire poterit, locum sacrum esse, in quo illa committit. E

Dubium. Quæ & qualis sit ea negotiatio, quæ fieri prohibetur in loco sacro.

Responsio I.

Responsio II. Verior.

ESSET DVBIVM, qualis sit illa negotiatio, quę in loco sacro fieri prohibetur? nam potest ea dupliciter fieri. Vno modo, tenendo in loco sacro res ipsas, quæ venduntur, & emuntur. Alio modo, solùm verbis, aut scripturis, contrahendo, seu conueniendo: res tamen, quæ venduntur, alibi tenendo. Et dicit Conradus, vbi suprà, quòd intelligatur præfata prohibitio de negotiatione prima, non de secunda. Pro quo videtur facere, quia illi, quos Christus de templo eiecit, in templo tenebant ea, quæ vendebant. Similiter & mensas, de quibus ait Matthæus, quòd mensas numulariorum euertit. Videtur tamen, quòd etiamsi in Ecclesia res, quæ venduntur, non teneantur; negotiationes tamen ibidem factas culpa non carere. Tum, quia negotiatio non rei detentionem, sed rei conuentionem & contractum significat. Tum, quia sacer locus non per rem illic positam profanatur, sed per negotiationes illic factas: quandoquidem non rei, sed negotiationi solent mendacia, & peccata commisceri. Tum etiam, quia domui Dei & orationis, non tam venales res, quàm ipsæ negotiationes, quæ illic fiunt, disconueniunt: ipsa enim negotiatio est, quæ homines ab oratione, & cultu, Deo in Ecclesia exhibendo, distrahit, nō res ipsa. Adde quòd in cap. decet, suprà citato, simpliciter ptohibeantur negotiationes in Ecclesia fieri; quamuis præcipuè nundinarum & cuiuscunque fori tumultus. F

Quinam hac in parte reprehensione digni censeantur.

INDE FIT vt reprehensibilitate non careat, quòd passim videmus intra Ecclesias per mercatores, & negotiantes fieri, qui cùm ad Deum colendum, & suæ saluti spirituali prouidendum ad Ecclesiam deberent conuenire, ad negotia potiùs tractanda secularia conueniunt, & illic suas negotiationes exercent; sua mendacia, & periuria non minùs, quàm si in platea ea exercerent, commiscent. Idem videtur iudicium de eo, quod soliti sunt canonici & viri Ecclesiastici in sua Ecclesia facere eo tempore, quo de redituum suorum venditione tractare solent: qui diem designant, in quo emptores, qui vulgò arrendadores dicuntur, in Ecclesia conueniant, vbi ipsi clerici, astante tabellione, suos reditus vendunt, & reuendunt, & non sine clamore sæpe & sæpius repetito, pretium per emptores augeri faciunt. In quo dupliciter peccatur, & quia in loco sacro, & quia per Ecclesiasticas personas hæc fiunt. Sed vtinam hæc sola essent, quę per prelatos perperàm in Ecclesiis fieri tolerantur.

V. Causa. Ex parte temporis.

QVINTO redditur negotiatio vitiosa, ex parte temporis. Vt si mercatores negotientur in diebus festiuis, de quibus in lege Dei, Exod. 20. dicitur: Omne opus seruile

A ſeruile non facietis in eo. Et extrà. de feriis c. licet, idem iubetur obſeruandum, non tantùm in diebus Dominicis, qui ſabbato ſucceſſerunt, ſed etiam in quibuſcunque aliis diebus feſtiuis, ab Eccleſia inſtitutis. Et procedit hoc, excepto niſi lex de aliqua feſtiuitate obſeruanda ſit abrogata: nam poteſt per contrariam conſuetudinem abrogari, ſiue ſit abrogata quo ad hoc, quod eſt ſeruilia opera in ea non facere; ſiue etiam quo ad hoc, quod eſt rem diuinam in ea audiri: quorum alterum conſtat ab altero diuerſum eſſe. Inde, vt inquit Petrus de Palude in ſuo 4. fit, vt licitum ſit in nundinis, auditis diuinis, negotiari; quandoquidem hoc habet communis hominum conſuetudo, ſiue Dominica ſit, ſiue alia feſtiuitas: quæ conſuetudo eſt per prælatos cognita, & per eoſdem tolerata; & tunc humana conſtitutio de feſtiuitate ſeruanda in parte eſt abrogata, in parte non. Vbi tamen in toto eſſet abrogata, liceret negotia, etiam diuinis non auditis, exercere. Quòd enim conſuetudo ſufficiat huiuſmodi feſtiuitatibus derogare, ſeu eas tollere, conſtat; quia non ſunt niſi humano iure inſtitutæ: ius autem humanum per conſuetudinem oppoſitam poteſt abrogari, vt habetur in Decreto, diſtinct. 4. in fi. In eo enim quòd eſt conſuetudo tolerata, rationabiliter præſumitur pontifices eam ſcire, & in eadem conſentire.

Quatenus poſſit hæc lex de nõ negotiando diebus feſtis, cõtraria conſuetudine abrogari. Negotiari licet dieb⁹ feſtis poſt audita diuina: aliquãdo etiam ante illa, ſi talis vigeat conſuetudo.

VNDE FIT contra Henricum Gandauen. in fine primi Quodlib. non ſolùm aliis diebus feſtiuis, ſed etiam in Dominicis poſſe negotia exerceri, ſaltem poſt audita diuina, B vbi talis vigeat conſuetudo; quia ſeruare Dominicam hoc vel illo modo, non diuini, ſed humani iuris eſſe conſtat. *Corollarium I.*

SEQVITVR etiam contra Innocentium & contra Conradum, quæſt. 51. impertinens eſſe, quale fuerit conſuetudinis initium, rationabile, ſcilicet an vitioſum. Quamuis enim primi, qui feſtum violare cœperunt, peccauerint; non tamen inde fit vt ſucceſſores, qui conſuetudinem iam diu introductam reperiunt, eam obſeruantes peccent. *Corollarium II.*

QVOD SI obiicias, quia vel pontifices conſenſerunt in violatione feſtorum, per primos violatores facta, vel non. Si primum, igitur primi non peccauerunt, ſicut nec ſucceſſores. Si ſecundum, igitur lex manet in ſuo vigore, ac ſi violata non fuiſſet; & ita non minùs peccant ſucceſſores, quàm primi violatores. Et ita videtur, quòd ſi conſuetudinis initium fuit vitioſum, quòd ſucceſſores conſuetudinem ſequentes nõ excuſantur. *Obiectio.*

CONFIRMATVR, quia non minùs peccauit ſecundus violator, quàm primus, nec tertius, quàm ſecundus, & ſic conſequenter: igitur ſi initium fuit vitioſum, igitur & continuatio. Antecedens patet, quia aliâs ſola vnius hominis violatio ſufficeret excuſare omnes ſucceſſores legem ſimiliter violantes.

RESPONDETVR, neceſſarium eſſe aſsignare tempus aliquod, citra quod peccatum fuit legem violare, & vltra illud peccatum non fuit, etiamſi in particulari illud determinare non ſufficimus. Interim tamen quòd lex per homines, ſuperiore ignorante, violatur, peccatum eſt legem violare: poſtquàm autem ad notitiam legiſlatoris violandi C conſuetudo peruenerit, non ſtatim quod legiſlator agnoſcit, culpa violationis purgatur; ſed ſi eo ſciente, per aliquod tempus violatur, & cùm prohibere ſeu punire id poſſit, non punit, ſed potiùs diſsimulat, aut voluntariè tolerat; ex tunc lex ſuam vim videtur amittere per tacitam prælati diſpenſationem; & ita ſucceſſores erunt ex tunc à culpa liberi. Sed quoniam de his nonnihil diximus in Codice de ieiunio. vide ibi. *Solutio.*

COROLLARIE ſequitur, ſicut per conſuetudinem poteſt lex de feriando abrogari; ita & per eandem conſuetudinem annullatur pœna excommunicationis, etiam latæ ſententiæ contra violatores inflicta. Cuius ratio eſt manifeſta, quia excommunicationem nemo poteſt verè incurrere, ſpecialiter ſi ſit à iure, niſi propter peccatum mortale. Si igitur legis violatio per conſuetudinem caret culpa mortali, vt ex dictis apparet, ſequitur tunc, præfatam pœnam contra huiuſmodi violatores locum non habere. *Corollariũ III.*

NOTA TAMEN, hæc quæ dicta ſunt, de non negotiando in diebus feſtiuis, ſuam habere limitationem, præter conſuetudinem, ſcilicet, ſi neceſsitas publica, vel priuata oppoſitum poſtulet: inde enim qui victualia in feſtis vendunt, etiam ante diuinorum auditionem, excuſantur. Similiter pharmacopolæ, qui medicinas vendunt; ſicut & multa alia opera ſeruilia poſſunt, ob neceſsitatem aliquam, in diebus illis fieri. Similiter idem excuſari ſolet, ſi ob pietatem, aut notabilem vtilitatem fiat; maximè ſi contemptus abſit, & non id propter lucrum principaliter fiat. In quibus non oportet confeſſores magnos pœnitentibus ſcrupulos ingerere. Sed de his vide Summiſtas.

Limitatio eorũ, quæ dicta ſunt de negotiatione diebus feſtis, & Dominicis.

VI. Causa. Ex parte modi. Ac I. Periuria negotiatorũ possunt esse mortalia,& venialia.

SEXTO redditur illicita negotiatio ex modo, idque multis modis; vt si mendacia, periuria, aliáue peccata commisceantur, sicut à negotiatoribus solent commisceri: quæ quidem, vt suprà ex Augustino induximus, potiùs sunt vitia negotiantis, quàm negotij. Et periuria, quæ commiscentur, vt plurimum sunt mortalia, si scilicet scienter,& deliberatè fiant: mendacia verò simplicia aliquando sunt mortalia, vt si in damnũ ementium interponantur, scilicet ad rem plus iusto vendendum. Aliquando verò sunt venalia, vt si officiosa sint, & à vendente interposita, vt suam procuret indemnitatem; quia alioqui fortè non iustum pretium, sed diminutum pro sua merce illi traderetur. D

II. DEINDE redditur negotiatio illicita, si extraneis pluris vendatur res, quàm naturalibus: contra illud, quod in Concilio Albanensi decretum est: Presbyteri plebes suas moneant, vt hospitales sint, & non cariùs vendant transeuntibus, quàm mercatoribus vendere possint. Sed hoc intelligitur, si excedant latitudinem iusti pretij; alioqui intra latitudinem huiusmodi, nil incõuenit cariùs rem vendere extraneis, quàm naturalibus. Deinde, si res ad terminum cariùs venditur, quàm in promptu, ob solam solutionis dilationem, quia tunc esset vsura: secùs si ob interesse damni emergentis, aut lucri cessantis. De quibus inferiùs.

III. *Monopolium varijs modis fieri potest.*

DEINDE ex monopolio, vt si quis contendat, sibi soli licere certas merces vendere: aut si certi mercatores, inter se conueniant de non vendendo merces certas, infra tale pretium: aut quòd non emant merces, vltra tale pretium: aut si artifices inter se conueniant, vt opus, quod vnus eorum cœperit, per alium continuari, aut finiri non possit; qualiter chirurgi solent inter se non sine vulneratorum magno periculo, conuenire: aut si qui aliquam artem, aut medicinam alicuius morbi curatiuam sciunt, inter se conueniunt, vt eam nõ nisi filios, aut nepotes doceant. Hæc, & alia huiusmodi monopolia constat esse iniqua & reipub. perniciosa. E

Eiusmodi monopolia esse iniqua, probatur.

TVM, QVIA ciues mercibus illis indigentes, cogerentur eas ab illo vnico, seu pluribus, qui inter se conuenerunt, emere, & compellerentur reddere pretium, quod monopoli postulauerint; quantumuis sit immoderatum, cùm mercibus illis summè indigeant: & ita est in præiudicium ipsorum ementium, & rebus illis indigentium, qui monopolio secluso, res illas pro longè minori pretio venales reperissent: Tum etiam, quia huiusmodi monopolium de se est impeditiuum, ne alij multi beneficium indigentibus faciant: nam si passim omnibus liceret, sine illis pactis, merces illas vendere, multi eorũ pietate erga indigentes moti, eas illis vel donarent, vel pro paruo pretio venderent; quæ tamen beneficia per huiusmodi monopolia impediuntur, contra illud Prouerb. 3. Noli prohibere benefacere eum qui potest, sed si vales, ipse benefac.

TVM ETIAM, quia huiusmodi monopolia tanquàm perniciosa per leges prohibentur & puniuntur, vt patet. C. de monopoliis. l. vnica. vbi graues, & diuersæ pœnę contra monopolos institutæ sunt, ex quibus facilè est coniicere, peccatum esse mortale huiusmodi monopolia facere. F

Potest quis monopolium exercendi, publicam authoritatē habere, idq; dupliciter.

PROCEDVNT autem hæc specialiter de his, qui propria autoritate monopolium exercent; secùs de his, qui ad id publicam habent autoritatem, vel à rep. vel à principe: hanc tamen autoritatem nemini præbere debent, nisi duobus concurrentibus, scilicet, si publica necessitas, aut vtilitas postulauerit, & pretium iustum rebus per tales monopolos vendendis taxetur.

I. DE PVBLICA necessitate exemplum est clarum, vt si in ciuitate aliqua desint, qui velint merces, quibus ciuitas indiget, aliundè ad ciuitatē portare; fortè quia cum multo labore, periculo, & expensis sunt deportandæ. Aut si desint, qui officium certas merces vendendi suscipiant, aut hospites & aduenas ad suam domum admittant, nisi illis solis hoc priuilegiũ concedatur, vt talia vendere, & talia officia exercere ipsi soli in ciuitate possint: tunc ob necessitatem poterit ciuitas hoc illis concedere, sicut passim videmus.

II. DE VTILITATE etiam est clarum exemplum de his, qui expensis suis libros imprimi faciunt, quibus priuilegium concedi solet, vt nemo eosdem libros, infra certum tempus, valeat imprimere, contra voluntatem eorum, qui primò eos impresserunt. Hoc enim in publicam vtilitatem redundare constat, vt per hoc viri docti animentur impressioni operam dare: quatenus eorum doctrina multis valeat communicari. Ac ptoinde non videtur damnandum, si princeps aliquibus artificibus, seu mercatoribus hoc priuilegium, pro certa pecuniæ summa, ipsi principi conferenda, concedat; vt illi soli certas merces

Potest princeps mercatori hoc priuilegium pro certa pecunia

A merces in suo regno valeant vendere, vbi velint, taxato prius iusto, & moderato pretio, maximè si merces tales sint, quæ ad hominum vitam minimè sint necessariæ. Id enim excusatur in principe, si ipse in notabili necessitate sit constitutus, quia tunc publica necessitas excusat factum. Excusatur etiam in mercatore ad id priuilegiato, ex authoritate publica, qua monopolium exercet.

summa sibi conferenda concedere licite, propter dictas conditiones.

In aliis tamen mercibus, quibus vt plurimùm homines indigere solent, tale priuilegium mercatoribus concedere, & concesso vti, non ita videtur excusabile, etiamsi pretium moderatum præfatis mercibus designetur. Quia quamuis per huiusmodi pretij taxationem, caritas alioqui inducenda impediatur; aliud tamen inconueniens suprà adductum non tollitur: quia scilicet impediuntur multi à beneficio multiplici, quod indigentibus facerent. Merces etiam pro minori pretio venderentur, si multi essent mercatores, qui liberè vendere possent. Et multò meliùs rebus publicis, de necessariis mercibus prouiderent, cùm vbique essent, qui talia venderent; & tamen si vni, aut paucis id licitum esset, venderent vbi vellent, vbi autem nollent, penuriam magnam homines paterentur.

Septimo redditur vitiosa negotiatio ex parte finis, vt si non ad debitum finem ordinetur, qui est necessitas, vel vtilitas: ob id enim mercationes fieri debent, quia scilicet, vel necessarium est ad publicas, seu priuatas indigentias releuandum, vel saltem B vtile. Qui igitur ob lucrum principaliter negotiantur, in lucro ipso finem suum vltimò collocantes, peccant, tanquam qui rebus, quibus vtendum est, fruuntur; maximè si eorum intentio sit, lucra sine termino accumulare. Quamuis enim licitum sit diuitias plurimas, à Deo datas, aut iustè acquisitas, possidere; non tamen ita sunt appetendæ, ac si per se, & secundùm se expetibiles essent; cùm non nisi ob aliud expetendæ sint, vt tradit Aristoteles 3. Ethicor. & docet Psalmista, dicens: Diuitiæ si affluant, nolite cor apponere. Propter necessitatem igitur & vtilitatem sui, & suorum licitum est lucrum ex negotiatione quærere, & appetere, similiter & thesaurizare, vt ait Paulus 2. ad Corinth. 12. Parentes debent thesaurizare filiis. Vnde si quis dixerit, esse licitum negotiari propter lucrum, non est simpliciter condemnandus, cum ipsum lucrum intentum, possit in alium meliorem finem ordinari, puta, ad necessitatem, vel vtilitatem publicam, aut priuatam.

VII. Causa. Ex parte finis.

Psal 61.

De iusto rerum venalium pretio.

QVÆSTIO XXXI.

Nunc ad id, quod principaliter intendimus, redeamus, an scilicet lucrum, seu res per contractum emptionis, seu negotiationis acquisitum sit restituendum, & quando? Ad quod illud in primis supponamus, in C huiusmodi contractu, vt iustus sit, debere seruari æqualitatem inter pretium & mercē: quæ æqualitas est sedes, seu fundamentum iustitiæ commutatiuæ in huiusmodi contractibus seruandæ. Huius ratio de se satis clara esse videtur; quia vt tradit Aristot. 1. Politicorum, Emptio, & venditio videtur esse introducta pro communi vtilitate vtriusque, dum scilicet vnus indiget re alterius, & econuerso. Quod autem pro communi vtilitate inductum est, non debet esse magis in grauamen vnius, quàm alterius, qualiter esset, si pretium excederet valorem mercis, aut econtrà. Ac proinde necesse est ad iustitiam contractus, præfatam æqualitatem seruari, qua non seruata, contractus remanebit iniustus: cùm alter eorum plus debito recipiat, alter verò minus. Et inde apertum est in casu, quo præfata æqualitas non seruatur, excessum esse restituendum, ita vt res ad æqualitatem reducatur.

Ad iustitiam in contractibus seruandam, requiritur æqualitas inter pretium & mercem.

Ratio.

Sed qvoniam hoc fundamentum, etsi certissimum sit, minimè sufficiat ad iudicandum in particulari de singulis contractibus, iusti sint nécne, nisi rerum, quæ venduntur, pretium iustum agnoscatur; ideò quærendum primò est, quomodò cognoscatur rei pretium iustum? Et vt ex pluribus Doctoribus colligitur, hoc in summa videtur multis esse tenendum. Primò, si authoritate publica principis, vel communitatis, seu alterius vicem eius tenentis, sit taxatum rebus venalibus pretium, illud est reputandum iustum pretium. Secundò in defectu huiusmodi taxationis, communi cursui, seu æstimationi videtur esse standum; ita vt illud sit rerum quæ venduntur iustum pretium, quod

Tria documenta ad cognoscendum iustum rei venalis pretiū.

I.

II.

ſecundùm communem curſum, ſeu conſuetudinem pro rebus illis tradi, & recipi ſolet. D

III quod tres habet partes. Tertiò, vbi nec lex pretij determinatiua ſit, nec communis conſuetudo, eò, quòd fortè tales merces non ſunt illic aſſuetæ vendi, ſed de nouo aliundè portantur; tunc multa eſſent conſideranda, ad aſsignandum iuſtum pretium illarum mercium; quorum aliqua ſe tenent ex parte vendentis, quædam ex parte ementis, alia verò ex parte ipſarum mercium.

I. Ex parte quidem vendentium conſideranda ſunt expenſæ, labores, cura, induſtria, & pericula, quibus tales mercatores ſe, & merces ſuas expoſuerunt, in res illas de loco in locum tranſportando, aut etiam ſeruando.

II. Ex parte ementium conſiderantur indigentia, qua rebus illis indigent, paucitas aut multitudo ementium, complacibilitas, ſeu appretiatio ipſarum rerum; ſimiliter & vtilitas, ex mercibus ipſis ementibus euentura.

III. Ex parte denique mercium conſiderantur raritas, aut abundantia ipſarum, fertilitas, ſeu ſterilitas earundem, ſeu commoditas, quam poſsidentibus tradere poſſunt; ſimiliter & earundem meliorario, ſeu deterioratio, & alia huiuſmodi. Quibus omnibus rectè perpenſis, poterit prudens mercator merces ſuas vendere, petendo id quod illi conſtiterant, & vltrà aliquod lucrum, vnde valeat competens ſtipendium pro laboribus, expenſis, & periculis, cæteriſque, quæ dicta ſunt, recipere: tantum ſcilicet quantum iuſtè reſpub. illi mercatori tradidiſſet, ſi illum reſpub. ad ſimiles merces portandas conduxiſſet, vt ait Scotus. E

Obiectiones aliquot cōtra I. documentum. De his documentis breuiter videamus, an ſufficiant ad cognoſcendum iuſtum pretium, & ad conſcientias ipſorum mercatorum, iuxta hæc documenta ſuas merces vendentium, aſſecurandum. Et poſſet aliquis obiicere, quòd primum documentum non omnino ſufficiat, nec omnino ſit certum: tum quia qui publica autoritate, vel principis, vel ciuitatis pretia rebus imponunt, poſſunt deficere, aut excedere in taxatione pretij, idq; multis modis, odio ſcilicet, aut fauore vendentium, aut precibus, ſeu muneribus ab ipſis vendentibus oblatis. Quibus aliiſque multis cauſis, ſeu modis non dubium eſt, præfatos reipub. rectores poſſe corrumpi.

I.

II. Deinde, eſto hæc, quæ dicta ſunt, ceſſent, poterunt præfati rectores ex ignorantia, aut ex prudentiæ defectu, aut ex imperitia, aut etiam ex negligentia perpendendi omnia, quæ in tertio documento ſuprà poſita ſunt, à iuſto pretio deficere, aut etiam excedere; ac proinde non erit iuſtum pretium, quod ipſi aſsignauerint.

III. Praeterea, eſto quòd tempore taxationis optimè, & iuſtiſsimè pretium taxauerint, ſtat quòd ſucceſſu temporis, ob varium rerum euentum, ſit augendum pretium, aut diminuendum: nam poſſunt expēſæ, labores, pericula creſcere, aut etiam minui. Poſſunt merces ſimiliter variari, ſeu alterari in bonitate, aut malitia, in raritate, & abundantia. Poteſt etiam accidere, vt indigentia creſcat, aut minuatur, vt multò plures ſint emptores quàm priùs, aut pauciores; quæ omnia paſsim accidere videmus, & valent ad alterandum mercium valorem, & iuſtum pretium earum. Ac proinde irrationabile videtur, in tot rerum varietatibus, idem ſemper ſeruare pretium, ob id ſcilicet, quia per legem, aut publicam poteſtatem taxatum ſit: & per conſequens primum documentum ſuas habet incertitudines. F

Aliæ obiectiones contra II. documentum. Secundum documentum, ex communi hominum æſtimatione & curſu ſumptum, certius eſſe videtur, eò, quòd huiuſmodi hominum æſtimatio variatur ad rerum prædictarum variationem. Verùm adhuc ſuas habet difficultates: tum quia non eſt eadem hominum appretiatio, ſeu æſtimatio; cùm ſæpe accidat in repub. varia eſſe de his pretiis iudicia; imò & contraria ſeu contradictoria, ita vt quidam de re aliqua interrogati, quantum ſcilicet valeat, dicant eam valere 10. alij 12. Econtra verò alij nec 10. nec 12. ſed octo aut nouem, vt experientia docet.

I.

II. Praeterea quæro, hæc communis hominum æſtimatio, per quam iuſtum pretium agnoſcitur, eſt æſtimatio ipſorum mercatotum, aut aliorum, qui mercatores non ſunt? rarò enim hi cum illis in æſtimatione conueniunt. Si primum, ſuſpectum eſt tale documentum, eò quòd de mercatoribus, qui res ſuas vendere volunt, iuſtè præſumi poteſt, eos in tali æſtimatione excedere, quos (vt experientia monſtrat) ſcimus ſemper lucrum prętendere, & rebus ſuis affectos eſſe. Si ſecundum, ſimiliter videtur documentum ſuſpectum, eò quòd hi, quamuis prudentes ſint; ſunt tamen vt plurimum harum rerum

ignari

A ignari & inexperti,cùm per se nesciant, quantum res mercatoribus constiterint, quantas expensas fecerint, quanta pericula & labores subierint, sicut ipsimet mercatores sciunt.

DEINDE demus, hos & illos in rerum æstimatione conuenire, res tamen ipsas in eodem loco,& tempore stat plus,aut minus valere,ex modo scilicet vendendi: vt si venditor vltrò se offerat, aut roget, vt aliquis rem suam emat, aut rogatus ipse potiùs eam vendat; similiter si plures sint, qui rem illam emere velint,aut pauci; similiter si priuatim vendatur, aut publicè in foro ad præconis clamorem: in quibus omnibus res eadem diuersum dicitur habere valorem & pretium, etiamsi præfatæ communi hominum æstimationi minimè concordet. Quemadmodùm res eundem valorem non habet, saltem ipsi vendenti,vt dicit Thomas. Si venditor ex rei venditione damnum aliquod notabile patiatur, aut nullum: & si patiatur,rem tamen rogans vendat, an rogatus; quia si rogatus, potest pretium augere, iuxta exigentiam damni, quod patitur; quod tamen augere non debet, si rogans vendat. Et ita secundum documentum, non videtur omnino sufficiens. III.

TERTIVM documentum, in quo dicitur, omnia illa esse consideranda, quæ diximus se tenere ex parte vendentis,& ementis,& mercis ipsius,similiter videtur incertum. Primò, quia non videtur satis tutum, pretij taxationem iudicio ipsorum mercatorum B relinquere;qui quamuis sciant,quantum res illis constiterint,quas expensas fecerint, & quæ pericula subierint;fortè tamen non satis prudentes sunt,vt cætera alia considerent, quæ consideranda sunt, & etiam solent ex affectione, quam ad res suas habent, simul & ex lucrandi cupiditate,obcæcari. Deinde non omnes mercatores easdem faciunt expensas,in eisdem aut similibus mercibus afferendis: nec omnes ex eodem loco, nec per easdem vias,nec cum eisdem periculis,quando hi per mare,illi per terras merces suas portant:hic per loca tuta, ille autem per loca periculosa. *Obiectiones contra I. partē III. documenti.* I. II.

DEINDE, esto quòd de eodem loco, & per easdem vias merces attulerint, stat tamen,quòd non æquali pretio eas emerint:& quòd alter in promptu eas emerit viliùs,alter ad terminum cariùs: alter fuerit cautus & prudens emptor: alter verò quia incautus, cariùs debito eas emit:alter multas merces,& inde viliùs emit:alter verò paucas, & ideo cariùs. III.

DEINDE,post allatas merces alter iunctim eas vendit, alter diuisim, alter in custodiendo indiget maiore cura, & solicitudine, si non tutas ædes habet: alter verò minori, prout eorum merces ratione loci,& domus sunt magis,aut minùs periculo expositæ. Ac proinde si ad illa omnia, quæ ex parte vendentis se tenent, essent aspicienda, & secundùm ea pretium mercium taxandum, accideret vt easdem, aut omnino similes merces, in eodem loco & tempore,ceteris omnino paribus,dempta expensarum& periculorum aliorumque varietate prædicta, hic posset cariùs vendere, ille viliùs, etiam in notabili C quantitate: quod est absurdum. Et sequela est de se nota. IIII.

QVOD ETIAM dicebatur, esse attendenda illa, quæ se tenent ex parte ementium, puta indigentiam,complacibilitatem,& vtilitatem illis euenientem, suam habet similiter difficultatem.Nam si ob indigentiam ementium plus valeret res qua indigent,sequitur quòd liceret cariùs vendere pauperibus merces, quàm diuitibus: quia plus indigent illis.Similiter idem esset dicendum de peregrinis & aduenis,qui plus indigent rebus illis necessariis, in loco ad quem perueniunt, quàm incolæ qui sibi de necessariis sufficienter prouiderunt:hoc autem est absurdum. Quòd etiam ob vtilitatem ementi euenientem, non liceat ascendere in pretio,apparet.Tum,quia venditor nō potest vendere,nisi quod suum est,non quod alienum.Potest enim ascendere in pretio ob interesse, si quod ex rei suæ venditione patitur: vtilitatem autem seu interesse, quod emptori exemptione euenit, non ita est ipsius vendentis:ac proinde non potest ob illud aliquid exigere, sicut is qui mutuat, potest pro interesse proprio, quod ex mutuatione patitur,aliquid à mutuatario exigere:non tamē pro interesse,quod mutuatarius ex mutuo lucratur.Adde,quòd si liceret in pretio ascendere ob vtilitatem ementis, sequeretur quòd si emptor indiget equo meo ad fugiendum,qui & mortem aliter vitare non potest, possem ego quantumcunq; pretium pro equo ab illo recipere.Similiter,qui vendit medicinā infirmo necessariam, sine qua viuere non sperat, posset quantumcunque pretium pro medicina recipere: & ita de aliis. *Contra II. partem eiusdē III. documenti.* I. II.

Reiicitur quædam solutio ad prædictas obiectiones.

Si ad hæc dicas, indigentiam & vtilitatem ementium in taxatione pretij attendendam, non esse particularem, vnius scilicet, aut paucarum personarum, sed communem, qua scilicet, communiter vt plurimum omnes indigent, & omnibus vt plurimum ex merce ipsa æqualis euenit commoditas, præter eam, quæ apposita industria ementis, aut aliâs per accidens eueniret; adhuc stat replica: quia tunc sequitur, quòd tempore famis vniuersalis liceret pro pane quantumcunque pretium exigere. Similiter tempore pestis vniuersalis, liceret pro medicinis, & curatione quantumuis magnum exigere pretium. Similiter tempore belli, post prouinciam aut regnum aliquod spoliatum, liceret pro quantocunque pretio vestes, & alimenta, cæteraque hominibus vniuersaliter necessaria vendere: eò quòd in his, & huiusmodi casibus indigentia est communis: vtilitas ementibus ex mercibus eueniens, similiter est communis. Igitur. Ac proinde siue sit indigentia, & commoditas particularis, siue communis, non videtur licitum pretium secundùm horum exigentiam augere. D

Oppugnatur regula a quadā Scoti, ad finem III. documenti supra proposita.

I. Ex dictis patet incertam esse regulam Scoti suprà positam, in qua dicitur tantum posse mercatores in suarum mercium venditione lucrari, quantum esset stipẽdium quod respub. illis tradidisset, si eos ad præfatas merces portandas & vendendas conduxisset. Tum quia secundùm hoc semper deberent mercatores lucrari, & pluris suas merces vendere quam illis constiterunt: cùm tamen ex dictis appareat id esse falsum: eò quòd sæpe accidit, & ob multas causas merces suum valorem paulatim amittere, siue ob raritatem emptorum, siue ob mercium abundantiam, aut earum deteriorationem &c. ita vt non tantum valeant, quantum ab initio, quando scilicet emptæ fuerunt. E

II. Tum etiam, quia tunc si duo mercatores similes omnino merces portarent, alter de loco valdè distante, & cum magnis laboribus, & periculis, & expensis: alter verò de loco propinquo, sine labore, sine expensis, & periculis, posset primus pretium exigere longè maius, quam secundus: nam si respub. illos conduxisset, non dubium longè maius stipendium priori dedisset, quàm posteriori. Et si duo ad nundinas iuerint, & easdem expensas fecerint, & labores subierint, dempto quòd alter vnum pannum emit, alter verò multos, sequeretur illos ex venditione suarum mercium, æquale quasi lucrum posse lucrari, ex quo æquale stipendium respub. illis tradidisset, aut quasi; maximè cùm parum referret, vnam, aut plures merces à nundinis portare, quantum ad stipendij quantitatem illis asignandam, si suas operas locarent.

III. Tum etiam, quia stat merces ob aliquam causam in valore ascendere; vt si aliorum merces sint consumptæ, aut si plures emptores concurrant, aut si communis hominum indigentia creuerit: nam tunc licitum erit maius pretium pro illis exigere, quàm sit stipendium, quod alioqui illis iustè poterat asignari.

Resolutio.

Tenenda sunt prædicta III. documenta.

Explicatur sensus I. documẽti.

Praedictis tamen non obstantibus, videtur præfata documenta esse tenenda, si rectè intelligantur. Primum est, si lege, vel publica autoritate sit rerum iustum pretium determinatum, sic quòd venditores non vltra, quod taxatum est, pro mercibus exigant, aut recipiant, illud est præsumendum iustum pretium; interim quòd non constat taxatores fuisse vel corruptos, vel deceptos in pretij asignatione: iustum enim est pro illis præsumere, qui rempub. gubernant, interim quòd de opposito non constat. De quibus etiam præsumendum est, quòd diligentiam debitam apposuerint ad omnia perpendenda, ex quibus pretium venit augendum, aut diminuendum. Et quemadmodum ad illos spectat primò, quando scilicet res venditioni exponuntur pretia determinare; ita ad eosdem spectat successu temporis, rerum varietatem, quo ad copiam, seu penuriam, quo ad meliorationem seu deteriorationem, attendere. Similiter & emptorum paucitatem aut pluralitatem, atq; venditorum considerare, vt taxatio per eos facta continuetur, aut etiam mutetur. Et si continuetur, semper est pro illis præsumendum, & eorum taxationi standum; nisi notabilis causa taxationem mutandi appareat; quia tunc cessat præsumptio dicta, nec ex tunc erit iusta præfata taxatio, nec illi necessariò standum, ex quo incipit irrationabilis esse. Et ita si præfati rectores, taxationem per eos factam, non mutent, tuti erunt in conscientia mercatores, si aliud exigant pretium, idque in conscientia; quamuis fortè in foro eorum à pœna immunes non erunt. Et per hæc patet ad ea, quæ contra primum documentum obiecta sunt. F

[So]lutio obiectio[num] contra I. documentum allatarum.

[Ex]plicatur sensus II. documenti.

Secundum erat communis hominum æstimatio, seu rei appretiatio, & communis rerum venaliũ cursus, & consuetudo. Quod tenet locum, qñ merces communiter in rep.

A aliqua vendi solent,& apud prudentes & imprudentes, diuites, & pauperes idem rerum venalium pretium seruatur, supposita ipsarum rerum æqualitate in bonitate intrinseca: tunc illud reputatur pretium iustum, ex quo in tali repub.semper sunt personæ prudentes,qui sciant omnia perpendere, quæ ad pretij iustitiam conducunt. Et huiusmodi cōmuni æstimatione existente, impertinens est, venditores multas fecisse expensas,multa subisse pericula, viliùs, aut cariùs merces emisse. Ita accidit,eos,si iustè res suas vendere volunt,aliquando lucrari,aliquando perdere:talis est ipsorum mercatorum conditio,vt sicut lucro,ita & damno se exponant.

ET PROCEDIT hoc documentum de pretio rerum, quas ipsi mercatores in suis domibus venales tenent;secùs si ab aliis,qui id ex officio non habent,vendantur: quia,vt puto,non habent merces eundem valorem apud mercatores, qui id habent ex officio, & apud alios:quia mercatores causam habēt iustam,aliquid,ratione officij, amplius pro mercibus recipiendi,quam alij non habent.Quemadmodùm campsori permittitur pro cambio aliquid lucrari,ratione officij,quod alij, non campsori, non ita permittitur. Ac proinde non est damnandum,si quis merces à non mercatore viliùs emat, quàm in domibus mercatorum venduntur. Itaque documentum hoc,quod consuetudini innititur, specialiter videtur pro mercatoribus positum. *Limitatio prima eiusdē documenti.*

SIMILITER si merces,seu res aliquæ ad vocem præconis publicè vendantur, quod B vulgò dicitur,almoneda,non erit illic iniusta venditio,aut emptio, si nō detur pretium, iuxta comunem consuetudinem,quam mercatores in vendendo seruant;id enim in illo foro publico reputatur valere res, quod pro illa fuerit repertum,siue maius sit,siue minus,quàm pretium pro quo mercatores similem rem vendunt:habet enim forum illud leges suas,à legibus mercatorum differentes. Nec obstat, quòd in vna almoneda res similes pluris vendantur, quàm in alia; quia facilè pro loco,& tempore rerum valor variatur,ex multitudine emptorum, & communi rerum indigentia, aut ex paucitate eorum, & parua rerum indigentia: hæc enim sunt,quæ vtplurimum rerum valorem,vel augent, vel minuunt. Idem iudicium est de rebus,quæ per proxenetas,per vicos,& plateas cum mercibus discurrentes venduntur,qui dicuntur vulgò,corredores,pretium illarum non oportet, iuxta consuetudinem præfatam mercatorum taxare, ideò si minoris vendantur,non est facilè condemnandum; dummodò fraus, & negligentia ipsorum cursorum cesset,sed fideliter & diligenter discurrant,quærentes emptores,cum nullo eorum fraudulenter conuenientes. *Secunda limitatio eiusdem.*

INDE etiam fit,eos qui reditus Ecclesiasticos,aut etiam seculares pro minori etiam scienter emunt, quando publicè venales exponuntur, non esse damnandos,nec ad restitutionem compellendos, si fraus & dolus cesset; vti fit inter eos,qui vulgò dicuntur, arrendadores: habet enim illud forum suas leges, sicut forum publicum,quod dicitur, almoneda.Et quemadmodùm emptores pro minori à culpa in casu excusantur; ita & C scienter pro maiori vendentes,ratione fori excusantur,maximè si emptores sciāt, se pro maiori emere: secùs fortè, si ignari sint, & imprudentes ipsi qui emunt,& qui vendunt, sciant rei venditæ quantitatem. *Tertia limitatio eiusdem.*

VNDE in hoc casu illud videtur notandum, quòd si emptor scit fructuum, qui venduntur,quātitatem,similiter & venditor,excusari poterit emptio, & venditio si magno, aut paruo pretio emantur. Similiter si ambo fructuum, qui venduntur, quantitatem ignorent,poterit præfata emptio, & venditio excusari. Si tamen (quod vtplurimum fit) venditor sciat fructuum quantitatem, vel quasi, ex quo per Scripturam, quæ vulgò tazmia dicitur,id agnoscant:emptor autem id penitus ignorat, nec si diligentiam fecisset, fructuum quantitatem attingere potuisset, & ex errore aut ignorantia, pro maiori quantitate, aut pretio præfatos fructus redituales emat,an erit licita venditio? Dicerem quòd non, sed tenebitur in conscientia venditor excessum restituere,si fuit emptor notabiliter læsus: quanquam in foro exteriori cogetur emptor stare contractui. Huius ratio videtur, quia non est æqua vtriusque conditio: nam venditor rem sciens, videtur esse in tuto;emptor autem nesciēs,in periculo.Cuius exemplum est,si is,qui rete in mare misit, scit nil apprehendisse: alter autem id nesciens, emit iactum illum, certè non erit venditor tutus; cùm non sit æqua vtriusque conditio. Sicut etiam exemplificari potest de eo, qui fructum vineæ, quam alibi habet, sciens omninò destructum esse, alteri id ignoranti vendit,peccat vendendo, & restituere tenetur. Sicut qui scit multas merces *Alius casus proponitur.* *Solutio.* *Ratio.*

 ad pa-

ad patriam venisse, & merces quas habet, cariùs vendit ei, qui aliarum superuentum ignorat, tenetur illi. de quo inferiùs. Si autem in præsenti casu huiusmodi emptiones, & venditiones excusantur, ideò est, quia vtplurimum tam ementibus, quàm vendentibus incerta est fructuum, quos vendunt, quantitas. D

Explicatur tertium documentum suprà positum.

TERTIVM documentum, in quo dicebatur, esse attendendum ad expensas, laborem, periculum, & cætera, quæ ex parte vendentis, similiter & quæ ex parte ementium se tenent, procedit de mercibus de nouo aduenientibus, ante quarum aduentum in loco illo nec lex, nec consuetudo, aut communis cursus erat, qui pretium illis imponeret; tunc possunt illa omnia considerari, & pretium tale asignari, vt ipsi venditores non perdant, sed aliquid vltrà, quàm res illis constitit, lucrentur, præsupposita mercium vtilitate; similiter & earum indigentia in repub. illa, simul & communi hominum æstimatione & desiderio res illas habendi. Præsupposito etiam quòd venditores in emendo merces, & eas afferendo prudentes fuerint, & reipublicæ ad quam eas afferunt, rem vtiliter gesserint, non de loco distantiori eas afferendo, cùm de propinquiori afferri possent, nō per loca periculosa, aut cum magnis expensis, cùm per secura loca, & cum paucioribus eas portare possent; nō etiam eas ad terminum emerint cariùs, quàm ad statim valerent: ratione enim talium excessuum, non possunt merces per eos emptas illis cariùs vendere, quàm si in illis non excesissent. His enim & aliis bene perpensis, poterunt rebus suis pretium taxare, ita vt lucrentur, iuxta regulam Scoti, quantum, si per rempub. essent conducti, mererentur. Secùs si res non sic reipub. vtiles forent; aut nulla, aut parua illarum esset indigentia, seu appretiatio, aut complacibilitas, seu desiderium. Secùs etiam, si post primam pretij taxationem alia vendendi consuetudo superueniat, vel ascēdendo, vel descendendo in pretio secundùm rerum, emptorum, & venditorum variationem. In quibus non videtur curiosiùs insistendum: nam qui multum emungit, elicit sanguinem. E

Triplex rerum venalium pretium: rigidum, pium seu infimum, & medium.

Iustum pretium non consistit in indiuisibili.

INDE ILLA pretiorum distinctio communiter est approbata, qua dicitur pretium in indiuisibili non consistere, sed suam latitudinem habere, vt quidam sit pretij gradus rigidus, quidam pius, seu infimus, quidam verò medius: & in quocunq; horum graduum res vendatur, dicitur pro iusto pretio vēdi. Si autem pro pretio totam illam latitudinem egrediente per excessum, aut per defectum vendatur, dicetur iniustum pretium, & venditio iniusta, Huius distinctionis approbatæ ratio clara est, quia si pretium iustū in indiuisibili consisteret, vix possent mercatores, & emptores tuti esse in conscientia, imò nūquam; eò quòd seclusa Dei particulari reuelatione, nunquam certi esse possent, an res pro pretio iusto vendant, an iniusto, vt de se constat.

Ratio I.

II. TVM ETIAM, quia cùm pretium iustum, vtplurimum ex communi hominum æstimatione colligatur; hæc autem non est eadem in omnibus, vt experientia docet, sed aliqui sentiunt rem valere 10. alij 11. alij verò 12. & qui pretium, seu valorem rei, secundùm suam æstimationem, determinant, dicūt rem illam valere 10. parum plus minúsue. Itaq; hominum æstimatio non est ad aliquid indiuisibile; ac proinde certum est, iustum pretium in indiuisibili non consistere. F

Corollarium I.

INDE corollariè sequitur, posse mercatorem rem vni cariùs, alij viliùs vendere, & iustè; dummodò pretium vtrunq; sit intra prædictam latitudinem. Sequitur etiam, posse mercatorem rem cariùs vendere ad terminū, quàm ad statim, & cariùs pauperi, quàm diuiti: dummodò (vt dixi) semper pretium sit intra dictam latitudinem. Sequitur etiam, posse mercatorem rem pro minori emere, & statim eam penitus immutatam, pro maiori vendere: vt si eam emit pro pretio infimo, & vendit pro rigido, intra latitudinem iusti pretij. Nec id solùm, sed etiam stat, aliquem mercem emere pro pretio in gradu rigido, & statim eam pro maiori pretio vendere; etiamsi nulla in re facta fuerit mutatio, idque licitè: nam accidit, vt merces plus valeant in potestate vnius, quā alterius. Vt si is qui emit equum scilicet pro pretio rigido communiter currente, sit peritus, sciens equorū, quos emit, conditionem meliùs quàm alij, qui nō solet nisi meliores emere, & de illo talis habetur opinio. Certum est, homines communiter plus æstimare & appretiari equos ab illo homine emptos, quàm alios: & per consequens equus, in illius potestate est maioris pretij, quàm in potestate alterius. Et corollarium patet, & ita alia possent inferri.

Corollariū II.

SEQVITVR amplius, quòd minùs periculosa est negotiatio illius, cuius merces taxatæ sunt per constitutionem aliquam municipalem, seu per rectores ciuitatis, seu per commu-

A communem consuetudinem, quàm illius, cuius mercium taxatio suo arbitrio relicta est. Et similiter minùs periculosa est negotiatio illius, qui merces habet, quibus aliæ similes in ciuitate venduntur, quàm illius, qui solus tales merces vendit. Tum, quia faciliùs sciet suas merces, iuxta communem consuetudinem æstimare, quàm si solus eas haberet: tum etiam, quia minorem frontem habebit ad merces suas superuendendum, quàm si solus eas habeat, vt satis constat.

De mercatione, in qua iustum pretium non datur.

QVÆSTIO XXXII.

FACILE EST iam ad quæstionem respondere, in qua quæritur, de contractu emptionis, & vēditionis, in quo iustum pretium nō seruatur, an sit iustus, & inde an obligatio restituendi oriatur? Et dicendum breuiter, quòd siue res vendatur, aut ematur cariùs, quàm valeat vltra seu citra dimidium iusti pretij, in multo, aut in paruo, ita vt pretium non sit intra latitudinem iusti pretij suprà positam, regulariter est illicitus cōtractus, & debet in conscientia vel rescindi, vel ad æqualitatem reduci. Quòd enim contractus iniustus sit; patet ex dictis; quia ex quo in illo non seruatur æqualitas mercis, & pretij, ex consequenti receditur à iustitia; imò contra eam agitur; & tantò magis, quantò pretium datum magis excedit, aut deficit à valore mercis. Ac proinde, nisi sic contrahentes per aliquid excusentur, non dubium est eos peccare.

An defraudans aliquē in vēditiōe et emptione vltra vel citra iustum pretium, teneatur restituere.
Solutio affirmatiua.
Probatur I.

B

TVM, ETIAM idem colligitur ex 10.q.2.§. hoc ius. vbi dicitur, quòd si in venditione rei Ecclesiasticę plus offeratur, quàm res valeat, Ecclesia recipere non debet, sed tantùm iustum pretium: Igitur & in venditione aliarum rerum etiam secularium, iustum debet pretium interuenire, quandoquidem iustitia commutatiua non minùs in rerum secularium venditione seruanda est, quàm Ecclesiasticarum. Tum etiam idem apparet ex August. lib. 13. de Trinit. cap. 3. dicente: Vili velle emere, & carè velle vendere, re vera vitium est: nec ob aliud, quèm quòd æqualitas inter pretium, & rei valorem non seruatur. Vnde ibidem commendat Augustinus, hominem tanquàm iustum, qui, cum vēditor exiguum pretium pro re, quam vendebat, nesciens posceret; ipse tamen sciens rei valorem, amplius, quam alter postulauerat, tradidit. Ait enim: Scio hominem, cum venalis codex sibi fuisset oblatus, pretiiq; eius ignarum, & ideò quiddam exiguum poscentem cerneret venditorem, iustum pretium, quod multò amplius erat, nec opinātì dedisse &c. Procedit conclusio tam de eo, qui scienter dat pretium diminutum, aut recipit excessiuū, quàm de eo, qui habens conscientiam dubiam de excessu, aut defectu pretij maius pretium exigit, aut minus offert & dat: cùm non minùs peccetur contra cōscientiam positiuam agendo, quàm contra dubiam.

II.

III.

Quatenus et de quib⁹ prædicta solutio intelligenda sit.

C

QVOD autem in casu is, qui defraudat, siue excessiuum pretium recipiendo, siue diminutum tradēdo teneatur restituere defraudato, non dubitatur, si defraudatio sit vltra dimidium iusti pretij, in quo tam Iuristæ, quàm Theologi conueniunt; si tamē sit defraudatio citra dimidium iusti pretij, non æqualiter & idem sentiunt. Probatur tamen, tunc esse necessarium restitutionem facere defraudato; quia qui defraudat proximum, non liberè consentientem, peccat contra charitatem proximi, & contra legem naturæ; quia hoc facit alteri, quod sibi nollet fieri, & ipsum iniustè damnificat: igitur tenetur satisfacere læso; iuxta cap. si culpa tua damnum datum est &c. de iniuriis. In casu autem recipit à proximo aliquid alioqui indebitum, seclusa libera voluntate donandi, in ipso defraudato, quem suppono nullatenus donare intendere, igitur satisfaciendum est illi.

Quid sit certū in proposita materia.
Etiam quando defraudatio fuerit citra dimidium iusti pretij, facienda est restitutio.
Probatur I.

SECVNDO, & est argumentum ad hominem; nam hi, qui oppositum opinantur, dicunt, quòd si quis vendat vltra dimidium iusti pretij, quòd tenetur totū excessum restituere: si tamen citra dimidium, nil tenetur restituere. Vendat igitur aliquis rem, quæ ad summam valet 10. pro 15. in quo non vendit vltra dimidium iusti pretij. Quæro iam, an potest rem illam pro 15. vendere, idque iustè absque debito quidquam restituendi, vel non? Si primum, igitur si vendit vltra dimidium iusti pretij, puta pro 16. non tenebitur restituere, nisi vnum: nam reliqua 15. bene poterat pro merce vendita retinere, & ita vendendo vltra dimidium iusti pretij non tenebitur totum excessum restituere: quòd

II.

est

eſt contra eos. Si ſecundum, igitur vendendo ſolùm pro 15. vel citrà, tenebitur totum exceſſum reſtituere. D

III. CONFIRMATVR, quia obligatio reſtituẽdi naſcitur ex iniuſta rei alienæ acceptione, ſeu retentione. Si igitur in caſu præcedenti, quo venditor rem valentem 10. vendat pro 15. nil alienum iniuſtè accepit: igitur ſi eandem vendat pro 16. non grauabit iniuſtè emptorem, niſi in vno; ac proinde vendendo pro 16. non tenebitur reſtituere niſi vnum, quod eſt contra eos, & contra omnes; cùm totus exceſſus ſit reſtituendus, quando eſt vltra dimidium iuſti pretij: ac proinde ſi vendidiſſet pro 15. illa 5. eſſent iniuſtè recepta, & per conſequens reſtituenda in conſcientia.

Soluũtur argumenta Iuriſtarum in contrarium. I. NEC OBSTANT, quæ nonnulli Iuriſtæ in oppoſitum afferunt. Arguunt enim primò, quòd exceſſus, ſi non ſit vltra dimidium iuſti pretij, non ſit reſtituendus; quia talis contractus eſt licitus & iuſtus, eò quòd naturaliter conceſſum eſt, & permiſſum contrahentibus ſe inuicem circumuenire, atque circumſcribere, vt notant Iuriſtæ in l. item ſi pretio. §. fin. ff. locati. Et in l. in cauſæ. §. idem Pomponius. ff. de minori. *Solutio.* Reſpondeo, ſi dictum illud eſſet verum, ſequeretur, quòd non ſolùm eſſet licitum ſe inuicem decipere, citra dimidium, ſed vltrà, quod eſt contra ipſos, & cõtra veritatem, iuxta illud Pauli, 1. ad Theſſal. 4. dicentis: Ne quis ſupergrediatur & circumueniat fratrem ſuum in negotio: vindex eſt enim Dominus de his omnibus. Non igitur iure naturæ, aut diuino conceſſum eſt hominibus, vt ſe inuicem decipiant, aut circumueniant, nec in multo, nec in paruo. E Ac proinde cùm dicitur naturale eſſe contrahentibus ſe inuicem circumuenire, non intelligatur quòd ſit de iure naturæ, ſed naturale eſſe dicitur, quia ſecundùm naturam corruptam, natum eſt contingere, & ſæpe contingit homines ob rerum cupiditatem, quæ illis quodammodò naturalis eſt, ſe inuicem decipere. Quòd ſi alicubi dicatur id licitum eſſe, intelligatur, id eſt, permiſſum, quia ſcilicet, iure ſaltem humano, tales circumuentiones non puniuntur. Sed eſto à iure humano permittantur, non tamen à iure naturali, aut diuino.

Quomodò intelligendũ, permiſſum eſſe cõtrahentibus ſe inuicem circũuenire.

II. SECVNDO opponunt, quia defraudare proximum citra dimidium iuſti pretij, videtur fieri iuris tam canonici, quàm ciuilis authoritate. Patet de ciuili, ſimiliter etiã de canonico, cap. cùm dilecti. de emptione. Et talibus contractibus, in quibus ſit defraudatio citra dimidium, nec vnum ius, nec aliud reſiſtit, ſed illos vtrunq; ius approbat. Quod autem iuris authoritate fit, iuſtè fit: & ſi iuſtè, igitur nec peccant taliter contahentes, nec reſtituere tenẽtur. *Solutio.* Reſpondeo, quòd nec iura, ciuile, ſcilicet, & Canonicum, tales contractus approbant tanquam iuſtos ac licitos, nec authoritatem præſtant, vt huiuſmodi defraudationes fiant. Quòd ſi iura huiuſmodi contractus approbant, hoc eſt verum, quantum ad eorum validitatem; ita vt non ſint neceſſariò reſcindendi, vt habetur in l. ſi voluntate. C. de reſcindenda venditione. Vbi Imperator ait, quòd nec bona fides, nec aliqua ratio patitur, vt contractus, in quo ſit defraudatio citra dimidium, omni dolo ſecluſo reſcindatur. Non tamen illos contractus tanquam honeſtos & iuſtos, aut licitos F approbant, imò eos ius ciuile quodammodò inhoneſtos eſſe declarat, vt notat gloſ. in l. ſemper in conuentionibus. ff. de reg. iuris. dicens, non congruit honeſto viro circumuenire alium, infra dimidium iuſti pretij. Ius etiam Canonicum idem docet. §. hoc ius. 10. q. 2. ſuprà citato. vbi dicitur in ſententia, quòd in venditione rerum Eccleſiaſticarum non debet vltra iuſtum pretium recipi. Quod cùm in iuſtitia commutatiua ſit fundatum, quam in omni venditione ſeruare oportet, ſequitur iniuſtos eſſe tales conttactus, in quibus à pretio iuſto exceditur, aut deficitur: ſed nec humana iura authoritatem præſtant præfatis defraudationibus, ſed eas permittunt; quia non puniunt, & defraudatis actionem contra defraudantes negant. Et eſto, authoritatem ad id præſtarent, nõ inde ſit, vt licitè & iuſtè fiant; cùm multa videamus ſecundùm leges humanas permiſſa, & diſpoſita, quæ tamen ſecundùm legem naturalem, & diuinam ſunt damnanda. Vt patet de vſura citra centeſimam, quæ iure ciuili toleratur & defenditur. Patet de præſcriptione cum mala fide, quæ aliquando iure ciuili defenditur. Patet etiam, quia leges olim patribus pro neceſsitate filios occidere concedebant, licèt hodie ſublatum ſit. Patet de concubinatu, quem leges approbant. Et multa alia afferri poſſent exempla, in quibus leges ciuiles conſtat à lege naturali, & diuina differre. Vnde Auguſtinus, non ſine cauſa id quod dicitur, quod legis authoritate fit, iuſtè fit, non de lege humana intellexit, ſed de diuina, vt habetur 23. q. 4. cap. qui peccat.

TERTIO

A TERTIO opponunt, quia ex diſpoſitione iuris fit, vt qui rem alienam per tempus lege definitum poſſedit, poſteà rem illam reſtituere non teneatur, etiamſi ſuperueniat ſcientia, quòd res illa fuerit aliena. Igitur ſimiliter diſpoſitione iuris fieri poteſt, vt qui vendit rem plus iuſto, citra tamen dimidium, non teneatur ſuperacceptũ reſtituere. Antecedens ſuppono ex dictis in quæſtione de præſcriptione. Et cõſequentia apparet, cùm eadem ſit vtriuſq; diſpoſitionis ratio, ſcilicet, ne daretur occaſio litibus & contentionibus, quæ innumeræ alioqui oriri poſſent, ſi ſuper omni defraudatione eſſet defraudatus audiendus. Ac proinde bonum publicum, & communis hominum pax videtur id exigere, vt in pręfatis defraudationibus dominium exceſſus in defraudãtem transferatur, pro eius conſcientiæ aſſecuratione. Sicut idem bonum publicum exigit, vt res aliena in præſcribentem ſimiliter transferatur. Reſpondetur, ſi hoc argumentum valeret, probaret quòd ſuperuenditio ſcienter facta, non excuſaret defraudãtem, quo minùs teneatur ſuperacceptum reſtituere. Nam poſſeſsio rei alienæ, etiam per totum tempus lege definitum, cum ſcientia quòd res ſit aliena; non excuſat præſcribentem, quo minùs teneatur, etiam tempore præſcriptionis cõpleto, rem illam ſuo domino reſtituere, vt ſuppono: & ita ad minus in huiuſmodi caſu reſtituendum eſt, quod ſuperacceptũ eſt, etiamſi ſit citra dimidium; quod tamen ipſi arguentes non concedunt, ſicut nec cõſequenter loquendo concedere debent; cùm ſecundùm iura non minùs talis ſuperuenditio ſcienter facta approbetur, quàm ſi neſcienter fieret. B Ac proinde dicendum, quòd non eſt ſimile, de præſcriptione & de ſuperuenditione; quia in præſcriptione, poſt tempus lege definitum cõpletum, ſi alia adſint, quæ ad legitimè præſcribendum ſunt neceſſaria, ius ipſum & legiſlator concedit, ſeu transfert dominium illius rei in pręſcribentem. Non ita in ſuperuenditione, ſed in hac ſolùm ratificat præfatam ſuperuenditionem, ita vt defraudato non detur actio, contra defraudantem, vt dictum eſt in foro exteriori; quod tamen forum ſępiſsimè à foro conſcientiæ diſcrepat. III. *Solutio.*

QVARTO opponunt à ſimili; ſi officialis qui operã ſuam locauit, aliquid ab his, quibus ſeruit, extorqueat, nõ tenetur reſtituere, iuxta Auguſtini ſententiam. Et habetur 14. q.5.cap. non ſanè. vbi ait, quòd magis reprehendendus eſt, qui talia repetit, quàm ipſe officialis, qui accepit. Igitur pari forma qui rem ſuperuendit, non tenebitur exceſſum reſtituere; cùm ſimile ſit rem ſuperuendere, & pro opere vltra debitum aliquid extorquere, cùm etiam hic ſit venditio ipſius operæ. IIII.

RESPONDETVR, quòd ſiue ſit officialis minor, ſiue maior, ſi aliquid alioqui indebitum extorquet, ſine dubio tenetur reſtituere: illud enim videtur ad concuſsionẽ pertinere. De quo Ioan. Baptiſta Luc.3. ad milites dicit: Neminem concutiatis, eſtote contenti ſtipendiis veſtris. Et ſicut pro re venali, non licet vltra iuſtum pretium accipere, ita nec pro re locata, aut opera alicuius non licet vltra iuſtum recipere. Et eſt vtrobiq; eadem ratio, quia vtrobiq; opùs eſt iuſtitiam commutatiuam ſeruare. Ad Auguſtinum autem dicendum, quòd non ait, per officiales extorta non eſſe reſtituenda, aut non poſſe repeti. C Quæ enim per eos extorta ſunt, repeti ſolent, inquit Auguſtinus, non ſolùm de facto, ſed de iure. Quòd autem ait, magis reprehendimus eos, qui talia repetunt, quàm officialem, qui recepit: non de extortis per officialem eſt accipiendum, ſed de his, quæ officialis per tolerabilem conſuetudinem recipit. Quod clarum eſt, ſi Gratianus integrè locum Auguſtini in epiſtola ad Macedonium trãſumpſiſſet, vt ſuprà latiùs explicuimus. Poſtquàm enim dixit, Ab his extorta per improbitatem repeti ſolent, addit: Data per tolerabilem conſuetudinem non ſolent. Et de his, quæ ex tolerabili conſuetudine data ſunt, ſubiungit, quod allegatum eſt, ſcilicet, magis reprehendendus eſt, qui talia repetit, quàm ipſe officialis, qui ea de more accipit. Itaq; defectus Gratiani, in fideliter transferendo locum prædictum, cauſa fuit, vt Innocentius, & cæteri poſt ipſum in hoc loco deciperentur, putantes extorta per præfatos officiales minores non eſſe reſtituenda. *Solutio.*

QVINTO opponunt, quia licitum eſt vnicuique rem ſuam vendere, quantum ipſa res valet: ſed res valet tantum, quantum vendi poteſt, vt eſt vulgatum dictum. Si dicatur, quòd non intelligitur id, quod dicitur, quantum vendi poteſt, de facto, ſed de iure; quia id poſſumus, quod iure poſſumus. Sequitur ad minùs, quòd poteſt iuſtè & licitè quis rem ſuam vendere pro pretio, quod non ſit vltra dimidium iuſti pretij, ex quo iure poteſt vnuſquiſque rem illo modo vendere; & ita non tenebitur venditor exceſſum iuſti pretij reſtituere. V.

CONFIR

Eiusdem confirmatio. CONFIRMATVR, quia in re sua vnusquisque est moderator & arbiter, vt habetur in l. in re mandata. C. mandati. Et per consequens, iustè seu licitè poterit venditor pretium excessiuum pro re sua petere, & recipere. *Solutio.* Respondetur, Si argumentum valeret, etiam similiter probaret, quòd posset homo vendere rem suam pro pretio, vltra dimidium iusti pretij, sicut citra, vt de se patet. *Quomodò intelligendum: Res tantùm valet, quantum vendi potest.* Ideò dicendum, quòd illud dictum, Res tantum valet, quantum vendi potest, limitandum est ad posse de iure, seu licitè, & rationabiliter; quod fiet, si vendatur iuxta documenta superiùs posita. Quòd autem res possit pro pretio excessiuo licitè vendi, nec ius naturale, nec diuinum, nec humanum authoritatem præstat, nec id concedit; etsi id permittat & toleret, vt iam dictum est. Aut dicatur dictum illud vulgare esse limitandum ad res venales, quarum pretium nec lege, nec communi cursu est determinatum, & res tales sunt, sine quibus humana vita conuenienter transigi potest. Addito, quòd venditio fiat sine dolo & fraude, & personis non ignaris, sed scientibus & prudentibus; quia tunc præsumitur iustum esse pretium, quod pro rebus illis fuerit repertum. Quales sunt res, quæ ad ornatum personæ, vel domus potiùs, quàm ad vitæ necessitatem pertinent: pro quibus etsi aliquid excessiuum detur, excessus ob beneplacitum ipsorum ementium videtur condonari. D

VI. SEXTO opponunt alij rationem hanc apparentem, quia si in casu excessus prædictus esset necessariò restituendus, ideò esset, quia venditor illum excessum ab emptore iniustè accepit, & ideò est velut furtum, aut rapina, saltem largè: sed in casu nec furtum, nec rapina, nec rei alienæ iniusta acceptio locum habere potest: quia vbi concurrunt mutuæ voluntates ementis, & vendentis, vt res suas inuicem commutent, furtum, & rapina aut iniustitia locum non habet. Sed sic est in præsenti casu, in quo contrahentes voluntate id faciunt; denique spontè consentiunt, nulla pressi necessitate, nulla ignorantia in eis interueniente: igitur nulla alteri eorum iniuria fit, quia volenti & consentienti non fit iniuria, nec dolus; præcipuè dum sciens & volens est sui iuris in re sua: consensus etiam in casu nō est lege aliqua irritatus, sicut in deceptione vltra dimidium iusti pretij. Sequitur ergo venditorem in casu nullam contra emptorem iniustitiam commisisse, nec rem eius iniustè accepisse, sed de consensu spontaneo ipsius emptoris; ac proinde non tenetur ei quidquam restituere. Id videtur Ioannem de Gerson mouisse, ad nō asserendum, in casu esse de necessitate restituendum excessum; in Tractatu de contractibus. E

Solutio. RESPONDETVR, si hæc ratio probaret, quòd venditor non tenetur restituere excessum citra dimidium, eadem probaret, quòd nec tenetur restituere excessum vltra dimidium iusti pretij; cùm non minùs conueniant spontè in tali contractu, quàm in alio. Nec valet dicere, non esse simile, eò quòd cōsensui in datione vltra dimidium repugnat ius, non autem citra. Non inquam valet, quia ius non magis vni contractui repugnat, quàm alteri, cæteris paribus, dempto, quòd in vno dat defraudato actionem contra defraudantem, vt lege rescindatur contractus, vel ad æqualitatem reducatur; non tamen eo ipso annullat, seu irritat contractum, vt suppono. Ac proinde si defraudatus suffragio legis vti nolit, nil esset in conscientia illi restituendum in vno contractu, sicut nec in alio. Ideò dicendum, quòd vel emptor, qui dat pretium excessiuum ad petitionem venditoris, dat totum illud per viam pretij; quemadmodùm venditor totum illud per viam pretij petit: vel excessum vltra iustum pretium dat per viam doni. Si primum, currit conclusio suprà posita, quam in præsentiarum defensamus, quòd scilicet, est restituendus excessus, siue vltra, siue citra dimidium sit iusti pretij, cùm ille excessus, nec donatus sit vendenti, nec eidem ratione mercis, nec ob aliam causam debitus, ideò videtur extortus esse. Nam suppono, in tali casu nullum esse animum ementis aliquid vendenti donare; sed ideò pretium excessiuum dat, quia re illa indiget, quam pro minori pretio habere non potest. Si secundum, scilicet quòd emptor vult spontè dare illum excessum per viam doni; tunc currit, quod hæc ratio Gersonis prætēdit: sed tunc etiam curret de pretio excedente dimidium iusti pretij, vt tactum est. Itaque conclusio, & communis positio procedit de emptione, & venditione pura, cui nulla est admixta donatio. Sed de hoc posteà. F

Aliud dubium. An liceat aliquādo rem pro excessiuo ptio vendere. SED NVNQVID id semper sit verum, quod scilicet nō liceat rem pro excessiuo pretio vendere, & si vendatur, excessus sit semper restituendus? *Solutio.* Respondeo, quòd non, sed aliquando licitum est, rem vendere pro maiori pretio, quod totam latitudinem

iusti

A iusti pretij excedat, idque in tribus casibus in vniuersali, scilicet, ratione ignorantiæ, ratione interesse, & ratione donationis admixtæ. *In tribus casibus.*

PRIMVM fit, quando venditor credit inuincibiliter rem, quam vendit, valere id, quod pro ea exigit, scilicet 15. cùm re vera non valeat nisi 12. ad summum, excusatur contractus à culpa & vitio. I.

SECVNDVM fit, quando venditor ex rei venditione patitur damnum aliquod, aut impeditur ab assequutione alicuius lucri alioqui sibi certi, aut probabiliter euẽturi: nam tunc licebit venditori ascendere in pretio, iuxta quantitatem interesse, quod ex venditione patitur. Et procedit hoc, quando rem illam vendit ad instantiam emptoris; quia tunc iustum est se seruare indemnem. Secùs si ipse rogans rem illam vendat; quia tunc non ementi, sed ipsi vendenti venit imputandum damnum, si quod patitur ex rei venditione. II.

TERTIVM fit, quando ipse emens dat pretium excessiuum, cuius excessum donare liberè intendit; quia tunc non est venditio, & emptio pura, sed mixta donationi; ratione cuius licitum est venditori illum excessum recipere. In his casibus est licitũ, rem vendere pro pretio excedente latitudinem iusti pretij, quanquam differentia sit, quo ad debitum restituendi. Nam in secundo, & tertio casu, quando, scilicet, excessus recipitur ratione interesse ipsius vendentis, aut ratione donationis ipsius ementis, non tenetur venditor B excessum illum restituere. Secùs in primo casu, quo ex ignorantia res fuit superuendita; quia tunc, durante illa ignorantia, excusatur sicut à culpa, ita à debito restituendi. Superueniente tamen cognitione veritatis, quòd scilicet, rem plus iusto vendidit, tenetur restituere excessum. Ratio huius clara est, quia ignorantia non tollit, quin emptor fuerit defraudatus, licet à culpa defraudationis excuset. Et ideò cùm obligatio restituendi in huiusmodi oriatur ex reali defraudatione, sequitur intẽtum. Excepto, nisi tanto tempore excessum illum venditor, cum illa ignorantia, seu bona fide retineat, quòd sufficiat, ad præscribendũ, seu vsucapiendum. Nam tunc etsi completo tali tempore agnoscat se emptorẽ defraudasse, non tenebitur illi quidq̃ restituere, siue in multo, siue in paruo illum defraudauerit; nisi fortè emptor ignorauerit iustum pretium rei emptæ: nam tunc contra sic ignorantem non currit præscriptio, aut vsucapio, vt suprà suo loco tetigimus. Aut si defraudatio fuit citra dimidium iusti pretij; quia de iure remedium non habet ad excessum repetendum; ideò contra talem in tali casu, iniustum est, si præscriptio, vel vsucapio currat. Secùs si fuit defraudatio vltra dimidium iusti pretij: nam tunc ex quo agere contra defraudantem potuit, & non egit, iam negligentia videtur illi obstare, quo minùs alter teneatur ei excessum restituere, post tempus præscriptionis completum. Sed in his particularius essent attendendæ conditiones, quas suprà diximus ad præscribendum necessarias esse. III.

Discrimen inter prædictos casus, quò ad debitum restituendi.

Ratio.

CIRCA secundum illud aduertendum, quòd vt locum habeat pretij augmentum C ratione interesse siue damni emergentis, siue lucri cessantis, opùs est concurrant conditiones, quæ inferiùs ponentur, quando agemus de vsura, & mutuo. vide ibi. Nomine autẽ interesse intelligo etiam grauamen quodcunq; ex venditione ipsi vendenti, aut ex emptione ipsi ementi proueniens. Ac proinde si venditori molestum est, & graue, seipsum re sua priuare ad emptoris instantiam; quia fortè multum illi res illa placet; tunc potest licitè in pretio ascendere, ratione grauaminis huius, quod ex venditione patitur. Sicut econtrà, si emptori molestum est, & graue, rem illam emere, quia illa fortè non indiget, & eam ad instantiam venditoris emit, poterit iustè emptor in pretio descendere, iuxta quantitatem talis grauaminis, vt ait Conrad. q. 57. & 58. *Circa secundũ casum suprà dictum notandũ. quæ ꝑtereà conditiones requirantur.*

INDE infertur, posse mutuantem aliquid vltra sortẽ recipere, sine vitio vsurę, aut iniustitiæ, ratione p̃fati grauaminis, quod ex carentia pecuniæ mutuatæ patitur, si nõ inde occasio daretur infamiæ, aut scandali, alteriúsue inconuenientis per ipsum mutuantem euitãdi. Et ratio est clara, quia ob illam causam, ob quam licitum est vendenti vltra iustũ pretium accipere; erit licitum mutuanti aliquid vltra mutuatum similiter accipere. *Corollarium I.*

INFERTVR prætereà ex eodem secundo casu, quòd potest venditor, vltra pretium iustum currens petere, & accipere, si rem, quam in aliquo loco, & tempore vendit, erat in alio loco, aut tempore venditurus, vnde lucrum aliquod iustum sperabat, & hoc ratione interesse, quod ex venditione in tali loco, & tẽpore ad instantiam emptoris facta patitur. Inde iustificatur casus cap. in ciuitate. de vsuris, in quo licitum est venditori rem cariùs *Corollariũ II.*

 vendere,

vendere, quàm tunc valeat, si rem erat ad aliud tempus seruaturus, quando est verisimile D
rem plus valituram. In computando tamen quantitatem lucri cessantis, debet defalcare expensas, curas, & labores, quos in prosequēdo illud lucrum habuisset, & etiam dubietatem lucri, ob quam illud futurū lucrum vilius redditur, quàm si esset omnino certum.

Corollariū II. prædictum, etiā habet locum de venditore, sicut de emptore.

ET QVEMADMODVM dico de venditore, pariter de emptore dicendum est, quòd scilicet, si emptor in hoc loco, & tempore non erat mercem illam empturus, sed in alio loco, aut tempore, vbi & quando sperabat verisimiliter se mercem pro minori pretio, quàm nunc valet, empturū, & mercem illam hîc, & nunc ad instantiam venditoris emat, poterit descendere in pretio, & dare pro illa minus, quàm sit pretiū nunc, & hîc currens: idq; ratione interesse, quod ad instantiam venditoris perdit, quod nō tenetur gratis pro eo perdere. Deductis simililiter laboribus & expensis, quas alioqui erat in alio tempore, aut loco facturus, vt suprà de venditore dixi. Et in his aliisque huiusmodi casibus, in quibus licitum est ratione interesse ascendere, aut descendere in pretio, vltra, aut citra iustum pretium communiter currens, impertinens est, quòd sit excessus, aut defectus vltra dimidium iusti pretij, aut citra: ex quo ille excessus non pro merce datur, aut recipitur, sed pro interesse. Ideò si interesse sit magnum, non mirum si excessus pretij sit vltra dimidium iusti pretij; si autem sit paruum, erit excessus citra dimidium, & vterque iustificabitur.

Dubiū circa tertium casum: Vnde sit cognoscēdum emptorem cū dat pretiū excessiuum, donare excessum, vt ita venditor sit liber à restitutione.

CIRCA tertium quæret aliquis, quando, aut quomodò cognoscetur, quòd emptor E
dans pretium excessiuum, intendit donare excessum, vt vēditor sit à restitutione immunis? Dixit Conrad. q. 57. quòd si hæc quatuor concurrant, scilicet, quòd emptor sit persona sagax, sciens valorem mercis, secundò, quòd non ex mentis leuitate vera vel præsumpta det tantum pretium, per quod excluditur prodigalitas, & inordinata affectio ementis ad mercem, tertiò, quòd non ex necessitate, vel arctatione, qua re illa multum indiget, det tantum pretium, quartò, quòd illa tria constent venditori de emptore probabili certitudine. His stantibus poterit venditor præsumere, quòd emptor excessum pretij iusti intendit liberaliter donare, & tunc non tenebitur restituere. Horum rationē assignat, quia si deficit prima conditio, ex errore dabit emptor pretium excessiuum, & ita non liberè donabit. Si deficit secunda, quia scilicet, ex prodigalitate dat, peccat venditor, pretium excessiuum recipiendo, quia communicat emptori in vitio. Similiter si emptor ex inordinata affectione ad mercem illam pro pretio excessiuo emit, peccat venditor illud recipiens ob eandem causam, quia, scilicet, videtur ad ementis peccatum cooperari. Si deficit tertia conditio, quia scilicet arctatus necessitate, dat tantum pretium, peccat vendens illud recipiendo, afflictum ampliùs, quàm iustum sit, affligendo; & ita non est illic donatio. Si deficit quarta conditio, peccat venditor illud pretium excessiuum recipiendo, quia scienter superuendit rem, vel se periculo superuendendi, & proximum iniustè defraudandi exponit, cùm nesciat, nec verisimiliter præsumat, quòd emptor velit excessum vendenti donare. F

Solutio. Ex quatuor cōditionibus. I. II. III. IIII.

Ratio earum conditionum.

Oppugnatur dicta responsio.

Primū quo ad secundam conditionem.

HABET tamen hoc suam difficultatem, Primò in secunda conditione, in qua ait, quòd si emptor ex prodigalitate, seu inordinata affectione dat pretium excessiuū, quòd peccat venditor illud recipiēs, & impeditur donatio. Quod videtur falsum, cùm sæpè accidat, dationem esse peccaminosam, & non receptionē, & econtrà. Vitiosa enim est donatio[, qua homo dat bona sua scorto, aut concubinæ suæ; maximè cùm ex inordinata affectione procedat. Scortum autem, seu meretrix illud sic donatū accipiendo non peccat, seclusa omni extorsione, & dolo ipsius: nec sic acceptū restituere tenetur, vt patet ex dictis suprà de meretricio lucro. Peccat diues, qui in publico, ex inordinata affectione gloriæ humanæ, eleemosynam facit; & tamen non peccat pauper eleemosynā recipiens, nec acceptam restituere tenetur. Peccant domini, histrionibus, adulatoribus, lenonibus aliquid donando, cùm turpiter dent, & ob turpem causam;, ipsi autem illud accipiendo nō peccant, nec restituere tenentur, vt est communis omnium sententia. Sicut econtrà peccat vsurarius vsuram recipiens, non tamen peccat is, qui soluit vsurā, sicut peccat, qui ad vsuram mutuat, non qui mutuū petit; quia non mutui petitio, sed datio ad vsurā prohibita est. Ac proinde si emptor quamuis prodigaliter, aut ex inordinata affectione quā ad mercem habet, velit pretium excessiuum spontè donare, poterit venditor illud recipere, nec restituere tenebitur. Et sicut taliter donatum, non interueniente merce, posset donatarius recipere, absq; debito restituendi; ita idem potest merce interueniente.

SECVN-

Quò ad quartam conditionem.

A SECVNDO, esto illæ tres conditiones concurrant, stat quòd emptor nil intendat donare vendenti, & si pretium excessiuum dat, cum dolore & pœnitudine dat, maximè si id ipse exprimat: igitur venditor cognitis illis conditionibus ex parte emptoris, non poterit semper iustè præsumere, quòd emptor intendat excessum donare; maximè quia vtplurimum emptores pretium excessiuum scienter pro merce aliqua non darent, nisi illa simpliciter indigerent, vel saltem secundùm quid, puta, ad aliquem alium finem, qué ipsi prætendunt; siue prætendant lucrum ex merce illa, siue alicuius amicitiam, cui illam donare intendunt; siue suam propriam complacentiam & voluptatem, aut gloriam aliquã, seu famam, honorem, aut aliquid huiusmodi, quod non ita sine merce illa assequi sperarent. Quodcunq; horum cõcurrat, impedit donationis iustam præsumptionem, ac proinde raro erit tutus venditor, excessiuum pretium accipiens, ob id, quòd præsumit emptorem velle donare, nisi alia causa id præsumendi cõcurrat, puta, quia venditor amicus est emptoris, aut cognatus, cui benefacere solet, aut saltem desiderat. Alioqui mutuatarius, qui nulla notabili necessitate pressus, mutuum ab vsurario petit, & mutuãti vsuram soluens, præsumeretur vsuram spontè donare, & per consequens mutuatarius eo ipso esset liber ab vsuræ restitutione, quod est falsum &c. Quòd maximè facit contra Gersonem in confirmatione suprà positæ sententiæ, qua dictum est, teneri venditorem excessum iusti pretij, etiam citra dimidium, restituere: Exceptis casibus nuper expressis.

Corollarium.

B SEQVITVR ex dictis, posse mercatorem cariùs vendere, quàm sibi constet, non solùm quãdo res in valore intrinsecè, aut extrinsecè mutata est, sed etiamsi sit penitus immutata; idq; non solùm quando fuit empta in gradu pio, aut medio, vt suprà dicebatur, sed etiam extra illum casum: vt patet si res fuit empta ad instantiam venditoris, ex qua emptione ipse emptor aliquod damnum, aut grauamen passus est, ratione cuius rem illã emit pro minori pretio, quàm esset tota latitudo iusti pretij. Aut etiamsi pro viliori pretio emit ratione donationis, seu remissionis admixtę, poterit posteà rem illam pro pretio tunc currente vendere, etiam si longè maius sit quàm quod pro re illa dederat; & patet corollarium de se. Quando autem Chrysostomus, & cæteri Sancti damnant mercatorem, qui rem penitus nõ mutatam cariùs vendit, quam emerat, loquuntur de eo, qui purè emerat, & purè vendit pro pretio notabiliter prius pretium excedente.

De validitate, aut nullitate venditionis, in qua emptor defraudatur.

QVÆSTIO XXXIII.

Differentia inter defraudationẽ vltra, & citra dimidiũ iusti pretij: & causa huiusce differẽtia.

C SED EST DVBIVM, si ita est, quòd siue defraudatio sit vltra, siue citra dimidium iusti pretij, peccat defraudans, & tenetur superacceptum restituere; vt quid igitur solet poni differentia, vel in quo inter defraudationem vltra dimidium iusti pretij & citra &c. Respondetur, quòd differentia ponatur ad cognoscendum de validitate aut nullitate contractus, & de actione data, vel negata defraudato. Pro quo notant Doctores, vt habet glos. cap. cùm dilecti. de emptione. quòd defraudatio in præsenti contractu potest multipliciter fieri, scilicet, cum dolo, & sine dolo. Si cum dolo fiat, vel igitur cum dolo dante causam contractui, vt si venditor ait mercem illam valere ad curãdam talem infirmitatem, cùm falsum sit, vel ad aliquem alium effectum seu finẽ, propter quod emptor mouetur ad emendum, aliàs nullatenùs empturus. Aut fit cum dolo interueniente in contractu, qui non det causam illi; vt si venditor fallit emptorem, dicẽs mercem illam multum illi cõstitisse, aut de tali, aut tali loco eam cum tanto periculo attulisse &c. quod tamẽ est falsum. Vnde emptor mouetur ad dandum pro illa maius pretium, quàm alioqui dedisset, etiamsi non minùs esset paratus eam emere. Et rursus hic dolus potest per ipsum venditorem apponi, aut per alium mediatorem ipsis contrahentibus nescientibus, vti solet huiusmodi dolus per factores mercatorum, illis ignorantibus apponi. Potest prætereà defraudatio fieri sine dolo, & dicitur defraudatio incidens in re ipsa, vt si nullus dolus, aut mendacium ex parte venditoris apponatur, attamen plus iusto recipit ab emptore. Et potest hoc esse dupliciter; quia vel est defraudatio vltra dimidium iusti pretij, vel citra.

Quæstio.
Variè potest defraudatio in præsenti contractu accidere; & quando contractus sit validus vel nullus?

Conclusio I.
Quando fit contractus cum dolo dãte causam contractui, à quocũq; et quomodocunq; apponatur, contractus in cõscientia nullus est.
Aliter de foro exteriori.
Probatur cõclusio, quò ad forũ interius.

Qvibvs præmissis, sit prima propositio. Loquendo de contractibus bonæ fidei, quando fit contractus cum dolo dante causam contractui, siue apponatur per venditorem, siue per mediatorem, ipsis contrahentibus nescientibus, siue sit defraudatio vltra, siue citra dimidium iusti pretij, siue in pauco, siue in multo, contractus est nullus in conscientia; & vnusquisque ex contrahentibus deberet esse contentus rem suam rehabendo, rescisso contractu. Quanquam in foro exteriori, si defraudatus velit stare contractui, iudicabitur in fauorem ipsius, ita vt illi conueniat actio contra dolosum, simul & optio, & post latam contra dolosum sententiam, tenebitur dolosus stare illi, etiam in foro conscientiæ. Hæc propositio patet quo ad primam partem, quòd scilicet, contractus sit nullus; quia ad validitatem contractus, in quo mutuò se obligant contrahentes, necessarius est consensus ipsorum, in ipso contractu consentientium: sed in casu, is, qui deceptus est ob dolum, dantem causam contractui, non consensit in illo, cùm deceptus, & ex errore contraxerit, aliàs nullatenus contracturus: igitur nulla inde in eo fuit orta obligatio: maximè cùm obligationes priuatæ non excedant metas voluntatis ipsius qui se obligat; vt patet de voto, iuramento, & promissione, quæ in conscientia non obligant, si is qui vouit, iurauit, aut promisit, animum se obligandi non habuit, vt est communis Doctorum sententia in 3. Inde in matrimonio dolosè contracto nulla oritur obligatio, seu ratitudo contractus in foro conscientiæ. Ac proinde seclusa iuris dispositione, contractus emptionis dolosæ, nullam parit in conscientia obligationem, E nec in decepto, nec in decipiente, cùm de ratione contractus sit reciproca obligatio. Est enim contractus, vltrò citroque obligatio; excepto, nisi animus dolosus esset se obligare ad standum contractui, volente decepto: quia tunc ex parte dolosi teneret contractus in conscientia, etiamsi obligatio non sit reciproca.

Eiusdem cõclusionis probatio, quò ad forum exterius.

Secvnda pars, quòd in foro exteriori, secundùm iuris dispositionem, iudicabitur in fauorem decepti, apparet; quia iura non decipientibus, sed deceptis subueniunt. Vnde quamuis etiam secundùm iura talis contractus sit nullus, hæc tamen nullitas est in fauorem decepti causata; ac proinde si ipse velit huic fauori seu nullitati cedere, cogetur venditor dolosus stare contractui. Et ita decepto, cui iura subuenire intendunt, datur actio simul & optio contra dolosum: alioqui si in casu relinqueretur liberum doloso stare contractui, vel ipsum rescindere, melior esset conditio dolosi, quam decepti; quod est omnino irrationabile. Et si quis obiiciat, quòd dolosus in casu, si non se intendit obligare nisi reciprocè, deceptus autem non manet obligatus, quomodò igitur non manebit dolosus æquè liber ab obligatione sicut deceptus? Respondetur, quamuis non maneat dolosus virtute contractus obligatus, cum nullus sit; manet tamen obligatus pro voto decepti, virtute iuris communis ipsum obligantis, stare contractui, si velit deceptus, idque in fauorem seducti, & in odium doli.

Discrimẽ inter dolum datũ per contrahentẽ, & datum per mediatorem, quò ad contractus valorẽ, vel rescissionem.
Ratio.

Hic tamen ponenda est differentia inter dolum datum per ipsum contrahentem, & inter datum per mediatorem, quantum ad contractus validitatem, aut nullita- F tem. Quia quamuis in foro conscientiæ contractus sit nullus, ex dolo dante causam contractui, factus, siue per venditorem, siue per mediatorem fuerit dolus appositus; in foro tamen contentioso, si contrahentes sunt in bona fide, & dolus solùm per mediatorem datus est, tenet contractus; ita vt non sit in potestate decepti, contractum rescindi. Cuius ratio est, quia non est æquum, quòd culpa mediatoris contrahentibus cum bona fide præiudicet; maximè cùm decepto sit secundùm iura sufficienter prouisum; ita vt possit contra mediatorem agere, & sui grauaminis refusionem ab eo obtinere.

Dubium I.

Esset tamen dubium, si talis contractus in foro conscientiæ est nullus, & defraudatus non tenetur in conscientia stare contractui, an possit venditor sine peccato agere contra defraudatum, vt faciat eum inuitum stare contractui, etiamsi post contractum venditor de dolo mediatoris certioretur? Respõdetur, id pendêre ex iurium dispositione: aliud enim est, ius disponere, vt neutri detur actio ad rescindendum contractum, & vtrique ea detur ad alterum compellendum stare contractui. Aliud verò est, ius disponere contractum in se validum esse.

Solutio bimẽbris.

I. Si primvm, non erit in conscientia tutus, qui cõtra defraudatum egerit, vt cogat eum inuitum stare contractui, cui nunquam verè consensit, dolo & errore liberum eius consensum impediente. Nec tutum aut licitum est, beneficio iuris contra insontem, aut contra

A contra eum, qui verè debitor non est vti; si iuris dispositio non alia sit, quam dare aut negare actionem. Cuius exemplum notum est ex dictis in quęstione principali, in qua conclusum est quòd si alter alterum citra dimidium iusti pretij, secluso dolo, defraudauerit, etsi iure possit defraudans contra defraudatum agere, vt integrè pretium, de quo conuentum est, soluat; non tamen id agendo erit in conscientia tutus, nec per sententiam, pro eo latam, erit à restitutione superaccepti immunis. *Ratio.*

SI SECVNDVM, hoc est, quòd dispositio iuris talis est, vt velit contractum verè validum esse, & tenere, tunc, quamuis contrahentes ex dolo mediatoris, dante causam cōtractui, ex vi contractus non teneantur stare eidem; ex vi tamen iuris cōmunis, super hoc de validitate cōtractus disponentis, tenentur eidem stare, eò quòd ob causam potest ius defectum consensus ipsius defraudati supplere. Causa autem ea est, quam suprà tetigimus; quia iniquum est, culpam, & dolum mediatoris venditori cum bona fide vendenti præiudicare: ac proinde si sua interest, contractum valere, non video quare non possit iuris beneficio vti, vt compellat secundùm ius ipsum defraudatum stare contractui; ex quo legislator facultatem habet, super contractuum validitate, aut nullitate disponere. Vnde si contractum aliquē nullum esse disponat, & velit, vterq; cōtrahentium est ab obligatione liber, non solùm in foro contentioso, sed etiam in foro conscientiæ: ex quo ex contractu nulla fuit orta obligatio, iure resistente. Ita igitur ecōtrà, si ius disponat, & velit contractum aliquem validum esse; ita vt nisi ex partium consensu rescindi non possit, tenebitur vterq; ex contrahentibus eidem stare ad alterius voluntatem. II. *Ratio.* B

ET IDEO non video quare in casu dubij præsentis, non possit tutè in conscientia venditor contra defraudatum, & dolo mediatoris deceptum agere, vt compellat eum stare contractui: dummodò ipse actor restituat defraudato, quod ab eo superaccepit. Huius exemplum est notum de excommunicatione, cuius vim & validitatem constat ex animo excommunicantis pendêre, supposita causæ subsistentia, quòd si valida sit, & non nulla excōmunicatio, certum est eam ligare, & excommunicatum teneri eidem parêre: secus aliàs. Ac proinde quòd in hac parte ait Conradus, in huiusmodi casu de dolo mediatoris, contractum venditionis esse in foro cōscientiæ nullum, videtur limitandum & intelligendū, seclusa iuris humani dispositione: nam ea stante, idem erit in foro pœnitētiali, & contentioso iudicium; idq; dixerim de rigore iuris, secùs de æquitate naturali.

ALIVD dubium, si quando dolus dat causam contractui per venditorem, aut per mediatorem appositus, contractus est in conscientia nullus; an similiter sit in cōscientia nullus, quando omni dolo secluso, ipse emptor per seipsum deceptus, siue vincibiliter, siue inuincibiliter emit rem illam, alioqui nullatenus empturus. Vt si emptor per se putet lapidem, quem emit, pretiosum esse, cùm sit vitrum: aut certę infirmitatis curatiuum, cùm non ita sit. Et ratio dubitationis est, quia cùm causa nullitatis contractus ex dolo dante causam facti sit, quia tunc deficit liber consensus decepti, cùm nil magis consensui voluntario opponatur, quàm error. Cùm autem idem sit error in pręsenti casu, qui esset, si dolus fuisset per venditorem appositus, sequitur cōtractum nullum esse, secluso dolo, sicut eo apposito. Respondetur, videri in præsenti distinguendum, de errore ipsius defraudati, si sit vincibilis, an inuincibilis. Si primum, contractus non inde infirmatur, quia iniquum est, vt culpa, seu negligentia emptoris præiudicet venditori cum bona fide vendenti. Si igitur eius error fuit vincibilis, & culpabilis, non vendenti, sed ipsi emptori, qui circa veritatis indagationem negligens fuit, venit imputandum; si tamen fuit error inuincibilis, secùs est: nam tunc, seclusa iuris humani dispositione, contractus in conscientia est nullus, ob defectum liberi consensus, sine quo contractus nullam parit obligationem. Quanquàm in foro exteriori, iudicabitur pro contractu; & meritò, ne detur occasio contrahentibus errorem fingendi, cùm humanus iudex nō nisi per exteriora debeat iudicare. Dico, seclusa iuris humani dispositione, quia fortè in tali casu, ius ipsum supplet defectum consensus, & erit validus contractus in vtroq; foro. II. *Dubium.* C

INDE TAMEN oritur aliud dubium, quia sequitur, quòd etiamsi dolus esset per venditorem appositus, & dedisset causam contractui, & emptor ex tali errore emeret, alioqui non empturus, & error esset vincibilis, quem facilè posset emptor, apposita diligentia, vincere: quòd talis contractus, esset similiter in conscientia validus, cùm error vincibilis voluntarium non tollat, sicut inuincibilis. Respondeo, quod non est idem, quia III. *Dubium.* *Responsio.*

quia in hoc vltimo casu doloso venit factum imputandum ei, qui suo dolo causam dedit D
errori emptoris, quam causam venditor in priori casu non dedit.

Conclusio II. Si dol⁹ accidat contractui, valid⁹ est in vtroque foro, siue defraudatio sit infra, siue vltra dimidium iusti pretij.

SECVNDA propositio, si dolus est incidens in contractu, siue sit defraudatio, infra dimidium iusti pretij, siue vltra, contractus in vtroq; foro est validus, ita quòd nō est eo ipso nullus, & defraudatus habet in vtroq; foro ius ad superacceptum, si velit, stare contractui. Ratio primæ partis est nota, quia ex quo dolus non dedit causam contractui, sed maioritati pretij, sequitur quòd emptor in contractu ipso consensit spontè, & non ex errore; non tamen in pretij maioritate. Et inde patet ratio secundæ partis, scilicet, quòd habet ius ad præfatam maioritatem pretij, seu ad excessum pretij, cui dolus ipse causam dedit. Est tamen dubium, an simpliciter habeat defraudatus ius ad excessum pretij, an potiùs ad vnum de duobus sub disiunctione; scilicet, ad hoc quòd contractus rescindatur, vel quòd ad æqualitatem reducatur. Et dixit Syluester verbo, culpa. §.7. Et Angelus verbo, dolus. §.9. quòd defraudatus in casu præsentis propositionis habet actionem contra dolosum ad vnum de duobus prædictis; optio tamen, vt aiunt, conuenit defraudanti, maximè si defraudatio sit vltra dimidium iusti pretij. Verùm magis placet sententia Conradi dicentis, quòd quando interuenit dolus, etiamsi non det causam contractui, sed incidit in ipso, quòd doloso in nullo foro detur optio præfata. Quod quidem in conscientia patet, quia talis dolus non annullat contractum in conscientia; igitur non tenetur dolosus simpliciter, nisi ad reducendum illum ad æqualitatem; excepto, si ex consensu amborum rescindatur. In foro etiam exteriori idem videtur, quia nullum ius in hoc casu tribuit optionem doloso, alioqui melior esset conditio dolosi, quàm defraudati, quod est inconueniens, & contra iurium intentionem. Ac proinde nec in foro conscientiæ; nec contentioso puto optionem dari doloso in hoc casu, sed in vtroque foro est compellendus dolosus, id, quod suprà cepit, restituere, si velit defraudatus stare contractui, etiamsi defraudatio sit citra dimidium, idque in odium doli. Et probatur per l. Iulianus. §. si venditor. ff. de actio. empti, & venditi. Et per l. si quis affirmauerit. ff. de dolo malo. E

Probatur.

Dubium. Quatenus defraudatus habeat ius ad excessum pretij.

Solutio I.

Solutio secunda melior.

NEC CAPITVLA, quæ præfati Doctores pro se citant, scilicet cap. cùm dilecti. & cap. cùm causa. de emptione. illis fauere videntur, cum non loquantur hi textus de defraudatione cum dolo facta, sed de defraudatione, quæ re ipsa sine dolo euenit: quamuis Syluester dicat, eos ad casum, quo fit defraudatio cum dolo, extendi, cuius oppositum apparet ex ipsis textibus.

Conclusio III. Defraudatione contingente in re absque dolo cōtrahentium, vltra dimidiū iusti pretij, in vtroq; foro datur actio defraudato cōtra defraudātem.

TERTIA propositio, si defraudatio eueniat in re, sine dolo contrahentium, & sit defraudatio vltra dimidium iusti pretij; in vtroq; foro datur actio defraudato cōtra defraudantem, vt patet: vnum de duobus, scilicet, vel quòd rescindatur cōtractus, vel quòd ad æqualitatem reducatur, & datur optio defraudanti, vt eligat ex his, quod velit. Et in hoc non discrepant Doctores, si memini: nam cùm in hoc contractu nō interueniat dolus, conuenit vt contrahentium æqualitas meliori modo, quo potest, seruetur, absque ipsorum contrahentium præiudicio, quale videtur fieri, si vni contrahentium competeret vtrunq;, scilicet, actio, & optio: nam tunc non esset æqua vtriusq; conditio. Inde, iuxta rectam rationem, iure statutum est, vt in hoc casu alteri cōpetat actio, alteri verò optio. F
Si verò defraudatio sit citra dimidium iusti pretij, omni dolo secluso, tunc in conscientia tenetur defraudans contractum ad æqualitatem reducere, nec est ad aliud compellendus, nisi de amborum consensu velint contractum rescindi: in foro tamen exteriori toleratur contractus huiusmodi, nec rescindi iubetur, nec ad æqualitatem reduci. Hæc patent in præfatis capitibus dilecti. &, cùm causa. de emptione. Quæ capitula non de doloso contractu loquuntur, sed de eo, in quo in re ipsa euenit defraudatio, vt suprà dixi. Itaque, vt apparet, quando interuenit dolus, siue det causam contractui, siue incidat in contractu; modò sit defraudatio vltra, modò citra dimidium iusti pretij, nunquam datur actio doloso. Sed quando est dolus dans causam contractui, datur simpliciter optio defraudato. Quandò verò incidit in contractu, datur actio eidem contra defraudantem, vt cōtractum ad æqualitatem reducat, etiam si sit defraudatus citra dimidium: qualis actio non datur defraudato in foro exteriori, quando defraudatio citra dimidium euenit in re sine dolo. Quando verò defraudatio euenit re ipsa sine dolo, & est vltra dimidium, datur actio defraudato, & optio defraudanti ad vnum de duobus.

De ven-

A

De venditione rei defectuosæ.

QVÆSTIO XXXIIII.

Ad quid teneatur vendens rem defectuosam. Defectus rei triplex.

CONSEQVENS est de emptione, & venditione rei defectuosæ aliquid, saltem in summa, dicere: & est quæstio, ad quid teneatur vendens rem defectuosam? Respondetur, defectus rei in genere est triplex. Quidam est in substãtia mercis, vt si aurum falsum pro vero vendatur, aut vitrum pro gemma. 1. Est alius in quantitate, vt si mensura sit diminuta, & vendatur pro integra. 2. Est alius in qualitate, vt si medicina, herba, 3. aut lapis vendatur pro re virtutem aliquam ad curandum, seu ad alium certum effectum habente, & non sit talis. Aut si equus infirmus pro sano vendatur, &c. Iterum est quidam defectus manifestus, vt si equus, qui venditur, sit monoculus. Et alius occultus, qui non ita patet. Iterum ex defectibus occultis, quidam vergit in periculum, seu damnum ementis, si occultetur illi, quidam verò non. Et iterum stat, defectũ talem esse, quem si emptor sciret, rem illam pro nullo pretio emeret: stat etiam talem esse, quòd si emens eum sciret, non minùs rem illam esset empturus, quamuis non pro tanto pretio. Et iterum qui
B defectum occultat, vel descendit in pretio iuxta exigentiam defectus, vel non. Et iterum aliud est, venditorem asserere mercem suam non habere defectum, aliud est, tacendo defectum rei occultare. Et valent huiusmodi distinctiones ad iudicandum de validitate aut nullitate contractus, & de culpa vendentis defectum mercis occultantis, & de obligatione restituendi, vel non.

Defectus manifestus & occultus.

Aliæ distinctiones eiusmodi defectuum.

SIT IGITVR primum dictum, si venditor sciens defectum rei, vendit illam pro non defectuosa, dicens eam defectuosam non esse, peccat mentiendo: & si defectus cedat in damnum notabile, seu periculum emptoris, peccat mortaliter, & tenetur ad resarciendum tale damnum, si inde emptori aliquod euenerit, iuxta cap. si culpa tua damnum datum est. de iniur. & damno dato. Et si defectus sit talis, quem si emptor sciret, rem illam nullo modo, aut pro nullo pretio emeret, contractus in conscientia est nullus, cùm sit dolosus, dolo dante causam contractui; ac proinde actio simul & optio conuenit defraudato, vt ex dictis patet. Et procedit hoc de quocunque defectu, siue sit in substantia, siue in quantitate, siue in qualitate, siue sit occultus, siue manifestus, modò sit ab emente incognitus; qui fortè videns venditorem asserere rem illam defectuosam non esse, non curat vlteriorem diligentiam apponere. *Conclusio I.*

SIT SECVNDVM dictum, de scienter occultante defectum rei, quam vendit, si emptor cognito defectu, quicunque ille sit, pro nullo pretio rem illam emisset, contractus est nullus, etiamsi venditor defectum occultans descendat, in pretio iuxta exi-
D gentiam defectus. Et vltrà peccat ipse venditor, scienter defectum emptori occultans. Hoc patet pro prima parte, quia talis contractus est dolosus, saltem tacitè, dolo dante causam contractui, & ex consequenti tollente liberum consensum in emptore: igitur. Antecedens patet, quia venditor dolosè occultauit defectum illum in casu, quem si non occultasset emptor, nullo modo rem illam emisset ex casu. Igitur non verè in contractu consensit, & ita in conscientia est nullus, & pro voto defraudati venit euacuandus. *Conclusio II.*

QVOD AVTEM illa occultatio sit dolosa & culpabilis, per quod patebit secunda pars dicti, apparet primò ex sententia Ambrosij in lib. de officiis. vbi ait, in contractibus vitia eorum quæ veneunt, prodi iubentur: at nisi intimauerit venditor, quamuis in ius emptoris transierint, doli actione euacuantur. Idem apparet ex. l. si vina. in fin. ff. de pericu. & commo. rei ven. vbi sic dicitur. Planè si intelligit venditor non duraturam bonitatem vsque ad diem, quo tolli deberet, nec admonuit emptorem, tenebitur.

Occultationem defectus rei venalis, esse dolosam & culpabilem. *Probatur I.*

SECVNDO idem apparet, quia cùm venditor verisimiliter putet emptorem, si defectum sciret, rem illam nullatenus empturum (quia sic in hoc casu procedimus) scit emptorem deceptum rem illam emere, qui putat rem defectuosam non esse: huic autem deceptioni ipse venditor causam dedit, licèt non positiuè, tamẽ negatiuè, defectum occultum, quem illi pandere debuit, occultãdo. Sicut enim testis in ius vocatus, ex officio tenetur veritatem, quam scit, dicere, alioqui peccat, & tenebitur ad interesse, si quod *II.*

inde aliquis passus est; ita venditor rem suam vendens, ex officio tenetur defectum rei ementi dicere, licèt non teneatur illum per præconem publicare. Et si quod damnum inde ementi eueniat, tenebitur illi. D

Confirmatio eiusdem.

QVOD ETIAM ex hoc confirmatur, quia non facit alij, quod iustè vellet sibi fieri. Si autem ipse rem alterius emerit, iustè vellet quòd venditor rei defectum occultum sibi manifestaret: hoc igitur idem debet aliis velle.

III. TERTIO idem apparet, quia qui scienter vendit rem defectuosam, emptorem per defectus occultationem grauat, quia graue & molestum est, ementi retinere rem defectuosam, & graue est illi alium emptorem quærere, qui illam emat, vt eam à se reiiciat; huius autem grauaminis causa, est venditor defectum occultans, vt patet: igitur non caret culpa defectum occultando, quicunq; is sit, in casu, quo est ipsi verisimile, quod emptor, aliàs nullo modo rem illam emisset, nõ obstante, quòd venditor descendat in pretio iuxta exigentiam defectus. Ac proinde falluntur, qui indistinctè iustificant venditionem rei defectuosæ, occultato defectu, per hoc quòd venditor descendit in pretio iuxta defectus exigentiam. Vnde dictum Doctoris sancti 2.2.q.77. similiter & Cancellarij Parisiensis in regulis moralibus, qui illud dicunt, indiget limitatione, scilicet, vt tunc culpa non sit defectum occultare, quando descendit venditor in pretio, iuxta defectus exigentiam, & est illi verisimile, quòd emptor, etiamsi defectum sciret, rem illam esset empturus, & defectus talis sit, cuius occultatio non vergat in damnum, aut periculum emptoris. E

Obiectio contra prædicta.

SED FORTE obiiciet aliquis, quòd in casu non peccat, qui defectum occultat, quando in damnum aut periculum non vergat emptoris: quia si sic, hoc esset, quia cariùs vendit rem, quàm sit iustũ; & hoc non, nam in casu, descendit in pretio, iuxta exigentiam defectus. & ita pretium æquale valori rei recipit: aut esset, quia emptorem decipit; & hoc non, quia venditor nil dicit, nec agit vnde emptor decipiatur, cùm nec dicat rem defectuosam esse, nec defectu carere, sed simpliciter petit tantum, vel tantum pretium pro illa; ac proinde si emptor decipitur, ipse à seipso decipitur, qui per se putat rem defectu carere.

Solutio. Occultans defectum rei venalis, etiamsi non vergat in damnum emptoris, peccat nihilominus decipiendo negatiuè.

SED AD hoc ex dictis aperta est responsio, quòd peccat decipiendo negatiuè, quia scilicet ipsi ex officio incumbebat defectum rei, quam vendit, emptori ignoranti manifestare, & illum in grauamen ipsius emptoris occultat. Sicut enim is, cui ex officio incumbit, proximum à morte defendere, non defendit, dicitur eum occidere, & ad satisfactionem tenetur; ita venditor, cui ex officio conuenit, rei defectum emptori pandere, & non pandit, dicitur eum decipere, & tenetur eidem. Nec excusatur venditor per hoc, quòd si defectum manifestaret, non sibi daretur pretium iustum, sed aliud diminutum: & ita damnum ipse venditor sentiret. Non, inquam, valet hoc, quia in sua libertate est damnum huiusmodi vitare, non dando rem pretio diminuto.

Extenditur data solutio.

ET PROCEDIT hoc dictum, non solùm quando venditor verisimiliter scit emptorem, si defectum sciret, rem illam nullatenus empturum, sed etiam quando de hoc ipso dubitat: secùs si verisimiliter sciat, quòd ob talem defectum non minùs esset rem eandem empturus. Quod esse potest, vel quia defectus est adeò paruus, vt de illo nil, aut parum curent emptores; aut quia talis est, qui vt plurimum est talibus mercibus connexus: aut quia est verisimile, quòd emptor vult rem illam emere, ad vendendum postmodùm eandem, & cum ea lucrandum, non obstante præfato defectu. Secùs etiam in casu, quo emptor absoluit venditorem à debito manifestandi defectum. Vt si dicat, hanc rem volo à te emere talem qualis est, siue sit defectuosa, siue non, & super pretio conueniunt: nam tunc venditor defectum occultãdo, nisi in damnum & periculum notabile emptoris defectum ignorantis cedat, non peccabit, nec contra charitatem, nec contra iustitiam, si pretium iustum pro re accipiat. F

Conclusio III. TERTIVM dictum, venditor, præfatum defectum emptori ignoranti, scienter occultando peccat, esto quòd emptor defectum sciens, rem illam esset empturus, si pro

Probatur I. tanto pretio nullatenus eam emisset. Et patet hoc, quia rationes suprà pro præcedenti dicto factæ, hoc ipsum præsens dictum probant: non obstante, quòd venditor in pretio

II. descenderit iuxta exigentiam defectus. Patet etiam alia ratione, quia ex hoc quòd venditor defectum occultauit, consensit emptor in emptione pro tanto pretio, in qua alioqui non consentiret; ac proinde non voluntariè consensit in pretij quantitatem, & per conse-

A consequens, eo rationabiliter inuito, venditor pretium illud videtur accepisse, & per consequens peccauit. Exemplum huius videtur esse, si ego debeo Petro decem ducatos, paratus eos Petro soluere postulanti: Petrus autem, me inuito, seu ignorante, loco decem ducatorum, quos illi debeo, capit de rebus meis equum, aut rem aliam tantundem valentem. Aut si debeo Petro equum valentem decem ducatos, & Petrus, me ignorante & dissentiente, loco equi, capit de rebus meis decem ducatos, certè non caret culpa, etiamsi tantum capiat, quantum illi debebam: idque ideò, quia me inscio & rationabiliter inuito illos capit, cùm sim ego paratus rem suam illi reddere. Ita in proposito venditor capit, me non voluntariè consentiente, decem ducatos pro re, quam vendit, quam paratus sum illi relinquere, sicut & de facto relinquerem, si defectum rei mihi manifestasset. Peccat quidem, licèt non contra iustitiam commutatiuam, rem superuendendo, eò quòd tantum in valore dedit, quantum est pretium, quod accepit: sed quia me non liberè consentiente pecuniam meam accepit, quantumuis esset sibi ratione mercis alioqui debita.

Exemplo declaratur conclusio.

Etsi obiicias, quòd tunc tenetur venditor, pretium sic acceptum reddere emptori, & rem suam rehabere pro voto ipsius emptoris, aut saltem aliqua actio competeret emptori decepto contra venditorem, ex quo contractus fuit dolosus, dolo saltem incidente in contractu; & ita vel venditor teneretur contractum rescindere, vel aliquid B emptori reddere. Respondetur, nec vnum, nec aliud in casu sequi, contractus quidem rescindendus non venit, quia ambo in illo liberè consenserunt: ad æqualitatem reduci non debet, quia tali reductione non est opus; ex quo pretium fuit æquale valori mercis, aliquid reddere seu restituere emptori non oportet, quia nil indebitum, seu excessiuum fuit per venditorem acceptum. Itaque quando dicitur, quòd si dolus incidit in contractu, datur actio decepto contra decipientem, ad hoc quòd contractum ad æqualitatem reducat, intelligitur, quando non fuit in contractu seruata æqualitas, sed deceptus fuit defraudatus, dando pretium excessiuum, quod in præsenti non contingit. Nec inconuenit aliquem rem meam, me inscio, aut rationabiliter inuito, capere, qui tamen nil postmodùm mihi teneatur restituere; vt si illi debebam decem ducatos, paratus illi eos soluere, ipse verò clam, aut me inuito, de meis bonis decem ducatos capit, peccat quidem; restituere tamen mihi nõ tenetur. Ita igitur qui mercem alterius valentem decem, per viam emptionis accepit, tenetur venditori soluere decem, & si venditor illa decem, inscio aut inuito emptore, de bonis emptoris capiat, peccat quidem; restituere tamen illi non tenetur: & ita in casu præsenti accidit, vt constat.

Obiectio.

Solutio.

Et confirmatvr hoc ex dictis, si venditor defraudat emptorem ex dolo incidente in contractu, & non dante causam contractui, contractus est validus, & solùm datur actio defraudato contra venditorem, vt cõtractum ad æqualitatem reducat. Cùm C ergo in præsenti casu non sit dolus dans causam contractui, contractus est in vtroque foro validus, & per consequens non tenetur venditor pro voto emptoris contractum rescindere. Quod videtur contra Conradum q. 54. conclusione secunda: vbi non satis consequenter videtur loquutus ad ea, quæ in additionibus dixit, in principio sui libri de contractibus.

Cõfirmatur data solutio.

Qvartvm dictum, si venditor ignorans rei defectum, eam cum bona fide vendit pro pretio, quod res, si talem defectum non haberet, valeret, à culpa excusatur; cùm tamen rei defectum cognouerit, tenebitur ad instantiam emptoris vel contractum rescindere, vel eum ad æqualitatem reducere; quia perinde est, ac si defraudatio in re ipsa eueniret sine dolo vendentis, & ita actio competet emptori defraudato: optio verò ipsi venditori, iuxta ea, quæ suprà dicta sunt. Excepto, nisi defectus talis esset, quem si emptor sciret, nullo modo rem illam emisset: nam tunc non solùm non liberè consensit in pretio excessiuo, sed nec in contractu ipso: & ita contractus in tali casu esset nullus in conscientia, nec deberet defraudatus, à venditore ad standum contractui compelli, si nolit.

Conclusio IIII.

Ratio.

Et sicvt dictum est in præcedentibus, de venditore rem defectuosam scienter emptori ignoranti vendente, ita videtur econtrà dicendum de emptore valorem mercis cognoscente, quem venditor ignorat; quia tunc tenetur emptor ascendere in pretio iuxta valorem mercis, cùm animus vendentis huiusmodi valorem ignorantis non sit aliquam

Eadẽ cõclusio locũ etiã habet de emptore valorẽ mercis cognoscẽte, venditore eũ ignorante.

Ratio.

aliquam donationem emptori facere. Quòd si tam venditor, quàm emptor mercis valorem ignorent, quia fortè putant esse vitrum, & est gemma, aut lapis pretiosus: tunc ignorantia excusabit à culpa emptorem, qui rem vili pretio emit, non tamen à restitutione, qua debet supplere pretij defectum, quando valorem mercis cognouerit, vel saltem tenebitur contractum rescindere, si pretij defectum nolit supplere, maximè si defraudatio fuerit vltra dimidium. D

Corollarium I. SEQVITVR ex dictis tutiorem esse venditorem, qui non simplicibus, sed prudentibus, & expertis res suas vendit. Sicut econtrà tutiores sunt emptores, qui res non à simplicibus, sed à prudentibus venditoribus & rerum experientiam habentibus emunt; tutiores, inquam, tam quo ad culpæ, quàm quo ad restitutionis immunitatem, quod satis de se notum est.

Corollarium II. SEQVITVR iam, quòd si quis vẽdit vinum seu triticum, seu rem aliam, quam scit ad corruptionem esse dispositam, & non diu in illa bonitate permansuram; & scit, seu probabiliter putat, aut saltem dubitat, quòd emptor rem illam emit ad eam conseruandam, & non illicò expendendam, tenetur venditor emptori intimare, quòd res non diu conseruabitur; quod nisi fecerit, tenebitur emptori ad interesse, vt apertè colligitur ex l. si vina. ff. de periculo & commo. rei venditæ. vt suprà allegaui. Et ratio est clara, quia occultatio illius defectus cedit in damnum emptoris. Secùs, si sicut emptor, ita & venditor illius rei venditæ, defectum seu talem dispositionem ignorabat; quia tunc bona fides eum à culpa, & restitutione excusabit, modò pretium iustum pro re illa acceperit. E

Corollariũ III. SEQVITVR, quòd qui vendunt vinum lymphatum, aut medicinas non puras, sed quibus aliquid admixtum est, aut alia huiusmodi, id ipsis emptoribus ignorantibus, aliquando peccant, & ad restitutionem tenentur; aliquando verò non. Peccant quidem, si illa admixtio est nociua, aut periculum seu damnum emptori allatura, idq; siue descendat in pretio, siue non. Peccant etiam, si mixtio nec damnum nec periculum est allatura, & tamen cùm res pura non sit, nec tanti valoris, ac si pura esset, pro pura venditur, maximè si diminutio valoris sit notabilis. Sed nec peccant, nec restituere tenentur, quando admixtio non facit rem minoris valoris, aut bonitatis ad eum vsum, ad quem emitur: aut si valoris, & bonitatis diminutio tam parua sit, vt homines de illa nil curent, nec secundùm rationem curare deberent.

Regula pro casibus particularibus huius materiæ. AD HVNC modum de cæteris rebus defectuosis venditis dicendum est, in quibus illud aduertendum, quòd si venditor scit, aut coniicit emptorem rem illam ad aliquem vsum emere, credentem ad eundem valere, & sibi profuturam, cùm in hoc ipso decipiatur, tenebitur venditor rei periculũ & conditionem emptori intimare; alioqui tenebitur illi ad interesse, idq; in vtroq; foro: nec satisfacit, si iuxta rei defectum, in pretio descendat, vt iam dictũ est. Nec excusantur mercatores in similibus casibus, per hoc, quòd res quam vendunt tantum valet, quantum est pretium quod pro ea accipiunt: nam quamuis excusentur à peccato superuenditionis, non tamen à dolo & culpa iniustæ deceptionis. F

De eo qui vendit merces pro pretio currenti, sciens alias similes breui superuenturas.

QVÆSTIO XXXV.

An possit quis vendere merces pro pretio nunc currente, probabiliter sciẽs breui similes merces ad eundem locum esse peruenturas.

EX DICTIS sequitur responsio ad aliam quæstionem, quæ est, an possit venditor vendere merces pro pretio nunc currente, si sciat, aut probabiliter credat similes merces breui ad eundem locum peruenturas. Ad quod dixit Thomas 2.2.q.77. art.3. quòd in casu potest venditor merces suas pro currenti pretio vendere, nec tenebitur quicquã restituere. Ratio, quia tunc pro pretio currenti merces suas vendendo, nulli facit

Sentẽtia I. affirmatiua. iniuriam; cùm non nisi pretium iustum recipiat: pro tunc enim pretium iustum est, quod

Ratio. tunc currit, etiamsi speretur rem minùs valituram.

Oppugnatur hæc sententia. CONTRA quam responsionem videtur ratio procedere, quia merces in tali casu decrescunt in valore, ob similium mercium abundantiam de proximo venturam. Nec

I. obstat, quòd illa abundantia non actu sit in loco illo: nam quod parum distat, nil distare videtur.

A videtur. Quemadmodum merces in hoc loco non sunt tanti pretij, quando in locis huic propinquis similes merces venduntur, quanti essent, si in locis propinquis similes merces non venderentur. Sicut enim rerum penuria earum valorem auget, ita & earum abundantia valorem minuit.

Tvm etiam, quia si emptores scirent illarum mercium superuentum, non emerent merces illas pro tanto pretio: rem igitur ignorantes, dant tantum pretium, aliàs nō daturi, ac proinde non liberè consentiunt in pretij quantitate; & per consequens, videtur peccare venditor, pretium accipiens: vt patet in exemplis suprà positis. II.

Tvm etiam communis hominum æstimatio, & rerum appretiatio confert ad cognoscendum valorem rerum, & quo maior est æstimatio, cæteris paribus, maior est valor rerum; sicut econtrà minor est valor, si minor sit hominum communis æstimatio. Hæc autem æstimatio, per quam rerum valor mensuratur, non qualiscunq; est, sed prudens & discreta, non quæ ex errore, seu ignorantia procedit, qualis est in casu præsenti, in quo solus venditor scit mercium similium superuentum, & cæteri id ignorant; quod si scirent, non tanti facerent merces illas, quæ in illo loco tunc venduntur, vt satis monstrat experientia. Ac proinde pretium pro tunc ex ignorantia currens, non est verum pretium iustum illarum mercium, sed putatum. III.

Tvm etiam, si venditor sciens rei bonitatem intrinsecam, aut extrinsecam breui diminuendam, seu tollendam, hoc ipsum emptore ignorante, tenetur id emptori intimare, vt patet ex quæstione præcedenti; vel saltem tenetur ex sententia omnium in pretio descendere, iuxta exigentiam illius dispositionis. Nec obstat dicere, illud verum esse, quando res, quæ venditur, est ad corruptionem disposita: quod in præsenti locum non habet. Non (inquam) obstat, quia non minùs contra emptoris charitatem esse videtur, rem in valore naturali diminutam, seu breui diminuendam, pro non tali, sed pro integra & perfecta vendere, quàm rem in valore accidentali diminutam, aut breui diminuendam pro integro pretio vendere. Cùm igitur in casu præsenti res illa per aliarum similium superuentum, bonitatem seu valorem accidentalem breui speratur amittere, sequitur intentum. Et procedit ratio hæc tunc maximè, quando emptor merces illas vendit non ad illicò consumendum, sed ad seruandum eas: & postmodùm vendendum, quando necesse erit emptorem merces illas apud se retinere, vel in earum venditione damnum pati. IIII. B *Obiectionis cuiusdam solutio.*

In confirmationem huius positionis sit casus, quo mercator solus sciat obsidionem ciuitatis, in qua suas merces venales habet, breui euenturam, aliis id ignorantibus: & inde ipse solicitè curat merces suas pro pretio tunc currente citò vendere. Et venditione facta, illicò ciuitas ab hostibus obsidetur: videtur in hoc casu mercatorem illum nec à culpa, nec à restitutione immunem esse, merces suas pro pretio currēte vendendo, sciens bellum imminere, aliis id penitus ignorantibus: nam merces illæ non sunt tanti valoris tempore belli, sicut tempore pacis. *Pro confirmatione.* *Casus* I.

C Alivs casvs, domum suam locauit quidam ad annum pro 20. ducatis, vbi curia Imperatoris residebat, & illud reputabatur pro tunc iustum pretium, supposito, quòd certum esset principis curiam illic per annum permansuram; attamen qui domum locauit, sciebat curiam breui à loco illo recessuram, populo communiter id ignorante: vnde; qui domum conduxerat, mansit defraudatus, cui nec conueniebat in domo illa habitare, post curiæ recessum, nec reperire potuit, cui eandem domum sine damno proprio locare posset. II. *Casus.*

Alivs casvs, cùm quidam tritici abundantiam tempore caritatis & famis haberet, certò sciuit principis voluntatem ad moderationē pretij pro tritico tradendi determinatam esse, ideò ante decreti promulgationem, aliis decretum ignorantibus, totum suum triticum vendidit pro pretio magno tunc currenti, idq; indistinctè, sciens scilicet quosdam triticum emere ad sui, & suorum sustentationē, quosdam verò ad triticum seruandum, & posteà indigentibus vendendū, vnde lucrum notabile sperabant; & tam hi, q̃ illi, superueniente pragmatica, coacti sunt damnum pati. Aut pone, monetam nunc currentē, citò ex decreto principis, in valore & pretio diminuendā, quod solus is, qui huiusmodi monetæ copiam habet, certò sciat, & ante diminutionis promulgationem totam monetā, quam habet, aliis decretū ignorantibus, vel per viam mutui, vel cambij, vel permutationis, seu emptionis, aliis nescientibus, tradat; quos constat illi ne damūn aliquod & no- III. *Casus.*

& notabile passuros. In his & huiusmodi casibus durum videtur venditores seu permutatores excusare, cùm ipsi omnes se in tuto scienter ponant, emptores autem in periculo seu damno, & cùm rerum emptiones & permutationes pro communi contrahentium vtilitate sint institutæ, deberet ipsorum contrahentium conditio æqualis esse, qualis in his casibus non est, vt constat &c. D

Resolutio. ITAQVE id secundùm hanc opinionem modò recitatam, videtur in huiusmodi casibus probabile, quia vel nota est, tam ementibus quàm vendentibus, superuentura breui similium mercium abundantia; aut vtrisque est ignota; aut solis vendentibus nota, cæteris verò ignota.

Conclusio I. SI VTRISQVE nota sit, & pretium idem currat quod priùs, tutus est venditor, nullique præiudicium facit; cùm omnes rerum superuentum sciant, & in tali pretio consentiant.

Conclusio II. SI VTRISQVE sit mercium superuentus incognitus, tutus est venditor pro pretio currenti merces suas vendens: nam bona fides illum sicut à culpa, ita & à restitutione excusat; nec erit emptor in tali casu rationabiliter contra venditorem inuitus; & pro tunc æqua erit vtriusque conditio, secundùm omnium existimationem.

Conclusio III. SI VERO vendens sciat rerum superuentum, vnde mercium valor decrescat, & emptores id ignorent; tunc si pro currenti pretio merces suas vendat, nil de superuentu ementibus significans, non venit excusandus, cùm se in tuto, emptores verò in damno aut periculo ponat: sed deberet aliquantulum in pretio descendere, licèt non tantum, quantum, si mercium superabundantia iam in loco illo actu existeret. E

Obiectio I. SED OBIICIET aliquis contra hanc resolutionem, quia tunc sequitur, quòd casu quo venditor ignoraret mercium superuentum, sicut & emptores, & merces suas pro pretio currenti venderet, teneretur excessum pretij restituere; esto quòd à culpa superuenditionis per ignorantiam excusetur. Sequela patet, quia scientia, vel ignorãtia venditoris non minuit, nec auget pretium seu valorem mercium; sed penuria, vel abundantia mercium cum aliis, quæ suprà dicta sunt. Ac proinde per mercium superuentum decrescit in casu valor similium: etiamsi talem superuentum ignoret venditor. & ita intentum.

II. PRAETEREA sequitur, quòd qui sciunt, vel probabiliter credunt, quòd hoc anno fructus terræ, scilicet vinum, & triticum abundabunt, quòd peccarent similes fructus nunc pro pretio currenti vendentes, sed deberent in pretio descendere, propter similium fructuum speratam abundantiam breui venturam: & econtrà si nunc est emptori verisimile vel certum, quòd hoc anno erit magna fructuum penuria, vini, scilicet, olei, & frumenti, sequeretur quòd non posset similia nunc pro pretio currenti emere, sed deberet in pretio ascendere: quia sicut mercium valor per similium mercium superuentum decrescit; ita & per similium penuriam breui venturam augetur.

III. PRAETEREA sequeretur, quòd mercatores peccarent in nundinis suas merces pro pretio currenti vendendo, quando magna est emptorum multitudo, & est illis certum, quòd inde ad duos, aut tres dies recedent pro maiori parte emptores. Et sequela apparet, quia sicut per opinionem valor mercium decrescit per speratum similium mercium superuentum; ita similiter decrescit per speratum emptorum recessum, cùm non minus conferat emptorum paucitas, aut multitudo ad augendum, seu minuendum valorem rerum, quàm penuria, vel abundantia mercium. Ad hunc modum posset de aliis inferri. F

Respondetur ad I. RESPONDETVR, hęc non infirmant conclusionem suprà probatam, vnde Ad primum dicendum, negãdo sequelam; quia multum refert rem dolosè, aut cum bona fide vendere: nam quando venditor scit rerum superuentum, emptoribus id ignorantibus, in nullo volens descendere in pretio, videtur rem superuendere dolosè, quia quodammodò decipit emptores, aut eorum deceptioni scienter & volens consentit, qui pretium excessiuum pro merce tradunt, putans illud esse iustum: & perinde est, ac si venditor rem defectuosam scienter emptori ignaro pro sana, & integra vendat, qui à peccato superuenditionis non excusatur. Aut sicut qui vendit cumulum tritici pro decem fanecis, sciens non esse ibidem nisi 9. fanecas, vbi emptor putet decem esse fanecas. Quæ quidem exempla similia sunt, quantum ad culpam, seu dolum venditoris, similiter & quantum ad restitutionem superaccepti, cùm non minùs minuat valorem mercium, aliarum similium superuentus, quàm defectus ipsarum mercium.

QVANDO

A QVANDO autem venditor ignorat mercium superuentum, sicut & emptores, tunc bona fides cum à culpa, & restitutione excusat, rem suam pro pretio currenti vendendo. Cuius ratio est, quia non ita sunt emptores rationabiliter inuiti contra venditorem, bona fide pretium currens exigentem & recipientem, etiamsi in re sit aliquantulum excessiuum, sicut essent, si venditor sciens mercium valoris diminutionẽ, illud excessiuum pretium reciperet. Nec hinc sequitur, quòd qui rem defectuosam pro sana nescienter, & cum bona fide vendit, sit à restitutione immunis, ob bonam ipsius fidem: nam in casu argumenti non solùm bona fides vendentis eum à restitutione superaccepti excusat, sed quia cum bona fide concurrit communis error facti, communis, inquam, venditoribus, & emptoribus, & communis cursus pretij. Sicut si vinum, quod nunc venditur communiter, pro. 5. vendatur, quod omnes communiter putent diu conseruari posse; & tamen accidat, vt subitò ad temporis alterationem alteretur, & ipsum ad corruptionem tendat: quod si à venditore præ cognitum fuisset, debuisset in pretio descendere. Ex quo tamen sibi, & cæteris communis fuit error, non est venditor compellendus ad superaccepti restitutionem, sicut in conscientia fuisset, si præfatam temporis alterationem certò sciuisset. *Reiicitur quædam replica.*

AD SCVNDVM similiter negatur sequela, quia quòd in casu illo venditor aut emptor circa fertilitatem, aut sterilitatem anni coniicit, possunt homines similiter coniicere, si attendant; ac proinde non iniustè datur, aut recipitur pretium, quod tunc communiter currit. Secùs esset, si solus venditor esset diuinitùs certioratus, de fertilitate anni, & non reliqui: nam tunc deberet in pretio descendere, si cætera, quæ ad augmentum valoris, aut diminutionem conferunt, sint paria, alioqui non careret dolo. Idem dicatur de eo, qui emit merces pro pretio currenti, coniiciens, aut sciens anni sterilitatem. *Ad II.* B

IDEM RESPONDETVR ad tertium, quòd sequela non valet; quia recessus mercatorum à nundinis nõ solùm est venditori cognitus, sed cæteris similiter est, aut potest esse notus, ideò non iniustè res venduntur pro pretio tunc communiter currente. *Ad III.*

De eo, qui vendit triticum cariùs, quàm sit per pragmaticam ordinatum.

QVÆSTIO XXXVII.

QVIA PAVCIS ab hinc annis, ob temporis sterilitatem, & tritici communem indigentiam, facta fuit regia pragmatica, per quam statutum & iussum fuit sub certa pœna, ne quis fanecam tritici vltra pretium à principe taxatum venderet. Quam quidem taxationem constat multos præteriisse, ex quibus adhuc sunt aliqui, qui scrupulo conscientiæ agitantur, & quærunt, an teneantur superacceptum restituere; quia, vt dicunt, confessores nolunt eis, nisi restituant, beneficium absolutionis impendere. Hi, & multi alij in suam excusationem arguebant. *An qui vendit triticũ cariùs, quã per pragmaticam ordinatũ est, peccet, & teneatur ad restitutionem.* C

Argumenta pro parte negatiua. I. Primò, quòd non potuerunt per pragmaticam præfatam astringi, quo minùs possent liberè triticum suum vendere pro pretio, quod secundum communem indigentiam reperirent, eò quòd vnicuiq; licet rebus suis pretium ponere; quia vnusquisque est in rebus suis moderator & arbiter, vt habetur in l. in re mandata. C. mandati.

SECVNDO, quia iustum pretium rerum, non secundùm voluntatem regis, rebus est imponendum, sed secundùm indigentiam, similiter & paucitatem atque abundantiam earum, & numerum emptorum, ac venditorum: ac proinde quo maior est indigentia, maiorque rerum penuria, maior etiam emptorum numerus, minorque venditorum; eò magis crescit valor rei, & pretium eiusdem. Velle igitur, vt pragmatica volebat, quòd his, quæ dicta sunt, in dies crescentibus, pretium tritici non cresceret, sed in eodem semper pretio venderetur, videtur iniquum & iniustum. Pro qua ratione facit, quod ait Aristoteles: Pretium rerum humana indigentia mensurat. II.

TERTIO, quia illa pragmatica non erat toti regno communis, sed in parte fuit promulgata, in parte non; nec etiam vbi fuit promulgata, per omnes obseruabatur, cùm hi, qui reditus regios colligunt, publicè triticum, prout cariùs poterant, vendebant, III.

idipſum ſcientibus his, qui pragmaticam fecerunt, qui illos, ne ſic venderent, minimè D
prohibebant. Ac proinde in hac parte videbatur iniqua lex illa, quę non æqualiter omnibus tradebatur: modò autem, vt ait Auguſtinus lib. 1. de libero arbitrio, quæ iuſta & æqua non fuerit, non eſt lex.

IIII. QVARTO, quia qui rempub. gubernabant, & publicam iuriſdictionem habebant, ſcientes pragmaticam in multis locis, & per multos violari, eos minimè puniebant, ſed cum eis diſsimulabant, in quo viſi ſunt in violatione conſentire, & pragmaticam prædictam vim poſtmodùm habere non velle. Hoc enim modo ſolent humanæ leges per oppoſitam conſuetudinem abrogari, vt latiùs in Codice de ieiunio oſtendimus.

V. QVINTO, quia humana lex, vt obligatoria ſit, opus eſt quòd ſit ſufficienter promulgata, & vtentium moribus approbata vt ait Auguſtinus; & habetur diſtinct. 4. cap. in iſtis. Et eſt textus ad literam in. l. de quibus. ff. de legibus, vbi dicitur: Ipſæ leges nulla ex alia cauſa nos tenent, quàm quòd iudicio populi ſunt receptæ. Præfata autem pragmatica, vt dicunt, non ita fuit communi populi conſenſu recepta, nec vtentium moribus approbata: igitur vim obligandi non habuit.

VI. SEXTO, eſto lex illa iuſta fuerit, & à populis, quibus fuit promulgata, obſeruanda; non tamen videtur quòd fuerit in conſcientia obligatoria, cùm fuerit pœnalis: lex autem pœnalis in conſcientia ante ſententiam latam non obligat, vt eſt communis doctrina, iuxta cap. fraternitas. adiuncta gloſ. 12. q. 2. Igitur eſto, mercatores triticum cariùs, E
quàm per pragmaticam fuerit ordinatum, vendiderint, non tenentur in conſcientia ad reſtitutionem, niſi ſuper hac fuerint per iudicem condemnati, & ita nec per confeſſores eſt illis beneficium abſolutionis denegandum.

Suppoſitio pro quæſtionis reſolutione.

Ad Reip. moderatorē pertinet, rebus venalibus iuſtum, pretiū imponere.

Probatur I.

RESPONDETVR, his non obſtantibus videri aliter reſpondendum, & primò ſupponamus, quod ſuprà dictum eſt, ſcilicet quòd ad ſuperiorē, qui poteſtatem habet rempub. gubernandi, pertinet vtilitati ſubiectorum & reipub. prouidere. ff. de officio præſidis. vnde in l. 1. §. cura carnis. ff. de officio præfecti vrbis. eſt caſus, quòd ad præfectum vrbis ſpectat, vt victualia iuſto pretio vendantur. Item in. l. anno nam. ff. de extraordinariis criminibus, mandatur præſidibus prouinciarum, vt ad hoc ſuis ſtatutis & ordinationibus laborent, vt annona non oneretur: & quia certum eſt annonam augeri, ſi ſuperiores non taxent pretium rerum venalium venditioni expoſitarum: igitur ad hoc, ſi volunt iuſti præſidis officium exercere, tenentur.

II. ET PATET ex ratione, quia ſi venditoribus permitteretur in tempore ſterilitatis annonam, prout poſsint, vendere, daretur occaſio, vt multi pauperes tantum pretium, quantum pro tritico diuites exigerent, non habentes, fame perirent. Et qui non haberent, quod loco pretij darent, prẹter vineas, agros, aut domū, cogerentur huiuſmodi res pro vili pretio diſtrahere, vt triticum emant; aut certè ipſis venditoribus, eas pro pane comedendo permutare: & ita fieret, vt in rep. qui triticum venale habent, aliorum poſſeſsiones, & facultates breuiſsimè exhaurirent, & ditiſsimi fierent, cæteris in ſumma miſeria & inopia permanētibus: quod quàm reipub. pernicioſum ſit, & iniquum, quamque F
fraternæ charitati contrarium, non eſt qui non videat.

III. PRAETEREA ad reipublicæ gubernatorem pertinet, dare modum, quo in rebus ad vitam neceſſariis non inducatur caritas. Inde qui caritatē inducunt, veniunt iuxta leges grauiter puniendi. Nam hæc eſt cauſa, quare monopolium, ſub pœna capitis, eſt lege prohibitum, eò, quòd eo conceſſo, caritas facilimè induceretur, cùm hominum cupiditas ſit inſatiabilis: ac proinde neceſſe eſt, tempore ſterilitatis, quando pauci ſunt, qui triticum venale habent venditioni expoſitum, multi autem ſunt eo ſummè indigentes, vt reipublicę gubernatores, pretium competens huiuſmodi rebus inſtituant; nec id ſolùm, ſed eos, qui abundant, compellant, vt triticum, quod eiſdem ſupereſt, cæteris indigentibus pro moderato pretio vendant. Inde etiam prudentiſsimè fit, vt quando princeps alicui ſcriptori, ſeu impreſſori, ſeu librario, aut alteri mercatori cuicunque priuilegium concedit, vt ipſe ſolus certas merces vendere poſsit, iniungitur illi ſub certa pœna, vt non niſi pro pretio, quod illi determinatum fuerit eas vendat, ſcilicet ad impediendam caritatem, quæ alioqui in repub. induceretur.

INDE ETIAM commendanda eſt reſpub. in qua rectores ſolicitè curant victualibus, hoc eſt, tritico, oleo, vino, pane, fructibus, piſcibus, aliiſque rebus, quibus homines ad victum vtuntur, ſuum moderatum pretium taxant. Inde etiam laudabile eſt, imò & aliquando

A aliquando necessarium, vt domibus locandis similiter moderatum pretium sit per superiores taxatum; quemadmodùm in locis quibusdam fieri solet, vbi vel Concilium congregatur, vel scholares ad studium generale confluunt. Inde etiam iustè & conuenienter regia potestate statutum est, vt census redimibilis certo pretio ematur, puta, vnum pro quatuordecim. Inde etiam conuenit regibus, monetæ suum pretium & valorem asignare, sicut & asignant.

ITAQVE lex, ratio, simul & laudabilis consuetudo docent, ad publicam potestatem pertinere, rebus venalibus, his potisimè, quæ ad vitam sunt necessariæ, competens pretium designare, & eos, qui cariùs vendiderint, punire.

QVO PRAEMISSO, videtur cóclusio certa, quòd qui triticum cariùs vendit, quàm per pragmaticam iustè, & rationabiliter factam, taxatum est, peccat peccato superuenditionis, & excessum restituere tenetur. Patet prima pars, quia qui rem vendit plus iusto, aut pro pretio excesiuo, peccat contra iustitiam, cùm æqualitatem, quàm iustitia requirit, in tali contractu non seruet; talis est, qui in casu triticum vendit cariùs, quàm sit taxatum, eò quòd, vt ex dictis patet illud dicitur iustum pretium rei, quod est per autoritatem publicam iustè & conuenienter taxatum. Supponimus autem, regem, seu principem, & senatum suum, cùm præfatam pragmaticam faciunt, omnia prudenter prospicere, quæ ad præfatam taxationem iustè agendam sunt attendenda, & per consequens B iustè, & conuenienter in re deliberasse: id enim de maioribus præsumendum est, interim quòd de opposito non constat. Si enim de fratre priuato non est licitum temerè iudicare, & quod deterius est, præsumere; multò minùs de principe, & senatu suo, quando aliqua statuunt, quæ publicam regni vtilitatem concernunt. Sequitur iam secunda pars, quòd tales, qui triticum, durante pragmatica, superuendunt, tenentur excessum restituere, etiamsi excessus fuerit citra dimidium iusti pretij, quod suppono suprà sufficienter esse probatum.

Conclusio affirmatiua quæstionis supradicta. Probatio I. partis. Talem scilicet peccare.

Probatur II. pars. Teneri vult ad restitutionem.

AD RATIONES autem suprà factas facile est respondere. Ad primam, in qua arguitur, neminem posse alienis rebus pretium ponere, cùm vnusquisque in suis rebus sit moderator &c. dicendum, quòd esto id verum sit, de homine priuato, qui talem potestatem in alienis rebus non habet; non tamen de homine publicam potestatem habente, vt habet princeps, & qui rempub. regunt. Et quòd dicitur, in rebus suis vnusquisque est moderator & arbiter, non est intelligendum, quòd sit qualiscunque moderator, aut arbiter, sed iustus: ideò lex non verbo, taxator, vtitur, sed verbo, moderator; sed supplendum est, iuxta rectam rationem. Dico secundò, quòd dictum illud procedit, non in casu necesitatis, quo scilicet necessarium est, publicam potestatem pretium taxare, & taxationem ipsis venditoribus non relinquere, vti necessarium est tempore sterilitatis, de quo casus propositus est; sed procedit in casu, quo ad pretij determinationé per publicam potestaté non peruenitur, quia publica potestate pretium rerum moderante, cessat priuatè potestas C illud moderandi, cùm iustum sit priuatam potestatem publicæ potestati subesse.

Respondetur ad argumenta contraria.

Ad I.

AD SECVNDAM dicendam, quòd si ipsi venditores per se deberent pretium moderari, illa omnia deberent attendere, & ex consequenti possent in pretio ascendere, & descendere, iuxta illarum circumstantiarum varietatem, quæ ad augmentum, seu diminutionem rerum conducunt: vbi tamen taxatio per publicam potestatem (vti in casu) facta est, credendum est, omnia illa per taxatores esse perspecta; similiter & tempus, per quod conueniat præfatam taxationem seruare; intra quod non ita erit venditoribus liberum in pretio ascendere, etiamsi aliquantulum sint præfatæ circumstantiæ variatæ: maximè quòd quando pragmatica fiebat, hanc ipsam circumstantiarum varietatem futuram senatus ipse præconsiderauit, & ita maturo consilio pragmaticam iustè, & prudenter ad certum tempus fecisse credendum est. Haberet autem ratio apparentiam, si senatus regius, præfatam circumstantiarum varietatem non attendisset.

Ad II.

AD TERTIAM dicendú, quòd, præfatam pragmaticam non fuisse toti regno traditam, non vitiat eam, nec iniustam eam facit, cùm stet, necessarium esse, per huiusmodi leges quibusdam partibus regni succurrere, in quibus necesitas postulauerit, non ita in aliis: sicut nec vitiat legem, quòd triticum in certis partibus regni taxetur & determinetur vendi pro quinque, in aliis autem pro septem, pro vt varia est harum, & illarum prouinciarum indigentia. Sed nec vitiat legem, nec eam iniustam facit, quod præfati collectores, aut aliæ personæ triticum cariùs, quàm taxatum esset, venderent; quia hoc vitium

Ad III.

eſt vendentium, non legis iuſtum pretium determinantis: quandoquidem lex omnibus venditoribus poſita fuit, abſque vlla exceptione, vt mihi relatum fuit. Si tamen præfata lex, aut legiſlator voluit quoſdam venditores ad tenēdam taxationem ſtatutam aſtringere, quoſdam autem omnino liberare, legem huiuſmodi ego ab iniquitate minimè excuſarem; & in tali caſu non eſſet dicenda lex, iuxta ſententiam Auguſtini, in argumento citatam; ſed, vt intellexi, præfati collectores non fuerunt per legem, aut legiſlatorem excepti, quamuis pragmaticæ exequutores cum illis diſsimularent, illos legi contrauenientes minimè puniendo: hæc tamen diſsimulatio licèt liberaret præfatos venditores à pœna pragmaticæ; non tamen à culpa ſuperuenditionis tritici, eò quòd cùm pretium iuſtum eſſet, quod per pragmaticam fuit ordinatum, & illorum triticum non eſſet melius, aut maioris valoris, quàm triticum aliorum, iniuſtè illi agebant, triticum cariùs, quàm alij, vendentes; quare nec illos in conſcientia à debito reſtituendi excuſarem. Suppoſito, quòd in tali loco vendiderint, & eo tempore, vbi, & quando pragmatica erat recepta, & moribus vtentium, ſaltem pro maiori parte, ſeruata. D

Ad IIII. AD QVARTAM dicendum, quòd ſi in loco aliquo, ita cum venditoribus diſsimulabant, vt omnibus illius loci, aut maiori parti vendentium permitterent, triticum pro voluntate vendere, ſciente legiſlatore, & conſentiente, non dubito in illo loco pragmaticam vim obligandi amiſiſſe. Sicut enim pro voluntate principis vim habuit obligandi, ita per eiuſdem voluntatem potuit eandem vim perdere: iuxta regulam iuris, omnis res, per quas cauſas naſcitur, &c. Si tamen non ita diſsimulabant, quin plures in eodem loco legem violantes, punirent, ſicut puniuiſſe dicuntur, non tunc videtur lex vim ſuam amiſiſſe, quin omnes in illo loco legem tranſgredientes peccarent, & reſtituere tenerentur; eſto quòd hi, cum quibus iudices diſsimulabant, eſſent à pœna legis immunes. Vide tamen, an ſicut de collectoribus regalium redituum nuper dicebam, quòd ipſi cum cæteris in vno loco commorantibus tenebantur legem ſeruare, vel nec ipſi, nec alij, ex quo de omnibus eadem videtur eſſe ratio; ita de diuerſis locis dicendum; ſcilicet, quòd ſi lex amiſit vim in vno loco, ſimiliter eandem in alio amiſiſſe intelligatur, ſi nulla ſit ratio quare in vno loco debeat ſeruari, & in alio non. Sicut ſi ſint duo loca, in quibus eadem eſt tritici indigentia & penuria, cæteraque quæ ad augmentum, ſeu decrementum pretij conducunt, ſint paria, iniuſtum videretur, pretium per legem vni loco taxare, alteri verò libertatem vendendi abſque taxatione præbere. Cuius iniuſtitiæ ratio videtur eſſe, quia tunc lex illa non tam rationi, quàm voluntati inniteretur. E

Ad V. AD QVINTAM dicendum, quòd illud dictum Auguſtini non ita eſt accipiendum, vt nullatenùs lex poſsit obligatoria eſſe, niſi per populum ſit recepta, & vtentium moribus comprobata, cùm certum ſit ſuperiores tam Eccleſiaſticos, quàm ſeculares poſſe ſubditos inuitos ſuis præceptis, & iuſtis legibus obligare; alioqui ſi in libera poteſtate ſubditorum eſſet, legem illis datam acceptare, & non acceptare, in eorũ ex conſequenti libera poteſtate eſſet, ſe à ſuperiorum ſubiectione eximere, & eiſdem reſiſtere, cùm tamen dicat Paulus ad Romanos 13. Qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit. Vnde, quamuis iure detur populo facultas à legibus nouiter illi datis appellandi, aut ſupplicandi; vnde & audiendi veniunt, ſi fortè cauſam ſufficientem afferant, quo minùs lex illa eis imponatur: attamen ſi nullam talem cauſam afferant, per ſuperiores ad huiuſmodi legis obſeruantiam poſſunt compelli. Vnde quod ait Auguſtinus: Tunc leges obligant, cùm vtentium moribus comprobantur: verum eſt, vt iacet, cùm affirmatiuum ſit; non tamen inde à contrario ſequitur, quòd ſi non vtentium moribus comprobentur, nunquam obligent. Quanquam etiam id verum ſit, ſi ſuperiores, qui legem ferunt, ſciunt eam per populum non acceptari, nec obſeruari, & tacent, non ampliùs inſiſtentes. Adde quòd non ait decretum Auguſtini, quòd leges tunc obligant, quando per populum approbantur, ſed quòd tunc confirmantur. F

Ad VI. I. AD SEXTAM dicendum, quòd ſic arguentes falluntur in duobus, Primò, quia ſupponunt, legem pœnalem non obligare, niſi tantùm ad pœnam, in lege ipſa determinatam, & non ad culpam, ſi violetur, quod aliàs oſtendimus eſſe falſum; maximè ſi pœna tranſgreſſoribus per legem ipſam deputata, talis & tanta ſit, quę non niſi pro culpa mortali ſoleat, aut debeat infligi: & etiamſi leuior ſit, cùm pœna culpam neceſſe eſt præſupponat, ſaltem venialem. Adde quòd ſi lex eſt, oportet vt rectæ rationi conſentanea ſit; ac proinde qui contra legem agit, rectæ rationi contrauenire conuincitur, ſimul & voluntati

A luntati iustæ legiſlatoris; quare conſequens eſt, hoc ipſum culpam nonnullam eſſe. Verùm demus, quod volunt, ſcilicet, quòd lex pœnalis, quando eſt purè pœnalis non obliget in conſcientia, niſi ad pœnam, idque poſt latam contra violatores ſententiam; non tamen verum eſt, præfatam pragmaticam, de qua loquimur, legem eſſe purè pœnalem: habet enim duas partes; altera eſt, quæ pretium certum tritico ad tempus deſignat; altera verò, quæ iubet, ne quis illo tempore, & loco triticum cariùs vendat, ſub certa pœna ibidem contenta. Modò quamuis legis violatores, ad huiuſmodi pœnam non teneantur in conſcientia, aute ſententiam latam, tenentur tamen in conſcientia triticum non cariùs, quàm taxatum ſit, vendere; idque ratione legis naturalis, & diuinæ, per quas homo tenetur rem non cariùs vendere, quàm valeat: valet autem, quantum per publicam auctoritatem fuerit taxatum, vt ex ſuprà dictis patet. Igitur qui cariùs, quàm ſit ordinatum, vendiderit, non dubium quin ſuperuendendo peccet contra legem naturalem, diuinam, & humanam; & ita exceſſum tenebitur reſtituere. Alioqui da, pretium per legem taxatum iniuſtum eſſe, id eſt, diminutum, & aliud maius illo eſſe iuſtum; ſequeretur tũc, quòd omnes, qui, durante pragmatica, triticum pro pretio taxato emerunt, dederunt pretium iniuſtum, quia diminutum; & per conſequens, omnes tales in cõſcientia tenerentur ſupplere pretij defectum, nec aliter venirent per confeſſores abſoluendi; quod non credo quiſquam concederet. Ac proinde concludendum eſt, pretium ſic taxatum iuſtum fuiſſe, & cariùs vendere, iniuſtum. II.

B

VNDE SEQVITVR, impertinens eſſe, legem illam pœnalem eſſe, aut ſine pœna ſtatutam: nam eo ipſo quòd per publicam poteſtatem rei venalis pretium taxatur, reputandum eſt illud eſſe iuſtum, & in conſcientia ſeruandum, etiamſi nulla pœna per legiſlatorem contrà tranſgreſſores apponeretur, cùm hæc non apponatur, niſi vt qui amore iuſti peccare non deſinunt, timore pœnæ coërceantur. *Corollarium I.*

SEQVITVR ampliùs, quòd ſi is, qui præfatam pragmaticam violat, pœnam legis per iudicis ſententiam luere compellatur, non inde manet à reſtitutione agenda ſuperaccepti immunis. Huius ratio eſt clara, quia pœna legis debetur propter contemptum, ſeu violationem legis, in quo legiſlatori, & legi iniuria fit: reſtitutio autem debetur propter defraudationem, qua emptorem iniuſtè defraudauit, plus iuſto ab eo pro tritico exigẽdo & recipiendo. *Corollarium II.*

SEQVITVR ampliùs, præfatos pragmaticæ violatores pretium exceſsiuum recipientes minimè excuſari, prætextu donationis admixtæ, quam emptores dicebant ſuper exceſſum illis facere: cùm conſtet, emptores non animo donandi exceſsiuum pretium dediſſe, ſed neceſsitate ac indigentia compulſos in pretio exceſsiuo conſenſiſſe; niſi fortè venditor non niſi quod taxatum erat, exigeret; emptor autem ſponte vellet ampliùs largiri; aut niſi poſt venditionem completam, & tranſactam emptor liberaliter, & ſponte exceſſum remitteret, quia tunc liber eſſet venditor à præfata reſtitutione. *Corollariũ III.*

C

DVBITARET aliquis, an, ſicut laici in caſu, pragmaticam excedentes, tenentur ſuperacceptum reſtituere, clerici ſimiliter excedentes teneantur? Ratio dubij eſt, quia clerici non ſubduntur legibus laicorum, ſeu imperialibus, ſicut laici; ideò nec tenentur ſtare præfatæ pragmaticæ. Sicut ſi rex Caſtellæ pragmaticam faciat, tenebuntur ſtare eidem Hiſpani, non tamen Galli, aut Luſitani: quia regi Caſtellæ non ſunt ſubiecti. Reſpondeo, quamuis clerici in terris Imperatoris viuentes, legibus imperialibus non ſubiiciantur, nec ad pœnę ſolutionem compelli poſsint, ſi huiuſmodi leges violauerint; attamen legi naturali, & diuinæ ſubditi ſunt, ſicut laici. Lex autem naturalis, & diuina, vt dixi, eſt, ne quis rem plus iuſto vendat, ſiue ſit laicus, ſiue clericus. Ac proinde, ex quo publica autoritate pretium tritici iuſtè, vt ſupponitur, taxatum eſt, conſequens eſt, clericos teneri ſtare pragmaticæ, ſicut & laicos, non quidem vi imperialis legis, ſed naturalis, & diuinæ. *Aliud dubium. An clerici ſimiliter in caſu pragmaticam excedentes, teneantur ad reſtitutionem. Solutio affirmatiua. Probatur I.*

QVOD INDE confirmatur, quia ad id etiam tenebuntur Galli, Luſitani, & extranei, ſi velint in locis Hiſpaniæ, vbi vim habet pragmatica, triticum vendere, tenebuntur iuxta taxatum pretium illud vendere, ſicut & naturales, ergo ſimiliter & clerici. Quod ampliùs inde apparet, quia non minorem vim habet, ad determinandum pretium iuſtum rerum venalium, publica autoritas, & inſtitutio, quàm communis populi conſue- II.

tudo & cursus: sed si clerici velint res suas vendere, vt tuti sint in conscientia, tenentur seruare pretium per communem populi consuetudinem obseruatum, etiamsi populi legibus subditi non sint: ergo similiter tenentur pretium per principem taxatum seruare, etiamsi principis legibus non subiiciantur. D

Aliud dubium. Proponitur quidam casus. ALIVD DVBIVM, supposito quòd in diuersis partibus regni, diuersæ vigeant pragmaticæ, ita vt in regno Toleti pretium taxatum sit 5, in Castello verò sit 8: eò quòd illic sit maior tritici penuria atque indigentia. Toletanus in suo loco, vbi pretium taxatum est 5, non vult triticum suum vendere pro 5, sed pro 8; & conuenit cum emptore pro 8. hac lege, quòd ipse venditor, suis expensis portari faciet triticum in Castellam, *Ratio dubij.* vbi valet 8: an sit id condemnandum. Et ratio dubij est, quia vbi contractus fit, non valet faneca nisi 5: vbi autem triticum est transferendum & tradendum, valet 8. Respon-*Responsio bimembris.* detur, si venditor alioqui erat triticum suum in Castellam, vbi cariùs venditur, portaturus, & illic illud venditurus, iustus est contractus prædictus, etiamsi sit in loco vbi I. valet 5. celebratus. Cuius ratio clara est, quia si plus recipit venditor, quàm triticum in suo loco valeat, non ratione mercis, sed ratione interesse sui illud recipit, qui alioqui tantundem erat lucraturus, rem suam in Castellam portando. Et hoc etiam esset iustum, quamuis, vt dico, in suo loco contractus esset celebratus & completus, nedum si suspenderetur contractus vsque ad Castellam, vbi erat ex conuentione celebrandus. Refert tamen, sit Toleti celebratus, an in Castella celebrandus; quia si Toleti sit celebratus, E ex tunc periculum tritici, sicut & dominium, spectat ad emptorem. Quare si, cùm in Castellam etiam per venditorem portetur, casu pereat, aut per rapinam, seu per furtum illi auferatur, emptori perit, non venditori. Excepto, nisi venditor custodiam rei vsque ad traditionem susceperit, vt habetur Institut. de emptione & vendit. §. quòd si fugerit. Excepto, etiam si fuerit triticum in genere venditum, quia tunc periculum erit apud venditorem, cùm genus, vt Iuristæ dicunt, non pereat: secùs si contractus non Toleti, sed in Castella sit celebrandus; quia tunc periculum, sicut dominium, ad venditorem pertinebit.

II. SI AVTEM venditor non erat alioqui triticum in Castellam portaturus, tunc videtur præfatus contractus in fraudem pragmaticæ fieri, nec erit venditor à culpa & superaccepti restitutione securus. Certum est enim in legem impingere eum, qui verba legis amplexus, contra legis nititur voluntatẽ, vt habet regula iuris in sexto. Quemadmodum in fraudem legis ageret, qui pragmaticã ad literam seruans, venderet triticum pro 5. hac lege, vt emptor illi emat rem aliam, puta hordeum, aut piper, aliúdue huiusmodi pro 8. cùm tantùm valeat 4. Quibus fraudibus non dubium est complures tempore pragmaticæ vsos fuisse, quos non minùs iudices punire deberent, quàm si ad literam legem temerè violassent, qui non solùm superaccipiunt, sed alios indigentes, res eisdem inutiles, & quibus non indigent, emere compellunt. In quo constat eos multipliciter per tales venditores grauari. F

Corollarium. SEQVITVR ampliùs, ad reipub. gubernatores spectare legem facere, & eandem solicitè exequi, qua prohibeant, ne quis tempore Augusti, quando vili venditur triticum, vltrà quàm sibi & familiæ suæ necessarium sit, emat; cùm videamus defectu exequutionis huiusmodi legis diuites triticum quantum possunt emere & congregare, vt postmodum cariùs vendant. In quo rempub. notabiliter damnificare videmus. Tum, quia hoc modo impediuntur; vt plurimum indigentes & pauperiores, ne posint illo tempore quę illis sunt necessaria, emere; cùm diuites & potentiores semper præueniant. Tum etiam, quia illo modo notabiliter inducitur in repub. caritas, vnde huiusmodi mercatores plus solent reipub. nocere, quàm anni sterilitas, aut locustæ. Ac proinde venirent tanquam prædones & reipub. vastatores exterminandi. Quòd enim talis contractus illicitus sit, & turpis vltra rationem tactam, patet 14. quæstione. 4. capitul. quicunque. vbi talis contractus damnatur, quando scilicet fit causa lucri, & ex cupiditate, & censetur lucrum inde quæsitum turpe. Et tales tempore caritatis possunt cogi, vt etiam minus iusto pretio vendant. vt habetur in.l.2.§.cùm in eadem.ff.ad.l.Rhodiam de iactu.

Dubium. SED AN tales, qui lucri gratia, & ex cupiditate hæc faciunt, teneantur lucrum inde post inductam caritatem acquisitum, restituere. Respondetur, quòd ex quo iniustè multos

A multos læserunt, primò eos, qui ad domus suæ sustentationem erant victualia pro vili empturi: Secundò totam rempub. ratione caritatis per eos inductæ, videtur debere eos vtrisque satisfacere. Primis, si eos agnoscant, aut pauperibus pro illis, si non agnoscant, idque ad arbitrium boni viri. Cæteris similiter, in communi aliquid pauperibus erogando, satisfacere debent. Quantum autem sit quod debeant pauperibus erogare, videtur hæc regula secura & tenenda, scilicet, quantum lucrati sunt superaccipiendo vltra id, quod triticum verisimiliter valuisset, si triticum eo modo, quo dictum est, non ita congregassent: totum illud videtur perperàm & turpiter acquisitum, & pauperibus pro læsis erogandum, vel inter indigentes, qui alioqui viliùs emissent, distribuendum. Quòd si adueniente caritate triticum, quod congregauerant, nondum vendiderint, debent illud vendere in eo pretio, pro quo verisimiliter illo tempore venderetur, si ipsi triticum non ita, vt dictum est, accumulassent. Alioqui quicquid superacceperint, tenebuntur, vt dictum est, distribuere ratione damni dati, ob charitatem per eos inductam, licèt non per viam restitutionis. Poterunt tamen aliquid lucrari, habito respectu ad curam, & periculum, & expensas, si quas in talium mercium asseruatione fecerint, idq; ad arbitrium boni viri. Dura videtur sententia, sed tuta, & iuri communi consona, scilicet, si culpa tua damnum datum est, satisfacere oportet. Quale damnum dant, qui præfato modo caritatem inducunt. Vnde qui dat arrhas in emptione omnium aromatum ciuitatis, B vt ipse posteà cariùs vendat, cùm præsciuerit naues similes merces adducentes fore submersas, dicitur facere monopolium, & incidit in pœnam legis, contra monopolam institutam, vt patet in rubrica. C. de monopoliis. Et procedunt hæc de his, qui illo modo tritici quantitatem ex cupiditate lucri, vt illud postmodùm cariùs vendant, emunt. Nam ipsa emptio in se illicita non est, & potest ex tali intentione, & ob talem finem fieri, vt licita & meritoria sit. Et quod dico de tritico, idem de cæteris victualibus est dicendum.

Solutio.

Etsi data solutio dura videatur, tuta tamen est, & iuri communi consentanea.

SED OBIICIET aliquis, id quod dictum est esse verisimile, si vnus esset tantùm, qui caritatem induxit, si tamen multi diuites totum triticum aggregârunt, & ita communiter caritatem induxerunt, quare vnus eorum non poterit suum triticum vendere pro pretio currente, ob charitatem per alios mercatores inductam, modò pro rata caritatis in pretio descendat. Sic enim, qui pro suæ familiæ sustentatione tritici quantitatem emit, si quid posteà illi supersit, poterit tempore caritatis, per alios inductæ pro pretio currente vendere, & ex consequenti, non tenebitur tempore indigentiæ, pro tam diminuto pretio triticum emptum vendere, pro quanto venderetur, si præfati mercatores non ita triticum apud se accumulâssent. Respondeo, quicquid sit de eo, qui pro domus suæ sustentatione triticum emerat, quem non dubito posteà posse pro pretio currrente id, quod supererit vendere; is tamen, qui gratia lucri multa emit, vt ea cariùs venderet, non ita poterit ex caritate, per alios inducta, in vendendo suum triticum iuuari, eò quòd C hic videtur iniustè rempub. damnificasse, vt ex dictis patet: & alij mercatores ei similes similiter eam damnificârunt. Et quamuis vnus solus non totam caritatem induxerit, sed omnes simul, & vnusquisq; pro rata damnificauerit, ita omnes tenētur, & vnusquisq; pro rata in pretio descendere, quatenus caritas per eos inducta, aut inducenda tollatur, ad illud pretium, quod alioqui curreret, descendendo. Quòd si cæteri nolint, eorum culpa non deobligat hunc quo minùs ad id teneatur.

Obiectio.

Solutio.

De his, qui res alienas vendunt.

QVÆSTIO XXXVII.

ACCIDIT, vt qui pecunia indigēt, quam fortè nō aliter habere possunt, nisi per viam venditionis, qui tamen rem propriam, quam vendere posſint, non habent; vel si habent, nolunt eam distrahere, vēdunt rem alienam, vt sæpe in nundinis accidit, idque sine proprio domini consensu: Dubitant an id posſit licitè fieri, & an huiusmodi contractus sit validus, & quid operetur. Et tenet Henricus de Hoitan in tractatu suo de contractibus, præfatam venditionem illicitam esse, simul & inualidam, seu nullam. Pro qua sententia arguitur.

An licitè et validè quis vēdere posſit rē alienam absq; domini consensu.

Sentētia prima negatiua.

Argumentum primum. PRIMO, quia vendere rem alienam, inuito domino, videtur esse furtum, vt habetur Institut. de vsucapion. §. furtiuæ. vbi dicitur: Nam qui sciens alienam rem vendit, vel ex alia causa tradit, furtum committit. Vnde apparet non solùm committi furtum in casu rem alienam vendendo, & tradendo simul, sed seclusa traditione, in sola rei alienæ venditione videtur furtum committi. Et iterum Institut. Quibus alienare licet, vel non. §. contra autem ponitur casus de creditore, qui. quia debitum non soluitur, vendit pignus, vbi dicitur: id illi licitum esse, sed non sine voluntate debitoris, qui ab initio contractus pactus est, vt liceret creditori pignus vendere, si pecunia non soluatur: & per cõsequens, inuito domino, rem eius vendere non est licitum. D

II. SECVNDO quæro, vel venditor quando rem alienam scienter vendit, intendit eam verè vendere, aut fingit? Si secundum, peccat, quia mentitur, etsi non verbo, saltem opere; cùm aliud opere significet, aliud verò mente teneat. Si primum, igitur verè intendit tradere emptori rem, quam illi vendit; cùm non aliter venditio celebretur & perficiatur, nisi per mercis traditionẽ, et pretij receptionem: intẽdere autem mercem alienam, sine consensu domini, emptori tradere, est deprauata intentio, quia furtum mentale, vt constat. Si dicas, quòd verè intendit mercem illam emptori tradere, non simpliciter, sed conditionaliter, scilicet, si iure, & licitè posit. Contrà: quia vel hanc suam mentem conditionalem explicat emptori, vel non. Si primum, iam non intendit vendere rem alienã, inuito domino, sed potiùs domino consentiente; ex quo sine consensu domini non intendit se obligare ad traditionem mercis; & ita hic non esset casus, de quo loquimur. Si secundum, videtur venditio dolosa, & per consequens peccaminosa, ex quo vendens decipit emptorem, saltem negatiuè, cùm mercis conditionem emptori non explicet, sicut debet; puta, illam non suam, sed alienam esse: quod si emptor sciret, pecunias suas pro illa minimè tradidisset, nec eam rem emisset. E

III. TERTIO inde arguitur, contractum in casu esse nullum, quia est dolosus, dolo dante causam contractui; & ita emptor in illo ex errore consentit, alioqui minimè consensurus. Vnde sicut qui rem defectuosam vẽdit, defectum eius scienter occultando, quem si manifestaret emptor rem illam nullo modo emisset, peccat ratione doli, & contractus non tenet, vt suprà patuit: sed rem, quam venditor vendit, esse non suam, sed alienam, est defectus, qui ab emptore cognitus, ipsi multò magis displiceret, magisq; à contractu resiliret, quam si esset alius naturalis defectus ipsius rei. Et ita illa cõditio mercis ab emente incognita, & à venditore occultata, non minùs impedit consensum ementis in contractu, quàm alius defectus rei similiter occultatus.

IIII. QVARTO, quòd sit inualidus, inde apparet, quia de natura, seu ratione emptionis est, vt celebrato contractu, dominium mercis, eiusq; melioratio, ac deterioratio, sicut & periculum, spectet ad emptorem; sed in casu dominium mercis in emptorem non transit, etiamsi de facto illi per venditorem tradatur.

V. QVINTO, quòd peccet, qui sic rem alienam, inuito domino, vẽdit, apparet ex alio, quia talis vẽditio de se videtur occasionem dare scandalo, & indignationi, tam domino, cuius res est, qui, cognita re, facilè potest cõtra venditorem irasci, quòd eo inscio aut inuito rem suam vendat; quàm etiam ementi, qui cùm rem alienã esse cognouerit, meritò contra venditorem indignabitur, qui eum deceperit, rem alienã pro propria vendendo. Et si de veritate non informetur, quòd scilicet res vendita nõ venditoris, sed alterius sit, datur illi occasio, vt rem illam alienam, post celebratum contractum, sibi tanquam propriam, vbi eam repererit, etiam aliis inuitis, capiat: vnde necesse est vel lites, vel contentiones oriri, & expensas fieri, quæ, non dubium, præfato venditori esse imputanda. F

VI. POSTREMO, quòd contractus nullus sit, apparet, quia de ratione contractus est vltrò citroq; obligatio, vt habetur in l. Labeo. §. contractum. ff. de verb. signific. sed in præsenti casu non interuenit talis obligatio in re. Patet de venditore, cuius venditio si valida esset, oporteret eum obligari ad tradendam rem vẽditam emptori, sicut econtrà emptor de natura emptionis obligatur ad tradendum, imò & dandum pretium venditori; nec aliter se obligat emptor ad pretij dationem, nisi vẽditor æquè se ad mercis traditionem obliget. Cum ergo venditor ad mercis traditionem in casu non se obliget, nec obligare posit, sine consensu domini, cùm nemo ad peccatum posit obligari, igitur nec econtrà emptor manet obligatus ad pretij dationem: & ita ex vtraq; parte in re ipsa deficit obligatio, quæ est de ratione contractus, & ita est nullus.

IN OPPO-

A IN OPPOSITVM tenet Conradus in suo opere de contractibus q. 70. Pro quo videtur facere. l. rem alienam. ff. de contrahenda emptione, vbi sic dicitur: Rem alienam distrahere quē posse, nulla dubitatio est, nā emptio est, & venditio. Vbi vult dicere, quòd aliquis sic potest eam distrahere, quòd distractio tenet. Et quòd illa sit legis intētio, patet ex glo. quæ in verbo, dubitatio, sic ait: quia contractus tenet in præiudicium vēdentis. Itē in l. si quis. ff. de actio. empti & vendi. dicitur: Si quis alienam rem vendiderit, & medio tempore hæres domino rei extiterit, cogetur vendens implere venditionem. Glos. implere, id est, tradere, & ea facere, quæ in venditione desiderantur: non enim tradiderat, sed se excusabat propter nouum dominum rei. *Secunda sententia affirmatiua. Probatur I.*

FACIT etiam pro eodem. l. si in emptione. ff. de contrahenda emptione. §. item si emptor. vbi dicitur: Item si emptor & venditor scit furtiuum esse, quod venit, à neutra parte obligatio contrahitur. Si emptor solus scit, non obligatur venditor, nec tamen ex vendito quicquam consequitur, nisi vltra quod conueniret præstetur. Quod si venditor scit, & emptor ignorauit, vtriusque obligatio contrahitur. hæc ibi. Vnde apparet, posse aliquem rem etiam furtiuam scienter vendere, emptori id ignoranti, & valere contractum vtrinque. Quòd si de re furtiua verum est, à fortiori de alia non furtiua: Exceptis his rebus, quæ iure excipiuntur, quales sunt liber homo. locus sacer, & religiosus, seu loca publica. De quibus recurre ad Iuristas. Quam sententiam extendit Conradus ad res B alienas in domo, & potestate vendentis existentes, vt sunt pignora, & commodata, deposita, siue etiam in eius potestate non sint, sed apud ipsarum dominum. Extendit etiam eam ad res tam mobiles, quàm immobiles. *II.*

PRO HVIVS breui decisione, videtur præmittendum, quæstionem ex nomine magis quàm ex re pendēre. Si enim nomina intelligantur, non arbitror magnam relinqui difficultatem, nec inter Doctores controuersiam. Aliud enim est, rem aliquam alteri dare; aliud eam alteri impignorare, seu obligare; aliud eam alteri tradere; aliud verò eam alteri vendere. Quæ inprimis propono, vt horum nominum differentia cognita, sciamus quid sit de ratione venditionis, & quæ obligatio inde in venditore oriatur. Dare igitur rem alteri, est dominium illius in alterum, cui datur, transferre: & ita nemo potest rem aliquam alteri dare, qui non posit facere, eam de alterius dominio esse. Tradere rem alteri, est illum in possessionem illius mittere: aut est facere, quòd ille alter eam habeat, & contrectet. Quod constat fieri posse absque hoc, quòd tradens transferat illius rei dominium in alterum. Et hoc vulgò dicitur (Entregar la cosa a otro) quod constat aliud esse à datione eiusdem rei. Nec per huiusmodi traditionem, acquirit aliquod ius in re ipsa is, cui traditur, sed quandam possessionem, quam Iuristæ Asininam dicunt. Impignorare verò, seu obligare rem alteri, est illi aliquod ius in re illa dare, ita vt illa, durante tempore impignorationis, inuitus priuari non posit, & poterit contra priuatorem agere, & rem huiusmodi repetere, etiamsi illius rei dominium non habeat. C Vendere autem rem alteri, nec est rem illam dare, nec tradere, nec obligare, sed cum altero conuenire, de tradendo illi mercem illam pro pretio, in quo conueniunt. Et ita cùm huiusmodi conuentio aliud sit à mercis traditione, constat aliud esse vendere, aliud rem venditam tradere. *Quæstio videtur esse de nomine. Explicātur isti termini. Dare rē alteri. Tradere rem alteri. Impignorare seu obligare rē alteri. Vendere rem alteri.*

EX ILLA conuentione sequitur, manere venditorem obligatum, ad tradendam mercem, quam vendit, emptori, non tamen absolutè, aut categoricè, sed sub disiunctione; scilicet, ad tradendam rem, si posit, de facto, & de iure, ita vt per eum non stet, quo minùs rem tradat, et quòd sit obligatus de euictione. Aut si possesionem rei tradere nō potest, quòd sit obligatus ad interesse, si quod patitur emptor ex hoc, quòd merx sibi non traditur: nec ad aliud iura ipsum venditorem obligant. Vnde patet, diuersam esse vendentis & ementis obligationē: nam emens obligatur ad dandum pretium venditori, & illius dominium in venditorem transferendum; vendens autem nō ad dandam mercem, nec eius dominium in ementem transferendum obligatur, sed ad eam illi tradendam, vt dictum est. Ratio discriminis est, quia, vt Iuristæ dicunt, emptor tenetur ad pretium in genere, venditor verò tenetur ad mercem in specie. Et procedit, quando merx aliqua certa & determinata est, quæ venditur. Quòd si venditor rem in genere vendat, tenetur ad dandam illam, sicut emptor ad dandum pretium. Ac proinde si venditor mercem, quam tradidit, dare non potuit, si eam in genere vendidit, tenetur aliam, quam dare posit, quærere, & emptori tradere. *Discrimē inter obligationē vēdentis & ementis, in propositā quæstione. Ratio discriminis.*

SEQVI-

Conclusio I. SEQVITVR iam, quòd nemo potest rem alienam dare, cùm in ea dominium non habeat: nemo enim plus iuris in alterum transferre potest, quam ipse noscitur habere. D
II. Sed nec potest aliquis rem alienam, sine consensu domini alteri obligare aut impignorare; quia qui impignorat, oportet ius aliquod constituat in re impignorata, quod facere non potest, si aliena sit.
III. Sed nec potest quis licitè rem alienam, sine consensu domini, alteri tradere, quia id esset furtum committere. rem alienam, inuito domino, contrectando.
IIII. Potest tamen quis rem alienam etiam licitè vendere, sine domini consensu. *Resp[õ]sina quæstioni pro parte affirmatiua. Probatur.* Patet, si ad naturam & conditionem venditionis suprà dictam recurramus, quæ est, venditorem cum emptore conuenire, de tradendo illi pro pretio assignato, mercem certam, esto quòd aliena sit, si possit: sin autem non possit, satisfaciet illi pro interesse, si quod emptor ex hoc, quòd merx illa sibi non traditur, patiatur. Quæ omnia fieri possunt, nullam iniuriam domino rei inferendo, nec inferre intendendo, nec rem eius contrectando: ex quo illa conditio obligationi apposita, de tradenda merce, si possit, tollit omnem contemptum & deprauationem animi ipsius vendentis in hac re.

POSSVNT etiam illa omnia fieri absque hoc, quòd venditor illudat ementi, aut eidem grauamen aliquod inferat, aut damnum faciat: vt si emptor sciat rem, quam emit, alienam esse, & non venditoris; aut etiamsi id ignoret; sciat tamen naturam, & conditionem venditionis eam esse, quam diximus, & per consequens, sciat venditorem posse rem alienam vendere, non solùm de facto, sed etiam iure humano id approbante. Et ita in his casibus non video quare non sit licitum aliquem rem alienam, sine domini cõsensu vendere, siue emens sciat rem alienam esse, siue id ipsum ignoret, modò sciat (vt dixi) venditionis naturam, & conditionem. Quia si emptor id sciat, nõ poterit rationabiliter de venditore conqueri, quòd rem alienam illi vẽdiderit: nec dolum poterit, aut culpam venditori imputare, etiamsi res sibi postmodùm non tradatur, ob defectum potestatis venditoris: sed imputet sibi, qui volũtariè, sciens, scilicet, & volens in cõtractu consensit. E

Limitatur prædicta quarta conclusio.
I. Secùs si emptor nesciat rem alienam esse, nec venditionis naturam, & conditionẽ agnoscat; quia tũc, nisi res empta cum eiusdem dominio sibi tradatur, meritò poterit de venditore conqueri: maximè si venditor simplicitatem emptoris agnouerit.
II. Secùs etiam, si quando venditor rem alienam vendit, intendit eam emptori, sine domini consensu, tradere; quia tunc esset mentale furtum.
III. Secùs etiam, quando venditor rem alienam vendit, sciens, vel probabiliter credẽs, quòd quamcunq; ipse diligentiam apponat, non poterit domini consensum obtinere ad hoc, quòd rem illam emptori tradat. Nam tunc peccat non solùm quia occasionem præstat emptori, qua meritò contra illum indignetur, sed etiam quia videtur scienter inutilem contractum inire, sciens finem huius contractus frustrari, qui est vt emptor rem, quam emit, habeat, & vẽditor similiter pretium. Et etiam, quia obligat se ex vi contractus, ad tradendam rem, quam scit se iustè aut iure tradere non posse, etiamsi, quod in se fuerit, fecerit.

Prædictus contractus secundũ quartam conclusionem validus est etiã in conscientia. QVANTVM verò ad validitatem contractus attinet, videtur quòd sit validus etiam in conscientia, ex quo, secundùm leges, validus esse determinatur, vt ex dictis patet, & tenet in præiudicium vendentis, eò quòd compelletur venditor ad rem tradendam, si potest: sin autem non potest, ad satisfaciendum pro interesse, vt diximus suprà. Si autem contractus ipso facto nullus esset, nulla hinc inde fuisset orta obligatio, sed pretium tantùm esset emptori reddendum, idq; in foro exteriori, siue emptor sciuerit rem alienam fuisse, siue ignorauerit. In foro tamen conscientiæ refert, quia etiamsi nullus esset contractus, tenetur venditor non solùm pretium reddere, sed emptori satisfacere, si emptor rei, & contractus cõditionem ignorauit. Satisfacere (inquam) pro interesse, si quòd passus est, ex tali contractu: quia fortè cum pretio, quod dedit, aliquid interim fuisset lucratus, aut rem aliam legitimè emisset, vnde sibi aliqua commoditas accreuisset, à qua per contractum fraudulentum est impeditus: ad quam satisfactionem minimè teneretur, si emptor rei conditionem, vel contractus naturam agnouisset. F

Resp[õ]detur ad argumenta pro prima sentẽtia allata. Per hæc patet ad rationes ante in oppositum factas.

Ad I. AD PRIMAM dicendum, quòd vendere rem alienam, sine domini consensu, non eam tradendo, nec tradere, ante consensum domini obtentum, intendendo, nõ est furtum; quia, seclusa traditione, in sola rei venditione nil alienum iniustè contrectatur, nec vsurpatur, vt constat. Secùs si venditio huiusmodi fiat, cum animo rem illam tradendi emptori, non præhabito domini consensu, quia tunc esset furtum, saltem mentale. Et

sic in-

A sic intelliguntur Institut. illic citatæ. Et ita secundò Institutio. ibidem allegatæ, intelliguntur, de venditione pignoris cum eiusdem traditione, & non de sola venditione: nam casus illius textus est de creditore pignus alienante & vendente, vt ex ipso textu patet.

AD SECVNDAM dicendum, quòd venditor in casu intendit verè vendere, non tamen ob id sequitur, quod intendat mercem absolutè, sine consensu domini, tradere; cùm aliud sit vendere, aliud tradere, aut intendere tradere absolutè: intendit tamen, sicut & intendere debet; pro sua possibilitate, rem illam tradere, ita vt, quod in se est, faciat, ad obtinendum consensum domini, siue per viam donationis, siue per viam emptionis, aut permutationis, vt possit licitè rem, quam vendidit, emptori tradere: in defectum autem huius possibilitatis intendit, sicut & intendere debet, emptori pro interesse, si quod patiatur, ex hoc, quòd res empta non sibi per venditorem traditur, satisfacere. Nec ad aliud poterit in conscientia, nec in foro iudiciali compelli, nec ex vi contractus ad aliud obligatur. Et hæc est obligatio sub disiunctione, quæ suprà dicta est venditori ex vi contractus conuenire. Et quòd dico, venditorem teneri ad obtinendum consensum domini, per viam donationis, aut emptionis, si potest, puto in conscientia verum esse; alioqui videretur venditio inutilis, & frustratoria, & dolosa, si se non intenderet vēditor obligare ad procurandam, prout licitè possit, facultatem realiter mercem, quam vendidit, tradendi. Quanquam iudex non cōpellet eum, vt rem à domino emat, sed tantùm vt pro interesse emptori satisfaciat. Hunc autem animum, quo venditor se obligare sub disiunctione intēdit, vt dictum est, potest emptori explicare, & occultare: si explicat, securior est venditor à culpa & dolo, vt constat: si occultat, non oportet eum cōdemnare, maximè si emptor, vt dixi, sciat rem, quam emit, esse alienam; aut saltem sciat naturam & conditionem venditionis, vt suprà dictum est. Quòd si ratio hæc valet, procedit quando emptor vtrunque ignorat, scilicet, rem illam non venditoris esse, sed alienam, putans etiam venditorem obligatum esse ad eam cum eiusdem dominio, tradendā: nam tunc, si rei, aut contractus conditionem emptori non explicet, videretur dolosa & deceptoria esse venditio, & ad indignationem ementis excitatiua.

Ad II.

Ad quidnā, & quatenus possit in casu venditor obligari.

B (margin letter at "tùm vt pro interesse")

AD TERTIAM dicendum distinguendo: nam vel venditor, cùm rem alienam vendit, dicit, aut significat, rem illam suam esse, & non alienam, & inde emptor eam emit: vel non hoc dicit, nec verbo, nec opere significat. Si primum, contractus est dolosus, & mendax, & nullus, quia ex dolo, dante causam contractui, est initus. Si secundum, non ita est nullus, sed validus, vt suprà diximus, in præiudicium venditoris. Et quando arguitur, quòd emptor non liberè in contractu consentit, sed ex errore, quia putat rem, quam emit, venditoris esse, & ideò emit, aliàs minimè empturus: dicendum, esto ita sit, non ideò est contractus nullus, eò quòd ius supplet defectum consensus, vt suprà, quando de dolo agebamus, diximus: nec est simile de venditione rei defectuosæ, cuius defectum venditor scienter occultat: Nam tunc si occultatio dedit causam contractui, contractus est nullus in vtroque foro, quia secundùm iura venditor tenebatur ex officio defectum rei emptori intimare, & quia id non fecit, arguitur de dolo, & ita ius inualidat contractum, licèt teneat in fauorem decepti. In præsenti autem casu non ita ex officio tenetur venditor rei conditionem, scilicet, quòd aliena sit, aut propria, nec ipsius contractus naturam emptori intimare, nec iure humano ad id compellitur; ideò ius non ita inualidat contractum præsentem, quo res aliena venditur, sed cogit venditorem id complere, quod ratione contractus tenetur, similiter & emptorem ad pretij dationem, si venditor rem emptori tradat. Quòd enim contractus naturam non teneatur venditor emptori intimare, certum est, quia non est officium vendentis ementes docere ea, quæ ipsis incumbunt agnoscere, & inquirere. Quòd etiam non teneatur ex officio dicere, rem, quam vendit, alienam esse, patet; quia ius huiusmodi officium illi non imponit, & sufficienter iure emptori prouisum est, etiam si venditor rem esse alienam eidem non intimet: quanquam ex charitate, & ad vitandum scandalum, aliquando ad id teneatur.

Ad III.

C (margin letter at "sam contractui")

AD QVARTAM dicendum, falsum esse, quòd de natura vēditionis seu de eius essentia sit, emptorem eo ipso habere rei emptæ dominium, vt ex dictis patet, ex quo vēditor non se obligat ad dandam mercem, sed ad tradendam; vt patet ex dictis, & etiam ex l. si ita. ff. de contrahenda emptione, vbi dicitur: qui vendidit, necesse non habet fundum emptoris facere, vt cogitur, qui fundum stipulanti spopondit, & ex consequenti non

Ad IIII.

De natura & essentia venditionis non est, emptorē eo ipso habere emptæ rei dominium.

non ſemper rei emptæ periculum ſpectat ad emptorem. Eſt igitur illud communiter dictum limitandum ad caſum, quo venditor rem ſuam vendit, quia ex tunc ius & dominium, quod in re illa habebat, in emptorem transfert: non ita quando rem alienam vendit, in qua nullum dominium, quod in alterum transferat, noſcitur habere. D

Ad V. AD QVINTAM dicendum, quòd quando venditor veriſimiliter agnouerit, ex huiuſmodi venditione, abſque rei conditionis intimatione, aliqua ſcandala in domino rei venditæ, aut in ipſo emptore, aut etiam in alio quocunque ex eorum ignorantia, aut paſſione euentura, tenebitur vel à venditione ceſſare, vel rei, quam vendit, conditionem intimare; ſi per hoc ſufficienter illis ſcandalis putat veriſimiliter obuiari. Quòd ſi non fecerit, erit venditio culpanda, non de ſe, & ratione ſui, ſed ratione ſequelæ, vt de ſatis conſtat. Nos autem quæſtionem tractauimus, de contractu præfato in ſe conſiderato, & ita nil contra dicta.

Ad VI. AD POSTREMAM ſufficienter reſponſum eſt, quòd ex tali contractu hinc inde naſcatur obligatio, ex parte quidem emptoris, ad dandum pretium, ex parte autem venditoris, ad tradendam mercem, ſi poſsit; ita vt per eum non ſtet, quo minùs eam tradat. Quòd ſi non poſsit, tenebitur ad intereſſe; non obſtante, quòd aliter emptor ad ſolutionem pretij obligetur, aliter verò venditor ad mercis traditionem, vt ſuprà ſatis oſtenſum eſt.

F

De venditione ad terminum, & de cauſis pretium augendi.

QVÆSTIO XXXVIII.

An licita ſit venditio ad terminū, pro maiori pretio, quàm ſit pretium tunc currens, vel res valeat.

Pro parte affirmatiua ponuntur ſex cauſæ.

CVM HACTENVS loquuti ſimus de venditione rerum, pro pretio in promptu ſoluto, breuiter videamus de his, qui res vendunt pro pretio poſtmodùm ſoluendo, quæ dicitur venditio ad terminum. Similiter de his, qui pro pretio ſtatim ſoluto emunt merces poſtmodùm tradendas, quæ poteſt dici emptio ad terminum, ſeu emptio per anticipatam ſolutionem, quod idem eſt. Et quæſtio eſt communis, an ſit licita venditio ad terminum pro maiori pretio, quàm res valeat in promptu, ſeu quàm ſit pretium communiter currens in promptu ſolutum; qua venditione, vt plurimū mercatores vtuntur, qui pro ſui excuſatione ſolent ſex cauſas aſsignare: I. Prima eſt, quia pretium communiter currens in promptu ſolutum, ſæpiſsimè eſt tenue, pro quo ſi venditor res ſuas venderet, nil lucraretur, ſed ſæpe damnum pateretur, attentis laboribus, & expenſis factis. II. Secunda cauſa eſt, quia eſto quòd pretium pro tunc communiter currens, ſatis competens eſſet, attamen venditor ex hoc, quòd pretium non ſtatim ſibi ſoluitur, cogitur aliquod intereſſe pati, ſaltem lucri ceſſantis: nam cum pecunia in promptu ſoluta ipſe aliquid eſſet lucraturus. F III. Tertia cauſa eſt, quia emptor ille erat fortè alienigena, aut fugitiuus, aut vitæ perditæ, vende vnditor capitale ſuum periculo exponit; ideò ratione huius periculi aſcendit in pretio ſoluendo. IIII. Quarta cauſa eſt, quia fortè emptor eſt vir litigioſus, & non verax, vnde venditor fortè expenſas in recuperatione pretij ſoluendi facere cogetur; ideò ratione expenſarum quas facere timet, aſcendit in pretio. V. Quinta cauſa eſt, dubietas valoris, quem res vendita tempore ſolutionis habuiſſet. VI. Sexta cauſa eſt, quia merx ad terminum vendita plus valet, quàm in præſenti, cùm ex communi curſu iuſtum rei pretium cognoſcatur; communiter tamen maius pretium datur pro re ad terminum vendita, quàm ſi ad præſens tempus venderetur: quamcunq; ex his cauſis putant ſufficere ad eos à culpa & reſtitutione excuſandos.

Ratio primæ cauſæ. PRO PRIMA cauſa hanc afferunt rationem, quia indignum videtur & iniuſtum quòd qui ſua arte, induſtria, & negotiatione reipub. ſeruit, non ſolùm non ſentiat commodum, ſed damnum patiatur. Si enim venditor à repub. fuiſſet conductus, vt merces illas, quibus reſpub. indiget, aliundè afferat, & domi cuſtodiat, ſuo tempore indigentibus venditurus, talis per rempub. eſſet indemnis ſeruandus, & vltrà, iuxta laborem, & merita ſua competenter ſtipendiandus. Cùm igitur non minùs reipub. ſeruiat non conductus, quàm ſi conductus fuiſſet: igitur iuſtè poterit ſeipſum in vendendo ad terminum indemnem ſeruare, & aliquid vltrà lucrari.

HAEC

A HAEC tamen causa, cum ratione pro ea facta, non videtur huiusmodi venditores excusare. Primo,quia si ratio valeret ad excusandum venditionē ad terminum pro pretio excessiuo, similiter valeret ad excusandam venditionem ad statim pro pretio excessiuo,quod scilicet sit maius,quàm pretium communiter in illo loco,& tempore currens, quod suprà ostensum est, esse iniustum,& iniquum. *Oppugnatur prima causa, cū ratione eiusdē.* I.

DEINDE si ratio valeret,sequeretur quòd venditores semper deberent aliquid lucrari,vendendo rem cariùs,quàm illis constiterat: quod inde patet falsum esse, quia sæpe accidit,vt merces minus valeant quando, & vbi venduntur,quàm constiterint,idque ob multas causas,vt suprà latiùs tetigimus. Ac proinde sicut mercibus in valore crescētibus,possunt venditores multum lucrari, si eas vendant, etiamsi paucas,aut nullas expensas fecerint, paruum aut nullum laborem subierint; ita econtrà mercibus in valore decrescentibus,debent,si eas vendere velint, in pretio descendere,etiamsi multas fecerint expensas, magnumq; subierint laborem: ac proinde non erit tunc iniustum,aut indignum, si venditores commmodum in venditione non sentiant, sed damnum: qui enim, propria voluntate,negotiationes huiusmodi suscipit, vtrique pariter se debet exponere, lucro, scilicet, & damno. Quòd si aliquando damnum sentiat, non emptoribus,aut reipublicæ, sed sibi est imputandum. Secùs si ex mandato reipublicæ,aut ex locatione, aut conuentione negotium tale susciperet. Itaque non est simile, quod pro B simili adductum est. Exemplum est notum in his, qui fructus Ecclesiasticos vnius anni,eorum quantitatem ignorantes, ad publicam vocem vendentis emunt, qui dicuntur vulgò,arrendadores: tales cùm fructus emptos colligunt, & suis dominis reddunt cum tanta cura, solicitudine, labore, & expensis, non dubium quin dominis illis seruiant;attamen sæpe damnum, & nullum lucrum sentiunt. Si dicas id esse ex conuentione,ratione cuius emptores huiusmodi se spontè obligârunt ad tantam summam fructuū soluendam:Fateor,sed sicut illi tenentur conuentioni stare,nō obstante eorum damno; ita & alij venditores,de quibus loquimur,tenentur legi stare de non vendendo rem plus quàm valeat,non obstante eorum damno. Nec in hoc minorem vim habet lex naturalis,& diuina,quæ æqualitatem inter valorem mercis,& pretium seruare iubet, quàm cōuentio,cui homines stare tenentur. II. *Obiectio.* *Respondetur.*

PRO SECVNDA causa ascendendi in pretio, quæ est ratione interesse lucri cessantis,hanc rationem assignāt: quia nemo tenetur alteri beneficium, cum damno suo, aut rerum suarum iactura facere,nisi necessitas postulauerit;qui autem mutuat,aut vendit ad terminum, pretij solutionem expectans, beneficium alioqui indebitum proximo facit;& ideò si inde patitur interesse aliquod lucri cessantis, quod alioqui esset habiturus,iustum est,vt benefactus,qui causam efficacem cessationi huiusmodi lucri præstat,satisfaciat benefacienti. *Ratio pro secūda causa suprà dicta.*

HANC causam non admittunt multi, putantes non esse licitum mutuanti aliquid C vltra sortem,ratione interesse lucri cessantis recipere: eò quòd tale lucrū cessans est incertum, & multipliciter impedibile. Conradus causam cum ratione admittit, dicens eam iustam esse,quia licitum est mutuanti aliquid ratione interesse damni emergentis, similiter & lucri cessantis, vltra sortem recipere. Hoc tamen ita limitare videtur, quòd non liceat mutuanti,ratione huiusmodi interesse incerti, quod prætendit, aliquid certum exigere,aut recipere, aut pacisci, antequàm actu tale interesse sit passus. Nec potest id,quod ratione præfati interesse recipit,esse plus, quàm sit ipsum verum interesse. Hæc in q.30.significat. *Limitatio quorundam huius causa cum sua ratione.*

SED VIDETVR oppositum verisimilius, scilicet, quòd vendens ad terminum,aut etiam mutuans possit, antequàm esset aliquid cum pecunia mutuata vel expectata lucraturus,pacisci de lucro certo, loco interesse incerti alioqui euenturi, modò verisimile sit,interesse alioqui euenturum fore tantum, aut maius, quàm sit lucrum certum,super quo, loco præfati interesse, conueniunt. Quemadmodùm licitum est venditori, rem, quam alioqui ad tempus, quò eam cariùs venderet, erat seruaturus, pro maiori pretio nunc vendere,quàm sit pretium currens in promptu solutum; dummodò sit verisimile, quod res illa ad illud tempus seruata,esset valitura tantum,aut plus,quàm sit pretium,de quo conuenitur:iuxta cap.nauiganti.de vsuris.In quo casu,ratione interesse lucri cessantis & incerti,quod ex re ad tempus seruata sperabatur,non solùm licitè conuenitur inter eos de lucro certo,sed illud etiam licitè recipitur ante aduentum temporis, quo lucrum *Reiicitur posita limitatio.*

erat ex re seruata euenturum. Si igitur, ratione interesse lucri incerti spectati, est licitum D aliquid certum anteà recipere, à fortiori erit licitum in venditione ad terminũ, loco interesse lucri cessantis incerti, de lucro certo pacisci, posteà simul cũ pretio mercis principali soluendo. Est igitur hæc secunda causa admittenda in excusationem eorum, qui rem ad terminum vendunt, pro maiori pretio, quàm sit pretium tunc communiter currens: supposito quod cõditiones certæ concurrant, quæ necessariæ sunt ad hoc, quòd licitè possit loco interesse aliquid recipi. De quibus posteà, quando de vsura agetur.

Dicta causa secunda recipiẽda est.

Ratio.

Ratio pro tertia causa suprà allata.

AD TERTIAM causam, pretium augendi in venditione ad terminum, quæ est periculum, cui capitale exponitur, talis solet ratio fieri; quia nemo mutuãs, seu pretium expectans, tenetur rem suam, extra casum necessitatis, pro altero, periculo exponere; sicut nec tenetur gratìs absq; necessitate rem suã iactare, etiamsi qui mutuat, vel pretium expectat, teneatur gratìs mutuare, & pretium similiter gratìs expectare, cùm aliud sit gratìs mutuare, aliud verò cum rei mutuatæ periculo eam mutuare. Ac proinde ratione huiusmodi periculi, cui rem suam venditor exponit, ad terminum vendendo, licebit eidem pretium rei sic venditæ augere.

Oppugnatur hac causa vnà cum ratione sua. I.

HANC tertiam causam, cum eiusdem ratione Doctores communiter non admittunt. Primò, quia si indistinctè mercatores ad terminum vendentes, in pretio ascendũt, nil inter hos, & illos ementes distinguendo, peccant; quia non est eadem ementium cõditio, cùm sint quidam, de quorum solutione pretij assignati minimè potest rationabiliter dubitari; à quibus pretium excessiuũ exigere & recipere ratione periculi, cui ipsum capitale exponitur, videtur iniustum; cùm tale periculum in casu nec verum sit, nec verisimile, sed fictum. E

II. SECVNDO, esto periculum sit verisimile, cui venditor capitale exponit, ad terminum vendendo, non minùs exponitur periculo excessus pretij, quàm ipsum pretium principale; ideò per hoc quòd cariùs vendit ratione præfati periculi, non succurrit sibi venditor pro huiusmodi periculi susceptione.

III. TERTIO, quia sæpe contingit, quòd tales, de quibus venditor malè confidit, nõ aufugiunt, sed fideliter, sicut debent, soluunt: igitur tunc non posset venditor prædictum pretium excessiuum exigere ratione fugæ, quæ non fuit suum effectum sortita.

IIII. QVARTO, non est licitũ mutuare cum pacto suscipiendi in se periculum rei mutuatæ, vt habetur de vsuris in cap. nauiganti, vel eunti ad nundinas certam mutuans pecunæ quantitatem. eò quòd sustineat in se periculum, recepturus aliquid vltra sortem, vsurarius est censendus. Sed qui ad terminum vendit, pretium expectans, æquiualenter mutuat: non igitur potest vltra sortem exigere pro eo, quòd in se suscipit expectati pretij periculum.

Vera est prædicta causa tertia.

IN OPPOSITVM tamen arguitur, quòd rationes hæ minimè probent quod prætendunt, sed potiùs verum sit, quod pro mercatoribus in hac causa dictum est, posse scilicet venditorem, ratione periculi, cui expectatũ pretium exponit, aliquid amplius exigere: nam quamuis hoc, quod est mutuare, aut solutionem expectare, venale non sit, nec pretio comparabile; cùm ex præcepto Dei, & naturæ sit gratìs agendum; hoc tamen, quod est hominem rem suam pro altero iactare, aut eam periculo ipsam perdendi exponere, venale est, & pretio comparabile, nec est de his, quæ gratis agenda sunt. Ac proinde si aliquis rogat me, aut petit, vt sibi, aut alteri certam pecuniæ quãtitatem mutuem, de cuius redditione probabiliter timetur, potero ego iustè respõdere, mutuare quidem placet, & gratis, modò mihi cautionem, aut securitatem de reddendo mutuatum tradas, cùm de redditione eius non satis certus sim. Ille autem cùm pignus non habeat, fideiussorem quærit; fideiussor autem similiter de solutione per mutuatarium agenda dubitans, talem obligationem, qua in se periculum suscipiat, gratìs subire non vult, sicut nec tenetur: ideò conuenit cum mutuatario, vt fideiussori aliquid det, vel se ad aliquid eidem dandum obliget, & subiuit præfatam obligationem, periculum in se suscipiendi, & hic contractus non videtur damnandus; igitur nec est damnanda venditio ad terminũ, seu mutuatio cum periculo perdendi mutuatum, si mutuator id à mutuatario exigat pro eo, quòd illi rem suam cum periculo mutuat: quod iustè posset fideiussor pro eadem causa ab eodem exigere. Non enim minùs meretur mutuator rem suam pro alio periculo exponendo, quàm mereatur fideiussor periculum debiti in se suscipiendo, modò id in fraudem vsuræ non faciat, vti faceret, si periculum rei mutuatæ non verisimile, sed fictum esset.

Probatur I. F

PRAE-

A PRAETEREA poſſet mutuator, vel ad terminum vendens, pro eo, quòd rem ſuam cum prędicto periculo mutuat, aliquid in promptu à mutuatario recipere; nam id etiam poſſet fideiuſſor in promptu, ob eandem cauſam recipere: igitur à fortiori poterit præfatus mutuator ob dictum periculum in ſe ſuſceptum illud idem non in promptu, ſed poſtmodùm ſoluendum exigere. Conſequentia inde apparet, quia maiorem gratiam facit mutuatario pretium ſuſceptioni periculi correſpondens, expectando, & dilationē ſolutionis eiuſdem concedendo, quàm illud illicò & in promptu exigendo. II.

PRAETEREA ſi contractus in caſu eſſet illicitus, ideò eſſet, quia aliquid ſuperaccipit venditor, manente ſibi iure ad capitale integrum, aut quia periculo ceſſante, & debito eidem ſoluto, non reddit quod ſuperaccepit, ſicut reddere debet: eò quòd ceſſante cauſa ſuperaccipiendi, quæ fuit periculum capitalis, ceſſare debet effectus, qui eſt illa ſuperacceptio; ſed hoc non videtur dicendum, quia ſi quis inducat me, vt equum meum commodem, aut locem alicui, in cuius poteſtate, ob ſui temeritatem, ſeu fugiendi neceſsitatem, aut negligentiam præbendi equo cibum neceſſarium, veriſimiliter timetur equum periturum; iuſtè poſſum cum tali conuenire, vt ipſe certum quid mihi det, & ego equum meum, prout ipſe vult, cum prædicto periculo commodabo, aut locabo, manente in me ipſius equi periculo, & conuentione facta, ſi locationis tempore completo, equus maneat ſaluus: nam in hoc caſu licitum eſt mihi id accipere, de quo facta eſt B conuentio, manente in me iure ad equum, & poſtquàm equus ad me redierit, non tenebor quod accepi reſtituere, ex quo non illud accepi hac lege, ſi equus eſſet periturus, ſed pro eo, quòd equum cum præfato periculo locaui, aut commodaui, periculo apud me ipſum remanente. Et ſi is, qui inſtat, vt equum cum præfato periculo locem, aut cōmodem, eſt ipſe conductor, non minùs ob eandem cauſam potero ab illo, quàm ab alio tertio aliquid petere. III.

PRAETEREA qui alienarum mercium per mare, aut per terram vehendarum periculum veriſimile, ad inſtantiam domini, ſuſcipit, iuſtè poteſt ab ipſo domino aliquid exigere, & recipere; eò quòd ipſe, qui periculum ſuſcipit, res ſuas proprias, quas in tuto habet, periculo eas amittendi exponit, ex quo ſi merces pereant, ipſe, de rebus propriis, tenebitur domino earum valorem ſoluere, & mercibus manentibus ſaluis, id quod pro ſuſcepto periculo accepit, non tenebitur reſtituere, vt eſt communis Doctorum ſententia approbata. Igitur econtrà, ſi ipſe dominus mercium, ad inſtantiam alterius, ſuas merces per aliquem locum vehit, vbi periculo rapinæ, vel perditionis, exponuntur, iuſtè poterit ab illo altero, qui ad id inſtat, aliquid exigere & recipere, eò quòd, occaſione illius, merces ſuas periculo eas amittendi exponit, & mercibus ſaluis manentibus, non tenebitur acceptum reſtituere. Ergo pari forma ſi mercator, ad inſtantiam emptoris, vendit illi merces ad terminum, pretium ſoluendum periculo illud amittendi exponens, iuſtè poterit ab illo emptore aliquid exigere, & recipere pro tali veriſimili periculo; C & cum periculum euaſerit, iuſtè poterit id, quod pro illo acceperat, ſeu exegerat, retinere. IIII.

POSTREMO Conradus, qui hanc tertiam cauſam, pro mercatoribus adductam, non admittit, concedit, quòd ſi venditori graue & moleſtum ſit, merce ſua priuari, & ad inſtantiam emptoris eam vendit, iuſtè poterit in pretio aſcendere, iuxta exigētiam præfati grauaminis. Sicut econtrà, ſi emptori graue, & moleſtum ſit, mercem aliquam emere, & ad inſtantiam venditoris eam emit, iuſtè poterit in pretio deſcendere, iuxta exigentiam præfatæ moleſtiæ, & grauaminis, vt ſuprà ex eodem Conrado citauimus, quando de pretio iuſto rerum agebamus. Idem etiam in quæſt. 59. corollario primo ait, quòd ſi venditor ad terminum timet ſe in recuperatione capitalis expectati expenſas facere, licitè poteſt, ratione huius timoris, in pretio aſcendere; & quamuis poſteà timor ad effectum non deducatur, hoc eſt, eſto quòd ſine expenſis capitale ſuum illi ſoluatur, non tenebitur pretij incrementum defalcare, aut ſubtrahere; quia non pro expenſis, ſed pro timore eas agendi illud incrementum exigit. V.

IGITVR pari forma, quando venditor, ad inſtantiam emptoris, ad terminum vendit, timens veriſimiliter de ſolutione capitalis, poterit iuſtè, ſaltem pro huiuſmodi timore in pretio aſcendere; & ſi timor ad effectum non deducatur, non tenebitur præfatum incrementum ſubtrahere. Itaq; de rigore conſcientiæ videtur dicendum, quòd ſi mercator merces ſuas ad inſtantiam emptoris ad terminum vendit, & eſt illi veriſimile, quòd

Supradicta cauſa tertia vera eſt etiā in rigore conſcientiæ.

quòd capitale suum illo modo,& illi emptori vendendo exponitur, periculo amissionis D probabili & verisimili,si emptor nec fideiussorem,nec pignus venditori præstat pro capitalis assecuratione,iustè poterit in pretio ascendere,& incrementum iustè poterit posteà simul cum capitali recipere, etiamsi capitale suum periculum per debitoris solutionem euaserit:quia tale incrementum nō pro capitalis amissione exegit,sed pro eo, quòd venditor illud capitale, ad instantiam emptoris, verisimili periculo exponebat. Nec id propter lucrum,aut in fraudem vsuræ fecit,sed propter verum periculum, in se pro alterius voto susceptum.

Vnde cognoscēdum sit, venditorem non lucri gratia, aut in fraudem vsuræ, in pretio ascendere,ob prædictam causam.

COGNOSCITVR autem,quando venditor non gratia lucri, nec in fraudem vsuræ in pretio ob præfatam causam ascendit,si teste conscientia ipsius venditoris mallet mercem pro pretio currente,posteà securè,& certè soluendo,seu sufficiente cautione de solutione habita vendere, quàm pro pretio aucto cum periculo perdendi suum capitale: aut si non mallet,est tamen sibi indifferens,hoc aut illud eligere. Si tamen periculum nō verum,sed fictum est,aut si indistinctè,cùm ad terminum vendit,ascendit in pretio, non inter hos & illos emptores distinguens; aut si magis afficitur ad vendendum ad terminum,pro pretio aucto, existente aliquali periculo, quàm pro pretio currente,nullo existente periculo;tunc non est excusandus contractus ab iniustitia, imò nec ab vsura palliata. Sed nec excusabitur à culpa venditor in casu, quo contractus iustus esset, si illum contractum init cum sui infamia,aut cum aliorum scandalo,si fortè ex facto illius cæteri E mercatores occasionem sumant ad indistinctè, seu indiscretè ad terminum, pro pretio excessiuo vendendum.

Respōdetur ad argumēta quibus oppugnabatur hæc tertia causa.

EX HIS patet responsio ad ea, quæ ante oppositum adducta sunt contra causam tertiam.

Ad I. Ad primum patet responsio, quòd venditores in tali casu indistinctè superuendentes peccant, & sæpe, quod superacceperunt, restituere tenentur: tunc,scilicet, quando ob causam periculi prædicti superuendiderunt, cùm periculum non verum, sed fictum esset.

Ad II. AD SECVNDVM respōsio patet, quòd non vitiat contractum, nec eum iniustum facit,quòd incrementum illud,quod vēditor pro præfato periculo exigit, sit sicut ipsum capitale periculo expositum;quia,vt suprà tangebamus, si potuit venditor pro illo vero periculo aliquid exigere,& in promptu recipere, capitale suum periculo relinquendo,à fortiori potuit & cum maiori beneficio ipsius emptoris,vtrūq; ipsi emptori credere, scilicet,capitale,& incrementum ob causam periculi factum. Sicut enim capitale, quod in promptu iustè poterat pro merce recipere, potest emptori ad terminū credere,ita & incrementum, quod iustè in promptu poterat pro periculo suscepto recipere, poterit eidem emptori posteà soluendum committere. Et quòd vtrunq; periculo exponat, vt argumentum ait,non in damnum cedit emptoris, sed venditoris,quod quidem damnum euenibile,spontè vult ipse venditor subire.

Ad III. AD TERTIVM dicendum,quòd impertinens est,periculum,quod tempore con- F tractus timebatur,suum sortiatur effectum, vel non, hoc est, impertinens est emptorem in termino completè soluere,aut non soluere,sed fugere ad hoc,quòd venditor pro præfato periculo in pretio ascendat:quia illud incrementum, vt dixi, nō exigitur loco amissionis ipsius capitalis,sed loco periculi,cui venditor res suas exponit. Et quamuis res illæ pòst,per debitoris solutionem, periculum euaserint,non ob id desierunt tempore contractus in periculo esse, iuxta probabilem cōiecturam ipsius venditoris & aliorum, ideò illa ratio,sicut præcedentes, parum mouet.

Ad IIII. AD QVARTVM,quod magis mouere videtur,dicendum,quòd casus illius textus lōgè differt à præsenti casu:nam in casu Decretalis mutuator ille lucrum prætendebat,nolebat enim mutuare, nisi mutuatarius secum alium secundum contractum iniret, ad quem alioqui minimè tenebatur,scilicet, contractū assecurationis, quo daret mutuanti aliquid pro eo,quòd mutuans periculum pecuniæ mutuatæ in se susciperet; cùm tamen nullum esset in casu periculum. Et esto esset aliquod periculum in via, vel in mari, per quod erat mutuatarius pecuniam portaturus , mutuator tamen absque illo secundo contractu habebat suum capitale tutum,cùm aliundè posset mutuatarius soluere,quod mutuo acceperat. Et ita si quod erat in casu, facta mutuatione,periculū, non mutuanti, sed mutuatario iter acturo incumbebat. In nostro autem casu, facta venditione ad terminum, periculum pretij expectati vendenti incumbit, non ementi, & ita in casu

Variadiscrimina inter casum in argumento positum, & [...]rum tam dictum. 1.

Decre-

A Decretalis mutuans per ſolam mutuationem nulli periculo debitum ſuum exponebat, ſicut exponit venditor in caſu noſtro.

Deinde in caſu Decretalis mutuator ita in ſe periculum ſuſcipiebat, quòd mutuatarium aſſecurabat; in caſu noſtro venditor non ita emptorem aſſecurat, quando in pretio pro periculo aſcendit, ſicut nec ſeipſum aſſecurat, vt ſatis conſtat. Deinde in caſu Decretalis, mutuans inducebat mutuatarium, vt ſibi aliquid daret pro eo, quòd mutuator periculum in ſe ſuſciperet, nec volebat aliter mutuare, & ideò non gratìs mutuare volebat, ſed cum lucro, quod ex aſſecuratione ſperabat. In noſtro autem caſu, venditor non volens ſuſcipit periculum pretij expectati, ſed ad inſtantiam emptoris: emptor enim petit à venditore, vt vendat illi mercem ad terminum, & pro pretio ſoluendo ei tempus aliquod concedat; quòd ſi venditor annuat, precium mercis periculo exponit, vt ex caſu patet. Et ita emptor venditorem inducens, vt ad terminum vendat, ex conſequenti eum inducit, vt valorem, ſeu pretium mercis periculo exponat: quod tamen venditor gratìs facere non tenetur. In caſu autem Decretalis mutuatarius non inducit mutuantem, vt rem ſuam cum periculo mutuet, ſed potiùs ipſe mutuans præuenit, & mutuatarium compellit, vt ſi vult mutuatum obtinere, illum ſecundùm contractum aſſecurationis ſecum ineat. Ac proinde apertum eſt, Decretalem illam in nullo præiudicare huic ſententiæ. II. III.

B Pro qvarta cauſa executionis, quæ eſt, quia ob conditionem emptoris, qui ſolet non ſine lite ſoluere quod debet, timet venditor expenſas facere in rehabendo ſuũ capitale. Pro quo adducitur ratio, quia nemo tenetur gratìs, ob cauſam alterius, expenſas facere, ad quas alioqui non obligatur. Cùm ergo venditor in recuperãdo pretio expectato veriſimiliter putat, ſe expenſas facturum, idq; ob culpam debitoris, ad quas alioqui non tenetur, ſequitur quòd hanc ob cauſam poterit aliquid ab ipſo emptore exigere, vel loco eius in pretio expectato aſcendere. *Ratio pro quarta cauſa principali ſupradicta.*

Sed nec hanc cauſam admittit Florentinus. Tum primò, quia fortè debitor ſoluet ſine lite in termino præfixo. Tum ſecundò, quia etſi multi in ſolutione deficiãt, multi tamen minimè deficiunt; & tamen indiſtinctè, & abſque emptorum diſcretione venditores ad terminum vendentes, in pretio aſcendunt, in quo accidit, inſontes pro ſontibus, veraces pro fallacibus indebitum ſoluere. Tum tertiò, quia eſto quòd venditor in recuperatione ſibi debiti expenſas ſuo tempore faciat; non tamẽ erunt tantæ, quantum eſt incrementum, ob præfatam cauſam exactum. Tum quartò, quia poteſt venditor alia via ſeipſum indemnem ab expenſis ſeruare, ſcilicet, ſi paciſcatur cum emptore quòd ſe obliget ex nunc ad earum ſimul cum capitali ſolutionem, ſi venditor eas fecerit. *Obiectiones cõtra hãc quartã cauſam.* I. II. III. IIII.

His tamen non obſtantibus, videtur aliter reſpondendum, idq; in rigore conſcientiæ, prout in cauſa præcedenti dicebamus. Præſuppoſito, poſſe in caſu venditorem in pretio aſcendete dupliciter, ſcilicet, ratione dubij probabilis, quo veriſimiliter dubitat ſe expenſas facturum, cui periculo ſe exponit: Vel ſecundò ratione timoris, & anxietatis ſuſtinendæ, cùm probabiliter timeat ſe cum lite, & expenſis, aliiſq; inquietudinibus capitale ſuum recuperaturum. *Dupliciter poteſt aſcendere in pretio vẽditor in dicto caſu.* C I. II.

Si primvm, ſcilicet, quòd venditor in pretio aſcenderit, ratione dubij probabilis, quo veriſimiliter dubitabat, ſe expenſas facturum, quas fortè minimè ſperat recuperare; tunc videtur venditioni alter contractus eſſe annexus, quo ſcilicet vẽditor cum emptore implicitè conuenit, de certa quantitate loco expenſarum, de quarum quantitate ſoluenda dubitatur, ſiue magnæ fuerint expẽſæ, ſiue paruæ, ſiue nullæ: & ſecũdùm hoc iuſtè poterit venditor ſuper hoc cum emptore componere, & in pretio aſcendere, ſuppoſito, quòd tempore contractus veriſimile ſit, quòd fient expenſæ maiores, quàm ſit pretij incrementum, aut ſaltem ſit æquilibre dubium, quòd fient maiores, aut minores. Et facta conuentione, ſiue fiant maiores, ſiue minores, ſiue nullæ, poterit venditor præfatum incrementũ ſimul cum capitali recipere; quia non pro expenſis actu faciendis, ſed pro dubietate expenſarum faciendarum, fuit facta conuentio, in qua non magis in tuto, quàm in periculo ſe ipſe venditor expoſuit. Et loquor de expẽſis abſq; culpa, & mora debitoris faciendis, quia de his, quæ ex culpa ipſius fient, non arbitror emptorem ſoluendo iuxta præfatam conuentionem liberum eſſe; alioqui dolus & culpa illi ſuffragarentur, quod omnino videtur iniquum. Excepto, niſi intentio venditoris, tempore conuentionis, hæc eſſet, ſcilicet, remittere emptori omnes expenſas qualitercunq; ob defectum ſolutionis *Concluſio* I.

 facien-

faciendas, volens cum eo super quo conuenerunt esse contentus, quod nullum venditorem intendere puto. Sicut enim licitum est venditori in pretio ascendere pro periculo, cui suum capitale, ad instantiam emptoris, exponit, ita videtur eidem licitum in pretio ascendere, pro periculo faciendi expensas, cui se exponit. D

Conclusio II. SI SECVNDVM, scilicet, quòd vendens ad terminum, ascendit in pretio, ratione timoris, & anxietatis, quam passurus est, timens probabiliter litem, similiter & expensas in recuperatione capitalis faciendas, tunc iustè secundùm exigentiam præfati timoris, ascendit in pretio: nam talem timorem, & anxietatem pro altero subire, est pretio æstimabile, & sæpe homo, si posset, huiusmodi timorem, & anxietatem pro pretio redimeret: & ad emptorem, gratia cuius talis timor, & anxietas suscipitur, conuenit ipsum venditorem ab ea liberare, vel dando venditori sufficientem cautionem, qua de capitalis solutione sine periculo, lite, & expensis sit tutus; vel dando, seu promittendo venditori certum quid, per quod ab illa anxietate illum liberet, aut ipsa anxietas compensetur: & tunc facta conuentione, soluendum est pretium cum incremento, etiamsi expensæ non fiant; quia non pro expensis, sed pro timore, & anxietate fuit super incremento conuentum. Si tamen expensæ fiant, tenebitur debitor ad earum solutionem, qui causam efficacem ad eas faciendas dedit; siue per eum steterit, quo minùs in termino præfixo soluerit, siue non, eò quòd tenetur venditorem indemnem reddere. Et procedunt hæc de timore iusto, & probabili, cui ipse emptor causam præstat; non de timore ficto, nec de leuiter concepto: nam hic non debitori, sed ipsi emptori venit imputandus, nec pro illo est licitum aliquid ab emptore, vltra pretium iustum mercis venditæ, extorquere. E

Respōdetur ad obiectiōes cōtra quartā causam adductas.

ET PER hæc patet responsio ad rationes suprà contra hanc quartam causam adductas. *Ad I.* Ad primam dicendum, impertinens esse in casibus suprà distinctis, emptorem soluere sine expensis, aut cum eis, vt ex dictis patet; quia non pro expensis actu faciendis fuerat in pretio ascensum, sed pro periculo actu suscepto, aut timore, actu & probabiliter concepto. *Ad II.* Ad secundam dicendum, quòd probat peccare venditores, qui absque distinctione, seu discretione emptorum, omnibus ad terminum, occasione expensarum, quas timent se facturos, superuendunt; cùm multoties talis timor sit, vel fictus, vel leuis, & deponendus. *Ad III.* Ad tertiam dicendum, quòd parum refert expensas fieri maiores, aut minores ad iustificandum, vel condemnandum dictum incrementum, quando non pro expensis actu faciendis, sed pro dubio probabili atq; timore, & mentis anxietate super incremento conuentum est. *Ad IIII.* Ad quartam dicendum, quòd illa via inter alias videtur tutior, & simplicior, qua venditor cum emptore paciscitur de soluendis eidem expensis, quas venditor causa emptoris fecerit; & tunc non opùs esset ad alia remedia recurrere. Cum hoc tamen stat, quòd contrahentes conueniant, vt emptor aliquid certum venditori, loci expēsarum incertarum, aliundè, quàm ex culpa emptoris faciendarum, soluat, aut etiam loco timoris, & anxietatis vēditoris, quibus emptor causam præstat efficacem; ita quòd illa via, etsi iusta sit, nō facit alias vias suprà positas iustas de se. Secùs ex circumstantia, quia fortè inde infamatur venditor, aut causa præbetur scandali, vt suprà in tertia causa dicebamus. F

Resolutio vniuersalis pro veritate secunda, tertia, & quartæ causarum suprà positarum.

EST ITAQVE resolutio, quòd licitum est, vendenti ad terminum pacisci de maiori pretio, quàm sit pretium in promptu tunc communiter currēs, ratione interesse damni emergentis, & lucri cessantis, & ratione periculi, cui venditor ad emptoris instantiā rem suam exponit, & ratione dubij, seu timoris probabilis de litigando, & expensas faciendo pro capitalis recuperatione, cum limitationibus suprà dictis: eò quòd venditor, qui ad instantiam emptoris mercem suam ad terminum vendit, non tenetur gratis ob causam illius interesse aliquod pati, nec rem suam iactare, aut eam periculo perditionis exponere, nec timorem, & anxietatem, aliúdue grauamen sustinere: à quibus omnibus iustum est emptorem eundem venditorem liberare, aut pro illis satisfacere, & de satisfactione cum illo componere. Et huiusmodi compositione cum venditore facta, manet emptor obligatus, incrementum cum capitali in termino præfixo soluere, siue successu temporis appareat venditorem nullum interesse actu passum esse, nullum periculum suo capitali euenisse, nullas etiam expensas eum in capitalis recuperatione fecisse; quia hanc obligationem emptor subiuit, non ob damnum venditori actu euenturum, sed quia venditor ad instantiam emptoris præfatis damnis, & periculis probabiliter se expo-

A expoſuit. Debuit enim damnum & periculum, cui ſe venditor expoſuit, eſſe probabile, vt dictum eſt.

Corollarium.

VNDE FIT, vt non liceat, propter has cauſas, vendere ad terminum pro exceſsiuo pretio indifferenter omnibus emptoribus; quia non in omnibus præfatæ cauſæ reperiuntur, nec cum omnibus, in quibus huiuſmodi cauſæ reperiuntur, æqualiter eſt aſcendendum in pretio, cùm non in omnibus æquales ſint cauſæ aſcendendi in pretio; ſicut nec æquale periculum rem perdendi, aut expenſas faciendi in omnibus reperitur.

Regula quædã in dictis cauſis ſeruanda, ad quietandas conſcientias venditorum.

ILLVD DENIQVE videtur pro regula obſeruandum, ad conſcientias venditorum aſſecurandas, quòd tale, & tantum ſit pretij incrementum ſuper quo, ob præfatas cauſas, conueniunt, quòd indifferens ſit ipſis mercatoribus vendere ad terminum pro illo pretio exceſsiuo, cum periculis ſuprà dictis, aut vendere ad ſtatim pro pretio æquali cõmuniter tunc currente: nam ſi primum eligant potiùs quàm ſecundum, iuſtè præſumitur eos non æqualitatem, quam debent, prætendere, ſed lucrum ex dilatione ſolutionis ſibi faciendæ quærere: quod communiter reprobatur. Super quo teſtis ſit ipſis ipſorum conſcientia.

Cauſa V. Explicatur ſenſus illi, qui duplex eſt.

ALIAM QVINTAM cauſam videtur Caietanus aſsignare, quare liceat vendenti ad terminum in pretio aſcendere, ſcilicet, dubietatem valoris mercis venditæ, quem tempore ſolutionis habuiſſet. Vt ſi venditor vendit in Ianuario tritici men-
B ſuram valentem 5, recepturus pretium in menſe Maio, in quo, vt veriſimile, valebit vltra 5. poteſt, vt inquit, in Ianuario vltra 5. menſuram vendere, ſi ſit dubium, an tem- I.
pore ſolutionis valebit tantum &c. Et hoc ait verum eſſe, etiamſi venditor non erat triticum vſque ad Maium ſeruaturus, ſed illicò diſtracturus. Si enim ſeruaturus eſſet vſque ad Maium, & tunc venditurus, non dubitatur caſum iuſtificari, & pretij incrementum II.
ratione intereſſe lucri ceſſantis veriſimilis excuſari: poſito quòd ſit dubium æquilibre, plus minúſue ſit menſura tempore ſolutionis valitura, quàm ſit pretium auctum, ſuper quo conuentum eſt: nam tunc æqua eſt vtriuſque contrahentium conditio, nec venditor ſe ponit magis in tuto, quàm in periculo, modò ſit ſibi indifferens velle menſuram vſque ad Maium ſeruare, & tunc vendere, aut in Ianuario pro pretio illo aucto eam vendere, vt antè diximus. Et facit apertè pro hac parte capit. nauiganti. de vſuris. Vbi ponitur caſus ad literam, de mercatore, cariùs, quàm in promptu merces valeant, vendente, ſi erat eas ad tempus ſolutionis ſeruaturus.

Rationes pro ſenſu priori.

SI TAMEN non erat mercator, merces illas vſque ad tempus ſolutionis ſeruaturus, poteſt ſimiliter rem cariùs, quàm in promptu valeat, vendere, vt ait Doctor, propter dubium de valore quem res illa tempore ſolutionis haberet. Mouetur primò, quia I.
in capit. in ciuitate. de vſuris, vbi ad literam ponitur hic caſus; nulla ſit mentio de hoc, quòd ſcilicet venditor erat mercem vſque ad tempus ſolutionis ſeruaturus, ſed de ſolo præfato dubio ſit mentio: & ita diuerſum putat eſſe caſum capit. in ciuitate. & caſum po-
C ſtremum capit. nauiganti.

SECVNDO idem confirmari poteſt, quia rei ad terminum venditæ, vel emptæ, II.
pretium taxandum eſt, prout veriſimile eſt valere tempore ſolutionis, vt in capitul. nauiganti. dicitur. Ille dat 10. ſolidos, vt alio tempore totidem ſibi grani, vini, vel olei menſuræ reddantur; quæ licet tunc plus valeant, vtrùm plus, vel minus, ſolutionis tempore, fuerint valituræ, veriſimiliter dubitatur, non debet ex hoc vſurarius reputari, hæc ibi.

TERTIO addit rationem huius, quia venditio ad terminum licèt tempore contra- III.
ctus inchoëtur, tempore tamen ſolutionis perficitur, & conſummatur: ideò licitum eſt pretium pro tempore ſolutionis, quando perficitur, taxare, ſiue res eſſet à venditore vſq; tunc ſeruanda, ſiue nõ; nam ſolutio, per quam emptio conſummatur, videtur ad ſe venditionem trahere.

Obiectiones cõtra dictum ſenſum priorem huius V. cauſa.

CONTRA tamen hunc modum dicendi videntur aliqua militare. Primò quidem, quia ait venditionem integrari per traditionẽ, & emptionem per ſolutionem, ita quòd non ſit venditio completa, niſi merx ſit tradita, & pretium ſolutum. Quòd ſi ita intel- I.
ligatur, quòd hæc ſint de eſſentia & integritate venditionis, ſuprà dictum eſt, & oſtenſum id eſſe falſum; quia contractus integrè celebratur per conuentionem, qua ſe inuicem contrahentes obligant, iuxta definitionẽ contractus, in qua dicitur, quòd eſt vltrò,

 citroque

citroq; obligatio. Et procedit de contractu, in quo eſt reciproca obligatio, vti eſt in venditione, & emptione. Hac igitur obligatione per conuentionem vtrinq; poſita, eſt contractus integer, etiamſi mercis traditio, pretiique ſolutio differantur: hæc enim effectus ſunt potiùs contractus prioris, quàm eius, aut de ratione, ſeu eſſentia eiuſdem, vt ſuprà quæſtione præcedenti tetigimus. D

II. PRAETEREA ad rem; mercis valor non eſt diuerſus per hoc, quòd vendatur in promptu, vel ad terminum: nec valet plus ad terminum vendita; quàm ſi ad inſtans venderetur: ergo per hoc, quòd ad terminum vendatur, non eſt licitum in pretio aſcendere plus, quàm ſi ad ſtatim venderetur. Et probatur, quia venditio ad terminum, nil addit ſupra venditionem ad ſtatim, niſi expectationem pretij ſoluendi in futurum; hæc autem expectatio eſt tacita mutuatio, vt conſtat; non igitur facit, vt merx illo modo vendita ſit maioris valoris, quàm ſi ad ſtatim venderetur; alioqui ratione mutuationis liceret in pretio aſcendere, quod eſt falſum; quia illud eſſet vſura. Confirmatur, quia ſi res ad terminum vendita eſſet maioris valoris, & pretij, & ideò liceret eam cariùs, quàm ad ſtatim vendere, vel ergo eſſet maioris valoris in ſe, & hoc non, cùm diuerſus modus eam vendendi, bonitatem eius intrinſecam & naturalem non variet. Vel eſſet maioris, quoad vſum eius ipſi venditori; & hoc eſt manifeſtè falſum: nam ex quo venditor, ſiue ad ſtatim eam vendat, ſiue ad terminum eam diſtrahat, & à ſe alienet, conſtat rem illam ad terminum venditam, non valere venditori ad vſum eius plus, quàm ſi ad ſtatim eam vendat, ex quo illam ſimul, & vſum eius à ſe penitus alienat & diſtrahit. Vel eſſet maioris valoris, quoad vſum ipſi emptori ad terminum ementi, quàm ſi ad ſtatim emeret: & hoc non, cùm idem ſit ipſius vſus, & eodem modo emptor re illa vtatur, quo vteretur, ſi ad ſtatim eam emiſſet, vt ſuppono. Et eſto emptori plus conſtet, non eſſet ob id licitum venditori, in pretio vltrà quàm res ipſa in promptu valet, aſcendere: quia venditor ea, quæ ex parte emptoris ſe tenent, illi vendere non poteſt, vt ſatis certum eſt: non igitur dici poteſt mercem eſſe maioris valoris ad terminum venditam, quàm ad ſtatim, cæteris paribus: & per conſequens non licet cariùs eam vendere ad terminum, quàm ad ſtatim. Et confirmatur iterum, quia oppoſito dato, ſequitur quòd poſſet venditor ad terminum ſimiliter in pretio aſcendere, etiamſi nec rem eſſet ſeruaturus, nec dubium aliquod ſit, an plus minúſue valebit tempore ſolutionis. Et conſequentia de ſe ſatis patet; cùm tamen conſequens nec ab ipſo Caietano, nec ab illis concedatur. E

III. AD HAEC fortè diceret, nil contra ſe hæc facere, quia non tenet contractum iuſtificari, in quo cariùs ad terminum venditur, quàm ad ſtatim, ob id, quia ad terminum venditur, ſed ob dubium, quo veriſimiliter dubitatur res tempore ſolutionis plus, minúſue valitura. Contrà ſtat ratio aperta, quòd ſolùm dubium hoc non iuſtificat contractum, niſi ſimul hoc aliud concurrat, ſcilicet, venditorem eſſe alioqui ſuam mercem ſeruaturum, & non ſtatim vendit urum. Id patet ex textu ipſo: dicitur enim in ca. nauiganti. de vſuris cùm feciſſet mentionem de dubio veriſimili, ſi plus minúſue res tempore ſolutionis eſſet valitura, ſubiungit: Ratione huius dubij etiam excuſatur, qui pannos, granum, vinum, oleum, & alias merces vendit, vt amplius, quàm tunc valeant, in certo termino recipiat pro eiſdem; ſi tamen ea tempore contractus non fuerat venditurus. hæc ibi. Vnde manifeſtè patet, ſolam rationem præfati dubij, huiuſmodi contractum non excuſare, niſi ſimul illa conditio concurrat, ſcilicet, ſi venditor eſſet mercem ſeruaturus; alioqui fruſtrà dixiſſet textus: Si tamen ea tempore contractus non fuerat venditurus. F

IIII. PRAETEREA ſi venditor alioqui erat in promptu ſuam mercem venditurus, pro pretio tunc currente, quid ſua intereſt, mercem tempore ſolutionis eſſe plus, minúſue valituram? Certè nil; imò etiam nil ſua intereſſet, ſi certum eſſet, mercem illam, ſi ſeruaretur, longè plus tempore ſolutionis valituram, ex quo illam non erat ſeruaturus, ſed illicò eam venditurus. Irrationabile igitur videtur eſſe, dicere quòd propter præfatum dubium poſſit venditor rem cariùs vendere ad terminum, quàm ad ſtatim, ſi ipſe eſſet rem illam illicò venditurus & non ſeruaturus. Dubium enim de futuro valore rei, ſi venditionem ad terminum pro pluri excuſat, ideò eſt, quia ratione talis dubij, æqualiter ſe exponit venditor lucro & damno; quia rebus ſic vel ſic ſuccedentibus, puta ſi merces ſimiles poſtea in valore vltra, vel infra taxatum pretium aſcendent, aut deſcendent; eſſet venditor lucraturus, aut perditurus: hoc autem nullo modo poteſt de eo, qui mercem ſeruaturus

A seruaturus non erat, verificari, vt constat. Ac proinde concluditur, solam præfatam dubitationem, non excusare vendentem cariùs ad terminum, quàm sit pretium tunc currens; si mercem illam non erat alioqui seruaturus, sed interesse lucri, quod ex rei seruatione verisimiliter esset illi euenturum.

Replica quadã soluitur.

SI DICAS, Decretalem non iustificare pretium auctum in casu, ratione interesse, sed quia tantum valet res, sic cum dubio prædicto, vendita. Contrà, quia res cum dubio illo vendita, vnicum habet valorem, & pretium iustũ, non diuersum; & si illud esset, quod verisimile est, rem posteà valituram, non igitur posset iustè vendi pro pretio nunc currente. Et si sit verisimile quòd valebit 2. cùm nunc in promptu valeat 4. peccaret venditor, eam, stante dubio, vendendo pro 4. quod est falsum.

Respondetur ad rationes supra pro sensu prioris huius causæ adductas

Ad I.

NEC OBSTANT, quæ pro Caietano adducta sunt: nam esto quòd in capit. in ciuitate. nulla fiat mentio de hoc, quòd est venditorem mercem fuisse alioqui seruaturum, sed de sola dubitatione; textus tamen ille est, sicut dictum est, intelligendus; qui, quia rem non penitus explicuit, suppletur per alium textum, scilicet per capitul. nauiganti. primum textum Alexander scripsit, quem posteà Gregorius Nonus per secundum textum ampliùs declarauit. Nec est diuersus casus capituli in ciuitate. & postremus casus capit. nauiganti. sed penitus est idem, vt Doctores communiter tradunt, & ratio ipsa manifestat.

Ad II.

In diuersis venditionib⁹ diuersimodè taxatur pretium.

B AD SECVNDVM, in quo dicitur, quòd pretium rei venditæ seu emptæ debet taxari, prout valebit tempore solutionis &c. Respondeo, quòd in diuersis venditionibus diuersimodè taxatur pretium. Vnde pretium rei iustum taxatur, & dignoscitur, prout valet res tempore contractus, quando rei venditæ dominium, seu ius in emptorẽ transfertur. Et hoc est verum de venditione, & emptione simplici, quæ ad statim fit, in qua nec mercis, nec pretij expectatio interuenit; quòd si sit venditio ad terminum, in qua statim traditur merx, & pretium ad tempus expectatur, pretium iustum est, quod tunc communiter currit: & si licitum est tunc in pretio ascendere, non est ob id, quòd res ad terminum vendita plus valeat, quàm ad statim; sed ob aliquod interesse ipsius venditoris, qualecunque sit tale interesse siue damni, siue lucri, siue periculi, siue alterius grauaminis, vt suprà dictum est, pro quibus omnibus satisfacere incumbit ipsi emptori, ad cuius instantiam venditor tale patitur interesse. Ac proinde si venditor ad terminum erat mercem seruaturus, poterit eam cariùs vendere, quàm ad statim, ratione interesse, quia est sibi verisimile, quòd esset aliquid lucraturus, si rem seruasset. Quemadmodùm is, qui mercem emit, anticipata solutione, poterit eam viliùs emere, quàm tunc valet, ratione interesse, si sit verisimile, quòd ipse, merces illas tempore solutionis viliùs, quàm nunc in promptu valeant, esset empturus, in quo casu pretium iustum taxatur, prout est verisimile rem tempore solutionis esse valituram. Et sic procedit capit. nauiganti. §.2. de quibus posteà.

Ad III.

C AD TERTIVM, esto quòd venditio tempore contractus inchoëtur, & tempore solutionis perficiatur ad hunc sensum, quòd contractus, & obligatio ipsius, iam sit suum effectum completè sortitus, non sequitur inde, quòd tempore contractus posit is, qui ad terminum vendit, in pretio ascendere ob non consummatam venditionem; nec quòd liceat ei in pretio ascendere, secundùm valorem rei, quem tempore solutionis verisimiliter habebit: supposito quòd ipse rem non erat seruaturus, sed illicò distracturus, quanquàm posset pretij taxationem, relinquere ex valore futuro rei pendere, vnde accideret venditorem maius pretium posteà recepturum, quàm res vendita in promptu valeat. Quod licitum esset, quando esset verisimile dubium, an res sic vendita, esset tempore solutionis plus minúsue valitura, quàm sit pretium in promptu tempore contractus currens: quia tunc æqua est vtriusq; conditio, nec venditor magis se in tuto ponit, quàm in periculo; & tunc nil refert venditorem rem fuisse seruaturum, vel non, vt de se satis patet. Non tamen est hic casus textus primi, nec secundi, nec de quo modò disputamus, vt minùs rectè videtur Conradus sentire q.61. deceptus fortè, quia plus & minus, non sicut debuit, est interpretatus.

Explicatur textus quedã capitulorũ in ciuitate: & nauiganti supra allegati.

Explicatio Conradi.

VNDE ALIQVIS posset dubitare, quid referant illa verba textus, plus vel minus, quę comparatiua sunt? An scilicet referant pretium communiter currens tempore contractus, an potius pretium per contrahentes tempore contractus taxatum. Hoc enim puto causam fuisse, quare Conradus, vbi suprà, tam varius fuerit, & tot sensus textus, casuumque

casuumque distinctiones posuerit, quia putauit illa verba, plus, minus, pretium communiter currens tempore contractus referre: & ita putat mentem textus, c. in ciuitate. & ca. nauiganti. de vsur. esse, excusare venditionem ad terminum, in qua venditor maius pretium recipit, quàm valuerit merx in promptu tempore contractus, etiamsi mercem non esset alioqui seruaturus. Exempli gratia: tempore contractus valet merx 10. in promptu, est tamen verisimile dubiũ, an tempore solutionis valebit plus, aut minus, quàm 10. Conuenit venditor cum emptore pro pretio cursuro tempore solutionis, & accidit, quòd illo tempore valeat similis merx 15. poterit tunc pro merce recipere 15. etiamsi mercem non esset seruaturus, sicut si non valuisset nisi 7, cum 7. debuisset esse contentus. D

Alia verior explicatio.

Sed quoniam molestum esset, omnia eius dicta in præsentiarum referre, molestiusque ea omnia examinare, & ostendere eum non ad mentem Decretalium huiusmodi fuisse loquutum, breuiter dicendum, quòd illæ dictiones, plus, & minus, non referunt pretium communiter currens tempore contractus, sed pretium per contrahentes taxatum: vt in casu capit. in ciuitate. conuenerunt super pretij quantitate, illam non relinquentes ad futurum mercis valorem, sed ita, vt cum tempore contractus merx valeret 5. conuenerunt vt emptor suo tempore solueret 6; & ait textus talem venditionem à peccato excusari, si esset tunc probabile dubium, an plus minúsue merx illa esset tempore solutionis valitura: plus, inquam, aut minus, quàm sit pretium inter eos taxatum, scilicet 6. dummodò esset mercem illam alioqui vsque ad tempus solutionis seruaturus, E vt expositum est per capit. nauiganti. in quo textu significatur pretium iustum mercis sic venditæ, esse pretium communiter tunc currens, non cursurum; in quo pretio si, vt dictum est, ascenditur, licèt sit plus iusto, excusatur propter dubium prædictum, ratione cuius ipse venditor, æquè se in tuto ponit, & in periculo. In casu autem alterius Decretalis, emptor solutionem pro merce posteà tradenda anticipat, & pretium tunc solutum est minus, quàm pro tunc valeat merx ad statim empta, in qua Decretali illa nomina, plus, & minus, non referunt pretium currens tempore contractus, nec pretium cursurum tempore solutionis, sicut nec in præcedenti Decretali, sed referunt pretium, de quo inter contrahentes conuentum est. Et quamuis accidat mercem tempore traditionis plus, quàm sit taxatum pretium, valere, non inde vitiatur contractus, nec emens peccat plus recipiendo in merce, quàm in pretio dederat, idque ob rationem dubij, æqualiter pro vtroque contrahentium existenti; in quo contractu cùm pretium iustum deberet taxari, secundùm valorem mercis tempore traditionis; quia tamen ille, quantus futurus sit, adæquatè nescitur, dubium æquilibre excusat contractum.

Eorundem textuũ casus in particulari soluuntur.

Casus prioris.

Qvod clarivs patebit, si casus præfatos harum Decretalium particulariùs resoluamus. Primus casus de venditione ad terminum, in quo statim traditur merx, & expectatur pretij solutio, dempta pretij expectatione, ex duobus contractibus componitur; quorum alter est venditio mercis pro pretio tunc communiter currente, quod sit, F exempli gratia, 10: secundus est alius contractus innominatus, quo emptor se obligat ad certum incrementum ipsi venditori simul cum capitali dandum, loco interesse lucri, quod venditor, si mercem suam seruasset, esset lucraturus; quod quidem interesse, quia nescitur quantum adæquatè fuisset, conueniunt pro certo pretio, de quo est verisimile, quòd sit medium inter plus, & minus, quod venditor fuisset lucraturus. Et ideò in casu, quo venditor rem suam erat seruaturus, & eam ad instantiam alterius vendit, ad taxandum pretium integrum rei, quæ sic ad terminum venditur, habetur respectus ad valorem, quem res habet tempore traditionis, seu contractus, & ad valorem, quem res ad tempus solutionis seruata habuisset, parum, plus, minúsue. Primus valor attenditur, vt pretium rei iustum seruetur. Secundus verò attenditur, vt iusta pro interesse fiat recompensatio, idque ad saluandum ipsum venditorem indemnem. Casus autem secundæ Decretalis, in quo pretium anticipatur, & expectatur mercis traditio, simplicior est; quia dempta pretij anticipatione, non illic reperitur alius contractus, nisi emptio, & venditio, in quo pretium adæquatum esset taxandum, secundùm verum valorem, quem merx tempore traditionis habebit, si de illo certa tempore contractus cognitio haberetur, defectu cuius posset quantitas pretij, & taxatio eius ad tempus traditionis suspendi, vt sicut tempore, quo fit contractus, est incertus valor mercis tradendæ; ita etiam sit incerta quantitas pretij adæquati: propter tamen præfati valoris futuri incerti-

Casus posterioris.

A incertitudinem, & animorum quietudinem super pretij quantitate conuenire volunt, vt certum assignetur pretium, & tantum, quod verisimile sit, ipsum mediare inter plus, & minus, quod res sit tempore traditionis valitura: quas conuentiones constat iustas & æquas esse.

SEQVITVR iam differentia inter venditionem ad terminum, in qua præcedit mercis traditio; & eam, in qua præcedit pretij solutio, quo ad pretij taxationem; quia in prima attenditur valor duplex rei, supposito quòd venditor esset rem alioqui seruaturus: in secunda verò non attenditur nisi vnus valor mercis, quem scilicet, tempore traditionis, verisimiliter habebit. Et postquam pretium tempore contractus, sic fuerit iustè & æquè taxatum, nil refert tempore solutionis longè plus, aut longè minus mercem actu valere, quia standum erit, salua conscientia, contractui, etiamsi alter notabiliter lucretur, aut notabiliter perdat de eo, quòd alioqui esset lucraturus, idq; secluso omni dolo, & fraude lucrantis. Vnde fit, vt in hoc casu, etiamsi alter sit vltra dimidium iusti pretij defraudatus, actio illi contra lucrantem minimè conueniat, quia iustum pretium in casu fuit seruatum, ob verisimile dubium, quod pro vtroque ex contrahentibus fuit causa iusta taxandi pretium, sicut taxatum fuit; & ita propriè non fuit vltra, nec citra dimidium iusti pretij defraudatus, attendendo iustitiam pretij, iuxta valorem rei, quem habuit tempore contractus, secùs tempore traditionis mercis. Excepto, nisi merx tradenda, multùm B notabiliter in valore ascendat, aut descendat tempore traditionis, ex casu fortuito, qui per contrahentes præuideri non potuit, vt puta, qui omnino insolitus est euenire: Secùs si soleat euenire, & debuit per contrahentes præuideri. Hæc quodammodò per sequentia patebunt. *Corollarium* *In his casibus nō datur actio defraudato cōtra lucrantem.*

COROLLARIE sequitur, quid dicendum ad casum communiter accidentem, de eo, qui emit certas metretas olei, anticipato pretio, pro singulis metretis quatuor regalia ex conuentione tradendo, eo tempore, quo, secundùm omnium iudicium, magna illius anni olei abundantia speratur, vt sit verisimile, quòd tempore traditionis valebit metreta infra assignatum pretium, quemadmodum est possibile, ob temporis varietatem, in pretio ascensuram. Accidit hoc anno, vt præter omnium spem, oleum in pretio notabiliter ascenderit, puta, ad octo regalia: Quærebatur, an venditor teneatur iuxta contractum metretas, quas pro quatuor vendidit tradere, & an inde maneat emptor restitutioni obnoxius, & an venditori competat actio contra emptorem, eò quòd vltra dimidiũ iusti pretij videtur esse defraudatus. Respōdetur stantibus circumstantiis, casus contractus videtur iustus, quia cùm dolus & fraus cessauerit, fuit inter contrahentes sponte conuentum, vt pretium taxarét, fuit taxatum, secundùm commune omnium iudicium, iustè & æquè; vnde vterque se æquè in lucro, & damno exponebat, & vtriusque fuit æqua conditio: & per consequens contractus fuit iustus, in quo pretium iustum taxatum est; & ita videtur standum illi esse in rigore conscientiæ. Sicut enim res in com- C modum ementis successit, ita potuit in commodum vendentis succedere; supposito quòd tempore contractus dubium esset æquilibre pro vtroque, quòd scilicet esset tam verisimile, quòd oleum esset citra quatuor regalia valiturum, quàm quòd vltra. Nec obstat casus fortuitus succedens, quia non fuit talis, qui præuideri non potuit; imò solet id ex tempore frequenter accidere. Quòd si casus esset bellum, aut arborum incendium, seu strages alia, quæ nec cognita per contrahentes fuit, nec præuideri debuit, tunc vel rescindendus esset contractus, vel ad aliqualem ęquitatem, iuxta consilium prudentum, reducendus. *Alius quidam casus proponitur.* *Solutio.*

SI VERO tempore contractus verisimile fuit, quòd oleum esset in pretio vsque ad quatuor regalia ad summum descensurum, & esset etiam verisimile, quòd plus esset valiturum; tunc iniustus est contractus, nec rectè pretium taxatum; cùm melior sit conditio ementis, quàm vendentis, vt constat; & tunc habet locum defraudatio, quæ si sit vltra dimidium iusti pretij, competet defraudato actio. Sicut enim in venditionibus, quæ ad statim fiunt, pretium iustum est iuxta communem valorem rei, quem tempore contractus habet taxandum, & defraudatio est iudicanda per hoc, quòd alter actu minùs recipit, quàm dat; ita in venditione ad terminum per pretij anticipationem, pretium iustum est taxandum, secundùm verisimilitudinem, & probabilem coniecturam prudentum, qua verisimile est, mercem tempore traditionis valituram. Et similiter tunc in huiusmodi contractibus iudicabitur alter defraudatus, in pretij taxatione, *Limitatio datur solutionis.*

si minus taxatum fuit, quàm præfata probabilis coniectura & verisimilitudo poscebat: D quidquid sit de vero valore futuro ipsius rei. Et pro hoc casu facit capit. nauiganti. suprà citatum.

Alius casus simi lis prædicto.

SIMILE huic quodammodò est, si emo vitalitium reditum pro. 200. ducatis, super quo pretio conuenimus, eò quòd est verisimile, & coniectura probabilis, quòd viuam tot annis, pro quot præfatum pretium mihi sufficeret, esto quòd omnino incertum sit, plus minúsue victurus sim; & accedit quòd longè plus viuam, adeò vt in fine vitæ meę, is, qui vitalitium vendidit, mecum 400. ducatos consumpserit: Quærebatur, an ego moriens tenear in conscientia illi pro huiusmodi excessu satisfacere, cùm videatur vltra dimidiũ defraudatus. Respondetur, quòd in rigore nil illi tenebor, præterquàm pretium, de quo priùs conuenimus illi dare; cùm nec meæ vitę longitudo fuerit casus inopinatus, qui ab illo præuideri non debuit, nec ego diminutum pretium pro vitalitio tradidi, sed pretium iustum, cuius iustitia tempore contractus erat sumenda, non ex euentu futuro, sed ex verisimilitudine & probabili ac discreta coniectura de vitæ meæ breuitate, aut longitudine, parum, plus, minúsue, ratione cuius verisimilis dubij æqua fuit sua, & mea conditio.

Solutio.

Alius item.

SIMILE huic est, si emam pisces, quos piscator ex certo iactu retis in mare extrahit, & cùm dubium sit, an plures, an paucos, an nullum sit extracturus, ratione dubij conuenimus, exempli gratia, pro. 20. aureis; quia id, secundùm probabilem coniecturam, est E verisimile pisces contrahendos valituros parum, plus, minúsue: accidit vt nullum extrahat, an teneatur venditor mihi aliquid restituere. Dicendum quòd non; nec possum allegare, me esse vltra dimidium, aut in toto defraudatum: quia, vt dixi, in huiusmodi contractibus, in quibus lucrum, & damnum ex dubio euentu pendent, defraudatio non ex euentu reali est iudicanda, sed ex diminuta pretij taxatione tempore contractus facta; quæ tamen diminuta non est, nec à iustitia deficiens, si fuit facta secundùm probabilem & discretam coniecturam, vt dictum est.

Solutio.

In quibus habeat locum hæc doctrina.

ET QVEMADMODVM dico de emptione ad terminum, pretio anticipato, ita dicendum de venditione ad terminum, pretio ad terminum expectato, ad quem venditor erat alioqui mercem seruaturus: quòd si vltra pretium communiter tunc currens res vendatur, ratione scilicet interesse lucri, quod alioqui esset habiturus, facta super hoc discreta conuentione, iuxta probabile dubium, illi in conscientia standum erit, etiamsi accidat, quòd verè nil venditor fuisset lucratus, rem suam seruando; sicut econtrà contractui esset standum, etiamsi accidat, quòd venditor longè plus fuisset lucraturus, siue vltra, siue citra dimidium illius, super quo conuentum est.

Dubium. An conditiones duæ cap. nauigãti, suprapositæ, semper requirãtur & sufficiãt, in prædictis casibus.

SED DVBITARET aliquis in eo, quod præfatum capitulum nauiganti. dicit, prout suprà exposuimus, scilicet, quòd vt vendenti liceat rem ad terminum cariùs, quàm valeat in promptu, vendere, requiruntur duo, scilicet, quòd venditor erat alioqui mercem illam seruaturus, & quòd tempore contractus sit verisimile dubium, mercem F illam ad terminum venditam, plus minúsue tempore solutionis valituram; an illa duo semper requirantur, & sufficiant ad excusandum similes venditores, & arguitur quòd non. Nam ex prima sequitur, quòd si non erat mercem seruaturus, paratus eam vendere, tunc si emptorem reperiret, quòd non potest cariùs, quàm in promptu valeat, mercem illam vendere, etiamsi pretium spectetur postmodùm soluendum. Contra quod videtur, quia non minus lucrum poterat iustè sperare, soluto in promptu eidem pretio communiter currente, per suæ industriæ appositionem, quàm si rem seruasset ad tempus, quando verisimile est plus eam valituram; igitur non minùs poterit rem cariùs vendere ad terminum, si alioqui non erat eam seruaturus, quàm si seruaturus esset, ex quo ratio, quare rem seruaturus potest eam cariùs vẽdere ad terminum, quàm in promptu valeat, est interesse lucri cessantis, vt tactum est. Et in eodem casu similiter videtur impertinens, rem plus, minúsue valituram tempore solutionis, ex quo non erat eam seruaturus.

Argumẽtum I. pro parte negatiua.

II. SECVNDO, demus quòd esset rem seruaturus, non tamen quòd esset eam tempore solutionis venditurus, sed antè, aut pòst, tunc sequitur quòd impertinens est verisimile dubium, si plus, minúsue sit tempore solutionis res valitura, cùm rem illã plus, minúsue posteà valituram esse, nil sua intersit. Et ita in hoc casu non posset venditor rem cariùs ad terminum vendere, quàm valeat in promptu. Consequens videtur falsum, quia stat, quòd

A quòd maius sit interesse, quod patitur ex rei venditione, quàm si eam ad tempus solutionis seruasset, & tunc vendidisset: vt si alio tempore, quo plus, quàm in tempore solutionis valeret, erat eam venditurus.

III.

Tertio, quia illis duabus conditionibus concurrentibus, videtur venditorem nõ sufficienter excusari, cariùs vendendo, vt si cùm reperiat emptores, qui emerent res illas ad statim pro pretio communiter tunc currente, ipse non vult illis modò vendere, sed emptores quærit, quibus ad terminũ merces cariùs vendat, prout est verisimile dubium res illas posteà plus, minúsue valituras esse, paratus alioqui ad futurum tempus seruare. Quòd autem tales mercatores, quales non paucos esse audiui, non excusentur, apparet: Tum, quia non licet venditori, ratione interesse lucri, aut damni, in pretio ascendere, nisi rem ad instantiam aliorum vendat: non quando ipse vltrò se offert, & emptores quærit, nam tunc emptores inducti non sunt causa efficax, quare venditor præfatum patiatur interesse. Tum etiam, quia ex quo venditor mauult rem ad terminum cariùs vendere, quam ad statim pro pretio currente, argumentum est, eum ex pretij expectatione lucrum quærere.

IIII.

Qvarto, sola dubietas de valore mercis tempore solutionis, sufficit ementem ad terminum, pro minori anticipato pretio, excusare, siue alioqui esset empturus ad statim, siue nõ: igitur sola dubietas de valore mercis tempore solutionis, sufficiet similiter B excusare vendentem cariùs ad terminum, expectato pretio. Antecedens patet ex præfato capit. nauiganti. Et consequentia apparet ex paritate rationis: & per consequens ad huiusmodi venditores excusandos non est necessaria illa conditio, quòd scilicet essent alioqui rem illam seruaturi, & non vendituri.

Resolutio.

Prædictæ conditiones neq; semper requiruntur, neq; sufficiunt ad excusandas eiusmodi venditiones.

Respondetvr, dicendum quòd præfatæ duæ conditiones nec semper requiruntur ad excusandam venditionem, & venditorem, nec semper sufficiunt, nec in textu ponuntur tanquam semper requirãtur, & sufficiant: nec intentio textus fuit ad omnem casum, in quo venditor ad terminum cariùs vendit, respondere, sed ad vnum, scilicet, quando venditor erat mercem seruaturus vsque ad tempus, in quo est verisimile eam plus, minúsue esse valituram, quàm sit pretium taxatum: tunc enim, his stantibus, determinatur contractum esse licitum. *Ratio.* Nec inde valet argumentum à contrario, quòd his non stantibus, non erit licitus contractus, ex quo possunt aliæ causæ concurrere, quæ contractum excusent, vt primum, & secundum argumentum satis ostendunt. Venditor enim cariùs ad treminum vendens, potest duplex interesse pati: *Vendens ad terminũ, potest dupliciter interesse pati.* I. Alterum ex hoc, quòd erat rem illam ad aliud tempus, in quo plus valeret, seruaturus, quo pluri priuatur ob causam emptoris; & in hoc casu procedit textus: II. Alterum ex hoc, quòd pretium non statim illi ab emptore soluitur, cum quo, apposita sua industria, aliquid esset lucraturus, quo lucro priuatur, ob causam emptoris. *Solutio I. argumenti in contrarium allati.* Huic casui non respondet textus, eò quòd est casus periculosior, cùm ad eius iustificationem multa requirantur, quæ difficulter solent C simul reperiri: illis tamen simul positis, iustificari potest contractus, ratione talis interesse lucri cessantis. Et per hoc patet ad primum.

Ad II.

Ad secvndvm dicendum, textum procedere in casu, quo venditor erat mercem seruaturus vsque ad tempus solutionis, de quo conuenitur, & tunc eam venditurus, aut aliter distracturus. Argumentum verò probat suum intentum, sed in alio casu, quando scilicet, non erat rem tempore solutionis venditurus, sed ante, vel post.

Ad III.

Ad tertivm dicendum, textum iterum esse limitandum ad casum, in quo venditor paratus erat mercem ad aliud tempus seruare, & tamen ad instantiam emptoris eam anteà vendit. Nam si venditor vltrò se offert, & rogat, aut solicitat emptorem, vt emat, non poterit rem cariùs vendere, quàm in promptu valeat; nec poterit prætendere recompensam ratione interesse, quod tunc vendendo patitur: interesse, inquam, quod ex distractione suæ rei tunc facta patitur, cùm eam non esset seruaturus. Secùs de interesse, quod ex dilata solutione pretij patietur, si ad instantiam emptoris differatur: bene enim stat, quòd venditio fiat ad instantiam vẽditoris, & dilatio solutionis ad instantiam emptoris, & tunc poterit venditor se indemnem seruare, recompensando huiusmodi interesse per ascensionem in pretio.

Ad IIII.

Ad qvartvm dicendum, quòd non est par ratio de vtroq; casu: nam in emptione ad terminum, anticipato pretio, vnus est contractus simplex, & ad vnicum rei valorem habetur respectus, vt iustum pretium taxetur; quo facto, manebit iusta venditio, vt

ex dictis patet. In venditione verò ad terminum, expectato pretio, duplex est contractus, D
& duplex taxatio, & ad diuersos valores debet haberi respectus, vt integrum pretium iustè taxetur, tam pro merce vendita, quàm pro interesse, quod ex venditione patitur ipse venditor. Quod locum non haberet, nisi venditor mercem illam esset alioqui seruaturus.

Causa VI. SEXTAM causam cariùs vendendi ad terminum, quàm ad statim, dicunt nonnulli Nouelli eam esse, scilicet, quia merx ad terminum vẽdita plus valet, quàm ad statim.

Ratio I. Pro qua sententia arguitur primò, quia valor mercis venditioni expositæ cognoscitur ex pretio communiter currente, & communi consuetudine, inter vendẽtes, & ementes seruata: sed pretium communiter currens maius est pro merce ad terminum vendita, quàm si ad statim venderetur, & communis mercatorum consuetudo hæc est in pretio ascendere, quando res ad terminum venditur. Igitur.

II. SECVNDO arguitur, quia paucitas, aut pluralitas emptorum conducit ad taxandum pretium iustum rerum venalium, ita vt cùm abundant emptores, cæteris paribus, merces plus valent, econtrà verò si deficiunt, vt suprà deduximus. Cùm ergo longè pauciores sint emptores, qui merces ad statim emant, plures autem qui ad terminũ emunt, consequens est, rem ad terminum venditam, maioris valoris esse.

III. TERTIO, iustum pretium rei venditæ debet æquari valori mercis, vt de se constat; sed pretium non statim traditum venditori, sed ad tempus tradendũ, minus valet quàm E si in promptu traderetur: Igitur ad præfatam æqualitatem seruandam, iustè poterit in pretio ascendi, quando res ad terminum venditur. Exempli gratia, valet merx ad statim decem, ita vt decem in promptu soluta æquiualeant merci, sed decem post annum soluenda minus valent, & minus appretiantur, quàm in promptu tradita, vt experientia docet. Igitur in venditione ad terminum, si non augeatur pretium, non erit æquale ipsi merci, & ita iustè poterit augeri.

Eiusdem confirmatio. CONFIRMATVR hoc, quia merx post aliquod tempus emptori tradenda minus valet, quàm statim tradita, vt etiam docet experientia. Nam emptores, quantumuis docti, & prudentes, & iusti, mercem aliquam ementes, puta, equum, vineam, domum, aut aliud huiusmodi, minus pretium communiter dant, si merx post tempus illis tradenda sit, quàm si statim eisdem tradatur. Igitur similiter pretium mercis, post tempus venditori soluendum, minus valet, quàm ad statim solutum: & ita vt æquale sit valori mercis statim traditæ, oportet illud augere.

IIII. QVARTO, si merx ad terminum vendita non valeret, nec liceret cariùs eam, quàm in promptu communiter valet, vendere, oporteret mercatores, qui reipub. vtiliter seruiunt, perdere, & loco præmij damnum sentire; maximè quia ob pecuniæ penuriam vix possunt emptores reperiri, qui in promptu dimidium pretium rei emptę soluere possint: & ex consequenti, vbi tanta est pecuniæ penuria, licitum erit cariùs ad terminum vendere, quàm in promptu pro merce reperire possunt, cùm non reperiant, quod merx ipsa F valet. Et ita fit, vt nullum sit pretium in promptu communiter currens, sed potiùs quiescens, aut dormiens.

Conclusio. Hæc causa nõ est admittenda. Probatur. RESPONDETVR, his non obstantibus, oppositum est tenendum, nec causa hæc est admittenda: res enim venditioni exposita, nõ plus valet ad terminum vendita, quàm ad statim, vt suprà arguendo, contra quintam causam deduximus. Nam ob id, quòd ad terminum venditur, nec valet merx in se plus, quàm si ad statim venderetur; nec valet plus ipsi vendenti, vt satis de se constat; maximè quia venditio ad terminum nil addit supra venditionem ad statim, quod venale sit: nam non addit nisi dilationem solutionis, quæ est quædam tacita mutuatio; pro mutuatione autem nullo modo licitum est pretium augere, quia hoc idem esset, quod mutuationem vendere; quod est vsura. Falsum igitur est, rem ad terminum venditam plus valere, & cariùs vendi posse, quàm valeat ad statim.

Respondetur ad rationes pro eadem allatas. Ad I. AD EA AVTEM, quæ anteà sunt pro hac causa adducta, respondeo, Ad primum dicendum, quòd pretium iustum, similiter & valor rei cognoscitur ex communi cursu, & consuetudine à iustis & discretis obseruata, quando merces ad statim emunt & vendunt: illud enim reputatur pretium iustum, & inde cognoscitur valor rei, non ex consuetudine emendi, & vendendi ad terminum pro pluri. Nec talis consuetudo, & communis cursus vendentium, & ementium ad terminum ipsos venditores excusat: Tum quia

A quia vsurarij ratione mutuationis aliquid lucrantes, per nullam consuetudinem, aut cursum communem possunt excusari, nec à peccato, nec à debito restituendi: tales sunt, qui cariùs vendunt ob id, quòd ad terminum vendunt, vt patet. Tum etiam, quia ementes ad terminum, si maius pretium se daturos ad terminum conueniunt, ideò id faciunt, vel quia pecunias non habent, quas in promptu tradant; vel si habent, eis ad alios vsus indigent, & ita non sponte in tali maiori pretio consentiunt, sed aliqua indigentia moti.

AD SECVNDVM, verum est valorem rei, & pretium augeri, vel minui ob paucitatem, ac pluralitatem emptorum, cæteris paribus; sed hoc de emptoribus ad statim est intelligendum, non de his, qui ad terminum emunt, cùm ex communi emptione ad terminum; iustum pretium, & valor mercis minimè iudicetur, sicut nec iustificatur, vt constat. *Ad II.*

AD TERTIVM dicendum, quòd pecunia de se non plus valet statim soluta, quàm ad tempus soluenda, eò quòd de se nec párere, nec fructificare potest; & ita, quatenus pecunia est, secluso vsu ipsius, aut industria possidentis, nullam vtilitatem afferret venditori statim tradita magis, quàm tradenda. Dico, quatenus pecunia, quia quatenus aurum est, aut argentum, aliquam posset vtilitatem afferre. Sed nunc de pecunia loquimur, seclusa consideratione qualitatis ad pecuniam impertinentis. Quòd si B ipsius venditoris interest pretium statim habere, tunc poterit, cùm ad terminum vendit, pretium aliquantulum augere; non quia res sic vendita plus valeat, nec quia pecunia pòst soluenda minùs valeat, sed ratione interesse, quod ex dilata solutione patitur. *Ad III.*

ET PER hoc patet ad confirmationem, quòd merx ad tempus tradenda minùs valet, quàm si statim traderetur; quia interest emptoris eam statim habere, cùm illa non possit ad sui vtilitatem vti illo tempore, quo ea caret, nec fructum ipsius interim percipere, si fructifera est: ideò non tam plenum dominium, & ius in re illa & ad illam acquirit, quando ex vi contractus est sibi differenda traditio, quàm si statim traderetur; ideò non mirum, si tunc in pretio & iustè descendatur, qualiter ascendi non potest pro eo, quòd pretij solutio differtur. Discrimen est clarum, quia in expectatione mercis non interuenit mutuum, sicut in expectatione pretij. *Ad eiusdem cōfirmationem.*

AD QVARTVM suprà responsum fuit, non oportere mercatorem semper quòd vendit, lucrari; sed oportet eum aliquando, si vendere velit, damnum sentire: quia ex quo voluntariè tale officium eligit, sicut se lucro exponit, iustum est similiter se damno exponat. Quod de penuria pecuniæ dicitur, non obstat, quia sicut in repub. abundante pecunia merces plus valent, & pro maiori pretio venduntur, eò quòd abundantia pecuniæ causa est, vt minùs æstimetur, & appretietur; ita existente pecuniæ penuria, merces minùs valent, & pro minori pretio vendendæ sunt, eò quòd huiusmodi penuria causa est; C vt pecunia multum æstimetur, & in maiori pretio & valore habeatur: & ita fit hinc inde recompensatio: talis est rerum vicissitudo. Nec obstat, quod dicitur, paucos scilicet esse qui pecuniam in promptu soluere possint, aut velint: quia si merx venditioni exponitur, & non reperiuntur emptores, nisi qui paucam pecuniam in promptu pro illa tradant, signum est in illa repub. mercem illam paucam pecuniam valere; sicut si econtrà multi reperirentur emptores, qui multam pecuniam pro illa traderent, signum est mercem illam multam pecuniam valere. Sicut ergo in hoc casu, illa multa pecunia diceretur iustum pretium illius mercis, & illud posset iustè venditor recipere, in quo magnum sentit lucrum; ita in alio casu, pauca pecunia dicetur iustum pretium eiusdem mercis, & cum illo debet mercator, si mercem vendere vult, esse contentus, etiamsi magnum sentiat incommodum: lucro enim & damno pariter debet exponi. Et procedit hoc, quando vel lege, vel consuetudine est in illo loco, communiter pretium in promptu determinatum: Nam aliàs poterit mercator pretium iuxta id, quod illi merx constitit, & iuxta expensas, & labores, & pericula suscepta taxare, vt suprà dictum est; & tunc pretium iustum non erit, quod in promptu repererit, maximè vbi est magna penuria pecuniæ, sed quod ipse prudenter taxauerit: & in tali casu si, quod iustum est, pro merce non repererit in promptu, poterit rem cariùs vendere ad terminum, quàm in promptu reperit, vt se saluet indemnem. *Ad IIII.*

Resolutio breuis, quando & quomodo erit iusta emptio & venditio, siue statim detur merx, et pretiũ, siue differatur.

EST ITAQVE in summa tenendum, tunc venditionem, & emptionem iustam esse, quando seruatur æqualitas inter pretium, & mercem. Tunc autem æqualitas seruatur, quando tantum est datum, quantum acceptum in valore; vt si venditio fiat in promptu, ita vt statim merx tradatur, statim etiam pretium soluatur, pretium iustum erit, quod tunc communiter currit. Si verò venditio fiat ad terminum, ita vt præcedat mercis traditio, & expectetur pretij solutio, tantum debet esse pretium tradendum, quãtum valet merx tempore traditionis. Nec propter expectationem pretij licitum est, nec in asse pretium augere. Si econtrà præcedat pretij solutio, & expectetur mercis traditio, pretium datum debet esse tantum, quantum valebit merx tempore traditionis. Si tamen velint in hoc casu taxare pretium anticipatum, & nolint relinquere eius taxationem vsque ad tempus traditionis, taxetur secundùm quod verisimile est, mercem tempore traditionis plus minúsue esse valituram, & erit iustum pretium. D

Quatenus venditor in aliquo horum casuum possit in pretio ascendere, aut emptor descendere.

HAEC DIXERIM, loquendo de venditione simplici, non habito respectu ad interesse. Quòd si in aliquo ex his casibus velit venditor in pretio vltrà ascendere, aut emptor descendere, oportet causam aliquam æquam, & iustam assignare: hæc autem erit ei, qui ad alterius instantiam vendit, aut emit, se indemnem seruare, si fortè aliquod interesse damni, vel cessantis lucri inde patiatur, vt sæpe tactum est.

Aliud dubium. An possit quis alteri dare triticum, accepturus ab eo ad terminum pecuniã, aut triticum in eadẽ mensura.

Tripliciter potest hoc fieri.

SEQVITVR iam, quid dicendum sit de contractu, quo quis alteri tradit triticum, recepturus ad terminum pecuniam, aut triticum, aliámue rem. Respondeo, quòd id potest tripliciter fieri; quia aut conuenitur inter eos, quòd pro tritico nunc tradito, reddetur pecunia, & est venditio: aut quod reddatur triticum, & est mutuum: aut quod dabitur triticum nouum pro veteri tradito, vel econtrà, & est permutatio. Si datur triticum pro pecunia ad terminum soluenda, iustificatur multipliciter, secundùm quod is, qui triticum tradit, erat illud seruaturus, & ad alterius instantiam vendit eidem, aut non erat seruaturus. Et quidem si seruaturus erat, iustificatur primò, si inter se conueniant, quòd pretium posteà soluendum sit tantum, quantum triticum valet ad statim tempore traditionis; & venditor gratiam facit emptori pretium expectando. Secundò, non taxando pretium tempore contractus, sed eius quantitatem suspendendo ad tempus, quo triticum erat vendendum: & quod, prout tunc valebit, soluetur pretium, etiamsi sit verisimile longè plus tunc valiturum, quàm valeat tempore contractus. Tertiò statuendo & taxando pretium, quando contractus fit, ita vt sit tantum, quantum est verisimile triticum esse valiturum tempore, quo erat per venditorem vendendũ parùm plùs, minúsue. Et si accidat triticum tempore solutionis longè plus, aut minùs valiturum, excusatur contractus ratione dubij verisimilis tempore contractus habiti. E

I.

Et hac ratione multis modis iustificatur ille contractus.

Si venditor non erat seruaturus triticum, adhuc dupliciter potest ille contractus iustificari.

I.

II.

SI AVTEM venditor non erat triticum seruaturus, tunc dupliciter iustificari potest, scilicet, statuendo pretium soluendum, quod non sit maius, quàm triticum tempore contractus valet, & facit emptori gratiam, pretium expectando. Secundò, si nesciatur an triticum posteà valebit plus, minúsue, quàm valeat in promptu tempore contractus, poterunt absque pretij taxatione conuenire, vt eius taxatio, seu determinatio suspendatur ad tempus solutionis: & tantum tunc soluetur, quantum tunc triticum valebit: supposito quòd sit verisimile dubium, quòd valebit tunc tantum, quantum valet tempore contractus. Alioqui si est verisimile, quòd plus valebit, talis contractus non est iustus; cùm melior sit conditio vendentis, quàm ementis; idque, vt dico, supposito quòd venditor non erat triticum seruaturus. Hæc omnia patent ex dictis. F

II. Modo. An sit iustũ conuenire inter se, de reddendo tritico suo tẽpore, in eadem mensura, qua fuit receptum?

Responsio.

SI AVTEM datur triticum, & ad terminum est similiter reddendum triticum, est mutuum. Esset tunc dubium, an sit iustum inter se conuenire, vt triticum reddatur suo tempore in eadem mensura, qua fuit receptum? Et dixerunt quidam Iuristę quòd sic, nil distinguentes, an mutuans esset triticum seruaturus, an non; mihi tamen videtur sub distinctione respondendum. Si mutuans erat triticum illud vsque ad tempus solutionis seruaturus, iusta est conuentio; modò hinc inde recompensatio fiat, si triticum traditum sit melius, quàm tradendum, vel econtrà: & deducatur quantum merebatur custodire illud vsque ad tempus solutionis illæsum. Si verò non erat triticum seruaturus, & certum aut probabile est, quòd eadem mensura tempore solutionis valebit plus, quàm valeat triticum mutuatum; tunc iniustus est cõtractus & vsurarius, ex quo ex mutuo intenditur lucrum, cùm satis esset ad æqualitatem seruandam & iustitiam, quòd triticum soluendum valebit tantum, quantum valet mutuatum, non quantum esset valiturum, ex

quo

A quo in casu illud seruaturus non erat, sed illicò venditurus. Vnde si faneca tritici tempore mutuationis valebat quatuor, & tempore solutionis speratur valitura octo, perinde est ac si mutuasset quatuor, cum pacto de recipiendo ad terminum octo, quod est manifesta vsura. Ac proinde in casu, si ex mutuo non intendit lucrum, & vult quòd pro tritico mutuato, triticum eidem posteà reddatur, satisfaciet illi, si loco vnius fanecæ, quam illicò pro quatuor erat venditurus, posteà reddatur dimidia faneca, quæ similiter valebit quatuor. Nam pone quòd reddatur faneca pro faneca, iam mutuator recipit in valore in duplo plus, quàm in valore mutuauerat: ad quod lucrum recipiendum, nec interesse, nec causa iusta concurrit, ex quo mutuator non erat suam fanecam seruaturus. Erit igitur mutuanti licitum pacisci, vt faneca pro faneca, mensura pro mensura, sibi tempore solutionis reddatur, quando erat suum triticum seruaturus: aut si non est, est tamen verisimile tempore mutuationis, quod tantum valebit triticum tempore solutionis, quantum valet tempore mutuationis, parùm plus, minúsue, quia tunc æqua est vtriusque conditio.

INDE SEQVITVR, quòd si tempore mutuationis valet faneca octo regalia, & tunc est verisimile, quòd tempore solutionis valebit quatuor, & infrà, poterit mutuator conuenire, vt pro vna faneca posteà duæ fanecæ sibi reddantur: supposito quòd sit, vt dico, verisimile dubium plus, minúsue duas fanecas tunc valituras, quàm tempore mutationis valeat vna: quia perinde est, ac si mutuator daret octo regalia, mutuatario pro duabus fanecis, posteà quando duplo minùs valebunt, soluendis. Quod maximè verum est, si mutuator erat illicò fanecam tritici mutuatam, pro octo venditurus. An autem idem posset casu, quo illam fanecā erat seruaturus, & non illicò venditurus? Dicendum quòd sic; quia siue seruaturus erat, siue nō, ex quo mutuat, & tempore mutuationis valet octo, perinde est, ac si octo mutuaret, pro quibus poterit pacisci de habendo suo tempore triticum, quod valebit octo. Idq; videtur verum, si mutuauit fanecam sub æstimatione pretij tunc currentis, scilicet octo, nam tunc perinde est ac si fanecam vendat, & pretium eius, scilicet octo, mutuet, quorum loco vult sibi in tritico, alio tempore, tantūdem reddi. Conradus, q. 38. conclusione quinta. *Corollarium.* B *Solutio dubij cuiusdam.*

SI DENIQVE datur triticum vetus, vt postea tantundem nouum reddatur, permutatio est, & attendendus est valor vtriusque tempore traditionis; & si tantum valuit vetus quando tradebatur, quantum valebit nouum tempore redditionis: aut si est verisimile dubium plus, minúsue nouum valiturum, quàm valet vetus, iustificatur cōtractus, cùm æqua sit vtriusq; conditio. Secùs si tempore contractus est verisimile, plus nouum posteà valiturum, quàm valet vetus: nam tunc vsurarius est huiusmodi contractus, cùm ratione mutui speretur lucrum. *III. Modo.*

EX DICTIS sequitur quid dicendum, quando aliqui tradunt ad terminum pannum pro panno, vinum pro vino, pecuniam pro pecunia, cum pacto, quòd idem in specie, pondere, numero, & mensura postmodum reddatur, nil curando quantum valeat res tempore, quo traditur, quantumque valebit tempore solutionis; cùm tamen oporteat distinguere, vt in casu præcedenti, habito respectu ad fundamentum suprà positum: quòd in huiusmodi sicut in venditionibus, quæ ad terminum fiunt, seruetur æqualitas inter datum, & acceptum, ita vt tantum valeat, quod primò traditur, quantum valebit, quod pro illo reddetur. Excepto, nisi ratione interesse alicuius, ab huiusmodi æqualitate deuietur. Aut etiam si ob verisimile dubium, de valore rei postmodum tradendæ, inter se aliter iustè conueniant, ita vt conuentio non faciat vnius conditionem meliorem, quàm alterius. *Corollarium I.* C

IDEO FALLVNTVR, iudicio meo, qui dicunt, quòd iustus est contractus, quo quis mutuat ducatum nunc valentem decem, hac lege, vt posteà reddatur sibi ducatus, etiamsi principis, aut communitatis autoritate, tempore solutionis valor ducati ascenderit a duodecim; seclusa ratione interesse ipsius mutuantis, siue mutuans esset alioqui illum ducatum distracturus, siue non, cùm constet pactum appositum esse, contra præfatam æqualitatem in huiusmodi contractibus seruandam. Nec aliquid confert ad eorum assertionem tenendam, quòd mutuatarius distrahat præfatum ducatum, ante eius auctum valorem, aut non, per quod Summistæ putant præfatum contractum iustificari; nam propter ea, quæ se tenent ex parte emptoris aut mutuatarij, non est plus exigendum, quàm ipsa æqualitas exposcat. *II. Corollariū.*

III. Corollariū.

VNDE FIT, vt si quis rem aliquam mutuet, aliam æqualem in pondere, numero, & D
mensura recepturus, vt iusta sit talis mutuatio & receptio, opùs est, vt id iustum sit, illud intelligere, quando res mutuata præsumitur in eodem valore permansura, in quo est, quando mutuatur. Vt si mutuo vnum regale, aliud in termino recepturus, iusta est mutuatio, si regale non solet in pretio ascendere, aut descendere. Si tamen pecunia mutuata solet in valore ascendere, aut descendere, vt in nundinis, & Florentiæ, & alibi ducatus aureus solet nunc plus, nunc minus valere, prout pecunia pro tempore abundat, pro tempore verò deficit, sicut triticum, oleum, & alia huiusmodi: tunc non est semper licitum ducatum mutuare, vt ducatus talis & tantus posteà, quando plus valuerit, reddatur; si certum est eum plus valiturum tempore solutionis, quàm valeat tempore mutuationis: nec mutuans erat ducatum seruaturus, sed ante ascensum eius distracturus. Secùs si tempore mutuationis dubitatur, an plus, minúsue valebit tempore solutionis, quia tunc iustificatur talis mutuatio; & quamuis tempore solutionis ducatus in valore ascenderit, debet mutuanti sic actu restitui, prout inter eos conuentum est, & excusatur contractus, similiter receptio lucri ob dubium, quod æquè pro vtroque habebatur tempore contractus.

IIII. Corollarium.

SEQVITVR ampliùs non esse excusandos mercatores lanarum, qui tempore natiuitatis lanas ex tonsura mense Iunij facienda prouenturas, pro pretio diminuto, puta pro vno regali emunt, cúm certum sit tempore tonsurę aut solutionis vellus, regale cum E
dimidio esse valiturum: & in contractu addunt, quòd si lanæ præfatæ, aut oues, & arietes tunc defecerint, reddentur alio anno. Sed quo magis differtur lanarum traditio, magis ipsi mercatores in pretio anticipato descendunt: & cùm emptio facta fuerit, pręfati mercatores statim aliis mercatoribus aliunde venientibus, easdem lanas pro regali cum dimidio ad eundem terminum vendunt; & ita ex tali negotiatione lucrum subitò acquirunt, eandem rem penitus, immutatam, imò nondum existentem cariùs vendendo.

Dubium. An iuste possit mercator emere lanam futurā à pastorib⁹ pretio diminuto anticipato?

Rationes pro parte affirmatiua.

Volunt autem præfati mercatores tales contractus excusare; tum quia pastores instant, vt mercatores taliter emant, & cum præfato pretio anticipato sint contenti: tum etiam, quia ipsi pastores cum præfato pretio suis famulis debitam mercedem soluunt; herbam pro suo grege, & alia, quæ ad debitum pastum sunt necessaria, emunt: & ita ipsi pastores illo modo lucrantur. Tum etiam, quia talis est inter pastores, & mercatores satis antiqua consuetudo.

Responsio negatiua.

Responderur ad rationes contrarias.

RESPONDETVR, dicendum vt suprà, primum contractum, quo primi mercatores lanas futuras pro pretio anticipato, sed diminuto emunt, minimè ab iniustitia excusari ob ea, quę pro se allegant. Aperta enim est inæqualitas inter pretium, & valorem mercis, quem tempore traditionis habebit.

Ad I.

Quòd enim pastores instent, vt mercatores taliter emant, & cum tali pretio contenti sint, non eos iuuat; quia indigentia pastorum causa est, vt cum tam diminuto pretio contenti sint; quia pretium æquale minimè reperiunt, nec etiamsi diuites sint ipsi pastores, præsumitur, quòd id, in quo defraudantur, velint li- F
beraliter & sponte præfatis mercatoribus condonare; quia si pecunia non indigerent, lanas suas pro tam diminuto pretio minimè venderent.

Ad II.

Quòd etiam præfati pastores cum accepto huiusmodi pretio anticipato, sibi, & famulis, & gregi de necessariis sufficienter prouideant, minimè ipsos mercatores excusat, quia tunc similiter excusarentur vsurarij manifesti ex hoc, quòd mutuatarij cum pecuniis mutuatis sibi, & suæ familiæ de necessariis similiter prouident.

Ad III.

Consuetudo etiam quantumuis antiqua eos minimè excusat, quia tunc per similem consuetudinem excusarentur vsurarij, & campsores vsuras exercentes. Nec enim consuetudo est, sed corruptela, & tantò magis ipsos mercatores ipsa consuetudo aggrauat, quantò diuturnior est.

Alia quaedam conditio vitians eiusmodi cōtractus.

ILLA VERO conditio, quam contractui apponunt, scilicet, quòd quantò tardiùs lanæ tradentur, eò in pretio anticipato magis descendatur, magis contractum vitiat secundùm se, & est aperta conditio vsuraria; cùm in huiusmodi pretij diminutione videatur principaliter ad tempus haberi respectus.

Alius cōtractus priori superueniens, iustior est illo.

SECVNDVS tamen contractus, quo primi mercatores, aliis superuenientibus, easdem lanas pro regali cum dimidio ad eundem terminum vendunt, iustior est, cùm in eo æqualitas pretij & mercis seruetur; sed quò hic iustior est, eò iniustior fuit primus contractus. Cum enim merx, quæ primò, & secundò venditur, eadem penitus est nullatenus immutata, & ad eundem terminum vendita pro pretiis tam differentibus, necesse est alterum

A alterum illorum contractuum iniustum esse, & non nisi illum, in quo prædicta æqualitas non seruatur. Vnde fit, vt lucrum sic acquisitum in se, vel in æquiualenti, debeat præfatis pastoribus defraudatis restitui, si ipsi vel hæredes eorum cognoscantur; alioqui pauperibus in defunctorum, seu incognitorum spiritualem vtilitatem erogetur.

POSSET tamen præfatus contractus ad terminum, pretio anticipato, à culpa, & restitutione excusari in duobus casibus; quorum alter se tenet ex parte pastoris, alter verò ex parte mercatoris. Si pastor diues est, & non indigens, & scit valorem lanæ, quam vendit, scitque pretium illud diminutum esse, & mercator est eius amicus, à quo solet beneficia alia recipere; tunc videtur sciens & volens consentire, & pretij defectum illi mercatori condonare: tunc, ratione huius admixtæ donationis, poterit mercator excusari. Quanquam rarò arbitror pastores intendere hanc donationem facere: rarò etiam puto has omnes conditiones concurrere; ideò periculum est mercatoribus huic excusationi inniti.

In duobus casibus potest prædictus cõtractus à culpa & restitutione excusari.

I.

EX PARTE etiam mercatoris potest præfatus contractus iustificari ratione interesse, quod ex anticipato pretio patitur, si certum aut probabile sit, quòd ob illam anticipationem, vel damnum aliquod patitur, vel lucrum alioqui illi iustè euenturum cessat; cui interesse cum pastor causam efficacẽ præstiterit, iustum est, vt pro illo præfato mercatori satisfaciat. Sed quia rarò concurrunt omnes conditiones, quæ ad præfatam compensationem pro interesse faciendam requiruntur, iterum dico periculosum esse huic B excusationi præfatos mercatores inniti, & à præfata negotiatione & deprauata consuetudine tenentur abstinere. II.

SEQVITVR amplius quid dicendum de casu, quo Ioannes dat Petro nonaginta ducatos in promptu, pro debito centum ducatorum, quos Paulus debet ipsi Petro in fine anni vnius illi soluendos. Si enim nulla alia causa præter dilationem solutionis assignetur, apertum est, pręfatam ęqualitatem inter datum, & acceptum minimè in hoc contractu seruari, cũ Ioannes in prõptu det nonaginta, recepturus in fine anni centum.

Alius casus. An possit quis dare alteri 90, vt post annum ab eo recipiat 100.

SED QVONIAM Doctores communiter in hoc casu difficultatem faciunt, & Caietanus specialiter videtur hunc casum iustificare, omni interesse cessante, nullo periculo in debiti recuperatione existente, nullaq; alia causa ab æqualitate recedendi existente, præterquàm quòd dantur in promptu nonaginta vt post tempus sibi reddantur centum: ait enim in casu nec vsuram committi, nec iniustitiam. Quòd enim vsura non fit, probatur: quia vbi non est mutuum, vsura locum non habet. sed in casu non est mutuum, eò quòd de natura mutui est, datio rei ab ipso dante reuocabilis, & quòd qui dat, habeat contra accipientem actionem ad sortem, & quòd periculum sortis sit apud accipientem: sed hæc in casu minimè reperiuntur, sed eorum opposita. Nam Ioannes, qui Petro nonaginta pro præfato debito dedit, non ea dedit reuocabiliter, nec habet ampliùs actionem contra Petrum ad præfata nonaginta ab eo repetẽda, sed solùm habet actionem ad centum, quæ Paulus debet. Quòd si casu accidat, vt Paulus pereat, aut impotens omnino C efficiatur ad præfatum debitum soluendum, periculum debiti apud Ioannem manet, non apud Petrum; vt hæc omnia in casu supponimus. Igitur datio qua Ioannes dedit Petro nonaginta, nullo modo fuit mutuatio, & ita nec illic potuit vsura reperiri.

Sensus & difficultas quæstionis explicatur.

Argumenta pro parte affirmatiua.

I.

SECVNDO ad idem, illic est vera emptio & venditio, quia concurrit merx, scilicet actio, quam Petrus contra Paulum habebat, ad recuperandum ab eo centum in fine anni; quam quidem actionem in Ioannem pro nonaginta transfert: concurrit etiam pretium à Ioanne datum pro præfata actione, scilicet nonaginta in promptu data: concurrit etiam contrahentium consensus. Igitur est vera emptio, & venditio, & ita non est contractus vsurarius. II.

TERTIO arguitur, quòd iniustus non sit, quia si ita esset, maximè ob id, quòd minus datur, & plus est ad terminum recipiendum, sed hoc non facit contractum iniustum. Tum, quia quantum ad humanum vsum, nõ minus valent nonaginta in promptu, quàm centum ad finem anni soluẽda, cùm homines vtplurimum plus appretientur pecuniam statim traditam, quàm postmodùm tradendam: quemadmodùm plus valet vinea statim tradita, quàm post annum, vel duos annos tradenda; vt satis de se constat; & ita in venditione vineæ ad terminum tradendæ descenditur in pretio. Tum etiam, in emptione census reditualis, datur pretium determinatum, puta triginta, & tamen temporis successu longè plus recipietur, vt constat; non tamen ob id condemnatur contractus, eò quòd illic III.

Exemplo confirmatur idem argumentum.

illic non emitur pecunia posteà recipienda, sed actio præsens, quæ acquiritur ad eam D postmodum recuperandam, sicut in præsenti casu, in quo dantur nonaginta, & per illa simul acquiritur actio ad centum soluenda:quę quidem actio non valet centum,sed nonaginta;quia supponitur illud pretium,& non maius communiter pro illo debito reperiri,& ita manet talis emptio iustificata.

Resolutio negatiua.

Probatur I.

His non obstantibus videtur opposita sententia sanior & verior, scilicet, quòd præfatus contractus est iniustus,simul & vsurarius,saltem implicitè. Quòd enim iniustus sit, apparet ex dictis, quia in illo non seruatur æqualitas inter datum, & accipiendum, quia dantur nonaginta & sperantur centum.

Resolutio quædam soluitur.

Si dicas, quòd termini huius contractus non sunt nonaginta & centum,sed nonaginta, & actio ad centum posteà soluenda, quæ actio aliud quid est ab ipsis centum posteà soluendis: & huiusmodi actio ad prædicta centum non valeat, nisi nonaginta in promptu. Contrà stat ratio; quia actio ad rem tantum valet, quantum ipsa res,ad quam est actio, deductis laboribus & expensis,vt ait Bart.in l.per diuersas. C. mand. Et Bald.in l.2.C. ne lite penden.&c. Si enim res, ad quam est actio, nullius valoris est, ipsa actio similiter nullius est valoris.Si res sit parui valoris,& actio similiter erit parui:si magni, magni. Itaque actio ad aliquid, de se valorem alium, aut distinctum à valore ipsius rei non videtur habere.

Probatur II.

Praeterea secundo, si actio ad pecuniam soluendam ad terminum,minus valeret, quàm pecunia ipsa in promptu soluta, & inde præfatus contractus iustificetur, sequeretur hunc contractum similiter esse iustum, scilicet: indiget Petrus nonaginta ducatis, quos mutuò à mercatore petit; mercator autem mutuare non vult,sed actionem ad centum in fine anni soluendorum emere,& ita contrahit cum Petro, dicens: constitue mihi contra te actionem ad centum in fine anni soluendorum, & dabo tibi nonaginta quæ petis; & alter hoc ipsum acceptat, sed talem contractum nemo ab iniquitate, & vsura excusabit. Igitur nec præsentem, de quo disputamus,cùm videatur omnino similis, & easdem excusationes pro se habere. E

Alia obiectio seu replica.

Solutio.

Si dicas non esse simile, quia in casu nostro actio ad centum, quam Ioannes pro nonaginta emit,est antiqua,ipsam emptionem præcedens:in casu verò huius argumenti non est antiqua, sed constituenda, & ex ipso contractu orta. Contra: quia nouitas vel antiquitas actionis ad pecuniam, non tollit valorem eius, nec impedit, quo minùs possit actio noua emi, & vendi, si potest antiqua: nec pretium actionis ob antiquitatem vel nouitatem debet alterari; vt patet in contractu censuali, in quo non emitur, nisi ius, seu actio ad annuatim exigendum & recipiendum certum quid à censualista. Nec refert censum illum sic emptum, antiquum esse, aut nouum, vt est communis doctrina & practica.Quicquid sit de sententia Innocentij in cap.in ciuitate.de vsuris.

Probatur III.

Praeterea tertiò, si actio ad centum in fine anni soluenda, posset pro minori in promptu emi, ergo etiam posset iustè pro minori in promptu ab ipso debitore redimi: F quod enim est emibile, est etiam redimibile: & ita posset Paulus debitor in casu conuenire cum Petro creditore, vt recipiat in promptu ante terminum nonaginta, vt totum debitum illi remittat.Sed hic casus solet communiter pro vsurario damnari,quia perinde est,ac si Paulus nunc mutuet Petro nonaginta, recepturus in termino centum.

...ius obie... & solutio.

Nec valet pro discrimine dicere, aliud esse de debitore, qui nullam actionem emit, sed debiti solutionem anticipat: aliud verò de tertia persona, quæ pro nonaginta acquirit actionem prædictam:non,inquam,valet,quia ad iustitiam & ęqualitatem contractus, nil refert hæc, vel illa persona emat, aut vendat: & si iustè fit, vt Petrus actioni, quam ad centum habet,pro nonaginta cedat in fauorem Ioannis, iustè etiam fiet, vt eidem cedat in fauorem Pauli debitoris. Si concedas casum iustificari,& quamuis Paulus nonaginta soluens,actionem non acquirat,satis est quòd ab obligatione,qua tenebatur Petro, & ab actione, quam Petrus contra illum habebat, liberetur,quod non minus est, quàm si actionem ad centum acquireret. Contrà; quia tunc si Petrus mutuauit Paulo centum, soluenda in fine anni, licitè posset Paulus statim post acquisitam actionem Petro contra Paulum,ipsum Petrum adire, & offerre illi de illis centum nonaginta, vt maneat liber ab obligatione, & ab actione, quam contra ipsum Petrus ad centum acquisiuit, & iusta erit in casu conuentio: & ita manebit mutuatarius cum lucro, & mutuator cum damno,vt constat,quo tamen nil turpius ipsi Paulo.

Imo

A Imo aliud sequitur, si ita est, quòd actio ad centum non valet nisi nonaginta in promptu, quòd siue ipse debitor velit se à debito ante tempus solutionis redimere, siue alius tertius velit prædictam actionem emere, & creditor, qui illa centum mutuauerat, loco pretij exigat centum, & tantundem sibi detur, quòd peccat creditor superuendendo, & ex illis centum tenetur decem restituere. Et sequela patet, quia actio, quam vendit, non nisi nonaginta valebat per opinionem. Consequens est absurdum.

Qvarto arguitur, quia si pecunia ad terminum soluenda, non valet, quantum valeret in promptu tradita, sequitur quòd mercator posset rem cariùs ad terminum vendere, quàm in promptu valeat, siue mercator esset rem seruaturus, siue non; etiamsi verisimile sit rem illam non plus valituram tempore solutionis, quod est contra capitulum nauiganti. & capit. in ciuitate. de vsuris. vt suprà discussimus, & ostendimus. Similiter contra capit. consuluit. de vsuris. Et sequela patet, quia pecunia, quæ pretium est, debet æquari valori mercis: pecunia autem, quæ pretium iustum est, est quæ communiter in tali loco, & tempore pro merce illa solet in promptu dari, quæ exempli gratia, sit decem. Si igitur pecunia eadem, scilicet decem, danda ad terminum, non valet, quantum valet decem, si statim soluatur, necesse est in tali venditione ad terminum, si pretium debet æquiualere merci, vt pecunia danda sit maior, quàm decem. Et ita, vt suprà in sexta causa, seu excusatione pro vendentibus ad terminum adducta, arguebatur, necesse B est mercem illam ad terminum pro maiori pretio vendere, & emere, quàm valeat in promptu, si iustum pretium, & valorem mercis æquale debeat assignari. Idque ob id solùm, quòd res ad terminum venditur, omni interesse hinc inde secluso. Et ita videtur præfatum contractum esse iniustum, in quo, cùm datum, & acceptum non sit nisi pecunia, & vna statim traditur, altera verò ad tempus expectatur, nec alia causa illi concurrit, quare maior, quàm data sit, expectetur, nisi temporis dilatio, sequitur illic esse vsuram. *Probatur IIII.*

Rationes autem prioris opinionis, etsi apparentes sint, non tamen concludunt. Vnde ad primum dicendum, quòd illic, etsi non sit formaliter mutuum, est tamen virtualiter, seu interpretatiuè. Et quamuis in Ioanne, qui nonaginta tradidit, non maneat actio contra Petrum, cui ea tradit; manet tamen contra Paulum, qui in ratione debitoris respectu illorum centum, quæ in casu debentur, non est alius à Petro, quia Paulus debitor Petri, substituitur loco Petri ad soluendum præfata centum ipsi Ioanni: & ita Petrus per Paulum se obligat Ioanni ad soluendum illi centum illa in fine anni. Et ita omnia, quæ de ratione mutui dicta sunt, esse, illic saluantur: quia Ioannes dat nonaginta Petro reuocabiliter, quia potest ea ab eo, qui loco Petri substituitur, quem scilicet Petrus ipse loco sui debitorem faciat, repetere; & contra talem substitutum habet actionem. Et si illud debitum pereat, periit substituto, non Ioanni mutuanti, vt patet. Si quæras, cui mutuat Ioannes illa nonaginta? Dicendum quòd Petro, qui loco sui Paulum de- C bitorem constituit; qui soluat eidem Ioanni non solùm nonaginta mutuata, sed vltrà decem, quæ sunt lucrum vsurarium. Quemadmodum si Petrus indiget pecunia, quam mutuo à me petit, & alius rogat me, vt eidem Petro, qui pauperior est, mutuem: ego autem diffidens de solutione per Petrum suo tempore agenda, alium, qui loco Petri se mihi debitorem constituat, quæro, Petrus autem loco sui ipsum rogantem debitorẽ constituit, & constitutus id libenter acceptat, ita vt Petrus maneat liber à debito, & ita mutuo Petro. Iam in tali casu est vera mutuatio, cùm constet illic nullam emptionem interuenire, nec venditionem, nec contractum alium, nisi prædictam substitutionem, in qua ille tertius in se suscipit obligationem, quam Petrus mutuatarius erat subiturus. Talis & similis est casus, quem disputamus, quantum ad hoc, quod est Paulum loco Petri esse substitutum, ad soluendum Ioanni prædicta nonaginta, cum vsura, puta, cum aliis decem.

Respondetur ad argumenta pro parte affirmatiua.

Ad I.

Omnia quæ sunt de ratione mutui, cernuntur in hoc contractu.

Ad secvndvm dicendum, quòd esto secundum formam contractus illic sit emptio, & merx sit actio prædicta ad centum, illa tamen actio ad centum, non minus valet, quàm centum, vt tactum est. Nec intentio ementis tendit principaliter in actionem ratione sui, sed in centum soluenda; cùm actio per se, & ratione sui, nil valeat. Et ita quicquid sit de nominibus illius contractus, secundum rem tamen, & affectum contrahentium nil sit, nisi quòd Ioannes dat in promptu nonaginta, vt post annum sibi reddantur centum, quod & iniustitia est, & vsura. *Ad* II.

Ad

Ad III. Ex quibus capitibus reddatur ille contractus iniustus.

Ad tertiam dicendum, quòd ita est, ideò illum contractum iniustum esse, quia minus datur, & plus recipitur, aut recipietur, quod constat, si ad recipiendum attendamus quod erit centum. Si autem ad actionem, quæ acquiritur, attendamus, etiam plus recipitur; quia illa actio ad centum ducatos soluendos statim, aut post mensem, aut post annum, eiusdem valoris est semper; nec per dilationem solutionis est licitum in pretio descendere, sicut nec ascendere licet, ob anticipationem pretij. Quod apertum est in venditione, & emptione aliarum mercium, in qua non minùs acquiritur actio ad mercem posteà tradendam, quàm in præsenti contractu: sed non propter hoc debet esse minus pretium anticipatum, quàm res tempore traditionis valebit, vt suprà conclusum est. D

Ad eiusdem cõfirmationem.

Ad exemplum autem illic adductum, dicendum, quòd aliud est, de actione ad rem fructiferam emptam; aliud verò de actione ad pecuniam, quæ non fructificat; quia si in emptione rei fructiferæ, quæ non est statim tradenda, descenditur in pretio, est, quia interest ipsius emptoris eam statim, aut non statim habere ratione fructuum, quibus per dilationem traditionis carere compellitur; quod quidem in emptione præfati debiti minimè reperitur.

Cur pecunia in prõptu data pluris fiat ab hominibus, quàm ad terminum soluenda.

Quòd si homines vtplurimum magis æstimant & appretiant pecuniam in promptu datam, quàm ad terminum soluendam, est, vel propter periculum debiti, vel propterea, quia sua interest, illam pecuniam statim habere, quia scilicet ipsa vsuri erant, aut ob aliud huiusmodi: & ita ob has causas licebit in pretio descendere. In casu autem disputato proceditur, vbi debitum sit liquidissimum, & certissimum, & omni hinc inde interesse cessante. E

Emere debita realia minoris, quàm pretium ad terminũ soluendum, quatenus licitũ sit vel illicitum.

Itaque emere huiusmodi actiones, seu debita realia pro minori, quàm sit id quod ad terminum soluendum est, potest quidem iustificari, quando tale debitum vel non est liquidum, vel non est certum, vel quia emens exponit se periculo capitale perdendi, vel expensas in recuperatione faciendi; aut quia ex tali emptione, in qua statim pretium illud soluit, cum alterius debiti expectatione aliquod interesse damni, vel lucri cessantis patitur, & talis emptio fit ad instantiam creditoris: Tunc ob has, & similes causas potest iustificari; alioqui non video, quomodò ab iniustitia, & vsura palliata excusetur. Et palliare mutuum, nomine emptionis vtendo, qua actio ad pecuniam soluẽdam emi, & vendi dicitur, & illud iustificare, videtur quòd sit dare apertissimam ansam & modum, quo mercatores non minùs expolient alios rebus suis, illo modo actiones emendo, quàm apertè & nudè mutuando, vt de se satis constat.

FINITVR CODEX DE REBVS RESTITVENDIS.

DE REBVS PER VSVRAM ACQVISITIS: ET PRIMO QVID SIT. F

QVÆSTIO PRIMA.

Sed qvoniam de vsura dicere cœpimus, vt eorum, quæ circa venditionem ad terminum dicta sunt, clarior possit haberi notitia, conuenit de ea nonnullas tractare quæstiones. Priùs tamen de vsura in se, & de eius definitione sunt aliqua inquirenda. Definitur autem communiter sic: Vsura, est lucrum ex mutuo, principaliter intentum. Vnde vbi non est mutuum, vsura locum habere non potest. Quærendum igitur est, quid nomine, mutui, & lucri, sit intelligendum: quid etiam nomine, principaliter, in præsentiarum significetur.

Quid sit vsura.

Quid item mutuum.

Est autem mutuum, datio reuocabilis, alicuius rei, vsu consumptibilis. Si enim reuocabilis non sit, non erit mutuum, sed vel donatio, si loco eius nil rependatur, vel alius contractus. Et si non sit res vsu cõsumptibilis, quales sunt, quæ in pondere, numero, & mensura consistunt, quæque functionem admittunt, non erit mutuum; sed vel commodatum, vel locatum, aut aliud huiusmodi.

Diſcrimē inter mutuum & cōmodatum.

A DIFFERVNT autem mutuum & commodatum, non ſolùm quia mutuum fit in rebus vſu conſumptibilibus; commodatum verò in his, quæ non ſic vſu conſumuntur; ſed etiam quia in commodato reſeruatur dominium, ſimul & actio ad rem commodatam eandem numero; quæ ſi abſque culpa commodatarij pereat, non ipſi, ſed commodanti perit: In mutuo verò vſus ſimul & dominium rei mutuatæ in mutuatarium tranſfertur, & ſi mutuatum ex culpa, aut ſine culpa mutuatarij pereat, ipſi, non mutuanti perit, cui ſemper ſeruatur actio ad capitale mutuatum, in genere ipſi mutuāti reddendum. Pro his facit. l.2. ff. ſi certum petatur, vbi dicitur, mutuum damus, recepturi non eandem ſpeciem, quam dedimus (alioqui aut commodatum erit, aut depoſitum) ſed idem genus. An autem verum ſit quod Bartolus, & alij Iuriſtæ in ſententia dicunt, ſcilicet, quòd de ratione mutui eſt obligatio, qua mutuatarius tenetur mutuanti idem in genere, pondere, numero, & menſura reddere, ſuprà tetigimus. Illud enim quamuis in foro exteriori locum habeat, non tamen ſemper in foro conſcientiæ, niſi certis cōditionibus obſeruatis. Vide ſuprà, in quæſtione de venditione ad terminum.

Dubij cuiuſdā ſolutio.

Mutuū duplex: formale, & interpretatiuum.

EST AVTEM mutuum duplex, formale, ſcilicet, & interpretatiuum. Primum fit, quando res mutuabilis actu, de mutuante in mutuatarium transfertur, vt eadem in genere reddatur. Secundum fit emptione & venditione, quæ ad terminum dicitur, in qua pretium rei anticipatur, vel differtur, ſuo tempore ſoluendum: vbi licèt forma contra-
B ctus ſit emptio & venditio, tacitè tamen ipſa pretij anticipatio, aut ſolutionis dilatio, eſt ſuo modo mutuatio. Ideò vſura ſolet in huiuſmodi venditionibus interuenire. Si enim ob pretij anticipationem, aut ſolutionis dilationem lucrum acquiratur, vel intendatur, vſura eſt; quia ex mutuo tacito ſperatur, iuxta capit. in ciuitate. & capit. nauiganti. de vſuris. Et conformiter ad huiuſmodi duplex mutuum, tacitum, ſcilicet, & expreſſum, ita etiam eſt duplex vſura, expreſſa, ſcilicet, & palliata. Sedes itaque & fundamentum vſuræ, mutuum eſt.

Vſura duplex, iuxta duplex mutuum.

Obiectio.

SED OBIICIET aliquis, vſuram reperiri ſine mutuo prædicto; vt ſi quis veſtem cōmodauerit, adiecto pacto lucri alicuius, videtur vſura, cùm tamen illic mutuum non ſit. Pro quo facit. l. pro auro. C. de vſuris. vbi dicitur: Pro auro, & argento, & veſte, facto chirographo, licitas ſolui, vel promitti vſuras iuſsimus. Reſpondeo, refert, pro veſte, chirographum de acquirendo lucro facere; Si enim veſtis verè commodaretur, chirographum lucri locum non haberet. Sicut enim mutuum, ita & commodatum gratis agendum eſt. Quòd ſi pro pretio, aut lucro commodatum fiat, non commodatio, ſed locatio eſt. Et hoc fit, quando quis alteri veſtem tradit, dominio eius ſibi reſeruato. Et hoc modo nec mutuum eſt, nec vſura. Si tamen veſtis æſtimata tradatur, puta pro decem loco eius ſoluendis; tunc tacita eſt mutuatio; & ſi inde lucrum aliquod ex conuentione ſperetur, aut acquiratur, vſura eſt. Et ſic procedit textus citatus, & nil facit contra dicta.

Solutio.

Quid nomine lucri, ſit intelligendum.

C SECVNDVM inquirendum eſt, quid nomine lucri venit intelligendum. Reſpondetur, non ſolùm pecunia, vt nonnulli opinati ſunt, ſed omne incrementum, ſeu commodum temporale, quod quis habet ex voluntaria commutatione vltra ea, quę ſua erāt, aut ſibi debita, vt apertè docet Hieronymus ſuper Ezechielem. Et habetur 14. q.3. cap. putant quidam. Et Ambroſius ibidem, cap. plerique. Et dico incrementum ſeu cōmodum temporale, pretio, ſcilicet, æſtimabile, ad excludenda bona cœleſtia, & ſpiritualia, qualia poteſt mutuans ex mutuatione, propter Deum facta ſperare; ſicut & idem poteſt ex quacunque operatione meritoria. Excluditur etiam beneuolentia, & amicitia mutuatarij, quam mutuans ratione mutui aſſequitur: hanc enim poteſt licitè mutuans ſperare, & aſſequi intendere, abſque vitio vſuræ. Talia enim bona in præſentiarum nomine lucri non veniunt intelligenda, cùm bona temporalia, quæ pretio valeant æſtimari, non ſint. Sed nec bonum temporale, ratione mutui acquiſitum, ſi alioqui debitum ſit, dicitur lucrum, vt de ſe ſatis conſtat. Ac proinde ſi quis mutuat debitori hac lege, vt vltra capitale ſoluat decem (ſuppoſito quòd illa decem alioqui mutuatarius deberet) non dicetur vſura; cùm illa decem vltra ſortem recepta, aut promiſſa, non ſint dicenda lucrum.

Quid commodū temporale?

Dubium.

An liceat per viam mutui conſequi id, quod alioqui ſibi debitū erat, ſuppetēte alia quoq; via idipſum recuperandi.

SED ESTO in tali caſu vſura non ſit, an ſaltem ſit peccatū, per viam mutui conſequi id, quod aliàs debitum erat, quando alia via poſſet mutuator debitum ſuum recuperare? Et ratio dubij eſt, quia non eſt licitum proprium debitum priuata authoritate, & clam recupe-

Rationes partis negatiuæ. I. recuperare, quando alia via iuſta poteſt debitor rem ſibi debitam recuperare, vt ſuprà in Codice de reſtitutione diſſeruimus. Igitur non erit licitum, in caſu præſenti, per viam mutui, debiti recompenſationem quærere, ex quo talis compenſatio fraudulenter fieri videtur, nec ex conſenſu ipſius debitoris. Hac ratione mouentur communiter Doctores ad tenendum eſſe peccatum. D

II. SECVNDO, non eſt licitum ſpiritualia conferre, cum pacto aſſequendi aliquid aliàs debitum; nam eſſet ſimonia, igitur nec erit licitum mutuare cum pacto aſſequẽdi, quod aliàs ab ipſo mutuatario debitum eſt; quãdoquidem non minùs gratuita & liberalis debet eſſe mutuatio, quàm ſpiritualium adminiſtratio.

Reſponſio bimembris. I. RESPONSIO, videtur diſtinguendum; nam ſi mutuans mutuatario explicat, ſe illud incrementum exigere loco debiti priùs contracti, ita vt dicat, mutuabo tibi hac lege, vt decem quæ aliàs mihi debes, ſimul cum capitali ſoluas: & tunc nec vſura eſt, nec peccatum, ſiue mutuans poſsit alia via iuſta ſuum debitum recuperare, ſiue non. Nam nec lucrum ex mutuo quærit, vt conſtat, nec fraudulenta eſt huiuſmodi recompenſatio, II. ſed aperta, accedente inſuper ipſius debitoris conſenſu. Si tamen qui mutuat, & illa decem vltra capitale exigit, non explicans mutuatario ſe illa loco debiti exigere, fraudulenta eſt exactio, & ita peccaminoſa, ſi poſſet alia via iuſta, & patenter rem debitam recuperare, quamuis ad illius reſtitutionem non teneatur. Et per hoc patet ad rationem primam. E

Solutio ad primam rationem contrariam.

Ad II. AD SECVNDAM dicendum, conceſſo antecedente, negandam eſſe conſequentiam. Et diſcrimen eſt notum; quia ſpiritualia omnino gratìs danda & miniſtranda ſunt, prout Chriſtus iuſsit, dicens: Gratìs accepiſtis, gratìs date. qualiter non miniſtrarentur, ſi pro debito recuperando miniſtrarentur. Mutuatio autem gratìs agenda eſt, & ſine ſpe lucri, iuxta dictum Chriſti: Mutuum date, nil inde ſperantes.

Corollarium. SEQVITVR ex dictis, contractum ſequentem, non eſſe vſurarium, ſcilicet, ſuppoſito quòd ex teſtamento minus ſolenni, in quo nullam fraudem interueniſſe conſtat, hæres ad legatorum ſolutionem teneatur, vt vult Panormit. in cap. quia plerique. de immunitate &c. Ego legatarius mutuo hæredi, hoc pacto adiecto, vt ſoluat mihi legatum cum capitali, & hæres id acceptet & ſoluat, in tali caſu non eſt vſura; quia illud ſuperacceptum, & exactum non eſt lucrum, cùm alioqui eſſet mihi, ratione legati, debitum.

Obiectio. SED CONTRA obiicitur, quia per talem contractum acquiro obligationem ciuilem aduersùs hæredem, quam ante mutuationem non habebam, ex quo ob defectum ſolennitatis teſtamenti, contra illum agere non poteram, illa autem obligatio ciuilis *Reſponſio.* pretio poteſt comparari. Reſpondetur, id non obſtat; quia acquirere nouam obligationem, quando ad hoc ipſum, erat homo alioqui ipſi acquirenti obligatus, non reputatur lucrum indebitum, cùm hoc ipſum ad quod obligatur, eſſet alioqui debitum eidem. Secùs quando mutuans acquirit obligationem nouam contra mutuatarium; nouam inquam, id eſt, ad id, ad quod homo determinatè non erat aliàs obligatus: nam tunc lucrum eſt, & vſura, ſi vi mutui ſit acquiſita; vt ſi quis mutuat hac lege, vt mutuatarius de ſua officina emat, aut vt poſteà remutuet. Dico ſecundò, quòd in caſu nulla acquiritur ciuilis obligatio, qua mutuans poſsit contra mutuatarium in iudicio agere, virtute illius pacti; nam cognito pacto per iudicem, cognoſcetur fuiſſe vſurarium in illo foro, & liberabitur mutuatarius. F

Alia obiectio. CONTRA hoc iterum opponitur, quia tunc hîc non eſſet vſura: Ego morbo laborans, mutuo Petro medico centum, vt curet me à morbo, quem patior, cùm nõ ſit alius, qui velit aut poſsit me à tali morbo curare. Nam in tali caſu opera medici, quam ab eo exigo, eſt mihi alioqui debita: nec obligatio, quam contra illum acquiro, eſt ad aliquid, ad quod ipſe aliàs non ſit obligatus. Aut ſi mutuo Ioanni hac lege, vt me ab iniuria, quæ mihi parata eſt, defendat, vbi non ſit alius, qui me poſsit defendere, niſi ipſe mutuatarius. Nam opera illa defenſiua, quam ab eo exigo, eſt aliàs per eum mihi debita; peccaret enim in caſu potens me ab inuadentibus defendere, id omittendo. Sicut peccaret medicus, in caſu priori potens me curare, id negligendo, nec pactum appoſitum inducit obligationem ad aliquid, ad quod ipſe aliàs non tenetur. Sed cõſequens videtur falſum: cum illa opera, quæ ſunt munus ab obſequio, ſint pretio comparabilia.

Reſponſio. *Varijs modis poteſt mutuanti aliquid eſſe debitũ à mutuatario.* RESPONDETVR, refert qualiter mutuanti ſit aliquid à mutuatario debitum: nam vel eſt debitum naturaliter tãtum, & in genere, quemadmodùm debet benefactus lege gratitu-

A gratitudinis regratiari, aut re benefacere, non tamen huiusmodi obligatio est ad certam & determinatam regratiationē, & dicitur obligatio ad antidora. Et mutuare alicui cum pacto & lege obligādi ipsum mutuatarium, ad certam & determinatam regratiationem, puta ad remutuandum, aut ad emendum de officina ipsius mutuātis, aut agros eius colendum &c. vsura est, & talis obligatio per huiusmodi pactum acquisita, lucrum indebitum est, vt constat: est enim aliquid pretio comparabile. Et hoc est, quod dici solet, non esse licitum mutuāti in pactum deducere id, ad quod alioqui homo naturaliter tenetur, & non ciuiliter: cùm talis obligatio naturalis, tam generalis sit, cui homo multipliciter valeat satisfacere. I.

Secundo modo dicitur aliquid à mutuatario debitum, ex charitate ad proximum habenda, cuius debiti adimpletio, si omittatur, peccatum quidem est, sed non iniustitia: qualia sunt opera indigenti impensa, ad eum curādum, si morbo laboret, aut eum defendendum, si iniuriam patiatur, de quibus procedit replica nūc facta. Et pro huiusmodi operibus mutuare, vsura est: quia talia opera, quæ sunt munus ab obsequio, pretio æstimātur; nec iniustè medicus pro sua curatione, & defensor pro sua defensione stipendium & mercedē recipiunt, vt suprà in Codice de restitutione latiùs diximus. Ac proinde qui pro huiusmodi operibus mutuat, tantum lucratur, quantum iustè pro illis operibus erat reddendum. II.

Tertio modo dicitur aliquid mutuanti debitum ex iustitia, ita vt si debitor illud omittat, non solùm peccabit, sed iniustitiā faciet, negando ei, quod B illi personaliter debet. Vt si mutuatarius debet pecuniam, vel rem aliam ratione delicti, scilicet, furti aut rapinæ, seu ratione cōtractus: tunc enim mutuare illi, cum pacto de soluendo vltra capitale, quod aliàs hoc modo mutuanti debitum erat, nō est vsura, quia nec lucrum; cùm sit alioqui determinatè & personaliter ipsi mutuanti debitum, ex iustitia. Et tale debitum creditori soluere, non est pretio comparabile, nec pro ipsa debiti solutione licitum est mercedem recipere, sicut est in aliis debitis priùs expositis. Et ita patet, quòd mutuare aliquid mutuatario cum pacto eum obligādi ad id, ad quod alioqui est obligatus, aliquando est vsura, aliquando non, iuxta diuersam obligationem, qua mutuatarius tenebatur, vt patet ex dictis. Quòd autem licitum sit, mutuare cum pacto obligandi mutuatarium, noua obligatione ad id, ad quòd aliàs, secluso pacto, tenebatur, retētione hoc tertio modo sumpta, vt suprà diximus, patet; quia licitum est mutuare cum pacto, quòd mutuatarius se iuramento astringat, ad, tempore designato, mutuatum reddendum, vt constat: igitur similiter licitum est mutuare, obligando mutuatarium ad alium contractum, puta, ad sibi aliquid impignorandum, non quidem gratia lucri, sed pro sortis mutuatæ assecuratione. III.

Mutuare aliquid alteri cum pacto obligandi eum ad id, ad quod alioqui tenetur, aliquādo vsura est, aliquando nō est.

Lvcrvm aūt duplex est, scilicet, formale & virtuale. Primum, est realis acquisitio boni: secundum, est euitatio damni, quando talis damni vitatio non est alioqui debita, vt si quis iustè psequitur me, siue in iudicio, siue aliàs, in qua persequutione, ego eram damnū aliquod passurus, siue in corpore, siue in fama, siue in bonis &c. & ille volens vel ad instā- C tiam meam, vel oblato pretio, vel pecunia per me illi mutuata, à tali psequutione cessat: tunc dicor lucrari virtualiter, quantum, illo me persequēte, eram de bonis meis amissurus. Ac proinde si ego mutuo, intendens inde à damno illo, quod alioqui passurus eram, liberari, intendo lucrum virtuale; cùm talis damni vitatio, non sit mihi aliàs debita, ideò talis mutuatio, in casu esset vsuraria. Ecōtrà verò si ille iniustè me psequitur, & oblata vel mutuata illi pecunia, cessat à vexatione, damnū quidem euito, sed lucrum non dicor cōsequi: quia illius damni vitatio, per cessationē vexationis erat mihi debita, cùm esset iniusta vexatio; & ita tunc non esset vsura, ob illum finem mutuationem facere.

Lucrū duplex: formale et virtuale.

Inde fit, vt si quis mutuat alteri aliquid ad hunc finem, scilicet, vt à solutione pœnæ, cui erat obnoxius; aut gabellæ, quæ alioqui iustè esset illi iniungenda, liberetur, lucrū prætendit virtuale, puta vitationem præfatę solutionis, quæ vitatio non est ei alioqui debita, vt suppono, ac proinde illic esset vsura. Secùs si mutuet ad finem hūc, ne scilicet illi grauamen aliquod per iudicem, aut per alium fiat; quia tunc vitatio grauaminis, cùm alioqui sit illi debita, non esset lucrum. *Corollarium I.*

Inde etiam est, vt si quis alteri mutuet, pacto adiecto de soluendo aliquid, ratione interesse, quod mutuans ob causam mutuatarij patitur, non prætendit lucrum; cùm tale incrementum sit ab ipso mutuatario ob præfatum interesse mutuanti debitum, & ideò non erit illic vsura &c. Itaq; multum confert scire quid nomine lucri veniat intelligendum, vt inquam, pluribus casibus, sciamus sítne illic vsura, nécne. *Corollariū II.*

Aliud dubium. *Quādo lucrum ex mutuo principaliter dicatur intendi.* *Sententia* I.

TERTIO inquirendum est, quando dicatur lucrum ex mutuo principaliter intendi. An scilicet quando mutuatio non aliter fieret, nisi lucrum speraretur; ita vt speratum lucrum sit causa sine qua non, ipsius mutuationis, qualiter solet communiter teneri & explicari. Et dixit Conradus, quæstione 12. & alibi, quòd non; quia benè stat lucrum speratum esse causam sine qua non mutuationis, absque hoc, quod sit principaliter ex mutuo intentum, & absque hoc, quòd sit vsura: vt si mutuatatio fiat principaliter, ob beneuolentiam & amicitiam mutuatarij, sed minùs principaliter propter lucrum, quod ab illo speratur, etiamsi sit causa sine qua nō. Et probat exemplo eius, qui it ad Ecclesiam, officium diuinum ibi completurus, principaliter quidem propter Deum; secundariò verò, & minùs principaliter, propter stipendium, seu propter distributiones, quas si non speraret, ad Ecclesiam officium completurus non iret. In quo casu ex communi sententia nec peccat, nec simoniam committit: igitur pari forma in præsenti casu. D

Oppugnatur hac sententia. I.

MIHI tamen non omninò id placet; quia siue principaliter, siue minùs principaliter, ad sensum suum, quis lucrum ex mutuo speret, est vsurarius, & peccat contra illud Christi, ad hoc propositum communiter citatum: Mutuum date, nil inde sperantes; cùm ergo in casu, mutuans commodum aliquod temporale, ex mutuo speret, nō alioqui mutuatarus, sequitur &c.
II. Tum etiam: eo ipso, quòd ex mutuo lucrum sperat, non aliàs
III. mutuaturus, videtur non gratis, vti debet mutuare, & ita peccat. Deinde, si ita esset, sequitur, quòd si mutuat ob duas causas, quarum principalis est præfata amicitia mutuatarij, altera verò aliquod lucrum, posset non solùm sperare, sed pactum apponere de lucro, tanquàm de minùs principaliter sperato. Ad hoc enim, quòd lucrū ex mutuo principaliter speretur, impertinens est pactum apponi, aut non apponi: aut si nō pactum apponat, poterit explicare mutuatario, dicens: scias me tibi mutuare, nō nisi propter amicitiam principaliter, & cum hoc, propter lucrum minùs principaliter. Et possem posteà, te non soluente lucrum illud, à te ratione mutui, tāquàm aliquid minùs principale, propter quod mutuationem feci, exigere. Et quòd id possim explicare simul, & posteà lucrum ex mutuo minùs principaliter exigere, apparet ex exemplo per ipsum Conradum adducto. Quia clericus cùm ad Ecclesiam it, ad celebrandum pro aliquo, potest priùs eidem explicare, dicens; Ibo sperans retributionem, & non aliàs: & post Missam celebratam, iure poterit retributionem temporalem, absque peccato simoniæ exigere, vt suppono certum. Consequens autem illatum est incōueniens, nemo enim diceret, lucrum illud sic exactum vsurarium non esse. E

II. *Sententia.*

RATIONABILIVS videtur Caietanus loquutus in opusculis, similiter & 2.2. vbi de hac agit materia, dicens; quòd non semper lucrum speratum, quod est causa sine qua non mutuationis, est vsurarium, nec reddit mutuationem vsurariam: vt si mutuans speret lucrum, non quidem ex mutuo, sed ex gratitudine, seu liberalitate mutuatarij, non
Ratio I. aliter mutuaturus, nisi illud speraret. Pro quo arguit primò, ex communi hominum iudicio, qui excusant eum, qui sciens aliquem gratum esse, de beneficio accepto, illi mutuat; non autem ei, quem ingratum esse cognoscit. F

II. TVM ETIAM, quia licitum est, spe beneuolentiæ & amicitiæ alicui mutuare, & ex cōsequenti erit licitum recompensationem & gratuitam remunerationem, ex tali amicitia prouenturam, sperare. Cui enim licitum est radicem desiderare, ex cōsequenti eidem licitum est, fructum inde euenturum sperare; & per consequens lucrum ex amicitia mutuatarij sperare licitum erit.

III. TVM ETIAM, quia licitum est, sperare ab homine aliquid iure naturali eidem debitum; tale est gratuita remuneratio, à mutuatario mutuanti debita, omni exteriori pacto secluso: igitur &c.

IIII. DEINDE, idem probat ex ratione, suprà pro Conrado facta, de eo qui it ad Ecclesiam, diuinum officium completurus spe remunerationis, & non alioqui iturus. Et ita concludit, nec vsuram esse, nec peccatum mutuare propter lucrum, non ex mutuo, sed ex beneuolentia mutuatarij euenturum, etiamsi id sit causa sine qua non talis mutuationis.

Pro resolutione notandum. *Aliud est mutuationem esse vsurariā; aliud lucrum esse vsurarium.*

HIC TAMEN dicendi modus, propter suam ambiguitatem, potest causam erroris præstare, nisi res ampliùs elucidetur, & distinguatur. Supponendo primùm, aliud esse mutuationem esse vsurariam, aliud verò lucrum esse vsurarium. Stat enim vtrunq; vsurarium esse, stat neutrum vsurarium esse, stat etiam alterum sine altero vsurarium esse. Si enim

A enim tempore, quo quis mutuat, ideo mutuat principaliter, quia lucrum ſperat, ſiue pactum de lucro ſoluendo apponatur, ſiue non, & ſucceſſu temporis, non mutata huiuſmodi intentione, & animo deprauato, mutuatarius cum capitali lucrum ſoluat, vtrunque eſt vſurarium, vt conſtat, ſcilicet mutuatio, & lucrum acceptum. Si verò ſimpliciter mutuat ob charitatem, nullum inde lucrum ſperans, & poſteà mutuatarius ſimpliciter, & vero animo donandi cum capitali ſimul, aliquod munus ex gratitudine rependit, neutrum eſt vſurarium. Sed ſi ex animo corrupto mutuat, intendens principaliter lucrum, & poſteà hoc animo depoſito, lucrum à mutuatario ſponte, & liberaliter oblatum recipit; non quia mutuauerat, ſed quia ſponte illi donatur, mutuatio fuit vſuraria, ſed non lucri acceptio. Econtrà verò, ſi abſque intentione lucri mutuauit, & poſteà animi corruptio ſucceſsit, & cum capitali lucrum, ratione mutui facti exigit, & recipit; mutuatio non fuit vſuraria, ſed receptio lucri, vt ſatis conſtat. Et deſeruit hæc diſtinctio ad ſciendum, quando ſit lucrum receptum reſtituendum, & quando non. De quo inferiùs.

De lucro etiam intento, ſeu potiùs ſperato, eſt diſtinguendum. Quia, vel eſt cauſa præciſa mutuationis, quæ ob ſolum lucrum ſperatum fit: vel eſt concauſa ipſius mutuationis, ita vt lucrum ſperatum ſimul cum alio, ſit cauſa mutuationis: vel nec eſt cauſa, nec concauſa, ſed impertinens eſt ad hoc, quòd mutuatio fiat, quæ non minùs fie- *Diſtinctio de lucro ſperato, quatenus poſsit eſſe cauſa mutuationis.*
B ret, quàm ſi lucrum non ſperaretur. Et de primo, & tertio membro, non dubitatur, quin in primo caſu lucrum ſit principaliter intentum, & mutuationem vſurariam reddat. In tertio verò non ita. De ſecundo autem (quando, ſcilicet, ſperatum lucrum eſt concauſa mutuationis, ita, quòd cum alia cauſa concurrit, puta beneuolentia ſeu amicitia mutuatarij habita, vel ſperata) eſt videndum; nã vel ſunt cauſæ, in eodem genere cauſæ, ex æquo concauſantes, puta quòd ambæ ſint cauſæ finales mutuationis, quarum altera, in alteram non ordinatur, ſed affectus mutuantis in vtrunque ex æquo tendit, in lucrum, ſcilicet, & in amicitiam ſperatam: & tunc, non eſt dubium mutuationem vſurariam eſſe, & lucrum ſic intentum, æquè principalem cauſam eſſe mutuationis, ſicut & ipſa amicitia intenta. Si autem altera ex illis cauſis, in alteram ordinetur, puta mutuans intendat, immediatiùs amicitiam mutuatarij; nõ tamen illic ſiſtendo, ſed illam propter lucrum inde euenibile deſideret, non dubium eſt, tale lucrum ſperatum vitiare mutuationem, & eam vſurariam reddere; cùm principaliùs, & magis intendatur per mutuantem, quàm ſperata amicitia, iuxta vulgatum dictum Ariſtotelis, Propter quod vnumquodque tale, & illud magis. Et in his caſibus, conſtat opinionem Caietani verificari non poſſe. I. II. III.

Svperest igitur aliter eſſe diſtinguendum, de cauſa reſpectu mutuationis. Nam lucrum ſperatum, vel eſt cauſa finalis, ſiue ſit præciſa, ſiue non ipſius mutuationis, vel eſt ſolùm cauſa impulſiua. Et dicitur finalis, quando mutuatio fit propter lucrum ipſum, ex cuius effectu, procedit ipſa mutuatio, & hoc dicitur lucrum intentum, & non ſolùm ſpe- *Alio modo diſtinguitur de lucro ſperato, & cauſa mutuationis, & reſpondetur ad dubium ſuprà poſitum.*
C ratum, Aliud enim eſt intendere, aliud ſperare, multa enim ſperamus euentura, tamen non intendimus, quando, ſcilicet, non ideo aliquid operamur, vt illa eueniant, quanquàm ſciamus, aut credamus ex noſtro opere illa eſſe euentura. Et lucrum taliter intentum, tanquam finis cõcupitus & ſperatus, vitiat mutuationem, & reddit eam vſurariam, & eſt cauſa principalis ipſius mutuationis, & eſt principaliter intentum, quia finaliter. Dicitur autem lucrum ſperatum, cauſa impulſiua ipſius mutuationis, & non finalis, quando lucrum huiuſmodi ex gratitudine & beneuolentia mutuatarij ſperatum, mouet mutuantem ad illi mutuandum: qualiter non moueretur, ſi ſciret mutuatarium fore ingratum, & hoc fieri poteſt abſque hoc, quòd affectus mutuantis tendat in lucrum; nam ſtat, quòd nullatenus lucrum concupiſcat, ſed credens quòd mutuatarius erit gratus, & beneficium ſibi factum recogniturus, munus aliquod à manu, vel ab obſequio rependendo, complacet in hoc ipſo, & inde mouetur ad mutuandum, & talem gratitudinem mutuatarij ſperatam, dico cauſam non finalem, ſed impulſiuam eſſe præfatę mutuationis: & hoc lucrum taliter ſperatum, licèt non intentum, etiamſi ſit cauſa ſine qua non, ipſius mutuationis, non dicitur principaliter intentum; imò nullo modo eſt intentum, & ita nec mutuationem vitiat, nec eam vſurariam reddit. Et hoc eſt, quod ex communi hominum iudicio colligitur, vt prima ratio à Caietano facta, ſignificabat. Itaque ſi, quando ait Doctor ille, quòd lucrum ſperatum ex amicitia & gratitudine mutuatarij, etiamſi ſit cauſa ſine qua non, præfatæ mutuationis, non reddit mutuationem I. *Concluſio I.* II. *Concluſio II.* *Quatenus vera ſit II. ſententia.*

 vſurariam,

vſurariam, intelligat de lucro finaliter ſperato, falſa eſt poſitio: ſi autem id intelligat de lucro ſperato, quod cauſa ſolùm impulſiua ſit, vera eſt poſitio. Reſtat ergo vt lucrum tunc dicatur principaliter intendi, quando cauſa finalis eſt ipſius mutuationis, & non quando cauſa eſt eiuſdem ſine qua non. D

Corollarium I. COROLLARIE ſequitur, quòd qui concedit hanc: licitum eſt mutuanti ſperare lucrum ex gratitudine mutuatarij, ex conſequenti habet concedere, licitū eſt mutuanti ſperare lucrum ex mutuo. Quia illa particula, ex, cauſam lucri importat. Modò autem mutuum, quod eſt cauſa gratitudinis, ex conſequenti, eſt cauſa lucri ex gratitudine ſperati. Nec valet dicere, quòd lucrum ſperatur ex gratitudine, non ſic ex mutuo, hoc, inquam, non valet ad excuſandam mutuationem à labe vſuræ; nam vſurarius verus, ſimiliter ſperat lucrum effectiuè, ex voluntate mutuatarij, & non effectiuè ex mutuo, ſed non inde excuſatur ab vſura, vt patet intuenti.

Corollarium II. COROLLARIE ſequitur, non eſſe idem de mutuante, & de clerico celebrante, quantum ad hoc, quod eſt commodum temporale inde ſperare. Nam clerico licitum eſt, ex ſuo miniſterio ſtipendium ſperare: & illud tanquam debitum etiam ciuiliter exigere, cum dignus ſit operarius cibo ſuo: nec debet quiſquam ſuis ſtipendiis militare &c. ſed mutuanti non ita licet ex mutuo ſtipendium, vel retributionem, vel commodum aliquod temporale exigere, nec ſperare. Et ideo motiuū à præfatis doctoribus adductum, parum illi ſuffragatur. E

Matth.10.
1.Corinth.9.

Corollariū III. COROLLARIE ſequitur, ſolam ſpem lucri omni exteriori pacto & exactione ſecluſis, ſufficere ad vitiandum mutuationem, & eam vſurariam reddendum, iuxta capitulum, conſuluit. de vſuris. Similiter iuxta dictum Chriſti, Lucæ 6. Mutuum date, nil inde ſperantes. Idē patet ex definitione ſuprà expoſita, in qua dicitur, quòd vſura eſt lucrum; ex mutuo principaliter intentum, vbi nulla de exteriore conuentione fit mentio. Hoc tamen non de omni ſpe lucri eſt intelligendum, quandoquidem eſt ſpes quædam concomitans mutuationem, quædam verò præcedens. Concomitans dicitur, quæ impertinenter ſe habet ad mutuationem, quia ſcilicet ea ſecluſa, non minùs mutuatio fieret, & hæc non vitiat mutuationem, vt conſtat. Præcedens autem dicitur, ſpes quæ dat cauſam mutuationi, ſine qua ſcilicet non fieret: & hæc, vel eſt cauſa finalis, vel impulſiua, vt ſuprà dictum eſt. Etſi impulſiua ſit, etiamſi det cauſam mutuationi, non eam vitiat; ſecùs ſi ſit finalis, nam hæc vitiat. Et ſic procedit, quod Doctores dicunt ſcilicet aliud eſt mutuare cum ſpe lucri, aliud verò propter ſpem, prout colligitur ex gloſſa interlineari 1. ad Corinth. 9. vbi ait, aliud eſſe arare in ſpe, aliud verò propter ſpem. Et mutuare propter ſpem, eſt quod vſurarium eſt, & à Chriſto prohibitum: non autem mutuare cum ſpe. Cùm enim de quolibet liceat ſperare, quòd faciet omne illud, ad quod erit obligatus, & ſciam ex beneficio mutui hominem obligari, ad gratiam conſimilem, vel maiorem, poſſum licitè ſperare, quòd ſit facturus, ſed non debeo pro illa gratia ſperata, aut propter illam mutuare. Ideò cum Saluator præmiſit, ſi mutuum dederitis his, à quibus ſperatis accipere, quæ gratia erit vobis? nam & peccatores peccatoribus fœnerantur, vt recipiant æqualia, ſubintulit: Verùmtamen diligite inimicos veſtros, & mutuum date, nil inde ſperantes, hoc eſt, non pro ſpe retributionis præſenti, & erit vobis gratia &c. F

Senſus hui⁹ III. *Corollarij.*
Spes lucri duplex.
I.
II.

Aliud eſt mutuare cum ſpe lucri, aliud propter ſpem lucri.

Lucæ 6.

Duplex acceptio nominis, Vſura

VT IGITVR concludamus, dicendum vſuram poſſe accipi pro peccato vſuræ, ſeu contractu vſurario: poteſt etiam accipi realiter, pro commodo ſeu lucro vſurario. Si ſecundo modo accipiatur, aperta eſt definitio ſuprà poſita, ſcilicet quòd vſura, eſt lucrum ex mutuo principaliter, id eſt finaliter intentum. Si verò primò accipiatur, vt peccatum importat, ſeu contractum vſurarium, erit ſenſus definitionis talis: Vſura eſt mutuatio, ex qua lucrum principaliter intenditur: Quanquam peccatum vſuræ, non ſolùm in mutuatione conſiſtat. Eſt enim quædam vſura mentalis, & eſt in ſpe lucri finaliter intenti; eſt quædam pactionalis, & eſt ipſa mutuatio, adiecto pacto lucri intenti: eſt alia exactionalis, & conſiſtit in exactione, qua poſt factam mutuationem lucrum exigitur, eſt denique alia realis, & conſiſtit in receptione lucri, ob mutuum factum. In quibus omnibus peccatum vſuræ committitur.

Quid ſit Vſura, accepta pro peccato Vſura
Variæ ſpecies Vſuræ.

A *De vsura, an sit, vel vnquam fuerit licita.*

QVÆSTIO II.

SED QVONIAM de culpa seu peccato vsuræ incidit sermo, videre conuenit an certum sit, quod ab omnibus est approbatum, scilicet vsuram semper esse, & fuisse peccatum, iure diuino, naturali, & humano prohibitum? Et arguitur quòd non sit iure naturæ prohibita vsura; quia tunc vsura esset de se iniqua & illicita, seu de numero eorum, quæ statim nominata, inuolutam habent malitiam; quæ quidem non ideo mala sunt, quia prohibita, sed ideo prohibita, quia mala: talia enim sunt, quæ iuri naturæ opponuntur. Quod autem id falsum sit, probatur: quia vel esset vsura de se illicita ex parte obiecti, vel ex parte circumstantiæ: non primum, quia in mutuatione vsuraria duo sunt scilicet mutuatio ipsa, & receptio, seu spes lucri. Primum non est de se malum, imò bonum, vt constat. Lucri etiam receptio de se iniqua non est: quia tunc nunquam liceret homini quamcunque negotiationem exerceat, lucrum sperare, nec recipere, si hoc esset de se illicitum. Consequens suppono falsum. Nō igitur vsura est de se illicita, ex parte obiecti.

Quo iure sit vsura prohibita. Nō esse iure naturali prohibitam: probatur I. ex ratione obiecti.

QVOD AVTEM ex parte circumstantiæ illicita non sit, apparet, quia quæro quę sit II.
B illa circumstantia, quæ reddit mutuationem necessariò illicitam? Vel enim primò est hoc, quod est lucrum, ex mutuatione quærere: vel secundò hoc, quod est lucrum ex aliena industria quærere: vel tertiò hoc, quod est pactum mutuationi apponere, quod sit contra naturam eius, quæ est, quòd debet esse gratuita: vel quartò hoc, quod est minus dare, & plus exigere & sperare: vel quintò hoc, quod est tempus vendere, quo mutui redditio speratur: vel sextò hoc, quod est mutuatarium damnificare, eum commodo aliquo temporali priuando. Hæc enim sunt, quæ communiter afferuntur, ad probandum vsuram de se illicitam esse, omni prohibitione diuina & humana seclusa.

Ex circumstantiis.

VERVM hæc non videntur rem sufficienter probare. De primo patet, quòd est lucrum ex mutuo quærere: hæc enim circumstantia, non videtur sufficienter culpam inducere de se; quia non est illicitum lucrum quærere seu recipere, ob causam fornicationis, seu meretricij, vt suprà suo loco, ad longum discussimus. Quamuis enim meretrix turpiter agat meretricando, non tamen turpiter agit, lucrum ob illam causam recipiendo. Si igitur de se non est illicitum, lucrum quærere seu recipere ob causam turpem, sequitur non esse illicitum de se, lucrum quærere ob causam honestam, qualis est mutuatio. Imò si ex maleficio licitè merces speratur & recipitur, à fortiori, videtur retributionem & mercedem ex beneficio sperari & recipi posse. Adde quòd ex ministerio Ecclesiastico licitè retributio speratur & exigitur: igitur ex mutuatione poterit hoc idem licitè sperari.

Prædictas circumstantias nō reddere mutuationem illicitā; probatur I.

C SECVNDA etiam circumstantia, non necessariò vitiat contractum, scilicet lucrum ex aliena industria quærere & sperare: alioqui eadem circumstantia, necessariò vitiaret societatem, in qua alter pecuniam, alter verò operam & industriam ponit, & is qui pecuniam ponit, ex alterius industria lucrum sperat. Similiter conducens aliquem ad operas aliquas industriosas, dato certo pretio, sperat temporale commodum, seu lucrum ex alieno labore & industria, nec tamen ob id illa conductio vitiatur, vt notum est. II.

TERTIA etiam circumstantia, non de se vitiat mutuationem scilicet pactum de lucro mutuationi apponere, quod est contra naturam mutuationis, quæ debet esse gratuita. Nam apponere pactum contra naturam contractus, non vitiat contractum ipsum, licèt illum in aliud genus contractus trahat: vt patet, si quis dicat, mutuo tibi pecunias hoc pacto, vt non possim eas à te repetere, modò interim, quamdiu eas non reddis, soluas mihi singulis annis decem. Clarum est talem contractum, nō vitiari ob pactum illud appositum, esto quòd sit contra naturam mutui, de cuius ratione est datio reuocabilis; licèt tale pactum trahat præfatum contractum in aliud genus, puta in emptionem census annui, vt patet intuenti. Similiter de natura donationis est liberalis & gratiosa datio, & tamē sine peccato potest illi pactum apponi, per quòd illa datio sit donatario onerosa & illiberalis, & transit in alium contractum. Ad hunc modum potest in aliis exemplificari. Ac proinde quòd mutuationi, apponatur pactum contra naturam mutuationis, non arguit sufficienter inde vitiari mutuationem. III.

IIII. QVARTA etiam circumstantia, non necessariò vitiat mutuationem, scilicet minus dare, & plus exigere aut sperare. Tum, quia in contractu emptionis ad terminum sæpe accidit, vt emptor minus det, & postmodum plus recipiat, vt suprà patuit. Similiter in venditione ad statim sæpe idem accidit, vt merx minùs valeat, & maius pretium exigatur & recipiatur: vt si venditor erat rem seruaturus ad tempus, quo plus esset valitura. Similiter in contractu censuali minus datur, & longè plus speratur, eò quòd singulis annis certum quid venit soluendum; vbi constat longè plus esse in futurum soluendum, quàm fuit pretium initio datum. Igitur hæc circumstantia, non videtur de se sufficere, ad vitiandam mutuationem, sicut nec alios contractus. D

V. QVINTA etiam circumstantia, non vitiat sufficienter, scilicet temporis venditio. Nam falsum est, vt sonant verba, vsurarium vendere tempus, ex quo non vendit tempus præteritum, quod nec est, nec illud tradere potest mutuatario: nec vendit tempus præsens, cùm illud commune sit tam mutuatario, quàm mutuanti: nec vendit tempus futurum, quia illud nec est ipsius mutuantis, nec est in eius potestate illud tradere mutuatario: alioqui in eius potestate esset, vitam ipsi mutuatario prorogare, quod est absurdum. Et esto ille modus loquendi ad bonum sensum trahatur, scilicet quòd vsurarius vendit expectationem redditionis sortis, non videtur de se vitiare mutuationem: maximè si talis expectatio, cedat in damnum ipsius expectantis. In quo casu licitum est secundùm omnes, aliquid vltra sortem sperare, & exigere sine vitio vsuræ. E

VI. SEXTA etiam circumstantia, non necessariò vitiat vsuram, scilicet mutuatarium per eam damnificari in hoc, quòd commodo aliquo priuatur. Tum, quia sępe accidit, vt contractus sit vsurarius, in quo mutuatarius nil de bonis suis amittat, nec amissurus sit, vt patet de vsura mentali. Patet etiam de vsura pactionali, in qua mutuans obligat mutuatarium, vt de officina sua pro pretio currenti & iusto emat, qualiter ex alia officina alioqui esset empturus, ex quo nullum mutuatario damnum euenit, vt suppono. Deinde, stat contractum non esse vsurarium, & tamen mutuatarium inde damnificari, aliquid scilicet de bonis sibi acquisitis, vltra capitale reddendo, vt si illud reddat loco interesse ipsius mutuantis. Ac proinde hæc circumstantia, non videtur omnino pertinens ad vitandam necessariò omnem vsuram, seu mutuationem, in qua aliquid vltra capitale speratur.

Nō esse vsuram lege diuina prohibitam. Probatur I. *ex veteri lege.*

SECVNDO arguitur, quòd vsura non sit contra legem diuinam, nec ex ea colligi vsuram peccatum esse; quia nec ex lege veteri, nec noua. Primum apparet; quia maximè ex illo Ezech. 18. ca. vbi inter ea pro quibus mortem infert, hoc connumerat quod est, ad vsuram dare. Aut ex eo, quòd Psalmista ait, arguendo homines de mortali cupiditate, & iniquitate, dicens: Non defecit de plateis eius vsura, & dolus &c. Et alia huiusmodi, quæ in psalmis, & alibi legentibus occurrunt. Sed hoc non cogit dicere nunc in tempore gratiæ vsuram esse peccatum: tum quia Ezechiel vbi suprà, commemorat præcepta non solùm moralia, sed iudicialia, & ceremonialia, de quibus ait: Qui præcepta mea non custodierit, & iudicia mea non fecerit, morietur, & non viuet: non tamen inde fit, vt nunc mortale peccatum sit, illa præcepta & iudicia non custodire. Quod etiam ex Psalmista citatum est, minùs cogit; quia ille textus loquitur de præterito, non de futuro. Ac proinde non inde colligitur, nunc esse peccatum vsuram. Tum etiam quia autoritates veteris testamenti, non sufficienter probant, pro tempore gratiæ, iniustam esse vsuram; cùm lex vetus, per aduentum legis gratiæ fuerit extincta, & vim obligandi amiserit, vt apertè docet Paulus ad Romanos & ad Hebræos 10. cap. F

II. Ex noua lege.

QVOD AVTEM lex noua vsuram non prohibeat apparet; quia maximè Lucæ 6. c. vbi dicitur, Mutuum date, nil inde sperantes: sed hoc non, tum quia illud verbum, videtur esse consilij, non præcepti, vt patet ex textu ipso, in quo Dominus consilia Euangelica tradit, cum ait: Diligite inimicos vestros: & si quis te percusserit in vna maxilla, præbe ei alteram: & omni petenti te, tribue; & ita de aliis illic contentis, quæ huc tendere videntur, vt sciat homo viam, qua possit esse perfectus.

TVM ETIAM idem apparet. Quia non ita Christus illa præcipit, vt qui non ea fecerit, veniat condemnandus: sed vt qui per ea mercedem voluerit obtinere, ita ea faciat, qualiter Christus tradit, gratìs scilicet & amicabiliter, & non vt similia à fratribus recipiat. Vnde glossa ibidem ait: postquàm dilectionem & mutuum beneficiũ peccatorum, quasi infructuosa redarguit, nunc qualiter à fidelibus fructuosè fieri debeant, ostendit. Sic

A Sic enim ait: Si diligitis eos, qui vos diligunt, quæ vobis est gratia? Nam & peccatores diligentes se, diligunt. Et si benefeceritis his, qui vobis benefaciunt, quæ vobis est gratia? Siquidem & peccatores hoc faciunt. Et si mutuum dederitis his, à quibus speratis recipere, quæ gratia est vobis? Nam & peccatores peccatoribus fœnerantur, vt recipiant æqualia. Et concludit dicens: Verùm diligite inimicos vestros, & benefacite illis, & mutuum date, nil inde sperantes, & erit merces vestra multa. Ex quibus apparet, quòd mutuare cum spe retributionis, meritorium quidem non sit: non tamen inde fit, vt peccatum sit, quandoquidem inter meritum & demeritum aliquid medium esse potest.

TVM ETIAM, quia si peccatum esset mutuantem inde retributionem sperare, similiter peccatum esset, diligenti & benefacienti similia opera inuicem sperare, etiam vbi beneficentia non esset mutuum. Consequens videtur falsum: & tamen sequela inde apparet, quia illa clausula, nil inde sperantes, non solum ad mutuum videtur referenda, sed ad dilectionem, & beneficentiam proximo factam. Nam de omnibus illis in particulari mentionem fecerat, in sententia dicens, quòd diligamus, etiamsi redamari non speremus: & benefaciamus, etiamsi similia beneficia nõ speremus: & mutuum demus, etiamsi inde nil speremus. Et ita sub vna clausula videtur concludere, dicens: Verum diligite inimicos vestros, & benefacite, & mutuate, nil inde sperantes. Vbi satis apertè tradit, nec ex dilectione, nec ex beneficentia, nec ex mutuo debere nos aliquid sperare. Cùm ergo ex B dilectione & beneficentia similia sperare absque peccato possimus, etiamsi mercedem pro tali opere non mereamur: ita igitur ex mutuo poterimus quid simile sperare sine peccato, etiamsi mercedem pro tali mutuo non obtineamus. III.

TERTIO arguitur vsuram licitam esse, & fuisse: idque ex iure diuino, & canonico, & ciuili. De diuino veteri apparet ex illo Deuter. 28. vbi dicitur: Benedicet Dominus cunctis operibus manuum tuarum, & fœnerabis gentibus multis, & ipse à nullo fœnus accipies. Et Deuteronomij 23. dicitur: Non fœnerabis fratri tuo ad vsuram, sed alieno. Vbi significatur licitum fuisse tempore legis, ad vsuram mutuare, saltem alienis, hoc est, gentilibus. *Vsuram esse & fuisse licitam iure diuino, probatur I. Ex Veteri lege. Confirmatio.*

SI DICAS vsuram illam, quam lex respectu gentilium Iudæis concedebat, non veram, sed similitudinariam fuisse, ex quo gentiles alioqui essent Iudæis debitores: Contrà; quia illam vsuram concessit Iudæis Dominus erga gentiles, quam prohibuit erga fratres, hoc est, Iudæos: sed quam erga fratres prohibuit, erat vera vsura, vt suppono: igitur veram vsuram erga alienos concessit. Nec enim est verisimile, quòd in vna clausula tam breui, in qua ait: Non fœnerabis fratri tuo, sed alieno, tam æquiuocè de fœneratione loqueretur. *Obiectioni respondetur.*

DE IVRE diuino nouo idem apparet, ex eo, quod habetur Matthæi 25. Cùm quidam homo nobilis, accepto Regno reuersus esset, inter alios seruos suos, quibus dederat decem mnas, venit vnus, cui Dominus vnam tantùm mnam dederat, dicens: Domine, C ecce mna tua, quam habui repositam in sudario. Cui ait Rex, Ex ore tuo te iudico, serue nequam &c. Et infrà, Quare non dedisti pecuniam meam ad mensam, & ego veniens cum vsuris exegissem eam? Erat autem Rex ille iustus, qui Christum figurabat, & increpabat seruum illum, quòd pecuniam sibi traditam in vsuris non exercuerat. Igitur ex iure diuino videtur esse licita vsura. II. *Ex noua lege.*

EX IVRE etiam Canonico idem apparet, esse scilicet aliquas vsuras licitas, vt patet ex cap. fin. 14. quæst. 4. vbi dicitur, Ab illo exige vsuram, cui meritò nocere desideras: cui iure inferuntur arma, huic legitimè auferuntur vsuræ &c. Igitur licitum est mutuare ad vsuram, saltem hostibus, contra quos iustè bellare possumus. III. *Ex iure Canonico probatur aliquas vsuras esse licitas.*

PRAETEREA secundò, in capit. quanto. de vsuris. prohibetur duntaxat, quòd Iudæi immoderatas vsuras à Christianis non extorqueant. Vnde à contrario videtur Iudęis esse iure Canonico concessum, vt moderatas vsuras à Christianis exigere possint. II.

PRAETEREA tertiò idem apparet ex capit. conquestus. de vsuris. & cap. I. de feudis, vbi in sententia dicitur, quòd dominus, accipiens in pignus feudum à suo Vasallo, non tenetur fructus deducere in sortem. Similiter in c. I. de vsuris. dicitur, quod clericus recipiens à laicis, in pignus mutui, beneficium, non tenetur fructus deducere. Igitur in illis casibus, licitum erit vltra sortem lucrum accipere, quod est vsura. III.

SIMILITER in capit. salubriter. de vsuris. habetur, quòd gener recipiens domum, vel possessionem aliquam in pignus, à socero pro dote assignanda, non tenetur fructus IIII.

medij temporis deducere. Et ita apparet ex iure Canonico esse licitum, ex mutuo aliquod commodum sperare. D

IIII. *Ex iure ciuili, sic. n probatur.*

QVOD ETIAM iure Ciuili licitæ sint & concessæ vsuræ, apparet ex. ff. in titulo, de vsuris. vbi ponuntur leges, quibus disponitur, quòd mutuatarij soluant vsuras, super quibus conuenerunt, & datur actio mutuantibus, contra mutuatarios ad vsurarum solutionem. Vnde dempta vsura vsurarum, & vsura vltra centesimam, quæ in. l. eos, & l. vt nullo modo, C. de vsur. reprobantur, cæteræ concessæ esse videntur. Dicitur autem vsura vsurarum, quando mutuans non solùm lucrum ex mutuo quærit: sed si mutuatarius in termino sortem cum vsura non soluerit, ex illa vsura dilata, aliam vsuram quærit: vt si mutuauit cum pacto, quòd vltra sortem solueret ad terminum decem, adueniente termino non soluit, apponitur pactum, quòd pro illis decem, quæ in termino soluta non fuerunt, soluat vnum, vel duo, & sic de aliis.

DICITVR vsura centesima, quæ per annum æquiparabatur sorti, vt si capitale fuit decem tali pacto adiecto, quòd quantò citiùs reddatur, minor soluatur vsura: & si per annum fuerit solutio dilata, vsura detur tanta, quantum fuit capitale. Et hæc lege ciuili permittitur, excedens tamen centesimam reprobatur, vt patet C. de vsuris. l. eos qui.

Resolutio, Vsura illicita est, contra ius naturale, diuinum, & humanum. Probatur de iure naturali.

HIS TAMEN non obstantibus, tenendum est vsuram illicitam esse, & contra ius naturale, diuinum, & humanum. Quòd enim contra naturale ius sit, apparet: quia omnis contractus, in quo contrauenitur iustitiæ, est contra ius naturale, omni etiam lege positiua seclusa: talis est contractus vsurarius, ex quo in illo non seruatur æqualitas, quæ sedes & fundamentum iustitiæ commutatiuæ est: cùm vsurarius minus det, & plus recipiat, aut recipere intendat. E

ET CONFIRMATVR, quærendo ab vsurario, quare, seu propter quid exigit illud incrementum, exempli gratia, mutuat decem & exigit duodecim; quia vel illud exigit propter mutuatum, vel propter vsum mutuati, vel propter fructum ex mutuato euenientem, vel propter vtilitatem, mediante pecunia mutuata ipsi mutuatario euenibilem, vel propter expectationem solutionis. Si propter rem ipsam mutuatam exigit incrementum, est aperta iniustitia, cum plus exigat quàm det. Si propter vsum rei mutuatæ, est iterum clara iniustitia, quia pro re mutuata recipit tantundem, & pro vsu eius, aliquid amplius, quod iniquum est; quia res, quæ mutuatur, non est talis, in qua dominium & vsus valeat separari: sed quemadmodum tempore mutuationis, is qui mutuat, rei dominium simul & vsum mutuatario concedit: ita tempore solutionis, quo alia tanta pecunia soluitur, idem dominium & vsus rei solutæ, ipsi mutuanti restituitur, & tunc seruaretur æqualitas. Ac proinde incrementum aliud, si pro vsu pecuniæ mutuatæ exigatur, seu soluatur, apertum est contractum ab æqualitate recedere. Si verò propter fructum pecuniæ mutuatæ illud incrementum exigatur, aperta est iterum iniustitia; quia cùm pecunia párere non possit, non potest incrementum pro eius fructu exigi, & ita non verus, sed omninò fictus titulus esset ille. Si autem præfatum incrementum exigatur pro commoditate, mutuatario mediante pecunia euenibili, iterum est aperta iniustitia; quia hoc esset mutuatario vendere, quod ipsius mutuatarij est, vt patet. Si denique pro expectatione solutionis illud incrementum exigatur, iterum est clara iniustitia, quia perinde est, ac si mutuator venderet tempus expectationis, eò quòd expectatio solutionis rei mutuatæ, vltra rem ipsam mutuatam nil aliud videtur importare, nisi tempus interceptum inter mutuationem & solutionem & ideò si non ratione rei mutuatæ præfatum exigitur incrementum, sed ratione expectationis, sequitur quòd ratione temporis intermedij exigitur. Et in hoc sensu venit saluandum, quod communiter dicitur quòd scilicet vsurarius vendit tempus, tempus autem venale non esse, suprà ostendimus. Ac proinde secluso omni interesse, & donatione mutuatarij, vbi pura & simplex mutuatio est, contra ius naturæ est, præfatum incrementum exigere, quod est ad vsuram mutuare. Et ita morales Philosophi, in lumine naturali viuentes, docuerunt, vt Aristoteles 5. Ethic. & 1. Politicorum apertè tradit. Et Cicero in 2. de officiis, ad finem, ait, fœnerari, est hominem occidere. Iuxta illud Augustini, & habetur 14. q. 4. cap. quid dicam. An crudelior est, qui subtrahit diuiti aliquid, vel eripit, quàm qui trucidat pauperem fœnore? Quasi dicat, non minùs crudelis est secundus, quàm primus. F

Probatur de iure diuino. 1. De Veteri.

QVOD ETIAM vsura sit iure diuino prohibita tam veteri, quàm nouo, patet Ezechiel 18. vbi dominus ter, aut quater de eo, qui ad vsuram dederit, & superabundantiam acceperit,

A acceperit,loquens,ait quòd talis non viuet,sed morietur.Et Psal.41.dicitur seu declaratur quis sit in tabernaculo seu templo Domini habitaturus, & inter alia ait: Qui pecuniam suam non dedit ad vsurã. Quem locum referens Concilium Nicenum,ait: Quando multi clerici auaritiæ causa turpia lucra sectantes,obliti sunt diuini præcepti,quo dictum est: Qui pecuniam suam non dedit ad vsuram &c. Vnde colligitur vsuram diuino præcepto esse prohibitam. Et habetur 14. q.4.cap. quoniam. Eundem etiam locum retulit Concilium Martini Papæ.Et habetur eisdem causa & quæstione,vbi dicitur: Si quis oblitus timorem Domini,& sanctarum scripturarum,quæ dicunt. Qui pecuniam suam non dedit ad vsuram, post hanc cognitionem magni Concilij fœnerauerit &c. Vbi iterum significatur,in præfato loco,vsuram à Domino esse prohibitam.

De novo etiam testamento locus ille vulgatus Lucæ 6.valet ad probandum,vsuram diuinitùs prohibitam esse,in quo dicitur:Mutuum date,nil inde sperantes. Vnde in capitulo,consuluit.de vsuris. dicitur: In contractibus vsurariis quid agendum sit,manifestè in Euangelio Lucæ declaratur,vbi dicitur;Mutuum date,nil inde sperantes. Denique in capitulo,quia in omnibus.eodem titulo.& est Concilij Lateranensis,dicitur vtriusque testamenti pagina,vsuram esse prohibitam. Et cap. super eo.dicitur,quòd vsuram vtriusque testamenti pagina detestatur.Extrà,de vsuris. *II.de nouo.*

Qvod avtem iure humano vsura prohibita sit, & sub grauibus pœnis, apertum B est ex titulo de vsuris:in antiquis, & in 6. Similiter ex causa 14.quæst.4.per totum. Et ex distinct.47.per multa capitula. Vide si vis. De iure ciuili probationem afferre non libet, quia in illo defectuosè facta est vsuræ prohibitio, cùm multæ vsuræ illic permittantur, vt in argumento tertio tetigimus. Colligitur ergo non solùm verum esse,vsuram esse peccatum, sed dicere oppositum, esse hæreticum. Et qui oppositum pertinaciter assereret, esset tanquam hæreticus puniendus,vt habetur Clemen.vnica.§.fin. de vsuris. *Probatur de iure humano.*

Iam ad argumenta facilè patet responsio. In primo enim argumento quærebatur, an vsura sit de se mala,& vnde malitiam habeat,ex obiecto,scilicet,an ex circumstantia: dicendum quòd est de se mala ad hunc sensum, quòd mala est,non quia prohibita: sed prohibita, quia mala. Est etiam mala ex obiecto, non partiali, sed totali,quod est accipere incrementum propter mutuum,vbi nulla alia causa legitima ad incrementum suscipiendum interueniat. Habet autem in se malitiam ex inæqualitate,quæ iustitiæ aduersatur, vt satis ex dictis patet. *Respondetur ad argumenta in contrariũ allata de iure naturali.* *Ad I. petitum ex ratione obiecti vsuræ.*

Ad primvm,quo arguitur posse licitè lucrum ex mutuo sperari, sicut ex meretricio, & ex Ecclesiastico ministerio, dicendum non esse simile, eò quòd in illis exemplis nulla iniustitia reperitur: cùm in meretricio donatio interueniat, vt suo loco diximus. In ministerio autem Ecclesiastico,ratio debiti reperitur,quia dignus est operarius mercede sua. *Ad alia ducta ex circumstantiis.* *Ad I.*

Ad secvndvm, in quo arguitur, posse lucrum ex alterius industria quæri, & C sperari, vt in societate & locatione &c. Dicendum, non est idem de exemplis his, & de lucro ex mutuo sperato: quia in exemplis iterum nulla iniustitia, aut inæqualitas reperitur de se. Nec in societate omninò verum est, quòd quæratur lucrum ex aliena industria, eò quòd sicut pecunia communis est vtrique socio, ita industria vtrique similiter est communis, quod non est in contractu mutuationis. In locatione etiam & conductione,si lucrum ex alterius industria speratur, illa tamen industria personæ locatæ est ratione contractus ipsi conducenti debita;pro ea enim conducens pretium dedit, vt patet. *Ad II.*

Ad tertivm, in quo arguitur, quòd pactum appositum contractui, contra naturam ipsius,non vitiat contractum &c.fateor hanc rationem non sufficere, ad generaliter probandum contractum ratione talis pacti esse vitiosum:in particulari tamen contractu mutuationis secùs est. Et discrimen est clarum, quia hîc pactum lucri appositum, non trahit mutuationem in aliud genus contractus, sed manet mutuatio, ac si pactum non esset appositum, secùs in aliis. Nec pactum dictum, mutuationi appositum tollit inæqualitatem iustitiæ oppositam, imò potiùs eius turpitudinem auget, & confirmat, secùs in aliis. *Ad III.*

Ad qvartvm, in quo arguitur, hanc circumstantiam non vitiare contractum, qua minus datur,& plus recipitur &c. dicendum quòd imò in venditione,quę ad statim fit, vitiat contractum, si sit pura & simplex venditio; secùs si ratione interesse, aut ob *Ad IIII.*

aliam

aliam causam iustam ab æqualitate recedatur. Et in contractu censuali etiam puro, eadem æqualitas seruari debet, inter pretium & censum. Census autem non est pensio annuatim percipienda, sed ius quoddam actu acquisitum, ad eam postmodùm petendam. In venditione etiam ad terminum, licèt contingat plus recipi, quàm datum fuerit, hoc est per accidens, & non ex intento, nec per se: & id, quod per accidens euenit, excusatur ob verisimile dubium, prout suprà latè explicuimus, quãdo de venditione ad terminum loquebamur. In mutuo autem per se, & ex intento, quæritur incrementum ex mutuo ipso, quod est damnandum. D

Ad V. AD QVINTVM de venditione temporis, fateor quòd propriè loquendo non vendit mutuans tempus, nisi ad sensum suprà expressum; quia scilicet cùm incrementum prætenditur propter expectationem solutionis, si illud ex mutuo non prætendatur, sequitur quòd solùm ratione temporis prætenditur, eò, quòd expectatio solutionis rei mutuatæ, vltra mutuatum nil videtur aliud, quàm tempus dilationis importare: & ita inde satis constat iniquitas contractus.

Ad VI. AD SEXTVM & vltimum de circumstantia damni ipsi mutuatario euenientis: Dicendum quòd ita est, quòd mutuatio vsuraria inde vitiatur, quia fit in damnum mutuatarij, vel in re, vel in spe. In re quidem, si reddit aliquid vltra sortem debitam: in spe autem, quia vsurarius etiamsi solùm mentalis sit, sperat, vel intendit aliquid à mutuatario vltra debitam sortem. Et cùm dico aliquid, intelligo, siue sit pecunia, siue aliud quodcunque pecunia æstimabile. Et ideò quando mutuans pactum apponit, quòd mutuatarius veniat ad molendinum, vel officinam ipsius mutuantis, iam exigit ab illo obligationem, qua se mutuatarius ad aliquid indebitum obliget: & talis obligatio pasiua, aliquid est pecunia æstimabile. Et ita patet, ea, quæ in primo argumento adducta sunt, non sufficere ad purgandum contractum vsurarium à culpa, stando in sola lege naturali &c. E

Respondetur ad argumenta contraria de iure diuino.

Ad I. ex veteri lege petitum.

AD SECVNDVM argumentum principale, in quo arguitur, quòd vsura non sit contra ius diuinum, vetus, nec nouum dicendum, illud esse falsum, vt suprà ostendimus. Et quando arguitur infirmando probationes ex veteri testamento adductas, dicendum, quòd præcepta cerimonialia, & iudicialia tempore gratiæ vim non habent, nisi quatenus nonnulla earum per Ecclesiam recepta sunt, & approbata, seu iussa, ob aliam tamen causam, quàm tunc erant obseruanda. Patet hoc de candelis incensis in templo, de thurificationibus, de primitiis, decimis, & oblationibus. Similiter de quibusdam iudicialibus, pœnam pro certis delictis statuentibus, quale est, quòd habetur extrà, de homicidio cap. si quis perfodiens. Et de eo, qui virginem seduxit cap. 1. de adult. Et ita de aliis, quæ minimè nunc haberent vim, nisi quia per Ecclesiam iussum, & statutum est ea seruari. Præcepta tamen moralia non ita extincta sunt, quin suam vim habeant nunc, sicut & tunc: quale est præceptum, de non dando ad vsuram, quod constat, nec cerimoniale esse, nec iudiciale, sed morale. Quòd autem illa præcepta nunc obligent, sicut & tunc, inde apparet, quia alioqui impertinenter Doctores sancti, & Pontifices, & Concilia, authoritates veteris testamenti citarent, ad ostendendum vsuram esse damnandam, & veluti peccatum mortale vitandam. Deinde multa in veteri testamento scripta sunt, & mandata, & pro tempore legis gratiæ prophetata; & talia valida sunt testimonia, ad ostendendum multa esse nunc tempore gratiæ agenda, multaque vitanda: quale est illud Isaiæ 60. quod de Ecclesia Christi, quæ tunc nondum erat, dictum est, scilicet: Gens, & regnum, quod non seruierit tibi, peribit. Et Isaiæ 65. Omnes in cæde corruetis, pro eo, quod vocaui, & non respondistis; quod de tempore post Christi aduentum solet interpretari. Et iterum Isaiæ 66. Ad quem respiciam, nisi ad pauperculum contritum corde, & trementem sermones meos? quod non solùm pro tempore legis veteris, sed etiam pro tempore præsenti dictum esse constat. Et ita innumera sunt huiusmodi, ex quibus validum sumitur argumentum, etiam pro tempore legis gratiæ. Tale igitur est, quod dixit Dauid similiter de futuro prophetando, dicens: Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requiescet in templo sancto tuo? Et inter alia respondens, ait: Qui pecuniam suam non dedit ad vsurã &c. Tale etiam est, quod dixit de futuro Ezech. c. 18. Qui ad vsuram dederit, & superabundantiã acceperit, morietur. Et per hæc patet ad primum. F

Ad II. *ex noua lege.* QVANDO secundò arguebatur non esse vsuram prohibitam iure diuino nouo, dicendum, id falsum esse, vt constat ex Conciliis, & textibus suprà citatis, per quos conclusum esse constat, vtriusque testamenti pagina vsuram esse damnatam. Nec videtur

in nouo

A in nouo testamento locus apertior, quàm qui ex Lucæ 4. citatus est, quem constat per Ecclesiam esse præceptiuè interpretatum, id scilicet quod dicitur, nil inde sperantes. Ac proinde quidquid sit de apparentia rationis in oppositum, captiuandus est intellectus, & declarationi Ecclesiæ humiliter subiiciendus. Et quanquam in hoc loco non satis explicetur iniquitas, culpa, & reprobatio vsuræ; quod tamen hîc deficit, alibi in scriptura sufficienter explicatur, & suppletur. Quantum tamen attinet ad vim & efficaciam, quam textus Lucæ ad probandam prauitatem vsuræ habet, videtur (seclusa Ecclesiæ declaratione, seu interpretatione) ex textu ipso non aliud colligi, quàm quod ratio facta prætendit, scilicet, infructuosam esse mutuationem, & non meritoriam, si propter spem similia recipiendi fiat: sicut & cætera officia charitatis, propter retributionem ab homine speratam, facta, gratiam & mercedem apud dominum non merentur.

Respondetur ad argumēta, quibus probatur vsuram fuisse in vet. lege.

AD TERTIVM argumentum principale, in quo arguitur, quòd licita fuerit saltem Iudæis vsura tempore legis: Dicendum id falsum esse de vsura vera, qualis suprà est explicata. Cuius ratio est aperta; quia nunquam fuit licitum Iudęis, sicut nec aliis, iniusta opera facere, legi naturæ repugnantia: sed vsuram exercere veram, siue cum fratribus, siue cum alienis, manifestam continet iniustitiam, vt patet ex decisione quæstionis. Igitur. Tũ etiam, quia si tempore Moysis, quo lex vigebat, fuit licitum ad vsuram dare, saltem alienis: igitur etiam fuisset licitum idem, eisdem vsque ad aduentum legis nouæ, exclusiuè; eò quòd lex Moysis non erat, nisi per aduentum legis Christi, reuocanda.
B Sed consequens videtur falsum, cùm constet ex dictis tempore prophetarum, & tempore Dauid, fuisse per ipsos prophetas annuntiatum, omnem vsuram esse peccatum mortale, vt patet ex Ezech. 18. c. & ex Psal. 14. Nec valet dicere, quòd dicta prophetarum, per quæ damnatur vsura, sint limitanda iuxta legem à Moyse datam. Nam per Concilia, & Ecclesiæ determinationem est declaratum, vsuram indistinctè, & vniuersaliter esse in vtroque testamento reprobatam. Ideo dicendum ad id, quod citatum est ex Deuter. 28. Fœnerabis gentibus multis, & tu ipse à nullo fœnus accipies: quòd fœnerari illic non est ad vsuram mutuare, sed est idem, quod mutuare, sic enim sumitur Prouerb. 22. c. vbi dicitur: Qui mutuum accipit, seruus est fœnerantis. Et si fœnerari non esset, nisi ad vsuram dare, frustrà in textu dictum esset: Non fœnerabis fratri tuo ad vsuram; quia sufficiebat dicere, Non fœnerabis fratri tuo. Est autem intentum præfatæ authoritatis tale, scilicet, quòd si populus Iudæorum legem Dei seruasset, tanta erat illis à Deo benedictio præstanda, & rerum abundantia, vt sufficerent de his, quæ superessent, gentibus mutuare, absque hoc quòd indigerent ipsi à gentibus mutuum petere &c. *Deuter. 23.*

Ad confirmationem eiusdem.

AD ILLVD verò, quod ex Deuter. 23. ca. citatur scilicet, Non fœnerabis fratri tuo ad vsuram, sed alieno, Thomas, & alij dicunt id, quo ad primam partem præceptiuè esse accipendum, & inde colligi, nemini licitum esse ad vsuram mutuare, quicunque sit is, cui mutuatio fit; eò, quòd omnes inuicem fratres, & proximi sumus. Verùm in loco illo, non
C ita largè nomen fratris accipitur, vt ad omnem proximum se extendat: alioqui non discreuisset textus inter fratrem, & alienum, cùm illo modo, alienus etiam esset dicendus frater. Quoad secundam verò partem dicunt id permissiuè accipiendum esse: itaque Deus, seu Moyses permittebat Iudæis, vt vsuras cum gentibus exercerent, ne scilicet, illas à fratribus exigerent, quod esset longè peius; quemadmodùm dicitur permisisse libellum repudij tanquam minus malum, ad vitandum maius, scilicet, vxoricidium. Sed quoniam hoc suam habet difficultatem, & aliâs ostendimus, libellum repudij in lege, non esse per simplicem tolerantiam permissum, sed etiam pro tempore illo concessum: ita potest de vsura teneri, quod illo tempore fuit Iudæis concessum, vt vsuras à gentibus Deo exosis reciperent: idque per quandam dispensationem, qua dominus ius quoddam Iudæis concedebat, vt bona, quæ gentibus posidebant, sibi acciperent; ratione cuius iuris, eisdem diuinitùs concesi, à furto fuerunt excusati, quando Ægyptios expoliauerunt: & ratione eiusdem iuris ab vsura vera excusabantur, quando gentibus ad vsuram mutuabant. Erat itaque vsura non vera, sed similitudinaria, quam tunc cum gentibus exercebant. Et quando contra hoc replicatur, quòd illam vsuram, quam cum fratribus prohibuit, concesit cum gentibus exerceri; cùm ergo veram vsurã, cum fratribus exerceri prohibuit, sequitur &c. dicendum, quòd eadem fuit vsura in genere, quantum ad hoc, quod est vltra sortem aliquod incrementum recipere, non tamen fuit eadem quo ad omnes particulares conditiones.

AD

Ad ea, quæ ex noua lege ad idē probandum, adducta fuerunt.

Ad alivd, quo arguitur iure diuino licitam esse vsuram ex parabola Matth. 25.&c. dicendum, quòd illic non de vsura vera loquatur textus, sed metaphoricè. Et intentum parabolæ est, Deum velle & exigere ab his, quibus gratiam aliquam præstat, vt illam non sub modio, aut sudario reponant, sed ea ad sui, & proximorum salutem spiritualem vtantur: aut quòd ob eam, Deo debitam gratitudinem, aliaque spiritualia obsequia rependant. D

Respondetur ad ea, quibus probatur ex iure Canonico, licitā esse vsuram.

Ad I.

Ad ea vero, quæ ex iure canonico citata sunt, ad probandum licitas esse aliquando vsuras, dicendum id esse falsum, vt ex dictis constat. Ad capit. ab illo. 14. q. 4. respondet ibidem glossa, illud capit. totum esse negatiuè intelligendum, ita vt nulli liceat ab aliquo vsuras exigere, ex quo nulli liceat alteri nocere. Sed (salua pace) fallitur glossator. Tum quia falsum est, quòd nulli licitum sit alteri nocere; cùm dicat Augustinus: plectendo & ignoscendo hoc solùm bene agitur, vt vita hominum corrigatur, dum nil nocendi cupiditate fiat, sed animo consulendi. Et habetur 23. q. 5. capit. prodest. Tum etiam, quia ait textus: Cui iure inferuntur arma, huic legitimè auferuntur vsuræ. Constat autem licitum esse, & sæpe bellum contra hostes mouere, & illis arma inferre. Et ita videtur à glossa recedendum, & dicendum, quòd sicut licitum est Principis authoritate bellare, & hostes armis macerare: ita licitum est eiusdem authoritate, hostes vsuris macerare, & bona eorum accipere, & surripere, & absque peccato furti & vsuræ. Nec erit tunc vsura vera, sed similitudinaria; quia incrementum non ratione mutuationis in casu illo recipitur, sed ratione iuris, quod ad bona ipsorum hostium habetur. Et ita textus de similitudinaria vsura intellectus, nil veritati præiudicat. Et consonat hoc his, quę de vsura Iudæis in lege concessa dicebamus. E

Corollarium. Non licet Christianis vsuras etiā à Saracenis, aut Iudæis extorquere.

Corollarie sequitur, non esse Christianis licitum, huiusmodi vsuras à Saracenis, aut Iudæis, sicut nec à Christianis extorquere, nisi his quibus authoritas bellandi aduersus illos concessa est; hæc enim authoritas excusat casum præsentis textus. Ac proinde nisi bellum sit contra aduersarios indictum, non erit licitum, cum hostibus vsuras huiusmodi exercere, sicut nec tempore induciarum: tunc enim non iure, sed iniuria fieret talis extorsio.

Ad II.

In duobus casibus nō valet argumentū à contrario.

Ad capit. quanto. de vsuris. vnde arguitur à contrario sensu, quòd ergo liceat Iudæis, vsuras leues à Christianis extorquere, respondet Conradus cum glo. quòd argumentum à contrario non valet in duobus casibus, scilicet, quando contrarium inuenitur in iure; modò autem leues vsuræ, imò omnes vniuersaliter sunt iure diuino, & canonico prohibitæ, vt ex dictis patet. Similiter non valet, quando per illud argumentum à contrario, sequitur absonus sensus; modò absonum esset dicere, quòd Ecclesia concedat vsuras, quas constat lege diuina prohibitas esse, quæ etsi vera sint, non tamen satis pertinenter videnter esse dicta. Nam textus citatus, non præcisè prohibet Iudæis vsuras immoderatas, nec intendit eas particulariter prohibere, sed cùm omnes prohibuerit, intendit non omnes æqualiter punire, immoderatas scilicet & leues; sed contra immoderatas & graues, pœnam excommunicationis imponit, præcipiens Christianis, vt cum Iudæis graues exercentibus vsuras, nisi satisfecerint, non communicent. Et tunc valet argumentum à contrario in præsenti, quòd scilicet si solùm leues exerceant vsuras, possint Christiani cum illis communicare. F

Ad III.

Ad capit. conquestus. de vsuris: & ad capit. 1. de feudis: vbi dicitur, quòd potest mutuator recipere fructus pignoris feudalis, quousque capitale reddatur, non computando illos in sortem &c. Dicit illic gloss. in capit. conquestus. hoc institutum esse per Ecclesiam in fauorem Ecclesiæ, quòd scilicet si quis beneficiū, seu fundum Ecclesiæ possidebat, & eidem Ecclesiæ illud impignorauit, poterit Ecclesia illa fructus medij temporis percipere &c. Hoc autem laicus facere non posset, nisi fructus pignoris in sortem computando. Sed isti, vt opinor, falluntur; quia Ecclesia non potest facere, de vsura non vsuram, nec potest in vsura dispensare. Cùm ergo vsura esset, si quis laicus, mutuo dato, fructus pignoris percipiat, illos in sortem non computando, vt dicit capit. 1. de vsuris. igitur similiter esset vsura, si clericus, vel monasterium, vel Ecclesia, similia faciat, cæteris omnino eodem modo se habentibus. Ac proinde, cæteris paribus, nil refert laicus sit, an clericus, qui taliter fructus pignoris recipit. Et procedit hoc, non solùm de pignore, vt à feudo distinguitur: sed etiam de ipso feudo, quod in rebus immobilibus consistit, pignus verò strictè in mobilibus.

A AN AVTEM dominus, posſit fructus feudi impignorati, medio tempore percipere, non computando eos in ſortem? Dixit Henricus de Haſſia quòd non, quia eſſet vſura; ex quo licèt dominium directum feudi ad ipſum dominum pertineat, dominium tamen vtile, quod eſt reſpectu fructuum eius, ad feudatarium pertinet. Contra tamen ſtat veritas ex cap. I. de feudis. vbi determinatur oppoſitum, hac lege, vt ſcilicet interim, quòd dominus feudum habet impignoratum; ipſe vaſallus liber ſit à ſeruitio, quod ratione feudi erat ſoluturus. Et hoc illic determinatur, non per modum nouæ inſtitutionis, ſed per modum declarationis, vt ex ipſo textu patet. Et ita de natura feudi eſt, vt quando vaſallus, illud ſuo domino impignorauerit, dominium vtile ſimul cum directo conſolidetur, & ad dominum ipſum vtrunque pertineat. Et ita in caſu perceptio fructuum illius feudi, non eſt vſuraria; quia non ratione mutui facti, à domino percipiuntur, ſed quia ex natura feudalis contractus ſibi debentur, & ſui ſunt tempore impignorationis. Et ſic etiam procedit capit. conqueſtus. de vſuris. Quòd ſicut in fauorem domini feudi ſtatutum eſt, ita ſimiliter iuſtum eſt, vt in fauorem feudatarij ſtatueretur, ipſum tempore impignorationis, ab omni onere, ratione feudi ſibi impoſito, liberum eſſe. Et ſi feudum in poteſtate feudatarij ſit melioratum, cuius meliorationis pinguiores fructus, ex re feudali colligantur, & illi tempore impignorationis, debeant domino appropriari: ſimiliter iuſtum eſt, vt in fauorem feudatarij, alia conditio in recompenſam præfatæ meliorationis apponatur, vt hinc inde, in tali contractu ſeruetur ęqualitas. Coroilariè ſequitur, non B rectè dixiſſe Panormit. in cap. conqueſtus. de vſuris. dicentem proprietarium poſſe fructus non computare in ſortem mutui, quod dedit vſufructuario ſuæ rei, cum diuerſa ſit natura, & conditio feudi & vſusfructus, ſeu vaſalli & vſufructuarij.

An poſſit dominus fructus feudi impignorati medio tempore percipere, non computando eos in ſortem. Solutio.

AD CAPIT. I. de vſuris, in quo dicitur, quòd clericus, recipiens à laicis in pignus mutui beneficium &c. non tenetur fructus interim perceptos in ſortem computare, dicendum quòd textus procedit in caſu, quo beneficium illud erat iniuſtè, à laicis occupatum; & quia non poterat clericus aliter beneficium redimere, & ſibi ſatisfacere: ideo, vt inquit textus, illud erat eidem licitum, eò quòd non ratione mutui fructus illos percipiebat, ſed quia ſibi debiti, & ſui erant. Itaque in his omnibus, non vera, ſed ſimilitudinaria vſura erat, vt conſtat.

Reſpondetur ad capit. quoddam ante citatum.

AD CAP. ſalubriter. de vſuris, vbi dicitur poſſe generum fructus poſſeſsionis doti impignoratæ percipere, non computando illos in ſortem &c. dicunt communiter Iuriſtæ, quòd ille caſus iuſtificatur, & ab vſura excuſatur, ſi quatuor conditiones concurrant. Prima, quòd ille gener ſuſtineat onera matrimonij; nam ob illam cauſam videtur textus determinare, poſſe generum præfatos fructus percipere. Secunda, quòd dos ſit promiſſa ſimpliciter; nam ſi terminum ad eam ſoluendum dediſſet ipſe gener, iam ſocer non diceretur eſſe in mora, ante aduentum præfixi termini, ideo in illo interim, nil poterit gener de fructibus percipere: alioqui videretur lucrum ex dilatione C quærere. Tertia, quòd fructus taliter percepti onera matrimonij per generum ſuſcepta non excedant; quia ſi excederent, exceſſus ille eſſet reſtituendus; eò quòd non conceditur fructuum perceptio, niſi ad caſum ſuſtinendi præfata onera. Quarta, quòd illi fructus ſubiiciantur fortunę, id eſt, ſint incerti & indeterminati, quales ſunt fructus alicuius poſſeſsionis; quia textus de fructibus poſſeſsionis exemplificat, & ita incertitudo fructuum videtur caſum ab vſura excuſare. Hæc Syluester in titulo, de vſura, poſt multos alios Doctores, quos ibidem citat.

Ad IIII. An poſſit gener percipere fructus poſſeſsionis dotis impignoratæ, non computãdo illos in ſortem. Sentẽtia I. affirmatiua, ſi quatuor cõditiones concurrant. II. III. IIII.

CONTRA tamen arguitur: quòd tales conditiones impertinentes ſint, aut non neceſſariæ, nec ſufficientes ad excuſandum caſum. Nam ſuppoſito, quòd fuerit ab initio certa dos inſtituta, & per ſocerum ex obligatione ſoluenda, & ex partium conuentione ſolutio eiuſdem ad tempus differenda, qualis videtur eſſe caſus ipſius textus: Quęro iam, quę cauſa eſt, ob quam gener fructus pignoris medij temporis percipit? Nam ſi eſt ſpontanea donatio ſoceri, tunc prędictę conditiones non ſunt neceſſariæ, vt conſtat. Si ſit cauſa ſolutionis dotis dilatio, vſura eſt. Nec per illas conditiones, excuſatur caſus, quo minùs ſit vſura. Nec refert, quòd ſuſtineat gener onera matrimonij, vel non, ex quo dilatio dotis, quæ eſt tacita mutuatio, eſt cauſa principalis accipiendi illud incrementum. Impertinens etiam eſt, quòd tales fructus excedant, vel adæquent onera matrimonij. Impertinentius etiam eſt, quòd fructus illi ſint fortunæ expoſiti, id eſt, incerti; quia hoc nõ excuſat, nec tollit vſuram, vt patet ex allegato ca. conqueſtus. vbi damnatur, qui fructus

Oppugnatur hæc ſententia.

 terræ

terræ impignoratæ percipit, non computando illos in ſortem mutuatam, cùm tamen D fructus terræ impignoratæ ſint ſimiliter incerti. Si verò gener, præfatos fructus poſſeſſionis percipiat loco intereſſe, quod patitur ex dilatione dotis, tunc imptinens eſt, quòd ſuſtineat onera, vel non. Et impertinentius, quòd fructus non excedant onera præfata; quia non iuxta onera, ſed iuxta intereſſe quod patitur, deberent fructus percepti commenſurari. Nec minùs impertinens eſt, quòd fructus percipiendi ſint incerti; quia vbi intereſſe poteſt eſſe certum, ſimiliter poteſt certum eſſe id, quod loco illius percipitur. Imò etiamſi intereſſe ſit incertum & indeterminatum, poteſt id, quod loco eius recipitur, eſſe certum, ſi veriſimile ſit parum plus, minúsue eſſe intereſſe, loco cuius recipitur: iuxta capit. in ciuitate. de vſuris.

Oppugnatur cauſa quædam, ob quam aliqui prædictũ caſum excuſant ab vſura.

SI AVTEM dicatur, quemadmodum dicit Caietanus 2.2.q.78. multos in hoc Iuriſtas imitatus, quòd non ob præfatas cauſas iuſtificatur caſus ipſius textus, ſed propter onera matrimonij, quæ gener ſuſtinet, quæ ex dote, aut fructibus dotis ſuſtinere debuiſſet: Contrà ſtat ratio; tũ, quia ipſe gener, videtur de ſuis bonis obligatus, in caſu ad onera illa ſuſtinenda, interim dum dos ſoluitur. Nam ex quo ipſe voluntariè dedit ſocero terminum, ſeu dilationem ſolutionis, viſus eſt ad tempus doti, ſeu ſolutioni eiuſdem renuntiaſſe. Et ſicut, ſi ſimpliciter doti ad ſemper renuntiaſſet, maneret de ſuis bonis obligatus onera ſuſtinere, vt conſtat: ita igitur ſi ad tempus, dotis ſolutioni renuntiauit, videtur in illo tempore, ſeipſum obligaſſe ad ſuſtinendum onera præfata; & per conſequens, E ob illã cauſam iniuſtè percipit fructus poſſeſsionis alienæ, ſcilicet, ſoceri, etiamſi omnes præfatę conditiones concurrant. Nec poterit allegare, eſſe exceſsiua onera matrimonij, quæ ſuſtinet, ex quo ipſe ex conuentione, pro certa dote ad terminum ſoluenda, ſed ad omnia illa obligauerit.

Ratio I.

Ratio II.

TVM ETIAM, quia in prefato caſu, ſtante dicta conuentione, vel ſocer, tenetur dare genero, vnde onera matrimonij ſuſtentet, vel non, idq; ſecluſa ratione intereſſe. Primum dici non poteſt; quia ex conuentione non tenetur niſi ad ſolutionem dotis aſsignatæ: nec tenetur plus per hoc, quòd eſt ad terminum illam dotem ſoluturus, quàm teneretur, non conceſſo ei tali termino ſolutionis: ſed termino non conceſſo, non tenetur ſocer, niſi ad dotem promiſſam aſsignatam, etiamſi parua ſit, & nõ ad ſupplendum, quæ fuerint neceſſaria ad præfata onera ſuſtinenda, vt conſtat; cùm ſtet alia onera eſſe longè maiora, quàm dos ipſa ſufficiat. Igitur, iniuſtè gener accipit fructus prædictos, ob cauſam onera ferendi; maximè ſi fructus ſint exceſsiui, ſicut & ipſa onera.

Ratio III.

TVM ETIAM, quia, ſi ratione onerum præfatorum, licitè fructus pignoris percipiunt, impertinens ergo eſt, aut ſaltem non neceſſarium, quod in quarta conditione dicitur, ſcilicet, quòd tales fructus ſint incerti, & fortunæ expoſiti. Nam ex quo, onera matrimonij ſunt certa, vel quaſi pro tempore illo, conſequens eſt, quòd fructus, qui loco onerum percipiuntur, conuenit eſſe certos potiùs, quàm incertos.

Ratio IIII.

TVM ETIAM, quòd hoc, quod eſt generum onera matrimonij ſuſtinere, non excuſet caſum, apparet: quia qui vendit vitalitium alicui, tenetur ſuſtinere onera vitalitij; & F tamen non licet illi fructus pignoris recipere, abſque hoc quòd eos in ſortem computet. Similiter iudex, cui ſtipẽdium promiſſum eſt, ſuſtinet onera iudicialia, & Cathedraticus, onera cathedræ, & miles, onera militiæ, & diſpenſator, onera ſui officij, & de quocunque alio officiali ſtipendiato eſt verum quòd ſuſtinet onera officij; & his non eſt licitum, ſaluo ſuo capitali debito, fructus pignoris ſtipendio obligati, percipere. Et ideo à Caietano cum ducibus ſuis eſt recedendum.

Reſolutio ex cõmuni Theologorum ſententia, cauſam ſcilicet eſſe intereſſe, quod gener ex dilatione dotis patitur.

AC PROINDE dicatur cum Theologis, quòd cauſa, præfatum caſum excuſandi, eſt intereſſe quod gener ex dilatione dotis patitur, & ita fructus taliter percepti, non iuxta quantitatem onerum, ſed ipſius intereſſe ſunt menſurãdi: & ſi nullum eſt intereſſe, quod patitur, nullus fructus poſſeſsionis impignoratæ percipi poteſt (loquor ſemper ſecluſa donatione ſoceri) ſi multum eſt intereſſe, multos fructus percipere poteſt; ſi parum, paruos: quidquid ſit de quantitate onerum, parua ſit, an exceſsiua.

Corollarium I.

Corollariè ſequitur, non ſatis pertinenter eſſe dictũ, quod ait textus in dicto cap. ſalubriter, ſcilicet, cùm frequenter dotis fructus non ſufficiant, ad onera matrimonij ſupportanda; quia loquendo iuxta veritatem rei, impertinens eſt, ad fructus percipiendos, quòd dos aſsignata ſit parua, aut magna: & per conſequens impertinens eſt, quòd fructus dotis ſufficiant, vel non ſufficiant.

Corollarium II.

Corollariè ſequitur, impertinenter, imò falsè dixiſſe Baldũ. in rubrica. C. de vſuris. priuile-

A priuilegium esse generi, fructus pignoris doti obligati perceptos, in sortem non deducere. Nam si id haberet gener ex priuilegio, æquè faceret fructus pignoris præfati suos, habito interesse damni emergentis, aut lucri cessantis, & non interueniente huiusmodi interesse, contra glossæ, & Doctorum maximè Theologorum communem sententiam. Adde quòd Papa in præfato capit. salubriter, non dat genero priuilegium aliquod, quia consultationi respondens, nil noui iuris inducit, sed declarat generum compellendum non esse, vt fructus in sortem non deducat.

Obiectio contra dictã resolutionem communẽ.

VERVM contra hoc posset obiici. Quia si hoc ita esset, nil speciale esset de genero tenendum, quod nõ de aliis similiter teneatur; quia ratione interesse licitum est aliis, sicut & genero, fructus pignoris iuxta quantitatem interesse percipere. Si autem nullum tale sit interesse, nec gener, nec alij possunt fructus percipere: cùm tamen in capit. conquestus. mandet fructus in sortem deduci: in cap. verò salubriter, dicit generum ad hoc compellendum non esse. Respondetur, hoc solùm est, quia hìc propter onera matrimonij prȩsumit ius interesse generi, quòd videlicet vel mercimonio, vel alio honesto lucro, seu pensione comparata ex dote, ferre vellet onera matrimonij, in aliis non ita prȩsumitur interesse. Quòd autem textus præsumptioni innitatur, apparet; quia non determinatè asserit generum non esse compellendum, ad fructus in sortem computandos, sed ait, non credimus eum ad id esse compellendum.

Solutio.

Sententia autoris de proposito casu, cum scilicet excusãtur ratione donationis præsumptæ.

B HAEC EX communi sententia; absque cuius præiudicio videtur dici posse, casum in textu excusari, non ratione priuilegij genero concessi, nec ratione dilationis dotis, nec ratione interesse, nec ratione præsumptionis de huiusmodi interesse, sed ratione donationis præsumptæ. Et quòd textus præsens non fundetur in præsumptione interesse, apparet ex verbis ibidem positis, cùm ait pro causa: Cùm frequenter dotis fructus, non sufficiant ad onera supportanda. Quod quidem, vt suprà tactũ est, impertinenter omnino diceretur, si ratione interesse præsumpti, casus concederetur. Esset autem pertinenter dictum, si fundetur in præsumptione donationis, scilicet quia cùm frequenter accidat, quòd ob tenuitatem dotis, fructus eius, ad præfata onera non sufficiant; meritò præsumitur socerum, qui dotem retinet, & possessionem interim genero concedit, illi donare velle, vt fructus possessionis præcipiat. Et secundùm hoc nulla relinquitur in textu ambiguitas. Nec oportet recurrere ad conditiones suprà enumeratas, cùm penitus videantur secundum hoc impertinentes.

Supra dictus casus multis potest accidere modis.

I.

EST TAMEN aduertendum, multis modis, posse casum præfatum accidere, & deseruit hoc, ad cognoscendum, quando est mutuatio tacita, vel expressa, & quando non, vt inde pateat, quando fit vsura, & quando non. Possunt sic socer & gener ab initio conuenire, vt gener ducat filiam soceri cum pacto, quòd socer se obliget, ad statim dandam eidem certam dotem, & socer in hoc ipso consentiat. Attamen post hanc obligationem contractam, & filiam à genero ductam, socer vel pecuniam asignatam non habens, vel
C ea indigens, conuenit secundò cum genero, quòd loco dotis habeat certam possessionem, vt ea fruatur, interim dum socer non soluit illi statutam dotem; & cùm soluerit, redeat ad eundem præfata possessio. Quod si fiat absque termini præfixione, ita vt gener non obliget socerum ad solutionem dotis, & suæ possessionis rehabitionẽ, in certo tempore, tunc non est mutuum, & per consequens nec vsura: sed est emptio, & venditio, qua gener à socero emit fructus illius possessionis, seu ius leuandi huiusmodi fructus, ꝓ dote statuta, cum pacto retrouendendi. Et quòd gener, non mutuet socero dotem statutam, patet. Quia de ratione mutui est datio reuocabilis; modò autem gener non dat dotem socero reuocabiliter, cùm cedat actioni repetendi dotem, & maneat in socero libertas redimendi possessionem prædictam; & ita casus hic nec vsurarius est, nec iniustus, modò ius leuandi prædictos fructus annuatim valeat, quantum valet statuta dos. Et in hoc casu, ad eius iustificationem, non opùs est recurrere, ad interesse generi præsumptum, nec ad præsumptam soceri donationem.

In hoc modo neque mutuũ est, neque vsura.

Limitatur prædictus modus.

SI AVTEM conuentio fiat, stantibus omnibus circumstantiis casus, excepto, quòd ponatur generum posse dotem repetere, ad certum terminũ, reddita socero sua possessione, tum mutuatio est dotis per generũ facta, cùm sit expectatio dotis ad terminũ, quȩ æquiparatur mutuationi: & tunc cõtractus secundum formam, est vsurarius in eo, quòd gener spectat integram dotẽ, & vltrà interim fructus percipit: Et tunc excusatione opùs est, & poterit excusari ratione interesse, quòd gener ex dilatione dotis patitur, vel ratione dona-

donationis veræ, vel præsumptæ ex parte generi factæ quæ præsumi meritò potest, si dos D
assignata adeò tenuis sit, vt fructus eius ad sustinendā onera matrimonij non sufficiant.

II. POSSVNT secundo modo conuenire taliter, vt socer non se obliget ad statim dotem statutam soluendam, sed promittit se illam ad certum terminum soluturum, & interim impignorat genero prædictam possessionem, vt ea interim fruatur &c. Et in tali casu, inquit Conradus, non est mutuum, & per consequens nec vsura. Quòd enim mutuum non sit, apparet; quia mutuare, est de meo, aut de mihi debito tuum facere: in tali autem casu dos assignata, & ad terminum soluenda, ante aduentum termini, nec ipsius generi est, nec eidem debita; cùm nec in foro conscientiæ, nec iudiciali gener actionem habeat contra socerum ad dotem ante terminum petendam. Et ex consequenti, non peccat gener peccato vsuræ, fructus possessionis interim percipiendo; quamuis peccare possit peccato iniustitiæ, si fructus illos inuito socero sibi percipiat.

Sententia Conradi dicentis, in hoc etiam casu neque mutuum esse, neque vsuram.
Ratio.

Oppugnatur hæc sententia.

HOC TAMEN videtur difficultatē habere, quòd ait scilicet illic nec vsuram esse, nec mutuum, ob id scilicet quòd dos assignata ante terminum præfixum, nec generi est, nec eidem debita. Si enim hæc ratio valeret, sequitur quòd in venditione rei ad terminum, nec vsura committeretur, nec mutuum interueniret; quia pretium statutum non statim, sed ad terminum ex conuentione soluendum, nec ipsius venditoris est, nec sibi ante dictum terminum debitum: nec venditor in foro conscientię, nec in iudiciali ius habet, seu actionem contra emptorem ad repetendum pretium ante aduentum termini. Ecce vbi E
omnia pono paria, & similia: Et ita, vel in vtroque casu est mutuum, expectatio scilicet promissæ dotis, & expectatio promissi pretij, vel in neutro.

Argumentum pro Cōradi sententia supradicta.

SI DICAS non esse simile, quia in venditione ad terminum licèt pretium expectetur, merx tamē traditur emptori, ratione cuius statim efficitur emptor debitor, nisi conuentio de pretij dilatione interueniret: in casu autem nostro gener nil dat socero, ratione cuius statim debeatur genero tantundē. Nec aliquid est in casu hoc genero debitum, nisi ex conuentione, non ex rei vel obsequij traditione: & cùm conuentio solùm sit ad terminum, sequitur pro præfata Conradi sententia intentum suum. Vnde in huiusmodi casu si quid dat gener, ratione cuius aliud sit sibi rependendum, est corpus suum, quod vxori, quam ducit, dat pro corpore ipsius, vt patet ex tractatu de matrimonio. Socero tamen nil dat, ratione cuius sibi debeat socer rependere. Contrà videtur posse replicari. Quia in casu hoc non est simplex contractus coniugij, de ratione cuius est permutatio corporis pro corpore, sed vltra est alius contractus innominatus scilicet facio vt des, & dabo vt facias. Gener enim sic conuenit cum socero, ducam filiam tuam, si des, seu vt des mihi cum ea certam dotem. Et econtrà socer conuenit cum genero, dicens: dabo tibi nomine dotis, certam summam, si filiam meam ducas. Ita quòd primus, & velut reflexus contractus est, qui fit inter generum & socerum, quo alter se obligat ad maritaliter cum filia illa contrahendum: alter verò ad filiam taliter dotandum. Secundus contractus super quem fertur prior, qui est velut rectus, est contractus maritalis, qui fit inter generum F
& sponsam, quam ducit. Accipio iam contractum primum inter generum & socerū, ille est verè contractus, & per cōsequens hinc inde nascitur reciproca obligatio, ita vt altero quod suum est complente, alter ad reliquum eo ipso maneat obligatus. Ac proinde genero ducente sponsam, manet socer ex natura contractus obligatus ad reddendam promissam dotem, non minùs quàm si rem aliquam, vel obsequium per viam contractus à genero accepisset; quandoquidem generi intentio nō fuit, contrahendo cum ipsa sponsa, gratìs & liberaliter in se onera matrimonij suscipere, nec ad id tenebatur. Quamuis enim gratìs debuit maritaliter cum sponsa contrahere, ex quo matrimonium, quod sacramentum est, venale esse non debet, nō tamen tenetur gratìs onera suscipere maritalia: & ita licitum est, de certa dote pacisci, pro præfatis oneribus supportandis. Et ita apparet, quòd quamprimùm gener in se præfata onera suscipit, tenebitur socer ex vi contractus statim dotem tradere. Quòd si pro solutione dotis, gener terminum socero concedit, perinde est, ac si statutam dotem socero mutuet; & per consequens, potest illic vsura fundari, & reperiri, nisi per aliquid fructuum perceptio excusetur, vt dictum est in præsenti casu.

Responsio.
In proposito casu, duplex interuenit contract⁹.

Qualiūnam ex priori cōtractu oriatur obligatio inter generū & socerum.

Corollarium I. COROLLARIE sequitur contra Ioan. Andream, in cap. conquestus. de vsuris. impertinens esse, fructus, seu incrementum, quod gener percipit, quamdiu sibi non soluitur dos, esse certum, vel incertū. Ait enim, quòd si fructus incerti sint, excusatur gener; quia

textus,

A textus, ca. salubriter. de incertis fructibus exemplificat. Id enim dico esse impertinens, vt suprà dixi. Nã si fructus recipit ratione dilationis dotis, nec certos, nec incertos fructus potest recipere. Si ratione donationis aut interesse, tã certos, q̃ incertos recipere potest.

SEQVITVR ampliùs contra eundem Ioannem Andream, vbi suprà, quòd si gener moriatur antequàm sibi soluatur statuta dos, poterũt hæredes eius, ob eandem causam, qua gener, fructus pignoris pro dote dati, percipere, ita vt inter generum & hęredes eius, in hoc non sit differentia assignanda. Cuius oppositum dixit Ioannes Andreas dicens, eò, quòd genero incumbebat onera matrimonij sustinere, non sic hæredibus; ideo licebat genero præfatos fructus percipere, non computando illos in sortem, non sic hæredibus. Hoc enim dictum in falso fundari videtur, scilicet ideo esse genero licitũ fructus illos medij temporis percipere; quia illi incumbit onera matrimonij supportare, quod tamen suprà ostensum est, esse de se impertinens. Causa autem quare id licitum sit genero est, vel interesse, quod ex dotis dilatione patitur; vel ex donatione saltem præsumpta ipsius soceri; sed si hæc causa in hæredibus concurrat, sequitur hæredibus, similiter esse licitum illos fructus percipere, etiamsi illis non conueniat onera matrimonij sufferre. Quod inde etiam videtur confirmari, si vxor moriatur, & gener illi in bonis ipsius succedat: iam non ampliùs genero illi incumbit onera matrimonij supportare, cùm vxor decesserit, & tamẽ poteris fructus prędictos percipere ratione interesse, si quod ex dotis B dilatione patitur. Et ita sufferre onera matrimonij secundùm se, non erat causa, quare gener posset præfatos fructus percipere. II. Corollariũ.

SEQVITVR ampliùs, si gener defunctus sit, & dos sit hæredibus soluta, qui vxori defuncti se obligant, ad eam in termino illi tradendam, dato interim pignore fructifero, quòd talis mulier poterit fructus medij temporis recipere, manente capitali saluo; si eadem causa concurrat in ea, quæ in eius marito concurrerat ad fructus illos percipiendos: Id patet de se; quia si similis donatio illi fiat, aut simile interesse ipsa ex dilatione dotis patiatur, non dubium, posse eam illos fructus recipere, sicut & vir eius dum viueret, recipiebat. Et his cessantibus, sicut ipsa non potest, ita nec vir eius eos recipere poterat. Cuius tamen oppositum dixerunt Innocentius, & Hostiensis & cęteri, qui illud ex priuilegio particulariter genero concesso, genero licitum esse dicebant. Sequitur ampliùs, quòd si gener tantam summam pecuniæ, quanta est dos, à socero sibi debita, à Ioanne, vel alio tertio mutuo accipiat, & eidem tertio idem pignus, quod à socero acceperat, tradat, poterit ille tertius etiamsi onera matrimonij non sustineat, fructus medij temporis percipere, non computando illos in sortem, si eadem causa eos recipiendi in illo concurrat, quæ in genero concurrebat: sicut aliâs. Ita quòd in his, & aliis huiusmodi casibus, cùm causa fructus pignoris recipiendi per se nõ sit onerum sustentatio, sed vel donatio, vel interesse, aut etiam pœna super hoc posita &c; quòd aliqua tali causa existente, non solùm gener, sed alij poterunt fructus illos recipere, sicut gener: & illis deficientibus, nec C gener, nec alij absque peccato vsuræ eos recipere poterunt. III. Corollariũ.

AD EA VERO, quæ vltimò in argumento illo tertio allegabantur, ex iure Ciuili ad probãdum esse vsuram licitam, demptis duabus in ipso iure exceptis, dicendũ, quicquid sit de iure Ciuili, satis esse nobis ius diuinum & Canonicũ, ad tenendam conclusionem suprà positam, & in hoc non legibus, sed Canonibus stare oportet. Sed de his hactenus. *Respõdetur ad argumẽtum ex iure Ciuili deductum.*

In quibus casibus licitum est mutuanti vltra sortem recipere.

QVÆSTIO TERTIA.

EX DICTIS sese offert occasio ad inquirẽdum, an sit mutuanti licitum, & in quibus casibus, vltra sortem accipere absq; vitio vsuræ veræ. Cùm constet multum inter se differre mutuare ad vsuram, & mutuantem vltra sortem recipere, aut exigere, vt patet, tum ex dictis in quæstione præcedente, tum etiam ex definitione vsurę, quam suprà explicuimus. Et mutuare ad vsuram, certum est illicitũ esse, vt suprà ex iure naturali, diuino, & humano monstratum est. Recipere autem, aut exigere aliquid vltra sortem, non ex mutuo principaliter, sed ex alia causa, non ita in præfatis iuribus vetitum est, sed concessum. De his tamen causis in præsentiarum quæritur, quæ sint, ob quas liceat vltra sortem *Discrimen inter mutuare ad vsuram, & aliquid vltra sortem recipere, aut exigere.* *Causæ ob quas liceat vltra sortem accipere aliquid simul, & exigere.*

I. ſortem accipere ſimul & exigere. Et vt intelligo videntur eſſe quatuor. Prima eſt debitum ipſius incrementi, vt ſi id, quod ſuper accipItur, eſt alioqui ipſi mutuanti debitum, D
II. aut de iure ſuo factum. Secunda eſt intereſſe mutuantis, vt ſi tale incrementum accipi-
III. tur ratione intereſſe, quod mutuans ex mutuatione patitur. Tertia eſt donatio mutua-
IIII. tarij, vt ſi ſpontè & liberaliter det mutuanti aliquid vltra ſortem. Quarta cauſa eſt pœna, vt ſi pœna aliqua contra mutuatarium ſtatuta eſt, niſi mutuatum tempore præfixo ſoluat.

Cauſa I. Debitum ipſius incremẽti: quod tripliciter fieri poteſt.

Exemplum primi modi.

PRIMA igitur cauſa eſt, debitum ipſius incremẽti quod ſuper accipitur: vt ſi id, quod ſuperaccipitur, ſuum eſt ipſius mutuantis, aut ſibi debitum, aut de iure ſuo factum. Exemplum primi, vt quando vaſallus impignorat domino poſſeſsionem feudalem, quam ab eo acceperat, idq; in ſecuritatem mutui accepti: nam tunc dominus percipiens fructus medij temporis, non quod alterius eſt accipit, ſed quod ſuum eſt, vt patet ex dictis, in q. præcedenti, de quo eſt textus in cap. 1. de feudis. & cap. conqueſtus. de vſuris. Aut quando mutuatarius, rem fructiferam mutuantis iniuſtè occupatam, ipſi mutuanti impignorat. De quo eſt textus in cap. 1. de vſuris. & in cap. finali, de decimis. Exemplum

Exemplũ ſecundi modi.

ſecundi, vt ſi mutuatarius decem accepit mutuo, & totidem mutuanti debebat, quæ tamen non aliter potuit mutuans ab eo recuperare, niſi mutuando, adiecto pacto de aliis decem ſibi ſoluendis, de quo ſuprà, cùm de definitione vſuræ agebamus. Exemplum tertij, vt quando mutuans habet ius, ſeu autoritatem à iure, vel ab homine bona alterius vt- E
cunque etiam per vim accipiendi: vt bello per principem contra hoſtes indicto, ius habent bellatores hoſtes ſpoliandi, & armis eos, & eorum bona aggrediendi: tunc iure poterunt bellatores ſicut mediantibus armis, ita mediante mutuo aliorum bona vltra ſortem recipere & exigere, modò abſit ſcandalum & infamia. Quia quamuis hoſtium bona, nec ipſorum bellantium ſint, antequàm ea capiant, nec ipſis debita, habent tamen ius ad ea capiendum. De quo eſt textus 14. q. 4. cap. ab illo. In quibus caſibus, & aliis ſimilibus certum eſt vſuram veram non committi, quia incrementum ſuper acceptũ, non ratione mutui, ſed ob aliam cauſam iuſtam recipitur.

In hac cauſa vſura vera locũ non habet.

Cauſa II. Intereſſe mutuantis: quod poteſt eſſe duplex. I. II.

An liceat aliquid vltra ſortem exigere ratione intereſſe damni emergẽtis.

Sententia prima negatiua.

SECVNDA cauſa eſt intereſſe ipſius mutuantis. Eſt autem intereſſe iuſta vtilitas hominis, habita, vel habenda. Vnde duplex eſt intereſſe, ſcilicet, damni emergentis, & lucri ceſſantis, primum eſt, amittere aliquid de bonis habitis, ſecundum eſt impediri ab aliquo bono alioqui euenturo. Iam eſt quęſtio, an liceat vltra ſortem aliquid exigere ratione intereſſe damni emergentis. Et dixerunt aliqui, illicitum eſſe in mutuo rationem intereſſe habere, ita vt qui mutuat vel non mutuet: vel ſi mutuat, nil omninò vltra ſortem exigat, ſed liberalem gratiam mutuatario faciat, cum hoc ſit de ratione mutui, ſimul & de præcepto Dei & naturæ. Ac proinde quicquid ex mutuo patiatur ipſe qui mutuat, gratis illud patiatur oportet. Alioqui accideret, vt in mutuando, non ſolùm non faceret gratiam aut beneficium ipſi mutuatario, ſed potiùs ipſa mutuatio cederet eidem in magnum grauamen, ita vt ſit plus, quod ratione intereſſe debent ſoluere, quàm ipſum ca- F
pitale; vt ſi intereſſe ſit maius, quam ſit quantitas pecuniæ mutuatæ; vt facilè poteſt exemplificari. Quam opinionem Adrianus attribuit Scoto in ſuo quarto.

Reſolutio pro parte affirmatiua.

Ratio I.

OPPOSITVM tamen tenetur communiter & verè, tam à Theologis, quàm à Iuriſtis. Et probatur, quia nemo tenetur alteri cum damno proprio, beneficium facere, niſi fortè quãdo illius alterius tanta eſt neceſsitas, vt teneatur homo tale damnum pro illius ſubuentione ſuſtinere: ergo tali neceſsitate ſecluſa, iuſtum eſt, vt is, cui beneficium ſit, ipſum benefactorem ſeruet indemnem; quod eſſe nõ poterit, niſi loco damni, quod benefactor patitur, tantundem reddat eidem: & ita poterit mutuans etiam tempore mutuationis, paciſci de reſarciendo huiuſmodi damno.

II. CONFIRMATVR, quia qui cauſam efficacem damni dat, damnum dediſſe videtur, & ita tenetur ſatisfacere: talis eſt mutuatarius, qui precibus ſuis cauſa efficax eſt, vt alter ſibi quod petit mutuet, ad quam mutuationem ſcit damnum ipſi mutuanti euenturum. Igitur tenebitur illi de tali damno. Ac proinde poterit mutuans loco huiuſmodi inter-
III. eſſe, aliquid vltra ſortem exigere. Hoc idem confirmatur ex cap. peruenit. extrà, de fideiuſſoribus, vbi in ſententia dicitur, quòd clericus fideiuſſor, qui pro principalibus in termino præfixo deficientibus debita ſoluit, debet per principales debitores indemnis ſeruari, ita vt pecuniam quam pro eis ſoluit, reſtituant, & ipſum conſeruent indemnem, ſic quòd damnum, quod ex ſolutione pertulit, ei reſarciãt; alioqui de redditibus eorum, debita

A bita ipsa persolui faciant, & damna illa resarciri; aut redditus illos sibi assignent, tamdiu detinendos, donec de ipsis satisfactum fuerit. Hæc in textu. Cùm igitur fideiussorem pro principali soluere non aliud sit, quàm eidem mutuare, sequitur &c.

PRAETEREA potest aliquis ad alterius instantiam rem suam illi vendens, petere pretium excessiuum, quod scilicet maius sit, quàm res ipsa in se valeat, si ex venditione illius, cogatur vendens aliquod damnum pati; eò quòd res illa licèt in se, & communiter non valeat tantum, quantum à venditore exigitur, valet tamen ipsi vendenti totum illud; ratione scilicet damni, à quo per ipsins rei possessionem liberatur; qualiter eam distrahendo non liberaretur; vt est communis omnium sententia, & suprà ampliùs ostendimus. Ergo similiter potest quis pecuniam mutuans, aliquid amplius à mutuatario exigere, si ex tali mutuatione cogitur damnum aliquod pati; quia quamuis pecunia illa numerata in se non valeat plus, quàm ipsa sit, valet tamen plus ipsi mutuanti: eò quòd eam habendo, liberatur à damno aliquo, quod ex distractione, seu mutuatione ipsius cogitur incurrere. Et procedit hoc non solùm de interesse damni, quod mutuans patitur post moram mutuatarij, sed etiam si ante moram illud patiatur, quod specialiter per primam & tertiam rationem probatur. Quòd rursus hinc confirmari potest: quia si Petrus erat ad statim venditurus rem aliquam, vt haberet vnde creditoribus suis satisfaceret, & ad instantiam Ioannis rem illam illi ad terminum vendit, ratione cuius cogitur Petrus B aliunde pecunias quærere, quas non nisi ad vsuram reperire potest, vt creditoribus suis satisfaciat, ex sententia omnium poterit pro re illa, sic ad terminum vendita, plus exigere, quàm in promptu valeat, idque ratione interesse damni, quod vendens, ex rei venditione, ad terminum patitur; & cùm in illa venditione, ad terminum sit mutuatio implicita, vt constat, sequitur intentum.

IIII.

V.

Respondetur ad fundamentum oppositum sententiæ.

NEC OBSTAT quod pro priore sententia dictum est. Nam quamuis mutuatio debeat fieri gratis & liberaliter, non tamen opus est, quòd cum damno mutuantis sic fiat, vt teneatur gratis illud damnum pati: sed nec inconuenit mutuatarium plus debere soluere, ratione interesse damni præfati, quàm sit ipsum capitale mutuatum; quia ex quo ipse mutuatarius toti illi damno causam dedit, iustum est, vt læso integrè satisfaciat. Et ad hoc impertinens est, tale incrementum ratione interesse solùm esse maius, aut minus, quàm sors ipsa: Quod inde patet: quia si eidem damno causam efficacē aliter quàm mutuum petendo dedisset, teneretur de damno, vbi nil mutuo accepisset: ergo similiter de eodem damno tenebitur, si ratione mutui simile damnum dedit, etiamsi parua sit sors mutuata. Nec Scoti sententia huic communi aduersatur, imò ipse expresè in 4. distinct. 15. id ipsum tenet.

Aliud dubium. An ratione interesse lucri cessantis liceat aliquid vltra sortē exigere. Sententia I. Ratio.

MAIVS dubium est de interesse lucri cessantis, an ratione eius, possit mutuator aliquid vltra sortem exigere. Et communiter dicunt Iuristæ quòd sic, si mutuatarius sit in mora, vnde cogitur mutuator interesse lucri cessantis pati. Secus antequam mutuata- C rius sit in mora. Huius rationem esse dicunt: Quia antequàm sit mutuatarius in mora, gratiam facit mutuator ipsi mutuatario; & eo volente, & consentiente, mutuatarius pecuniam mutuatam retinet. Post moram autem, non ita creditore consentiente, debitor pecuniam debitam retinet: & ita si ex tunc ratione non solutionis, creditor aliquod interesse patitur, imputabitur debitori moroso; quia debitor morosus furi æquiparatur: fur autem non solùm tenetur rem furtiuam restituere, sed pro interesse etiam lucri cessantis satisfacere. Et pro hac sententia sunt Ioannes Andreas in capit. nauiganti. de vsuris. Et dominus Antonius in cap. salubriter. eodem titulo.

Oppugnatur hæc sententia cum sua ratione.

HOC TAMEN non omninò rationabile videtur, sed præter rationem. Nam pecunia non est maioris vtilitatis post moram, quàm ante moram, cæteris paribus; nec minùs cessat lucrum iustum ipsi mutuanti ex hoc, quòd mutuatarius est ante moram, quam postquàm incipit in mora esse, vt suppono: igitur non solùm potest haberi ratione interesse lucri cessantis post moram, sed etiam ante moram. Et confirmatur: Nam debitor morosus, hoc addit supra debitorem non morosum, scilicet quòd est in culpa, non reddens, quod reddere tenetur, & æquiparatur furi: sed hæc culpa non est per se causa obligandi ipsum morosum, ad reddendum aliquid vltra capitale; sed verum interesse, quod creditor ob causam illius patitur. Igitur si idem interesse patitur, antequam debitor sit in mora & culpa, quare igitur non tenebitur pro tali interesse satisfacere, sicut tenetur si in mora sit?

Obiectio I. contra rationē iam dictam.
Solutio.

SI DICAS, hoc ideò eſſe, quia ante moram ex voluntate, & conſenſu creditoris mutuata pecunia retinetur, & ita viſus eſt mutuans gratiam mutuatario facere, volens gratìs ſuſtinere intereſſe, quod interim patitur: contra hoc ſtat ratio ſuprà facta, de intereſſe damni emergētis, pro quo tenetur mutuatarius mutuanti ſatisfacere, ſicut ſi poſt moram illud patiatur. Adde quòd, vt dictum eſt, quamuis tempore mutuationis, teneatur quis gratìs mutuare; non tamen tenetur gratìs lucrum alioqui euenturum, pro mutuatario amittere, ſiue lucrum ceſſet ante moram, ſiue poſt. D

Obiectio II.

SI DICAS; qui gratìs conſentit in antecedente, ex conſequenti gratìs conſentit in eo quod inde ſequitur. Cùm igitur mutuans tempore mutuationis ſponte & gratìs conſentit in hoc, quòd mutuatarius per certum tempus ſuam pecuniā mutuatam retineat: igitur ex conſequenti conſentit in perditione alicuius boni, ſeu lucri, ipſam pecuniæ retentionem conſequente; & ita mutuatarius non tenetur quicquam reddere, ratione intereſſe ante moram euenientis.

Reſpōſio duplex ad hāc obiectionem.
I.
Qui vult antecedēs, vult quā conſequēs, quo modo intelligendum.

VERVM hæc ratio nil probat. Primò, quia ſupponit vnum falſum, ſcilicet, quicunq; vult antecedens bonæ conſequentiæ, vult etiam conſequens: aut, qui vult cauſam, vult ſimiliter effectum eius. Cuius oppoſitum conſtat eſſe verum in eo, qui vult in amore ſuæ concubinæ perſeuerare, quàm ſupra modum amat; & tamen cùm ſciat per fidē ſequi inde eius æternam damnationem, hoc non ſolùm non vult, ſed etiam odit. Ita etiam, qui ſcit cibum aliquem guſtui delectabilem, eſſe ſanitati contrarium, vult quidem (quia guloſus eſt) cibum comedere, vt guſtui ſatisfaciat; non tamen inde vult morbum incidere. E Et ita de aliis multis poſſet exemplificari. Imò ſicut ſtat dolere de antecedēte, & de conſequente gaudere; quod accidit his, qui de peccato veram agunt pœnitentiam, qui de peccato dolent, & de dolore gaudent: ita ſtat econtrà aliquem gaudere de antecedente, & triſtari de effectu, & conſequente eius, vti videmus in puella non nupta, quæ de concubitu gaudet, quo grauida fit, de grauidatione verò triſtatur.

II.

SECVNDO eſto, mutuator velit illud antecedens, ſcilicet, mutuatarium retinere apud ſe, mutuatam ad tempus pecuniam; & ex conſequenti velit ceſſationem lucri inde conſequentem, non tamen opùs eſt, quòd ſicut gratìs mutuare vult, ita gratìs velit illud intereſſe pati, releuando mutuatarium à ſatisfactione. Id patet à ſimili: ſtat enim quòd Petrus habens vineam fructiferam, ſponte conſentiat & velit gratìs eam donare Ioanni, non tamen inde opùs eſt conſentiat, & velit fructus eiuſdem vineæ eidem donare, ſed poterit vineam donādo, fructum ſibi ad tempus reſeruare, ipſum donatarium ad fructuum redditionem obligando. Igitur pari forma ſtat, quòd Petrus velit gratìs certam pecuniæ quantitatem, ad tempus alteri mutuare, non conſentiendo, nec donando lucrum, quod ex pecunia erat ei alioqui ſaltem inſtrumentaliter euenturum.

III. Obiectio.
Solutio.

SI DICAS, non eſſe ſimile de vinea donata, & pecunia mutuata, eò quòd vinea parit, non autem pecunia; ideò poteſt donare vineam; fructus eius reſeruando: non tamen poteſt mutuare, ſeu dare pecuniam, fructum eius reſeruando. Contrà, quia ſecundū hoc F ſicut non eſt habenda ratio intereſſe lucri ceſſantis ante moram mutuatarij, ita nec haberi deberet poſt moram eiuſdem, vt conſtat: quia pecunia nec ante moram, nec pòſt, parit. Adde quòd quamuis pecunia de ſe lucrum non pariat, parit tamen inſtrumentaliter, negotiantis induſtria appoſita. Et ita concluditur in habēda ratione intereſſe damni emergentis, aut lucri ceſſantis, non eſſe ponendam differentiam inter hæc ſcilicet mutuatarium eſſe, vel non eſſe in mora.

II. Sententia.

POSSENT igitur aliqui moueri ad dicendum indiſtinctè, non eſſe habendam rationem intereſſe lucri ceſſantis, nec ante moram, nec pòſt: & mutuatarium ſiue moroſum, ſiue non, non teneri in conſcientia mutuanti aliquid loco huiuſmodi intereſſe reddere. Pro quibus argui poſſet, primò, quia pecunia de ſe eſt res non fructifera. Secundò, quia mutuans non poteſt vendere, quod non habet; lucrum autem ceſſans non eſt à mutuante habitum. Tertiò, etiam eſto aliquod lucrum ex pecunia reſeruata ſperaſſet, illud eſt incertum, & poteſt multis modis impediri: pro eo autem quod incertum eſt, aliquid certum exigere, videtur iniuſtum; cùm per hoc mutuans ponat ſe in tuto, alterum verò in damno. Quartò etiam: quia oppoſito dato ſequitur inconueniens, quòd ſcilicet daretur apertum oſtium vſurariis ad vſuras palliandas, & eas palliatas exercendas; quia dicerent ſe incrementum exigere, non ratione mutui, ſed ratione intereſſe, quod poſſent cum ſua pecunia lucrari.

Ratio I. II. III. IIII.

His

A His tamen non obstantibus, videtur cum Theologis tenẽdum, esse licitum mutuanti, aliquid vltra sortẽ ratione interesse lucri cessantis exigere & recipere, modò certę adsint conditiones. Hæc cõclusio probatur primò: qui efficaciter impedit alium ab assequutione alicuius lucri, in rebus ipsius impediti causaliter contẽtum, quod alioqui esset assequuturus, tenetur impedito pro illo satisfacere. Hoc patet ratione & exemplo. Ratio est clara; quia qui causam efficacem dat, vt alter aliquod bonum iam habitum amittat, tenetur illi: sed lucrum, de quo loquimur, licèt non sit actu habitum, est tamen quasi habitum; quia in rebus ipsius impediti contentum, quod aliàs esset actu habiturus. Igitur licèt nõ teneatur ad tantum, ad quantum teneretur, si sua causa alter bonum actu habitum amitteret, non tamen releuatur, quin teneatur. Exempla etiam clara sunt; si quis detineat rusticum, aut mechanicum, ne possint suam operam, aut artificium prosequi seu exercere, vnde necesse est eos stipendiũ, quod aliàs lucraturi essent, amittere; ex sentẽtia omnium tenetur illis ratione interesse lucri cessantis. Idem etiam de eo, qui operam apponit, ne semina suo dño pullulent, ne arbores, aut vineæ fructificent &c. talis tenetur de damno, & de cessante lucro, quod illi domino alioqui euenisset, eò quòd lucrum illud & commodum in rebus ipsius læsi continebatur: & licèt non actu à dño possideretur, erat tamẽ quasi habitum & quasi possessum, cùm seclusa opera lædentis illi esset euenturum. Talis est casus præsens: excepto ꝙ in nostro casu fit lucri cessatio, ob causam mutuatarij B præter iniuriam mutuantis, in aliis autem fit cum iniuria læsi. Attamen quantum ad propositũ attinet, nil videtur iniuria facere; quia alia satisfactio pro iniuria debetur; alia verò pro interesse cessantis lucri alioqui euenturi. Sed nec etiam nostrum intẽtum impeditur per hoc, quòd in exemplis illis, læsus ipse nullo modo consentit in impedimento & cessatione lucri alioqui euenturi, in nostro autem casu sic. Nam satis est ad nostrum propositum, quòd in nostro casu mutuator nõ gratis consentiat in cessatione lucri, nec de illo velit mutuatario gratiam facere, sicut nec id vult læsus in exemplis adductis. Et in hoc, quod pertinens est ad obligationem satisfaciendi, pro interesse lucri cessantis, similia sunt exempla posita nostro casui, etsi in aliis, quæ impertinentia sunt, sint dissimilia.

Resolutio Licitum est aliquid vltra sortẽ exigere & recipere, ratione interesse lucri cessantis, certis tamẽ positis conditionibus.

Probatur I.

Adde qvod possunt exempla per omnia nostro casui assimilari: vt si quis petat à rustico vt se in venatione vel itinere comitetur, vnde à sua opera & lucro inde euenturo impediatur, iustè poterit dicere rusticus: faciam quod vis libenter, modo mihi pro lucro cessante satisfacias. Similiter si quis petat mutuò instrumenta artificis, vnde impeditur ab assequutione alicuius lucri sibi euenibilis, iustè poterit dicere, faciam, modò pro lucro cessante satisfacias. Ergo pari forma si mercator erat paratus ad nundinas cum suis pecuniis ire, vnde lucrum sperabat, & Petrus petat ab eo illas pecunias mutuo, iustè poterit dicere illi mercator, faciam libenter, modò pro lucro mihi alioqui euenturo satisfacias, ex quo ob tuam causam illud amitto.

Secvndo facit pro hac sententia cap. in ciuitate. & cap. nauiganti. de vsuris. vbi, vt II.
C suprà discussimus, iustificatur contractus, quo quis merces vendit ad terminum cariùs, quàm valeant in promptu, si est verisimile dubium tempore solutionis plus, minúsue esse valituras; supposito quòd venditor erat eas seruaturus: cuius pretij excessus iustificatur ratione interesse lucri cessantis, qualiter cessaret, si pro pretio currente merces illas vendidisset, & tunc constat illic esse implicitam mutuationem.

Facit tertio Clement. religiosi. §. quibus. de priuilegiis. vbi religiosi retrahentes aliquem à legatis faciendis, coguntur satisfacere læsis; non nisi quia causam præstiterunt, ne personæ, quæ alioqui per viam legati erant aliquod lucrum assequuturæ, illud amittant: sed talis est noster casus, vt patet. Imò inde arguitur à minori. Quia si in casu textus, religiosi impedientes personas illas à lucro, non in eorum rebus causaliter contento tenentur illis, à fortiori in nostro casu tenebitur, qui mutuantem in lucro, in rebus eiusdem contento, impedit. III.

Facit qvarto capitulum salubriter. de vsuris. vbi concedit posse generum, cui dotis solutio differtur, fructus pignoris medij temporis recipere, non computando illos in sortem: & secundùm communem Theologorum intelligentiam excusatur id ratione interesse lucri cessantis, vt etiam dicit dominus Antonius de Butrio, qui sic ait: Quando socer promisit nomine dotis genero certam quantitatem pecuniæ, & socer est in mora, vt puta, quia dos in continenti debebat solui, tunc pro interesse poterit petere, quantũ verisimiliter fuisset lucraturus cum illa pecunia, vt sic habeatur ratio ad interesse IIII.

lucri

lucri cessantis. Hæc ille. In quo casu, constat dilationem dotis, ex consensu generi locum habere mutuationis. Nec obstat quòd Antonius loquatur de mora soceri. Nam eo ipso, quòd gener conuenit cum socero, vt dotem retineat, & interim loco interesse aliquid illi tradat, desinit socer in mora esse, vt constat: & nihilominùs iustificatur illa fructuum medij temporis perceptio, saluo capitali. D

Respondetur ad rationes pro II. sententia allatas.

Ad I. NEC OBSTANT, quæ suprà in contrarium adducta sunt. Quòd enim pecunia nō de se fructificet, nil obstat. Tum, quia si ob illā causam non licet aliquid ratione lucri cessantis exigere, ob eandem etiam non liceret idem, ratione interesse damni emergentis. Tum etiam, quia instrumenta artificis, de se non fructificant plus quàm pecunia, & tamen si quis mutuo ab artifice sua instrumēta petat, tenebitur artifici ad interesse lucri cessantis.

Ad II. NEC OBSTAT, quod secundò dicitur, scilicet quòd nemo potest vendere, quod non habet, qualiter mutuans vendere videretur, si pro lucro cessante aliquid exigeret: non, inquam, obstat; quia mutuans quamuis non actu habeat lucrum, à quo ratione mutuationis impeditur, habet tamen illud quasi in actu, eò quòd ponimus absque dubio, aut saltem probabiliter tale lucrum alioqui sibi euenturum. Secùs si talis probabilitas non adesset. Huius exemplum est notum de piscatore, qui antequàm rete in mare adpiscandum iaciat, vendit pisces ex iactu illo capiendos, cùm tamen illos nondum habeat; est tamen verisimile se pisces aliquos inde capturum. Et est casus in lege approbatus in. l. si iactum retis. ff. de actio. empti & venditi &c. Idem potest exemplificari de partu futuro. l. nec emptio. ff. de contrahen. emptio. & vendi. E

Ad III. NEC OBSTAT, quod tertiò obiectum est, scilicet lucrum cessans esse incertum, & posse multis modis impediri: non, inquam, obstat, quia similiter in casu piscatoris nuper posito, incertum est lucrum, ex iactu retis speratum, & potest multis modis similiter impediri, & nihilominùs pro illo incerto, licitè conuenitur, aliquod certum pretium dari, & iustificabitur propter verisimile dubium, quo dubitatur plus, minúsue lucrum speratum esse valiturum, quàm sit pretium taxatum; quia tunc æqua est vtriusque conditio, cùm æquè se lucro, & damno exponant.

Ad IIII. NEC OBSTAT, quòd mutuans aliquid certum pro lucro cessante exigens, ponat se in tuto quo ad id, quod exigit: & alter ponat se in periculo incrementi exacti, imò in certo, de illud vltra capitale soluendo; quia in tali casu mutui non habetur ratio æqualitatis inter datum & acceptum, sicut haberi debet in venditione; sed in mutuo habetur ratio ad interesse, quod mutuans ob causam mutuatarij patitur: ideo tenetur mutuatarius aliquid in recompensam præfati interesse, ipsi mutuanti vltra capitale reddere, etiamsi mutuatarius, nil vltra capitale à mutuante recipiat. Et quoniam incertum est, quantum futurum erat adęquatè lucrum speratum, iustè pro aliquo certo conuenitur, quod certum apud hominum æstimationem tantum valeat, quantum illud aliud incertum, etiamsi plus esset illud incertum speratum, &c. Vnde sequitur, quòd mutuans aliquid ratione talis interesse exigens, propriè non vendit lucrum speratum, sed est contractus innominatus scilicet da certum quid, & perdam lucrum, &c. Ac proinde non propriè dicitur vendere, quod non habet. F

Ad V. NEC OBSTAT, quòd quartò obiiciebatur, quòd scilicet daretur apertum ostium ad vsuras palliatas exercendum &c. Non, inquam, obstat, eò quòd non simpliciter, & absolutè dicimus esse licitum ratione interesse lucri cessantis aliquid exigere, sed conditionaliter, scilicet si certæ conditiones concurrant, cum quibus concurrentibus, licitum erit, secùs aliàs.

Conditiones ad prædictam exactionem necessariæ ex sententia Conradi I. CONDITIONES igitur ad præfatam exactionem iustificandam necessarias, ponit Conradus, dicens esse septem, vel octo. Prima est, quòd à parte rei ita sit, quòd mutuans patiatur illud interesse, ratione cuius aliquid vltra capitale exigit. Nam si non verum, sed fictum esset, non excusatur ab vsura. Secunda, quòd illud, quod
II. ratione interesse exigit, non excedat ipsum interesse; alioqui vsura esset, ratione illius excessus, ad cuius exactionem is, qui mutuat, causam præter mutuum non habet.
III. Tertia, quòd mutuans mallet pecuniam mutuatam retinere, & sic vitare interesse, quod ob mutuum patitur, quàm mutuare, aliquid certum vltra sortem lucrando. Nam dato opposito, signum est quòd mutuat ex affectu lucri, & ita erit vsura. Et procedit hæc ratio, vbi mutuans commodum temporale respicit: nam si ex charitate moueatur principaliter ad proximo per mutuum subueniendum, absque damno proprio,

A tunc poterit malle mutuare, se indemnem seruando, quàm pecuniam retinere, lucrum inde sperando. Quarta conditio, quòd mutuans illud interesse patiatur ratione mutuationis; quia si ob aliam causam tale interesse incurrit, puta ex negligentia, aut nescientia, aut malitia propria illud incurrat: vt si mutuatione facta vendit viliùs rem suam, vt creditoribus satisfaciat, ad quam venditionem non cogitur, cùm creditores solutionem expectare vellent &c. tunc si viliùs vendit, imputet sibi, non mutuatario: aut si post mutuationem factam, pecunias habet in arca, cum quibus interesse, lucri cessantis euitare posset si vellet, tunc huiusmodi interesse non mutuatario, sed sibi ipsi debet imputari. IIII.

Quinta conditio, quòd mutuatio sit consilij, & non præcepti. Nam si mutuatarius sit in tali, & tanta necessitate constitutus, in quali nō est ipse mutuans, tenebitur illi mutuare. Et si quod inde damnum, aut interesse patitur, tenebitur illud gratis sustinere; cùm propria bona teneamur, ad proximorum indigentiā releuandam expēdere. Pro his autem, ad quæ ex præcepto tenemur, nil in recompensam exigere possumus. Et ita in tali casu, inquit, contentus debet esse mutuator, si sors sibi restituatur. V.

Sexta conditio, quòd exactio incrementi, non infamet autorem suum, nec aliquem scandalizet actiuè, nec passiuè, scandalo ex ignorantia, aut infirmitate proueniente; secùs si ex malitia scandalizati proueniat: tunc enim etsi vsura non sit, erit tamen peccatum aliud contra præceptum, quo tenetur de bono nomine curam habere, & proximi scandalum euitare. VI.

Septima B conditio; quòd exactio, quā tempore mutuationis facit, non sit ad hoc, quòd mutuatarius, teneatur refundere interesse iam illicò in ipsa mutuatione, cùm mutuator nondum sit pro tunc interesse passus; nec enim tenetur mutuatarius pro interesse satisfacere, antequàm sit interesse positum in esse. VII.

Octaua, quam ponit in interesse lucri cessantis est, quòd mutuator non exigat tantum, quantum erat lucrum cessans; quia debet defalcare inde expensas, laborem, periculum, & cætera, quæ in prosequutione lucri erat expensurus. Similiter debet defalcare quantum valet minus, lucrum nondum habitum, licèt speratum, ob eius incertitudinem, quàm valeat actu habitum; alioqui nō excusabitur à peccato iniustè superaccipiendi, seu lucrandi &c. Has omnes conditiones, dicit esse necessarias ad exigendum aliquid ratione interesse, tam damni emergentis, quàm lucri cessantis: dempta octaua, quam in interesse lucri cessantis dicit esse seruandam: reliquæ communes sunt vtrique interesse. VIII.

Vt tamen appareat, sitne necessarium omnes has conditiones concurrere ad prefatam exactionem iustificandam, premittamus quòd duobus modis, potest mutuans aliquid vltra sortem tempore mutuationis, ratione interesse exigere. Vno modo, nil certum & determinatum exigendo, sed solam refusionem interesse, si aliquod tale ipsum mutuantem sustinere contingat. Et ad hoc certum est, non esse necessarias omnes illas conditiones. Patet, quia non est necessaria prima; nam siue verè ita sit, quòd mutuans patiatur aliquod interesse, siue incertum sit, aut dubium omnino, iustè poterit cum illo C pacto mutuare. Imò ex forma ipsarum conditionum apparet, quòd non dicuntur esse necessariæ, nisi ad iustificandum contractum, quando apponitur pactum de aliquo certo, & determinato soluendo, loco interesse, & hic est secundus modus: vt si mutuans dicat, nō mutuabo, nisi vltra sortem loco interesse aliquid certum soluas. Et quòd hoc non sit de se illicitum, apparet ex dictis. Nam ex sententia Doctorum pro maiori parte, iustè poterit gener dotis solutionem expectans, aliquid certum à socero exigere loco interesse, quod verisimiliter cum dote statim soluta esset lucraturus. Similiter qui ad terminū mercem cariùs, quàm in promptu valeat, vendit, excusatur si mercem illam, erat alioqui seruaturus ad tempus, quo fortè plus esset valitura, vt hæc latè suprà discussa sunt. In quibus & in multis aliis, aliquid certum & determinatum, tempore mutuationis implicitè à mutuatario exigitur, loco interesse futuri: esto incertum & indeterminatum sit tale interesse, antequàm eueniat.

Duobus modis potest mutuans aliquid vltra sortem tempore mutuationis ratione interesse exigere.

I.

II.

Et in hoc sensu esset dubium, an omnes illæ conditiones sint necessariæ. Et videtur quòd prima non sit in rigore necessaria, scilicet, quòd ita sit à parte rei, quòd ex mutuatione, ipse mutuans aliquod interesse sustineat. Patet, quia vel esset necessarium, quòd actu illud interesse sustineat tempore, quo mutuat, aut tempore futuro. Primum non, vt ex exemplis in iure approbatis, & suprà positis apparet. Sed nec secundum, quia stat, quòd tempore mutuationis sit valdè verisimile, & quasi indubitatum, quòd mutuans si non mutuaret, esset aliquid posteà lucraturus; ratione cuius verisimi-

Examinantur prædictæ conditiones, an sint omnes necessaria.

Prima non est necessaria.

verisimilitudinis poterit cum mutuatario, vt dictum est, super refusione pacisci, & tum quòd eueniat oppositum, ita vt talis rerum mutatio postmodùm accidat, vel in mutuante, vel in rebus, quas erat alioqui empturus, quod nullum lucrum fuisset assequutus. Et procedit hoc tam de interesse damni emergentis, quàm lucri cessantis. Et ita vt talis exactio, iustè tempore mutuationis fiat, satis est interesse esse verisimile, aut probabile; & hoc sufficit vt non sit fictum. D

II. Conditio similiter non est necessaria. Probatur.

SECVNDA etiam non videtur necessaria: scilicet quòd id quod exigitur, non excedat ipsum interesse, ratione cuius exigitur: idque si intelligat de interesse verè & realiter eueniente, vt in prima conditione intelligit. Id probatur, tum quia si ita esset, nunquam ergo pro interesse lucri futuri cessantis, esset licitum aliquid certum & determinatum exigere, eò quòd non potest tempore mutuationis certitudo haberi, an id, quod exigitur excedat lucrum, quod alioqui esset in re ipsa euenturum, eò quòd de tali lucro vero, nulla antequàm veniat potest haberi certitudo, quantum erit in re ipsa. Tum etiam, quia in exemplis suprà positis de genero, & de vendente cariùs ad terminum, iustè illud certum & indeterminatum, loco interesse indeterminati exigitur: esto quòd accidat posteà illud exactum plus esse, quàm fuisset lucrum, quod mutuanti alioqui verè & realiter euenisset. Nec per hoc vitiatur contractus priùs factus, vt constat. Et ita hæc secunda conditio, sicut & prima, venit intelligenda non de interesse verè & realiter eueniente, sed de interesse verisimili & probabili; & tunc id, quod exigitur, non solùm non debet excedere verisimile & probabile interesse futurum, sed debet esse ad summum tantum id, quod pro eo exigitur, quòd sit verisimile dubium, lucrum cessans plus minúsue futurum esse, quàm id, quod exigitur, idque propter dubietatem quantitatis huiusmodi interesse, iuxta determinationem capituli, in ciuitate. de vsuris &c. Et tunc quicquid in re accidat, siue plus, siue minus mutuans realiter fuisset lucratus, licitè id, quod exactum est, à mutuatario recipitur: ex quo verisimile lucrum cessans tantum valuit tempore contractus, quantum ratione eius fuit à mutuatario exactum. Vnde perinde est, ac si Petrus verisimiliter sit aliquid cum centum ducatis lucraturus, & ante lucri euentum Ioannes emit ab illo id, quod in tali negotiatione lucraturus est; cùm tamen sit lucrum indeterminatum, cùm futurum sit; & facta venditione pro decem, tenebitur Ioannes illa decem posteà Petro soluere, siue multum, siue parum eum lucrari contingat. E

Sensus eiusdem conditionis.

III. quoque conditio non est omnino necessaria.

TERTIA conditio non videtur omninò necessaria, quamuis communiter secundū illam formam soleat à Doctoribus poni, in qua dicitur, quòd mutuans, data sibi optione, potiùs eligeret pecuniam suam retinere, & cum ea lucrum incertum sperare, quàm eam cum pacto de lucro certo mutuare. Nam vt videtur, satis est, data ei præfata optione, esse sibi, teste conscientia, indifferens, hoc vel illud eligere: nam stante huiusmodi animi indifferentia, non videtur ad lucrum ex mutuo declinare; sed æqua videtur esse lanx, & hoc sufficit eum excusare, non solùm ab vsura reali, ex quo in exigendo non excedit, vt suppono, sed æqualitatem inter exactum, & futurum lucrum seruat, ad sensum nuper expressum; sed etiam excusatur ab vsura mentali, cùm nil ex mutuo lucrari intendat, ob præfatam animi sui indifferentiam. Et ita puto intentionem Doctorum hanc conditionem ponentium esse, dicere, quòd affectus mutuantis non magis ad lucrum certum, de quo paciscitur, declinet, quàm ad lucrum incertum, ex sua negotiatione alioqui euenibile. Et ita hæc conditio non positiuè, vt sonat, est intelligenda, sed negatiuè in hoc sensu modò tacto. Et patet ex ratione, quam pro conditione asignata faciunt arguentes, sic; nam ad oppositum, tunc signum est, quòd aliquod commodum temporale sperabat per viam mutui; quod alioqui non ita sperabat. Quam rationē constat, locum non habere in casu, quo æqua lance mutuator æquè in vtrunque indifferenter tenderet. F

Sensus eiusdem.

Sensus IIII. conditionis.

QVARTA conditio similiter vt prima & secunda, intelligatur de interesse non verè & realiter eueniente, sed de probabili & verisimili, ex quo ad hoc, quòd iusta sit præfata exactio, non ad id, quod verè eueniet, sed quod verisimile & probabile est euenire, attendendum est.

V. Conditio.

QVINTA conditio est, quòd mutuatio sit consilij, & non præcepti. Quia tanta potest esse necesitas mutuatarij mutuum petentis, vt teneatur mutuans ex præcepto mutuare, & si quod interesse inde patitur, tenebitur gratis illud sustinere, & ita debet esse contentus cum hoc, quòd sors mutuata sibi reddatur. In hac conditione, vt sonat, arbitror Conradum decipi, & non eum solum, sed plures alios, qui eandem conditionem necessa-

Argumētum I. contra eandem.

A necessariam esse dicunt. Ratio autem contra illum est in promptu; quia vel is, qui mutuum petit, est in extrema necessitate, seu quasi, ratione cuius mutuans teneatur ei eleemosynam facere, vel est citra illam necessitatem. Si primum, sequitur quòd non solùm debet gratis præfatum interesse sustinere, sed ipsam sortem, qua extremè mutuatarius indiget, tenetur gratis illi donare; cùm secundùm Conradum non satisfaciat diues, mutuando ei, qui extremam patitur, sed donare tenetur: & per consequens nec tenebitur mutuatarius pro interesse satisfacere, nec sortem mutuatam reddere. Si autem mutuatarius sit citra extremam, vel quasi, ita vt diues nil illi donare teneatur, sequitur quòd sicut mutuatarius tenebitur sortem mutuatam reddere, ita & pro interesse satisfacere.

SI DICAS, quòd mutuatarius est in extrema, vel quasi, & licèt esset illi donandum, ipse tamen volens, se obligat ad sortem mutuatam reddendam, & ideò excusabitur mutuator, sortem redditam exigendo & recipiendo. *Obiectio.* Contrà stat replica: quia sicut potest ille indigens, se ad sortis solutionem obligare, cedens donationi eidem alioqui faciendæ, ita potest se ad satisfaciendum pro interesse, quod gratia suî mutuator patitur, volens obligare: & per consequens, poterit ab illo mutuator, vltra sortem ratione interesse aliquid exigere. *Solutio.* Quòd si charitas obligat illum, ad liberandum mutuatarium à satisfactione pro interesse satisfacienda; æquè, imò plus eadem charitas obligabit illum ad liberandum indigentem à solutione sortis acceptæ, ex quo pauper ille sorte ipsa directiùs B indiget, quam sustinentia præfati interesse, quod mutuator sustinet. Itaque non videtur rationabile differentiam inter sortem reddendam, & pro interesse satisfaciendum ponere.

SECVNDO, sit Petrus in tam extrema necessitate, quòd nisi illi mutuem centum ducatos, vt eos latronibus tradat, eum alioqui absque dubio occident; ego teneor ex præcepto illi centum ducatos mutuare, ex quo, vt pono, non possum eum aliter à morte iniuriosa eripere: & tamen possum pacisci, de satisfactione mihi per illum agenda loco interesse, quod ex tali mutuatione sustineo; & ille tenebitur mihi posteà ad vtrunq;, scilicet, ad sortem reddendam, & ad satisfaciendum pro interesse; esto quòd mutuatio non consilij, sed præcepti fuerit: quandoquidem si possum illum à morte aliter, quàm donando eripere, non teneor sortem principalem illi donare, nec gratis pro illo interesse aliquod pati. II.

TERTIO videtur falsum fundamentum, cui præfata conditio innititur: scilicet, quòd pro his, ad quæ de præcepto tenemur, non possumus recompensam, seu mercedem, aut pretium exigere; & inde, vt putant, est, quod cùm mutuatarius mutuum petens, est in tanta necessitate & indigentia, quòd diues tenetur illi mutuare; & ex consequenti tenetur in casu interesse inde consequens sustinere, non poterit loco talis interesse aliquid exigere. Cùm tamen multa sint, ad quæ ex præcepto tenemur: tamen non gratis ea agere tenemur, sed iure possumus pro eis, aliquam mercedem exigere & recipere. C Patet de aduocato, qui cùm non sit qui litigantem, & iustam causam defendentem, ab iniusta sententia, & damnatione tueatur, tenetur ex præcepto partes eius defendere; & tamen poterit suam mercedem iustè exigere. Similiter medicus tenetur ex præcepto ægrum in periculo existentem curare; & tamen non ad id tenetur gratis. Et qui videt in via fratris merces, ob defectum adiutorij perire, tenetur illum ex præcepto iuuare; & tamen poterit suam mercedem exigere, vt aliàs latiùs disseruimus. Igitur esto teneatur diues extremè indigenti mutuare, & per consequens inde interesse pati: non tamen ad id gratis tenetur &c. III.

ET ITA hæc conditio non, vti cæteræ, videtur esse necessaria: excepto nisi tanta sit mutuatarij indigentia, quòd nec habeat, nec habere speretur, vnde pro interesse satisfacere posset, tunc enim poterit verificari quod dictum est, scilicet, mutuatarium teneri ad sortis solutionem, non tamen ad interesse: & tunc inhumanum est, & iniustum aliquid vltra sortem exigere. Sed quia hic punctus videtur ex his, quæ de eleemosyna dici solent, pendêre, vide quod in Codice de eleemosyna scripsimus. *Quatenus hæc quinta conditio sit, vel nō sit necessaria.*

SEPTIMA conditio, scilicet, quòd exactio quæ fit tempore mutuationis, non fiat ita, vt statim ipsum exactum soluatur &c. suam etiam habet difficultatem: nam si Petrus est aliquid verisimiliter lucraturus mense sequenti, & Ioannes velit eum in re alia occupare, vnde lucrum illud amittat, poterit cum Ioanne conuenire, dicens: ego cedam tali lucro, si aliquid certum mihi in promptu des, & erit licita conuentio; & per consequens *Argumenta cōtra septimā conditionem.* I.

poterit lucraturus, iustè recompensam lucri, cui cedit in promptu exigere & recipere. D
Sicut potest quis fructus vineæ, nondum existentes, sed speratos & incertos; anteà vendere, & pro illis in promptu aliquid certum recipere. Cùm ergo mutuans in casu, non solùm mutuet, sed lucro verisimiliter sperato, ob causam mutuatarij cedat, quod gratis facere non tenetur, sequitur quòd poterit pro huiusmodi cessione aliquid à mutuatario in promptu exigere & recipere.

II. Tvm secvndo; quia si talis mutuatio esset vitiosa, quæ fit cum pacto, quo mutuatarius statim aliquid certum pro interesse, quod patietur, soluat, ideo esset, quia tempore mutuationis, nondum patitur cum effectu tale interesse, sed posteà patietur: aut ideò, quia mutuans cogit mutuatarium ad aliquid agendum, seu soluendum, ad quod non est obligatus; idque ratione mutui, quod non aliter fieret, nisi satisfactio pro interesse illicò fiat. Sed neutrum videtur sufficere, ad vitiandam præfatam mutuationem. Probatur; nō primum, tum quia qui vendit ad statim cariùs, quàm merx communiter valeat; idq; ratione interesse, quod ex carentia suæ mercis verisimiliter est passurus, licitè ad statim recipit recompensam pro interesse futuro, ex sententia omnium: esto quòd tempore venditionis, tale interesse non sit in effectu: iam talis venditio non vitiatur per hoc pactum, de statim soluendo recompensam pro interesse futuro. Ergo etiam in nostro casu, non inde vitiatur mutuatatio, quòd fit cum pacto de soluendo statim recompensam pro interesse futuro. Tum etiam; quia quamuis tempore mutuationis, mutuans non in effectu E
patiatur præfatum interesse, attamen in effectu & realiter tunc cedit lucro verisimiliter euenturo & sperato; quæ quidem cessio est pretio æstimabilis, vt constat: igitur mutuādo poterit pro cessione, qua de facto lucro cedit, aliquid statim soluendum exigere. Quòd etiam non vitietur præfata mutuatio ex secundo, scilicet, quia mutuans obligat mutuatarium ad plus, quàm ipse aliàs tenetur, puta ad statim soluendum exactum, apparet; quia si hæc ratio sufficeret, pariter sufficeret ad vitandam mutuationem factam, cum pacto de soluendo posteà simul cum capitali, aliquid certum ratione interesse sperati. Patet, quia similiter obligat mutuans ipsum mutuatarium ad plus, quàm aliàs teneretur; cum aliàs non teneretur nisi ad satisfaciendum pro interesse, prout euenerit: conuenire autem de aliquo certo soluendo, loco præfati interesse incerti, est alia noua obligatio, ad quam mutuatarius nec ratione mutui, nec ratione cessantis lucri tenebatur, sed sola contrahentium conuentione, per quam mutuans illud à mutuatario tempore mutuationis exigit.

Prædictæ condi- [illegible]

Vervm quicquid sit de hac, quæ in argumento tangitur subtilitate, non opus est à conditione recedere, cùm ipsa sit rationabiliter posita: eò quòd dato opposito, in promptu est inconueniens, quod inde vt in plurimum sequeretur, scilicet, quòd mutuatarius cogeretur ratione interesse minoris soluere tantum, quantum ratione interesse maioris; quod apertam in se continet inæqualitatem. Et sequela patet posito casu, quòd indigens petat mutuo quindecim ad certum terminum soluendos, cum quibus est tunc verisimile, mutuantem fuisse in illo interim quinque lucraturus parùm, plùs, minúsue, deductis laboribus & expensis, &c. ait mutuans: faciam quod petis, modò illicò soluas F
mihi quinque pro cessione, qua ob tui causam cedo lucro aliàs probabiliter euenturo; & alter consentiens accipit à mutuante quindecim, de quibus illicò iuxta conuentionem soluit eidem quinque, & ita remanent apud mutuatarium decem; & ratione mutui, quia, scilicet, quindecim mutuo accepit, tenebitur in termino soluere, quindecim: & ita perinde est ac si mutuatarius mutuo decem acciperet, soluturus ratione mutui simul, & interesse in termino præfixo quindecim. Ac proinde sequitur intentum, quòd si quindecim mutuo recepisset, erat quinque ratione interesse soluturus: & recipiendo mutuo tantum decem, similiter est ratione interesse alia quinque soluturus; cùm tamen non sit verisimile, quòd mutuans tantum fuisset lucratus cum decem, quantum cū quindecim, Et ratio est intuenti clara.

II. Praeterea accederet, quòd mutuatarius nil in re ipsa mutuo acciperet, quod apud ipsum ad sui vtilitatem permaneret, & tamen teneretur mutuanti ad soluendam sortem, quam verè non accepit. Vbi ponamus, quòd indigens petat mutuo quindecim, & quòd sit verisimile quòd mutuans cum illis quindecim esset lucraturus alia quindecim in negotiatione iusta, idq; deductis laboribus & expensis, & fortè fuisset plus quàm quindecim lucratus: iam si licita esset præfata conuentio de statim soluendo interesse,

statim

A ſtatim quòd indigens mutuo acciperet quindecim, deberet illa quindecim illicò mutuanti ratione intereſſe dare; & ita nihil ſortis apud ipſum remaneret, & tamē teneretur in termino ſortem ſoluere, ac ſi apud ipſum remanſiſſet, quo nil abſurdius. Ac proinde ſtetur in conditione.

Reſpōdetur ad argumenta contra ſeptimā conditionē allata.

Ad I.

NEC OBSTANT, quæ in oppoſitum adducta ſunt, non eſt enim ſimile, quod primo fuit allegatum, de eo, qui vendit pro pretio ad ſtatim, fructus incertos euenturos: illud enim iuſtum eſt, ſuppoſito quòd ſeruetur æqualitas inter pretium taxatum, & mercem; quæ eſt, ius percipiendi fructus venturos præfatæ vineæ, quod quidem ius transfert dominus vineæ in emptorem. In noſtro autem caſu, non fit talis venditio, quia mutuans nil in mutuatarium transfert, niſi id, quod mutuat. Et quamuis cedat lucro veriſimili alioqui euenturo, eo ipſo, quòd ſtatim pro tali ceſsione aliquid mutuanti ſoluit, fit iniuſtitia prædicta, ſcilicet, quòd tantum ſoluat pro minori intereſſe, quantum pro maiori, vt deductum eſt. Quod ex caſibus in oppoſitum adductis minimè ſequitur.

Ad II.

AD SECVNDVM dicendum, quòd argumentum bene probat intentum, ſcilicet, non ideò præfatum contractum vitiari, quia mutuatarius, ſoluere cogitur pro intereſſe priuſquam in effectu ipſum intereſſe interueniat. Nec ex eo, quòd mutuans obligat mutuatarium ad aliquid, ad quod nec ratione mutui, nec ratione intereſſe alioqui teneretur; ſed quia obligat illum ad plus, quàm æquum & iuſtum ſit: quia ſcilicet, vt deductum
B eſt, obligat illum ad ſoluendum pro intereſſe minori, quantum deberet pro maiori ſoluere, vt patet de ſe. Idque dixi vtplurimum ex oppoſito conditionis ſequi; nam non nego poſſe contingere non minùs intereſſe pati mutuantem, minus mutuando, quàm ſi multum mutuet, vt ſi ad lucrum ſperatum obtinendum requirebantur centum ducati, nec pauciores ſuffeciſſent, tunc ſi mutuet ex illis decē, duos ducatos, aut vnū, non minùs lucrum perdit, quàm ſi omnes centum mutuaſſet: in tali caſu, non minùs deberet mutuatarius, ratione intereſſe ſoluere, vnum ducatum mutuò accipiendo, quàm ſi omnes centum mutuo accepiſſet.

Sententia authoris de cōditionibus neceſſariis ad ſupradictam exactionem.

EST ERGO reſolutio, quòd ad iuſtificandam exactionem, qua mutuans tempore mutuationis, à mutuatario aliquid certum ratione intereſſe exigit, hæc requirantur. Primum, quòd tempore contractus ſit veriſimile præfatum intereſſe, etſi omninò certum non ſit. *Conditio* I.
Secundum quòd id, quod ratione intereſſe exigitur, ſit ita moderatum, vt tempore contractus ſit veriſimile dubium, lucrum futurum cui ceditur, fore plus minúſue, quàm id, quod exigitur, vt æqua ſit vtriuſque conditio. II.
Tertium, quòd teſte conſcientia ipſius mutuantis indifferens ſit eidem mutuare adiecto pacto cum tali exactione, aut pecuniam ſuam retinere, & lucrum ſperatum proſequi. III.
Quartum, quòd tale intereſſe, cogatur pati ipſe mutuans, ratione mutuationis, ad quod opus eſt mutuationem fieri, ad inſtantiam mutuatarij. IIII.
Quintum, quòd non ſit mutuatarius tanta neceſsitate preſſus, quòd nec habeat, nec habere ſperet, vnde poſsit pro intereſſe prædicto ſatisfacere, poſſit tamen mutuatam ſortem ſuo tempore ſoluere, idque ſiue mutuatio in caſu ſit conſilij, ſiue præcepti. V.
C Sextum, quòd exactio non fiat eo modo, vt mutuatarius teneatur ſtatim pro intereſſe ſatisfacere, ſeu exactum ſoluere. VI.
Septimum eſt, quòd in tali exactione deducantur labores & expenſę, quas mutuans erat alioqui, in lucri proſequutione, facturus. VII.
Poſtremum eſt, quòd caueatur ab infamia & ab ſcandalo, quòd in omnibus contractibus & operibus humanis eſt ſeruandum. VIII.
His omnibus concurrentibus, licita erit mutuatio cum præfata exactione, & ſiue poſtmodùm appareat, quòd mutuans plus longè fuiſſet lucratus, aut etiam nil, tenebitur mutuatarius mutuanti ſoluere, iuxta conuentionem præfatam, quæ non veritati lucri euenturi, ſed veriſimilitudini tunc rationabiliter habitæ innitebatur, idque de rigore contractus. Sed quoniam in his qui mutuant, aut ad terminum vendunt & emunt, rariſsimè hæc omnia requiſita concurrunt; ideò tales cōtractus, in quibus aliquid vltra capitale ratione intereſſe lucri ceſſantis exigitur diſſuadendi ſunt antè quàm fiant: poſt factum autem diligenter attendendū, an omnia requiſita concurrant néc ne, ne poſt factum aliquid temere, vel iuſtificetur, vel condemnetur. Et ob hanc cauſam Papa viſus eſt tales contractus diſſuadere in cap. in ciuitate, de vſuris. dicens: Ideò ciues ſaluti ſuæ bene conſulerent, ſi à tali contractu ceſſarent, cùm cogitationes hominum omnipotenti Deo nequeant occultari.

NOTA.
Contractus, in quibus aliquid vltra ſortem ratione intereſſe lucri ceſſantis exigitur, diſſuadendos eſſe, ne fiant: factos autem non temerè condemnādos.

Corollarium I.

SEQVITVR ex dictis, quàm periculosè errent homines, qui pecunias, quas mutuant, erant in arca ſeruaturi, & tamen inde lucrum quærūt ratione intereſſe lucri, quod

habere potuiſſent. Non enim eſt habenda ratio intereſſe, quod quis lucrari potuiſſet, ſed quod veriſimiliter de facto fuiſſet lucratus. D

II. Corollariũ.

Nec minùs errant mercatores, qui cum pecunias mutuant, vel merces ad terminũ vendunt, aliquid ratione intereſſe exigunt etiamſi cum illis pecuniis alioqui fuiſſent lucraturi, ſi alias totidem pecunias in arca habeant, quibus mediantibus idem lucrũ aſſequi potuiſſent, maximè ſi eas pro vſu ſuarum negotiationum ſeruatas habeant.

III. Corollariũ.

Errant præterea, qui ratione interſſe lucri ceſſantis, tantum exigunt, quantum eſt veriſimile alioqui lucraturos eſſe, non defalcando labores, pericula, & expenſas, quas in lucri proſequutione expendiſſent. Et etiam errant, ſi ea attendentes, & ſecundùm eorum quantitatem & æſtimationem tantundem defalcantes, totum in ſummo exigunt, quod lucrari poſſent, aut veriſimiliter lucraturi fuiſſent. Cùm interſit inter habere, & propè eſſe, & poſsit etiam huiuſmodi lucrum impediri.

IIII. Corollarium.

Errant præterea præfati negotiatores, qui in præfatis caſibus malunt potiùs habere certum lucrum, ſuper quo ratione intereſſe conueniunt, quàm cum ſuis pecuniis negotiando, lucro incerto ſe exponere; cùm ad minus deberent eorum affectus in ęquilibri lance conſiſtere, vt dictum eſt in tertio requiſito.

V. Corollarium.

Errant præterea mercatores, qui cùm mutuant, vel ad terminum vendunt, non ſolùm rationem habent intereſſe, quod ex carentia ſuæ pecuniæ veriſimiliter patientur, ſi alioqui ad ſtatim erant vendituri; ſed etiam ad intereſſe lucri, quod emendo vel vendendo ad terminum fuiſſent lucrati. Quemadmodùm errant mercatores, qui merces cariùs emerunt, eò quòd ad terminum ſibi venditæ fuerunt, ſi quando poſteà eas vendunt, volunt vltra alia, quæ iuſtè lucrari poſſunt, pretiũ augere; ob id, ſcilicet, quia & ipſi cariùs ad terminum eas emerunt, vt ſuprà tactũ eſt, quando de pretio iuſto agebamus. E

VI. Corollariũ.

Seqvitvr ampliùs errare eos, qui cùm poſsint res, quas habẽt, ad ſtatim pro pretio currenti vendere, quærunt potiùs emptores, quibus eas ad terminum cariùs vendãt, ratione intereſſe lucri, quod alioqui eſſent habituri. Sicut & ſimiliter errant mercatores, qui quærunt, quibus pecunias mutuent, aliquid ab eis ratione intereſſe exigentes; quandoquidem ratio intereſſe habenda non eſt niſi quando mutuatarij cauſa ſunt, vt mutuans tale intereſſe patiatur, hoc eſt, quando mutuans non ſe ad mutuandum offert, ſed ad mutuatarij inſtantiam mutuationem facit, aut res ſuas ad terminum vendit. Alioqui ſi ipſi, mutuatarios aut emptores, qui ad terminum emant, quærunt, intereſſe non mutuatariis, ſed ipſis mutuantibus venit imputandum.

Intereſſe duplex: propinquũ & remotum. Exempla vtriuſq; &c.

Circa interesse illud notandum eſt, quod eſt quoddam intereſſe immediatum ſeu propinquum, aliud verò remotum. Exemplum primi, ſi mutuans erat gallinam, aut rem aliam fructiferam empturus, vnde fructus ſperabat, & tamen ob cauſam mutui impeditur, ne rem illam fructiferam emat, vnde neceſſe eſt eum fructus præfatos amittere. Exemplum ſecundi, vt ſi empta gallina, ſeu ouo, ouum lucretur, & inde ſperat pullum ſeu pullam, ex qua rurſus alia oua ſperat &c. dempto primo fructu ſperato, reliqui dicuntur lucrum mediatum, & remotum, & carentia illius ob cauſam mutui, dicitur intereſſe remotum. Quod ergo dictum eſt, mutuatarium teneri ad intereſſe, cui mutuatio cauſam dedit, procedit de intereſſe propinquo, non de remoto; alioqui cùm intereſſe remotum videatur in infinitum procedere, ita etiam & ſatisfactio deberet in infinitum procedere: quod eſſet abſurdum. Et ſicut diſtinguitur de intereſſe lucri ceſſantis, ſimiliter de intereſſe damni emergentis diſtinguatur. Et hæc de ſecunda cauſa, ratione cuius poteſt aliquid vltra ſortem exigi, non ſolùm poſt mutuationem, ſed etiam tempore mutuationis. F

Ad quod intereſſe teneatur mutuatarius.

Cauſa tertia, ob quam licet aliquid vltrà ſortẽ recipere, ſed nõ exigere, eſt donatio mutuatarij.

Tertia cauſa, ratione cuius poteſt mutuans aliquid vltra ſortem recipere, licèt non exigere, eſt donatio ipſius mutuatarij. Huius ratio eſt clara; quia non eſt homo peioris conditionis ad recipiendum donatum, per hoc quod mutuauit, quàm ſi nil mutuaſſet, cæteris paribus, imò melioris; cùm ob beneficium mutuationis dignus ſit, cui præmium, vel gratificatio aliqua fiat, vt ſignificatur in cap. peruenit. de fideiuſſo. Cùm ergo is, qui nullum mutuationis beneficium alteri fecit, poteſt qnod ſibi ſpontè donatum fuerit, recipere: igitur à fortiori is, qui mutuum dederat.

Conditiones neceſſariæ ad prædictã cauſam. I.

Svnt tamen aliqua ad id iuſtificandum obſeruanda, quibus deficientibus, præfata receptio vitiabitur. Primum eſt ex parte mutuatarij, & eſt, quod ita ſit, quod mutuatarius ſpontè & liberaliter offerat quod donat; nõ tanquàm vi mutuationis debitum, nec metu quo

A quo timet mutuantē non ampliùs illi mutuaturum, nisi aliqua huiusmodi donatione illi facta. Nam si hoc ipsi mutuanti constiterit, oblatum recipere non poterit, sicut nec retinere. Cuius ratio est etiam nota: quia si posset, maximè ratione donationis sibi factæ: sed tunc donatio locum non habet; quia si vi mutui offeratur, pretij mutuationis potiùs, quàm doni rationem habere videtur, si ex præfato metu oblatio huiusmodi fiat: non ergo est donatio, de cuius ratione est spontanea & liberalis datio; qualis non est, quando metus illi causam præstat.

SECVNDVM requisitum est ex parte mutuantis, & est, quòd mutuans id, quod sibi spontè offertur, per viam donationis recipiat, hoc est, tanquam donatum, & non tanquam sibi ratione mutui debitum. Ratio etiam est nota; quia si non tanquam donatum, sed veluti vi mutui debitum, id recipiat, vsura est, vt ex definitione vsuræ patet. Tum etiā, quia si aliquid eum assecuraret, maximè donatio per mutuatarium eidem facta; sed donatio in casu completa esse non potest, cùm ex parte donatarij eiusdem acceptatio deficiat. Exemplum huius est apertum; si Petrus mihi vestem, quam habet, spontè donare intendit, ego autem donationem huiusmodi non acceptans, ipsum, per vim ex parte mea illatam, veste spolio, apertum est, me minimè à peccato excusari per liberalem spoliati donationem: nec vestem sic ablatam potero iustè retinere, quamdiu ex præfato deprauato affectu eam retineam; nisi affectu mutato, vestis donationem acceptare incipiam. II.

B

TERTIVM requisitum & generale est, quòd talis rei oblatæ receptio, nec aliorum scandalizatiua sit, nec ipsius recipientis infamatiua; quæ conditio de se satis nota est. III.

QVARTVM requisitum etiam ex parte recipientis est, vt suprà tetigi, quòd constet illi, mutuatarium spontè & liberaliter donare, aut saltem id verisimiliter præsumat: secùs si oppositum præsumatur, aut causa oppositum præsumendi habeatur; nam stante aliqua huiusmodi causæ oppositæ præsumptione, illicita erit præfata receptio: vt si mutuatarius, qui munus offert, est paupertate pressus, aut illiberalis, qui talia munera liberaliter offerre non solet; sed ob beneficium inde speratum, puta vt sibi in posterum cùm indiguerit mutuetur: aut si munus ante sortis mutuatæ solutionem offeratur; quia in his casibus iuxta qualitatem personæ, iustè præsumitur, quòd non gratis & liberaliter munus offertur; sed vel, vt terminus solutionis sortis prorogetur, quod est secundò mutuare: vel vt postmodùm, cùm ipse oblator indiguerit, illi mutuetur. Similiter si mutuator tempore mutuationis verbis aut signis insinuauit, se aliquod munus ex mutuo sperare, etiamsi iocosè id dixerit; mutuatarius autem seriò id dictum esse acceperit, ratione cuius posteà munus aliquod offert, iustè præsumitur, illum non liberaliter donare, sed quia quodammodò fuerat exactum. Itaque his aut aliis causis existentibus, quibus præsumitur, aut rationabiliter præsumi potest, muneris oblationem non spontè & liberaliter, sed vi mutui accepti, vel postmodùm accipiendi fieri, illicita erit receptio. IIII. *Vnde cognosci q̄at, mutuatariū non spōtè ac liberaliter donare munus aliquod mutuatori.*

C SED NVNQVID hoc sit vniuersaliter verum, quòd non liceat mutuatori munus oblatum, ante solutionem sortis, aut post eam solutam, accipere, quando præsumitur offerentis intentionem hanc esse, scilicet, vt mutuator posteà, cùm ipse offerens indiguerit, aut petierit, eidem mutuet; quodque non aliter munus esset oblatum? Et videtur quòd non, supposito quòd ipse offerens non necessitate pressus, ipsam muneris oblationem faciat, sed sit competenter diues, nec præsumitur quòd mutuum petat ex indigentia, sed ad lucrum inde sibi quærendum, aut ad alia opera citra indigentiam exercenda. Durum esset in casu ipsum mutuatorem, si taliter oblatum recipiat, condemnare, secluso semper periculo scandali & infamiæ. Potest tamen, qui talia offert, tripliciter se habere. *Dubium. An mutuator possit munus accipere hac intētione oblatum, vt ipse posteà offerenti cùm indiguerit, eiā mutuet. Resolutio trimembris.*

VNO MODO, explicando suum intentum, dicendo se ideo offerre, vt postmodùm cùm mutuum petierit, sibi concedatur, & hoc modo est donatio modalis, cuius causa principalis & finalis est futura mutuatio: & tunc illicita est talis muneris receptio, cùm non liberaliter, sed pro futura mutuatione donetur, & ideò esset vsuraria huiusmodi receptio, I.

POTEST secundò munus offerri, intentum similiter explicando, scilicet, se à donatario beneficium mutuationis sperare, non quidem intendendo ei onus hoc postmodùm mutuandi iniungere, sed eum quodammodò ad amicitiam sui attrahere, vt tādem sic dispositus, faciliùs offerentis petioni postmodùm consentiat. Et hoc modo tenet donatio, II.

natio, siue spes illa offerentis opere compleatur, siue non: eò quòd præfata muneris oblatio non pro spe futuræ mutuationis facta est, sed in spe. Refert autem, pro spe, aut in spe retributionis aliquid agere, vt suprà tetigimus. Et ita in tali casu licita videtur esse talis receptio; quemadmodùm licita est mutuatio in spe, non pro spe retributionis facta. D

III. TERTIO modo potest munus offerri, spe sola mente concepta, & non exterius significata, & tunc coniecturis opus est. Si enim præsumitur, causam finalem offerentis, futuram mutuationem esse, idem est ac si exteriùs mentem explicaret, & esset in casu modalis donatio. Si autem præsumitur, offerētem directè & immediatè intendere animum donatarij mollificare & disponere, vt faciliùs postmodùm mutuet, donatio tenet, & licita est receptio. Pro quibus vide, quòd suprà de donatione ob causam differebamus. Sicut etiam excusatur Iudex, cui munus spontè & liberaliter offertur, non animo iustitiam emendi, nec ipsum iudicem corrumpendi, nec ipsi iudici onus ad iniustè sententiandum imponendi, sed animo eum propitium habendi: seu eum ad id, quod iustū est, iudicandum disponendi, atque alliciendi, etiamsi in his casibus, vbi de effectu optato desperaretur, muneris oblatio minimè fieret.

Casus quidam proponitur. HINC apparet, quid dicendum ad casum sequentem, qui (vt aiunt) frequenter inter dominos & Principes exercetur. Reges, Duces, aliique temporales domini, suis militibus, aut seruitoribus, aliisque personis certum stipendium in termino soluere obligati, cùm id fortè in eodem termino soluere non possint, mercatores quærunt, seu alios diuites, cum quibus datis suis schedulis, taliter conueniunt, vt præfati diuites, debita ipsorum dominorum in termino statuto soluant, & promittunt se vltra sortem certum quid illis reddituros, vt si diuites præfati, pro dominis centum soluerint, reddentur eisdem centum & decem, aut plus, secundùm quòd domini præfati promittere velint. Adduntque in schedula se ex nunc, vt pro tunc gratìs & liberaliter præfati incrementi ipsis mercatoribus donationem facere, ne metu vsuræ, aut obligationis restituendi, à præfata solutione, pro dictis dominis agenda, reuocentur. Quæritur an huiusmodi mercatores, in tali casu sint ab vsura & debito restituendi immunes, ob donationem mutuatarij, illis vt præfertur factam? Et pro parte affirmatiua facere videtur; quia ratione donationis licitum est mutuanti vltra sortem accipere, & acceptū retinere. Nec refert donationem ante incrementi receptionem, aut posteà fieri; nam si dominus rei, quam aliquis furto subripuit, liberam donationem illius rei, ipsi furi faciat post rem furto sublatam, valebit donatio, & tutus erit fur à peccato simul & debito restituendi, post huiusmodi donationem illi factam. Similiter etiam erit tutus, si ante patratum furtum, dominus rei liberè & spontè donationem illi taliter faciat, scilicet, vt si rem illam fuerit furatus, ex nunc pro tunc gratiam & donationem eius illi facio. Igitur pari forma, in nostro casu, donatio ante incrementi receptionem facta, liberabit recipientem à culpa simul & debito restituendi; sicut donatio post incrementi receptionem facta, eundem recipientem liberaret. E

Argumentum pro parte affirmatiua huius casus.

F

Responsio. Illa donatio in casu proposito facta, non liberat mutuantē ab vsura, nec à restitutione. OPPOSITVM tamen videtur tenendum, scilicet, quòd illa donatio ante mutuationem seu solutionem nomine regis factam, non liberat mutuantem, nec à culpa vsuræ, nec à debito restituendi superacceptum. Cuius ratio videtur aperta; quia mutuatio virtute præfatæ schedulæ facta, non gratìs, vti debet, fit, sed pro lucro in schedula nomine donationis promisso; nam ipsa regis promissio, dat causam præfatæ solutioni, quæ

Ratio I. virtualiter quædam mutuatio est, vt constat, qua promissione & securitate lucri seu donationis seclusa, mercator præfatam solutionem non fecisset, ac proinde talis mutuatio vsuraria est.

Ratio II. TVM ETIAM, si mercator in casu posset ab vsura & restitutione superaccepti excusari, maximè ratione donationis in schedula contentæ; sed illa non est vera donatio, eò quòd nō spontè & liberaliter fit, imò ex necessitate, qua rex pecunia indiget, ad suis creditoribus satisfaciendum, quam non nisi per viam mutui recipere potest. Nec talem donationem rex ipse faceret, nisi id, quo indiget, sibi mutuetur. Ac proinde illa incrementi promissio, non ex liberalitate, sed ex necessitate, & ratione mutui, quo indiget, fieri videtur, & per consequens non liberat sic mutuantem.

Ratio III. CONFIRMATVR, si rex in tali necessitate constitutus mercatori daret in promptu decem hac lege, vt pro illo soluat centum, addens quòd si soluerit, eo ipso facit ei donationem liberam illorū decem, certè & si verbis donationis vtatur, donatio tamē simpliciter

A citer dicenda non eſt; ſed pactum adiectum de mutuando centum, ſeu tantundem pro rege ſoluendo, trahit ipſam donationem in aliam ſpeciem contractus ſcilicet do, vt facias, do, vt mutues. Vnde in contractibus non tam verba, quam res ipſa ſunt attendenda; cum ſæpe contrahentes vtantur nomine mutui, vbi non mutuum, ſed venditio ſit, & econtrà. Cuius exemplum clarum eſt, ſi quis ita cum altero contrahat: Mutua mihi centum ducatos, & dabo tibi quolibet anno donec eos reſtituam decem; talis contractus non mutuatio eſt, ſed venditio cenſus, vt patet. Aut econtrà, ſi ita quis contrahat: Vende mihi cenſum, quo ſingulis annis mihi ſoluas decem, & dabo tibi centum ducatos, appoſito pacto, quòd in fine quatuor annorum reddas mihi capitale, talis contractus nõ venditio eſt, ſed mutuatio vſuraria; quia pactum appoſitum de reuocando capitali, eſt contra naturam emptionis & venditionis, & eſt de natura mutui, &c. Ita igitur in noſtro caſu, etſi verbo donationis rex ipſe vtatur, verè donatio non eſt &c. Et ita qui pro rege, vt præfertur, ſoluit, nec ab vſura, nec à debito reſtituendi ſuperacceptum erit liber, etſi in præfata ſchedula hæc clauſula fuerit appoſita, ſcilicet, quòd ſi fortè mercator, poſt ſortem ſimul cùm incremento promiſſo, manſerit in conſcientia mihi obligatus ad ſuperacceptum reſtituendum, ego ex nunc, pro tunc illi remitto præfati incrementi debitum, &c. Nam ſicut promiſsio atque donatio mutuationem præcedens non libera fuit, nec vera donatio, ita nec remiſsio huiuſmodi, ante mutuationem, pro tempore futuro
B facta, eſt libera & vera remiſsio ob eandem cauſam. Et ita virtute præfatæ ſchedulæ prædictus mercator, nec incrementum promiſſum recipere, nec illud receptum retinere poterit: niſi poſt mutuationem noua donatio, & noua remiſsio mutuatarij ſuperueniat; nam tunc virtute huius nouæ donationis, ſeu ſpontaneæ remiſsionis poterit mutuator à debito reſtituendi liberari.

NEC EST ſimile, quod pro ſimili adductum eſt, de donatione ante furtum commiſſum facta, & de donatione ante mutuationem facta. Nam prima, non habet vnde vitietur ſicut ſecunda. Prima enim fit abſolutè abſque pacto aliquo, aut conuentione adiecta: ſecunda verò non fit, niſi cum pacto de mutuando. Prima fit non ex indigentia & neceſsitate, ſed ex liberalitate: ſecunda verò non niſi ex indigentia, vt poſitum eſt. *Reſpondetur ad argumētum pro parte affirmatiua adductum.*

ET PROCEDIT, præfata ad caſum reſponſio, de illis mercatoribus, quibus ipſa lucri ſeu doni promiſsio, cauſa eſt ſine qua non, vt mutuent, lucrum ipſum promiſſum intendentes, & de rege aut domino promiſsionem ex neceſsitate faciente. Tum enim duplici titulo peccat, & tenetur ſuperacceptum ipſe mercator reſtituere: tum, quia lucrum eſt vſurarium: tum etiam, quia donatio non fuit ſatis valida. Aduerte tamen, quòd ſtat in caſu mutuationem eſſe vſurariam, & doni promiſsi receptionem, & tunc quamuis peccet mercator ſic mutuando, non tamen tenebitur ſuperacceptum reſtituere. Vt ſi donatio in ſchedula contenta fuit valida, & mercator tempore, quo incrementum promiſſum recipit, non ratione mutui, quod fecit, ſed ratione donationis ipſum recipiat, *Senſus ſupradictæ reſponſionis ad caſum propoſitum.* *In caſu eodem poteſt mutuatio eſſe vſuraria; non item doni promiſsi receptio.*
C etiamſi noua poſt mutuationem donatio, aut remiſsio non fiat. Quòd enim poſsit donatio præcedens mutuationem, ſicut & ſubſequens, valida eſſe, apparet, ſi non ex indigentia aut neceſsitate, quę voluntarium tollat, procedat. Vnde ſtat, quòd rex præfatam promiſsionem faciens, eam agat ex neceſsitate ſubueniendi ſibi, & familiæ ſuæ; aut ex neceſsitate ſuum regnum ab hoſtibus defendendi & conſeruandi, cùm aliter illud conſeruare non poteſt: aut tertiò ex neceſsitate, qua pecuniis indiget ad regnum ſuũ ampliandum, ſeu noua regna lucranda: aut quartò ex neceſsitate, qua pecuniis indiget, ad alia opera voluntaria agenda. Si donationem prædictam ex prima aut ſecunda neceſsitate faciat, non dubium quin voluntarium talis neceſsitas tollat; cùm non ſolùm pecuniæ ſint regi, in caſu ad præfatos fines neceſſariæ, ſed ipſi fines intenti ſunt per regem neceſſariò intendendi; & per conſequens talis donatio ſeu remiſsio mutuationem pręcedens, non reddit tutum mercatorem, quo minùs teneatur ſuper acceptum reſtituere, niſi noua ſuperueniat remiſsio. Si autem præfata donatio in ſchedula contenta ex ſecunda aut tertia neceſsitate fiat, non ita videtur de ſe inuoluntaria, nec inualida; quia quamuis pecuniæ, ſint regi ad illos duos fines neceſſariæ, ex quo tamen huiuſmodi fines neceſſarij illi non ſunt, ſed merè voluntarij vt ſuppono, ideò dicerem talem donationem validam eſſe; & per conſequens in tali caſu, ſi mercator tempore ſolutionis incrementum promiſſum ratione donationis prædictæ recipiat, etiamſi donatio noua non ſuperueniat, non eſſet in conſcientia ad reſtituendum compellendus.

Causa IIII est pœna cōtra mutuatarium à morosum decreta, quæ triplex est.

QVARTA causa, ratione cuius licitum est mutuanti aliquid vltrà recipere, est pœna, quæ contra mutuatarium morosum instituitur per eum soluēda, si sortem in præfixo termino non reddat. Est autem huiusmodi pœna triplex, legalis, iudicialis, & conuentionalis. Legalis dicitur, quæ à lege, vel statuto imposita est, vt statutum est D
I. in aliqua ciuitate, quòd tutor de pecuniis pupilli, quæ ad manus eius perueniūt, teneatur emere possessiones, vel respondere pupillo, ad rationem quinque pro centenario: si tunc tutor pecunias pupilli, non pro pupilli vtilitate, sed pro sua propria exponat, cogetur
II. soluere de centum quinque. Quæ quinque dicuntur pœna legalis. Iudicialis dicitur, quæ à iudice contra debitorem conuictum imponitur, nisi statuto die creditori satisfaciat.
III. Conuentionalis verò est, quæ de consensu contrahentium contra morosum debitorem statuitur.

Conclusio I. de prioribus duabus pœnis.

ET DE pœna legali & iudiciali non dubium, quin possit imponi, & iustè à moroso debitore exigi; modò sit moderata, quæ etiam ad finem, ad quem imponitur, deseruiat. Nam potest esse adeò parua, quòd nil, aut parum, ex metu eius debitor ad soluendum mouebitur. Potest etiam esse adeò excessiua, vt impium sit, eam exequutioni mandare, si quantitati culpę proportionata non sit. Et quamuis morosus debitor ex contractu quodammodò furi æquiparetur, non tamen tanta debet contra debitorem huiusmodi pœna imponi, quanta contra furem, aut alium debitorem ex delicto.

Conclusio II de tertia pœna.
Ratio I.

DE POENA etiam conuentionali non dubitatur, quin iustè ex partium consensu statui possit, similiter & suo tempore exigi & recipi. Cuius ratio clara est; quia iustè potest ex partium consensu, pœna stabiliri contra eum, qui rem alterius, eo inuito, retinuerit, & suo tempore non reddiderit; nam talis retentio est iniusta, & peccaminosa, & per consequens aliqua pœna non solum apud Deum, sed etiam apud homines digna. Tum E
II. etiam, quia talis pœnalis conuentio, nulli est iniuriosa; quia vel esset iniuriosa legi, talem conuentionem prohibenti; & hoc non, quia suppono, nulla lege præfatam conuentionem simpliciter esse prohibitam: vel esset iniuriosa ei, contra quem imponitur; & hoc non, quia volenti & consentienti non fit iniuria, modò ambo contrahentes in talem pœnā liberè consentiant. Sed nec est iniuriosa ipsi mutuanti, cùm in eius fauorem, & vo-
III. luntate ipsius instituatur, vt constat: igitur. Pro quo etiam facit communis practica: quia in contractibus censualibus, communiter solent apponi pœnæ contra morosum debitorem, quæ quidem iure non modò non reprobantur, sed approbantur, & adimpleri mandantur: quemadmodum & reliqua pacta, quæ iure non reprobantur, sunt tenendā, & seruanda, vt patet ex titulo de pactis. Ergo etiam mutuator poterit pœnam contra mutuatarium morosum, ex eius consensu imponere.

Conditiones ad hāc tertiā pœnā requisita, vt illa iustè imponatur & exigatur.

OPORTET tamen aliquas conditiones seruari, vt huiusmodi conuentionalis pœna licitè imponatur, & exigatur. Vna est, quòd mutuator mallet in conscientia sortem, quam mutuat, in termino statuto sine pœna rehabere, quàm mutuatarium talem pœnam ex mora incurrere, nam dato opposito, videretur prætendere lucrum ex mutuo. F

Coniectio I.
Limitatio huius primæ conditionis.

SED NVNQVID hæc conditio sit limitanda, sicut fuit limitata suprà, quando de interesse loquebamur, scilicet quòd mutuanti sit teste conscientia, indifferens vnum de duobus eligere scilicet sortem solam in termino præfixo habere, aut sortem cum pœna statuta post moram habere? cessare namque tunc videtur lucri cupiditas, cùm vtrunque

Quando locum habeat hæc limitatio.

æqua lance pensetur. Dicendum, quòd quantum attinet ad vitandam culpam vsuræ, tenet huiusmodi limitatio; maximè si præfata pœna, apponatur in recompensam grauaminis, quod mutuator timet se passurum ex mora mutuatarij. Est enim multis molestum & graue, & quibusdam plus, quibusdam minus, debitores in termino statuto illis deficere; & hoc grauamen & molestia pretio æstimabile est, ac proinde vicē habet interesse, ratione cuius pœna contra morosum apponitur. Et si hæc sit mutuantis intentio principalis, scilicet per pœnæ iniunctionem præfatum grauamē & molestiam euadere, aut recompensare, tunc pœna imposita deberet proportionari præfato grauamini, & diceretur exigi potiùs ratione interesse, quàm ratione pœnæ. Si tamen non sit hæc principalis intentio mutuantis, quia forte parum, aut nil molestum erit ipsi mutuanti, quòd mutuarius terminum statutum aliquantulum transgrediatur; sed potiùs ad pœnam statuendam mouetur ex zelo iustitiæ, & odio iniustitiæ, quam iniustitiam committeret debitor sine creditoris consensu, in termino debitum non soluendo, tunc habet propriè rationem pœnæ: & tunc non habet locum præfata limitatio conditionis præsentis; quia non debet

A debet esse indifferens ipsi mutuanti, sed potiùs debet malle, mutuatarium in termino solam sortem soluere, quàm post moram, sortem cum pœna soluere. Quia si sortem in termino soluat, nulla est culpa; si verò non in termino soluat, sed ex mora pœnam incurrat, interuenit culpa, vt constat intuenti. Et ita si pœna prę fata (propriè de pœna loquendo) statuatur, stat prima conditio posita, scilicet, quòd mutuans mallet sortem in termino nudam habere, quàm mutuatario in mora existente, sortem simul habere cum pœna. Et si esset id (hoc modo consideratum) indifferens ipsi mutuanti, peccaret quidem contra charitatem, tanquam is cui indifferens est proximum peccare, aut non; non tamen peccato vsuræ, nisi pœnam per modum lucri intenderet.

SECVNDA conditio, quòd caueat, qui pœnam huiusmodi imponit & exigit, ne inde infametur, aut alios scandalizet, aut ne contra illum sinistrè aliquid præsumatur. Quę conditio, vt dixi, generalis est in omni contractu seruanda. *II. Conditio.*

TERTIA conditio, quòd dilatio solutionis sortis, non sit de præcepto. Potest enim mutuatarius, adueniente termino solutionis tam impotens, aut inops esse, quòd contra charitatem esset, eum ad solutionem sortis compellere: maximè si vel nil habeat, vel vnicam vestem quam habet, aliámue supellectilem eidem necessariam vendere cogatur. Tunc enim sicut impotentia, aut tam notabilis inopia, eum à solutione sortis pro tunc deobligat, ita à fortiori à solutione pœnæ; cùm iniustum sit vt pœnam sentiat, qui culpam non admisit. Nec in tali casu dicetur propriè morosus debitor, cum per eum non stet, quo minùs soluat. Sicut si tempore solutionis esset vel captiuus, vel incarceratus, aut in loco distanti infirmus, aut aliter impeditus, quo minus in illo termino soluere posit, non illi imputatur mora, nec culpa, & ideò debet esse immunis à pœna. Et procedit hoc, quando huiusmodi debitor, non incidit præfatam impotentiam ex culpa sua; nam tunc, sicut non liberatur ob culpabilem impotentiam à debito soluendi sortem, & interesse, ita nec à debito soluendi pœnam, quando scilicet potens fuerit. *III. Conditio.*

B

COROLLARIE sequitur, quòd quando huiusmodi pœna non pro interesse, sed pro culpa & mora debitoris imponitur, non opùs est, vt sit ipsi interesse proportionata; quia etiam omni interesse secluso, locum habet præfata pœna. Quare impertinens videtur, quod ait Scotus & alij post ipsum: quòd causa quare iustè imponitur est, quia fortè mutuator patietur magnum aliquod damnum, si sibi in termino debitum non soluatur. Nam siue illud pati timeat, siue non; siue actu illud patiatur, siue non, sola culpa & mora debitoris, facit eum pœnæ debitorem, ex quo ipse sponte se ad pœnam obligauit. Maximè cùm ipse Scotus distinguat inter pœnam & interesse, dicens diuersum esse aliquid vltra sortem per viam pœnæ recipere, & ratione interesse. *Corollarium I.*

SEQVITVR ampliùs differentiã esse inter pœnam, & interesse. Quia si mutuatario in termino præfixo non soluente, mutuator aliquod interesse patiatur; tenebitur mutuatarius quando poterit, ad satisfaciendum pro tali interesse, etiamsi impotentiam in termino soluendi sine culpa inciderit, non tamen ita tenebitur ad pœnam. Ratio discriminis clara est; quia in recompensatione pro interesse agenda, non requiritur culpa recompensantis, qualis requiritur in pœna soluenda, vt patet ex dictis. *Corollariũ II.*

C

AD HAS igitur quatuor causas reliquę reduci possunt, propter quas licitum est aliquid vltra sortem exigere, aut oblatum recipere, In quibus casibus non vera vsura est, sed similitudinaria. Et quemadmodùm præfatæ causæ à culpa vsuræ mutuatorem excusant, ita & à debito restituendi, eum immunem faciunt.

De vsura restituenda.

QVÆSTIO IIII.

SVPEREST nunc de vsura vera, quò ad debitum restituendi aliquid dicere. De qua est generaliter quærendum, an omnis vsura vera, inducat obligationem restituendi. Et ratio difficultatis est, quia multoties committitur vsura, per quam mutuatarius nõ damnificatur, nec aliquid vltra sortem mutuanti soluit, quod eidem alioqui debitum non sit: igitur tunc nil erit ab vsurario restituendum. Antecedens patet, si mutuator mutuat hac lege, vt mutuatarius postmodum mutuanti remutuet: aut ad officinam seu molendinum eius potiùs, quàm alterius empturus, aut moliturus veniat: & ita de aliis potest

An omnis vsura vera inducat obligationem restituendi.
Argumenta pro parte negatiua:
I.

poteſt exemplificari,ſuppoſito quòd in emptione & molitione prefatus mutuator non nisi quod iuſtum fuerit, ſit exacturus. Quòd enim in huiuſmodi caſibus, in quibus mutuatio fit, cum pacto de ineundo alio contractu etiam iuſto vſura ſit, apparet ex cap. nauiganti, de vſuris. vbi damnatur hic contractus tanquam vſurarius, quo ſcilicet quis certam pecuniæ quantitatem mutuat, periculum pecuniarum pro aliqua certa mercede, de qua inter eos conuenitur, in ſe ſuſcipiens, quamuis merces ipſa, præfatæ aſſecurationi iuſtè correſpondeat. Quòd autem in huiuſmodi caſibus, nil ſit de neceſsitate mutuatario reſtituendum, apparet; quia nil indebitum ab illo exactum, aut receptum eſt. D

II. SECVNDO ad idem arguitur, de vſurario mentali, qui omni pacto ſecluſo, ſola mēte ſpem lucri retinet, quod etiam poſtmodum per mutuatarium oblatum recipit: talis non videtur teneri ad reſtituendum ſuperacceptum; nam ſimoniacus mentalis, non tenetur reſtituere: igitur nec vſurarius mentalis. Conſequentia apparet paritate rationis: & antecedens patet ex cap. finali, de ſimonia. vbi præmittens de acquiſitione temporalium & ſpiritualium, nullo pacto, ſed affectu animi præcedente, dicit, quòd hoc caſu ſufficit delinquentibus, per ſolam pœnitentiam ſuo ſatisfacere creatori: igitur.

III. TERTIO arguitur ad idem, de vſurario reali, ex pacto reali, lucrum acquirēte, quod reſtituere non tenetur. Quia vſurarius acquirit dominium lucri per mutuum acquiſiti: igitur non tenetur illud reſtituere. Antecedens apparet, quia ad acquiſitionem illius lucri concurrit voluntas proprij domini ſcilicet mutuatarij; modò autem nil tam conueniens eſt naturali æquitati, quàm voluntatem domini volentis rem ſuam in alium transferri, ratam haberi, vt habetur Inſtitut. de rerum diuiſione. §. per traditionem. Alioqui ſequeretur, quòd non poſſent alij cum vſurariis commercia facere, nec illis aliquid vendere, nec aliquid ab eis recipere, ſaltem ſi nil habeant, præter ea, quæ vſurariè acquiſierunt; nam quicquid alij ab vſurario huiuſmodi reciperent, eſſet alienum, ſcilicet creditorum, à quibus illud per vſuram extorſerunt; & ita rem alienam inuito domino ſicut & ipſi vſurariè contrectarent. E

IIII. QVARTO arguitur ad idem, quia ſi lucrum vſurariū eſſet neceſſariò reſtituendum, ſimiliter ergo eſſet reſtituendum, quicquid cum pecunia fœnebri vſurarius acquiſiuerit; cùm non minùs mortiferum ſit ſecundum lucrum, quàm primum, iuxta illud ad Romanos cap. II. Si radix mortifera, etiam & rami.

V. QVINTO arguitur ad idem, quia ſi vſurarius lucrum taliter acquiſitum teneretur reſtituere, ſimiliter ergo tenerentur hæredes eius, ſi ipſe in vita non reſtituit; cùm hæreditas, cum ſuo onere, ad hæredes tranſeat. Tenerentur etiam ceteri, cum vſurario ad vſuras exercendas cooperantes: quemadmodùm concurrentes cum fure tenentur ſicut ipſe; iuxta regulam iuris, qui cauſam damni dat, damnum dediſſe videtur.

Reſolutio affirmatiua. HIS NON obſtantibus, oppoſitum tenendum eſt. Pro quo illud notandum, quod ſuprà dicebamus ſcilicet aliud eſſe mutuationem eſſe vſurariam, aliud verò lucrum; ſtat enim alterum ſine altero vſurarium eſſe. Redditur mutuatio vſuraria, ſi pactum de lucro apponatur, & eſt vſura pactionalis: ſimiliter ſecluſo pacto, ſi ex mutuo ipſo lucrum principaliter intendatur, ſeu ſperetur, vt ſuprà dicebamus, & dicitur vſura mentalis. Lucrum autem dicitur vſurarium, tam in ipſa lucri acquiſitione, quàm in eiuſdem retentione, ſi ratione mutui retentum, aut acquiſitum ſit. F

Duplex vſuræ acceptio. *Vſura accepta pro lucro vſurario, reſtituenda eſt.* *Probatur.* VSVRA autem accipitur aliquando pro mutuatione vſuraria; aliquando verò pro lucro vſurario. Si igitur pro lucro vſurario accipiatur, non dubium eſt, talem vſuram eſſe de neceſsitate reſtituendam, ſiue mutuatio fuerit pactionalis, ſiue mentalis: cuius ratio eſt manifeſta; quia quandocunque lege Dei prohibetur, non ſolum lucri acquiſitio, ſed etiam ipſum lucrum, quicunque illud receperit, tenetur illud reſtituere: lege autem Dei, prohibetur non ſolùm acquiſitio lucri vſurarij, ſed ipſum lucrum, & eiuſdem receptio. Igitur illud eſt neceſſariò reſtituendū. Maior patet, quia illa eſt ratio, quare meretrix nō tenetur lucrū turpiter acquiſitum reſtituere; quia licèt modus acquirendi ſit lege diuina vetitus, non tamen lucrum ipſum meretricium. Meretrix enim, vt ait lex, 4. ff. de condict. ob tur. cauſ. quamuis turpiter agat, non tamen turpiter recipit. E contrà verò, qui ſimulatione paupertatis eleemoſynā accipit, cùm verè pauper non ſit, tenetur eleemoſynā reſtituere; quia illicitum eſt ei eleemoſynā recipere, ſicut & Iudici pro iniqua ſententia ferenda, lege vetitū eſt munera recipere, ideo tenetur acceptum reſtituere: & eſt cōmunis doctrina. Quod aūt lege Dei prohibita ſit lucri vſurarij receptio, patet per illud Ezech. c. 18. vbi

Lucri vsurarij receptio lege diuina prohibita est.
Probatur I.

A 18. vbi Dominus ostendens quomodò filius iniqui patris non morietur, inter cætera ait: si virum non contristauerit, pignus non retinuerit, rapinam non rapuerit, panem esurienti dederit, nudum operuerit vestimento, à pauperis iniuria manum suam auerterit, vsuram & superabundantiam non acceperit, hic non morietur &c. Vnde patet ipsum lucrum vsurarium esse in se prohibitum.

II.

IDEM ETIAM patet ex Lucæ 6. cap. Mutuum date, nil inde sperantes: vbi cùm spes lucri expresse prohibeatur, à fortiori intelligitur lucri receptio prohibita. Et quòd hic locus valeat ad probãdam necessitatem, huiusmodi lucrum restituendi, patet; quia aliâs nusquam in lege Euangelica, fundata esset necessitas restituendi vsuras, siue cum pacto, siue sine pacto facta fuerit mutuatio; quod est absurdum, & contra omnium Sanctorum sententiam, vt suprà deduximus. An autem ex mutuatione vsuraria, oriatur similiter obligatio restituendi, & qualis, patebit in difficultate statim mouenda.

Dubium circa I. *argumentum propositum pro parte negatiua. An licita sit mutuatio cum pacto alterius contractus ineundi?*
Sententia I. *affirmatiua.*
Ratio I.

AD RATIONES anteà factas respondetur, ad primam, in qua tangitur difficultas de eo, qui mutuat cum pacto alterius contractus ineundi, dicendum variè respondisse Doctores. Et vt aliorum opiniones omittamus, dixit Adrianus post Gregorium de Arimino, quòd talis mutuatio etiam cum tali pacto facta, nec vsuraria est, nec obligationem restituendi inducit. Pro qua sententia arguitur primò, quia mutuans nullum lucrum alioqui indebitum inde acquirit; quia si sic, maximè obligationem ciuilem acquireret, B qua mutuatarium obligat, ad emendum de se sua officina &c: sed acquisitio talis obligationis, non vitiat mutuationem. Patet in casu suprà posito, quando de definitione vsuræ loquebamur. Supposito enim, quòd defunctus mihi legauit decem sciente hærede eius, testamentum tamen in foro exteriori, ob defectum solennitatis fuit nullum, & ideo hæres non est mihi obligatus, obligatione ciuili ad soluendum legatum, licèt sit in conscientia ad id obligatus; ego si illi mutuem, adiecto hoc pacto, quòd scilicet vltra capitale soluat mihi legatum, non pecco: nec mutuatio est vsuraria, ex quo non lucrum intendo, sed quod per illum mihi debitum est, recuperare desidero. Et tamen in mutuatione illa, obligationem ciuilem contra præfatum hæredem acquiro; igitur ciuilis obligatio per mutuationem acquisita, non de se vitiat ipsam, nec obligationem restituendi inducit, & per consequens, licitum erit mutuare, cum pacto, de emendo pro iusto pretio, merces ipsius mutuantis.

II.

SECVNDO, quòd ex tali contractu, quo mutuans mutuatarium obligat ad emendum de mutuantis officina, seruata æqualitate pretij, nulla oriatur obligatio restituendi, probatur, quia tunc ipse mutuator, non posset seruare & retinere id, quod iustè sibi debetur; nam totum pretium, quod pro merce mutuatario vendita recipit, sibi ratione mercis debitum est: imò esset obligatus minus retinere, quàm sibi iustè debetur, quod videtur implicare. Sequela patet, si talis mutuator, post mutuationem rem aliquam ipsi mutuatario pro iusto pretio, in infimo tamen gradu vendat: iam si de illo teneretur aliquid C ementi restituere, sequitur quod illatum est.

III.

TERTIO si quis mutuat colono pecuniam, vnde possit iumẽta, aut currum, aut alia necessaria emere, vt terras ipsius mutuantis colat, ne illæ terræ incultæ maneant, & pro terris colendis iustam ipsi colono mercedẽ tribuat; ille non tenebitur aliquid restituere, alioqui teneretur colono maius pretium, quàm sit iustum, pro sua opera dare: supposito, quod pretium, pro quo cum illo conuenerat, sit in gradu rigido; nam tenebitur ratione conuentionis, illud assignatum pretium colono soluere, & vltrà aliquid ratione pacti mutuationis dicti restituere: & ita intentum &c.

IIII.

QVARTO, si quis locauit alteri operas, pro certo denario sibi soluto, & nolit, vel nõ possit operari, nisi conductor mutuet vnde medio tempore viuat, talis conductor mutuando, non est vsurarius, nec aliquid restituere tenetur, vt communiter tenent Doctores; etiamsi mutuet, non aliâs mutuaturus, cùm nullam superabundantiam ex mutuo quærat: igitur, sicut licet post obligationem mutuare, vt obligationi satisfaciat, similiter licebit ab initio mutuare, vt pro iusto pretio conueniat.

Resolutio.
Prædicta mutuatio vsuraria est, & illicita.
Probatur I.

HIS NON obstantibus, videtur contrarium esse tenẽdum, quòd scilicet mutuatio, de qua difficultas hęc mota est, est vsuraria & illicita. Quod inde patet, & est argumentũ ad hominem, contra ipsum Adrianũ. Quia si licitum esset mutuare cũ pacto, de ineundo alium contractum, vt dictum est, sequitur quòd etiam esset licitum mutuare cum pacto de posteà remutuando; & ita naturalem obligationem ex mutuo ortã, liceret in pactum

deducere,

deducere, quod tamen negat ipse Adrianus: excepto, nisi cum certa modificatione præfatum pactum apponatur, scilicet si mutuem tibi hoc pacto, vt tu, quando ego indiguero, tenearis mihi similiter mutuare. Cuius limitationis causa est, quia tunc ego non exigo à mutuatario aliquid indebitum; sed potiùs debitum, cùm verè ita sit vt pono, quòd mutuatarius tenebitur mihi tunc sub pœna peccati ingratitudinis mutuare. D

II. Tvm etiam, quia mutuare cum tali pacto, est mutuatarium obligare ad aliquid, ad quod alioqui non tenetur, nec ex natura mutui, nec ex causa alia, & ita est mutuatarium indebitè grauare, obligando illum, vt onus tale in se suscipiat, quo scilicet sua libertate amissa, teneatur merces mutuantis emere; aut ad suum venire molendinum, seu officinam. Hanc autem libertatem perdere, & se alteri, vt dictum est, subiicere, est aliquid pretio æstimabile, vt constat: & ita esto, mutuator nullum aliud lucrum ex mutuo acquirat, nisi actionem; tamen hanc contra mutuatarium habere, est commodum pretio æstimabile. Et esto, quòd sibi formaliter non esset commodum aut lucrum, bene tamen virtualiter, nam damnum seu grauamen ipsi mutuatario per mutuantem impositum, ipsi mutuanti est ad superabundantiam & lucrum imputandum: quemadmodum econtrà, damnum, & grauamen mutuantis, quod ex mutuo patitur, reputatur quasi mutuum ipsi mutuatario traditum: & ideo mutuatarius, tenetur vltra sortem aliquid in recompensam reddere, vel mutuantem à tali damno & grauamine releuare, vt ex dictis de interesse satis patet. E

Corollarium I. Inde seqvitvr, illam mutuationem vsurariam esse, qua quis alteri certam pecuniæ quantitatem mutuat, qui pro eo, quòd in se periculum suscipit, aliquid vltra sortem est recepturus, iuxta capit. nauiganti. de vsuris. Et quanquàm Adrianus dicat, hunc textum inniti præsumptioni, attamen iuxta communem intellectum, non præsumptioni, sed veritati innititur; idque si pactum de tali periculo suscipiendo apponitur ex parte mutuantis; quia tunc ratione mutui, exigit à mutuatario aliquid indebitũ. Et ideo quamuis merces, pro periculo suscepto, exacta, sit iusta, non excusatur contractus à vitio vsurę, sicut nec præcedentes: secùs si pactum apponatur ex parte mutuatarij, & per mutuantem acceptetur: quia tunc non est vsura, vt constat. Vnde fallitur, vt videtur, Conradus qui glossam in hoc casu reprehendit, cum glossa casum textus condemnet, quando prædictum pactum apponitur ex parte mutuantis, & rectè eum damnat.

Corollarium II. Inde etiam sequitur, quòd similiter erit vsuraria mutuatio, quæ fit cum pacto, quo mutuatarius conferat ipsi mutuanti aliquod officium, vel beneficium; quod cùm alioqui non sit illi debitum, non dubium illo modo esse vsurariè acquisitum. Nec refert stipendium tali officio annexum excedere operas, labores, & solicitudinem ex officio tali impendendas, aut eisdem æquari. Quod etiam contra eundem Adrianum ponitur, qui ait, præfatam mutuationem vsurariam esse, si stipendium præfatas operas & labores excedat, non tamen si eisdem æquetur. Cuius discrimen assignat; quia quando excedit, iam ex mutuo lucrum assequitur; quando autem æquatur, nullum assequitur lucrum. In quo præsupponit actum emptionis, & venditionis, aut locationis & conductionis, alteriúsue iustæ permutationis, in qua pretium iustum seruatur, non posse emi, aut vendi; quia tunc necesse esset à iusto pretio deficere, aut excedere. F

Sed oppositvm docet communis practica simul & ratio. Nam cùm fructus Ecclesiæ vel communitatis his, qui vulgò dicuntur, arrendadores, venduntur, communiter illis proponitur, quòd ei, qui tantum, vel tantum pro fructibus illis dederit, dabitur certum quid. In quo casu, manifestè ipse actus emptionis pro tanto vel tanto, venditur, vt constat. Similiter ratio idem docet, quia hoc, quod est emptores reperire, est valde per mercatores desideratum, & est pretio æstimabile. Vnde & sæpe mercatores cum aliquo tertio conueniunt, vt emptores quærat, & suas merces per alios emi faciat, promisso vel dato illi tertio aliquo stipendio, quod maximè in nundinis fieri videmus. Ita similiter potest aliquis, cum aliquo tertio conuenire, vt faciat sibi aliquod officium publicum conferri, promissa illi tertio certa mercede; idque etiamsi stipendium illius officio operas, & labores non excedat. Lucrum igitur reputatur reperire emptores, reperire venditores, reperire qui suam operam locent, & cui eam locent, reperire mutuatores, qui suo tempore mutuent, reperire etiã, à quibus beneficia & officia lucrosa, etiã vbi stipendium excessiuum non sit, obtineant: quia omnia cõstat pretio esse æstimabilia: ac proinde mutuatio facta cum pacto aliquo, super his, quæ dicta sunt, non dubium quin sit vsuraria.

Seqvi-

A SEQVITVR ampliùs, fideiussorem posse pro eo quòd fideiubet, aliquid exigere & recipere, non obstante quòd id, ad quod fideiussor se obligat, scilicet, ad soluendum pro principali debitore, sit quodãmodò mutuare. Corollarium patet, quia obligatio ad soluendum pro debitore, est aliquid æstimabile pretio; ideò namque illicitum & vsurarium est, mutuare cum pacto postmodùm remutuandi, vt ex dictis patet. Et procedit hoc Corollarium, siue fideiussor se exponat periculo perdendi, quod pro debitore soluerit, siue non; quia ille est alius titulus, quo possit pro mercede, seu pro pretio fideiubere: sed illo secluso, sola ipsa obligatio pro debitore soluendi, sicut & obligatio ciuilis posteà mutuandi, est pretio æstimabilis, vt tenet Caietanus cum Thoma 2.2. quæst. 78. Quanquàm Sanctus Bernardus, in suo tractatu de restitutione, dicat, illicitum esse fideiussori aliquid pro fideiubẽdo exigere, sed hic sanctus habuit respectum ad mutuum futurum, ad quod fideiussor se obligat, ratione cuius mutui nil exigi potest, non tamen ad ipsam obligationẽ, qua ad posteà mutuandum se obligat. Et hæc, vt puto, causa est, quare Conradus, quæst. 40. hunc casum minimè iustificet, sed pro interesse, quod fideiussor se passurum timet, & pro periculo, cui se fideiubendo exponit, ait esse illi licitum aliquid exigere. Quanquàm in q. 36. dicit, vsurarium esse mutuare cum pacto postmodum remutuandi: & dat causam; quia obligatio ad mutuandum, est pretio æstimabilis: ac proinde non deberet damnare fideiussorem, pro pretio fideiubentem, etiamsi nullum timeret periculum, nec interesse. *Corollariũ III.*

B SVPPOSITO ergo præfatos contractus, qui fiunt cum pacto de ineundo aliũ contractum, per ipsum mutuantem apposito, esse vsurarios, esset dubium iuxta quæstionem principalem, an ex illis oriatur obligatio restituendi, & cui, & quomodò. Respondetur, huiusmodi contractus triplices esse: quidam sunt, per quos aliquod lucrum ipsi mutuanti acquiritur: quidam sunt, per quos ipsi mutuanti aliquid, quod lucro æquiparatur, acquiritur: quidam verò sunt, per quos etsi lucrum formaliter mutuanti non acquiratur, mutuatario tamen onus aliquod, alioqui indebitum imponitur. Exemplum primi, vt si quis ex mutuo assequatur beneficium aliquod, aut officium lucrosum, siue stipendium sit excessiuum, siue non. Exemplum secundi, vt si quis ex mutuo assequatur hoc, quod est mutuatarium esse sibi obligatum, ad colendum terras suas, seu ad emendum de officina eius. Exemplum tertij, vt si quis ob mutuum, compellat mutuatarium actu emere res mutuantis, aut actu secum alium contractum inire, quem mutuatarius alioqui minimè iniisset. *An ex cõtractu cum pacto de ineundo alium contractũ, oriatur obligatio restituendi. Pro solutione notandũ, eiusmodi cõtractus triplices esse.*

ET SI RESTITVTIO strictè accipiatur pro eo, quod est alicuius rei iniustè retentæ redditio, constat non ex omni contractu vsurario, debitum restituendi oriri, ex quo non ex omni tali aliquod commodum est formaliter mutuanti acquisitum. *Conclusio I.*

SI TAMEN largè accipiatur restitutio pro eo, quod est rem alteri debitam eidem reddere, & pro damno seu grauamine iniustè illato satisfacere: tunc ex omni tali contractu pactionali, videtur oriri obligatio restituẽdi, eò, quòd per omnem talem aliquod commodum formaliter, vel virtualiter mutuanti acquiritur, aut saltem aliquod grauamen mutuatario infertur. *Conclusio II.*

C

INDE SEQVITVR, quòd qui ex mutuatione pactionali beneficium aliquod, aut officium acquisiuit, tenetur sic acceptum resignare, & in potestate eius qui illud contulit, siue prælatus sit, siue princeps, aut alius dominus temporalis reponere, vt si posteà velit eidem liberè, & sine pacto aliquo conferat. Huius ratio est clara, quia tale officium, aut beneficium est aliquod commodum vsurariè acquisitum: nullum autem taliter acquisitum potest licitè retineri, sicut nec recipi, vt suprà iure diuino ostensum est. Igitur. Et conclusio est Doctoris Sancti, qui in hoc sententiæ Adriani contrarium tenentis, est præferendus. *Conclusio III. Cui sit faciẽda ea restitutio, & quomodo.*

FRVCTVS tamen seu reditus, atque stipendium tali officio annexum, quod ante officij resignationem acceptum est, non opùs est restituere, eò quòd tale stipendium ratione officij debebatur: excepto, nisi talis fructus, & reditus sint excessiui; quia tunc id, quod plus est, quàm operæ & labores impensi mereantur, restituendum est. Idem dicendum, si sit beneficium Ecclesiasticum vsurariè acquisitum, quod scilicet resignandum est, & fructus recepti restituendi, demptis laboribus & expensis, quæ semper veniunt defalcanda. *Conclusio IIII.*

Conclusio V. Si autem mutuans, ex mutuo acquirit obligationem, contra mutuatarium ad postmodùm aliquid emendum, agendum, aut dicendum &c. tenetur huiusmodi actioni, seu obligationi taliter acquisitæ, cedere, ipsum mutuatarium in sua libertate relinquendo, ita vt ratione præfati pacti nullatenus maneat ciuiliter obligatus. D

Conclusio VI. Si vero mutuans ratione mutui obligat, seu compellit mutuatarium, vt illicò res aliquas emat, aut vendat, antequam pactum fiat, tenetur eum liberum relinquere vt emat, aut vendat, si velit. Post pactum tamen factum, tenetur ad vnum de duobus, vel ad rescindendam præfatam emptionem & venditionem, vt mutuatarius maneat liber, sicut ante mutuationē fuerat; vel in recompensam grauaminis mutuatario illati, aliquid, ad iudicium boni viri, reddere tenetur.

Corollarium. In prædictis casibus, restitutio nō est facienda pauperibus. Corollarie sequitur non esse omninò verum, quod dixit Ioannes Andreas in regula Iuris, peccatum. & Panormitanus in cap. finali, de vsuris. quòd in præfatis casibus restitutio non mutuatariis, sed pauperibus est agenda; nam cum constet mutuatarios obligatione indebita grauari, consequens est ipsis grauatis esse satisfaciendum, vel eos à grauamine releuando, vel loco grauaminis aliquid illis rependendo. Quanquàm illi Doctores cùm de restitutione pauperibus agenda loquuntur, non de huiusmodi satisfactione, pro grauamine agenda, loquuntur, sed de alio lucro mediato seu remoto ex mutuo acquisito, quale est fama, & concursus aliorum emētium, aut aliud huiusmodi, quod mutuantibus ex pactis præfatis in esse positis solet euenire. E

Respondetur ad rationes supra adductas pro parte affirmatiua. Iam patet responsio, ad rationes pro Adriano superiùs factas. Ad primam in qua arguitur, quòd mutuatio, ratione cuius acquiritur ciuilis obligatio, nec vsuraria est, nec obligationem restituendi inducit, vt illic probatur per exemplum de hærede &c. dicendum illud esse falsum regulariter, etiamsi in exemplo illic adducto sit verum. Pro quo id notandum, quòd suprà tetigimus, quod dupliciter stat, mutuantem contra mutuatarium obligationem ciuilem acquirere, quam ante non habebat; vno modo ita, vt mutuatarium obliget ad id, ad quod aliâs secluso mutuo, particulariter tenebatur, vt in casu argumenti, in quo hæres ille in conscientia (vt supponitur) tenebatur particulari obligatione, & ex iustitia soluere legatum illud: & tūc obligatio huiusmodi ciuilis per mutuum acquisita, non vitiat mutuationem, cùm mutuans in casu non petat à mutuatario nisi id, quod alioqui ipsi mutuanti debebat.

Ad I. Dupliciter potest mutuans cōtra mutuatariū acquirere ciuilē obligationem.

I.

II. Secundo modo potest obligatio acquiri talis, vt mutuans mutuatarium obliget ad aliquid, ad quod alioqui non erat particulariter obligatus: vt in casibus suprà expositis est exemplificatum, & tunc redditur vsuraria ipsa mutuatio, & obligationem restituendi, quam suprà diximus, inducit. Quare autem dicam vsuram nō esse, mutuatarium obligare ad id, ad quod aliâs particulariter tenebatur, patet ex dictis; quia omni pacto secluso, mutuatarius tenetur obligatione naturali remutuare, sed non ad id particulariter tenetur; cùm possit, in aliis rebus absque remutuatione se gratum mutuanti exhibere: ideò si mutuans, particulariter illum ad remutuandum obligat, vsura est. Adde etiam, quòd si mutuatarius secluso pacto, tenetur ex charitate etiam particulariter ad aliquid pro mutuante agendum; & tale sit, quod non teneatur gratìs agere, obligare illum per mutuum ad illud gratìs agendum, vsura est: secùs si obligaret illum ad agendum, licèt non gratìs. Vt si mutuo medico hac lege, vt me ægrotantem curet, si alius sit, qui me curare possit, vsura est. Si etiam pactum sit, vt me gratìs curet, etiamsi alius, qui me possit curare, non sit, vsura est. Si denique pactum est, vt me curet, vbi non alius sit, qui me curare possit, modò non addatur, gratìs, vsura non est; quia nil indebitum ab illo exigo, quod secluso mutuo mihi particulariter non deberet. In casu autem, super quo disputamus, in quo scilicet mutuans mutuatarium ad emendum de officina mutuantis obligat, vsura est; quia exigit aliquid, aliâs indebitum. F

Ad II. Qvando secundò pro Adriano arguebatur, quòd sequeretur mutuantem non posse iustè retinere, pretium iustum sibi ratione mercis debitum &c. Respondetur, rationem parùm valere, nam nil inconuenit vendentem, & se ad vendendum offerentem, à pretio iusto communiter currente, descendere, & minus habere, quàm sit pretium iustum: quod aliâs si ad instantiam emptoris mercem suam venderet, habuisset; vt suprà quando de pretio iusto loquebamur, diximus. Modò autem, in casu præsenti, ipse mutuans non solùm se ad vendendum offert, sed ipsum mutuatarium ad emendum compellit. Tum etiam; quia non mirum si totum pretium iustum retinere non possit, si ex

altera

A altera parte ipsi ementi, ad aliquid teneatur: sicut in pręsenti casu post actuatum pactum, tenetur scilicet, vel contractum rescindere, vel recompensam pro grauamine mutuatario illato, eidem rependere. Et ita si mutuans minus habet, quàm aliâs iustè habere posset, imputet sibi qui mutuatarium indebitè grauauit.

Ad III.

Qvando tertiò arguebatur, de eo, qui colono mutuat cum pacto, quòd terras eius colat &c. dico esse vsuram, & teneri ad restituendum colonum, in suam libertatem, si pactum actuatum non sit, vel consummatum: vel in recompensam, pro grauamine & onere iniuncto, illi satisfacere. Nec erit inconueniens, quòd facta satisfactione, colonus habeat plus, quàm alioqui iustè esset habiturus; quia illud plus non per viam mercedis, sed per viam satisfactionis habebit, vt de se satis constat.

Ad IIII.

Qvando quartò arguebatur, quòd post conuentionem factam, si colonus nolit terras colere, poterit dominus illi mutuare cum pacto quòd terras colat: igitur similiter ab initio poterit eidem mutuare, vt de colendo conueniat: consequentia nil valet, quia in casu antecedentis, mutuans non exigit nisi sibi debitum; quod non fit in casu consequentis, vt satis notum est. Et per hæc patet ad primũ argumentũ quæstionis principalis.

Dubium circa II. argumētum principale supra propositum. An vsura mentalis inducat etiam obligationem restituēdi. Sensus dubij duplex.

In secvndo argumento principali illud quærebatur, an scilicet vsura mentalis inducat obligationem restituendi, sicut eam inducit vsura pactionalis, de qua primum argumentum quærebat. Et loquor de vsura mentali, qua mutuum fit propter lucrum B speratum; & postmodùm realiter obtentum; nam quantumuis mutuans corruptam habeat intentionem, mutuando, scilicet, propter lucrum speratum, si nullum inde lucrum acquirat, locum restitutio non habet, sed de corrupta intentione est pœnitendum. Nec opus est hîc repetere, quod suprà in declaratione definitionis vsuræ diximus; an scilicet omnis spes lucri, reddat mutuationem vsurariam; & si non omnis, puta ea quæ non dat I. causam mutuationi; an saltem ea spes, quæ est causa sine qua non, mutuationis, reddat eam vsurariam? Nam dicendum quòd non, nisi talis sit spes, quòd propter lucrum speratum & intentum mutuatio fiat, ita vt lucrum speratum sit causa finalis mutuantis, & non causa impulsiua. De quibus vide, quæ suprà diximus.

His ergo omissis, & loquendo de spe lucri intenti, propter quod ipsa mutuatio II. sit, quam non dubium est vsurariam esse, procedit quæstiuncula præsens. Et video communiter Doctores distinguere; nam si mutuans cum spe corrupta, insinuat intentionem suam ipsi mutuatario, ita vt mutuatarius agnoscat animum mutuantis esse, lucrum ex mutuo acquirere, tunc talis vsura mẽtalis insinuata, inducit obligationem restituendi, quod fuerit lucratus: secùs si vsura illa mentalis insinuata non sit. Cuius discriminis ratio est; quia quando insinuatur, & mutuatarius mentem mutuantis intelligit, etsi illi lucrum cum sorte soluat, non tamen videtur donare liberaliter; quia ideò soluit, quia virtualiter fuerat à mutuante exactum, etiamsi de hoc pactum non præcesserit. Sic videtur tenere Scotus in 4. similiter & Richardus distinct. 15. & alij: quibus etiam Caietanus C in opusculis apertè consentit. Secùs si insinuata non fuerit præfata mutuantis intentio; quia tunc si quid vltra sortem mutuatarius soluit, donare videtur, & ita sic acquisitum non est restituendum.

Et de hoc II. sensu, est sententia I.

Pro qva sententia facit primò, quod suprà in argumento citatum est, quia scilicet simonia mentalis cum beneficij assequutione, non inducit obligationem restituendi, seu resignandi, igitur nec vsura mentalis. *Ratio* I.

Secvndo facit 1. quæst. 2. capit. sicut. vbi ait Gregorius. Eius oblatio nullam culpæ maculam ingerit, quæ nõ ex ambientis petitione processit. Cùm ergo nullo pacto, nulla insinuatione præcedente, nihil mutuans petierit, sequitur licitum illi esse taliter oblatum recipere, nec illud teneri restituere. II.

Tertio facit ratio; non obstante deprauata mutuantis intentione, ipse potest licitè recipere, quòd alter sibi naturali obligatione debet: sed mutuatarius ratione gratitudinis benefactoribus debitę, tenetur naturali obligatione regratiari: ac proinde si ipse velit huic obligationi aliquid vltra sortem offerendo satisfacere, licitè poterit mutuator illud recipere & retinere: & ita non tenebitur illud restituere. III.

Qvarto facit simile; quia in venditione, sola intentio corrupta vendentis defraudandi emptorem, aliquid vltra iustum pretium extorquendo, non inducit obligationem restituendi, si quid excessiuũ ipse emptor sponte obtulerit. Igitur nec in pręsenti casu, in quo deprauata mutuantis intentio exteriùs nõ insinuatur, oritur talis obligatio. IIII.

Oppugnatur hæc sententia. .I. His non obstantibus, videtur quòd ad obligationem præfatum lucrum restituendi, impertinens est vsuram mentalem exteriùs insinuatam esse; aut non. Cuius ratio est manifesta; quia si mutuans ex eadem corrupta intentione, qua mutuationem fecit, lucrum ipsum illi oblatum recipiat, vsurarium est lucrum, sicut & mutuatio; & per consequens restituendum: seclusa libera & gratuita donatione mutuatarij; siue præfata intentio fuerit insinuata, siue non. Id patet ex his quæ de lege diuina superiùs adduximus, ad probandum omne lucrum vsurarium esse restituendum. Si autem illa lucri acceptio non ex deprauata intentione fit (quæ fortè iam est emendata) sed ideò recipitur, quia sponte & liberaliter sibi donatur licitè recipitur & retinetur, nec est de necessitate restituendum, siue præfata deprauata intentio fuerit insinuata, siue non. Itaque illa exterior insinuatio impertinens est ad obligationem restituendi in re ipsa inducēdam. Imò nec pertinens est, pactum realiter præcesserit de tali lucro soluendo, vel non præcesserit ad præfatam restitutionē; nam si mutuatarius sponte & liberaliter, & non ratione pacti prioris, tale lucrum mutuanti offert, & vt taliter oblatum à mutuante recipitur, nō tenetur illud restituere, siue pactum præcesserit, siue non. Si autem non est per mutuatarium sponte & liberaliter oblatum, sed ratione mutui tanquàm ob id debitum solutum, tunc tenetur mutuans illud restituere, siue pactum præcesserit, siue non, vt constat. D

II. Secundo idem patet ex cap. consuluit. de vsuris. vbi dicitur patere ex Euangelio Lucæ, quòd homines sine omni conuentione, pro intentione lucri quàm habent, in lege iudicandi sunt malè agere, & ad ea, quæ taliter sunt accepta, in animarum iudicio efficaciter sunt inducendi restituere &c: vbi nulla mentio de exteriori insinuatione fit, sed de hoc scilicet qualiter sint accepta: & ita obligatio restituendi non ex insinuatione oritur; sed ex lucro taliter accepto scilicet ratione mutui &c. E

Conclusio I. Dicendum igitur primò, quod ex mutuatione vsuraria mentali, ante lucri assequutionem, nulla restituendi obligatio nascitur; eò quòd per solam huiusmodi mutuationem, siue deprauata mutuantis intentio insinuetur, siue non, nec aliquid à mutuatario iniustè aufertur, nec ipsi damnum aut grauamen aliquod infertur, vt patet.

Conclusio II. Dico secundo quòd de lucri perceptione est distinguendum, quia vel mutuatarius liberè & spontè illud mutuanti donat, vel non. Si primùm mutuans id sciens, aut rationabiliter præsumens, potest illud tanquam donatum recipere, & non tenetur illud restituere; nam tunc non est lucrum vsurarium, cùm non propter mutuum recipiatur, sed quia donatum est. Dico notanter, si mutuans id sciat, aut rationabiliter præsumat; nam si putat mutuatarium non donare, sed quasi debitum ob mutuum, aut quasi exactum reddere, tunc tali conscientia perseuerāte, tenebitur, ratione conscientiæ, lucrum restituere, etiamsi in re verè donatum sit.

Conclusio III. Similiter esto quòd verè donatum sit, ipse autem non tanquam tale recipiat, sed tanquam debitum ob mutuum factum, tenebitur ad vnum de duobus, vel ad mutandam talem deprauatam intentionem incipiendo scilicet lucrum ratione donationis retinere, & erit à restitutione immunis; vel ad taliter acceptum, non pauperibus, vt aliqui dicunt, sed mutuatario restituendum. Cuius ratio est, quia si non ratione donationis illud accipit, aut retinet, sed propter mutuum quasi sibi debitum, non videtur donationem acceptare, ratione cuius, solùm erat sibi licitum illud recipere & retinere: igitur tenetut illud ipsi donanti restituere, eò quòd donatio perfecta non est, quando per donatarium non acceptatur. F

Conclusio IIII. Si autem tale lucrum non sit verè à mutuatario donatum; sed propter mutuum quasi debitum, aut exactum solutum, & id sciat aut præsumat ipse mutuator, siue præcesserit insinuatio siue non, tenebitur illud lucrum ipsi mutuatario restituere. secùs si verisimiliter præsumat illud sibi verè donatum esse; nam tunc conscientia, quamdiu in ea perseuerat, illum à debito restituendi excusabit; sed cùm veritatem agnouerit, tenebitur lucrum restituere: excepto nisi cum bona fide consumptum sit, & non sit inde factus locupletior, vt tenet Caietanus.

Corollarium I. Patet ex dictis, quod dixi, insinuationem prædictam impertinentem esse, ad obligationem restituendi lucrum per mutuatarium oblatum; sed ad intentionem mutuarij, lucrum offerentis, & ad conscientiam ipsius recipientis est attendendum. Confert tamen mentalem vsuram insinuatam esse, aut non; ad causandam rationabilem præsumptionem de animo offerentis; nam si insinuata ipsi mutuatario sit, tunc rationabiliter

præsumi-

A præsumitur, quòd mutuatarius non animo donandi lucrum ipsum offert; sed quasi à mutuante exactum tacitè vel expressè: & existente huiusmodi præsumptione, restituendum est taliter acceptum. Si autem insinuata non sit, tunc rationabiliter præsumitur, quòd mutuatarius sponte vult tale lucrum donare, & sic non erit necessariò restituendum. Et hoc modo sunt intelligendi Theologi, qui ad insinuationem præfatam dicunt esse attendendum. Verùm cùm hi præsumptioni innitantur, si veritas opposita constiterit, illi, & non præsumptioni standum erit.

Corollarie sequitur, etiam non esse indistinctè verum, quod ait Ioannes Andreas in Mercurialibus: in reg. pactum. in sexto, & Panormit. in cap. consuluit, de vsuris. quòd vsurarius mentalis tenetur semper lucrum acquisitum restituere; sed limitandum est ad casum, quo tale lucrum ex deprauata intentione vsuraria, ex qua mutuatio processit, recipiatur: tunc enim lucrum illud vsurarium est; & tenet etiam quod dicũt, quòd contractus ab initio vitiosus, effectum sortitur vitiosum. *Corollariũ II.*

Iam ad rationes pro priori sententia factas respondetur. ad primam in qua quæritur quare vsura mentalis inducit obligationem restituendi, iuxta cap. consuluit. de vsuris. & non simonia mentalis, iuxta capit. finale, de simonia. cùm multi multa dixerint, inquit Adrianus, ideò est, quia restitutio simoniacè acquisitorum fieri debet Ecclesiæ, quę in hoc facultatem habet ius suum remittere si vult; sed restitutio vsurarum debetur personis priuatis, à quibus vsuræ fuerunt extortæ, quam obligationem nec Imperator, nec Papa, nec Ecclesia sine illorũ consensu remittere potest, &c. Verùm cap. finale, de simonia, in eo, quod ait, per simoniam solam mentalem non teneri aliquem ad resignationes spiritualium, aut temporalium &c. non videtur procedere per viam gratiæ & remissionis, quam illic Ecclesia huiusmodi simoniacis faciat, sed per viam declarationis procedit; cùm illic Papa ad propositam consultationem respondeat, vt patet ex textu ipso. Itaque declarat mandatum Apostolicum, de quo sonat illic textus, ad Abbates extendi. Declarat secundò, per simoniam mentalem puram, non teneri homines ad resignationem temporalium & spiritualium taliter acquisitorum, sed per solam pœnitentiam suo satisfaciunt creatori. *Respondetur ad rationes contrarias.* *Ad I.* *Quare mentalis vsura inducat obligationẽ restituendi, & non simonia mẽtalis.* *Sententia I.*

B

Ideo videtur dici aliter posse, quòd sicut vsura mentalis restitutionem in iudicio animarum inducit, vt ait capitulum, consuluit. ita & simonia mentalis cęteris paribus: nec est discrimen inter hæc assignandum. Ad textus autem citatos dicendum, quòd capit. consuluit. procedit in animarum iudicio, vt ex ipso apertè constat. Cap. autem finale, de simonia, procedit in iudicio humano, in quo non tenentur simoniaci mentales, ad prædictas resignationes: Quod ita esse apparet: quia quod à Papa quæsitum est in cap. consuluit. est ad quid illi vsurarij, essent in iudicio animarum compellendi; quod constat forum conscientiæ concernere: sed in cap. finali, de simonia, quæsitũ est, ad quid se mandatum Apostolicum extenderet circa simoniacos, qui aliquo dato, religionem ingressi sunt. Quod apertum est, forum & iudicium humanum concernere; nam hæc erat consultantis intentio, scilicet scire quomodò virtute mandati Apostolici, se erga simoniacos illos cum pacto & sine pacto habere deberet. Et ita nulla est repugnantia vt videtur. *Sententia II. Verior.*

C

Qvando secundò arguebatur ex decreto Gregorij dicentis: Eius oblatio nullam culpæ maculam ingerit, quæ non ex ambientis petitione processit &c. dicendum quòd loquitur de oblatione gratuita & liberali, quæ sicut offerentem non maculat, ita & nec recipientem, quando eo modo recipit, quo offertur, puta ratione gratuitæ & liberalis donationis: secùs si recipiatur ex corrupta cupiditate, & propter spirituale prius ministratum; nam tunc vel mutanda est huiusmodi deprauata intentio, vel taliter acceptum est restituendum. *Ad II.*

Qvando tertiò arguebatur, quòd licitè potest mutuator recipere, quod mutuatarius naturali obligatione illi retribuere tenetur, dicendum quòd verum est; modò illud, quod sic illi offertur, non propter mutuum factum, sed ratione liberalitatis & donationis ipsius mutuatarij recipiat, & tunc non tenebitur restituere: secùs si quod per viam gratitudinis offertur, propter mutuum factum recipiatur. *Ad III.*

Qvando quartò arguebatur de vendente, & corruptam mentem habente, quòd non inde tenetur restituere, si quid excessiuum emptor sponte donauerit; dicendum quòd si talis venditor illum excessum recipit, non tanquam donatum, sed tanquam sibi ratione mercis debitum (cùm non sit) nisi intentionem huiusmodi mutet, non poterit *Ad IIII.*

illud retinere, quia nec ratione valoris mercis, cùm non valeat tantum;nec ratiò ne donationis,cùm illam non acceptet in tali casu:secùs si excessum illum tanquam donatum accipiat &c. D

Dubium circa III. argumentũ principale, an vsurari⁹ acquirat dominium vsuræ.

Sententia I. affirmatiua.

Argumẽtum I.

IN TERTIO argumento principali, alia tangitur difficultas: an scilicet vsurarius acquirat dominium vsuræ. Antiqua est quæstio, quæ pro vtraque parte fautores habet non paucos. Sunt igitur qui dicunt vsurarium effici dominum rerum, quas vsurariè acquisiuit, non solum earum rerum quæ vsu consumuntur, sed & aliarum non vsu consumptibilium. Quorum sententia videtur posse probari, primò, quia, vt arguebatur ex Institut.de rerum diuisione,nil tam conueniens est naturali æquitati, quàm voluntatem domini, volentis rem suam in alium transferre, ratam haberi. Cùm ergo mutuatarius, sua voluntate lucrum illud in vsurarium transferat, sequitur &c.

Obiectionis solutio triplex.

I. NEC OBSTAT dicere, quòd non voluntate simplici & absoluta, sed quodammodò coacta lucrum illud persoluit: non ,inquam, obstat, tum quia pono ipsum mutuatarium non aliqua necessitate compulsum,mutuum petiisse, & se ad vsurę solutionem obligasse, sed diues erat, & cum pecuniis mutuatis amplius lucrari prætendebat; & ita non inopia pressus, nec timore compulsus, sed lucri amplioris cupidus, mutuum cum pacto de lucro soluendo petiit: hæc autem cupiditas voluntarium non impedit, sicut impediret metus,& ignorantia,seu coactio. Quod inde apparet,quia si homo ex nimia carnalis voluptatis cupidine motus,aliquid suæ focariæ,aut meretrici donet,tenet donatio, nec volũtarium impeditur ob id,quòd ex illa excessiua cupidine fiat, & meretrix dominium rei traditæ, seu donatæ acquirit, vt suprà suo loco ostensum fuit. Si ergo cupiditas voluptatis,voluntarium non tollit, nec ergo cupiditas lucri voluntarium tollet. E

II. ITEM AD IDEM,si ex hoc quod mutuatarius lucrum soluens,habet aliquid inuoluntarium admixtum, impediretur dominij ipsius lucri translatio, sequitur quòd quandocunq; aliquis inopia pressus & necessitate compulsus,rem suam pro iusto pretio vendit,impediretur translatio dominij illius rei venditæ in ementem,quod nemo dixit;supposito quòd nemo venditori illi vim inferat, aut metum ingerat, quo eum ad venditionem præfatam compellat. Et tamen sequela nota est;quia multo plus est de inuoluntario in eo qui rem suam,vt dictum est, vendit,quàm in mutuatario rem suam vltra sortem vsurario soluente.

III. ITEM ad idem, nam plus etiã est de inuoluntario in eo, qui metu mortis rem suam vim inferenti tradit,quam in mutuatario qui lucrum vsurario soluit;quod suppono certum esse,& tamen traditio ex prefato metu facta,est valida, & in ea transfertur dominiũ, vt colligitur ex.c.Abbas.de his quę vi,metúsue causa fiunt,etiamsi ex tali metu,facta,debeant reuocari,& restitui. Ex quo apparet huiusmodi traditionem ex metu factam,non esse nullam, cùm non sit de his quæ iure non permittuntur. Quæ autem facta ex metu valida sint,& quæ non,in versibus illis communiter notantur:

Terror, iudicium, dos, sacrum, copula, votum: F
Hæc sex vi facta, de iure scias fore nulla.
Cætera ius patitur, sed posteà restituentur.

II. Argumentũ.

SECVNDO arguitur,quia si vsurarius non acquireret dominium lucri vsurarij,esset secundò ex eo, quòd mutuatarius cùm lucrum tradit, non intendit dominium illius in vsurarium transferre, sed solum intẽdit rem illam tradere; quod quidem diuersum quid est ab eo, quod est dominium transferre; sed hoc dici non potest.Probatur,quicquid sit de intentione, quam actu habet is, qui lucrum vsurarium soluit; intentio tamen, quam debet habere hæc est,vt non solùm rem tradere,sed dominium eius in vsurarium transferre intendat.Tum quia hæc est vsurarij intentio cum mutuatario de lucro paciscentis, vt scilicet mutuatarius lucrum, de quo conuentum est, ita mutuanti soluat, vt à se omne ius quod in illo habuerat, in mutuantem transferat; quandoquidem lucrum non petit per viam pignoris, nec per viam mutui, vel commodati, nec per viam depositi, nec per aliquam aliam, qua ius lucri in ipso mutuatario permaneat: quam mutuantium intentionem certam esse suppono.Et cùm mutuatarius se obliget,iuxta intentionem alterius secum contrahentis, aut saltem se iuxta illam debet obligare, si vult à mendacio & deceptione immunis esse,sequitur intentum. Nec quacunque calliditate ipse mutuatarius vtatur, à culpa excusabitur, nisi iuret aut promittat se vsuram soluturum ad mentem ipsius exigentis,iuxta illud,quod habetur cap.quacunque. 22.q.5. vbi dicitur: Quacunq; arte

A arte verborum quis iuret, Deus tamen qui conſcientiæ teſtis eſt, ita hoc accipit, ſicut ille, cui iuratur, intelligit. Et ita ſi vſurarius à mutuatario iuramentum de lucro ſoluendo exigat, & ille iuret, tenebitur ad mentem exigentis ſeruare iuramentum, iuxta cap. debitores, de iureiurando: igitur tenebitur vſuram ita vſurario ſoluere, vt totum ius, quod in illo habebat, in vſurarium transferat. Et pro maiori firmitate pone, vſurarium hãc ſuam intentionem mutuatario explicuiſſe, quam re vera ſtando in communi hominum intelligentia, non opus eſt explicare.

Tertio arguitur, quia ſi vſurarius præfati lucri dominium non acquireret, eſſet tertiò ex eo, quòd non obſtante mutuatarij voluntaria traditione, voluntas tamen domini ſuperioris ſcilicet Dei ſimul & lex ipſa tali tranſlationi reſiſtit; cùm conſtet ex dictis vſuram omni iure prohibitam eſſe. Sed hoc non obſtare; probatur tum quia lex diuina, naturalis, & humana, non aliter præfatæ tranſlationi reſiſtit, niſi quia vſuram prohibet & damnat: ſed cùm non prohibeat, ne mutuatarius vſuram ſoluat & tradat, nec prohibeat ne mutuatarius dominium lucri ſoluti, in vſurarium transferat; cùm id licitum & liberum ſit ipſi mutuatario, ſed ſolùm dare ad vſuram, & eandem exigere, & retinere prohibeat; conſequens eſt, nec Deum, nec legem præfato dominio transferendo reſiſtere. Quemadmodùm Deus & lex eius reſiſtunt, ne quis metu, aut lucri cupiditate, aut ex concupiſcentia inducat fœminam vt ſecum contrahat: & tamen ſi de facto contrahant, transfertur dominium corporis vnius in alteram, & econtrà. Reſiſtit etiam lex violationi voti & iuramenti, vt ſi quis vouit caſtitatem & vxorem non ducere; ſi tamen ducat, transfertur corporis dominium. Si quis iurauit ſe non donaturum, aut non venditurum domum alicui certæ perſonæ, reſiſtit lex tali donationi & venditioni; & tamen ſi contra iuramentum donet, aut vendat, transfertur domus dominium in donatarium & emptorem. *Tertium argumentum.*

B

Alii vero inſignes etiam Doctores tenuerũt oppoſitum, quòd ſcilicet vſurarius non acquirit dominium vſuræ, pro qua ſententia in rationibus immediatè anteà poſitis nonnulla fundamenta tacta ſunt, videlicet quia voluntas mutuatarij vſuram ſoluentis, habet inuoluntarium admixtum: quia non daret niſi quodammodo coactus, eò ſcilicet, quòd non poteſt aliter mutuum reperire. Tum etiam, quia etſi intendat vſuram tradere, non tamen intendit eam donare nec dominium eius à ſe abdicare. Sicut qui merces in mare tempore tempeſtatis proiicit, voluntate proiicit, nõ tamen ius & dominium earum à ſe abdicat; cùm ſi quis poſteà eas repererit & acceperit, teneatur proiicienti reſtituere. Tum etiam, quia eſto mutuatarius lucrum in vſurarium transferri vellet, ob cauſam mutui, Deus tamen & lex talem tranſlationem nõ approbant, ſed potiùs eidem reſiſtere videntur. Verùm hæ rationes ſuprà videntur infirmatæ. *Secunda ſententia negatiua.* *Ratio I.* II. III. *Quid valeãt hæ rationes.*

Addit Caietanus aliam rationem, quia vſurarius tenetur reſtituere fructus vſuræ perceptæ, ſi fructifera ſit, ex ſententia omnium: non autẽ ad id teneretur, ſi vſura illa fructifera eſſet verè ſua, & de dominio ipſius; ex quo fructus rei ad illum pertinent, ad quem dominium ipſius rei fructiferæ &c. Hæc tamen ratio minimè concludit; quia ſicut tenetur vſuram reſtituere, quia eſt lucrum vſurarium, & vſurariè acquiſitũ: ita & fructus vſuræ tenebitur reſtituere; quia ſimiliter ſunt lucrum vſurarium, & ex mutuo intentum, ex quo vſurarius ex mutuo vineam non intenderet, niſi quia fructus eius intendit, vt conſtat. Tum etiam, quia ex quo tenetur vineam vſurariam illicò reſtituere, ex conſequenti tenetur fructus eiuſdem reſtituere; non quia ſui non ſint, ſed quia mutuatario debiti: cui enim debetur res fructifera, ex conſequenti debetur fructus eiuſdem à poſſeſſore, quamdiu eſt in mora, percepti; cùm certum etiam ſit, creditorẽ ex mora debitoris, prædictis fructibus iniuſtè priuari, & à fructibus illis habendis iniuſtè impediri, & ideò tenetur ad vſuram fructiferam, & fructus eiuſdem, tanquam qui alium ab aſſequutione alicuius boni ſibi debiti iniuſtè impedit. *Quarta ratio pro eadem ſententia.* *Reiicitur.*

C

Addit Altiſiodorenſis rationem aliam, quia vſurarius tenetur vſuram ei, à quo eam extorſit, reſtituere, & non niſi quia non ſua, ſed alterius, à quo eam extorſit; ſi enĩ alterius, puta mutuatarij non eſſet, non illi eſſet reſtituenda, ex quo ille à ſe dominium illius rei abdicauit, vt oppoſita tenet opinio, ſed vel eam retinere poſſet, vel pauperibus eſſet eroganda. Sed nec hæc ratio concludit, quia ad hoc, quod vſurarius huiuſmodi lucrum reſtituere teneatur, impertinens eſt dominium illius ad vſurarium pertinere, vel non; quia ſiue teneamus ad eum pertinere, ſiue non, retineri ab vſurario non poteſt; eò *V. Ratio.* *Reiicitur.*

quòd iniustè,& contra legem est receptum, seu retentum. Vt si lucrum sit pecunia non signata,quam aliis pecuniis similibus miscuit, dominium illius, sicut & alterius pecuniæ iustè quæsitæ ad vsurarium pertinet, & tamen restituere tenetur quantum per viam mutui fuerat lucratus: quemadmodum mutuatarius dominium habet pecuniæ sibi mutuatæ,& tamen adueniente termino solutionis, restituere tenetur quantum mutuo accepit &c. Et quando dicitur,quòd tunc non mutuatario,sed pauperibus esset eroganda, respondeo quòd imò ipsi mutuatario,à quò iniustè extorta est,venit reddenda;non quia dominium vsuræ apud mutuatarium mansit, sed quia eam indebitè soluendo, fuit per mutuantem, non aliter mutuare volentem, iniustè damnificatus. D

VI. *Ratio.* ADDIT Richardus aliam rationem,dicens,quicunque est dominus alicuius rei aliquo iure,non iniuria, est dominus eius: sed rei fœnebris non est vsurarius dominus aliquo iure,seu titulo iusto;quia non iure emptionis, vt constat:nec iure liberalis donationis;cùm mutuatarius non liberaliter velit vsuram donare,sed quia exactus, vel quodammodò coactus:nec iure locationis; cum in locatione dominium non transferatur: nec iure permutationis,vt constat:nec iure mutui;quia pro mutuo aliquid vltra sortem recipere,non est ius,sed iniuria, vt patet: nec iure soluti ex promissione præuia; nam talis promissio est iure reprobata, nec inde aliqua naturalis, aut ciuilis obligatio oritur: ad hunc modum repelli possent alia iura, seu tituli, quibus sòlet dominium rerum acquiri.

Reiicitur. Verùm nec hæc ratio conuincit; nam posset dici cum Innocentio, quòd vsurarius efficitur dominus vsuræ solutę iure contractus,seu conuentionis,aut pacti;contractus enim ex conuentione legem accipiunt: & ita, quia mutuans & mutuatarius taliter conuenerunt,vt ille mutuaret, alter verò vltra mutuum aliquid amplius daret. Nec obstat tale pactum iure esset reprobatum; quia quod ius reprobat est id, quod prohibet,& damnat: hoc autem est exactio lucri, & receptio eiusdem, non autem solutio,aut datio,etiā cum dominio, vt suprà dicebatur. Et ideò posset secundò dici,quòd vsurarius acquirit dominium vsuræ iure donationis,saltem illiberalis;quia mutuatarius donat pro mutuo, quod se donaturum promisit. E

VII. *Ratio.* ADDIT Syluester post Angelum & alios aliam rationem,scilicet;Ex contractu nullo, & cui lex resistit, vnquam dominium transfertur: contractus autem vsurarius est iniustus,cui omnis lex, vt suprà ostensum est, resistit: igitur.

Reiicitur. Sed nec hæc ratio concludit, quòd enim de resistentia legis dicitur, iam suprà solutum est. Quòd verò de nullitate contractus vsurarij dicitur, non obstat, quia ex hoc, quòd contractus est nullus, nihil aliud sequitur,quàm quòd ex illo nulla oritur obligatio:& ita nec mutuatarius inde manebit obligatus ad vsuræ solutionem. Hoc tamen admisso,stat, quòd mutuatarius absq; tali obligatione soluat & det,quod se daturum prædixerat: & ideò poterit dando rei dominium ex parte sua in alium transferre, quæ translatio per contractus nullitatem minimè impeditur. Aliud enim est præfatum contractum vsurarium per leges annullari: aliud verò donationem mutuatarij per easdem leges annullari. Et ideò stat,contractum vsurarium nullum esse, vbi donatio quamuis illiberalis ex parte mutuatarij facta nulla non sit;stipulatio enim in re turpi nulla est, nullamque parit obligationem; & tamen si res stipulata actu soluatur, seu donetur, etiam ob causam turpem, valebit,vt suprà tetigimus. Adde quòd non videtur omninò certum, contractum vsurarium nullum esse, ita vt nullam pariat obligationem; nam tunc si superadderetur iuramentum, tale iuramentum esset nullum,nec teneret; nam si principale non tenet, nec accessorium, vt habetur capit.si diligenti. de foro competenti. Pro quo etiam facit exemplum de eo, qui ex metu res Ecclesiæ tradidit,quam traditionem iureiurando firmauit, certum est iuramentum non tenere, cùm nec ipsa principalis traditio teneat. Si tamen mutuatarius contractum vsurarium,quo se ad vsuræ solutionem obligauit,iuramento firmauit, tenet iuramentum,iuxta cap.debitores.de iureiurādo. Igitur à fortiori tenet principale,quod est præfatus contractus vsurarius. F

Resolutio pro secunda sententia.

Vsurarius non efficitur dominus vsuræ,seclusa gratuita donatione.

HIS TAMEN non obstantibus,videtur ad secundam opinionem declinandū, scilicet,quòd vsurarius non efficitur dominus rei per vsuram acquisitæ, seclusa gratuita & liberali donatione per mutuatarium facta. Nam si talem donationem gratuitam facere intendat,tempore,quo lucrum soluit,aut posteà, non dubium totum dominium & ius mutuatarij in mutuantem transferri, & cessabit ex tunc obligatio aliquid pro lucro accepto restituendi; supposito quòd vsurarius non vi mutui, sed vi donationis gratuitæ

velit

A velit rem accipere, aut retinere, vt suprà diximus. Huius exceptionis ratio est manifesta; quia obligatio, qua vsurarius tenetur vsuram restituere, est in fauorem ipsius mutuatarij instituta, à quo nihil indebitum est extorquendum. Huic autem iuri & fauori, potest libens ipse mutuatarius cedere, vt constat: cedit autem, quando gratuitè & liberaliter lucrum donat, seu remittit. Hac tamen donatione cessante, non videtur dominium lucri soluti in vsurarium transire: cuius potissima ratio illa esse videtur; quia scilicet, Dominus Deus, non consentit in tali translatione, nec in dominij abdicatione ab ipso mutuatario vsuram soluente, quando propter mutuum coactus quodammodò eam soluit. Et quòd ita sit, inde apparet; quia Deus non approbat, quòd vsurarius lucrum illud accipiat, aut quòd illud apud se retineat; sed vult lucrum illud illicò, & sine mora mutuatario restitui, & hoc idem lex naturalis, & humana similiter volunt: ergo vsurarius non acquirit dominium vsuræ. Antecedens notum est ex dictis, nam leges omnes iubent, quòd quicquid superacceptum fuerit, illicò reddatur. Et ita si vineam, aut domum, aut rem aliam vsurarius taliter acceperit, illam eandem tenetur reddere; ad quod non teneretur, si eius verum dominium acquisiuisset; quia satis esset valorem talis rei, aut aliam rem æquiualentem mutuatario reddere. Si enim verum illius rei dominium acquisiuisset, posset re illa vti, & in sui facultatem eam assumere & alienare, vel donando, vel vendendo, vel aliter permutando, quamdiu ipse vsurarius manet potens ad integrè mutuatario satisfaB ciendum. Quòd si rem illam nec accipere, nec retinere, nec aliter pro voluntate, vt dictum est, alienare potest; certè non verum dominium, sed vanum, & irritum & inane in re illa diceretur habere.

Ratio exceptionis.

Iuridica huius sententiæ.

I.

DEINDE si verum acquireret dominium, verè igitur mutuatarius à se dominium & ius, quod ad rem sic solutam habebat, amisit, & à se totaliter abdicauit: hanc tamen abdicationem Dominus Deus non approbauit; alioqui non esset vsurarius compellendus vsuram mutuatario restituere, sed aliis, scilicet, pauperibus erogare, aut in alias pias causas expendere. Cùm autem Dominus, & leges iubeant vsuram persoluēti restitui, argumētum certum esse videtur, quòd cessionem & abdicationem pręfati dominij per mutuatarium factam, nec Dominus Deus, nec leges approbauerunt; & per consequens lucri soluti dominium verè apud mutuatarium mansit. II.

POSTREMO idem apparet ex ratione Caietani, in dictis Thomę fundata. Quia vsurarius tenetur rem vsurariam fructiferam, simul cum fructibus restituere. Vel ergo ad id tenetur ratione dominij, quod apud mutuatarium mansit; & si sic, habetur intentum. Vel ratione interesse, quod mutuatarius ex mora vsurarij patitur; quia, scilicet, priuatur fructibus rei solutæ, quibus non priuaretur, si res esset illicò sibi restituta. Sed hoc conuenienter dici non potest propter duo: primò; quia si apud mutuatarium dominium rei solutæ non mansit, sed apud vsurarium, non igitur tenebitur vsurarius nisi ad reddendum aliquid, quod rei solutæ æquiualeat, hoc est, quantum valebat res soluta tempore C solutionis. sicut qui mutuum accipit, in quo dominium acquisiuit, non idem numero, quod accepit, sed æquiualens tenetur restituere. Et ita nō esset habenda ratio fructuum inde posteà perceptorum. Secundò, quia si ad interesse haberetur respectus in fructuum restitutione, sequitur, quòd vbi mutuatarius, si rem apud se habuisset, nullum ex re fructum percepisset, quòd non tenebitur vsurarius fructus, quos ipse percepit, restituere, ex quo nullum ex mora vsurarij interesse passus est. Consequens est falsum, quia siue mutuatarius esset alioqui fructum ex re percepturus, siue non, tenetur vsurarius fructus perceptos restituere, ex quo non minus sunt vsurarium lucrum, quam res ipsa fructifera, vt constat. III.

DENIQVE si vsurarius dominium acquireret, maximè ex voluntate mutuatarij volentis lucrum non solùm tradere, sed dare, vti mutuans tempore, quo lucrum exegit, intendebat: verum esto mutuatarius tali animo lucrum exactum soluat, ex parte, scilicet, sua, prout potest donando, talis tamen donatio nec tenet, nec dominium in vsurarium transfert; eò quòd vt valida sit donatio, requiritur donatarium esse capacem talis donationis, alioqui non tenet: vti si quis velit donare aliquid fratri mēdicanti, qui capax talis donationis non est, non tenet donatio; sed vsurarius, qui propter mutuum aliquid à mutuatario donatum recipit, talis donationis capax non est, ob causam dictam; nam Deus contradicit, & nec ad momentum permittit vsurarium præfatum lucrum retinere, quin illicò teneatur idem mutuatario restituere: igitur non acquirit dominium &c. IIII.

COROL-

Corollarium. Vsurarius non potest res per vsuram acquisitas distrahere.

COROLLARIE sequitur, vsurarium res præfatas per vsuram acquisitas distrahere, consumere, aut alienare non posse: nec titulo oneroso, puta vendendo, seu permutando: nec titulo gratioso, puta donando; sine cōsensu vero, vel rationabiliter præsumpto ipsius mutuatarij, de cuius dominio sunt. Id patet, quia esset rem alienam domino inuito contrectare. Dico notanter, sine consensu vero, vel rationabiliter præsumpto &c. Quia in duobus casibus potest rebus illis vti, non expectato actuali cōsensu creditoris, scilicet, extrema necessitate sui, seu aliorum, quibus non sit, qui possit, aut velit succurrere, præter ipsum vsurarium; tunc poterit res ad præfatum finem necessarias cōsumere, aut distrahere, prout necessitas postulauerit; sed tunc creditor consentit actu saltem debito: idque siue res præfatæ sint vsu consumptibiles, siue non. Secundò poterit res vsurarias vsu consumptibiles distrahere, tam titulo oneroso, quàm etiam gratioso, modò ipse maneat potens ad integrè superaccepta restituendum: vt, scilicet, si habeat aliundè bona legitimè acquisita, quæ ad satisfaciendum sufficiant. Nam ex quo sunt res, quæ functionem recipiunt, & nil intersit, creditoribus res eadem numero, aut aliȩ omninò similes, & æquales reddantur: meritò præsumitur creditores non esse inuitos, in talium rerum distractione. Et ita in hoc casu poterunt vsurarij sine peccato huiusmodi res, quæ functionem admittunt, vendere, & cum pecunia fœnebri similiter emere, & similiter ea consumere, & donare; manente, vt dico, in eisdem potentia ad sufficienter restituendum. D

Limitatio hu⁹ corollarij. In duobus casibus potest rebus illis vti. I. II.

Limitatio huius secundi modi.

QVOD tamen in rebus, quæ functionem non admittunt, non ita facere poterit, nisi præuio creditorum consensu. Si tamen ex talium rerum distractione efficiatur impotens ad integrè restituendum, tunc nec has, nec illas res poterit sine necessitate distrahere: vt si vsurarius nihil habeat, quod restitutioni obnoxium non sit, non poterit aliquid donare, nec pro diminuto pretio vendere, nec pro alia re minoris valoris rem plus valentem permutare. Quæ omnia clara sunt, & communiter concessa, etiam ab his, qui tenent vsurarium non acquirere dominium vsuræ. E

Quatenus de vsura fieri possit eleemosyna.

VNDE Alexander de Hales hanc opinionem tenens in quarta parte summæ, quæst. 80. ait, quòd de pecunia habita per vsuram, vel furtum, potest fieri eleemosyna, si raptor vel vsurarius proponat restituere æquipollentem, & habeat vnde restituat: vt si dando non reddat se impotentem ad restituendum: hæc ille. Et procedit de eleemosyna extra casum extremæ necessitatis; nam in illo nihil refert, quòd se ad integrè restituendum impotentem efficiat. Ex quibus patet, ad quid deseruiat distinctio illa, scilicet, quòd res vsurariæ quædam sunt, quæ vsu consumuntur, & functionem admittunt, quædam verò non &c.

An possit quis aliquid recipere de manu vsurarij per viā donationis, emptionis aut venditionis.

Conclusio I.

SEQVITVR ampliùs responsio ad vulgare dubium, quod est, an possint homines aliquid de manu vsurarij recipere per viam donationis, aut emptionis, aut venditionis. Et quidem distinguendum est vt suprà. Nam res, quæ non vsu consumuntur, & per vsuram acquisitȩ sunt, sicut vsurarius, sine creditorum consensu alteri tradere non potest, ita nec alter eas scienter recipere, nec titulo gratioso, nec oneroso; quia esset rem alienā inuito domino contrectare. F

Conclusio II.

SI AVTEM loquamur de rebus, quæ vsu consumuntur, poterit alter eas de manu vsurarij recipere, tam per viam donationis, quàm per viam alterius honesti contractus, modò per hoc non maneat vsurarius impotens ad integrè satisfaciendum: ideò si nihil habet præter ea, quæ per vsuram acquisiuit; aut si habet, omnia tamen sunt illi necessaria ad restituendum; sicut ipse donare non potest, ita nec alij per viam donationis aliquid ab eo recipere possunt; alioqui peccato donantis se sociarent, & causam efficacem præstarent, quò minùs debita restitutio creditoribus fiat. Vnde Augustinus ait: illud fidentissimè dixerim, qui pro homine ad hoc interuenit, ne malè ablata restituat, & qui ad se confugientem, quantum honestè potest, ad reddendum non compellit, socium esse fraudis & criminis. Vnde à fortiori sequitur socium esse fraudis & criminis, qui non solùm ad reddendum non compellit, sed rem malè ablatam, puta furtiuam, aut vsurariam translatam dono suscipit; maximè cùm id sine creditorum iniuria, seu præiudicio non fiat, sicut in casu. Poterunt tamen alij per viam venditionis aut emptionis res tales, quæ vsu consumuntur, recipere, tantum ipsis vsurariis tradendo, quantum de eorum manu susceptum est, ita vt maneant vsurarij æquè potentes ad restituendum, sicut ante talem emptionem & venditionem erant.

SI VERO

A SI VERO bona vſurarij tanta ſint, vt ſibi ſupereſſe poſsint, facta integra reſtitutione, tunc alij poterunt res eius accipere titulo oneroſo, ſimiliter & gratioſo; manēte ſemper vſurario potente ad integrè ſatisfaciendum, modò caueant, ne res vſurarias eaſdem, quæ vſu non conſumuntur, ſcienter accipiant à quibus abſtinendum eſt, ſicut & à rebus furtiuis. *Concluſio III.*

EST TAMEN dubium, an ſeruitores vſurarij, barbitonſores, & filiorum ſuorũ præceptores, & alij huiuſmodi, poſsint ab vſurario mercedem obſequio dignam recipere, quando eam recipiendo, manet vſurarius impotens, ad reſtitutionem faciendam? Idem quæri poteſt, de aliis creditoribus vſurariis ex contractu, vel ex delicto, an poſsint ab vſurario ea exigere & recipere, ſi per hoc vſurarius maneat impotens. In quibus quæſtiunculis varia videntur Doctores ſenſiſſe. Mihi tamen abſque aliorum præiudicio videtur, iuxta dicta eſſe diſtinguendum. Nam vel vſurarius ille habet bona propria legitimè acquiſita, vel non, ſed omnia ſunt vſuraria. Si primum, eſſet iterum videndũ, an debita aliorum creditorum præcedunt debitum vſurarium, vel ſequuntur illud: ſi præcedunt, poterunt alij creditores non ſolùm ſua debita ab vſurario recipere, ſed etiam exigere, nō obſtante quòd inde maneat vſurarius impotens ad vſuras reſtituendas; quia magis tenentur ſibi, quàm aliis creditoribus, & iure etiam ſunt præferendi, ex quo eorum debitum eſt tempore prius. Si autem aliorum creditorum debita ſunt poſteriora vſuris, poterunt B ea per vſurarium oblata, & ſoluta recipere; non tamen videtur quòd poſſunt ea exigere, ſi ex tali ſolutione maneat vſurarius impotens ad ſoluendas vſuras. Ratio huius eſt; quia in tali ſolutione, qua vſurarius poſterioribus creditoribus ſoluit, poſtpoſitis prioribus, videtur peccare, ordinem reſtituendi debitum non ſeruando; ideò exigēdo & vſurarium ad huiuſmodi ſolutionem incitando, videntur tales creditores ad peccatum vſurarij, ordinem iuſtitiæ prætermittentis cooperari: ſecùs ſi merè paſsiuè ſe habentes, ſua debita per vſurarium oblata recipiant; modò caueant, ne ſolutio huiuſmodi illis fiat de bonis eiſdem numero vſurariè acquiſitis; quæ concluſum eſt, ad dominium mutuatariorum pertinere. Si autem præfatus vſurarius nihil habet legitimè acquiſitum, ſed omnia ſua bona ſunt vſuraria, tunc alij creditores non poterunt ſua debita ab illo vſurario recipere, nec exigere, ex quo omnia illa aliena ſunt, eorum ſcilicet, à quibus fuerunt extorta, & ideò illis tantùm ſunt reſtituenda.

Aliud dubium. An poſsit quis ab vſurario mercedem obſequio ſuo illi præſtito, dignã recipere.

Concluſio I.

Concluſio II.

Concluſio III.

COROLLARIE ſequitur differentiam eſſe, inter duos vſurarios, quorum alter nihil habet legitimè quæſitũ, ſed ſolùm ea, quæ per vſuras acquiſiuit: alter verò nihil habet de his, quæ per vſuras acquiſiuit, omnia tamen, quæ habet, ſunt illi neceſſaria ad integrè reſtituendum quæ per vſuras extorſit. Nam alij creditores, nihil poterunt à primo exigere nec recipere loco eorum, quæ illis debita ſunt; & ſi recipiunt, tenentur ea reſtituere; eò quòd talis ſolutio per illum vſurarium facta, eſt inualida; quia de rebus alienis facta: poterunt tamen à ſecundo vſurario præfata debita recipere, abſque obligatione ea re- C ſtituendi; eò quòd huiuſmodi ſolutio à ſecundo facta valida fuit; quia de rebus propriis ipſius vſurarij facta, quas res ſuppono non eſſe ſpecialiter vſuris hypothecatas, ſeu obligatas obligatione reali, etiamſi eſſent aliàs obligatæ obligatione perſonali, quamdiu, ſcilicet, fuerunt in parte perſonæ debitricis, id eſt, vſurarij. *Corollarium I.*

VNDE FORTE non ſatis ſufficienter Caietanus in opuſculis, indiſtinctè dicit, in his non eſſe habendum reſpectum, niſi ad hoc, an ſcilicet, vſurarius alia debita ſoluens, ſeu bona, quæ habet diſtrahens, maneat potens integrè reſtituere, an non? Si ſic, inquit, quomodocunque res diſtraxerit, ſiue titulo oneroſo, ſiue gratioſo, recipientes bona de manu illius immunes ſunt à reſtitutione; ſi non manet vſurarius potens &c. qui bona de manu illius acceperit ab ipſo, alioqui legitimè acquiſita, ſiue ea acceperit titulo oneroſo, ſiue lucratiuo, tenetur accepta reſtituere: quod credo fallit quando talia, quæ ſic accipiuntur ſunt alioqui ipſis accipientibus debita; ex quo illa vſurarij bona legitimè per eum acquiſita, omnibus ſuis creditoribus erant perſonaliter obligata, & maximè ſi tempore, quo vſurarius ſe illis creditoribus debitorem facit, neſciebant ipſi creditores omnia bona vſurarij eſſe vſuraria, aut reſtitutioni obnoxia, vnde cum bona fide cum vſurario contraxerunt, vel illi mutuando, vel obſequium impendendo, vel aliter contrahendo; nam tunc, ait Adrianus in quarto, poterunt mercedem obſequij impenſi, aut aliud debitum ab vſurario exigere, & recipere, etiamſi inde maneat impotens ad vſuras ſoluendas.

II. Corollariũ.

Reiicitur reſponſio quædam Caietani ad prædictum dubium, vt inſufficiens.

Ratio.

AN AV-

Cui periculo se exponāt, qui cū vsurariis debitis grauatis, cōtrahunt.

AN AVTEM idem tenendum sit de his, qui cùm sciant vsurarios adeò debitis grauatos, vt omnia quæ habent sint ad restituendum necessaria, cum illis tamen contrahunt mutuando illis, aut res consumptibiles vendendo; aut etiam non consumptibiles, solutionem tamen pretij expectando, aut aliquod obsequium illis impendendo: an inquam peccent sic scienter cum illis contrahendo, & postmodùm mercedem, aut debitum exigendo, & recipiendo, & an sic recepta teneantur restituere? Et in hoc casu puto

Sententia I. Caietanum dixisse, tales peccare, & taliter accepta teneri restituere; quodq; illis est imputandum, quia scienter cum tali vsurario, tot & tantis debitis grauato, contraxerunt.

Reiicitur. Sed quamuis hæc distinctio, de scienter cum vsurario tali contraxisse, aut nescienter, cōferat ad culpam contrahentis, vel excusationem ab ea; ad obligationem tamen restituendi ab vsurario acceptum, non videtur satis idonea; nam obligatio restituendi potiùs nascitur ex efficaci causa data, ne mutuatariis, à quibus vsuræ extortæ fuerunt, debita restitutio fiat: ad id autem causa efficax datur, non per cōtractum scienter, vt dictum est, factum; sed per receptionem debiti per vsurarium soluti: tunc enim vsurarius redditur impotens ad restituendum, non tempore quo tales creditores cum illo contraxerunt, vt constat: Et ita si qua est in talibus creditoribus obligatio restituendi, non ex contractu

II. Sententia verior. scienter, aut ignoranter facto oritur, sed ex debiti soluti receptione; quemadmodùm suprà diximus, obligationem restituendi vsuram, non ex vsuraria nasci mutuatione, sed ex lucri vsurarij receptione, & ita vel qui scienter cum vsurario, vt præfertur, contraxit, erit E immunis à restitutione sibi per vsurarium soluti: vel qui cum bona fide contraxit, tenebitur taliter solutum restituere; supposito, quòd ambo scienter solutum debitum receperunt, scientes, scilicet, inde reddi impotentem vsurarium ad vsuras restituendas.

Dubium circa quartum argumētum principale suprà propositum. An sicut vsurarius tenetur primum lucrū vsurariū restituere, ita etiam secundū, quod fecit cū pecunia vsuraria.

IN QVARTO argumento principali, aliud dubium tangebatur, scilicet, an sicut vsurarius tenetur primum lucrum vsurarium restituere, similiter teneatur secundùm lucrum, quod cum pecunia fœnebri lucratus fuerit, restituere? Et dixit Altisiodorensis, & post eum alij Doctores, tam Theologi, quàm Iuristæ, quòd sic. Et probant, primò, ex Paulo ad Roman. 11. vt suprà inductum est, Si radix sancta, & rami: igitur econtrà si radix infecta & mortifera, & rami similiter erunt infecti & mortiferi; cùm ergo primum lucrum vsurarium, sit velut radix vnde secundum lucrum est acquisitū, & primum est mortiferum; quia sine peccato retineri non potest: igitur secundum erit mortiferum, & sine peccato retineri non poterit. Pro quo etiam facit, quod suprà dictum, & ab omnibus

Sentētia prima affirmatiua. approbatum est, quòd scilicet, vsurarius tenetur restituere non solùm vsuram, sed etiam

Ratio I. fructum vsuræ, si fructifera sit.

II. SECVNDO, quia dolus & fraus nemini debet patrocinari: patrocinaretur autem vsurario suus dolus, & fraus, si secundum lucrum mediante lucro vsurario acquisitum efficeretur suum, ita vt nō teneatur illud restituere; dolus enim & fraus & iniustitia est, rem alienam inuito domino distrahere & alienare, qualiter pecuniam fœnebrem mutuatario debitam distrahit, quando cum ea secundum lucrum acquirit. F

III. TERTIO, vsurarius, qui lucrum vsurarium recipit & non restituit, est fur, & raptor, vt dicitur 14. q. 4. cap. si quis vsuram: raptor autem non solùm tenetur rapinam restituere, sed quicquid illi ex rapina illa euenerit; pro quo facit ipsius raptoris conscientia propria; qui si ad cor redeat, & quid fecerit consideret, absque dubio stimulo conscientiæ agitabitur, rapinam, & quod ex rapina euēnit restituere: modò autem vnusquisque tenetur id agere, quod conscientia recta illi dictauerit, alioqui ex sententia Pauli, contra conscientiam agens, ædificat ad gehennam.

IIII. QVARTO, morosus debitor, qui ratione moræ causa est creditorem damnificandi, vel eum à lucro iusto impediendi, tenetur non solùm ad principale, sed ad damni dati refusionem: iuxta cap. final. de iniuriis, & damno dato. sed vsurarius non illicò vsuram restituens, est morosus, creditorem impediens ne hoc ipsum lucretur, quod vsurarius cum pecunia fœnebri lucratur: igitur tenetur non solùm vsurariam pecuniam, sed quicquid cum ea lucratus est restituere, maximè cùm suprà fuerit ostensum, debitorem morosum teneri ad interesse damni emergentis, & lucri cessantis ipsius creditoris;

V. QVINTO, merx, quam vsurarius cum pecunia fœnebri comparat, tenet vicem pecuniæ & eidem succedit, & ita non habet ad mercedem maius ius, quam habebat ad pecuniam fœnebrem: sed ad pecuniam fœnebrem nullum habebat ius; cùm aliena esset, igitur nec ad mercem sic comparatam habebit ius, & ita tenetur mercem restituere, sicut

A cut pecuniam ipsam restituere tenebatur. pro quo facit. cap. cum tu. de vsuris. vbi mãdatur, possessiones, quæ cum pecunia fœnebri comparatæ sunt vendi, & his à quibus vsurę extortæ erant pretia restitui.

His tamen non obstantibus, aliter dicendum est, distinguendo de illo secundo lucro, quod cum vsura ipse vsurarius lucratur; nam vel prouenit ex ipsa re vsuraria, vt si fructifera sit, & ex se vtilitatem, aut commodum, seu fructum aliquem pariat; & tale lucrum restituendum est, sicut res ipsa vsuraria, vt suprà conclusum est: vel tale secundum lucrum prouenit non ex re vsuraria, quæ de se inutilis est, vt est pecunia, quæ non parit, sed ex industria, & arte, ac labore ipsius vsurarij cum pecunia fœnebri negotiantis; & tale lucrum secundum, ipsius negotiantis est, non creditoris, & ideò non est illi restituendum. Si tamen ex mora vsurarij primum lucrum non restituentis, ipse creditor damnum aliquod, aut interesse patiatur, tenebitur vsurarius illis satisfacere; quæ cum de se satis sint nota non opùs est probationes afferre. *Resolutio bimẽbris.* I. II.

Ad rationes igitur suprà factas respondetur. Ad primam, ex Paulo citatam dicendum, nihil ad propositum facere argumentũ, eò quòd pecunia fœnebris, non se habet ad secundum lucrum tanquam radix ad ramos, sed tanquam instrumentum & materia; rami enim, ex radice suum esse sortiuntur: lucrum autem secundum, de quo loquimur, non ex pecunia; sed ex industria & arte negotiãtis procedit; ideò tale lucrum, ipsius B negotiantis efficitur. Vt si quis cum alieno instrumento rem artificiosam sculpat, vnde magnum lucrum illi paratur, non tenetur tale lucrum domino instrumenti reddere; sed satisfacit si instrumentum reddat, & pro vsu eius, ex quo res locabilis est, aliquid similiter persoluat. Quod in pecunia, quæ instrumentum est ad lucrandum, locum non habet, ex quo pecuniæ vsus est eius consumptio: ideò locari non potest, saltem quatenus pecunia est. *Respõdetur ad rationes pro prima sententia.* *Ad* I.

Ad secundam dicendum, quòd verè ita est, quòd dolus & fraus nemini patrocinatur, sed potiùs notabiliter obest, sicut & omne peccatum ipsi operanti nocet; quod autem ad lucrum, ipsi vsurario suffragatur, est sua industria & ars negotiandi; nec negandum est, vnum & idem opus nocere operanti, quo ad animam, & eidem prodesse quo ad corpus & bursam: vt patet in eo, qui operam suam in alterius vtilitatem locat. Esto quòd operã illam cum mala circumstantia, seu ex lucri cupiditate operatur, & per consequens in ea peccet; stat tamen quòd corporis sanitati conueniat, & suum stipẽdium temporale mercatur; ita ergo vsurarius, & fur, & raptor, etsi peccent alienã pecuniam distrahendo, & cum ea negotiando, licitè poterunt lucrum taliter acquisitum sibiipsis retinere. *Ad* II.

Ad tertiam dicendum, aliud esse stimulo conscientiæ agitari, aliud verò per iudicium conscientiæ ad aliquid obligari. Dicitur conscientiã stimulare, quando per modum inuitantis, seu exhortantis, ad aliquid agendum inclinat; quemadmodùm inclinat ad ea, quæ honestiora sunt & digniora; ratio enim semper ad optima deprecatur: exce- C pto nisi homo totaliter synteresin rationis amiserit; at tali stimulo conscientiæ non tenemur semper conformari; alioqui semper tenemur ad agendum, quæ meliora sunt, quod suppono falsum & erroneum; cùm ad ea quæ sunt de consilio, etsi meliora sint, minimè teneamur. Dicitur autem iudicium conscientiæ obligare, quando ratio, seu conscientia dictat quid nobis sit necessarium, agere, an abstinere; & tali conscientiæ non possumus contrauenire, quin peccemus, vt ex Paulo allegatum est. Ad propositum, esto, quòd fur & raptor & vsurarius qui cum pecunia infecta aliquid sunt lucrati, stimulo conscientiæ ad omnia restituenda, vel pauperibus eroganda agitentur; non tamen ob id tenentur sub pœna peccati, se tali stimulo conformare, vt patet de se. *Ad* III.

Ad quartam dicendum quòd tenetur vsurarius non solùm ad vsuræ restitutionem; sed ad interesse creditoris, cõcurrentibus conditionibus, ad id requisitis de quibus suprà: non tamen ob id tenetur secundum lucrum restituere, tanquam alienum, aut tanquam alteri eo ipso debitum; nam quantum attinet ad satisfactionẽ pro interesse agendam, impertinens est vsurarium cum pecunia fœnebri lucrari, aut perdere. *Ad* IIII.

Ad quintam dicendum, quòd falsum est, quòd non habeat maius ius vsurarius ad mercem, ex pecunia fœnebri emptã, quàm ad ipsam pecuniam; nam per negotiationem merx illa efficitur negotiantis, etiamsi pecunia, cum qua est empta, aliena fuisset: sicut econtrà, si quis rem furtiuam pro pecunia vẽdat; licèt loco rei furtiuæ pecunia succedat; tamen fur maius ius habet ad pecuniam pro re acceptam, quàm ad ipsam rem *Ad* V.

furtiuam: vtrunque videtur in iure fundatum; si enim quis cum pecunia deposita mercem emat, merx illa non deponentis, sed ipsius ementis efficitur, vt habetur. l. si ex ea pecunia. C. de rei vendicatione; de pretio etiam rei furtiuæ, quòd efficiatur ipsius furis, habetur. ff. de fur. l. qui vas. §. fin. Vbi rectè responsum dicitur, si nummos per vim dominus à fure extorserit; in quos furtiua res redacta fuerit, furtum commisit &c. Ac proinde in emptione & venditione, etsi pretium merci, & econtrà merx pretio succedat, non tamen opus est mercem in eâdem obligatione succedere, in qua erat pecunia, nec è contrà. D

Nec obstat cap. cùm tu. de vsuris. suprà citatum; in quo mandatur, possessiones ex pecunia fœnebri emptas vendi, & pretiũ his à quibus vsuræ extortæ sunt restitui; quia de pretio illo tantum est mutuatariis restituendum, quantum ab illis fuerat extortum; & si quid inde supersit, non mutuatariis reddendum est, sed ipsi vsurario conuenit, supposito quòd possessiones illas pro iusto pretio emerit; cùm id quòd superest sit lucrum ex industria vsurarij, iustè, & non iniustè quæsitum. Ex hoc tamen textu apparet, possessiones cum pœcunia fœnebri emptas, specialiter esse mutuatariis hypothecatas, non solùm personali obligatione, sed reali, & cum tali obligatione trãseunt ad secundum possessorem, saltem si titulo gratioso ad eam peruenerit.

Aliud dubium circa quintum argumẽtũ principale supra propositum.

An obligatio restituendi vsuras non solùm cõueniat vsurariis, sed etiã hæredibus, & cum illis vsurariis cooperantibus.

Resolutio affirmatiua.

Probatur de hæredibus.

In qvinto & vltimo argumento principali illa alia dubitatio tangebatur, an obligatio restituendi vsuras, solis vsurariis conueniat, an etiam hæredibus, & aliis cum vsurario cooperantibus &c. Ad quod sine disputatione dicendum, quòd non solùm vsurarius, sed hæredes sui, similiter & hi qui cooperantur ad exigendas & retinendas vsuras, aut ad earum restitutionem impediendam. Et quidem de vsurariis ex dictis constat. De hæredibus autem ratio est clara; quia bona defuncti transeunt ad hæredes cum onere; & hæredes sicut defuncto in bonis, ita & in oneribus & obligationibus succedunt: ita de hæredibus vsurarij specialiter declaratum est in cap. tua nos. de vsuris. E

An ex hæredib. altero impotẽte facto, teneatur alter adhuc potens, in integrũ restituere.

Sentẽtia prima affirmatiua:

Ratio I.

Ratio II.

In qvo cap. glossa mouet quæstionem, an si duo sint vsurarij hæredes, quorum altero impotente ad restituendum facto, altero potente remanente, teneatur is, qui potens est in integrum restituere: In qua quæstione, communis fuit antiquorum Canonistarum opinio, quòd tenetur: quorum ratio potissima hæc esse videtur; quia bona omnia vsurarij sunt ei, à quibus vsuræ extortæ sunt, specialiter hypothecata; idque in odium vsuræ, & per consequens, ad quemcunque hæredem talia bona perueniant, tenebitur iuxta vires hæreditatis ad eum peruenientis. Et inde fit, vt altero hærede facto impotente, alter qui potens est, teneatur in solidum; eò quòd omnia bona, quæ ad eos peruenerunt, erant indistinctè mutuatariis obligata. Facit pro hac sententia cap. citatum. tua nos. de vsuris. vbi dicitur quòd filij, seu hæredes vsurarij defuncti tenentur restituere, sicut defunctus, si viueret, teneretur; sed si viueret, & medietas suorum bonorum destructa esset, de alia residua medietate teneretur integrè vsuras restituere; igitur etiam si medietas bonorum defuncti, in parte vnius hæredis pereat, altera medietate apud cohæredem remanente, de illa remanente tenebitur cohæres restituere totum quod defunctus si viueret teneretur. F

Secunda sentẽtia verior.

Solùm tenetur iuxta portionẽ hæreditatis ad ipsum peruenientis.

Probatur.

Aliorvm tamen opinionem, æquiorem & veriorem esse puto, quòd scilicet quãdo plures sunt hæredes vnusquisque tenebitur, pro debitis defuncti, iuxta portionem hæreditatis ad ipsum attinentis, cuius ratio est; quia in diuisione hæreditatis vsurarij, non solùm bona defuncti diuiduntur, sed æs alienum; vsurę autẽ quod quodammodò æs alienum dicitur; quia creditoribus debitum; ac proinde si solus vnus esset hæres defuncti, ad eum solùm æs alienum perueniret; si plures, inter plures diuiditur. Æs autem alienum in casu inter plures diuidi hæredes, non aliud est, quàm obligationem qua defunctus creditoribus satisfacere tenebatur, inter suos hæredes diuidi, quemadmodum & eiusdem bona inter eos diuiduntur; ac proinde non tenetur quilibet hæres in solidũ, sed in parte, iuxta proportionem hæreditatis ad eum spectantis; & per consequens, siue alter cohęres efficiatur impotens, siue non, satisfacit alter; si pro parte ad eum attinente restituat, idq; in foro conscientiæ, quicquid sit de foro contentioso.

Respõdetur ad rationes oppositas.

Ad I.

Nec obstat fundamentum prioris opinionis, quod est, omnia bona vsurarij esse mutuatariis specialiter hypothecata, nam demptis bonis, quæ eadem numero sunt per vsuram acquisita, quæ constat specialiter mutuatariis esse hypothecata, cùm de ipsorum dominio sint; cætera tamẽ bona vsurarij, siue aliâs legitimè acquisita, siue mediante

A pecunia fœnebri lucrata, non ita sunt obligatione reali mutuatariis hypothecata; sed tantum personali, quod inde apparet; quia vltrà, quòd in iure illud dictum fundamentum non sit; si tamen esset, vt dicunt, sequitur quòd non solùm hæredes, sed legatarij & quicunque alij donatarij & stipendiati ab ipso vsurario, tenerētur pro sua portione mutuatariis restituere, maximè principali, id est, vsurario non restituente. Et sequela patet, quia non minùs essent obligata bona, quæ ad donatarios, legatarios, aliosque prædictos peruenerunt quàm bona hæredum; sed consequens non est concedendum; cùm tales legatarij & donatarij non teneantur mutuatariis restituere; maximè si ex tali legato & donatione nec defunctus, nec hæredes manserunt ad restituendum impotentes, &c.

Nec obstat capit. tua nos. in quo dicitur quod hæredes vsurarij ea sunt districtione cogendi, ad vsuras restituendas, qua parentes sui si viuerent cogerentur; nam ex hoc textu nihil aliud colligitur, quàm quòd obligatio restituēdi ipsius defuncti transeat ad hæredes. Quòd autem ita ad hæredes transeat, vt vnusquisque hæres teneatur in solidum, aut plus quàm hæreditatis proportio ad eum attinens exigat, nullo modo colligitur: quòd autem non inde colligatur, bona omnia vsurarij esse obligatione reali specialiter vsuris hypothecata, apparet; quia non minùs sunt hæredes compellendi cæteris creditoribus defuncti satisfacere, quàm his à quibus vsuræ extortæ fuerint, vt constat. Sed non ob id colligitur omnia bona defuncti omnibus creditoribus esse specialiter hypothecata, hypotheca reali, vt notum est; quanquam speciale sit, in possessionibus, & mercibus ex pecunia fœnebri emptis, quæ in defectum aliorum bonorum vendi ad vsuras restituendas mandantur. in cap. cùm tu. de vsuris. *Ad* II.

B

De cooperantibus autem cum vsurario ad exactionem, retentionem, aut non restitutionem vsurarum, quòd teneantur, sicut ipse vsurarius, constat; quia sua cooperatione damnificant mutuatarium, sicut & principalis, cùm sint causa sine qua non, aut saltem causa sunt, vsurarium ad damnificandum mutuatarium mouens; nam si causa non sint, non tenebuntur, vt suprà quando de currentibus cum fure loquebamur, differuimus. Sed aduerte aliud esse cooperari vsurario ad mutuationem vsurariam, aliud ad lucri acceptionem, seu non restitutionem; ex primo non nascitur obligatio restituendi, sed ex secundo; eò quòd per solam mutuationem ante lucri acceptionem, nōdum damnificatur mutuatarius. Aliud etiam est cooperari ad vsuræ solutionem; aliud verò ad eius pro mutuo receptionem; nam ex primo non oritur obligatio restituendi, sicut nec culpa, quando is qui mutuatario cooperatur, vt vsuram soluat, non vsurarij, sed mutuatarij rem vtiliter agere intendit; quia fortè videt quòd nisi vsura soluatur, non iterum mutuatarius mutuum reperiet, secus si vsurarij vtilitatem prætendat. *Probatur nunc resolutio prioris dubij, de cooperantibus cum vsurariis.*

Seqvitvr inde quòd iudices, aut domini, seu communitates, quæ in territoriis suis verbo, aut opere, aut statuto, vsurarios in vsurarum receptione iuuant compellentes mutuatarios, vt vsuras soluant, vltrà, quòd peccant ad malum cooperantes, tenentur in solidum restituere, aut saltem quantæ sunt vsuræ (eorum causa) solutæ. An autem similiter peccent, & restituere teneantur, ex hoc quòd vsurarios permittunt, etiamsi eis nullum pręstent auxilium, aut fauorē, patebit posteà quando de cambiis agetur. *Corollarium* I.

C

Nec solvm iudices, qui ad instantiam vsurariorum, mutuatarios vsuras soluere compellunt, tenentur; sed ipsi, qui vsuras exigunt, & ad quorum instantiam mutuatarij soluere coguntur, siue nomine suo, siue alieno eas exigant, & solui faciant, ideò famuli, factores, procuratores, aduocati, qui ad præfatam vsuræ exactionem siue etiam solutionem concurrunt, tenentur quantum sua causa mutuatarium damnificârint, rem alienam, scilicet, ipsius mutuatarij, domino saltem superiore inuito, contrectantes, aut per alios iniustè contrectari penitentes. Nec huiusmodi factores, aut famuli ob mandatum domini vsurarij excusantur; cùm oporteat Deo magis, quàm hominibus placere; maximè cùm, vt supra diximus, rei vsurariæ dominium non in recipientem transeat, sed in mutuatario remaneat. Nec possunt tales excusari, quin ministerium iniquitatis exerceant. *Corollariū* II.

Seqvitvr quòd tabellio qui scripturam vsurarij contractus facit, si nihil aliud faciat, quàm factum, prout fit, scribere, nec peccat, nec ad restitutionem tenetur, sed sui operis mercedem iustam recipere potest; eò quòd scriptura illa de se non dat causam exactioni, nec acceptioni, aut non restitutioni vsurarum; sed est velut testimonium veritatis. *Corollariū* III.

Obiectio.

SED OBIICIET aliquis, quòd tabellio talem scripturam vsurario exhibens, tradit ei arma iniquitatis, eò quòd virtute talis instrumenti coget mutuatarium ad vsuræ solutionem; & ita videtur perinde ac si tradat arma furioso, aut si tradat cibum, quo accipiēs ieiunium temerè violet; aut si tradat chartas, taxillos, aliáue instrumenta his, quos scit rebus huiusmodi abusuros. D

Solutio.

Respondetur, quòd non est simile; eò quòd instrumentum tabellionis per se non valet nisi ad cognitionem veritatis; nec vsurarius poterit eo contra mutuatarium vti, nisi virtute illius, eum coram iudice cōueniendo. Iudex autem iustè iudicando non compellet vsuram soluere, supposito (vt procedo) quòd tale instrumentum sit verum & purum, quod contractum vsurarium verborum mutatione, aut arte aliqua non palliet.

Etsi iure ciuili vsuræ aliq̄ permittātur, nō tamē potest iudex iustè iudicando compellere mutuatarium ad vsuræ solutionem.

ET ESTO in iure ciuili aliquæ vsuræ permittantur, vt suprà tactum est; ex quo tamen leges illæ sunt per ius Canonicum abrogatæ, nō poterit iudex iustè iudicando mutuatarium ad vsuræ solutionem compellere, imò secluso iure Canonico, si alicubi expediret, secundùm leges ciuiles iudicare, vbi scilicet compertum sit, vsuras aliquas esse tolerandas, ad reipublicæ necessitatibus subueniendum, adhuc instrumentum tabellionis vsurario exhibitum, non esset instrumentum iniquitatis, sed iustitiæ; eò quòd in tali casu virtute illius, simul & legis, iustè in foro exteriori veniret mutuatarius ad solutionē vsurarum compellendus; nec ob id esset tabellio ad restitutionem cogendus. Quemadmodùm si instrumētum venditionis, in qua alter est citra dimidium defraudatus, exhibeat, E & virtute illius defraudatus per iudicem compellatur stare contractui, vnde in re defraudatus maneat, non tenebitur talis tabellio ad restituendum aliquid ipsi defraudato; sicut nec iudex, iuxta leges defraudatum condemnando. Quemadmodùm etiam is, qui in testem productus est, vt veritatem contractus priùs celebrati deponat; quia fortè instrumentum super illo contractu non est; & id coram iudice referat, quod ipse verè inter contrahentes fieri vidit; & si inde iudex secundùm legem iudicando alterum in illo foro condemnet, in quo verè defraudatus, aut læsus maneat; non ob id tenebitur ille testis ad taliter læso satisfaciendum; igitur nec tabellio veritatis instrumentum exhibendo, quod non est aliud, quàm testimonium veritatis.

Instrumēta tabellionum vera, æquè valent mutuatario, & mutuanti.

ADDE quod præfatum instrumentum veritatis, ęquè valet mutuatario, sicut & mutuanti; quia cognita per scripturam illam conditione contractus, quòd scilicet fuit vsurarius, poterit virtute eius agere contra vsurarium in omni foro; vt vel vsuras solutas restituat, vel non solutas non exigat; & iudex iustè iudicando vsurarium cōdemnabit; alioqui iudex ipse tenebitur satisfacere (sicut & vsurarius) si iniustè contra mutuatarium iudicet. Vnde in Clement. vnica, de vsuris, in prin. sub excommunicatione præcipitur iudicibus, & cæteris officialibus, ne secundùm statuta in fauorem vsurariorum alicubi facta iudicent. vide tibi.

De cambiis & lucro per eadem acquisito. F

QVÆSTIO V.

An cābium sit licitum.

DE CAMBIIS solet communiter dubitari, an licita sint, an illicita. Multi quidem ea tanquam vsuraria condemnant, ac proinde illicita, & in republica non esse toleranda dicunt. Hanc quæstionem nonnulli elucidare volētes, tanta verborum multiplicitate vtuntur, vt eam obscuriorem reddāt, quam credo clariorem euasuram, si eam paucioribus absoluamus. Et primò videndum est, quid propriè dicatur cambium, & in quo à venditione & mutuo differat, & quotuplex sit; deinde ān sit licitum, & per quid vitiari, seu iniustum fieri possit, & quid eorum dicatur vsurarium & non permittendum.

Quid sit cambium.

Dicendum ergo quòd cambium, propriè loquēdo, est permutatio pecuniæ vnius rationis, pro pecunia dissimili, seu alterius rationis.

Pecunia tripliciter potest alteri pecuniæ esse dissimilis.

Fit autem pecuniam à pecunia differre, & alteri dissimilem esse, tripliciter, primò in materia, vt si vna sit aurea, altera argentea; secundò in forma, vt si vna sit vnius imaginis & inscriptionis, altera verò alterius differentis; tertiò, in materia simul & forma; vt si vna sit aurea, & vnius inscriptionis, alia verò sit argentea, & alterius diuersæ inscriptionis. Quæcunque talis diuersitas, seu dissimilitudo numismatum sit, quorum alterum pro altero permutatur, dicitur cambium propriè loquendo.

COROL-

A COROLLARIE sequitur, cambium nec venditionem esse propriè, nec mutuationem. Quòd enim venditio non sit apparet; quia in emptione & venditione propriè loquendo oportet alterum extremum esse pecuniam, alterum verò mercem aliam à pecunia differentem; in cambio autem vtrunque extremum est pecunia, seu numisma, aut moneta, quæ pro eodem in præsentiarum accipio. Quòd mutuum non sit apparet; quia de ratione mutui est, quòd res mutuata reddatur eadē in specie; vt si mutuatur triticum, triticum est reddendum; si oleum, oleum; si pecunia aurea, aurea similis est reddēda; nisi mutuator cum alia velit esse cōtentus; & ita de aliis. In cambio autem non sic; sed si propriè cambium est, necessaria est diuersitas, & dissimilitudo inter datum & acceptum. Similiter mutuum fit in rebus omnibus, quæ vsu consumuntur, & quæ functionem admittunt, siue sit pecunia, siue aliquid comestibile, siue potabile; cambium verò non nisi in numismate fit. Deinde de ratione mutui est temporis interuentus, inter mutuationem & solutionem; in cambio autem non ita; quia propriè sumptum cambium ad statim fit, loquendo de cambio puro. *Quomodo differat cambium à venditione & mutuatione.*

PRO QVO aduertendum quòd cambium dicitur duplex, quoddam purum, quoddam verò impurum. Dicitur purum quando est simplex permutatio pecuniæ, pro alia pecunia dissimili statim tradenda, cui non est alius contractus mutui admixtus; nec alia diuersitas illic concurrit, quàm diuersitas numismatum, quæ permutantur. Dicitur autem impurum, seu mixtum cambium, quando alia diuersitas in tali cambio concurrit, ratione cuius alius admiscetur contractus; vt si interueniat diuersitas loci, aut temporis: vt si campsor existens Compluti tradit pecuniam Petro ibidem, & solutio est illi agenda in alio loco distāte, puta Hispali; aut si Compluti facienda est, determinatur tempus aliquod, in fine cuius veniat præfata solutio agenda; in quibus cambiis interuenit diuersitas loci, aut temporis. Et cùm non possit esse diuersitas loci, quin aliquod tempus interueniat, ideò in huiusmodi cambiis reperitur mutuatio tacita, quemadmodùm reperitur in venditione & emptione ad terminum; & ideò talia cambia dico impura, siue mixta, propter admixtum tacitum mutuum. Sed aduerte iterum, quod non semper, quando interuenit loci aut temporis diuersitas, est mutuum ex parte campsoris; sed tūc quando campsor priùs numismata sua tradit, posteà solutionem recepturus; tunc enim est mutuum ex parte campsoris. Nam aliquādo oppositum fit, scilicet si campsor priùs pecuniam à campsuario recipit, solutionem in alio loco, aut tempore facturus; vt exempla riter patet de clericis Romam euntibus, qui campsori Toleti existenti tradunt centum ducatos, exempli gratia, solutionem Romæ recepturi; tunc enim nullum est ex parte campsoris mutuum, ac proinde in huiusmodi cambio vsura reperiri ex parte campsoris non potest, vt de se satis constat. Itaque omnia cambiorum genera ad tria, vt videtur, reduci possunt, secundùm tres diuersitates suprà assignatas; quæ sunt diuersitas numismatum, diuersitas loci, diuersitas temporis. *Cambium duplex. I. II. Quatenus in cambiis mixtis, reperiatur mutuum. Omnia cambiorum genera ad tria reduci possunt.*

B

C SED VT HAEC omnia propriè dicantur cambia, siue pura, siue mixta, necessaria est numismatum diuersitas; nam esto sit diuersitas loci, aut temporis, si non sit pecuniarum diuersitas, vt dictum est, tales contractus degenerant à cambio, & remanent purum mutuum; vt si pecunia soluenda, est similis pecuniæ priùs datæ, siue in eodem loco, siue in diuerso soluatur, mutuum est; & non cambium. Ac proinde qui pecunias tradunt, aut etiam recipiunt, quibus indifferens est tempore solutionis easdem specie, vel alias dissimiles soluere, seu recipere, propriè campsores dici non possunt; sed mutuatores potiùs dicendi sunt; & ita si in hoc iniustitiam commiserint, talis iniustitia vsuraria iudicabitur.

QVIBVS præmissis, conclusio est certa, quòd cambium siue purum, siue mixtum, vt dictum est, secundum se est contractus licitus, & reipublicæ satis vtilis. Huius ratio est certa; quia per huiusmodi cambia multorum hominum indigentiis communiter subuenitur; multorum etiam hominum damna & dispendia communiter euitantur. Quod de cambio puro patet; quia sæpe homines indigent pecuniis minutis ad res sibi & domui suę necessarias emendas, ad quod nihil illis pecunię grossæ, quas habent deseruiunt; his per cambia pura subuenitur. Multi etiam sunt qui de patria sua egressuri, & patriam alienam, aut regnum peragraturi, vbi pecuniæ quas habent, minimè sicut in patria propria, currunt, indigent pecuniis in alia patria currentibus; aut etiam pecuniis grossis, quæ per viam faciliùs, & cum minoribus expensis atq; periculis deportentur; his etiam *Conclusio. Cambium siue purum siue mixtum secūdùm se est cōtractus licitus. Ratio.*

etiam per cambia pura ſubuenitur. Multi etiam ſunt, qui cùm pecunias habent, quibus Romæ exiſtentes indigent, quas ſecum Romam portare non poſſunt, eò quòd lege vetitum ſit, pecuniam è regno educere; aut quia ſine periculo probabili eas amittendi portare non poſſunt, indigent alterius opera, qui Romæ illis reſpondere faciat &c. His ſubuenitur per cambia impura; vt conſtat. Multi & pro maiori parte ſunt, qui pecunias nullas habent, & alienis indigent, vt neceſſaria ſibi & ſuis comparent, & procurent; his ſimiliter per cambia impura, cui eſt mutuatio admixta, ſubuenitur. Et omnium prædictorum hominum pecunia alia indigentium, multa damna, pericula & diſpendia per huiuſmodi cambia tam pura quàm impura vitantur, vt de ſe ſatis conſtat. Hæc dixerim de cambiis ſecundùm ſe conſideratis, quę non minùs vtilia ſunt, & interdum neceſſaria ipſi reipublicæ, quàm ſint emptio, & venditio, aut aliæ humanæ negotiationes. D

Cambia multipliciter vitiari poſſunt.

VERVM, quemadmodùm aliæ negotiationes, quæ de ſe licitæ ſunt, & reipublicæ vtiles, ſolent multipliciter vitiari ob diuerſas circumſtantias concurrentes, vt ſuprà, quando de mercatura dicere cœpimus, explicuimus; ita & cambia poſſunt ſimiliter multipliciter vitiari; ex parte ſcilicet perſonæ, quia non omnibus cambire conuenit; ex parte loci & temporis, quia non in omni loco, puta ſacro, nec in omni tempore, puta feſtiuo, cambire conuenit; ex parte modi, defraudando, mentiendo, peierando &c. ex parte finis, lucrum ſcilicet, tanquàm præcipuum finem appetendo, nec in alium meliorem finem illud referendo; denique vitiatur ex parte lucri, in cambio quidem puro, ſi lucrum eſt exceſsiuum; in impuro autem ſimiliter ſi exceſsiuum ſit, aut ratione mutui admixti receptum; ſeu ſi abſque alia iuſta cauſa, quæ inæqualitatem excuſet, accipiatur, ſeu exigatur. Pro quo id aduertendum quod ſuprà dictum eſt, cùm contractus cambij ad iuſtitiam commutatiuam pertineat, neceſſe eſt in illo, ſicut & in mutuatione, & emptione & venditione, æqualitatem inter datum & acceptum ſeruare; à qua æqualitate, ſi abſque cauſa aliqua iuſta plus quàm datum ſit recipiendo, recedatur, iniuſtum erit huiuſmodi cambium; & ſi impurum ſit, cenſendum eſt vſurarium. Si enim propter admixtum mutuum ſuperaccipiatur, ſiue parum ſit, ſiue multum quod ſuperaccipitur, ſine dubio erit vſura. Si autem non propter mutuum admixtum, ſed propter aliquam aliam cauſam lucrum exceſsiuum recipiatur; tunc etſi vſura non ſit, erit tamen iniuſtitia. Sunt autem duę cauſę in genere, propter quas licitè poteſt campſor lucrum exigere, & recipere, hoc eſt, plus quàm dat recipere, ſcilicet, obſequium quod campſuariis præſtat, & intereſſe damni emergentis, & lucri ceſſantis, quod ipſe campſor ex cambio patitur. E

In cābiis æqualitas inter datū & acceptum ſeruanda eſt.

Cauſæ duæ, ob quas licitè poteſt campſor lucrum exigere ac recipere.

I. Obſequium certum eſt campſuariis & reipublicæ per campſores fieri; ex quo ſuam induſtriam, & ſolicitudinem apponunt, in quærendo multiplicem numiſmatum differentiam, & ea conſeruando, & ſuo periculo ſuſcipiendo, & domi relictis aliis negotiis ſedendo, vt qui tali aut tali numiſmate indiguerit, facilè apud ipſum campſorem inueniat. Tale autem obſequium cùm gratìs fieri non debeat, conſequens eſt mercenarium eſſe, hoc eſt, dignum, cui ſua merces correſpondeat; & habet locum hæc ratio in omni cambio propriè ſumpto, ſiue purum ſit, ſiue mutuationi admixtum. F

II. Intereſſe etiam tam damni emergentis, quàm lucri ceſſantis cauſam ſufficientem eſſe ad aliquid loco eius exigendum & recipiendum, conſtat ex his, quæ ſuprà latè diſſeruimus; modò conditiones ſuprà poſitæ concurrant (quas tamen difficile arbitror in campſoribus concurrere.) Habet autem locum hæc ratio, ſeu cauſa, tam in his, qui ex officio habent cambire, qui propriè dicuntur campſores, quàm etiam in aliis, qui cambiunt, etiamſi id ex officio non habeant. In quo differt hæc ſecunda cauſa, quæ intereſſe concernit, à priori, quæ de obſequio poſita eſt; nam intereſſe in vtriſque locum habet, obſequium autem non niſi in his, qui propriè campſores ſunt, id eſt, qui id ex officio ſolent exercere.

Corollarium.

COROLLARIE ſequitur, quòd omni intereſſe campſoris ceſſante, poterit iuſtè lucrum aliquod ex cambio prætendere, ratione ſcilicet obſequij, quod reipublicæ & campſuariis impendit; non minùs quàm alij mercatores, qui ſuam induſtriam, & ſolicitudinem cum expenſis applicant, ad quærendum mercium diuerſitatem, vt illis indigentibus præſtò poſsint ſubuenire; qui vltrà quàm merces illis conſtiterunt, poterunt aliquod lucrum prætendere, ratione expenſarum, laboris, & periculi, & aliorum quæ ſua remuneratione digna eſſe cōſtat; quòd cùm certum ſit in cambio puro, vbi ſola pecuniæ diuerſitas inuenitur; ſimiliter in cambio in quo loci diuerſitas reperitur, imò etiam in

cambio

A cambio, in quo cum pecuniæ diuersitate, diuersitas etiam temporis, & non loci interuenit; eò quòd in his omnibus ratio propria cambij reperitur, scilicet permutatio monetæ pro alia, ratione differente: quæ quidem cambij substantia per loci, aut temporis varietatem non tollitur.

De cambio, in quo sola temporis diuersitas interuenit.

QVÆSTIO VI.

DE CAMBIO tamen, in quo sola temporis diuersitas interuenit, esset dubiũ, an sit licitum ex illo lucrum quærere? quod quidem cambium, propriè cambium non est, sed purum mutuum; ex quo non interuenit diuersitas inter numisma traditum, & soluendum: nec etiam interuenit loci diuersitas, sed sola solutionis, per tempus statutum, expectatio; & ideò est purum mutuum. Hac ratione videntur Doctores communiter moueri, ad dicendum, quòd in tali contractu non est licitum quicquam lucrari, quia esset vsura: & ita campsores Hispanos, qui huiusmodi cambiis, vt plurimum vtuntur, absolutè condemnant. *An liceat ex cãbio, in quo sola tẽporis diuersitas interuenit, lucrũ quærere.* *Sententia I. negatiua.*

B HOC TAMEN in præsentiarum conuenit examinare, ne indistinctè damnemus, quod salua conscientia possumus excusare, aut econtrà. Ideò contra prædictam sententiam huiusmodi campsores absolutè & indistinctè damnantem arguitur. In tali campsore concurrit eadem causa aliquid lucrandi, quæ concurrit in campsore propriè sumpto, qui vnum numisma pro alio dissimili permutat: igitur poterit vterque lucrum quærere, vel neuter. Assumptum patet; quia in vtroque est simile obsequium, dempto hoc, quòd vnus obsequitur mutuando, alter verò cambiendo. De quibus obsequiis nunc non loquor, quia talia obsequia venalia non sunt, nec inde licitum est, lucrum quærere; quia sicut in mutuo requiritur æqualitas inter datum, & acceptum, ita in permutatione vnius monetæ pro alia dissimili, requiritur similiter æqualitas, vt iusta sit permutatio. Quòd si aliquid potest lucrari, verus campsor est ratione alia; quia scilicet industriã & diligẽtiam apposuit in pecunias differentes congregando, & easdem seruando, & periculum earum in se suscipiendo, & domi indigentes expectando, vt illic facilè ea quibus indigent reperiant: sed hæc omnia reperiuntur in campsore, de quo loquimur, vt pono: igitur ob illam causam poterit lucrum acquirere, sicut ob eãdem causam, alter verus campsor acquirit. *Oppugnatur hac sententia I.*

SI DICAS, quòd verus campsor aliam causam habet, scilicet quia tenet in diuersis locis famulos & factores, seu ministros, idque non sine expensis propriis, vt scilicet multorum indigentiis, in multis locis prouideat. Respondetur, quòd hoc nihil obstet; quia pono ego similiter campsorem impropriè sumptum, in diuersis locis tenere ministros, C ita vt cætera sint paria: dempto hoc, quòd in cambio illius, qui propriè dicitur campsor, interueniat diuersitas monetarũ, similiter & temporis, aut loci: in cambio verò impropriè sumpto, de quo loquimur, non nisi temporis diuersitas, aut loci interueniat, & non monetarum, ita vt sit purum mutuũ. Aut pono, quòd in neutro cambio interueniat loci diuersitas, sed in vno interueniant tantùm monetæ, & tẽporis diuersitas; in alio verò sola temporis expectatio, & reliqua, scilicet pecuniarum aggregatio, labor, periculum, & expensæ sint paria. Iam si propter hæc licitum est vni lucrari, quare propter eadem non erit alteri licitum similiter lucrari? Confirmatur hoc ex ratione Scoti; si respublica vellet hominẽ conducere, qui se ad illa omnia obliget, scilicet congregandũ diuersa monetarum genera grossa, & gratialia, ea suo periculo conseruãdũ, & postpositis aliis negotiis, domi sedeat indigentibus mutuaturus; non est dubiũ, q̃n tali homini sic conducto, sua merces de iustitia debeatur. Igitur si homo ille sua volũtate officium illud, seu ministerium cum præfatis oneribus assumat, cum à rep. stipendiatus non sit, iustè poterit ab his (quibus cũ suo ministerio seruit) aliquam recipere, & exigere mercedem. Hac enim ratione probat Scotus, esse licitũ mercatoribus cariùs, quàm constiterint, merces suas vendere, hoc est, propter onera pręd icta, ad habendũ pręfatas merces indigentibus paratas, pręrequisita. Hac eadem ratione probat Conradus post alios, esse licitũ vero & puro campsori aliquid lucrari, ratione scilicet huiusmodi onerũ, quę voluntate assumpsit, ad subueniendũ indigentibus per suum ministeriũ. Hac eadem ratione motus fuit Durandus in 3. d. 37. q. 2. ad *Obiectio.* *Solutio.* II.

tenendum in forma id, quod hæ rationes prætendunt; scilicet, quòd esto campsor nullum aliud officium pecunias permutādi suscipiat; sed solùm ministerium mutuandi cum labore, cura, periculo, & expensis suprà dictis, iustè poterit suum lucrum ex illis quærere, licèt non ex mutuo. D

III. PRAETEREA, si huiusmodi campsori, qui proprius mutuator dicendus est, non esset licitum in acquirendo lucrum, habere respectum ad præfata onera, ab eo pro aliis assumpta, ideo esset, quia principale ministerium suum quo indigentibus seruit, est mutuare illis; hoc autem ministerium gratuitò agendum est: sed hoc nihil impedit, quò minùs possit mercedem dignam præfatis oneribus accipere. Patet hoc exemplariter, quia nō minùs gratuitò est ferendum testimonium, quàm sit gratuitò mutuandum; sed si testis, vt testimonium ferat, opùs habet expensas facere, aut aliqua onera subeat, de loco in locum eundo, poterit non solùm expensas exigere, sed & mercedē oneribus per eum susceptis condignam recipere; esto quòd nihil pro testificando recipiat. Idem patet de iudice cuius principale ministerium est iustitiam in republica facere: quod quidem officium de se venale non est, sed gratuitò agendum, sicut & mutuum: & tamen propter laborem & curam & cætera onera tali officio annexa, licitum est iudici mercedem exigere, & recipere. Idem patet de sacerdote, qui si in Ecclesia aliqua est ministraturus, siue missam celebrando, siue per mensem, aut annum illi seruiendo; quamuis ipsum spirituale ministerium venale non sit, sed gratuitò agendum; nihilominùs laboris & operæ, aliorumque onerum, ad præfatum ministerium requisitorum, mercedem dignam poterit iustè recipere. Quare igitur præfatus mutuator, qui id ex officio assumit, nō poterit onerum ad id requisitorum, & laboris & industriæ, dignam accipere mercedem, dum tamen pro ipsa mutuatione, siue ad mensem fiat, siue ad annum, siue ad duos annos, nihil penitus lucrari intendat? E

IIII. PRAETEREA si clericus, loco proprio deserto, iter arripit, vt his qui in alio loco distanti sunt, sacramenta ministret: & medicus similiter iter arripit, vt infirmis, qui in loco distanti sunt, medeatur: & iudex qui similiter iter arripit, vt his qui in loco distanti sunt, iustitiam faciat, terminos visitet, & statuat &c. nónne tales pro arrepto itinere, & labore, atque onere ibidem sumpto, iustè poterunt dignam mercedem exigere, & recipere? quare igitur diues, si similiter iter arripiat, vt his, qui in loco distanti sunt, per mutuum subueniat, non poterit arrepti itineris, & laboris, atq; oneris ibidem suscepti, mercedem dignam exigere & recipere? Quod si potest, quare igitur propter alia onera, ad subueniendum indigentibus per mutuum assumpta, non poterit mercedem dignam recipere?

Obiectio. Si dicas, ideo non posse; quia huiusmodi mutuator, seu fictus campsor, non aliorum vtilitatem, sed proprium lucrum quærit; ideo non aliis seruire, sed sibiipsi intendit prodesse:

Solutio. contra hoc stat ratio; quia similiter mercatores, qui aliundè merces cum magnis laboribus, & expensis, & periculis afferunt, suum proprium commodum, & lucrum quęrunt; & sibi ipsis prodesse intendunt: sed non ob id ipsorum lucrum moderatum est condemnandum, cùm re ipsa reipub. ministrent; quicquid sit de eorum intentione. Ministrant autem eundo, redeundo, merces cum periculo & labore, atque expensis portando: similiter præfati mutuatores ministrant. At dices, ministrant mercatores merces vendendo; F

Aliarum obiectionum solutio. quasi mutuator præfatus, non similiter ministraret pecunias mutuando. Sed dices tale ministerium, mutuandi gratuitò debet fieri, similiter etiam, gratuitò ipsa venditio fieri debet; cùm actus iustitiæ sit, quę ęqualitatem requirit, nec mercatores pro ipso actu venditionis in pretio ascendunt, vt suppono, sed pro oneribus susceptis, vt patet.

V. POSTREMO in confirmationem primæ rationis arguitur. Impertinens esse videtur numismatum, quæ in cambio puro permutātur, diuersitas ad hoc, quòd lucrum possit inde acquiri; sed quod ad id pertinens est, est obsequium ipsius campsoris, quod campsuario impendit, & per consequens vbi fit simile obsequium, etiamsi non sit numismatum diuersitas, erit similiter lucrum licitum. Antecedens patet; nam quæro, hic purus campsor, qui dicitur cambium mutuum exercere, quam ob causam quærit lucrum? an propter permutationem pecuniæ? sed hoc non, quia ipsa pecuniæ permutatio, sicut alterius mercis venditio, æqualitatem requirit: ac proinde si mercator tantum accipit in pretio, quantum merx ipsa valet, iusta est venditio; & si aliquod lucrum superaccipit, alia causa iusta quærenda est vltra ipsam venditionem: ita campsor purus, si tantum in pecunia dissimili recipit quantū dat campsuario, iusta & æqua est permutatio, & ita si lucrum

amplius

A amplius quærit, alia cauſa aſsignanda eſt præter ipſam permutationem iuſtam. Illa autem alia cauſa nõ eſt, niſi obſequium: hoc autem eſt præfata onera, periculum, laborem, & curam ſuſcepiſſe. Quòd ſi ita ſit, impertinens ergo omnino eſt ad præfatum lucrum iuſtificandum, quòd moneta ſoluenda ſit diuerſa ſpecie ab ea, quam campſor dedit, vel non, modò in valore æquiualeant omnino: & per conſequens ſi adſit idem obſequium, & non eadem monetæ diuerſitas, erit lucrum ſimiliter iuſtificandum.

Reſolutio Eiuſmodi campſores non eſſe condemnandos, quòd cũ aliquali lucro mutuãt. Ob quaſnã cauſas ſint eiuſmodi campſores cõdemnandi.

ITAQVE videtur, huiuſmodi campſores (qui propriè mutuatores dicendi ſunt) non eſſe ob id ſimpliciter condemnandos, quòd cum aliquali lucro mutuant; non quidem ex mutuo ſperato, ſeu intento, ſed ex honeſto obſequio mercenario per eos impenſo. Si autem condemnandi ſunt, cauſa erit exceſſus lucri; quia ſcilicet, præfato obſequio non proportionatur, ſed ſuperexcedit: quod experientia ipſa ſatis commonſtrat, cùm videamus huiuſmodi campſores ex pauperibus breui tempore ditiſsimos euadere; aliis quibus ſeruire ſe dicunt depauperatis, & rebus ſuis miſerabiliter ſpoliatis.

SVNT ETIAM condemnandi ob pacta alia, quæ ipſi in ſuis cambiis, ſeu mutuationibus, in ſuam vtilitatem aliorumque damnum apponere ſolent; de quibus eſſet particularis habenda notitia, antequàm vel damnentur, vel approbentur: quod enim nunc diſputando concluſum eſt, tale eſt, ſcilicet, quod campſores ſiue cambiant, ſiue merè B mutuent, poterunt lucrum moderatum, & præfatis oneribus per eos aſſumptis correſpondens, exigere: ſicut cæteri mercatores ob ſimilem cauſam poſſunt in pretio aſcendere: iuxta ea, quæ ſuprà de venditione diximus. Quæ ſententia ampliùs confirmatur per Bullam Leonis, ſuper Monte Pietatis tradita, de qua infrà in quæſtio. ſequenti. Cambia tamen, quemadmodùm de facto fiunt, non approbo; quia nec debitum ſeruatur moderamen, nec ad ſolum obſequium reſpectus habetur, ſed ad tempus; nam quantò tardiùs eſt agenda ſolutio, eò plus augent lucrum, quod nonnullum argumentum eſt intentionis vſurariæ.

I. II.

Probatio alia dictæ reſolutionis.

Nota.

COROLLARIE ſequitur, quantò maiora & plura ſunt onera ob cauſam cambiendi, ſeu mutuandi ſuſcepta; tantò magis licitum eſt in lucro aſcendere, & econtrà; eò quòd lucrum ob illam cauſam acceptum debet cauſæ ipſi proportionari. Sunt autem huiuſmodi onera in triplici differentia, quædam dicuntur antecedere, quædam concomitari, quædam verò ipſum cambium, ſeu mutuationem ſubſequi. Quæ antecedunt ſunt ea, quæ ſuprà diximus, pecunias diuerſorum generum quærere, & aggregare, & miniſtros in pluribus locis, aut vno ad cambiendum paratos habere &c. Quæ concomitantur ſunt, pecunias mutuandas, ſeu cambiendas numerare, & ſi in alio tempore aut loco ſolutio agenda eſt, in libris ſcribere, & periculo ſæpe huiuſmodi pecunias mutuatas exponere. Quæ autem ſubſequuntur ſunt, intereſſe aliquod pati, timor iuſtus, & anxietas de ſolutione, non ſine expenſis & lite agenda, & expenſæ ipſæ in capitalis recuperatione factæ; & alia multa poſſunt ipſi cambio, ſeu mutuationi accidere: quæ C omnia non tenetur campſor, ſeu mutuator gratis pro mutuatario ſuſtinere; ſed pretio poſſunt omnia illa æſtimari, vt ſuprà dictum eſt: ac proinde his auctis aut diminutis, licitum eſt lucrum correſpondens augere, aut diminuere; attento ſemper ne inde infamia, aut ſcandalum ſubſequatur.

Corollarium I. Quò plura & maiora ſunt onera à campſore ſuſcepta, eò licet plus in lucro aſcendere, & econtrà.

Onera eiuſmodi ſunt triplicia.

I. II. III.

COROLLARIE ſequitur, plures cauſas ad lucri augmentum concurrere in cambio impuro, in quo, vltra diuerſitatem monetæ, diuerſitas loci & temporis interuenit, quàm in cambio puro, quod fit ad ſtatim, in eodem ſcilicet loco, & tempore.

Corollariũ II.

SEQVITVR etiam, non eaſdem cauſas concurrere ad lucri acceptionem, in perſonis priuatis cambientibus, quæ in his qui ex officio ſuſcipiunt: vt de ſe ſatis conſtat; nõ tamen ob id eſt omnino illicitum eiſdem priuatis, lucrum aliquando prætendere; quia eſto illa omnia antecedentia non concurrant, quemadmodùm in veris campſoribus inueniuntur, poſſunt tamen alia omnia, in eiſdem priuatis inueniri.

Corollariũ III.

De pecunia an vendi poßit.

QVÆSTIO VII.

ESSET

An posſint cãpſores lucrari ratione valoris ſeu qualitatis pecuniarum.
Sentẽtia I. quæ fusè explicatur & probatur
Valor pecuniæ duplex.

ESSET TAMEN dubium an dempta ratione intereſſe, ſimiliter & obſequij prædicti, poſsint campſores lucrari ratione valoris, ſeu qualitatis numiſmatum: puta quia pecunia aurea maioris valoris ſit ratione materiç, quàm argentea. Et vt intelligo ſunt Doctores, qui tenent partem affirmatiuam, dicentes pecuniam eſſe venalem ſicut & alias res: non quidem ratione valoris, quem habet pecunia, quatenus pecunia eſt, quem valorem dicunt legalem; quia lege iam inſtitutum eſt, quantum valeat Florenus, quantum Ducatus, & ita de aliis: & talis valor legalis inuariabilis eſt, quamdiu durat lex ipſa, quę valorem talem inſtituit. Conſiderando tamen qualitatem monetç, habet alium diuerſum valorem, à legali diſtinctum, ratione cuius vna moneta plus valet, quàm alia, etiamſi legalis earum valor ſit idem. Vt plus valent centum ducati in auro, quàm in argento, & plus in argento, quàm in ære, ſeu metallo inferiori: id patet computãdo aurum ad argentum; nam aurum valet ad deaurandum; valet ad certo modo medendum, valet quia diuturnius eſt & incorruptibilius; valet quia moneta aurea faciliùs poteſt de loco in locum portari, quàm argẽtea, aut ærea, propterea quia minùs ponderoſa; valet etiam, quia meliùs domi conſeruatur aurea, quàm alię monetę, exiſtente ſemper earum eodem valore legali; valet etiam, quia vna vniuerſaliùs eſt diſtrahibilis, quia in pluribus regnis & locis currit & expenditur, quàm alia; valet etiam, quia non ita facilè valor legalis bonæ pecuniæ variatur, ſicut valor aliarum pecuniarum inferiorum, quæ magis ſunt periculo diminutionis expoſitæ. Itaque non ſolum aurea pecunia valet plus quàm alia inferior moneta, ratione materiæ; ſed etiam quatenus pecunia eſt, & talis qualitatis, dicitur plus valere ob præfatas & alias vtilitates, in quibus vna moneta aliis monetis eſt præferenda: ideo dicunt hac ratione poſſe pecuniam vendi cariùs, quàm ſit valor eius legalis, & per conſequens poſſe campſores nõ ſolùm ratione obſequij, ſeu officij cambiendi, aliquod lucrum intendere; ſed ex ratione qualitatis numiſmatis, quod permutant, ſeu cambiunt.

D

E

Iuxta prædictã ſententiam ad quid valeat legalis pecuniæ valor.
Vſus pecuniæ principalis quis ſit, ex eadem ſententia.

ET SI AB his quæratur, quid igitur operatur lex, quæ valorem determinatum pecuniæ inſtituit, ſi poteſt cariùs pecunia vendi, quàm valor ille legalis requirat: dicunt, valorem legalem ſeruire ad commutationes rerum, quæ pro pecunia fiunt: vt ſi quis velit emere triticum, aut oleum, aliáſue merces, nil refert pro illis ſoluat decem ducatos in auro, aut in argento: ſecùs in commutatione pecuniæ pro pecunia. Quandoquidem vſus principalis ad quem pecunia fuit inſtituta ſeu inuenta, non fuit cambire, hoc eſt pecuniam pro pecunia permutare; ſed emere & vendere res alias, quæ communiter ſunt ad vitam hominum neceſſariæ; quas cùm non omnes vbiq; homines habeant, nec res quas actu habent, illis ad habendum alias quibus indigent, proſint: vt de ſe ſatis conſtat; ideo neceſſarium fuit aliquid inſtituere, quod vbique valorem haberet, & vbique pro rebus aliis poſſet commutari, vt mediante illo, homines ea quę ſibi neceſſaria ſunt, valeant vndecunq; comparare: tale eſt numiſma, & ita immediatè fuit ad inuẽtum ad merces alias comparandas. F

Neceſsitas cambiẽdi vnde fuerit orta.

VERVM quoniam numiſmata ſunt inter ſe diuerſa, nec omnia vbiq; expenduntur, nec omnia vbique reperiuntur, & eorum quę reperiuntur, & expenduntur, quędam ſunt quibus homines magis indigent ad res (quas volunt) comparandas: quædam verò, quæ ad id non ita illis deſeruiunt, ideo hæc numiſmatum varietas induxit neceſsitatem cambiendi, hoc eſt, pecuniam pro pecunia permutandi; nam ſicut nobis neceſſarium eſt, panem, & vinum, & veſtitum, aliaque neceſſaria quęrere, ſi non ea habemus; nec ea ſine pecunia poterimus inuenire: ita ex conſequenti neceſſarium nobis eſt, pecuniam, quæ ad id nobis deſeruiat, quærere: hanc autem inuenimus, vel res noſtras pro pecunia vendendo, vel pecunias noſtras, quæ non ita ad neceſſaria emenda nobis deſeruiunt, pro alia cõmodiori nobis pecunia permutando. Itaq; pecuniæ pro pecunia permutatio eſt eius ſecundarius vſus, non propter ſe, ſed propter alium priorem principaliter intendendus. Et ita dicũt, legalem valorem ad primum vſum deſeruire; & pecuniam in principali eius vſu cariùs expendere, quàm ſit valor eius legalis, eſſet peccatum, quo lex ipſa violaretur: ſecùs in ſecundario eius vſu, quo pecunia pro pecunia permutatur, in quo non eſt neceſſarium ſtare valori legali.

Oppugnatur hæc ſententia I

DE HOC modo loquendi videtur primò, quòd nõ magis ſuffragetur campſoribus quàm aliis, quia illas eaſdem commoditates, quas pecunia aurea ſupra argenteam, aut aliam inferiorem in poteſtate campſoris habet; eaſdem habet in poteſtate nõ campſoris

vt de

A vt de se patet: ac proinde, si campsori est licitum talem pecuniam vendere cariùs, quàm sit valor legalis; ob eandem causam erit hoc idem licitum cuicunque alij.

SECVNDO esto suffragetur campsoribus, qui cambium purum exercent, aut etiam impurum, modò cambium propriè sumptum sit: non tamen deseruit aliis, qui communiter dicuntur campsores, cùm sint potiùs verè mutuatores; quibus scilicet impertinens est tempore solutionis aurea aut argentea moneta soluatur; imò & conueniunt, vt tempore solutionis eadem specie, aut melior moneta, quàm fuerit tradita soluatur: & tamen cum hoc lucrum suum quærunt, vt pasim in cambiis, quæ sunt in vsu in Hispania videmus. II.

TERTIO, quòd nec campsores, nec non campsores per hunc modum excusentur, apparet; quia credendum est, legislatorem, qui certum valorem ipsi pecuniæ instituit, omnes ipsius pecuniæ commoditates, seu qualitates attendisse; alioqui nulla videretur ratio quare aurum in decuplo plus, quàm argentum eiusdem ponderis, & argentum similiter multò plus, quàm aliud inferius metallum valere sit institutum; nisi quia cognouit legislator, aurum longè plus, & ad plura, quàm argentum valere; & argentum similiter longè plus & ad plura, quàm alia inferiora metalla prodesse: ac proinde velle personas priuatas, non habito principis, aut legislatoris consensu, valorem seu pretium monetæ augere, putandum est ex cupiditate inordinata mercatorum potiùs, quàm ex necessitate, aut publica vtilitate, euenisse. Quare non videntur excusandi, lucrum ex valore monetæ contra leges institutum prætendentes, nisi ad obsequium, vel interesse, vt dictum est, recurratur. III.

B

QVARTO, quia sicut moneta melioris materiæ suas habet commoditates, quia faciliùs numeratur, seruatur, & transportatur: ita etiam monetæ minutiores, aut vilioris materiæ, suas similiter habent commoditates, & communibus hominum necessitatibus per illas faciliùs subuenitur. Nam si homines inter se conferamus, longè plures sunt indigentes, quàm diuites: indigentibus autem multò magis prosunt pecuniæ minutæ, vt res quibus indigent sibi comparent, quàm aliæ grosiores, quales sunt aureæ; imò & ipsis diuitibus sæpiùs sunt magis necessariæ pecuniæ minutæ, quàm grossæ, ad sibi & suis necessaria comparanda: & ita, sicut ad certum effectum plus valet aurea, quàm argentea vel alia inferior; ita similiter ad suum certum effectum plus valet argentea, & inferior, quàm aurea: & similiter si campsor, dando auream monetam, posset ob talis pecuniæ commoditatem lucrari: ita alter, qui pecuniam minutam campsori tradit, deberet similiter inde lucrari; cuius oppositum semper videmus scilicet quòd campsor qualemcunq; pecuniam cambiat, siue meliorem pro peiore, siue econtrà, semper à campsuario lucrum suum quærit. IIII.

QVINTO, dicere quòd valor legalis seruit pro aliis commutationibus, & non pro cambio, non videtur omnino verum; nam si propter valorem legalem tantum triticum seu oleum reperitur pro decem ducatis in argento, sicut pro decem ducatis in auro, & econtrà; sequitur quòd decem ducati in auro, & decem in argento æquiualent vni tertio, puta tritico in tali quãtitate, & per consequens æquiualebunt inter se: & ita si decem ducati in auro, pro decem in argento permutentur, æqua & iusta erit permutatio; qualis esset permutatiò decem ducatorum in auro, aut decem ducatorum in argento, pro illa asignata tritici quantitate. Adde quòd numismati non per res alias venales valor impositus est, sed per alia numismata; vt ducatus institutus est vt valeat trecenta septuaginta quinq; dipondia; regale argenteum institutũ est vt valeat triginta quatuor dipondia: ad hunc modum de aliis monetis maioribus dicendum est, quòd earum valor sit per minores monetas taxatus & determinatus. Ac proinde iusta erit permutatio, si moneta maior pro minoribus eiusdem valoris legalis permutetur: iniusta verò æqualitate recedatur; excepto nisi alia causa iusta talis recessus asignetur, vt si is, qui pecunias melioris materiæ, erat in alium locum portaturus, & ad alterius instantiam, eas pro aliis inferioris materiæ permutet, iustè poterit aliquid vltra valorẽ legalem exigere: aut si eas erat ad alium finem conseruaturus, quarum conseruatio esset sibi facilior; aut si erat aliquid deauraturus, seu pecuniam suam ad alium finem locaturus: In his & similibus casibus sua interest, talem pecuniam pro tunc non distrahere; ac proinde, ratione talis interesse, poterit plus quàm valet alia pecunia pro qua suam permutat, exigere, Si tamen nil sua intersit, illã vel aliã pecuniã pro sua accipere, non video quare non sit p̃fata ęqualitas in tali p̃mutatione V.

C

seruanda,

seruanda, qua pecunia pro pecunia permutatur, sicut seruanda est in alia, qua pecunia D
pro merce alia commutatur.

Haec dixerim de pecunia, cui ex lege, aut communi consuetudine patriæ, certus & determinatus valor conuenit, & communiter iustus valor reputatur, & secundum illum est pecunia permutanda & expendenda, vbi lex illa vim suam habere, & communi consuetudine approbata esse dignoscitur: secùs de pecunia & loco, in quo secundùm legem aut communem consuetudinem, certum & determinatum valorem non habet; sed varium, pro ut aliarum rerum venalium pretium variari solet, vti fieri dicunt in nonnullis locis & ciuitatibus Italiæ & Flandriæ; Nam tunc non negarem, pecuniam huiusmodi vendi posse sicut & alias res, quæ venales communiter dicuntur: & haberet talis pecunia aliarum rerum venalium conditionem, quantum ad hoc quod est habere suam latitudinem iusti pretij, & quantum ad ascendendum & descendendum in valore, secundùm abundantiam aut penuriam talium pecuniarum, & secundùm multitudinem & paucitatem venditorum & emptorum. Quod tamen locum non habet in locis, vbi pecuniæ suus certus valor per legem communiter consuetudine approbatam, est determinatus. Quod notanter dixerim, quia si à lege per oppositam consuetudinem receditur; & consuetudo tanta sit, quæ principi constet, & non contradicat: tunc non etiam condemnarem factum, quo pecunia cariùs venditur, quàm sit valor eius legalis: vti nunc
dicitur introducta consuetudo vendendi duplos ducatos aureos, pro viginti tribus re- E
galibus, & amplius, lege tamen suam vim retinente, vendi nisi secundùm valorem legalem non possunt. Nec licitum est ducatos huiusmodi permutanti, vltrà quàm lege statutum est, pro illis accipere, nisi aliqua alia causa illius superacceptionis interueniat; puta obsequium cambientis, si campsor sit, aut aliquod interesse, iuxta ea quæ dicta sunt.

Corollarium I. Inde fit vt moneta, quæ in regno aliquo aut patria non currit, vendi posit, ex quo nullum illic valorem habet in quantum pecunia, sed in quantum talis & tanta materia est.

II. *Corollariũ.* Fit insuper vt si certum aut probabile sit, certam monetam breui fore in valore legali diminuendam, iustè posse permutari pro alia, quæ à valore quem illa actu habet deficiat, & causa est, diminutio valoris breui futura. Sicut etiam licitum est pro multa pecunia in naui tempore tempestatis existente, longe minorem dare; & causa est periculum, cui pecunia nauis exposita est: & pro centum ducatis Hispali, aut in alio loco distanti soluendis, licitum est aliquid minus dare; & causa est opus iniunctum ei, qui illos proprio labore, cura, & expensis, est recuperaturus: ad hunc modum de aliis inferri & exemplificari posset.

Quam ob causam campsores aliquid lucrari posint, vel non posint.

Itaque ad excusandum campsores & mercatores qui in pecuniis permutandis, & expendendis tractant, vt inde aliquid licitè lucrari posint, non opùs est ad facultatem vendendi monetas recurrere; cùm illis secundùm legem suus certus valor sit institutus: sed vt cōtractus iste pecuniarius iustus sit, modò permutatio seu cambium sit, modò mutuum, necesse est æqualitatem, inter datum & acceptum, seruare; excepto
nisi causa aliqua iusta, quæ inæqualitatem excuset, interueniat: & per hoc facilimum est F
de omnibus cambiis iudicare, an liciti sint, an vsurarij, an iniusti.

De causis ob quas solent campsores lucrum augere.

QVÆSTIO VIII.

Alia causa, ob quas solent campsores lucrũ augere.

Illvd item est aduertendum quòd vltra causas suprà asignatas, ob quas licitum est plus in cambio lucrari, quàm eis non existentibus, solent ob alias causas campsores lucrum augere scilicet ratione loci
I. distantioris: idque id cambiis ad locum in quibus scilicet loci diuersitas interuenit; nam quò ad distantiorem locum cambitur, eò maius lu-
II. crum exigitur. Similiter ratione quantitatis pecuniæ campsæ, nam quò maior pecuniæ quantitas in cambio datur, eò maius lucrum exigitur; idque tam in
III. cambio puro, quam etiam impuro. Similiter ratione temporis, campsuario ad hoc vt soluat concesi; nam quò maius tempus illi ad soluendum conceditur, eò magis lucrari
IIII. campsores volunt. Similiter attendunt ipsi campsores & mercatores ad abundantiam & penuriam pecuniæ in tali loco & tempore existentem, & quò maiorem penuriam pecuniæ illic esse agnoscunt, eò magis lucrum augent. De quibus lucri augmentis, ob causas huiusmodi

A huiuſmodi dubitatur, an licita ſint, & præfatæ cauſæ ſufficientes ſint ad præfatum lucri augmentum. *An prædictæ cauſæ ſint per ſe ſufficientes ad augēdum lucrum.*

Et dicendvm quòd nulla ex his cauſis eſt de ſe ſufficiens, ad præfatum lucrum augendum; ſecùs ratione adiuncti, ſi alia ſcilicet cauſa iuſtior concurrat. Et quidem de loci diſtantia conſtat, quòd per ſe nil conferat ad lucrum augendum, ſed ratione oneris adiuncti; ſcilicet quia campſor, qui hîc pecunias dat, alibi eas recuperaturus, ſuſcipit in ſe onus hoc, ſcilicet mittendi ad locum diſtantem famulum ſeu miniſtrum, qui tales pecunias ſuo tempore recuperet; & quia hoc onus videtur quaſi per ſe annexum cambio, quod ad locum diſtantem fit, ideo de hac cauſa non dubitatur quin ſufficiat ad augendum lucrum ſecundum exigentiam diſtantię; cùm maior diſtantia maiores labores, & expenſas requirat, quàm minor. *Reſolutio negatiua. Probatur de I. cauſa.*

De alia cauſa, quæ tempus intermedium concernit, ſimiliter dicendum, quòd per ſe non eſt cauſa ſufficiens ad lucrum augendum. Qui enim ob ſolutionis expectationem lucrum quærit, vſurarius eſt; & quo maius lucrum ex maiori dilatione intendit, peior vſurarius eſt, lucrum ex mutuo intendens, cùm ipſa ſolutionis per tempus expectatio, quædam mutuatio ſit: ex adiuncto tamen non inconuenit lucrum quærere, & illud augere; vt ſi ex dilatione ſoluēdi conceſſa, ipſe campſor aut etiam mutuator aliquod verum intereſſe patiatur, ſiue damni emergentis, ſiue lucri ceſſantis, licitè poterit ratio- B ne talis intereſſe, aliquid vltra capitale exigere; ſeruatis conditionibus ad intereſſe requiſitis, de quibus ſuprà: & quò maius eſt tale intereſſe, eò maius lucrum poteſt exigere. Vnde errant, qui indiſtinctè condemnant eos campſores, qui quò per maius tempus ſolutionem expectant, eò maius lucrum à campſuariis exigunt; recta quidem eſt condemnatio, ſi tales ob temporis magnitudinem principaliter lucrum augent: non tamen recta eſt, ſi huiuſmodi augmentum ratione intereſſe quod ex tanta dilatione patiuntur, exigunt, idq; in conſcientia & veritate; ſecùs ſtando in præſumptione, quia ſemper contra huiuſmodi campſores præſumitur; maximè cùm ipſi fateantur, ſe non recompenſam pro intereſſe, ſed lucrum intendere. *Probatur idem de III. cauſa. Corollarium.*

De alia cauſa lucrum augendi, quæ eſt quantitas pecuniæ quæ cambitur, dicendum quòd nec hanc cauſam per ſe ego iuſtificarem; niſi alia ſecum iuſtior ad lucrum augendum concurrat. Nam loquamur, exempli gratia, in cambio ad locum, puta Romam, quòd campſor det Toleti campſuario centum ducatos aut ducentos, Romæ ſibi ſoluendos, parum refert ad hoc quòd ipſe campſor lucrum duplet, ſi ducentos det; nam ad hoc quòd Romæ recuperet ducentos, non maior labor, nec maiores expenſæ requiruntur, quàm ſi ſolum centum eſſet ibidem recuperaturus: deinde ſiue campſor illos ducentos det per viam mutui, ſiue per viam cambij, ex quo alia tanta pecunia eſt ſibi ex iuſtitia ſoluenda, iniquum videtur & iniuſtum, lucrum quærere & augere, ex hoc, quòd multa pecunia mutuatur, aut pro alia ſoluenda permutatur. Deinde ſi maioritas pecu- C niæ campſæ per ſe ſufficeret ad lucrum augendum, ſequitur quòd ita ſufficeret in non campſore, ſicut in campſore: hoc autem eſt falſum; quia ſi is, qui non eſt ex officio campſor, mutuet, vel cambiat magnam pecuniæ ſummam, nō poteſt ob id lucrum magnum intendere; imò nec paruum ſi nihil ſua interſit, paruam aut magnam pecuniæ quantitatem mutuare, ſeu permutare: igitur ſola maioritas pecuniæ mutuatæ, aut campſæ, non ſufficit ad iuſtè lucrum augendum, niſi alia cauſa iuſtior concurrat, puta intereſſe campſoris; quia poteſt accidere quòd magnam pecuniæ ſummam cambit, aliquod inde verum intereſſe patietur, quod pro campſuario gratis ſuſtinere non debet: ideo ratione talis intereſſe poterit lucrum correſpondens exigere, & illud augere, quod certum eſſe ſuppono. *Probatur idem de II. cauſa.*

Sed forte inſurget quis contra id, quod dixi ſcilicet non eſſe licitum lucrum augere ad augmentum pecuniæ quæ cambitur, cùm paſsim videamus lucrum illud, tam in cambio reali per literas, quàm etiam in cambio puro minuto, tanto magis augeri, quanto maior ſumma pecunię cambitur; & hoc eſt communiter approbatum. Vt ſi campſor vnum regale cambit, vnum dipondium lucratur; ſi decem, decem dipondia lucratur; ſi centum, centum; & idem in cambio ducatorum fit. Reſpondetur primò, argumentum ex facto non valet ad iuſtitiam contractus; nam ſicut idem fieri videmus, vt lucrum tanto magis augeatur, quanto maior ſumma pecuniæ cambitur; ita ſimiliter videmus de facto fieri, vt quanto per maius tempus cambitur, tanto maius lucrum exigatur: nec pro- *Obiectio. Solutio duplex. I.*

II. pter hoc id venit iustificandum. Dicendum secundò, quòd si licitum est lucrum augere D ad augmentum pecuniæ campsæ, hoc non est licitum de per se, sed ob aliam causam concurrentem, vt de interesse exemplificauimus.

An secluso interesse, concurrat alia causa, ob quam lucrũ augeri possit in proposito casu. Solutio affirmatiua. Probatur.

SED NVNQVID dempto interesse, concurrit alia causa, quare lucrum augeri possit, in casu, dicendũ quòd sic, scilicet, onera ob causam cambij suscepta; quæ (vt alia omittamus) sunt, campsorem suam industriam, curam, laborem, & solicitudinem, in tanta pecuniarum varietate acquirenda apposuisse, & expensas ob eandem causam fecisse, & ministros aut famulos in diuersis locis suis expensis, ob eandem causam tenere. Quę omnia cùm suum habeant valorem, quia mercenaria sunt, totus omnium horum onerum valor est aggregata pecunia, ad illum finem destinata, quodammodò contentus; & inter ipsas pecunias proportionabiliter diuidendus, ita vt qui inde multã pecuniam per viam cambij accipit, multum valoris præfatis omnibus correspondens soluat: qui paucam accipit, paucum præfati valoris soluat: & ita si quanto maior pecunia cambitur, tanto maius lucrum exigitur, non est hoc per se ratione hac, quia multa est pecunia campsa, sed quia multam talem pecuniam, multum oneris præfati consequitur.

Confirmatur exemplo.

Huius exemplum est clarum in mercatore, qui ad nundinas it, multas inde merces allaturus, qui eundo, & redeundo, & merces apportando, multam curam & industriam apponit, multum laborem subit, multas expensas facit, quæ omnia suum habent valorem, & eorum valor quodammodò in ipsis mercibus continetur, & proportionabiliter est diuidendus, vt qui plures E merces emerit, plus præfati valoris soluat; qui pauciores, minus &c. Et quemadmodùm merces duplicem valorem cõtinet, alterum proprium, qui illis correspondeat; alterum extraneum, ex præfatis, labore industria, & expensis mercatoris, prouenientem: ita similiter de pecunia campsoris dicendum est, quòd habet duplicem valorem, alterum proprium, qui legalis est; alterũ extraneum oneribus à campsore ratione cambij susceptis, correspondentem: & ideo non mirum si ad augmentum pecuniæ campsæ, lucrum proportionabiliter augeatur; non quidem per se ob augmentum pecuniæ, sed ob valorem illum extraneum pecuniæ illi aduentitium: vnde fit vt si aliquis multam pecuniam cambiat, vnde nullum interesse patiatur, qui non id ex officio campsoris habet: & alius verè campsor tantundem cambiat, vnde similiter nullum interesse patiatur; primus nullum lucrum poterit iustè prætendere; cùm apud eum pecunia sua non habeat præfatum valorem extraneum, quem habet pecunia campsoris, vt dictum est.

Alia obiectio.

SED ITERVM obiicies, quia si pecunia campsa in quantitate aucta, licitum est lucrum augere, ob duplicem valorem, quem pręfata pecunia continet; sequitur quòd esto campsor pecuniam illam non propriè cambiat, sed verè mutuet, poterit inde similiter lucrum etiam auctum quærere, ex quo siue cambiatur, siue mutuetur, suum duplicem valorem retinet.

Solutio.

Respondeo si verè ita est, quòd talis pecunia cum pręfatis oneribus fuit aggregata, nõ solum ad propriè, sed etiam ad impropriè cambiendum; quod magis propriè mutuum est; fateor quòd ob præfata onera, in ipsa pecunia virtualiter contenta, seu F permanentia, poterit talis campsor, siue cambiat, siue mutuet, lucrum quærere, non tamen ex ipso mutuo: & hoc consonat his quę suprà dicta sunt de cambio, in quo sola temporis varietas interuenit. Secùs si pecunia non nisi ad verè cambiendum fuit aggregata; quia tunc non à mutuatariis, sed à campsuariis est lucrum exigendum; quia non propter mutuatarios, sed propter campsuarios talia onera assumpta fuerunt.

Nota, de duplici valore pecuniæ supradicto.

Hunc modum, quo pecunię ad præfatum finem aggregatę, illum duplicem valorem attribuo, puta legalem, & aduentitium, non intelligas diuersum esse in re, à communi sententia; quæ tenet campsori pecuniam suam alij danti, duplicem pecuniam ab illo alio deberi; alteram quæ pecuniæ datæ respondeat; alteram quæ merces fit obsequio campsoris & oneri per eum suscepto, correspondens seu proportionata: explicatur tamen per modum prætactum iustificatio lucri acquisiti, habito respectu, ad quantitatem pecuniæ, quæ cambitur.

An paucitas, vel copia campsorũ, aut campsuariorũ sufficiat ad lucrum augendum vel minuendum. Solutio affirmatiua.

ADVERTE etiam, quòd paucitas, aut pluralitas campsorum, sicut & paucitas ac pluralitas campsuariorum confert, ad iustè augendum, & diminuendum lucrum; quia lucrum huiusmodi, iustificatur propter obsequium campsoris, vt sæpe tactum est: & ideo lucrum tale pro tali obsequio recipere, pertinet quodammodò ad locationem; modò autem, quando plures sunt qui operam suam alicubi locant, minor solet illis merces exhiberi: maior autem, quando est penuria eorum, qui talem operam locant, cæteris paribus: similiter si cætera sint paria, augetur merces, quãdo sunt plures qui alienam operam condu-

A conducant; econtrà verò minuitur, quando sunt pauciores conducentes. Quemadmodùm etiam cæteris paribus crescit pretium rerum venalium, quando est earum penuria, & ementium abundantia; econtrà verò decrescit quando est mercium abundantia, sed pauci qui eas emant: ita igitur in presenti crescere debet merces campsori debita, si pauci campsores sint, aut multi campsuarij; econtrà verò decrescere debet, si multi sint campsores, pauci autem campsuarij.

Illud tamen, ad quod in augendo lucrum ipsi campsores attendunt, mihi non placet scilicet si est pecuniarum abundantia aut penuria, in loco aut nundinis, vbi reperiunt id aut in loco vbi solutio est agenda; augent enim lucrum, quando penuriam pecuniarum esse sentiunt; econtrà verò diminuunt. Si enim pecuniam venderēt, iustè possent ad id habere respectum; attamen nec pecuniam vendunt, nec abundantia, aut penuria pecuniæ causa est, quare lucrum in cambio prætendunt, sed obsequium seu onus ipsius cambij, per campsorem in aliorum vtilitatem assumptum, aut interesse, si quod ex cambio ipsi patiantur, vt dictum est; ac proinde cæteris paribus nil refert, campsores multam aut paucam habere pecuniam, vt in lucro intento possint ascendere, aut descēdere; quemadmodùm multum aut paruum tempus, campsuariis ad soluendum acceptū, concedere, nihil agit ad præfatum lucrum augendum, vt dictum est. Ac proinde in cambio, ad locum distantem facto, si volumus eius iustificationem, aut vitium agnoscere, diligenter est attendendum, quæ pacta & venditiones apponantur, & quam ob causam lucrum exigitur, aut in lucro ascenditur; si enim ratione maioris distantiæ, maius lucrum exigitur, non est de se damnandum, ob rationem supra dictam. Similiter si ratione maioris pecuniæ campsæ, ob causam concurrentem (vt suprà exposui) similiter si ratione paucitatis campsorū, aut multitudinis campsuariorum. Si tamen maius exigitur lucrum ob maioritatem temporis, quo expectatur solutio, vsuram esse præsumendum est, & iudicandum. Similiter si propter pecuniarum penuriam, cæteris paribus, maius exiget lucrum, quamuis vsura non sit, erit tamen iniustitia. Et quantum ad restitutionem attinet, parum refert, vsura sit an iniustitia, quia ex vtroque nascitur obligatio restituendi.

Probatur idem etiā de quarta causa suprapositā, eam scilicet non sufficere ad lucrum augendum.

Quatenus cambia in prædictis causis facta possint iustificari.

B

Patet hinc quid de hoc cambio iudicandum sit: campsor dat. B. mille ducatos Toleti, quos. B. habet Valentiæ aut Barcinone soluere, hac lege vt pro cambio soluat. B. triginta aut quadraginta ducatos, inde scilicet ad duos menses, quando capitale cum lucro soluere ex conuentione debet. Si tamen. B. pro solutione petit quatuor menses, duplat campsor aut saltem auget lucrum: certum est hunc contractum esse mutuationem, cùm nulla ad pecuniæ datæ & soluendæ diuersitatem, ratio habeatur: & non tamen inde condemnandus est, quia lucrum simpliciter prætendit, sed quia vel excessiuū, vel vsurarium, ratione scilicet temporis ad solutionem agendam concessi. Errant ergo qui indistinctè hæc omnia cambia condemnant, nihil in condemnando aliud attendentes, quàm in talibus vt plurimum mutuum commisceri: aut ex pecunia quæ nō parit, lucrum quæri; quæ nimis superficialiter ab his doctoribus dicuntur, & superficialiùs res ipsa per eos indagatur: vnde accidit vt damnent eos, qui excusandi sunt; econtrà verò excusent, quos condemnare debuissent, incidentes in illud per Esaiam prædictū: Væ his qui dicunt bonum malum, & malum bonum.

Corollarium. Casus quidam de cambiis.

Solutio.

Nota.

C

Esai. 5.

De quibusdam cambiis in particulari.

QVÆSTIO IX.

Vt ergo eorum, quæ dicta sunt, notitia aliqualis per practicam haberi possit, conuenit exempla ponere, prout cambia solent diuersimodè exerceri: & primò exemplum de cambio reali, quòd solet minutum dici clarum est. Sit ergo campsor, A, sit autem campsuarius, B: B. igitur pecuniis paruis indigens, venit ad. A. qui eas ipsi. B. tradit, recipiens ab eodem B. alias grossiores, aut econtrà: hoc est verum & propriū cambium in quo vna pecunia pro altera, ratione differente permutatur: & nullum est mutuū, cùm temporis diuersitas non interueniat, sed ad statim fit, ideo illic vsura esse non potest; & seruata æqualitate inter datum & acceptum, est iustum cambium. Si autem lucrum aliquod ipse. A. accipiat, sicut & recipere potest, & moderatum sit, erit iustum lucrum: si

Varia exempla de variis cābiis in particulari. Exemplum de cambio reali sine literis.

 immo-

immoderatum, erit iniustum. Debet autem esse moderatum, hoc est, proportionatum obsequio ipsius campsoris iuxta communem consuetudinem, aut iuxta arbitrium bonorum virorum expertorum; & licèt hoc dicatur cambium purum, eò quòd non est mutuum admixtum, non tamen est contractus simplex, sed mixtus ex cambio, quod est permutatio pecuniæ pro pecunia; & ex alio contractu, in quo campsor obsequium suum quodammodò vendit, seu locat, pro illo incremento, quod cambiendo lucratur: aut si sit alia causa iusta, præter obsequium, puta interesse, ratione cuius possit tale incrementum accipere, erit illic & est alius implicitus contractus, quo ipse campsor aut etiam nō campsor, pro certo lucro ob causam illius cambij patitur aliquod interesse, seu aliquod onus subit, quod gratìs pro campsuario subire non tenetur. D

Cambium reale per literas duplex. Exemplū prioris.

DICITVR aliud cambium reale per literas, & fit dupliciter; quia vel campsor dat pecuniam priùs, solutionem expectans; vel recipit ipse pecuniam priùs, alibi soluturus. Exemplum primi. A. campsor dat centum ducatos, B. Toleti, solutionem ad terminum designatum Romæ, vel in alio diuerso recepturus; dico hoc cambium esse non ad statim, sed ad locum diuersum. Et videndum est, an pecunia alibi soluenda, debeat ex conuentione esse dissimilis ei, quam campsor Toleti dedit; an non referat similem, aut dissimilem esse. Si primum, est verum cambium, quia permutatur pecunia vnius rationis pro alia dissimili alibi soluenda. Est etiam impurum cambium in eodem casu, quia ex quo expectatur solutio, ad certum terminum agenda est tacitum mutuum, vt constat; & si ratione huius dilationis lucrum intenditur, vel exigitur, est vsura. Si autem lucrum intendatur, ratione obsequij, aut interesse, aut oneris, ob causam talis cambij suscepti, & sit similiter moderatum, iuxta exigentiam ipsius causæ, licitum erit tale lucrum; & si pecunia alibi soluenda, sit æqualis pecuniæ per campsorem datæ, dempto præfato moderato lucro, erit totus contractus licitus; ex quo hi contractus in quos resoluitur, liciti sunt; puta permutatio monetę, pro alia tantundem alibi valente, vbi soluenda est; & mutuum implicitum quod gratuitò fit, cùm non inde lucrum aliquod prætēdatur; sed proportio lucri ad causam iustam, ob quam recipitur. E

SI AVTEM ex conuentione nihil refert, pecuniam soluendam similem, aut dissimilem esse ei, quę Toleti à campsore tradita fuit; tunc non est verè cambium, sed purum mutuum, cùm illic concurrant substantialia mutui; nam pecunia à campsore data, facta est de dominio campsuarij, & stat periculo eiusdem campsuarij, & est illa eadem in specie soluenda; igitur est mutuum, & per consequens, si inde prętendatur lucrum, erit vsura. Si autem ex alia causa iusta, lucrum prætenditur immoderatum, erit iniustitia; si moderatum, erit totus contractus licitus; quia resoluitur in duos licitos contractus, puta in mutuum, ratione cuius nihil speratur, & in alium innominatum, in quo lucrum proportionatur causæ, ob quam recipitur; siue sit obsequium à campsore impensum, siue interesse, siue onus ob causam præfati mutui acceptum, & in omnibus seruatur æqualitas. Nec refert quòd maior summa pecuniæ, sit alibi soluenda, quàm sit ea, quam campsor tradiderat; quia illa maior summa soluenda, est diuidenda in duas partes; quarum altera sit æqualis pecuniæ per campsorem traditæ; altera verò sit lucrum, correspondens causę iustæ ex parte campsoris se tenentis. F

Exempla posterioris cābij realis per literas.

SECVNDO modo fit hoc cambium reale per literas, taliter vt campsor prius recipiat centum ducatos, exempli gratia, Toleti à campsuario qui eis Romæ indiget pro negotiis suis; & campsor dat illi suam schedulam (vti solet) per quam factor, seu minister campsoris cum certa summa pecuniæ, puta nonaginta quinque ducatis, ipsi campsuario Romæ respondebit, loco centum, quos ipse campsor Toleti acceperat; & distinguatur vt priùs; quia si conuentum est vt pecunia Romæ soluenda, sit alterius rationis, ab ea quam campsor Toleti accepit, verum cambium est; quia permutuatio monetæ pro alia, ratione differente; aliàs non est cambium, sed mutuum; non quidem ex parte campsoris, qui nihil in tali casu campsuario mutuat; sed potiùs ipse campsuarius pecuniam suā campsori mutuat, eam Romæ recepturus; ac proinde non potest campsor in hoc casu de vsura argui, etiamsi immoderatè lucretur; quamuis de iniustitia argui possit, vt de se satis constat.

AD VIDENDVM igitur iustúsne an iniustus sit, huiusmodi contractus; diuide, vt priùs, maiorem summam, quæ est illa quam campsor Toleti accepit, quæ sunt centum ducati; diuide (inquam) in duas partes; quarū altera æquetur summæ minori. Romæ per

cam-

A campsorem soluendæ: altera verò sit lucrum quod inde campsor lucratur; & si tale lucrū sit moderatum, & causę, ob quam recipitur, sit proportionatum, totus contractus erit iustus, quia seruatuṛ æqualitas inter datum & acceptū, & inter lucrum & causam ob quam receptum est; secùs si sit excessiuum lucrum, quia tunc erit iniustum, & restituendum.

PATET etiam quid ad casum hunc sit dicendum, &, vt ferunt, communiter est mercatoribus in vsu: Petrus mercator habet Metinæ mille ducatos, qui totidem in Flandria ob certas merces inde allatas soluere tenetur, quod vt sine damno, imò cum lucro suo faciat, alium mercatorem quærit, cui Metinæ illos mille ducatos, ad cambium tradat; adest mercator secundus, qui illos ad cambium accipit, totidem pro Petro in Flandria soluturus: Petrus insuper inde lucrum quęrit, super quo inter se conueniunt, & ita fit vt Petrus soluat cum lucro, quod in Flandria soluere tenebatur &c. Dicendū huiusmodi cambium esse purum mutuum; cùm nulla ratio habeatur diuersitatis inter pecuniam datam, & soluendam; & ideò lucrum per Petrum ex tali cambio acquisitum, vsurarium est iudicandum; eò quòd nulla alia causa illud exigendi appareat, præter mutuum præfatum. Obsequium enim in casu ex parte Petri alteri impensum non apparet; cùm potiùs alter mercator ipsi Petro obsequatur, onus illud pro eo subeundo, quo scilicet se obligat ad soluendum mille ducatos in Flandria; ratione cuius iustiùs poterat secundus mercator, lucrum quod Petro acquiritur, ipse ab eodem exigere: interesse etiam Petri in casu non B concurrit; cùm ipse Petrus illos ducatos alioqui erat in Flandriam missurus, vel aliquem, qui pro eo illos illic solueret, quæsiturus, quemadmodùm & quæsiuit. Imò, esto, Petrus inde aliquod interesse pateretur, non est illius habenda ratio; ex quo ipse Petrus sponte se obtulit, & non ad alterius instantiam suos mille ducatos alteri mutuauit. Imò, esto, Petrus in casu illud lucrum non exigeret, sed tantùm mille ducatos, vt præfertur, alteri daret, adiecto per eum pacto, quòd ille alter totidem in Flandria pro eo solueret, esset vsurarius contractus; nam tale pactum per Petrum appositum facit vt non gratuitò præfata mutuatio fiat; cùm nolit summam illam alteri mercatori dare, nisi pręfatum onus illi iniungendo, ad quod ex natura mutui minimè tenebatur.

An casus iste particularis sit licitus.

Solutio negatiua.

SECVS fortè esset, si secundus mercator sponte ad Petrum veniret, eumque sua instantia induceret, vt illi præfatam pecuniæ summam cambiat, seu mutuet; adiecto per ipsum mutuatarium pacto, quòd eandem in Flandria ipsi mutuanti soluet, oblato insuper solito lucro ipsi Petro; nā tunc non video vnde talis contractus sit condemnandus; si enim Petrus summam illam non erat alioqui in Flandria soluturus, iustus esset contractus, & iustum similiter esset præfatum lucrum per Petrum acquisitum: quòd autem ipse erat summam illam in Flandria soluturus, contractum non vitiat; cùm ad illum omninò per accidens se habeat. Ratio autem, hunc casum iustificandi, similiter & lucrum, videtur; quod Petrus mutuans, ad alterius instantiam onus subit, quod pro illo gratis subire non tenetur, scilicet, solutionem alibi, puta in Flandria recipere. Dempta etiam ratione interesse, si quid ex tali mutuatione patitur: specialiter, si Petrus in Flandria C factorem stipendiatum habet, ad finem huiusmodi cambia faciendi, etiamsi gratia mercantię illum illic habeat; quia iam videtur quodammodò campsor esse ex officio; vnde licitum est ei commodum quærere.

Limitatio solutionis ad prædictum casum.

EST ALIVD tertium cambium quod siccum dici solet; quia cùm mutuum sit, quęrit inde campsor lucrum; & exemplificant multipliciter: vt si campsor dat Petro hic centum ducatos hac lege, vt totidem in alio loco soluat, vbi certum est ducatos plus valere, quàm hìc valeant. Verùm non est hoc indistinctè condemnandum, nisi aliud deprauans pactum apponatur: sed distinguendum, per quem apponatur tale pactum, an per campsorem, an per campsuarium. Si primum, mutuatio illa non gratuitò fit, sed cum onere mutuatario iniuncto, ad quod ratione mutui minimè tenetur; & ideò vsurarius est contractus ille. Si verò pactum per mutuatarium apponatur, tūc mutuatarius imponit campsori onus mittendi famulum in illum alium locum, qui solutionem recipiat. Et hac ratione poterit mutuator aliquid vltra datum exigere, quod tali oneri proportionetur: & ideò si excessus ducatorum illius alterius loci, vbi solutio agenda est, supra ducatos hìc à campsore datos, talis sit, qui non excedat exigentiam, seu proportionem oneris pro mutuatario suscepti, iustus erit contractus.

Exemplum de cambio sicco.

CAMPSOR dat hìc in nundinis Petro centum ducatos, hac lege, vt in fine mensis soluat, quantum infra decem dies valuerint centum ducati: & supponimus, quòd in illis

Alius casus an sit licitus.

nundinis, indies variatur ducati valor, ita vt aliquando valet 375. vt pono valere tempore contractus, aliquando, 380, aliquando, 370, attamen vtplurimum valet plus quàm 375. Dicunt hunc contractum vsurarium; quia ex mutuo speratur lucrum, eò quòd vtplurimum, solet valere vltra 375: Secùs si esset verisimile dubium, an plus minúsue sit ducatus valiturus, tempore solutionis, iuxta capit. in ciuitate. de vsuris. Dicendum, quòd in casu est mutuum, cùm sola temporis diuersitas interueniat. Et cōtractus esset vsurarius, ob lucrum illud speratum; si nulla alia causa iusta illius lucri præter mutuum adesset; attamen si verè campsor ex officio sit, qui onera cambij in se suscepit (de quibus suprà diximus) non est damnandus contractus simpliciter per hoc, quòd lucrum speret; non ex mutuo, sed ex obsequio impenso; vel ex onere ob causam talis cambij suscepto, modò illi sit proportionatum. Qui tamē contractum simpliciter considerant, nihil aliud quàm mutuum attendentes, non mirum si vniuersaliter huiusmodi contractus damnent. Si tamen id ex officio non habeat, nec onera suscipit, nec suscepit ob causam cambiendi, & indigentibus subueniendi, essent simpliciter condemnandi.

Solutio negatiua.

An diuites, qui pecunias suas licitè acquisiuerunt, possint cābiendo lucrum aliquod accipere.

Solutio negatiua.

SVNT MVLTI diuites, qui diuitias acquisierunt, non ad cambiendum, sed ad alias negotiationes honestas, emptiones, & venditiones, exercēdas, in quibus lucrari aliquid iustè soliti sunt; qui cùm videant ad se multos pecuniis indigentes venire, mutuum petentes, & non minus lucrum, quàm ipsi alioqui lucrarentur, offerentes, dimissis negotiationibus, mutuant, & lucrantur, & domi cum pecuniis sedent; sperantes si quis ab eis pecunias mutuo petat, &c. an isti sint excusandi? Dicendum quòd tales nō campsores, sed mutuatores sunt, prout forma casus sonat. Nec videntur onera cambij suscepisse, cùm diuitias non ad cambiendum, sed ad aliter negotiandum acquisiuerint; ideò excusandi non sunt, nisi ad interesse, quod ob mutuationem patiuntur, recurrant. Verùm cùm ipsi lucrum sentientes, sponte negotiationes reliquerunt, eligentes potiùs mutuare, quàm negotiari, locum interesse non habet; iuxta ea quæ suprà de interesse latiùs diximus; secùs si tales mercatores verè parati & determinati essent aliter negotiari, & ad mutuatariorum instantiam, à negotio alio impedirentur: his testis sit eorum conscientia. Habet vltrà talis modus viuendi speciem mali, habet secum infamiam, & parit scandalum: est igitur illis mercatoribus iniungendum, vt à talibus desistant. Causa quare huiusmodi cambia in quibus fit mutuatio, vtplurimum condemnentur, est clara; quia scilicet notum est mutuum, quod in illis fit, quādo cambia sunt impura. Notum etiam est lucrum, quod ipsi campsores seu mercatores intendunt: & tamen non est nota alia causa iusta, ob quam licitum sit, lucrum tale exigere: ideo vtplurimum vsuraria iudicantur. Verùm in conscientia plura sunt inquirenda, vltra ea quæ apparent, vt vel damnentur, vel excusentur, vt iam satis suprà significatum est.

Causa quare cambia in quibus fit mutuatio, condemnentur.

De casu simili Monti pietatis.

QVÆSTIO X.

Alius casus particularis, an sit licitus.

EX DICTIS patere potest responsio ad casum sequentem, similē Monti pietatis, qui in nonnullis Hispaniæ locis est introductus. Cùm quidam diues agnosceret, quanta pauperes miserādi patiuntur, pecunias quibus indigent, nec in campsoribus, nec in non campsoribus, absque lucri (vltra capitale) solutione minimè reperientes, pietate quadam sancta commotus, certam ducatorum summam cuidam communitati, vbi ipse vitam agebat, tradidit: his legibus appositis, scilicet quòd illa communitas teneretur curam præfatę summæ habere, ad indigētibus illius loci, certam partem eis mutuandum; puta decem ducatos vni pauperi in vno anno mutuando, à quo suum pignus reciperent, & in fine anni præfatus mutuatarius, decem ducatos, quos mutuo acceperat (accepto suo pignore) reddat: quodque præfata pecunia in alios vsus, præterquàm ad mutuandum indigentibus, nō expendatur. Et quia res per communitatem totam commodè fieri nō potest, nisi domum & ministros deputando, qui præfatam curā in se suscipiant, & in domo ad id deputata permaneant, parati indigentibus ad eos venientibus mutuare: qui etiam debent ea quæ mutuauerint, & quibus, & pignora quæ acceperint in suo libro scribere: & postmodùm tempore solutionis capitale recipere, & pignora suis dominis reddere; super his statutum est, vt quicunq; mutuū ab illis ministris acceperint, vltra

A vltra capitale aliquid certum contribuant; ita ſcilicet, vt pro ſingulis menſibus, quibus pecuniam mutuatam retinuerint, ſeptem vel octo dipondia ipſis miniſtris perſoluant. Talis eſt in ſententia Mons Pietatis; & ſicut caſus de pecuniis poſitus eſt, ita & de frumento, quo vt plurimum pauperes quotannis indigent, poni poſſet; ſicut & in certis locis Hiſpaniæ practicatur. Quæritur quid de caſu ſentiendum?

Sententia Caietani, eſſe iniuſtum & vſurarium.

Probatur I.

CAIETANVS latè hunc caſum in ſuis opuſculis tractat, vbi tenet quòd eſt iniuſtus & vſurarius; quia quamuis iuſtum ſit, quòd præfati miniſtri aliquod ſtipendium pro ſuis operis (quas locare poſſunt) accipiant, attamen non eſt iuſtum quòd pauperes mutuum accipientes, illud totaliter ſoluant. Pro cuius exemplificatione diſtinguit opera illorum miniſtrorum, dicens; aliqua eſſe quibus ſua merces debetur: alia verò quæ non pro mercede, ſed gratis agenda ſunt. Miniſtri enim pecunias cuſtodiunt, parati ſunt indigentibus mutuare, pignora à mutuatariis accipiũt, & hæc omnia in libris ſcribunt, pignora inſuper cuſtodiunt, (cùm opùs fuerit) ea excutiunt: tandem mutuatum recipiũt, & pignora ſuis dominis reddunt: expenſas etiam in domo conducenda, & libris emendis, faciũt. Ex his quędam ſunt, quibus nulla merces debetur. ſcilicet, mutuare, & pignus ſuo domino reddere: alia verò ſuam mercedem merentur; verùm hæc ſunt duplicia; nam quædam fiunt in fauorem mutuantis, ſeu domini ipſarum pecuniarum, ſeu communitatis, in cuius nomine miniſtri mutuant, quædam verò in fauorem mutuatarij. Habere enim
B curam cuſtodiendi pecunias illas, & in aſſecurationem mutui pignus accipere, & in eiuſdem aſſecurationem pignus acceptum cuſtodire, & mutuatam pecuniam ſcribere; & (adueniente termino) pecuniam mutuatam recipere: hæc omnia (inquit) in fauorem cedunt mutuantis, vt ſcilicet eius pecunia ſecura ſit. Eſſe autem miniſtros in certa domo paratos, vt illuc venientibus poſsint ſuccurrere, id in fauorem eſt indigentium. Cùm ergo miniſtris dignam retribuere mercedem illis cõueniat, in quorum fauorem eorum cedit miniſterium (hoc autem pro maiori parte in fauorem cedit domini ipſarum pecuniarum) ſequitur quòd iniuſtè agitur cum pauperibus, qui mutuum accipiunt, eos ad totum ſtipendium miniſtris ſoluendum, compellẽdo; cùm id non ipſis, ſed domino ſeu communitati prædictæ, ob cauſam dictam eſſet iniungendum.

EST ETIAM (vt ait) alia iniuſtitia; quia pauperes æquale mutuum per idem tempus accipientes, æquale ſoluunt miniſtris ſtipendium; cùm tamen accidat, quòd pignora ab vno eorum data, vel ipſius cuſtodibus oneroſa non ſunt, nec excuſsione indigent: vel ſaltem non adeò oneroſa ſunt, ſicut pignora ab altero paupere tradita. Et cum pignora cuſtodire, excutere, expandere, & eorum periculum ſuſcipere, ſit vnum de his quę mercede ſunt digna; ſequitur non eſſe iuſtum, omnes pauperes mutuũ accipientes, diſparia, vt dictum eſt, pignora tradentes, in ſtipendij ſolutione æquales eſſe. II.

PATET TERTIO aliam cauſam aſsignari, quare præfatus contractus ſit vſurarius; quia ſecundùm prædictas leges, aut pacta, pauper mutuatarius tantò plus vltra capitale III.
C ſoluit, quantò per plures menſes mutuum apud ſe retinet; exigere autem vltra ſortem, & lucrum augere, ratione maioris dilationis, aut temporis, eſt vſurarium (vt ſuprà ſæpe tactum eſt) igitur.

Reſolutio affirmatiua.

Probatur I.

OPPOSITVM tamen videtur eſſe tenendum, idque ex fundamento ipſiuſmet Caietani, quod eſt: Opera miniſtrorum, per eos ſtipendianda fore, in quorum fauorem ipſa opera cedunt in caſu autem præſenti, omnes actus præfati miniſtrorum: cedunt in fauorem & vtilitatem indigentium mutuatariorum; & non in fauorem aut vtilitatem diuitis, qui pecuniam (vt dictum eſt) donauit: nec ipſius communitatis, cui ad præfatum vſum tantum donata eſt, pro vt caſus ſonat. Hoc patet, quia ſi præfati actus cederent in fauorem diuitis, aut communitatis; maximè quia omnes illi pro maiori parte valent ad pecuniam prædictam aſſecurandam; ſed huiuſmodi aſſecuratio non cedit in vtilitatem diuitis, qui eam donauit; nam ille iam totum dominium, & ius, ad præfatam pecuniam, omnemq; inde euenibilem cõmoditatem à ſe abdicauit, vt patet. Sec nec cedit in vtilitatem præfatæ cõmunitatis, quatenùs à ſingularibus ſuppoſitis diſtinguitur; nã ſiue præfata pecunia ſecura ſit, ſiue non, nihil accreſcit ęrario publico illius cõmunitatis, nec decreſcit; quandoquidẽ præfata cõmunitas nullũ ius habet in præfatam pecuniam, ad publicos reditus inde emẽdos, ſeu meliorandos, cùm p̃ciſè in vſum particulariũ p̃ſonarum indigentiũ ſit pecunia illa expendẽda. Soli igitur paupes mutuo indigentes, ſunt, qui ex amiſsione p̃fatę pecuniæ iacturam paterentur, & ex eiuſdem conſeruatione & ſecuritate commo=

commodum sentirent. Et ita non domini diuitis, nec communitatis, sed particularium D
pauperum interest, pecuniam securam & tutam in communitate illa teneri; ac proinde omnes præfati actus, qui pro pecuniæ assecuratione fiunt, in commodum cedunt mutuatariorum, seu pauperum mutuo indigentium.

II. PRAETEREA prædictæ communitati (prout à suppositis distinguitur) non fuit per præfatum diuitem (qui donationem fecit) vlla gratia facta; nam illa communitas nõ acquisiuit dominium illius pecuniæ, ita vt posset ea ad sui vtilitatem vti; sed potiùs suscepit onus, & obligationem, præfatam pecuniam conseruandi, & eam securam, & tutam seruandi, vt suo tempore indigentibus mutuetur; pro quo onere, & obligatione iustè posset reddi, & exigi merces, non à præfato diuite, qui tam piam suarum pecuniarum donationem fecit; igitur ab illis, in quorum vtilitatem pecunia donata est, & similiter expendenda. Hi autem sunt indigentes, qui præfata pecunia in sui vtilitatem vtuntur. Cùm igitur præfatum onus, quod communitas (vt præfertur) in se susceperat, in ministros per communitatem deputatos transierit; sequitur quòd iustè possunt præfati ministri stipẽdium ab his, qui mutuum accipiũt, recipere; siquidem illis præcisè, per suum ministerium seruire videntur. Secùs esset, si prædicta communitas præfatum onus in se liberaliter suscepisset, ita vt se obligare intenderit (absque vllo stipendio, aliunde reddendo) pecuniam (vt dictum est) iuxta mentem donantis distribuere; nam tunc de suis propriis bonis, debuisset prædictos ministros stipendiare. Hoc autem nõ apparet ex casu, ex quo ab initio E
statutum est, vt ipsi mutuatarij dignam mercedem ministris redderent.

III. PRAETEREA hæc eadem sententia per exempla confirmatur; nam qui officia publica suscipiunt, in quibus priuatis personis reipublicæ ministrant, si à republica stipendiati non sunt, licitè ab illis personis priuatis, quibus ministrant, dignam mercedem recipiunt; vt videre licet in aduocatis, in procuratoribus, in tabellionibus, in mercatoribus, in artificibus, imò & in campsoribus, qui solam pecuniam tractant. Qui cùm publica exerceant officia seu ministeria, licitè possunt suum stipendium, ab his quibus seruiunt exigere, & recipere. In casu autem præsenti, inter publica officia, seu ministeria, venit computandum onus, per illos ministros susceptum, in quo cùm solis mutuatariis ministrent, & seruiant, sequitur intentum.

Respõdetur ad argumenta pro sententia Caietani adducta.

ET PER hoc patet responsio, ad motiua suprà pro Caietano inducta. Ad primum dicendum, quod falsò innititur fundamento, pro minori, scilicet quòd opera præfatorum ministrorum, pro maiori parte, cedunt in fauorem præfati diuitis, seu communitatis, & pro minori parte in fauorem mutuatariorum; imò in nullo cedunt in fauorem diuitis donantis, nec communitatis præfatum onus subeuntis, sed omninò in fauorem mutuatariorum, vt ostensum est.

Ad I.

Ad II. AD SECVNDVM dicendum, quòd esto ita sit, quòd quorundam pignora sint magis periculosa ad custodiendum, aut magis onerosa, quàm alia; vnde maior labor, & maius periculum præfatis ministris superueniat, ratione cuius maiorem merebantur mer- F
cedem, quàm si non onerosa forent; sed quoniam res ad exactam æqualitatem reduci in omnibus non potest, ratio ipsa dictat debere in huiusmodi partium donationem commisceri. Sunt em̃ in præsenti contractu duo cõtractus admixti, alter est mutuatio; in quo cùm certa sit quantitas quæ mutuatur, certa etiam est quantitas in termino soluenda: alter est locatio præfatorum ministrorum, qui pro operis, & onere illis iniuncto, mercedem ab his quibus ministrant, recipiunt. Quantum autem adæquatè & præcisè mereatur opera ministrorum, non est ita certum, & determinatum, sicut nec exactè determinari potest. Ideò in hoc contractu etsi non adæquata æqualitas seruetur, non inde redditur contractus iniustus, ob tacitam & rationabilem donationem commixtam; quemadmodùm idem accidit, in quocunque alio contractu locationis; & similiter in contractu emptionis, & venditionis, & in aliis permutationibus, in quibus iustitia non in indiuisibili consistit, vt suprà (quando de venditione egimus) dicebamus.

Ad III. AD TERTIVM dicendum, illud posse quenquam mouere ad damnandum pærfatum statutum, seu contractum, tanquam vsurarium, vt ob eandem causam suprà diximus, multa cambia esse damnanda, quæ tantò magis lucrum augent, quantò campsuarius maius tempus ad soluendum acceptum, exigit. Si tamen rectè consideramus, & non ita superficialiter, factum hoc suam habet excusationem, seu causam iustam; hæc aũt est non ipsa solutionis dilatio, sed præfatorum ministrorum obligatio, qui se obligârunt, non

A non solùm ad mutuandum, sed etiam ad mutuatum recuperandum, & interim pignora retinendum, seruandum, & excutiendum, & mutuati solutionem expectandum. Modò constat, quòd quanto diutiùs mutuatarius solutionem differt, tanto diutiùs sub præfata obligatione, & onere manent ministri, ob causam mutuatarij, vt constat. His autem omnibus gratis subesse, ipsi ministri non tenentur, qui non rem propriam, sed alienam agunt. Secus de campsoribus, aliisq; mutuatoribus rem propriam agentibus, & lucrum ex temporis dilatione quærentibus.

Probatur quarto prædicti casus resolutio affirmatiua.

FACIT pro præfata nostra sententia, quòd præfatus Mons Pietatis, est à Romanis Pontificibus approbatus; idque cognita priùs controuersia inter Doctores, tam Theologos, quàm Iuristas, super præfato casu orta; & quòd per Concilium Lateranense, sub Leone decimo, sit idem Mons Pietatis cum statuto, & pactis suprà positis, confirmatus, & Bulla super eodem casu, ab eodem Leone emanauit, in qua gratias, & indulgentias multas, his qui manus adiutrices præfato Monti porrexerint, ipse cum antecessoribus suis concessit; & pauperes mutuatarios expensas prefatis ministris debere soluere declarauit; & contra eos, qui contrarium docuerint, aut scripserint, censuram excommunicationis apposuit. Bullæ autem tenor statim adiicietur.

Obiectio contra hoc quartū argumentum.

Solutio.

NEC VALET Caietani euasio, dicētis Romanum Pontificem Montem Pietatis approbâsse, non tamen capitula & pacta ipsius montis, nisi cum hac adiectione, scilicet, nisi B sacris Canonibus sint contraria; hoc, inquam, non valet, nec probabile est, Romanum Pontificem in præsenti casu cum hac exceptione respondisse; nam præfata capitula fuerunt Pontifici proposita, & super eisdem fuerat latè per Doctores quæstio ventilata, & super eisdem fuit consultus, vt id quod tenendum sit, declararet. Et cùm ad ipsum pertineat declarare, esséntne præfata capitula sacris Canonibus contraria nécne, ipsius erat alteram partem definire; & non cum tali exceptione respondere, scilicet, nisi sacris Canonibus contraria non sint. Nam si ita respondisset, certè quæstionem super qua consulebatur, minimè declarâsset, sed tam ambiguam eam, sicut priùs erat, reliquisset; ipse autem super quæstione consultus, in initio Bullæ declarare, & definire quid sit tenendum, se offert, vti posteà declarat. Nec etiam credendum est solùm fuisse consultum super hoc puncto, scilicet, an sit licitum pecunias dare ad præfatum vsum, puta vt per eas indigentibus mutuo subueniatur, pignore in securitatem accepto; nam hoc indignum erat quod in quæstionē verteretur, nec consultatione indigebat. Illud igitur quod quæstionem habere videbatur, scilicet, an licitum esset statuere, quòd mutuatarij ministris præfatis pro eorum ministerio satisfacerent aliquid vltra capitale soluendo, est, super quo Papa creditur esse consultus; nam super hoc puncto erat tota inter Doctores controuersia, & declarauit partem affirmatiuam.

CONCLVDITVR ergo, quòd sicut præfatus diues, beneficium fecit indigentibus, pecunias suas ad dictum effectum donando; ita communitas eisdem indigentibus, beneficium fecit, onus custodiendi præfatas pecunias ad vsus indigentium subeundo. Et C sicut diues ille non tenebatur donare; ita nec communitas tenebatur prefatum onus acceptare. Et sicut diues facta donatione, predictam pecuniam propriis expensis tutam & securam, non tenebatur sustentare; ita nec communitas propriis expensis, tenebatur onus præfatum subire. Cùm igitur huiusmodi ministrorum expensas, nec diues ille, nec communitas soluere teneatur, superest, vt mutuatarij (in quorum vtilitatem donatio facta, & præfata onera suscepta sunt) ipsis ministris, ad quos onus illud deuolutum est, satisfaciant. Sequitur Bulla Leonis.

Bulla Leonis Papæ, in qua eadem solutio prædicti casus approbatur.

BVLLA CONCILII, in decima sessione, super materia Montis Pietatis, lecta per reuerendum patrem, Dominum Bertrandum Episcopum Adriensem, Oratorem Ducis Ferrariæ, in Romana Curia.

LEO EPISCOPVS seruus seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam, sacro approbante Concilio. Inter multiplices nostræ solicitudinis curas, illam inprimis suscipere pro nostro pastorali officio debemus; vt quæ salubria sunt, & laudabilia ac Catholicæ fidei consona, & bonis moribus conformia, nostro tempore nō solùm enucleentur, verum etiam ad posteros propagentur; & quæ materiam scandali præbere possent, penitùs succidantur, & radicitùs extirpentur, nec pullulare vsquàm sinantur in agro dominico, & vinea Domini Sabaoth; duntaxat censeri permittendo, quibus fidelium mentes pasci spiritualiter possint, eradicatis zizaniis, & oleastri sterilitate succisa.

SANE

SANE CVM olim inter nonnullos dilectos filios, sacræ Theologiæ Magistros, ac Iuris vtriusque Doctores, controuersiam quandam, non sine populorum scandalo, & murmuratione exortam, & nuper his diebus innouatam esse compererimus, circa pauperum releuationem, in mutuis eis publica authoritate faciendis, qui Montes Pietatis vulgò appellantur; quique in multis Italiæ ciuitatibus, ad subueniendum per huiusmodi mutuum pauperum inopiæ, ne vsurarum voragine deglutiantur, à ciuitatum magistratibus, & aliis Christi fidelibus sunt instituti; atque à sanctis viris diuini verbi præconibus, & laudati, & persuasi, ac à nonnullis etiam summis Pontificibus, prædecessoribus nostris probati & confirmati, síntne præfati montes à Christiano dogmate dissonantes, vel non, vtraq; parte diuersimodè sentiente, atque prædicante. D

NONNVLLIS enim Magistris & Doctoribus dicentibus, eos montes non esse licitos, in quibus aliquid vltra sortem pro libra, decurso certo tempore, per ministros huius montis, ab ipsis pauperibus quibus mutuum datur, exigitur; & propterea ab vsurarũ crimine, iniustitiáue, seu ab aliqua certa specie mali mundos non euadere. Cùm Dominus noster, Luca Euangelista attestante, aperto nos præcepto obstrinxerit, ne ex dato mutuo quicquam vltra sortem sperare debeamus; ea enim propria est vsurarum interpretatio, quando videlicet ex vsu rei, quæ non germinat, nullo labore, nullo sumptu, nullóue periculo lucrum, fœtusque conquiri studetur. Addebant etiam iidem Magistri & Doctores, in his montibus nec commutatiuæ, nec distributiuæ iustitiæ fieri satis; cùm E tamen iustitiæ terminos contractus huiusmodi excedere non debeant, si debeant approbari. Idque propterea probare nitebantur, qui impensæ pro huiusmodi montium conseruatione, à pluribus (vt aiunt) debitæ, à solis pauperibus quibus mutuum datur extorqueantur, pluraque interdum vltra necessarias, & moderatas impensas, non absque specie mali, ac incentiuo delinquendi, quibusdam aliis personis (vt inferre videntur) exhibeantur.

ALIIS VERO pluribus Magistris, & Doctoribus contra asserentibus; & in multis Italiæ Gymnasiis, verbo, & scripto clamantibus, pro tanto bono, tamque reipublicæ necessario, modò ratione mutui nihil petatur, nec speretur; pro indemnitate tamẽ eorundem montium, impensarum videlicet ministrorum eorundem, ac rerum omnium ad illorum necessariam conseruationem pertinentium (absque montium huiusmodi lucro) idque moderatum & necessarium, ab his qui ex huiusmodi mutuo commodum accipiunt, licitè vltra sortem exigi, & capi posit, non nihil licere. Cùm regula iuris habeat, quòd qui commodum sentit, onus quoque sentire debeat, præsertim, si Apostolica accedat authoritas. Quam quidem sententiam à fœlicis recordationis, Paulo secundo, Sixto quarto, Innocentio octauo, Alexandro sexto, & Iulio secundo, Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris probatam; à Sanctis quoque, ac Deo deuotis, & in magna ob sanctitatis opinionem, existimatione habitis, Euangelicæ veritatis prædicatoribus, prædicatam esse ostendunt. F

NOS SVPER hoc, prout nobis est concessum ex alto, opportunè prouidere valentes, alterius quidem partis iustitiæ zelum ne vorago aperiretur vsurarum; alterius pietatis & veritatis amorem, vt pauperibus subueniretur; vtriusque verò partis studium commendantes; cùm hæc ad pacem, & tranquillitatem totius reipublicæ Christianæ, spectare videantur, sacro approbante Concilio, declaramus, & definimus Montes Pietatis supradictos, per respublicas institutos, & authoritate sedis Apostolicæ hactenùs approbatos, & confirmatos; in quibus pro eorum impensis, & indemnitate, aliquid moderatum ad solas ministrorum impensas, & aliarum rerum ad illorum conseruationem (vt præfertur) pertinentium, pro eorum indemnitate duntaxat, vltra sortem absque lucro eorundem Montium recipitur, nec speciem mali proferre, nec peccandi intentionem præstare, nec vllo pacto improbari. Quinimò meritorium esse, ac laudari & probari debere, & tale mutuum minimè vsurarium putari, licereque illorum pietatem & misericordiam populis prædicare etiam cum indulgentiis à sancta sede Apostolica, eam ob causam concessis; ac deinceps alios etiam similes montes, cum Apostolicæ sedis approbatione erigi posse. Multò tamen perfectius, multoque sanctius fore, si omninò tales montes gratuitò constituerentur; hoc est, si illos erigentes, aliquos census assignarent, quibus si non omninò, saltem vel media ex parte, huiusmodi ministrorum soluantur impensæ. Vt ad leuioris æris soluendi portionem, medio hoc pauperes grauari contingat.

Ad quos

A Ad quos cum huiusmodi census assignatione, pro impensarum supportatione erigendos, Christi fideles maioribus indulgentiis inuitandos esse decernimus. Omnes autem Religiosos, & Ecclesiasticas ac Sæculares personas, quæ contra præsentis declarationis, & sanctionis formam, de cætero prædicare, seu disputare, verbo vel scriptis ausi fuerint, excommunicationis latæ sententiæ pœnam (priuilegio quocunque non obstante) incurrere volumus. Non obstantibus præmissis, ac constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscunque. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ declarationis, definitionis, decreti, & excommunicationis, infringere vel ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius, se nouerit incursurum. Datum Romæ, in publica sessione in Lateranensi sacrosancta Basilica solenniter celebrata, Anno incarnationis Dominicæ 1515. Quarto Nonas Maij, Pontificatus nostri, Anno Tertio. Placent vobis patres, quæ per me lecta sunt? Fuit responsum per omnes, Placet.

EX HAC prænarrata decisione, videtur responsum ad casum similem, qui in quibusdam Hispaniæ locis practicatur, solo hoc addito; quòd præfati mutuatarij vltra id quod pro ministrorum impensis soluunt, aliquid amplius soluant, vt summa illa assignata, siue pecunia sit, siue triticum, annuè crescat; & dicendum tale non esse licitum; quia B vel illud superadditum soluetur ratione operum ministrorum, vel ratione mutui. Primum non; quia sine illo soluitur stipendium sufficiens; secundum non; quia tunc esset vsura. Nec releuat bona intentio ob quam illud superadderetur, quia tunc vsurarij per similem bonam intentionem excusari valerent. Et ita in hac Bulla suprà posita est satis apertè significatum. *Alterius casus resolutio.*

ALIQVIBVS tamen visum est, quòd posset modus dari, quòd licitè posset præfata summa augeri, vt si triticum sit, indigetibus per viam venditionis tradatur; tunc, scilicet, quando cariùs vendi solet, obligando illos vt solutionem in tritico tempore Augusti faciant, quando viliùs vendi solet, in quo illis gratia fieri potest; vt non quantum de rigore venditionis tenebantur, sed aliquid minus posteà persoluant; semper tamen vltra quàm acceperant. Verùm cùm hæc venditio ad terminum, sit mutuatio; si intētio sic vendentis vera non sit, verè scilicet, vendendi, sed ad terminum vendendi, & illo modo lucrum præfatum acquirendi, idem penitùs est, ac si verè cùm pacto lucri mutuaret. Ideò nisi statutum huius Montis mutetur, ego illud non excusarem.

SEQVITVR etiam hanc præfatam quæstionem simul, & Bullæ decisionem valere in confirmationem eorum quæ suprà dicta sunt de cambio, in quo sola temporis diuersitas interuenit; quòd scilicet potest iustè lucrum aliquod moderatum exigi propter onera cambij, ab ipso campsore in commodum mutuatariorum assumpta. Vnde ad hoc quòd in casu suprà posito mutuatarij aliquid licitè vltra capitale persoluant, nihil re- C fert ad cuius dominium præfata pecuniæ summa pertineat; siue enim tale dominium maneat apud prædictum diuitem, siue apud communitatem, nihil refert; quia non pro pecunia, nec pro vsu eius illud incrementum persoluitur, sed pro ministrorum impensis. Nec refert etiam qui sint tales ministri, scilicet, ipsemet diues qui pecuniam ad prædictum effectum donauit, an alius; quia non propter personam, sed propter ministerium & impensas eius soluitur pręfatum incrementum; ac proinde si ipsemet diues, valet pręfatum ministerium, & onera eius, vt præfertur, suscipere, & de pecuniis propriis, alienis indigentiis per mutuum subuenire, certè illud ministerium & onus taliter susceptum non minùs mercenarium est, aut mercede dignum, quàm si ab alia persona fuisset susceptum. Et ita manet verificatum, quod suprà dictum est de campsore, aut de quocunque alio, onera cambij suscipiente, ad finem hunc scilicet, vt alienas indigentias de suis propriis pecuniis per viam mutui releuet, aliquod stipendium seu mercedem non ex mutuo, sed ex præfatis ministerio & onere susceptis expectando; & hoc non est lucrum ex mutuo intendere, sed mercedem obsequio, & impensis dignam habere velle. *Corollarium.*

De censibus quo ad eorum institutionem.

QVÆSTIO XI.

SOLET

SOLET PRAETEREA communiter in quæstionem verti, an licitum sit census tam redimibiles, quàm irredimibiles pro pretio emere, vti passim in Hispania emi & vendi videmus. De quibus cùm plures Doctores latissimè loquuti fuerint, quid nobis tenendum videatur, breuiter explicabimus; si priùs quid nomine census veniat intelligēdum, & quotuplex sit census, notemus. Est enim census ius percipiēdi fructum, seu rem aliquam vtilem, aut etiam pecuniam, de re illa in qua dicitur census constitus: Aut est ius percipiendi pensionem aliquam, de re ipsa in qua est census. Et capitur hîc census formaliter, non materialiter; nam materialiter sumptus est ipsa pensio, quæ ex præfata re percipitur. Nec ad præsens curo, quæ entitas sit ius illud; an sit relatio rationis, vt Reales volunt; an homo ipse facultatem habens præfatam pensionem exigendi & recipiendi. D

Quid sit census.

Census duobus potest accipi modis, formaliter & materialiter.

Corollarium I. *De ratione census nō est, vt cēsualista directū habeat dominium in re, in qua census est constitutus.*

EX HAC descriptione apertè sequitur, non esse de ratione census, quòd is qui censum ipsum habet (quem dicemus censualistam) habeat dominium directum in re, in qua census est constitutus. Patet hoc quia diuersum quid est dominium in re habere, & ius de re ipsa pensionem percipiendi; patet hoc in locato, & conducto, in quo qui rem alterius conduxit, nullum in re ipsa dominium habet; sed ius tantum ea vtendi. Patet etiam de vsufructuario, cui ius fructum percipiendi, sine dominio rei conuenit. Hoc idem patet ex differentia, quæ solet communiter assignari, inter emphyteusim, & censum. Nam in emphyteusi dominium directum ei conuenit, cui conuenit ius pensionem aliquam de re ipsa leuandi. In censu autem non ita; pro quo facit. cap. constitutus. de religiosis domibus. & glos. ibidem. vbi hæc differentia notatur. Quanquam in contractibus censualibus, qui in Hispania communiter practicantur, ad modum emphyteusis census ipsi instituuntur; & censualista, simul cum censu dominium directum rei acquirit, manente vtili dominio, apud instituentem. Verùm hoc non est de substantia census, propriè loquendo, vt ab emphyteusi distinguitur; nisi velimus de census institutione dupliciter loqui; ita vt quædam sit institutio reseruatiua, qualis est qua quis rem fructiferam, in qua dominium habet completum, rem ipsam cum dominio alteri tradit, reseruato sibi iure certam pensionē de re eâdem percipiendi. Et de hoc censu reseruatiuo loquitur textus, & glos. suprà citatus, quando inter censum & emphyteusim præfatam assignat differentiam. E

Discrimē inter censum, & emphiteusim.

Duplex institutio census.

I.

II. Alia est census institutio translatiua, & est quando is qui rei dominium habet cum iure fructum inde percipiendi, in alterum transfert ius percipiendi pensionem seu fructus aliquos illius rei. Et quanquam hoc ius sine dominio aliquo, possit de vno in alterum transferri; cùm alterum alteri annexum ex rei natura non sit; ex communi tamen practica, & consuetudine inter eos qui contractus censuales faciunt obseruata, videtur, quòd cum iure pensionem præfatam recipiendi, similiter dominium directum ipsius rei transit &c. Ideò census qui est in communi practica, non purus census est; sed emphyteusi admixtus; aut eidem similis, vt ex ipsa scriptura quæ super hoc fieri solet apertè colligitur. F

II. Corollariū. *Cēsus diuersum quid est à fructibus ex ipsa re perceptis.*

SEQVITVR ampliùs, censum de quo loquimur, scilicet formaliter sumptum, diuersum quid esse à fructibus ex re ipsa perceptis; seu à pensione quæ singulis annis percipi solet. Hoc patet de se, tum quia prius est ius ipsum, quàm quis fructum rei percipiat; eo enim ipso, quòd contractus censualis est celebratus, dicitur ipse censualista præfatum ius ad pensionem annuam habere: & tamen nondum pensionem percipit, imò nec fortè percipiet. Tum etiam, quia multi illius rei fructus actu percipiunt, qui tamen nullum ius ad eos percipiendos habent. Tum denique quia fructus illius, sunt res mobiles, & corporales, quæ corpore apprehendi possunt, vt constat; census autem, nec res mobilis est, nec corporalis, quia non corpore apprehenditur; sed immobilis & incorporalis. Et ita inter bona immobilia, solet connumerari; vt habetur in Clement. exiui de paradiso. de verborum significatione. §. cumque annui reditus.

III. Corollariū. *Census institui nō potest, nisi in re, quæ pensionem parit, ad quam percipiēdam ius ipsum est institutum.*

SEQVITVR ampliùs, censum institui non posse, nisi in re, quæ fructum vel vtilitatem illam, seu pensionem, ad quam percipiendam ius ipsum est institutum præstat. Hoc enim apertè significat præfata census descriptio: ac proinde census in rebus quæ vsu cōsumuntur institui non potest; nec in rebus aliis infructiferis, etiamsi vsu non consumantur. Id patet, tum ex descriptione posita; tum etiam, quia dominus rerum quæ vsu cōsumuntur, aliarumque rerum penitùs inutilium, nullum ius habet ad fructum seu pensionem

A nem aliquam de rebus illis habẽdam: Igitur nec potest ius aliquod tale in alterum transferre. Assumptum patet, cùm consequentia sit nota; quia res, quæ vsu consumuntur non pariunt, nec aliter possidentibus prosunt, nisi per eorum cõsumptionem, aut distractionem, quæ est etiam ipsarum consumptio; ac proinde census in illis institui non potest. Quare si diues sit quis, qui non nisi pecunias, triticum, vinum, oleum, aut alia huiusmodi habet; non potest (quantumuis ditissimus sit) in bonis suis censum instituere realem; quamuis bona illa possit suis debitoribus obligare, seu hypothecare.

SEQVITVR ampliùs, censum non posse in re aliqua institui, etiamsi fructifera sit; si non valet tantum fructum præstare, deductis laboribus & expensis, quanta est pensio à censualista percipienda. Huius ratio etiam est manifesta: Tum ex descriptione census suprà posita: tum etiã ex ratione facta; quia si dominus illius rei fructiferæ, ex re illa tantam pensionem seu fructum percipere non potest, quicunq; labor & industria apponatur; sequitur quòd non habet ius ad tantam pensionem ex re illa percipiendam; & per consequens quod ipse non habet, non poterit in alterum transferre, nec in re illa illud instituere, ex quo non est capax tanti reditus &c. Cùm tamen videamus passim oppositum in his contractibus fieri, vt si quis habet completum dominium vnius domus mille ducatos aut plus valentis, cuius domus fructus non alius est quàm pecunia, aut aliquid pecunia comparabile, quod per viam locationis præstare potest; & si locetur, non repe-B rientur pro huiusmodi locato decem ducati ad summum, & tamen in domo huiusmodi tanti valoris, solet pinguior institui census, triginta scilicet, aut quadraginta ducatorum. Quòd qualiter veniat excusandum, videbitur posteà.

IIII. Corollariũ. Neque etiam in re fructifera, nisi tãtum præstet fructuum, quanta est pensio à censualista percipienda.

SEQVITVR ampliùs, posse censum institui in rebus mobilibus, sicut & in immobilibus, licèt differenter; id patet, quia multæ sunt res mobiles quæ fructificant, vt sunt animalia quæ pariunt. Dico differenter, quia in huiusmodi se mouentibus census perpetuus institui non potest, sicut in aliis immobilibus, vt in agris, & terminis &c. cuius discriminis ratio de se satis nota est. Nec solùm potest census realis seu fructuarius in huiusmodi rebus institui, sed etiam pecuniarius; esto quòd res illæ immediatè pecuniam non pariant, quæ dicitur numisma. Nam largè pecuniam accipiẽdo, nomine pecuniæ omnia bona temporalia (quæ pretio æstimari possunt) veniunt intelligenda; iuxta illud Augustini: Totum quicquid homines habent in terra, omnia quorum domini sunt, pecunia vocantur; seruus, vas, ager, arbor, pecus, quicquid horum est pecunia dicitur. Ideo autem pecunia vocatur, quia antiqui quod habebant, in pecoribus habebant. & habetur 1.q.3.cap.totum &c. vnde quamuis ager directè numisma non fructificet, aut pariat; parit tamen fructum numismati æquiualentem. Et quando pecuniarius census in re aliqua instituitur, & alteri traditur, tacitè illic implicatur contractus alius, quo ex partium consensu, loco fructus ex re percipiendi, soluatur pecunia æquiualens. Potest similiter census, siue fructuarius, siue pecuniarius, in aliis censibus aut reditibus institui, quemad-C modùm videmus in reditibus regalibus passim cẽsus & iura alia institui, & aliis tradi. Et quamuis reditus (qui res quædam incorporalis est) à natura sua nõ pariat; cùm pensio & fructus annui leuandi aliundè realiter manent, & producantur; in hac tamẽ re ius ipsum seu reditus æquiparatur rei fructiferæ. Quia quamuis fructus qui percipitur ex reditu illo, tanquam ex causa propriè sumpta non nascatur; est tamen consequens illum velut causam sine qua non; & sicut dominus rei, qui habet completum ius ad omnem illius rei fructum percipiendum, potest in parte, ius illud in alterum transferre, & ita censum instituere; ita is in quem tale ius translatum est, poterit in parte huiusmodi suum ius in alterum transferre; & hoc erit censum seu ius in tali reditu instituere. Verùm quãquàm in regiis reditibus tutè possit census institui ob sui securitatem & certitudinem, similiter in reditibus ordinariis aliorum dominorum: In redditibus tamen priuatarum personarum, maximè si redimibiles sunt, non ita tuti erunt census ibidem institui, ob præfatorum redituum incertitudinem; cùm facilè sit eos redimere; & redemptione facta, extinguitur redditus, in quo secundus census institutus erat; & ita expirauit ille secundus. Quod causa est, vt multi facilè decipiantur qui census emunt, in aliis censibus redimibilibus institutos.

V. Corollariũ. Census institui potest in rebus tam mobilibus quàm immobilibus: sed diuersimodè.

Census potest in aliis etiam censibus aut reditibus institui.

In quibusnam reditibus census institui tutò possit.

POTEST autem census præfatus tripliciter institui, scilicet, ex voluntate superioris, ex voluntate ipsius censualistæ, & ex voluntate ipsius, qui censum soluit. Primum patet, quia sic in veteri Testamento fuerunt, authoritate Dei, decimæ institutæ; similiter & pri-

Census tripliciter potest institui.

Probatur modus primus.

mitiæ tam de frumentis quàm de animalibus &c. Exodi 22.& Leuitici 27. & in aliis locis. D
Similiter authoritate Ecclesię, in tempore gratię institutum est, vt decimas & primitias homines soluant: similiter Imperatorum legibus institutum est, vt Regibus, & Principibus sua certa iura, census & tributa persoluantur; & talia illis debita sunt, vt docet Paulus ad Romanos 13. ad tales enim census, tenentur homines etiam inuiti.

Probatur secũdus. SECVNDVM patet in dominis res aliquas fructiferas habentibus, qui eas aliis pro voluntate tradunt, seruantes sibi certam pensionem inde percipiendam, siue seruent rerum illarum dominium directum, siue non; liberum enim est illis res suas in alios pro voluntate transferre. Sic legimus Ioseph prædia multa Ægyptiis tradidisse, seruata ipsi Pharaoni certa pensione annua soluenda, Geneseos 47.

Probatur tertius. TERTIVM etiam patet in dominis res aliquas fructiferas habentibus, in quorum potestate est (seruato sibi rerum dominio) ius percipiendi fructum, in toto vel in parte, in alterum transferre. Sic videmus quamplures dotationes, & fundationes Ecclesiarum & monasteriorum factas per multos, qui reditus in rebus suis institutos, Ecclesiis illis tradiderunt. Sic etiã passim inter homines fieri videmus, nec id damnandum est; quandoquidem vnusquisq; in rebus suis est moderator, & arbiter. Et sicut potest alteri rem tradere, seruato sibi vsu; ita & econtrà: & sicut potest dominium, & ius omne, quod in re sua habet, in alterum transferre; ita potest partem iuris alteri dare, parte reliqua sibi reseruata. Et hoc est rationi naturali maximè conforme, vt suprà ex Institutio. deduximus. E
Ac proinde non est dubitandum de censuum institutione secundùm se, quin licita sit, quanquàm possit per multas circumstantias (sicut & cæteri humani contractus) vitiari, vt pòst videbitur.

An sicut in reb. fructiferis census realis, ita etiam in persona institui possit census personalis.

Argumẽta partis negatiua.

SED QVAERET aliquis, an sicut census potest in rebus fructiferis (vti præfertur) institui, possit similiter institui in persona seu personis, qui dicatur census personalis, sicut primus dicitur realis? Et pro parte negatiua arguitur, primò; quia persona libera
I. non potest obligari, vt habetur extrà, de pignoribus. capit. secundo. Secundò nemo po-
II. test se in seruitutem alterius redigere, cùm id esset cõtra ius naturæ. Natura enim omnes homines pares fecit, & ita libertas vnicuiq; videtur iure naturę competere: si autẽ census possit in nuda persona institui, ipsa persona efficeretur serua censualistæ. Pro hac facit
III. cap. ius naturale. distin. 1. Tertiò videtur idem ex Paulo 1. ad Corinth. 7. colligi, dicente,
IIII. Pretio empti estis, nolite fieri serui hominum. Quartò, quia nemo est dominus suorum membrorum, vt dicitur in l. liber homo. ff. ad l. Aquiliam: igitur nec erit quisquam dominus suæ personæ. Et ita suam personam vendere, aut in seruitutem redigere, nemo potest. Quintò, quia lege ciuili prohibetur liber homo vendi, & stipulari; quia liber homo non est in commercio nostro: vnde in l. si in emptione. §. liberum. ff. de contrahenda emptio. dicitur, liberum hominem scientes, emere non possumus &c. Et in l. post certè.
Confirmatio eiusdem. C. de libe. causa. ait glossa, quòd famuli nostri non possunt se obligare perpetuò ad seruiendum. Et ratio illic datur; quia huiusmodi promissio sapit naturam seruitutis: igitur F
multò minùs poterit homo se seruum, aut censualem facere &c. Ex his & similibus nõnulli moti sunt ad dicendum, in pura seu nuda persona libera censum institui non posse. Dico nuda, hoc est, nisi bona alia habeat, de quibus creditori seu censualistæ satisfacere valeat.

Resolutio affirmatiua. HAEC TAMEN ad eorum intentum probandum, minimè sufficere videntur: vnde & oppositum videtur tenendum, scilicet, quòd homo potest in sua persona censum instituere: & se ad solutionem pensionis obligare, siue alia bona habeat, siue non: modò talis sit, cui nec vires ad laborandum, nec industria, aut ars ad aliquid acquirendum desit. Si enim talis sit, qui nec actu, nec spe, aut potentia quicquam habet, vnde pensionem commodè soluere possit, non dubium in huiusmodi persona, tanquàm in re omnino inutili,
Probatur. censum institui nõ posse; vt suppono. Conclusionem præsentem facilè est probare; quia persona quæ in actu, vel in potentia habet, vnde annuam pensionem soluere possit, est res apta ad hoc, quòd in ea census instituatur, tam ex voluntate legislatoris, quàm etiam ex voluntate propria ipsiusmet. Inde enim in lege veteri à Deo, similiter in noua à Papa, institutum est, vt homines non solùm decimas prædiales, sed etiam personales soluerent: vt habetur Deuteronomij 12. Vbi præcipiebatur filiis Israël, vt in loco illo, quem Dominus designâsset, offerrent victimas, & decimas manuum suarum. Et Nehemiæ 10. fideles cõstituerunt reditum annuum tertiæ partis sicli, pro necessitatibus, & hoc super

se ipsos.

A se ipsos. Vnde & in cap. non est. de decimis, dicitur: sicut sancti Patres in suis scripturis tradiderunt, de vino, grano, fructibus arborum, pecoribus, hortis, negotiatione, de ipsa militia, venatione, de omnibus decimæ soluendæ sunt ministris Ecclesiæ. Ita etiam statutum est, vt vnusquisque censum certum Cæsari solueret: vt tradunt Doctores super Lucam cap. 2. Quòd autem propria voluntate possit quis personam suam censualem facere, patet; quia ius habet, & facultatem transferendi in alium, fructum ex sua persona, & industria atq; labore euenibilem: modò maneat ipsi, vnde aliâs valeat competenter sustentari; quandoquidem non maius dominium translatiuum habet fructuum ex agro suo euenientium, quàm fructuum personalium: sed primum potest in alium transferre; ergo & secundum.

Argumenta in cõtrarium duo falsa assumũt. I. II.

Nec obstant quæ suprà in oppositum sunt allegata, quæ duo videntur prætendere, scilicet, quòd persona libera non potest se alteri obligare, nec in seruitutem redigere &c. cùm tamen vtrunq; sit falsum. Quòd enim possit homo liber se alteri obligare, apertum est in multis; nam per contractum maritalem vir se vxori obligat, & econtrà; cùm alter alteri vinculo indissolubili colligetur. Per contractum etiam venditionis & emptionis alter alteri se obligat, & in alterum actioné personalem acquirit. Idem patet per contractum locationis, in quo qui se ipsum locat alteri, ad certas operas, suam personam obligat. Qualiter etiam cathedratici se ipsos etiam ad semper legendũ obligant, B quam obligationem constat personalem esse: sicut & qui religionem profitetur, suã personam religioni ad semper obligare dignoscitur: sicut & confratres solent se ad certam pensionem hospitali persoluendam obligare. De seruitute etiam idem apparet, quia tam iure Canonico, quàm ciuili approbatum est, vt homo liber in seruitutem, ob certas causas redigatur; non solùm iuris dispositione, & in pœnã delinquentis: quemadmodum de raptore virginis, iure Canonico statutum est, vt efficiatur seruus eius, 36. quæstione 1. cap. de raptoribus: & de his qui Sarracenis mittunt arma, ferrum, lignamina, quòd efficiuntur serui capientium; quemadmodùm & capti in bello contra hostes Romani imperij indicto, efficiuntur capientium; quare omnia satis nota esse suppono: sed etiã propria voluntate potest quis se seruum ob causam aliquam facere, vt ob propriam necessitatem. Similiter ad liberandum proximos à captiuitate & miseria, vt nonnullos Sanctos fecisse legimus, de quibus aliâs. Ac proinde concludendum est, quòd sicut potest liber homo ad multa se alteri obligare; & quod plus est, seipsum vendere, & in seruitutem redigere: à fortiori igitur, poterit suam personam ad aliquam pensionem annuam soluendam alteri obligare. Et ita sicut in rebus, ita & in personis, potest census institui: & si in personis priuatis seu particularibus; ita à fortiori in cõmunitate, seu vniuersitate, ex quo in tali communitate nunquam desunt, qui vel bona habeant actu, vel industriam, & artem vnde præfatam pensionem soluere possint.

Falsitas prioris ostenditur.

Posterioris etiã falsitas ostenditur.

Respõdetur ad primum argumentum partis negatiuæ.

Ad illa autem, quæ pro priori sententia fuerunt allegata, facile est respõdere. Ad C primum sumptum ex cap. 2. de pignoribus, quia scilicet persona liberi hominis obligari non potest; dicendum (vt aliâs explicuimus) illud esse verum in hoc sensu, quòd indignum est, & iniquum liberam personam debitoris ob pecuniarum debitum seruilis facere conditionis, nec tenetur cum persona satisfacere; cùm satis illi sint bona potest quæ creditoribus reddere, si sufficiant; sin autem non satis est, si bonis cedat, & manebit libera persona debitorum. Et ita in sententia tenet ibidem glossa, cum Doctoribus. Sic enim ait lex, ob æs alienum. C. de actionibus & obligationibus: Ob æs alienum, seruire liberos creditoribus, iura compelli non patiuntur. Non tamen negãdum est, debitorem teneri ad debita soluendum, & quòd propterea incarcerari possit, si soluere nolit; nec enim creditor actionem contra debitorem haberet, nisi debitor illi esset obligatus; quãdoquidem obligatio est mater actionis.

Ad II.

Ad secundum sumptum ex cap. ius naturale distin. prima, vbi inter ea, quæ sunt de iure naturali, connumeratur communis omnium vna libertas, dicendum, illud referendum esse ad statum naturæ integræ, in quo nullum fuisset dominium dispositum, sed omnibus vna fuisset libertas: secùs post statum naturæ corruptæ, in quo propter peccatum, iustè homines aliquando in seruitutem rediguntur: Vt ait Augustin. 19. de ciuitate Dei, dicens: Deus ita hominem condidit, vt ipsum rationalem factum ad imaginem suã, voluit non nisi irrationabilibus dominari, non hominem homini, sed hominem pecori; conditio aũt seruitutis merè intelligitur imposita peccatori. Aut intelligatur præfatum

 decretum,

decretum, quòd de iure naturali est communis omnium vna libertas negatiuè, id est, quòd ius naturale neminem alteri seruum fecit; sed quod natura non fecit, potuit postea peccatum facere: quemadmodùm in eodem textu dicitur, quòd de iure naturæ est communis omnium rerum possessio, quod secundùm communem etiam intelligentiam accipitur negatiuè, id est, naturale ius nemini rem vllam appropriauit, sed propter iniquitatem alius dixit hoc meum, alius illud. De quo vide quæ suprà diximus in principio Codicis, de rebus restituendis. D

Ad III.

AD TERTIVM ex Paulo sumptum; Pretio empti estis, nolite fieri serui hominum: dicendum, quòd nō loquitur de seruitute hac, qua alteri subiectus est: de hac enim dixit, seruus vocatus es, non sit tibi curæ: significans licitam esse seruitutem huiusmodi, quodque in ea potest homo vitam æternam apud Deum mereri. Et idem Paulus, similiter & Petrus, hortantur seruos, vt dominis suis sine remurmuratione seruiant, & obtemperēt. Itaq; cùm ait Paulus: Nolite fieri serui hominū: de illa seruitute loquitur, qua homo mauult hominibus, quā Deo placere, & traditiōes humanas (diuinis postpositis) adimplere.

Ad IIII.

AD QVARTVM in quo dicitur, quòd nemo est dominus suorum membrorum, & ex consequenti, nec suæ personæ, dicendum id verum esse, quantum ad hoc quod est, seipsum mutilare, aut percutere, seu occidere; Deus enim est Dominus vitæ & mortis, non homo. Cum hoc tamen stat, quòd homo sit suorum membrorū & propriæ personæ dominus, quantum ad hoc quod est seipsum locare, & membra sua ad alterius vtilitatem operibus applicare, & seipsum ad pensionem aliquam soluendam obligare. E

Ad V.

AD QVINTVM in quo dicitur, quòd secundùm leges, liberum hominem vendere non possumus, dicendum, quòd leges huiusmodi procedunt de validitate, & inualiditate talis venditionis, & prætendunt huiusmodi venditionem nullam esse de iure: maximè si emptor ignoret. Sic enim ait lex, liberi. ff. de contrahenda emptione. Liberi hominis emptionem contrahi posse, pleriq; existimauerunt, si modò inter ignorantes fiat; quod idem placet etiamsi venditor sciat, emptor autem ignoret: quòd si emptor sciens liberum esse, emerit, nulla emptio contrahitur; hæc ibi. Vnde patet, leges loqui de inualiditate emptionis: inde etiam sequitur, differentiam esse inter vendere rem alienam, & vendere liberum hominem; quia venditio rei alienæ, tenet, etiamsi vterque sciuerit, vt suprà, quando de rei alienæ venditione agebamus, visum fuit. Venditio autem liberi hominis, sciēte emptore, non ita: sed de hoc ad dominos Iuristas. Adde, quòd ad propositum nostrum videtur impertinens assumptum huius argumenti; quia esto vnus homo alterum liberum vendere non posit; stat tamen quòd homo se ipsum posit, ob causam vendere, & se alteri ad solutionem census obligare. Et quod vltrà ex glossa citatur, scilicet, quòd famuli nostri non possunt se obligare ad perpetuò seruiendum; dicendum quòd vel ab illa recedendum est, si vniuersaliter & indistinctè accipiatur, vel est limitanda ad casum, quo famulus compellitur, perpetuò alteri seruire, quòd sic compulsus non potest se taliter obligare; quia scilicet obligatio non tenebit: teneret tamen, si spontè, & ob causam aliquam iustam se taliter obligaret. F

Corollarium. Differunt vendere rem alienam, & vendere liberum hominem.

Ad eiusdē confirmationem.

De censibus, quo ad eorum emptionem & venditionem. Et primò de perpetuo.

QVÆSTIO XII.

An census posit pro pretio emi licitè aut vēdi.

Explicatur sensus quæstionis.

Census duplex: purus, qui multiplex est, et impurus.

PRAESVPPOSITO ergo, censum posse tam in persona, quàm in rebus institui, & gratuitò in alterum trāsferri, est dubium, an posit huiusmodi census pro pretio iustè & licitè emi, & vendi; & loquor nunc de censu simplici, & puro. Vnde est census purus, & impurus, vt suprà similiter de cambio distinguebamus. Census purus est, cui non est alius contractus admixtus. Impurus autem, cui alius admiscetur contractus, quod fit per alicuius pacti appositionem. Sed de pactis posteà dicetur. Est autem census purus multiplex: quidam perpetuus: quidam temporalis, indeterminata temporalitate, vt vitalitium: quidā verò temporalis determinata temporalitate, vt qui in certis & determinatis annis soluendus est &c. puta in decem, vel quindecim, vel viginti annis &c. procedit distinctio ex parte temporis sumpta: si autem sumantur ex parte rei, in qua census est institutus,

A stitutus, quidam est personalis, quidam realis. Si ex parte pensionis soluendæ, quidam est pecuniarius, quidam verò fructuarius. Et iterum quidam est, quo pensio certa & determinata singulis annis soluenda est, puta decem; quidam verò, quo pensio soluenda non est, sic determinata: puta quando quota fructuum soluenda est, siue magna sit, siue parua, vt quando decima soluenda est, vel alia pars aliquota.

LOQVENDO ad præsens de censu perpetuo puro, visum est olim multis Doctoribus insignibus, talem censum iustè emi aut vendi non posse, specialiter si pecuniarius sit. Pro quibus faciunt, quæ sequuntur: primò, quia talis census pecuniarius non est nisi contractus mutui, ex quo extrema illius sunt pecunia data, & per quotas paulatim accipienda. Nec enim videtur quid sit in illo contractu, quòd teneat vicem mercis, si venditio sit; nam qui censum vendere dicitur, vel vendit personam suam, quæ se ad pensionum solutionem obligat, vel vendit fundum in quo censum constituit, vel vendit pensionem ipsam annuè soluendam, vel vendit ius ad annuè pensionem aliam percipiendum: sed nullum ex his dici potest. Personam enim non vendit; quod suppono maximè cùm loquamur de censu reali, non personali. Fundum, seu agrum, aut domum in qua census instituitur, non vendit: quod etiam suppono; cùm ex tali contractu nihil aliud ipsi emptori acquiratur, præterquàm facultas recipiendi pensionem super qua conuenitur. Pensionem recipiendam etiam non vendit, cùm illa sit pecunia, vt suppono: pe-

Sententia prima negatiua de censu perpetuo puro &c.

Argumentū I.

B cunia autem, vt talis venalis non est. Ius etiam pensionis non vendit; quia ius illud vel est persona vendentis, vel fundus, vel pensio: sed hæc non venduntur: vel est relatio; & cùm relatio non sit aliquid corporale, sed spirituale, & in se nullius sit valoris (cùm sit relatio rationis, quæ quasi entitatem non habet) sequitur quod talis non iustè venditur: ita concludere putat Henricus in suis Quodlibetis, talem contractum, non nisi mutuum esse; & cùm fiat causa lucri, videtur quòd sit vsurarius.

SECVNDO esto formaliter vsurarius non sit, ad minus videtur iniustus; eò quòd inter datum, & accipiendum, æqualitas seruari non potest; cùm pecunia pro censu data sit determinata: exempli gratia, centum ducati, pro quibus singulis annis est sex aut septem ducatos percepturus, ita vt in fine quindecim, aut viginti annorum, rehabebit suos centum ducatos, quos ab initio dederat: & nihilo minùs posteà in perpetuum suam pensionem est percepturus, in quo aperta est inæqualitas prædicta, & ex consequenti est iniustus contractus. II.

TERTIO quia plus valet census perpetuus (cæteris paribus) quàm valeat census temporalis determinata temporalitate, puta, ad viginti annos, vel ad triginta. Sed census temporalis, ad viginti aut triginta annos, in quorum quolibet sex, vel septem ducati sunt recipiendi, sufficienter emitur pro centum ducatis: igitur census perpetuus, quo singulis annis alia tanta pensio est percipienda, nullatenùs iustè emitur pro centum ducatis, nec pro ducentis: cùm perpetuus absque proportione excedat temporalem, cæte- III.

C ris paribus. Et ita inter censum perpetuum, & pretium pro eo soluendum, non potest æqualitas reperiri.

QVARTO de ratione census, vt ab emphyteusi distinguitur, est, quòd censualista rem totam cum dominio eiusdem transferat in alium, qui pensionem annuam est soluturus. Hoc autem esse non potest, nisi contractus censualis (qui est in communi practica) taliter fiat, vt qui censum emit, ipsum fundum integrè & completè emat: & cùm suus factus fuerit, illum eundem completè, priori possessori tradat, seruato sibi iure, certam seu incertam pensionem inde percipiendi; & tunc propriè erit census, & vera rei emptio. Sed ad hoc quòd id iustè fiat, necessarium est, quòd pretium iustum quod valori fundi correspondeat, pro illo tradatur; hoc autem nunquam in tali contractu censuali tradi vidimus; sed aliud à valore fundi longè deficiens ac diminutum: & ita semper est iniustus contractus. IIII.

QVINTO, quòd ex alia ratione veniat talis contractus condemnandus, ac si vsurarius esset, apparet; quia emptor quærit lucrum ex sudore & industria, & ex re aliena, vt manifestum est. Datur etiam occasio, vt huiusmodi census (vnde viuere possunt) ementes, negotium & laborem fugiant, & in otio vitam degant. Datur etiam modus multas miserabiles personas depauperandi, & facultates eorum exhauriendi, & diuites longè ditiores faciendi, vti experientia apertè constat; cùm vix sit homo de his, qui agros colunt, & vineas, aliasque possessiones habent, qui censibus huiusmodi grauatus, notabi- V.

lem penuriam non sustineat: propter hæc enim, communiter solent vsurarij condemnari. Adde quòd cùm huiusmodi censuum emptiones multi Doctores condemnent, (etiamsi multi easdem approbent,) qui census emunt, non videntur periculum, cui se exponunt euadere; cùm id quod certum est, licitum esse relinquant, & quod incertum est amplectantur. Hæc sunt quæ vim habere videntur, ad præfatas censuum emptiones condemnandas. D

Resolutio affirmatiua.

Census tam fructuarius, quàm pecuniarius, tā perpetuꝰ quàm tēporalis secundùm se venalis est: & cōtractus censualis pretio interueniente, vera est emptio & venditio.

HIS TAMEN non obstantibus, videtur oppositum tenendum, quòd scilicet census tam fructuarius quàm pecuniarius, tam perpetuus quàm temporalis, sit secundùm se venalis: & quòd contractus censualis pretio interueniente, est vera emptio & venditio. Id probatur; quia vbi sunt omnia substantialia emptionis & venditionis, est vera emptio, &c. Sed in huiusmodi contractu, omnia emptionis substantialia concurrunt, puta merx, & pretium, & contrahentium consensus. De consensu quidem, similiter & de pretio, supponitur. De merce etiam patet; quia cēsus ipse, seu reditus, seu ius annuè pensionem aliquam de rebus aliquibus recipiendi, est res habens vicem mercis; est enim res, quæ à pecunia & pensione recipienda distinguitur. Vt ex suprà dictis patet. Et est secundùm se venalis; cùm sit aliquid pretio æstimabile, & realem vtilitatem afferens possessori, & inter bona immobilia connumeratur: vt patet ex suprà citata Clementina, exiui. de verborum significa. Nec obstat quod census præfatus sit aliquid incorporale; ex quo illa distinctio communiter est approbata, scilicet, quòd res quæ venduntur & emuntur E sunt duplices, quædam sunt corporales, quędam incorporales, qualia sunt iura recipiendi res corporales, vbi sunt reditus, & actiones, ac nomina debitorum: sic enim vēdi solet ius stillicidij in alieno solo, ius transeundi per agrū alterius, ius ducendi riuum aquæ per pratum alterius, & alia huiusmodi, quæ pretio solent comparari.

Probatur I.

II. SECVNDO idem patet, quia cōtractus censualis per leges est approbatus, imò aliquando iussus. vnde in l. fin. C. de rerum permutatione. approbatur contractus, quo quis donat alicui mille, reseruando sibi aliquod annuum, vel menstruum soluendum, etiamsi fieri posit, quòd illa menstrua vel annua longè excedant illa mille donata: & tamen constat talem contractum virtualiter esse censualem; nam perinde est, ac si quis alteri daret mille ducatos, pro iure recipiendi ab eodem pensionem aliquam annuam, aut menstruam. Et in Authentica, vt hi, qui obligatas se habere perhibent. §. licebit. disponitur, quòd tutores & curatores (ne pereant pecuniæ minorum) debeant eis comparare reditus. Quod quidem dispositum est, ad tollendum materiam peccandi, vt ibi dicitur: vnde argumentum sumitur, talem emptionem census, seu reditus, tanquam licitam approbari. Et quia fortè aduersarij dicerent ex legibus sufficiens argumentum sumi non posse, ad iustificandam emptionem census; cùm alibi vsuras aliquas, leges ipsæ permittant; arguo ex iure Canonico. Nam hoc permittit & concedit, vt reditus Ecclesiæ aliquando vendantur, saltem ad tempus: vt habetur in Clementina prima, de rebus Ecclesiæ non alienandis. Et prælati cum dispensatione Papæ frequenter vendunt prælatis aliarum Ecclesiarum decimam prædialem. Nec valet dicere, reditus prædiales vendi quidem posse; sed non pecuniarios. Non inquam valet; nam reditus prædialis potest pro pecuniario reditu permutari, hinc inde seruata æqualitate: ergo sicut prædialis potest pro pecunia vendi, similiter ergo & pecuniarius; quia si aliquid obstaret quo minùs reditus pecuniarius pro pecunia vendi & emi non posit, esset: vel quia pecuniarius reditus, est aliquid spirituale, cui repugnat venditio: vel quia non potest dari pecunia, quæ reditui pecuniario æquetur; sed neutrum dici potest. Non primum; quia tunc reditus pecuniarius, sicut pro pecunia vendi non posset, ita nec pro alio reditu prædiali, nec pro alia re temporali posset permutari; ex quo spiritualitas rei æquè repugnat permutationi pro re temporali, sicut & venditioni, vt constat. Nec secundum dici potest, quia ex quo reditus prædiales possunt alicui pecuniario adæquari, pro quo etiam permutari potest pecunia: igitur quæ æquiualebit reditui prædiali, æquiualebit etiam reditui pecuniario. Quòd enim vni duorum æqualium æquale est, reliquo similiter erit æquale; & ita reditus, tam prædialis, quàm pecuniarius, pecunia potest comparari.

Obiectionis solutio.

F

Obiectionis solutio.

III. TERTIO si Petrus in bonis suis censum etiam pecuniariū instituat, & Titio in perpetuum illum gratìs donet, poterit Titius posteà præfatum censum, alteri tertio pro pecunia vendere: igitur Petrus poterat similiter, illum censum ipsi Titio, pro pecunia vendere.

A vendere. Antecedens aduersarij concedunt, dicentes census olim institutos, posteà vendi posse: non tamen eos, qui de nouo, tempore quo venduntur, instituuntur. In quo dicto, sufficiens discrimen per eos assignari non potest; nisi dicant, de ratione venditionis esse, quòd merx quæ venditur, præexistat ipsi venditioni, alioqui non erit vera venditio. Sed contra hoc stat ratio, tum quia sæpe res, quæ nondum sunt, venduntur: vt sæpe fructus ex vinea vel agro colligendi hoc anno, venduntur. In mari etiam sæpe pisces per iactum retis capiendi venduntur. Hæreditas etiam futura, nondum existens, sæpe vendi & licitè solet, quales contractus etiam iure approbatos esse constat. Tum etiam, quia falsum est quòd census de nouo institutus, non præexistat eiusdem venditioni; nam cùm census non sit nisi ius pensionem aliquam de re aliqua vtili percipiendi; hoc autem ius habet dominus ipsius rei, antequàm censum in alterum transferat, vt constat: igitur census, qui de nouo, per venditionem in alterum transfertur, præexistit in ipso vendente. Et ita tenuit prima consequentia; quòd scilicet, si Titius censum in eum translatum, potest pro pecunia vendere: ergo etiam Petrus, qui censum transtulit, potuit eum pro pecunia transferre, & ita vendere. Adde quòd ita per summos Pontifices est declaratum, puta per Martinum Quintum, & Calistum Tertium de censu perpetuo redimibili, quòd potest pro pecunia emi & vendi: de quo tamen maior est difficultas, quàm de censu perpetuo non redimibili; cùm multi irredimibilem approbent, redimibilem autem tanquam B vsurarium condemnent. Et ita patet veritas propositæ sententiæ, & responsio ad quæstionem. *Obiectionis solutio.*

Svperest, ad rationes ante pro opposito factas respondere. Ad primam in qua arguitur, in contractu censuali purum mutuum esse &c, dicendum id esse falsum: sed est vera emptio & venditio; cùm illic omnia substantialia emptionis concurrant, vt ostensum est. Et cùm quæritur quid illic venditur? dicendum, quòd reditus, seu census, quicquid sit de entitate ipsius. Nec obstat eum relationem esse, aut aliquid spirituale; quia licèt incorporale sit, non tamen propriè est spirituale, spiritualitate Ecclesiastica; ratione cuius ei repugnet emi posse, licèt sit spirituale spiritualitate physica, seu metaphysica: nec emitur propter ipsius entitatem, sed propter terminum ad quem est. *Respondetur ad argumenta primæ sententiæ. Ad I.*

Ad secvndam in qua arguitur, talem contractum iniustum esse; eò quòd inter pretium datum & pensiones recipiendas, ęqualitas dari non potest, &c. dicendum quòd falso innititur fundamento; nam ratio hæc procedit, ac si pretium daretur, pro pensionibus illis, tanquam pro merce, quod falsum est; cùm non detur nisi pro reditu, seu censu, qui aliquid distinctum est ab ipsis pensionibus percipiendis, nec æqualitas pretij est attendenda, ex quantitate pensionum percipiendarum, sed ex valore ipsius reditus, secundùm concurrentem & approbatam consuetudinem, & communem hominum æstimationem. Communis autem regula, ad valorem reditus cognoscendum, hæc esse solet, vt pretium pro reditu datum sit tantum quòd possit quis in patria illa, possessionem aliC quam emere, quæ (deductis laboribus & expensis) possit tantam possidenti commoditatem dare, quantus est reditus, cum illa pecunia emptus. Sed quoniam possessiones, quæ cum illa pecunia emi possent, sunt differentes, & diuersas & inæquales commoditates pariant; vt patet de domo, quæ cùm cariùs vendatur, minores tamen tribuit commoditates: & de vinea, quæ cùm viliùs vendatur, maiores tribuit: & de agro, qui talis esse potest, quòd multum fructum tribuat, & econtrà talis, qui parum: ideò non videtur regula illa omnino firma, & certa. Quare recurrendum est ad communem hominum æstimationem, & currentem & approbatam consuetudinem, interim quòd super his, pretium certum, per publicam authoritatem taxatum nõ est: quemadmodùm de iusto pretio aliarum rerum venalium suprà diximus. Quòd autem excessus, pensionũ percipiendarum supra pretium datum, nõ vitiet ipsam emptionem, inde patet, quia tunc ager qui singulis annis (deductis laboribus & expensis) parit certam commoditatem in perpetuum, pro nullo pretio iusto finito emi posset; quod est absurdum. Similiter vitiosa esset emptio iumenti, pro pretio currenti, & communiter approbato, ex quo per viã locationis, longè maiorem commoditatem pariet emptori, quàm sit pretium pro illo solutum. *Ad II. Regula communis ad valorem redditus cognoscendum.*

Ad tertiam, fateor plus valere perpetuum censum, quàm temporalem; & esto census ad viginti vel triginta annos, sufficienter pro cẽtum ducatis ematur (de quo tamẽ posteà) non seqtur inde, quòd census perpetuus pro nullo pretio emi possit. Habet enim vnusquisque census valorem suum, iuxta communem & approbatam consuetudinem, *Ad III.*

 vt

vt dictum est. Nec valor census perpetui est mensurandus per quantitatem pensionum percipiendarum, vt dixi, sed per communem cursum &c. Quare ratio illa parui momēti est, sicut & præcedens. D

Ad IIII. Ad qvartam dicendum, quòd census in quo ratio illa seruatur, seu de cuius ratione est, quòd censualista, rem omnino (etiam quo ad dominium in eum, qui pensionem soluturus est) transferat, est census reseruatus, non autem census translatus: & ita non omnes census in ratione illa conueniunt, esto quòd omnes census huiusmodi venales sint. Ac proinde falsum est quòd contractus censualis resoluatur in duos; quorum alter sit pura emptio fundi, in quo census instituitur; alter verò rei redditio, cum reseruatione iuris, seu reditus præfati; sed directè reditus ipse, seu census venditur & emitur, vt expositum est.

Ad V. Ad qvintam, quòd hoc est lucrum seu commoditatem ex alieno labore, & industria quærere, & non est de se malum, sed fit licitum per donationem: fit etiam licitum per pretij debiti solutionem, vt patet de conducente alium ad colendum agros, seu ædificandum, seu etiam ad negotiandum nomine suo. Quòd etiam homines census emant, vt inde sustententur, non est de se malum; maximè si sint personæ, quæ rebus spiritualibus, aut literis, aut regimini publico, aut etiam militiæ incumbunt: aut si sint personæ ad negotiandum inhabiles, similiter & artes aliquas exercendas; hæ enim causæ iustæ sunt, vt homines ex censibus, & reditibus viuant. Nec inde fit, vt in otio vitam degant: quòd si aliqui de necessariis securi, in otio viuant, vitium est personæ, non contractus censualis, vt de se constat. Quòd autem ex censibus, passim emi permissis, occasio præstetur ad multos depauperandos &c. fateor; sed non ob id est contractus censualis damnandus; nam si personæ indigentes, sicut census in bonis suis pro pretio instituunt, vt propriam releuent indigentiam, ita ipsamet bona & possessiones simpliciter venderent, iusta posset esse venditio: & tamen longè miserabiliùs depauperarentur. Itaque ratio hæc potiùs suadet principes, & prælatos in re hac certum debere ponere modum, quàm probet, contractus censuales illicitos, iniustos, aut vsurarios esse, vt constat. Nec etiam hæ rationes, seu inconuenientia sunt, propter quæ vsurarij simpliciter condemnantur, sed quia contra legem diuinam, naturalem, & humanam vsuras exercent, vt ex suprà dictis apertè constat. E

Licitum est alicui cēsum emere, vt inde sustētetur.

Nota.

De censu temporali, determinata temporalitate.

QVÆSTIO XIII.

Quod nam sit iustum pretium census temporalis determinata temporalitate.

Qvemadmodvm de censu perpetuo conclusum est, eum posse licitè pro iusto & æquali pretio emi, & vendi; ita idem de cēsu temporali tenendum est, siue fructuarius sit, siue pecuniarius. De censu tamē temporali, determinata temporalitate, esset dubium, quod esset eius iustum pretium: sicut, exempli gratia, census percipiendi decem ducatos singulis annis, ex decem annis immediatè sequētibus, est quæstio, an pretium iustum huiusmodi census debeat esse tantum, quantum erit totum percipiendum, in decem prædictis annis, puta centum ducati; an liceat talem casum, pro minore emere, puta, pro nonaginta ducatis? F

Sententia I. *Non opus esse, vt pretium sit æquale summæ postea percipiendæ: quod fieri posse tripliciter.*

Dixit Conradvs quæst. 80. quòd de rigore scholastico, non est necessarium, pretium esse æquale toti summæ per illos annos percipiendæ; sed potest dari minus, puta nonaginta ducati in casu proposito, quod, ait, posset fieri tripliciter. Primò, si emptori sit indifferens, illos nonaginta ducatos sibi seruare, aut illos pro censu præfato tradere.
I. Secundò, quòd mallet suos nonaginta ducatos seruare, quàm censum illum pro illis ducatis emere.
II. Tertiò, quòd econtrà mallet præfatum censum loco nonaginta ducatorum habere, quàm ipsos nonaginta ducatos. In quibus casibus videtur ad damnandum hunc tertium declinare, alios duos excusando.
III.

Attamen quo ad iustitiam, vel iniustitiam contractus censualis præfati in se puram, refert, quàm ex tribus præfatis intentionibus habeat ipse emptor. Nam vel nonaginta ducati sunt in re iustum pretium præfati census temporalis, vel iniustū: si primum, quam-

A quamcunq; ex dictis intentionibus habeat, erit contractus in se iustus: si secundum, per nullam talem intentionem, ab iniustitia excusabitur. Itaque impertinentem esse puto distinctionem illam, ad iudicandum de iustitia vel iniustitia contractus in se: & multò impertinentior est, ad restitutionem aliquam agendam, aut non agendam.

Illa ergo distinctione dimissa, arguitur primò pro sententia Conradi, pro centum ducatis potest iustè emi census perpetuus, qui plus valeat quàm præfatus census temporalis: igitur præfatus census decennalis poterit iustè pro minori pretio, quàm sint centum ducati, emi. Consequentia videtur nota; & antecedens probatur; quia pro centum ducatis, potest iustè emi census perpetuus, quo singulis annis soluantur (exempli gratia) quinque ducati (suppono enim illud esse, pro loco & tempore pretium communiter currens, & approbatum) sed plus valet census perpetuus, singulis annis quinque percipiendi, quàm census temporalis viginti annorum, singulis annis eadem quinque percipiendi, vt de se constat: igitur census hic viginti annorum, poterit pro minori pretio, quàm sint centum ducati, iustè emi. Sit igitur eius iustum pretium nonaginta, iam sequitur quòd census percipiendi per viginti annos, singulis annis quinque, iustè emitur pro pretio quod sit minus quàm tota summa, per illos viginti annos percipienda; nam per illos viginti annos summa percipienda, sunt centum ducati, vt patet: & talis census emitur iustè pro nonaginta ducatis: igitur. Census autem temporalis viginti annorum, B singulis eorum leuando quinque, æquiparatur censui temporali decem annorum, singulis eorum leuando decem; cùm tota summa ex his censibus percipienda sit æqualis, vt patet intuenti. Sequitur ergo præfatum censum decennalem (ad decem ducatos singulis annis percipiendos) posse iustè pro nonaginta ducatis emi; quod est intentum. *Argumentum I. pro dicta sententia.*

II. Secundo arguitur, & est ratio Conradi: ad humanum vsum, & commoditatem plus valent centum ducati in promptu, quàm valeant centum ducati, paulatim per decem annos soluendi; communiter enim est hominibus amabilius, & in maiori æstimatione habitum, vt experientia docet. Sit igitur illud plus, in quo centum ducati in promptu, excedunt valorem centum ducatorum, paulatim per decem annos soluendorum (exempli gratia) sex, vel decem, quibus defalcatis à centum supersunt nonaginta: ergo nonaginta in promptu, æquiualebunt centum in decem annis paulatim soluendis: & per consequens census decennalis, ad decem ducatos quotannis percipiendos, sufficienter emitur pro nonaginta ducatis in promptu; quod est intentum.

III. Tertio, ad idem arguitur; quia si valor census esset per quantitatem summæ percipiendæ mensurãdus; sequeretur, quòd postquàm censualista, successu temporis percipit tantam summam, quantum fuit pretium, pro censu datum, quòd non posit iustè, aut licitè posteà pensionem aliquam recipere, quin teneatur perceptam restituere: consequens est falsum: vt patet apertè, in censu perpetuo, tam redimibili, quàm irredimibili; C similiter in vitalitio, in quibus licitè singulis annis, asignata pensio percipitur, etiamsi per partes tantum sit perceptum; quantum fuit in pretium ab initio datum, quod tamen à nemine condemnatur. Et per consequens ad iustitiam contractus censualis temporalis, determinata temporalitate, non est necessarium, pretium æquari toti summæ, per tempus illud percipiendæ.

His non obstantibus, videtur oppositum tenendum; & probatur arguendo simul contra præfatam sententiam, quod si licitum esset, censum temporalem pro minori emere, quàm sit tota summa percipienda, sequeretur quòd hic contractus esset licitus; accipe nonaginta ducatos, & dabis mihi in fine decem annorum, centum ducatos simul: sed consequens suppono falsum, cùm sit manifesta vsura, nisi per aliud excusetur (excludo tamen omne, per quod excusari potest) & sequelam probo; quia per te, hic contractus est licitus, accipe nonaginta ducatos, & dabis mihi centum paulatim per decem annos soluendos, ita vt quolibet anno soluas decem: igitur eodem modo erit licitum conuenire, vt illa centum similiter soluas in fine decem annorum; nam quantum ad substantiam mutui attinet, parum refert conuenire, quòd mutuatum paulatim, aut simul, post tempus aliquod soluatur. Imò maiorem gratiam tibi videor facere, si dando tibi nunc nonaginta, non te obligo, vt singulis annis aliquid reddas, sed per totos decem annos tibi solutionem agendam expecto. Ac proinde, si alter ex his contractibus est vsurarius, igitur & reliquus. Et confirmatur, quòd in his contractibus sit mutuum, quia vtrobique *Resolutio. Nõ licet censum temporalem pro minori emere, quã sit summa percipienda. Probatur I. Confirmatio.*

vtrobique eſt datio pecuniæ in eadem ſpecie reuocabilis: eſto quòd in altero eſt reuocabilis paulatim & per quotas, in altero verò ſimul, quod vt videtur, mutui ſubſtantiam non variat. D

II. Praeterea, ſi mercem aliquam tibi ad terminum vendo, quæ ad ſummum valet centum ducatos, & eam ad terminum vendo pro centum & decem, in tribus, aut quatuor annis paulatim, ſiue in fine trium annorum ſimul ſoluendis, talis contractus eſt vſurarius; quia cùm illic (vt ſuppono) ceſſet omne intereſſe damni emergentis, & lucri ceſſantis, nulla alia videtur cauſa in pretio aſcendendi, niſi ſolutionis per tempus aliquod dilatio. Igitur à fortiori, cùm in promptu tibi do centum ducatos, vt mihi in tribus, aut quatuor annis centum & decem paulatim, ſeu in fine quatuor annorum ſimul ſoluas, erit contractus vſurarius; cùm cauſa lucri in caſu non ſit niſi ſolutionis dilatio.

III. Praeterea, & retorqueo rationem contra Conradum; quia ſi eſſet licitus contractus præfatus, in quo datur pretium minus, quàm ſit tota ſumma percipienda, ideò eſſet, quia plus valent nonaginta in promptu, quàm nonaginta paulatim per decem annos ſoluenda: ex hoc arguo, quòd licitum etiam erit, dare in promptu nonaginta, vt in fine certi temporis reddantur ſimul centum; quia plus valent ad commoditatem, & humanum vſum nonaginta in promptu, quàm nonaginta in fine certi temporis ſoluenda, & ita intentum: ſed illud eſt aperta vſura, & eſt confirmatio primæ rationis.

Confirmatio. Confirmatur, quia ex eodem fundamento ſequitur, quòd eſſet licitum, actionem alterius ad centum ducatos, in fine anni ſoluẽdos emere pro minori, quàm ſit centum; quia ad vſum, & commoditatem humanam plus valent centum in promptu, quàm actio ad centum, in certo termino ſoluendos; conſequens eſt ſuprà, contra Caietanum oſtenſum, eſſe falſum, quando de venditione actionis agebamus; igitur. E

Svpposita igitur conſequentis falſitate, ſtat argumentum ad propoſitum: actio ad decem ducatos in fine vnius anni ſoluendos, valet decem; actio ad viginti in duobus annis ſoluendos, valet viginti; actio ad triginta in tribus annis ſoluendos valet triginta: igitur actio ad centum, in decem annis ſoluendos, valet centum. Et per conſequens pretium iuſtum cenſus temporalis determinata temporalitate, debet æquari toti ſummæ percipiendæ.

IIII. Postremo ſi ego do tibi centum in promptu mutuo, in fine decem annorum mihi ſoluendos hac lege, vt impignores mihi agrum tuum, qui quotannis (deductis laboribus & expenſis) parit mihi fructum valentem decem, adueniente tempore ſolutionis, ego teneor computare in ſortem omnes fructus per me ex pignore perceptos, ex ſententia omnium; alioqui eſſet vſura. Et ita ſi per decem annos, pignus poſſedi, in quibus in valore centum ducatos lucratus ſum; debeo cum illis pro capitali eſſe contentus, & pignus ſuo domino liberum reſtituere. Quòd ſi vltra decem annos, prætendam pignus detinere, & ampliores fructus mihi lucrari, erit vſura: ergo omninò eodem modo, ſi do tibi centum ducatos, in fine decem annorum mihi reddendos, hac lege, vt ſingulis annis mihi ſoluas decem, adueniente tempore præfixo (quando erit verum quòd meos centum ducatos recuperauerim) debeo cum perceptis eſſe contentus, & ab ampliori perceptione ceſſare. Perinde enim eſt, in illis decem annis habere pignus, quotannis mihi decem fructificans; & habere cenſum temporalem, mihi decem ſimiliter fructificantem. F

Data ſolutio tutior eſt & probabilior. Et ita videtur hæc ſecunda poſitio tutior, & tenenda, quia vltrà quòd præfatus contractus habet ſpeciem mali, & magnam cum vſurario contractu ſimilitudinem, ſequuntur inconuenientia prædicta, & alia, quæ ex vero contractu vſurario ſolent euenire. Sicut ergo ſuprà dictum eſt, pretium pro actione ſolutum, debere æquari rei debitæ, ad quam eſt actio (ſuppoſito quòd ſit debitum omninò certum; quodque in eius recuperatione nullæ expenſæ ſunt agendæ, nullum periculum ſubeundum, nullum intereſſe quod is, qui actionem emit, ex ſolutione pretij patiatur &c.) ita in cenſu temporali determinata temporalitate, videtur tenendum pretium debere ſummę percipiendę æquari: ſuppoſitis eiſdẽ, quæ modò in emptione actionis, ſeu debiti, ſupponenda eſſe diximus. Secùs ſi timetur in penſioum recuperatione, expenſas eſſe faciendas; aut ipſa penſio ſoluenda eſt in periculo; aut ſi quæ alia cauſa huiuſmodi interueniat. Tum enim, ſicut in emptione alieni debiti, licitum eſt in pretio deſcendere: ita in emptione cenſus temporalis, ſicut & in emptione cenſus perpetui. Similiter & in emptione cuiuſcunque alterius rei,

A rei, post tempus aliquod tradendæ, si periculum, vel causa aliqua concurrat, quæ faciat rem, censum, vel debitum minus æstimari, & minoris esse valoris, licebit in pretio descendere.

Ad motiva suprà ad oppositum adducta (etsi apparentissima sint) potest responderi; ad primum, fateor, quòd plus valet census perpetuus, cæteris paribus, quàm temporalis, determinata temporalitate. Admitto insuper censum recipiendi quinq; ad semper, posse iustè pro centum emi: & quando infertur, ergo census recipiendi quinque annuè per viginti annos, potest pro minori emi, quàm sint centum; & per consequens potest census temporalis, determinata temporalitate, pro minori, quàm sit tota summa percipienda, emi. Hoc etiam fateor, quando tempus per quod pensio soluenda est, est longum, non quidem ob solam temporis quantitatem, sed quia in longo tempore, vtplurimum solent res variari, debitores mori, & alij succedere, qui vel non soluent, vel non sine lite, vel erunt vitæ perditæ, aut fugitiui: aut etiam res ipsa, in qua census est constitutus, est in longo tempore pluribus, aut certioribus periculis exposita, quàm in breui. Itaque ob has & similes causas, licitum est in pretio descendere, adeò vt non sit tantum, quanta est summa tota percipienda. Conclusio autem nostra suprà approbata, procedit de censu temporali ad paucos annos, quando scilicet præfata pericula, verisimilia non sint, vt suprà tactum est. Et inde non valet argumentum illud, ad longum tempus protendendo, scilicet, census percipiendi decem in vno anno, valet decem; census percipiendi viginti in duobus annis, valet viginti; cēsus percipiendi quinquaginta, in quinque annis, valet quinquaginta; census percipiendi centum in decem annis, valet centum: ergo census percipiendi ducenta, per viginti annos, & quadraginta per quadraginta annos, valet ducenta aut quadringenta. Itaque non crescit valor, & pretium census, in ea proportione, qua se habent tempora, in quibus soluendi sunt. Alioqui census percipiendi quinque ducatos, per centum annos, præcisè valeret quingentos ducatos; & census percipiendi quinque ducatos, in perpetuum soluendos, valeret centum ducatos: quod est absurdum. Itaque proportio valoris non sequitur temporis proportionem; sed vt dictum est, valor censuum, sicut & rerum aliarum, cognoscitur, & iudicatur ex communi cursu & consuetudine communiter approbata. Quod verum est in censu perpetuo, & vitalitio; secùs de temporali determinata temporalitate, de quo diuersum est iudicium, eò quòd huiusmodi census, vel mutuum est, vel mutuo valde affinis; ideò in eo æqualitas est seruanda; excepto, nisi causa iusta inæqualitatis concurrat.

Respondetur ad argument. primæ sententiæ. Ad I.

Quid certi assumatur in illo argumento.

B *In quo argumētum deficiat.*

Si vrgeas, quòd etiamsi cætera sint paria in censu huiusmodi temporali, & perpetuo, quo ad hoc, scilicet, quòd æquè certa est pensionis solutio, nullum periculum, nullæ expensæ, nec lis timetur &c. Adhuc census perpetuus, cæteris paribus valet plus, quàm temporalis ad viginti annos: & per consequens, tunc etiam erit licitum, pro censu viginti annorum minus dare, quàm sit tota summa leuanda. Dicendum (quicquid sit de antecedente) consequentia non valet; quia de contractu temporali determinata temporalitate, & de valore eius, iudicandum est, ac si esset mutuum, ob rationes suprà dictas, ideò æqualitas est in illo seruanda: nec valor vnius, est alterius valori commensurabilis.

Obiectio.

Solutio.

C

Ad secundum, admisso quòd ad humanum vsum, & commoditatem plus valeant centum in promptu, quàm centum in decem annis paulatim soluenda; non sequitur, quòd debeat, aut possit in pretio descendi, ob id quòd illa centum sint paulatim soluenda. Ratio est ex dictis clara; quia de tali contractu, & valore census temporalis, idem quod de mutuo, est iudicandum. Ac proinde sicut qui mutuat centum in promptu, non potest vltra centum exigere, siue paulatim, siue simul posteà soluantur; non obstante quòd plus valeant centum, in promptu data, quàm centum post tempus recipienda: ita in proposito.

Ad II.

Ad tertium dicendum non esse simile, quod pro simili adducitur; nam in censu perpetuo, & vitalitio, licitum est annuam pensionem recipere, etiam postquàm censualista perceperit tantum, quantum ab initio, pro censu empto dederat; sicut qui agrum emit pro centum, poterit quolibet anno, fructus inde prouenientes sibi recipere, etiam postquàm in fructibus tantum, aut plus receperit, quàm fuit pretium pro agro datum; quia vtrobiq; est vera emptio, & venditio. In censu autē temporali, determinata temporalitate, nō ita; quia illic mutuum est, & tanquā de mutuo iudicandum: ideò illic postquā censua-

Ad III.

censualista recipit, quantum ab initio dederat, cessare debet ab vlteriori perceptione. D
Et procedunt quæ dicta sunt de censu temporali, non solùm determinata temporalitate, sed etiam determinata pensione annuè soluenda in pecunia: vt si quinque ducati annuè debeant per decem annos solui. Nam si stante temporis determinatione, ipsa pẽsio soluenda nõ sit determinata, sed indeterminata; vt certa quota; aut sit pensio fructuaria, non opùs est vt tunc pretium sit æquale toti summæ actu percipiendæ, sed satis est quòd sit æquale summæ, quæ verisimiliter percipietur: vt æqualitas debita si non actualis, saltem rationabiliter presumpta seruetur. Et tunc quamuis accidat plus, minúsue illo tempore percipere, quàm fuerat pretium ab initio datum, non inde vitiatur contractus.

Quaten⁹ etiam prima sentẽtia defendi queat, cùm in eo contractu censuali non cernatur propriè dictum mutuum.

Ratio.

PRAEFATIS tamen non obstantibus, non nego in rigore scholastico defensari posse sententiam Conradi suprà positam; quòd scilicet præfatus census temporalis, ad determinatum tempus, & ad determinatam pensionem pecuniariam possit emi pro pretio minori, quàm sit tota summa percipienda, si alicubi talis esset cõsuetudo, & communiter approbata; eò quòd in tali contractu censuali, propriè & verè non mutuum, sed emptio & venditio est. Quod inde patet; quia est illic pretium, & merx, quæ est census dictus, à pecunia soluenda distinctus; & est contrahentium consensus; igitur emptio & venditio.

DEINDE, de ratione mutui est, quòd mutuator habet actionem ad sortem mutuatã, & si sors ipsa in potestate pereat mutuatarij, ipsi, non mutuanti perit: & si cætera bona E
mutuatarij pereant, nõ mutuanti, sed mutuatario pereunt. In præsenti autem contractu econtrà fit; quia censum huiusmodi emens non habet actionem ad pretium per eum solutum, sed ad pensionem annuè leuandam, seu percipiendam. Et si bona, in quibus census prefatus est institutus, pereant, similiter perit cẽsus: ita vt nulla postmodùm actio censualistæ, contra eum, qui censum vendiderat, relinquatur. Et ita verè nõ est mutuum, sed emptio, & venditio; & per consequens pretium iustum talis census, nõ opùs est quod in indiuisibili consistat, nec quòd fructibus inde percipiendis, æquale sit; sed poterit aliquantulum inferius esse. Maximè, si (vt dixi) alicubi talis vigeat communis consuetudo, qua pro minori pretio, quàm sit tota summa percipienda, ematur. Et ita posset facilè ad rationes, quas pro secunda sententia fecimus, responderi.

Nihilominus tutior est supradicta resolutio.

ATTAMEN diximus, quod tutius est; & magis, quàm oppositum consulendum, conformiter ad id, quod suprà de emptione actionis, seu debiti alieni, diximus. Et si dixi de huiusmodi censuali contractu esse iudicandum, ac si mutuum esset; ideò id dixi, nõ quia verè mutuum sit; sed quia mutuo valde affinis, seu similis, habensque mali speciem. Et ita non minùs ab illo, quàm si mutuum esset, est abstinendum: tunc maximè, quando ex tali contractu, ipse emptor lucrum quærit.

Quod nã sequatur inconueniẽs ex 1. sententia.

ET NISI sic dicatur, difficile erit his, qui priorem sententiam velint defensare, hoc inconueniens euadere, scilicet quòd reditus temporalis determinata temporalitate, sit eiusdem valoris & pretij, cum reditu perpetuò irredimibili, cæteris paribus; quodque F
eiusdem valoris sit pars, & totum cuius est pars: supposito quòd census temporalis ad perpetuum comparatus, sit pars illius: quod satis videtur de se notum. Quòd autem id, expositione illa sequatur, apparet; nam esto reditus ad determinatum tempus, posset emi pro pretio minori, quàm sit tota summa percipienda: sit igitur ita, quòd census percipiendi quinque per decem annos, valeat quadraginta quinque parum plus, minúsue; reditus ergo percipiendi eadem quinque per viginti annos, valebit nonaginta, aut parum minus, nil refert: reditus ergo percipiendi eadem quinque per quadraginta annos, valebit centum & octuaginta, aut tolle inde quod velis. Et tamen pro illis centum & octuaginta poterit census perpetuus, eadem quinque in perpetuum percipiendi, emi. Et pono cetera paria omninò, ex parte securitatis census, & solutionis eiusdem, cùm tamen constet censum ad quinque perpetuum, longè plùs valere, quàm censum ad quinq; per quadraginta annos percipienda. Et constat censum ad quinque per quadraginta annos contineri in censu ad quinque in perpetuum, tanquam partem in suo toto; nisi fortè dicatur, quòd valor præfatorum censuum non crescat in ea proportione, qua tempus, quo pensio est recipienda, augetur; vt suprà dicebamus. Sed hoc admisso, constat similes angustias pati in huiusmodi rationibus seu pretij assignationibus positionem primã Conradi, quas secunda sententia non patitur.

De

A

De censu temporali indeterminato, id est, de vitalitio.

QVÆSTIO XIIII.

An census vitalitius iustus sit ac licitus.

Argumenta pro sententia negatiua.

DE CENSV temporali in determinata temporalitate, exempli gratia, de vitalitio, idem quod de prioribus tenendum est, quo ad sui institutionem, similiter & emptionem, & venditionem, quanquam hoc vitalitium peculiares habeat difficultates. Vnde multi Doctores olim damnabant vitalitium, tanquam vsurarium, iniustum, atque aliter peccaminosum. Quòd enim contractus vitalitij, vsurarius sit, probant primo; quia si ego do Petro centum florenos mihi restituendos in vndecim annis, adiectis decem vltra capitale, est contractus verè vsurarius. Et si cùm centum rehabuero, illud aliud incrementum recepero, erit vsura; ergo supposito quòd ego viuam à parte rei vndecim annis, & dem Petro centum florenos, vt singulis annis vitæ meæ, reddat mihi decem florenos, erit similiter contractus vsurarius, ex quo videntur similimi, vel iidem casus; cùm sit eadem pecunia in promptu data, sit eadem quantitas recipienda, & idem tempus, per quod recipi debet, & idem incrementum vltra sortem: & tamen secundus contractus est vitalitium, vt patet. Si dicas illos contractus differre; quia in primo, Petrus *Obiectio.*
B tenetur sortem cum lucro, in fine illius temporis reddere: in secundo verò non ita, sed singulis annis tenetur soluere decem. Contrà, quia vt suprà arguebatur, hæc differentia *Solutio.* non variat substantiam mutui; cùm sæpe mutuator cum mutuatario conueniat, vt mutuatam sortem paulatim, aut etiam simul soluat.

I.

CONFIRMATVR, quia emptio vitalitij fit cum spe lucri, vltra sortem acquirendi: si *Confirmatio.* enim nil amplius lucrari speraret, non exponeret pecuniam suam periculo eam perdendi, qualiter eam perdit, si statim post vitalitium emptũ moriatur, aut paulò pòst. Omnis autem talis spes lucri reddit contractum vsurarium, ad quod spem sine exteriori pacto constat sufficere.

SECVNDO, quòd talis emptio iusta esse non posit, apparet; quia non potest dari, II. seu assignari pretium iustum vitalitij. Nam detur quòd sexagenarius (de quo est verisimile secundùm naturæ cursum, quòd viuet decem annos) emat vitalitium, quòd quolibet anno sibi soluantur decem pro centum florenis; igitur si quinquagenarius (de quo similiter est verisimile, quòd duplo plus viuet, scilicet viginti annos) emat vitalitiũ, quo quolibet anno vitæ suæ, sibi soluantur decem: erit pretium iustum ducenti floreni: & si alius iuuenis viginti annorum (de quo similiter sit verisimile, quòd viuet vltra quinquaginta annos) velit vitalitium emere, quo quolibet anno sibi soluantur decem, pretium iustum erit quingenti floreni. Sed hoc dici non potest; nam pro quingentis florenis iustè poterit emi alius census longè valentior, quàm vitalitium, puta, census perpe-
C tuus annuè leuandi xx. florenos, vt suppono; igitur pretium vitalitium præassignatum, iustum non fuit. Et similiter potest ratio procedere, quodcunque aliud pretium vitalitij assignetur, vt patet intuenti.

CONFIRMATVR, quia æqualitas inter pretium pro vitalitio dandum, & ipsum vitalitium, pendet ex hoc, quod ipse emptor vitalitij tot vel tot annos viuet. Vt si plures *Confirmatio.* annos victurus sit, pretium sit maius: si pauciores, minus. Sed seclusa Dei reuelatione sciri non potest, quantum quisq; victurus sit; igitur nemo potest scire pretium adæquatum, valori vitalitij, & ita præfata emptio iustè fieri non potest.

TERTIO quòd huiusmodi emptio sit aliter peccaminosa apparet; quia illa emptio III. semper procedit ex radice infecta, scilicet, aut ex diffidentia de diuina prouisione, aut ex timore deficiendi in necessariis, aut ex solicitudine temporalium, aut ex cupiditate lucri, aut ex appetitu viuendi in otio: quæ omnia videntur illicita, vt ad præsens suppono. Deinde in tali contractu tam emens, quàm vendens, bona sua periculo fortunæ exponunt. *Confirmatio duplex.* I. Vt si emptor diu vixerit, perdet venditor: si ecõtrà breuì moriatur, perdet emptor. Et ita æquiparatur ludo alearum, qui solet communiter damnari, tunc maximè, quando gratia lucri fit. II. Adde quòd cùm lucrum vendẽtis, ex breuitate vitæ emptoris dependeat, & datur occasio, vt tales venditores desiderent mortem emptorum. Et ita nunquam, aut vix potest talis contractus sine peccato fieri.

Resolutio affirmatiua. *Cēsus vitalitius licitè pro pretio emi ac vendi potest.* *Probatur* I.

His tamen non obstantibus tenendnm est oppositum, scilicet, quòd vitalitium institui potest, & pro pretio emi, & vendi, tam pro vita ementis, quàm ipsius vendentis, aut alicuius alterius, non obstante humanæ vitæ incertitudine. Et de institutione gratuita non dubitatur; de emptione autem, & venditione probatur; quia licitum est alicui, contractum precarium facere, & est iure canonico, similiter & ciuili approbatus. De canonico patet 10. quæst. 2. cap. precariæ. &. capit. casellas. §. si œconomus. vbi iuris ciuilis approbatio ponitur, & habetur in. l. iubemus. §. sanè. C. de sacrosanct. Ecclesiis. Hic autem contractus talis est: Petrus habet prædium & dat illud Ecclesiæ, hac lege, vt Ecclesia ipsa, eidem ad vitam suam reassignet tria prædia, ad vsufructuandum, id est, ad percipiendum vsumfructum de illis, pro vita sua. Qui contractus non est, nisi vitalitium, vt constat, & non gratuitè factus: sed pro agro ab ipso censualista tradito, & cùm ager traditus pretio aliquo certo sit comparabilis, posset igitur de se idem vitalitium, pro pretio, agro æquiualenti, iustè emi. D

II. Praeterea, Petrus potest agrum suum Ioanni, ad vitam ipsius, pro certa pensione annuè soluenda, locare, quod nemo est, qui neget: in quo quid aliud agit Ioannes, quàm pro pensione per eum tradita, seu tradenda vitalitium sibi comparare? id est, ius percipiendi fructus illius agri, per vitam suam. Igitur vitalitium institui, & alteri tradi potest, non solùm gratuitè, sed etiam pro aliquo alio, in recompensam eius accepto: quòd cùm ita sit, sequitur, quòd potest etiam vendi, & emi pro pecunia; nam cùm infiniti valoris non sit, nil inconuenit, pecuniam aliquam illi vitalitio æquiualere. E

III. Praeterea in Clementina 1. de rebus Ecclesiæ non alienandis, habetur, quòd exigēte necessitate, vel Ecclesię vtilitate, potest prælatus reditus & possessiones Ecclesię ad vitam eius, seu ad aliud certum tempus, pecunia inde recepta concedere. Hoc autem non aliud est, quàm vitalitium pro pretio vendere, quale est ius percipiendi fructus, ex possessionibus, & reditibus sic concessis pro vita prælati. Et sicut pro vita prælati id fieri potest, ita nihil repugnat idem pro vita emētis fieri posse, & glossa ibidem in verbo, Eius. ait, pro vtriusque vita, tam vendentis, quàm ementis præfatum contractum fieri posse. Similiter prælatus Ecclesiæ non religiosus (vtputa rector) potest, sine alterius consensu, contrahere: etiam super bonis immobilibus Ecclesiæ, quando tantùm fit ad vitam rectoris, vt notat Panormi. in cap. veniens. de transactionibus.

Cēsus vitalitius vitiari potest, sicut & aliæ negotiationes.

Itaqve non dubitatur, posse vitalitium censum emi, & vendi, idque licitè, & iustè, modò iustum pro eo pretium tradatur: etiamsi contractus huiusmodi possit per multas circumstantias vitiari, sicut & reliquæ negotiationes. Non enim dubium est, posse Petrum se, & sua bona obligare, ad dandum Ioanni decem, per singulos annos, quibus vixerit, & tali obligationi correspondet in Ioanne ius, seu actio percipiendi & exigendi illa decem. Nec dubium est, huiusmodi ius Ioanni acquisitum, vtile esse ipsi Ioanni, ad ea, quæ vitæ humanæ sunt necessaria. Nec tale ius est valoris infiniti, cùm nec ager, in quo fundatus est, sit infiniti valoris, quem tamen constat, maioris esse valoris, quàm sit census in eo institutus. Sequitur ergo, quòd sicut est dabilis pecunia, quæ toti agro æquiualebat, quòd possit similiter dari pecunia, quæ præfato iuri vitalitio, similiter æquiualeat. Et ita pro illa poterit iustè emi, & vendi, sicut & ipse ager, in quo ius illud est institutū. Qualiter autem possit iustum pretium taxari, non est ita clarum. Esset vnus modus, pretium illud pro vitalitio taxandi, talis videlicet, habito respectu ad annos, quibus is, qui vitalitium vult emere (puta Petrus) potest, secundùm communem cursum naturæ viuere, attentis eius ætate, moribus, & complexione; ratione quorum potest de vnius vita magis quàm de alterius dubitari, & illo tempore, vitæ probabilis, assignato, & medio eius accepto, illud dicetur pretium iustum talis vitalitij quod æquiualeat toti summæ in illo tempore medio percipiendæ. Vt si Petrus sit sexagenarius, de quo est probabile, secundùm communem cursum naturæ, quòd amplius victurus est viginti annos: & est etiam satis contingens, ante vnum annum completum mori: Sumatur medium huius contingentiæ, & est decem anni; & ita si vult emere ius percipiendi decem ducatos quolibet anno vitæ residuæ, pretium iustum erit centum ducati, qui æquiualent toti summæ leuandæ, in præfatis annis decem. Ratio huius regulæ, seu modificationis, in promptu est, quia scilicet illo modo, æqua est vtriusque conditio, cùm ambo æquè se periculo, & lucro exponant. F

Modus primus, iustum pretium taxandi in censu vitalitio.

Ratio.

Vervm

Obiectio contra prædictum modum.

A VERVM statim se offert obiectio; quia si regula hæc vniuersaliter esset vera, dabitur quòd vitalitium,& census perpetuus(vbi cætera sint paria) sint eiusdem valoris,& pretij: imò quòd,cęteris paribus,vitalitium sit maioris valoris & pretij,quàm census perpetuus irredimibilis, quod est absurdum. Et sequela patet, si Petrus,qui sibi vult vitalitium decem ducatorum emere, sit iuuenis, puta viginti annorum, qui, secundùm communem cursum naturæ, potest annum octogesimum attingere: & similiter contingens est,ante annum vitam finire. Medium tempus,inter vigesimum & octogesimum est triginta anni,vt constat,& ita pretium iustum talis vitalitij esset, quanta esset summa tota in triginta annis percipienda: hæc autem est 300. ducati. Sed pro 300. ducatis, posset iustè, secundùm communem cursum, & approbatam consuetudinem, emi census perpetuus irredimibilis,quo singulis annis percipiantur plusquàm decem ducati(vt suppono.)igitur Corollarium illatum verum,quòd maius esset pretium præfati vitalitij,quàm census præfati perpetui irredimibilis.

Alius modus taxandi pretium in vitalitio. Hic modus similiter reiicitur.

ALIVS MODVS prædictum pretium taxandi esset, scilicet, quòd sit pretium tantum, quanta est summa tota percipienda per omnes annos, quos emptor potest secundùm communem cursum naturæ viuere. Verùm hæc regula, rigidior est, & non vera. Tum,quia esset iniquus cōtractus, ex quo longè melior esset conditio vendentis, quàm ementis,cùm vendens ponat se omninò in tuto:econtrà emens in periculo,vt de se constat.
B Tum etiam,quia sequitur idem inconueniens,quod suprà contra præcedentem regulam illatum fuit, & longè durius. Quia tunc si emptor sit iuuenis, puta 20.annorum, &potest,secundùm communem cursum naturæ,viuere vsque ad octogesimum annum, iustum pretium esset,quanta esset summa per 60.annos percipienda.Hęc autem est sexcenti ducati, cum quibus apertum est, posse iustè emi censum perpetuum irredimibilem, annuè leuandi in duplo plus, quàm per vitalitium percipitur. Ac proinde videtur (quod suprà etiam dixi) quòd pretium iustum horum censuum, non est commensurandum secundùm quantitatem summæ percipiendæ: sicut si ager totus ematur, eius pretium iustum non opus est æquari toti summæ fructuum percipiendorum, cùm sine dubio longè plures fructus percipientur,quàm sit valor pretij pro agro asignari.Nec etiam pretium iustum vitalitij, est secundùm primam regulam vniuersaliter taxandum, vt ratio satis clarè deducit,sed secundùm communem cursum & consuetudinem communiter approbatam à bonis,& prudentibus. In patria autem,seu regno,in quo talis consuetudo vitalitia emendi non reperitur, nec aliud manuductiuum, seu documentum, vnde pretij æqualitas sumi posit;videtur hoc manuductiuum deseruire, scilicet, attēta ætate, qualitate,officio,conditione,atque complexione ipsius,qui vitalitium vult emere:similiter & loci (in quo est habitaturus) temperie, seu qualitate, & cæteris, quæ solent vitam hominis prolongare,aut abbreuiare. Et ex opposito asignato aliquo certo pretio, si illud tantum sit, quod si homini prudenti daretur optio, ad vnum de duobus eligendum,
C puta, ius percipiendi decem,per singulos annos vitæ illius emptoris,aut præfatum pretium in promptu datum: & animus illius esset ad vnum, vel alterum eligendum indifferens,aut saltem parum plus, ad vnum, quàm ad alterum declinaret, illud diceretur pretium iustum illius vitalitij. Huius ratio est clara, quia cùm homo ille prudens sit,præsumitur eum scire commoditatem ex pretio illo homini euenibilem, & commoditatem similiter præfati vitalitij. Et cùm æquè ad vtrunque declinet, argumentum est, æquam fore pretij,&vitalitij commoditatem,iuxta rationabilem & discretam pręsumptionem. Sed in his non est multùm insistendum. Vnde apertum est emptionem vitalitij posse ita fieri, vt nec vsuraria sit, nec iniusta, nec aliter, vt arguebatur, peccaminosa.

Regula taxādi pretium in censu vitalitio, est communis cursus & consuetudo approbata.

Respōdetur nūc ad argumenta partis negatiuæ. Ad I.

AD RATIONES igitur, ante oppositum factas, respondetur. Ad primam, in qua arguitur, talem contractum vsurarium esse: Negatur.Nec contractus illi,qui pro similibus afferuntur, sunt similes. Et aperta est dissimilitudo; nam in primo est verum mutuum, cùm pecunia illa detur reuocabiliter,& maneat in mutuante actio ad mutuatam sortem. In secundo verò, nec pecunia datur reuocabiliter; nec in dante manet actio ad eam,sed ad pensionem certam annuè leuandam. Et si emptor breuì moriatur,nulla suis hæredibus actio relinquitur, contra venditorem vitalitij, qualiter relinqueretur, si verum mutuum fuisset.

Ad eiusdē confirmationem.

AD CONFIRMATIONEM dicendum,quòd spes lucri non semper reddit contractum vsurarium, aut vitiosum, alioqui omnis emptio, & venditio diceretur vsuraria, & vitiosa;

vitiosa; quia mercatores nunquam, aut quasi nunquam, emunt & vendũt, nisi intendentes aliquam commoditatem, quam (seclusa eorum mercatione) non assequerentur. Sed illa spes lucri, seu commoditatis reddit contractum vsurarium, qua lucrum, vel commoditas ex mutuo vltra sortem, intẽditur. Quod locum non habet in his, qui census emunt, siue perpetuos, siue temporales, vt constat. D

Ad II. Ad secundam dicendum, quòd etiam contractus vitalitius, potest ab iniustitia excusari, & pretium iustum pro illo assignari, vt suprà dictum est. Argumentum autem peccat, quia præsupponit quòd pretium iustum vitalitij, est taxandum secundùm probatiónem possibilis, aut probabilis ætatis, ipsius emptoris, quod suprà ostensum est esse falsum, sed taxandum est, vt suprà tetigimus.

Ad confirmationem eiusdem. Ad confirmationem dicendum, admisso quòd pretium esset augendum, aut econtrà minuendum, si certitudo de vitæ breuitate, aut longitudine emptoris haberetur: admisso etiam, quòd hæc certitudo humanitùs haberi non possit, non sequitur inde, quòd pretium iustum vitalitij, assignari non possit. Nec est necessaria præfata certitudo, ad huiusmodi pretium taxandum. Quemadmodum, vnius equi pretium esset augendum, aut minuendum, si certa de ipsius vitæ breuitate, aut longitudine haberetur cognitio; ea tamen non habita, iustum solet pretium pro eo assignari: sicut etiam de iactu retis in mari, solet communiter exemplificari, de cuius successu cùm nulla possit haberi certitudo, pretium tamen iustum pro illo taxatur: ita igitur in proposito. E

Ad III. Ad tertiam dicendum, esto quòd præfata emptio vitalitij posset peccaminosa fieri, ex animo deprauato ipsius emptoris; illa tamen deprauatio, & vitium potiùs ementis est, quàm ipsius emptionis in se, vt constat. Hoc idem posset, in quacunque alia rei venalis emptione accidere. Potest tamen emptor prædictus rectam habere intentionem, cùm vitalitium emit, puta à negotiis humanis abstinere, per quæ erat alioqui necessaria quæsiturus; vt ab illis semotus aliis melioribus operibus vacet, tam spiritualibus, quàm corporalibus: quod non modò absque alicuius præiudicio, sed cùm multorum profectu fieri potest.

Ad I. confirmatioñe eiusdem. Et ad id quod additur, ꝙ scilicet tam venditor, quàm emptor, bona sua periculo, & fortunæ exponant, sicut lusores &c. dicendum: Esto id ita sit, non ob id est præfatus contractus condemnandus; alioqui qui emunt, & vendunt iactum retis in mare, essent similiter condemnandi. Et qui emunt fructus terræ, aut vineæ ante eorum maturitatem (quando multis sunt periculis expositi) peccarent. Et qui emunt & vendunt res futuras pretio anticipato, ex iusta præsumptione taxato, similiter essent damnandi. Similiter qui merces (per mare vehendas) assecurant, earum periculum in se suscipiendo, peccarent. Quæ omnia suppono pro nunc falsa esse: & tamen sequela patet, quia in omnibus his, homo sua bona periculo, & fortunæ exponit, vt constat &c. Illi ergo culpandi sunt, qui sua bona periculo & fortunæ temerè exponunt. Sicut & qui personam suam in bello, periculo temerè exponit, non qui discretè, & prudenter &c. Quod de ludo ibidem dicitur, vide quod suprà de ludo alearum diximus. F

Ad II. confirmationem. Quod autem is, qui vitalitium vendit mortem emptoris desideret, accidit ipsi contractui, & culpa est vendentis, non contractus. Nam multi etiam filij desiderant mortem parentum, vt parentum bona possideant; non tamen ob id damnanda est institutio, qua institutum est, filios debere parentibus succedere &c. Et coadiutores, seu alij in beneficio aliorum successuri, sæpe illorum mortem desiderant non tamen ob id damnandum est ius, coadiutoribus aliisque successuris concessum.

De censu redimibili.

QVÆSTIO XV.

Pacta, quæ in cẽsu redimibili solent apponi.

I. Nunc de pactis, quæ contractui censuali solent apponi, breuiter videndum est. Hæc autem (vt intellexi) communiter, in regno hoc Toleti apponuntur, in censu redimibili, scilicet, quòd venditur census perpetuus, hac lege, vt quoties venditor, reddiderit emptori pretium acceptum, extinguatur census, & maneant bona venditoris, à censu illo libera.

II. Secundò, quòd interim quòd durat census, teneatur venditor bona

A bona illa (in quibus census est institutus) conseruare, & conseruata, atque bene reparata tenere; idque suis laboribus & expensis. Tertiò quòd illa bona, non possint per venditorem, absque censualistæ consensu, vendi, aut permutari, nec ea alteri hypothecari; alioqui eo ipso, omne ius quod in illa habebat, amittat, & integrum eorum dominium, in censualistam eo ipso transferatur: si tamen de consensu censualistæ ea vendiderit, teneatur decimam eidem censualistæ soluere. Quartò quòd si venditor per duos annos continuos steterit, quo minùs debitam pensionem soluat, eo ipso similiter bona illa amittat, & censualistæ applicentur. Quintò apponunt aliqui aliud pactum, quo scilicet ita tutus sit census, vt siue bona, in quibus est constitutus, pereant, siue non, semper ipse venditor, teneatur pensionem soluere; non obstante quocunque casu fortuito. III. IIII. V.

De V. pacto. An pactum redemptionis vitiet emptionem census. Argumenta pro parte affirmatiua.

De qvibvs pactis dubitatur, an vitient præfatum contractum. Et primò de pacto redemptionis: & arguitur quòd tale pactum vitiet emptionem census; quia dantur contractus vsurarij, simillimi contractui censuali facto cum pacto redemptionis; igitur hic similiter erit vsurarius. Antecedens patet; sit Petrus vsurarius, qui ait ad Ioannem, ego mutuo tibi centum ducatos, quos petis; & interim quousque mihi eos simul iunctos restitues, soluas mihi singulis annis octo, vel decem, prout inter se conueniunt: & quibusdam annis elapsis, Ioannes illa centum, quæ mutuo acceperat restituit; & Petrus tunc I.
B suam sortem recuperat, & vltrà sibi retinet pensiones, quas interim Ioannes soluerat, non computando illas in sortem. Iam talis contractus est vsurarius nomine, & re. Nomine, apparet; quia Ioannes mutuo petierat centum ducatos, & Petrus mutuo dixit se illi ducatos illos tradere. Re etiam idem apparet, cùm constet vltra sortem redditam aliquid Petrum ipsum lucrari. Et nihilominùs talis contractus nihil differt ab hoc, scilicet, quo Petrus dat centum ducatos Ioanni pro censu, quo de bonis ipsius singulis annis certam pensionem, puta octo percipiat, hac lege, vt quoties Ioannes idem pretium reddiderit, extinguatur census, fructus medij temporis in sortem non computando. Quòd enim simillimi sint, apparet; quia sunt eædem personæ, eadem pecunia data, & postmodùm reddita, eadem pensio singulis annis percepta: igitur. Alius casus: Petrus centum ducatis indigens, eos mutuo à Ioanne petit, Ioannes dat; non tamen sine pignore fructifero puta, agro, seu vinea, de qua interim, vsque mutuatum sibi reddatur, vult fructus percipere, & mutuato reddito, fructus medij temporis sibiipsi retinet, & lucratur, non computando illos in sortem. Hic est contractus vsurarius, & tamen simillimus est contractui censuali, adiecto pacto redemptionis, vt suprà: igitur. Alius casus: si legarem tibi viginti florenos, & mandarem hæredi meo, quòd toto tempore, quo tibi non præstarentur illa viginti, deberet tibi per hæredem meum dari aliqua quantitas annuè; tunc enim perinde esset, ac si tu illa viginti imbursares, & econtrà, ea dedisses hæredi meo pro iure percipiendi annuam pensionem, donec hæres meus tibi restitue-
C rit illa viginti, qui haberet liberam facultatem ius illud redimendi, soluendo illa viginti: iam primus casus est vsurarius: igitur secundus; cùm simillimi sint.

Confirmatur hoc ex Leuitico 25. ca. vbi cùm Dominus concesit, possessiones vendere cum pacto redemptionis, præcepit vt tempore redemptionis, fructus medij temporis computarentur in sortem. Sic enim ait; si venditor inuenerit pretium ad redimendum, computabuntur fructus ex eo tempore, qui vendidit, & quod reliquum est reddet emptori &c. Quæ quidem lex, cùm iusta fuerit, ex quo Deus nil iniustum facere, aut instituere posit, sequitur suam oppositam iniustam esse: scilicet, quòd tempore redemptionis, fructus medij temporis non computentur in sortem, sicut nec computantur in redemptione census priùs venditi. Confirmatio.

Secvndo, esto præfatus contractus vsurarius non sit, videtur tamen iniustus, & iniquus; quia non est vtriusque æqua conditio, sed melior est conditio vendentis; ex quo in eius libera potestate est rem venditam reddito pretio rehabere, velit nolit alter qui emit: aut etiam pretio accepto vti, prout sibi libuerit. Confirmatur; quia si licitus esset contractus præfatus cum pacto redemptionis, existente facultate redimendi in potestate venditoris: similiter esset licitus, si facultas redemptionis esset in potestate ipsius emptoris. Itaque si illud pactum, in fauorem venditoris appositum, contractum non vitiat: nec vitiabit illum, si in fauorem emptoris ponatur. Sed consequens est falsum; quia si ex parte ementis, præfatum pactum apponatur, erit contractus ille mutui; quia II.

eſt datio pecuniæ reuocabilis,pro voluntate ipſius dantis. Et tamen quòd æquè poſsit in fauorem vnius, ſicut & alterius, apponi, apparet in emptione aliarum rerum, puta equi, aut domus, aut agri, in qua poſſunt taliter conuenire, vt dicat venditor emptori; quandocunque tibi emptio diſplicuerit, reſcindatur contractus, & dabo tibi pretium, tu autem reddes mercem. Aut poſſent ambo ita conuenire, vt cuicunque eorum emptio & venditio diſplicuerit,reſcindatur contractus;in quo æqua erit vtriuſque conditio.Et tamen erit vſurarius contractus, aut iniuſtus, niſi fructus medij temporis computentur in ſortem; alioqui iterum melior eſſet conditio ementis, quàm vendentis. Cùm ergo hæc in contractu cenſuali redimibili non ſeruentur, conſequens eſt, illum eſſe iniquum. D

III. Tertio quòd præfatus contractus ſit illicitus eo modo, quo eſt in vſu, apparet; quia in contractu cenſuali appoſito pacto redemptionis in fauorem venditoris, datur pretium pro illo cenſu valde diminutum. Nam cenſus vnius floreni ſi irredimibilis ſit, communiter ſolet pro triginta florenis,parum,plus,minúſue emi,& eſt pretium iuſtum. Si autem pactum redemptionis apponatur, deſcenditur in pretio ad ſubduplum, & amplius,ita vt pro cenſu vnius floreni non dentur niſi quatuordecim floreni, & aliquando duodecim, & aliquando decem, vt experientia docet. Et ita eſt illic defraudatio vltra dimidium iuſti pretij. Modò autem quando aliquid emitur, adiecto pacto redemptionis,& pretium eſt diminutum,reprobatur contractus tanquam vſurarius; vt patet in capit.ad noſtram.de emptione & venditione.igitur contractus,de quo agimus,erit ſimiliter condemnandus. E

IIII. Qvarto,præfatus contractus videtur ex alia parte ſimiliter illicitus; quia ſcilicet conuenitur, vt tempore redemptionis idem pretium reddatur, quod fuerat tempore venditionis acceptum. Sed hoc videtur ſæpe iniquum eſſe; quia accidit, vt reditus, ſeu merx alia cum pacto redemptionis empta,valeat plus tempore redemptionis, quàm valuit tempore prioris venditionis. Obligare igitur emptorem, qui rem pro iuſto pretio emit,vt rem eandem poſteà reuendat, quando res maioris erit valoris, & vt non poſſit pretium valori rei correſpondens exigere, & accipere; ſed diminutum, videtur iniquum. Hoc autem fit in contractu præſenti, de quo agimus, vt conſtat. Sunt enim illic duæ emptiones, prior, & poſterior: ſicut ergo in priori, vt iuſta eſſet, debuit pretium valori rei pro tunc correſpondens, dari: ita in poſteriori, vt iuſta ſit, debet pretium valori rei pro tunc correſpondens, ſimiliter dari. Et ita non opus eſt, vt ſemper in redemptione detur idem pretium, quod fuit in priori emptione datum; alioqui licitus eſſet contractus,quo Petrus emit pullum pro decem,exempli gratia,hac lege,vt quandocunque venditor illi reddat illa decem, teneatur Petrus equum(etiamſi perfectus equus factus ſit)eidem reddere;cùm valeat tempore redemptionis centum ducatos. Eſſet etiam hic contractus licitus, quo Petrus vendit vnam fanecam tritici pro quatuor regalibus, quæ ſunt tunc pretium iuſtum eius, hac lege, vt illam vel aliam fanecam ſibi reuendat, pro eiſdem quatuor regalibus, quando Petrus illa quatuor regalia, quæ acceperat, reddat: & tamen accidit vt quando regalia reddit, faneca valet octo regalia. In quibus caſibus videtur apertè grauari emptor. F

Dubium I. circa I. argumentum propoſitũ. An licitus ſit cõtractus cenſualis adiecto pacto redemptionis in fauorem venditoris. Reſolutio affirmatiua.

In his, diuerſæ tanguntur difficultates, ad quas paulatim eſt reſpondendum. In prima illud tangitur, an ſit licitus contractus cenſualis, adiecto pacto redemptionis in fauorem ipſius venditoris. Et dicendum quòd ſic,quod patet primò ratione;quia ſecluſo illo pacto, contractus maneret licitus, vt ſupponimus: pactum autem tale adiectum, nec vlla lege prohibitum eſt, nec eſt alteri ex contrahentibus iniurioſum aut præiudiciale: igitur licitè apponitur. Quòd enim nulla lege ſit tale pactum prohibitum, ſuppono,& patebit ex dicendis.Quòd autem neutri eorum ſit iniurioſum,inde patet; quia nõ vendenti; cùm in eius fauorem apponatur, vt conſtat: non etiam ementi; ex quo ipſe ſciens,& ſponte nulla deceptione ſeductus,nulla preſſus neceſsitate,huiuſmodi onus in ſe ipſo ſuſcipit, quo ſe pro voto vendentis ad reuendendum obligat: volenti autem & conſentienti iniuria non fit.

Probatur I.

II. Praeterea ſi illicitus eſſet, hoc eſſet, vel quia vſurarius eſt; vel quia iniuſtus, ob pretij inæqualitatem; vel quia alteri eorum magis oneroſus, quàm alij. Sed hoc non: primò, vſurarius non eſt; quia pecunia non fuit data reuocabiliter; non enim manet

facultas

A facultas pretium repetendi, in ipso emptore, vt supponimus: Quamuis maneat in venditore facultas, ad reddendum pretium, & rem suam rehabendam. Iniustus etiam non est; quia suppono quòd sit datum iustum pretium, pro censu illo, cum tali onere suscepto; ille enim census cum tali onere susceptus alicuius valoris est, vt constat; & non infiniti: igitur dabile est pretium sibi correspondens, & illud erit iustum. Ac proinde si tale pro censu illo traditum sit, non erit contractus iniustus, ob pretij & mercis inæqualitatem, vt constat. Quòd autem alteri eorum sit magis quàm alteri onerosum, contractus iniustitiam non arguit; ex quo scienter, & voluntariè onus illud fuit per ipsum emptorem susceptum, in quo etiam gratiam fecit venditori. Quod inde ampliùs apertum est; quia vel emptor ratione oneris in se suscepti descendit in pretio, sicut descendere potuit, vel non. Si primum, iam ergo præfatum onus est per pretij diminutionem recompensatum; quia tantum descendit in pretio, quantum præfata oneris susceptio merebatur; & ita omnia erunt ad æqualitatem redacta. Si secundum, sequitur quòd emptor, apertam gratiam & beneficium facit ipsi venditori, gratìs & sine recompensa aliqua volens se venditori obligare, ad contractum rescindendum pro voto ipsius: & per consequens pactum tale appositum, & per emptorem acceptatum, non modò nõ facit ipsum emptorem culpabilem, sed laude potiùs, & præmio dignum. *Confirmatio prima.*

QVOD ITERVM confirmatur; quia si simpliciter quis emit reditum, seu rem aliam B venalem, & postmodùm ad preces venditoris, velit rem eandem reddito pretio venditori reuendere, non est condemnandus: ergo nec est condemnandus, si tempore contractus hoc ipsum voluerit, scilicet, se ad reuendendum obligare, reddito per venditorem eodem pretio. Antecedens est de se notum: & consequentia patet; quia sicut post contractum, ita in ipso contractu potuit emptor gratiam venditori facere, præfatum onus pro illo subeundo. *Secunda confirmatio.*

PRAETEREA quòd pactum redemptionis contractui appositum, non per se ipsum vitiet, apparet ex triplici iure. Primò ex diuino, ex Leuitico cap. 25. vbi Dominus præcipit, ne quis possesionem suam alteri venderet, nisi reseruata sibi facultate reemendi. Quod licèt fuerit veteris legis præceptum, & ad iudicialia mandata pertinens, atq; ideò nunc vim vllam non habeat; attamen deducitur inde emptionem alicuius rei adiecto pacto redemptionis, non esse de se malam; alioqui Deus tale præceptum in lege veteri minimè tradidisset. Hoc idem apparet in iure Canonico ex cap. ad nostram. de emptione & vendit. vbi damnatur emptio, cum pacto redemptionis facta, quando pretium nimis modicum pro re ipsa traditum est, vt suprà tangebatur: vnde à contrario colligi videtur, talem emptionem cum tali pacto factam (si iustum & non diminutum pretium tradatur) licitam esse. Idem ex iure ciuili apertè constat, in l. si fundum. C. de pactis inter empt. & vendi. vbi disponitur, quòd si parẽtes alicuius vendiderint fundum, eo pacto, quòd quandocunq;, vel infra certa tempora ipsi, vel eorum hæredes offerrent C pretium emptori: & hæres emptoris nollet obedire prædicto pacto; cùm tamen venditor, vel eius hæres paratus sit pretium restituere: tunc dabitur venditori, vel eius hæredi duplex actio cõtra emptorem, vel eius hæredem, scilicet actio præscriptis verbis, & actio ex vendito. Et nihilominùs tenebitur emptor ad restitutionem, vel refusionem eorum, quæ ex illo fundo ad emptorem post oblatam pecuniam peruenerint. Et ex aliis multis legibus hoc idem apertè deducitur, quod tanquam certum suppono. Quod cùm de emptione aliarum rerum venalium verum sit; sequitur hoc idem verum esse de emptione census, cùm census inter bona immobilia quamuis incorporalia, venalia tamen, connumeretur, vt habetur in Clement. exiui. §. cumq; annui. de verbo. signifi. *Tertia. Idem probatur ex triplici iure. Ex diuino. Ex Canonico. Ex ciuili.*

POSTREMO hoc idem in præsenti casu, de quo agimus, apertè declaratum est per Martinum Quintum in extrauagãte quæ incipit, Ad futuram rei memoriam &c. & idem etiam est declaratum per Calixtum Tertium, in sua extrauagante similiter incipiente. Qui super proposito casu consulti, hoc definierunt & declarârunt, scilicet, præfatum cõtractum censualem, cum pacto redemptionis, iusto interueniente pretio licitum esse: liberumq; esse venditoribus per redditionem accepti pretij præfatum censum extinguere. &c. Itaq; iam non videtur cuiquam licitum, rem hanc ampliùs in quæstioné vertere.

ADVERTE tamen quòd pręfatum pactum redemptionis in fauorem vendentis appositum, potest fieri cum tẽporis determinatione, & sine tẽporis determinatione. Secũdo modo sic, ꝙ quandocunq; venditor reddat pretiũ acceptũ extinguatur census, nullũ illi tem- *Pactum redemptionis in fauorem vendentis appositum, fieri dupliciter potest.*

illi tempus determinando. Primo modo sic, quòd venditor posſit infra duos aut tres D
annos cenſum redimere, alioqui maneat irredimibilis; aut ſic, quòd venditor poſsit cenſum redimere, poſt lapſum duorum, aut trium annorum, & non anteà: aut ſic, quòd venditor poſsit (quocunque anno velit) cenſum redimere; non tamen quacunque parte anni, ſed in fine anni. Et qualitercunque tale apponatur pactum redemptionis, poteſt contractus iuſtificari.

Vtrouis modo apponatur pactum, contractus licitus eſt.

ET QVIDEM ſi ſit pactum redemptionis, ſine temporis determinatione, notum eſt ex fundamentis ſuprà poſitis, ſimul & declaratione per Martinum, & Calixtum facta. Quòd autem idem verum ſit, ſi fiat pactum cum temporis determinatione vt dictum eſt, patet; quia cenſus cum aliquo ex pactis prędictis venditus, eſt alicuius valoris, vt conſtat, & non infiniti, vt certum eſt. Supereſt ergo, vt poſsit pretium finitum aſsignari, valori illius cenſus pactionalis proportionatum ſeu æquale: & ſi illud pro illo tradatur, iuſtus remanet contractus. Deinde (quodcunque ex illis pactis contractui apponatur) gratia fit ipſi venditori; cùm melior ſit ipſius conditio, ſi ſit ipſi poteſtas redimendi conceſſa, vt prædictum eſt, quàm ſi nullo modo ſit ipſi conceſſa. Quòd ſi ratione huius facultatis, emptor in pretio non deſcendat, non dubium, gratiam & beneficium ipſi venditori fieri. Si verò in pretio deſcenſum eſt, quantum ob præfatam facultatem venditori conceſſam merebatur, res ad æqualitatem eſt redacta. Et iterum fit, vt nulla illic fiat iniuſtitia. Itaque in his pactis prædictis ſi iuſtum pretium ſeruetur, non eſt emptio cenſus con- E
demnanda.

Quid obſeruandum ſit in taxatione pretij quò ad cenſum redimibilem.

IN TAXATIONE autem pretij, vt iuſtum ſit, habendus eſt reſpectus, non ad cenſum in ſe præciſè conſideratum; ſed etiam ad conditionem & pactum appoſitum, per quod emptor ſe libertate aliqua priuat, obligationem reuendendi ſubeundo; idque in fauorem & libertatem venditoris: & quantò maior illi libertas ad redimendum tribuitur, tantò magis licitum eſt in pretio deſcendere: & quanto minor, minùs. Vnde ſumma libertas quæ venditori ad redimendum concedi poteſt, eſt, vt quandocunq; ipſe velit, & poſsit, cenſum priùs venditum redimat: & tunc multùm in pretio licitum eſt deſcendere. Limitatur autem præfata libertas, per aſsignationem termini redemptionis. Qui terminus poteſt aſsignari, vt antè illum redimat, & non pòſt: aut pòſt illum redimat, & non antè. Et ſi aſsignetur, vt antè illum redimat, & non pòſt, quantò eſt maius tempus, ſeu maior terminus præfixus, tantò maior eſt venditoris libertas. Et ſi aſsignetur, vt poſteà, & non anteà cenſum redimat, quantò eſt extenſior terminus, tantò minor eſt venditoris libertas. Et ſecundùm hæc, poteſt parùm aut multùm in pretio deſcendi. Quare

Error quorundam in eiuſdē pretij taxatione.

falluntur qui pro eodem pretio volunt cenſum emere, non attendentes ad pactorum oppoſitorum varietatem, per quæ minor, aut maior libertas ad redimendum venditori conceditur. Pretium autem in quo dico eſſe ob diuerſa pacta, parùm aut multùm deſcendendum, eſt pretium illius cenſus, ſi redimibilis eſſet. Ab illo enim eſt, ſecundùm
exigentiam pacti, tantum vel tantum deſcendendum; nam contractus mixti quales ſunt F
hi, quibus huiuſmodi pacta & conditiones apponuntur, per ſimplices ſunt regulandi, non econtrà. Inter emptiones autem cenſuum, quæ ſimplicior eſt, eſt emptio cenſus perpetui irredimibilis.

Dubiū ſecundū circa confirmationem eiuſdem primi argumēti propoſiti.

An teneatur emptor tempore redēptionis, fructus medij temporis in ſortem computare.

Sentētia prima bimembris.

ESSET DVBIVM, quod in confirmatione argumenti primi tangebatur, an facultate redimendorum cenſuum, exiſtente in poteſtate vēditoris (ſic enim hactenùs proceſsimus) teneatur emptor tempore redemptionis, fructus medij temporis computare in ſortem? Et videtur dicere Panor. in cap. illo vos. de pignoribus. diſtinguendo de pacto redemptionis appoſito; nam ſi taliter ſit appoſitum, quod reſolutio contractus pendeat ex alio, & non ex voluntate venditoris (vt ſi tale fuerit, vendo tibi cenſum ſeu agrum, hac lege, vt ſi emptor melioris conditionis occurrerit, reddito tibi pretio, reſoluatur cōtractus, & cenſus extinguatur: vel ager ad me redeat, &c.) tunc tempore redem-
I. ptionis tenetur emptor fructus perceptos in ſortem computare; quia nō ſtetit per venditorem quo minùs cenſum anteà redimeret; quia nō anteà occurrerat emptor melio-
II. ris conditionis. Si tamen reſolutio contractus pendeat ex voluntate ipſius venditoris, vt ſi tale fuerit pactum, vendo tibi cenſum, vel agrum, hac lege, vt quando mihi diſplicuerit prefata venditio (reddito tibi pretio) reſcindatur cōtractus: tunc, ait, non tenetur emptor, tempore redemptionis fructus perceptos computare in pretio, eò quòd per venditorem ſtetit, quo minùs cenſum anteà redemerit; cùm in poteſtate ipſius erat, antequàm

emptor

A emptor fructus aliquos perciperet, de venditione facta pœnitere; ideò imputet sibi, si præfatis fructibus careat.

VERVM quicquid sit de præfata distinctione in foro iudiciali, attamen in foro conscientiæ difficultatem habet. Vnde videtur, quòd sicut in secundo membro, ita & in primo, poterit emptor fructus medij temporis sibi reseruare, non computando illos in pretio redemptionis, vel in neutro. Nam vel in casu proposito fuit vera emptio prior: vel fuit impignoratio, seu mutuum verum. Mutuum verum non fuit; quia nulla in emente actio ad pretium mansit, vt suppono. Impignoratio non fuit; nam census præfatus, si tempore medio qualitercunque periisset, ipsi censualistæ, seu emptori periisset: nec esset ob id, sibi pretium datum restituendum, etiamsi omninò, absque culpa censualistæ, periisset. Nec loco census sic perditi manet censualista obligatus, aliquid venditori reddere; etiamsi ex culpa censualistæ periret: ac proinde non est impignoratio, vt constat. Deinde impignoratio non est, nisi ad assecurationem debiti, quod impignorans debet creditori: sed facta venditione census, vel agri, seruata facultate redimendi ipsi venditori, in nullo manet venditor obligatus emptori, ratione cuius debiti assecurandi, agrum vel censum ipsi emptori impignorauerit, vt patet. Restat ergo, quòd illic sit vera emptio & venditio: ac proinde interim antequàm contractus rescinditur, res empta est ipsius emptoris: & per consequens, fructus inde prouenientes sunt similiter sui. Et ita B tempore redemptionis non tenetur fructus perceptos restituere, nec eos in pretio computare; siue redemptio pendeat ex voluntate venditoris, siue alterius. Quòd si verum mutuum fuerit, & vera impignoratio, fructus perceptos tenetur restituere, aut in sortem computare; vndecunque penderet redemptio per venditorem agenda. Et ita in foro cōscientiæ non satis video, quid præfata distinctio operetur, ad id, quod quæritur, scilicet, an percepti fructus sint tempore redemptionis in pretio computandi.

Oppugnatur hæc sententia.

AC PROINDE videtur aliter distinguendum de pacto redemptionis apposito, secundùm quod est pactum resolutiuum contractus, seu potiùs annullatiuum, vt si sic fiat venditio; vendo tibi censum, vel domum, vel agrum, hac lege, vt quandocunque pretium tibi reddidero, eo ipso contractus hic sit nullus, & perinde ac si factus non fuisset: & tunc propriè non est pactum redemptionis. Et ita quando redditur pretium, per vēditorem priùs acceptum, res priùs venditæ, cum omnibus fructibus inde perceptis, deductis laboribus & expensis, redeunt ad venditorem, non minùs quàm si venditio facta non fuisset. Aliud verò est pactum redemptionis, quod non est resolutiuum, seu annullatiunm contractus; & tunc contractus factus per subsequentem redemptionem non annullatur, sed interrumpitur, quo ad sui effectum; ita vt non habeat ampliùs emptor, illud ius ad rem emptam, & fructus inde percipiendos, quod habuit ante redemptionē. Et in hoc casu fructus medij temporis, nec restituendi sunt, nec in pretio redemptionis computandi.

Alia sententia etiā bimēbris. I. II.

C DIFFERVNT autem hæc duo pacta; quia si sit pactum resolutiuum contractus, non opus est alio secundo contractu redemptionis, sed eo ipso quo venditor pretium reddit seu deponit, acquirit rem, quam vendiderat. Si tamen sit pactum redemptionis, opus est secundo contractu, quo emptor iterum rem, quam emerat, priori venditori reuendat. Et ante hanc reuenditionem (etiamsi pretium reasśignet, & offerat, & deponat) non acquirit rem, quam vendiderat. Cùm ergo in contractu censuali, adiecto pacto redemptionis, prout communiter fit, nulla mentio fiat de nullitate, aut resolutione contractus; sed quoties venditor reddiderit pretium ipsi emptori, extinguatur census, & possessiones venditoris, à præfato censu ex tunc maneant omninò liberæ: tunc, cùm contractus priùs factus non resoluatur, nec annulletur, consequens est emptorem nec teneri, fructus perceptos restituere: nec eos in pretio redemptionis computare. Illud enim pactum taliter adiectum æquiparatur pacto redemptionis.

Ratio distinctionis datæ.

DE HIS VIDE si vis, C. de pactis inter emptorem & venditorem. l. si fundum &c. & l. si à te. in quibus legibus ponuntur casus de vtroque pacto. Cognoscitur autem pactum resolutiuum per exemplum ibidem positum: vbi disponitur, quòd si A. emisset à B. aliquam rem eo pacto interueniente, quòd si B. intra certum tempus restituat pretium, illa res sit inempta: tunc B. poterit venditionem resoluere per hoc quòd offert pretium &c.

SEQVI-

Corollarium. Quoties emptio census est nulla, tenetur emptor pẽsiones receptas restituere, aut in sortem computare.

SEQVITVR hinc, quòd quoties emptio census ob aliquam causam est nulla; quia scilicet venditor potestatem non habuit, ad censum illum vendendum, nec in bonis illis instituendum; quia vel non erant sua, vel erant aliis censibus onerata, aut etiam fuit census ille institutus, sine authoritate superioris, si fortè illa erat necessaria, aut ob aliquam aliam causam, emptionem annullantem aut dissoluentem; non poterit virtute talis emptionis, ipse emptor pensiones illius census accipere; sed receptas tenebitur restituere, aut in sortem computare: & debet suo pretio esse contentus, eò quòd proinde est ac si censum illum non emisset. Habebit tamen actionem contra venditorem ad interesse tam damni emergentis, quàm lucri cessantis, si quod fortè ex tali contractu emptor ipse passus est: excepto, nisi sciens rei defectum & contractus nullitatem, eum voluerit inire; quia tunc sibi, non alteri erit id imputandum. Si tamen cum bona fide censum illum emit, & cum eadem fructus percepit & consumpsit, de consumptis cum bona fide non tenebitur. D

Aliud dubium. An pretium tẽpore redemptionis esse debeat æquale pretio prius dato tempore emptionis.

INDE ALIA oritur dubitatio, an ad iustificationem contractus sit necessarium, quòd pretium tempore redemptionis sit æquale pretio priùs dato, tempore emptionis; an licitum sit pacisci de alio pretio, scilicet maiori, quàm fuit pretium emptionis; aut saltem licitum sit pacisci, quòd tempore redemptionis dabitur pretium, prout tunc res ipsa valuerit? Nam stat quòd valeat plus, tempore redemptionis, quàm valuit tempore prioris emptionis. Et facit difficultatem. cap. illo vos. de pignoribus. vbi damnatur quidam, qui cùm certam pecuniæ summam (acceptis agris, seu terris) alteri dedisset, pacto redemptionis apposito, addidit vt tempore redemptionis restituta præfata pecunia, aliquid ampliùs eidem daret, offerens simul se ad computandum fructus medij temporis in sorte: vnde argumentum sumitur, quòd si emptio rei cum pacto redemptionis damnatur, de maiori pretio tempore redemptionis conueniendo, fructibus medij temporis in sorte computatis: à fortiori ergo damnabitur idem contractus, fructibus illis in pretio redemptionis non computatis, ex quo maior gratia fit venditori fructus computando, quàm non computando, vt constat. Et quanquam casus illius capituli sit, quãdo emptor reseruat sibi facultatem reuendendi: attamen quantum ad difficultatem propositam, perinde est ac si facultas redemptionis esset in potestate venditoris; eò quòd cùm Papa illum contractum condemnauit, non habuit respectum ad facultatem redimendi in hoc vel illo existentem; sed ad hoc quòd emptor exigit maius pretium, tempore redemptionis sibi tradi, quàm ipse tradiderat: & quòd volebat fructus medij temporis in pretio computare. Hæc autem ratio condemnationis, æquè habet locum quando facultas redimendi est in potestate venditoris, sicut si esset in potestate emptoris, vt constat. E

Argumenta pro sententia affirmatiua.

I. (see above: argument begins "Nam stat…")

II. SECVNDO, quia per illud pactum quòd scilicet venditor tempore redemptionis maius pretium emptori soluat, quàm ipse priùs soluerat, est melior conditio emptoris quàm venditoris; cùm ex parte emptoris certum sit lucrum, ex parte autem venditoris certum sit damnum; cùm rem suam rehabere non possit, nisi vltra pretium restitutum, aliquid de suis bonis (alioqui indebitum) soluat. F

III. TERTIO quòd contractus huiusmodi à vitio excusari non possit, nec ab iniquitate, apparet; quia pretium quod emptor dedit, fuit pretium iustum: igitur pretium maius, quòd pro eadem re exigit, tempore redemptionis, erit iniustum: aut si pretium illud maius, quod tempore redemptionis est virtute contractus dandum, est iustum: igitur pretium ab emptore datum, fuit iniustum. Ac proinde vt æquitas & iustitia vtrobiq; seruetur, oportet pretium redemptionis non esse maius, quàm fuit pretium emptionis. Propter has rationes, motus est Conradus q. 84. post alios Doctores, ad tenendum id, quod rationes ipsæ prætendunt.

Oppugnatur dicta sentẽtia affirmatiua. Et probatur illã æqualitatem in proposito nõ esse necessariam.

MIHI TAMEN non videntur motiua hæc admodùm efficacia, ad probandum, necessarium esse ad contractus iustificationẽ, quòd pretium redemptionis, sit æquale pretio emptionis: siue sit pactum, de computãdo fructus medij temporis in ꝑtio, de quo est casus textus citati, siue non sit tale pactum. Et loquamur primò, quando ex pacto non sunt præfati fructus in sortem computandi. Cùm igitur in huiusmodi contractu, cum pacto redemptionis seu de retrò vendendo celebrato, duæ venditiones cõtineantur, altera quæ actu fit: altera scilicet reuenditio quæ sub pacto ponitur; necessarium est ad iustitiam contractus, quòd vtrobiq; ęqualitas inter pretium, & mercẽ seruetur. Sed stat quòd

tempore

A tempore reuenditionis, res quæ reuenditur sit maioris valoris & pretij, quàm erat, quando primò fuit vendita: igitur non erit iniquum, si in tali casu maius fuit pretium redemptionis, quàm fuerit pretium emptionis. Et per consequens non erit iniquum, tale pactum apponere, quòd scilicet tempore redemptionis vẽditor soluat maius pretium pro re illa rehabenda, quàm fuerit pro ea datũ, si res in valore ac ꝑtio postmodùm creuerit. Pro quo etiã faciunt exempla, quæ suprà in quarto argumento principali adduximus.

Et confirmatvr; quia supposito quòd emptor in priori emptione pretium iustum tradiderit, & posteà alij tertio eandem rem vendat; poterit ab illo tertio, pretium correspondens valori ipsius rei; tempore illius secundæ venditionis exigere; etiamsi maius longè sit, quàm fuerit pretium ab eo priùs datum; nam stat quòd res tempore reuenditionis sit meliorata: igitur etiamsi eandem rem posteà velit ipse venditor reemere, poterit ab eodem sicut ab alio tertio, maius pretium pro illa exigere, quàm ipse priùs pro eadem dederat; & per consequens, si tempore contractus velit venditor emptorem obligare, ad rem eandem eidem venditori reuendendam, iustè poterit emptor pactum acceptare, taliter, vt venditor posteà tempore redemptionis, augeat pretium, ad augmentum valoris ipsius mercis. *Confirmatio I.*

Confirmatvr iterum; quia si Petrus vendat Ioanni domum pro iusto pretio, adiecto pacto quòd Ioannes aliam suam domum quam habet, vendat posteà eidẽ Petro, B quando ipse Petrus cum pecunia parata id petierit: Ioannes poterit pactum illud acceptare, tali lege, si Petrus eidem pro domo illa posteà vendenda, pretium eius iustum dederit. Et sit ita, quòd domus Ioannis, posteà vendenda, valeat plus, quàm valet domus quam Petrus priùs vendidit: Iam talis contractus cum pręfatis pactis est licitus, & iustus: & tamen in pacto tacitè ponitur, quòd pretium pro secunda domo dandum, debeat esse maius quàm pretium pro prima datum; idque quia plus valet secunda domus, quàm prima. Igitur pari forma, si Petrus vendat Ioanni domum illam, adiecto pacto, quòd Petrus teneatur illam eandem posteà (etiamsi plus valuerit) eidem Ioanni reuendere, iustè poterit Ioannes pactum acceptare, hac lege, vt Petrus posteà pretium augeat, iuxta valorem ipsius domus, quem tempore redemptionis habebit. Nam quantum ad iustificationem contractus, nihil refert quòd venditor obliget emptorem, ad posteà eãdem domum vel alteram eidem vendendam, modò vtrobiq; iustum seruetur pretium. Et ita in casu quo ponitur pactum de vendendo alteram, causa augendi pretium in illius venditione, est maior valor illius: sed eadem penitus causa reperitur in casu, quo pactum ponitur de reuendendo eandem domum, si tempore redemptionis sit ipsa maioris valoris, quàm priùs. Et in his omnibus, non est necessarium fructus medij temporis, in pretio computare, vt patet. *Cõfirmatio II.*

Itaqve dicendum primò, si tempore contractus certum est, rem venditam plus esse posteà valituram, & apponatur pactum redemptionis; iustè poterit per emptorem C tale pactum acceptari, tali addita conditione, quòd venditor maius pretium det tempore redemptionis, quàm ipse acceperit. Et hoc, vel relinquendo pretij determinationem pendentem, vsq; ad ipsam redemptionem; vel illud illicò determinando, taliter vt tantum sit quòd æquè dubium sit, rem tempore redemptionis plus, minúsue valituram: iuxta cap. nauiganti. de vsuris. & cap. in ciuitate. ibidem. Si autem tempore contractus facti cum pacto redemptionis, sit certum rem illam idem valituram posteà, quod nunc valet; aut verisimile non sit eam posteà plus valituram: tunc iniquum est pactum, si emptor velit venditorem obligare, ad augendum pretium tempore redemptionis, pro re ipsa reuendita. Et procedit hoc dictum pro vtraq; sui parte, casu quo emptor iustũ pretium pro censu vel re ipsa empta dederit, non habito respectu ad pactum adiectum, de vendendo rem eandem. Pro quo tamen pacto, potest licitè aliquid à venditore exigere, cæteris eodem modo se habentibus. *Conclusio I.*

Dico secundò, quòd esto certum sit, rem illam non esse posteà plus valituram, quàm valeat tempore contractus, non est per se damnandum huiusmodi pactum, quo scilicet venditor teneatur tempore redemptionis maius pretium dare, quàm ipse acceperit. Id etiam patet, supposito quòd emptor nihil à pretio iusto rei emptę defalcauerit, ob pactum redemptionis in fauorẽ venditoris appositum; dummodò illud incremẽtum ꝑtij quod exigit, tantum sit, quantũ emptor merebatur, ob id quòd onus illud rem illã reuendendi subierit. Imò in hoc gratiã facit venditori; quia cùm possit statim tẽpore *Conclusio II.*

contra-

contractus pretium rei emptæ, iuxta onus reddendi in se susceptum minuere nihil tamen tunc minuit, sed id ipsum quod merebamur, per tempus posteà soluendum expectauit. D

Conclusio III. DICO TERTIO quòd si emptor rem seu censum emat, cum pacto redemptionis in fauorem venditoris apposito, hac lege; vt venditor tempore redemptionis pretium augeat, & quòd ipse emptor fructus medij temporis, in pretio computabit; non est secundùm se damnandum, & iniquum. Patet hoc si emptor pretium iustum rei dedit, nihil ob pactum redemptionis defalcando; sed loco talis defalcationis faciendæ, præfatum pretij incrementum, suo tempore soluendum, exigendo. Hoc de se nõ est condemnandum, vt ex dictis patet. Sed hoc aliud, quod est fructus medij temporis velle in pretio computare, non est de se malum, nec alteri eorum præiudiciale; quia non ipsi emptori, qui potest spontè gratiam venditori facere: nec ipsi venditori; cùm hoc in eius fauorem cedat, vt constat. Ac proinde intentione sana existente, quæ nihil in fraudem vsuræ facere intendat, talis contractus in re est licitus, cùm intentio emptoris non sit mutuare, sed purè vendere, & gratiam venditori facere.

Conclusio IIII. IMO ADDO quartò, quòd si emptor à iusto pretio rei emptæ tantum defalcauit, quantum pactum redemptionis in fauorem venditoris appositum merebatur, & vltrà velit venditorem obligare, vt tempore redemptionis augeat pretium, & ipse fructus medij temporis in pretio computabit: non est de se damnandum. Nam illic æquiualenter sunt tres contractus, quorum quilibet est licitus. Primus, quo res illa emitur pro iusto pretio: secundus, quo pro onere, quoad reuendendam rem illam, emptor sibi pretium rei quodammodò minuit, sed moderatè: tertius, quo fructus medij temporis se obligat in pretio computare, loco incrementi pretij, quod tempore redemptionis augendum est. Et primum & secundum contractus constat licitos secundùm se esse; de tertio idem patet; quia hæc obligatio qua se ad fructus medios in pretio computandos obligat, alicuius valoris est, & vtile & commodum est ipsi venditori, vt constat. Et cùm emptor illam obligationem, pro ipso venditore gratìs subire non teneatur; sequitur quòd potest se ad id pro aliquo pretio proportionato obligare; non obstante incertitudine, quæ de quantitate fructuum percipiendorum habetur. Sicut non obstante incertitudine piscium capiendorum, & fructuum tempore messis colligendorum, potest quis se obligare, ad eos pro pretio aliquo alteri tradendo. Et per consequens casus ille totus poterit iustificari in re ipsa; modò (vt dixi) sana sit semper ementis intentio. Non obstante quòd tales contractus, ante factum sint dissuadendi; quia habẽt speciem mali, & similimi sunt impignorationi; & ideò præsumuntur in fraudem vsurarum fieri. E

Respõdetur ad argumenta cõtraria.

Ad I. AD MOTIVA igitur suprà pro Conrado adducta, facile est respõdere. Ad primum sumptum ex cap. illo vos. de pignoribus. dicendum, quòd textus damnat contractum illum, potiùs ex præsumptione quàm ex rei veritate; ideò scilicet, quia valde assimilatur impignorationi; eò quòd emptor vult fructus medios in pretio computare: & etiã quia qui contractum illum fecerat erat vsurarius, & ita præsumitur eum mutuare potiùs, quàm verè emere, intendere, & ex mutuo lucrum quærere. Et talibus præsumptionibus stantibus, non dubium peccatum esse, tales contractus facere; quia scandalizatiui sunt simul, & contrahentium infamatiui. Cum hoc tamen stat, veritatem tali præsumptioni opponi, & tunc in conscientia veritati poterit stari, etiamsi iudices iuxta iuris præsumptionem debeant iudicare. F

Ad II. AD SECVNDVM dicendum, quòd falsum est esse meliorem conditionem emptoris quàm venditoris, sed potiùs æqualem in casibus suprà iustificatis, cùm omnia possint ad æqualitatem reduci, vti expositum est. Falsum etiam est, quòd certum sit lucrum emptoris, & damnum venditoris (accipiendo lucrum pro commodo alioqui indebito) nam esto maius pretium sibi sit tempore redemptionis reddendum, quàm ipse dederat; illud tamen incrementum debetur emptori, vel ob valorem rei auctum, vel loco defalcationis, quam à iusto pretio (ratione pacti redemptionis) potuit facere, & non fecit; & ita æqua mansit vtriusq; conditio.

Ad III. AD TERTIVM dicendum, quòd stat, vtrunque pretium tam emptionis, quàm redemptionis iustum esse, etiamsi æqualia non sint, eò quòd rei venditæ valor potest diuersis temporibus varius esse, vt satis ex dictis constat. Et ita ratio nihil aliud probat, nisi tunc contractum illum esse damnandum, in quo conuenitur de maiori pretio tempore redem-

A redemptionis, quàm fuit datum tempore emptionis; quando scilicet à pretio rei iusto, id quod potuit ob pactum redemptionis defalcari, fuit defalcatum: & cum hoc etiam tempore contractus verisimile non est, rem emptam plus tempore redemptionis esse valituram; secùs si singula, quæ suprà dicta sunt, considerentur, & seruentur.

HIC TAMEN est vnum addendum, pro clariori eorum, quæ dixi, notitia habenda, simul & pro communis sententiæ intelligentia, vt contraria sententia, & hæc nostra quam explicuimus, possint ad concordiam reduci; quòd quando in huiusmodi contractibus, alter ex contrahentibus pactum in fauorem sui apponit, ratione cuius alterum onerat; ille alter poterit in recompensam præfati oneris, quod gratìs pro alio subire non tenetur, aliquid aliud exigere, quod similiter in sui cedat fauorem, siue sit pretium, siue aliud pretio commensurabile. Et quantò plura onera alter, ad alterius instantiam subit, tantò maius pretium potest in recompensam ab illo altero exigere. Quod fundamentum, ad innumeros casus decidendos valet: ad propositum tamen nostrum id applicando, dicendum; si Petrus censum, aut rem aliam à Ioanne emit, pro qua Petrus pretium integrum, & iustum ipsius rei emptæ tradere intendit: Ioannes potest pactum apponere, quòd Petrus teneatur, quando Ioannes voluerit, rem eandem eidem reuendere, non determinando pretium redemptionis: sed vt teneatur Petrus rem illam reuendere pro pretio, quod res tempore redemptionis valuerit, & hoc est in fauorem suum. Potest B etiam in pacto exigere, vt Petrus rem illam teneatur sibi posteà reuendere, pro eodem pretio quod ipse accepit, etiamsi res posteà in valore ascenderit: & hoc est magis in fauorem suum.

Quatenus dictæ sententiæ possint concordari.

In cōtractu, quò plura onera alter ad alterius instantiā subit, eò potest ab eodē maius pretiū in recompensam exigere.

Explicatur hoc fundamentum exemplis.

I.

SI IOANNES sine pretij determinatione exigit, vt Petrus teneatur rem illam ipsi Ioanni reuendere, loco huius potest suam recompensam Petrus exigere, etiamsi pactum fuit de reuendendo rem, pro pretio tempore redemptionis cursuro. Recompensa autem fieri potest vel pretium emptionis minuendo, vel pretium redemptionis augendo, vt satis expositum est. Et in tali casu nulla est iniustitia, si minus pretium sit ab initio datum, & maius tempore redemptionis redditum; si illa minoritas prioris pretij, aut maioritas secundi, sit propter onus reuendendi ab emptore susceptum; esto quòd res in valore non ascenderit. II.

SI TAMEN Ioannes in pacto exigit, non solùm quòd Petrus teneatur rem sibi posteà reuendere, sed determinat pretium, puta pro aliquo quod est verisimile quòd erit longè minus, quàm res tempore redemptionis valebit, poterit in recompensam exigere Petrus aliquid ab eodem Ioanne, puta vt ampliùs descendatur in pretio emptionis. Et ita tunc poterit duas defalcationes facere; alteram ratione pacti de retrò vendendo: alteram ratione pacti de retrò vendendo pro minori, quàm res valuerit tempore redemptionis. III.

SI DENIQVE Ioannes in pacto exigit, quòd Petrus teneatur rem illam retrò ven- IIII.
C dere, pro eodem pretio, quod ipse accepit, sicut est in communi practica, siue res creuerit in valore, siue non, & tamen sit verisimile rem plus valituram: tunc duplex etiam fiet defalcatio à pretio iusto ipsius rei: altera, quia arctat illum ad reuendendum: altera, quia arctat illum ad pretium determinatum, quod minus est, quàm verisimiliter putatur fore tempore redemptionis, vt dictum est. Quòd enim hæc onera diuersa sint, & vtrunque pretio æstimabile, patet; quia si quis ad alterius instantiam, se obligat ad vendendam illi posteà domum quam habet pro pretio tempore emptionis cursuro, etiamsi credat domum plus tunc valituram, quàm nunc, potest pro tali onere aliquid exigere, vt constat. Potest etiam se obligare ad vendendam domum pro minori pretio, quàm valebit tempore, quo eam emet; & hoc onus aliud est à priori, & potest pro illo ampliùs exigere: ita igitur in proposito. Et facta illa duplici defalcatione, manebit iustus & æqualis contractus. Si tamen non est verisimile, rem in valore ascensuram, sed in eodem permansuram tempore redemptionis, fiat vna defalcatio à pretio iusto ipsius rei; sed aliquantulum maior, quàm si esset pactum de reuendendo, pro pretio cursuro tempore reuenditionis. Cuius ratio est clara; quia si esset pactum de reuendendo, pro pretio cursuro, quod exempli gratia erit centum; & nunc etiam tempore emptionis pretium rei in se est etiam centum; aliquid est defalcandum ab hoc pretio manente ipso venditore obligato, ad reemendum pro centum. Si igitur pactum est, vt fiat reuenditio pro

Limitatio huius quarti exempli.

pretio in emptione dato, quod est pretium rei quodammodò diminutum ob prædictam defalcationem; igitur venditor non vult manere obligatus, ad danda centum tempore redemptionis, sed minus. Et per consequens, hac ratione debet maior defalcatio, à pretio emptionis fieri: & illa facta, manet æqua vtriusque conditio, & contractus iustus; & ita patet intelligentia dictarum opinionum, quæ inter se contrariæ videbantur. Nam prior, quæ ait contractum emptionis cum pacto redemptionis iniquum esse, si secundùm pretium sit inæquale priori, procedit, quando integra facta est à priori pretio defalcatio, iuxta exigentiam totius pacti. Quam autem nos probauimus, procedit opposito modo, quando non fuit integra defalcatio facta, & ita omnia cohærent. D

Aliud dubium. An liceat in emptione censûs cũ pacto redẽptionis per vẽditorẽ apposito, in ptio descendere. Sentẽtia prima negatiua.

EX DICTIS alia nascitur dubitatio, an scilicet certum sit, quod pro certo præsuppositum est, scilicet, quòd in emptione census cum pacto redemptionis, per venditorem apposito, licitum sit in pretio descendere, minus scilicet dando, quàm daretur, si census esset irredimibilis. Quæ difficultas suprà, in tertio argumento principali tangebatur: & dixit Henricus de Hoitam, quòd non. Imò quòd tantum pretium, debet pro censu, seu re redimibili dari, quantum si irredimibilis esset. Probatur primò; quia res

Argumentũ I. (cùm eadem sit, nec per verba nostra mutata) eundem valorem habet vendita cum pacto redemptionis, quem haberet sine huiusmodi pacto. Quandoquidem pactum appositum, sicut naturam rei non variat, ita nec eius valorem; vt vnus pulcher equus, tantum valet venditus cum pacto redemptionis, sicut sine illo. E

II. SECVNDO, si esset licitum in pretio ob præfatum pactum descendere, ideò esset, quia aliàs fieret præiudicium aliquod seu damnum emptori; sed hoc non: nam si venditor nunquam redimet rem quam vendiderat, tunc emptor, ita bene rem illam possidebit, ac si sine pacto redemptionis eam emisset. Si autem venditor eam vnquam redimet, tunc idem pretium quod emptor dederat, eidem reddetur; & vltrà erit lucratus fructus medij temporis; igitur nullum emptori præiudicium fit, si pretium rei integrum pro ea soluat.

III TERTIO, quia qui propter præfatum pactum descendit in pretio alioqui iusto, agit contra charitatem proximi, ex qua tenemur proximum sicut nosmet diligere: & eum in suis necessitatibus adiuuare, non verbo tantùm, sed opere, & veritate, prout ait Ioannes

1. Ioan. 3. in sua Canonica: Oppositum tamen agit, qui proximo rem suam ob necessitatem vendenti, minus pretium illi dat, quàm res in se valeat, ob pactum reuenditionis; cùm ex tali pacto nullum illi præiudicium fiat.

IIII. QVARTO, quia in cap. ad nostram. de emptione & venditione. damnatur emptio facta cum pacto redemptionis, ob diminutum pretium pro re illa datum; maximè cùm soleat pretium adeò diminutum, pro censu redimibili dari, vt medietatem iusti pretij non attingat, vt suprà in tertio argumento principali deducebatur.

Sentẽtia secũda affirmatiua. Probatur. Primo ex parte emptoris.

OPPOSITVM tamen videbitur cum Gersone & cæteris Doctoribus tenendum. F Cuius ratio aperta est, tam ex parte ementis, quàm ex parte vendentis, quàm etiam ex parte ipsius rei, cum pacto redemptionis venditæ. Ex parte quidem emptoris; nam qui rem seu censum emit, cum pacto redemptionis in fauorem venditoris apposito, manet obligatus post rem emptam, eam, quando venditor petierit, illi reuendere, velit nolit ipse emptor: hoc autẽ onus, & obligatio, pretio est æstimabilis: igitur tantũ poterit emptor in pretio census descendere, quantum potest ipsa oneris susceptio æstimari. Vnde inde mutuatio illa dicitur vsuraria, qua quis alteri mutuat hoc pacto, vt mutuatarius teneatur posteà res suas mutuanti vendere, velit nolit; aut res ipsius mutuantis emere, velit nolit: vt suprà in hoc Codice, de vsura ostensum est; & non nisi quia præfata obligatio mutuatario imposita, est pretio æstimabilis.

Secundo ex parte venditoris.

EX PARTE etiam venditoris idem apparet; quia non est iustum, venditorem tantum pretium pro re per eum vendita exigere, quando non transfert completum dominium illius rei in emptorem, quantum exigere posset, completum dominium in emptorem transferendo. Modò autem in venditione rei cum pacto redemptionis, venditor ipse reseruat sibi ius quoddam, ad rem ipsam venditam; nam quando pretium reddiderit, poterit rem ad se retrahere, inuito possessore, vt constat; igitur licitum erit, imò iustum, in pretio talis rei, taliter venditæ descendere, ex parte etiam ipsius rei sic venditæ.

Idque

Tertio ex parte ipsius rei Vendita.

A Idque patet; quia res aliquo onere onerata, seu obligata, non est simpliciter tanti valoris, quanti esset si omninò à tali onere esset libera. Vnde fundus per quem potest quis inuito possessore, riuulum in agrum suum ducere aut currum suum cum iumentis agere; non est tanti valoris, in communi hominum æstimatione, quanti esset si tali oneri non subiiceretur. Et domus per cuius solum aquæ puteales, aut fluuiales alterius domus emittuntur, non est tanti pretij, quanti esset ab illo onere libera: igitur res seu census reuenditioni contra voluntatem possessoris subiectus, minus valet, quàm si ab illo onere esset immunis. Vnde, vt in Leuitico cap. 25. legimus, possessiones quæ non sine præfato onere vendebantur, tantò viliùs emebantur (Deo instituente) quantò propinquior erat annus Iubilei, in quo ad priorem possessorem redibant. Et quanquam tunc temporis fructus medij temporis, computarentur in pretio, accidit tamen hoc emptioni rei redimibilis. Ipsum enim pactum redemptionis appositum, per se facit rem posse viliùs emi, siue fructus medij temporis in sortem computentur, siue non.

Quantum sit in pretio descendendum in proposito, ratione pacti de redimendo.

QVANTVM autem sit in pretio descendendum, non ita per regulam certam appareat, nisi ad communem patriæ consuetudinem, inter bonos & non tales approbatam, recurramus. Hæc enim est, vbi taxa Principis deest, quæ pretium iustum rerum determinat. Ac proinde parum refert pretium pro censu redimibili, datum esse dimidium, aut infrà, respectu pretij iusti eiusdem census irredimibilis; modò pretium illud diminutum B sit per loci aut patriæ communem consuetudinem, inter diuites & pauperes, bonos, & non tales approbatum. Quòd si vltra præfatam communem consuetudinem, quis in pretio descendat, iam erit iniustum pretium ob sui diminutionem. Vnde fit, vt in diuersis locis & temporibus aliud & aliud sit iustum pretium huiusmodi censuum, sicut & reliquarum rerum venalium, vt de se satis constat: imò & in eodem loco & tempore, stat æqualem censum redimibilem plus aut minus valere, prout tutior est, & à periculis magis remotus; nam qui pluribus est periculis expositus, minus valet, vt satis certum est.

Corollarium I.

SEQVITVR ex dictis, quòd si Petrus olim emit censum aliquem pro decem, & successu temporis, imò & nūc (si census ille de nouo emeretur) valeret quindecim; eò quòd rerum similium pretium variatum est, non tenetur in conscientia pretium olim datum augere, vsque ad pretium nunc currens, puta ad quindecim. Nec tenetur minorem pensionem, quam solitus est ob id recipere; sed tutus erit solitam pensionem recipiendo, & nihil in pretio augendo. Idque supposito, quòd tempore quo illum censum emit pro decem, ipsa decem fuerint iustum pretium, tunc communiter currens. Corollarium est clarum à simili: si Petrus tunc emisset domum, quæ pro tunc valebat centum, & erat hoc pretium iustum eiusdem, nunc autem domuum valor ascendit ad duplum; ita vt si domus illa nunc venderetur, pretium iustum eius essent ducenta, tutus est in conscientia Petrus, etiamsi pretium paruum olim datum non augeat, & fructum integrum suæ domus percipiat.

Casus particularis.

An Petrus emēs cēsum pro decē, Valentem quindecim, recipiēsque per annos aliquot pensionē, teneatur restituere quod percepit.

Solutio probabilis.

Tenetur ad Vnum e duobus.

C SED PONE, Petrum censum præfatum per decem emisse; cùm tempore contractus valeret quindecim, & per multos annos pensionem percepisse; nunquid tenebitur fructus perceptos, in parte restituere? an satisfaciat, si diminutum pretium per eum olim datum, ad æqualitatem reducat? Respondetur, in tali casu non opùs est absolutè contractum resoluere, supposio quòd dolus non dedit causam contractui, sed tenetur ad vnum de duobus: vel illum resoluere; & pro interesse satisfacere venditori: vel pretiū ad æqualitatem reducere, satisfaciendo similiter venditori pro interesse, si quod venditor ex hoc quòd pretium debitum, suo tempore non fuit illi datum, patiatur. Itaque stando in cōtractu, suppleat quod in pretio defuerat; secundò, videat ad arbitrium boni viri, quid & quantum, tanto tempore verisimiliter vēditor fuisset lucratus (si pretium integrum suo tempore fuisset illi solutum) & illud similiter illi reddat. Et si hoc non, poterit, vt dicunt quidam, alia via satisfacere, scilicet reddendo tantam quantitatem de pensionibus annuis perceptis, quanta est superexcrescens vltra quantitatem proportionatam pretio soluto: vt, singulis annis percepit vnum ducatum, pro quo annuè leuando debuisset soluere quindecim, & tamen non soluit nisi decem, tenebitur tertiam partem omnium pēsionum, quas percepit, restituere; cùm pro decem ducatis non potuit tunc iustè emere censum, quo ducatum integrum annuè perciperet, sed duas eius tertias, vt patet intuēti. Et quodcunq; horum fiat, res videtur ad æqualitatem redacta.

I.

II.

Alia solutio. De iure tenetur potiùs ad primū quàm ad secundum.

Probatur.

De ivre tamen & rigore iustitiæ ad primum tenetur potiùs, quàm ad secundum; D nec secundum est adeò iustū sicut primum;non enim videtur ambas vias iustas & æquas esse. Quod inde patet, quia stat quòd venditor nullum sit interesse passus ex hoc, quòd non fuit integrè sibi pretium solutum; aut si sit, erit parum. Exempli gratia;quia potuit ampliùs vnum ducatum lucrari,qui adiunctus ei,quod pretio deerat, quod est quinque, reddunt sex,& ita restituendo sex, esset res ad æqualitatem redacta: & tamen per secundam viam,supposito quòd per triginta annos pensiones illas perceperit, deberet restituere tertiam partem,quæ sunt decem. Et ità videtur alteram illarum viarum non æquã esse,eò quòd si vtraq; æqua esset,per vtramq; res esset ad æqualitatem redacta: quod esse non potest;cùm plus per secundam, quàm per primam viam sit restituendum. Deinde pone, non nisi per duos annos eum pensiones percepisse, & rem,in qua institutus erat census,in tertio anno totaliter perire.Iam iuxta secundam viam,satisfaceret restituendo duas tertias ducati: & per primam, teneretur pretium ad æqualitatem reducere,restituendo quinque, & aliquid vltrà, ratione interesse. Quæ viæ iterum sunt inæquales,vt constat;igitur altera est minùs iusta.

Primus ille modus,ad quem de iure tenetur in proposito casu iustus est ac tutus.

Probatur.

Ideo dicendum, quòd prima via est,quæ iusta est, scilicet pretium ad æqualitatem reducere,simul interesse soluendo. Patet hoc; quia venditor non dicitur defraudari per hoc,quòd emptor annuas pensiones sui census percipit. Illæ enim pensiones suæ sunt,& velut fructus sui census sunt,& ita iustè illa recipit: ac proinde illis nihil restituere tenetur:sed venditor in solo pretio fuit defraudatus, & ex consequenti in interesse, quòd inde passus est;ideò de iustitia pretium est ad æqualitatem reducendum, & tutus erit pensiones perceptas retinendo. Vnde impertinens est;plures aut paucas pensiones receperit. Et si paucas receperit,eò quòd periit census(pereunte re,in qua erat constitutus) nō minùs tenetur emptor ad restituendum pretium,quousq; ad æqualitatem illud reduxerit,quàm si multas perceperit pensiones. Cuius rei exemplum est clarum, si quis emit agrum ipsum,pro pretio tamen diminuto,quod tamen non suffecerit ad nullitatem cōtractus;restitutio per emptorem agenda,nō venit commensuranda, per fructus ex agro illo perceptos:de illis enim nihil restituere tenetur,siue paucos, siue multos perceperit; quia sui sunt,& ex re sua percepit;sed tenetur pretium ad ęqualitatem reducere,facta insuper pro interesse satisfactione.Et ita fallitur Conradus,qui ait vias æquè satisfactorias, & iustas esse, & posse emptorem quamcunq; earum eligere. E

Corollarium II.

Seqvitvr ampliùs,quòd si census fructuarius,soluendi scilicet annuè certas mēsuras tritici,fuit pro iusto pretio emptus, quantumlibet paruum fuerit pretium: & successu temporis mensura tritici multùm in valore ascēdat, puta vt valeat hoc anno vnum ducatum,cùm tamen tempore contractus valeret tria regalia,aut duo,aut etiam vnum; tutè poterit censualista illas mensuras tritici annuè percipere, ad quantumcunq; valorem ascenderint,absque hoc quòd aliquid inde teneatur restituere,seu defalcare. Cuius

Ratio.

ratio est aperta; quia emens agrum, seu fundum pro iusto pretio (quantumuis paruum F sit)tutè poterit posteà fructus illius agri percipere, ad quantumcunque valorem ascenderint. Nec tenebitur inde aliquid venditori restituere, vt constat; eò scilicet quòd fructus rei suæ percipit. Cùm igitur annuæ pensiones à censualista perceptæ, sint velut fructus census per eum empti, sequitur intentum. Vnde quemadmodùm censualistæ licitum est pensiones quamplures, per quamplures annos percipere, quantumlibet plures sint;ita eidem licitum est, pensiones easdem percipere, quanticunque valoris sint. Et corollarium etiam verum est; esto quòd censualista diminutum & non iustum pretium pro tali censu dederit:nam tunc satisfaciet,si pretium augeat & ad æqualitatem reducat, simul & pro interesse aliquid proportionatum persoluat, vt in Corollario præcedenti dictum est.

Corollariū III.

Seqvitvr ampliùs,pragmaticam regiam,qua,vt ferunt,statutum est, vt qui census fructuarios cum pacto redemptionis habebant, pensionem fructuariam nō ampliùs exigerent,sed eam in pecuniariam commutarent,ita vt pro 14. vnum annuè perciperēt, non impedire,quo minùs census pecuniarius redimibilis, pro minori pretio possit emi, scilicet dando 12. aut decem pro vno annuè leuando, quemadmodùm in multis locis passim huiusmodi census emuntur. Ratio corollarij est clara. Tum quia, vt dicunt,qui pragmaticæ tenorem viderunt (quem fateor me non vidisse) pragmatica non pretium

certum

A certum censibus emendis imponit, sed veteres census fructuarios, ad certam normam reducit: quæ tamen constat esse diuersa. An autem Principis intentio ea fuerit, vt iuxta normam illam census noui emerentur, mihi non constat: ex verbis tamen pragmaticæ non satis apertè colligitur: ideò non sunt damnandi, qui census nouos pro pretio in loco illo communiter currente emunt, siue 14. siue 12. siue decem pro pensione vnius soluenda communiter dentur. Tum etiam esto illa esset Principis intentio, veteres census & nouos in pretio æquare; est tamen tam frequens in multis locis in oppositum consuetudo (quæ nec Principem latet, nec illi renititur) adeò vt meritò præsumatur Principis mentem non esse, talem consuetudinem prohibere, sed liberè id permittere & concedere.

Respõdetur ad argumenta suprà pro parte negatiua allata.

Ad I.

Ad rationes autem pro Henrico suprà factas, respondetur. Ad primam dicendum, quòd quamuis res vendita cum pacto redemptionis, aut sine illo in se valorem nõ variet, sed vnius est valoris: attamen emptori non valet tantum vendita cum pacto redẽptionis, quantum valeret sine illo pacto, vt satis suprà ostensum est. Dicitur secundò, quòd adhuc ipsa res tali oneri subiecta, non valet tantum, quantum si à tali onere libera esset: nam valor rei non ex natura ipsius sumitur, sed ex communi cursu, & communi hominum æstimatione. Cùm ergo res oneri subiecta, non sit in tanta apud homines æstimatione, in quanta esset, si libera ab onere foret, vt constat, sequitur intentum. Itaq; ratio
B probat, quòd pactum appositum sicut naturam rei non variat, ita nec valorem naturalem. Variat tamen valorem vsualem, quia non potest homo tam liberè, & commodè, re onerata vti, quantum posset, si libera esset, saltem quantum ad distrahendum, & alienandum, & vendendum, & meliorandum rem ipsam.

Ad II.

Ad secundam dicendum, quòd si emptor tantum pretium pro re cum pacto redemptionis vendita soluat, quantum solueret sine pacto illo, ipse emptor grauatur, quia soluit excessiuum pretium, considerando rem emptam cum præfato onere. Et quanquam ex alia parte lucretur fructus medij temporis, nihil refert, quia illos æquè lucraturus foret, si rem sine pacto illo emisset, sicut cum pacto; & sui sunt, quia de re sua sunt orti. Et siue lucretur, siue non fructus ipsos, cùm stet rem illo tempore nihil fructificare, id impertinens est, ad iustificationem cõtractus, de ratione eius est æqualitatem inter pretium, & mercem, sic vel sic circumstantionatam, seu oneratam aut liberam seruare.

Ad III.

Ad tertiam negandum est esse contra charitatem, in casu descendere in pretio: cùm enim iustitia commutatiua illum descensum requirat, hæc autem charitati non aduersetur, quandoquidem nulla vera virtus est charitati contraria, consequens est non esse contra charitatem; nec obstat vendentis paupertas; quia iustitia commutatiua nec ad diuitias nec ad paupertatem habet respectum, sed æqualitatem inter datum, & acceptum attendit. Tanta tamen posset esse vendentis necessitas, quòd carens re quam vendit, pretio etiam pro ea accepto, non posset se, & familiam sustentare, sed in extrema vel
C quasi necessitate permanerent; quòd tunc teneretur emptor vel rem emptam eidem reddere, vel aliud ad eius indigentiam releuandum dare. Idq; ex præcepto charitatis, quæ quidem non obligat emptorem per viam pretij plus dare, quàm res valeat, sed obligat eum ad venditoris inopiam & indigentiam subleuandam. Itaq; ad iustificationem contractus emptionis & venditionis, nihil refert voluntate, an necessitate etiam extrema pressus, venditor ipse rem suam vendat.

Ad IIII.

Ad quartam ex cap. ad nostram. sumptam, dicendum, quòd emptio, de qua textus loquitur, meritò damnatur, quia non fuit pretium iustum pro rebus emptis datũ, sed diminutum; (diminutum inquam) non solùm à pretio quod res ipsę ab omni onere liberæ valerent, sed à pretio, quod res ipsæ sic oneratæ valebant, quod est pretium iniustum. Adde quòd qui cõtractum illum fecerat, erat vsurarius, qui solitus erat vsuras exercere. Ideò meritò præsumitur præfata emptio vsuraria, vltrà quòd erat iniusta.

Aliud dubium. An licitè possit apponi pactum reuẽditionis in fauorẽ emptoris, sicut & venditoris.

Quae de pacto redemptionis hactenus diximus, procedunt de pacto ex parte venditoris, & in fauorem eius apposito. Ideò esset dubium de pacto reuenditionis ex parte, & in fauorem emptoris apposito: an scilicet tale possit licitè apponi, & eo apposito sit idem pretium seruandum. Et an fructus medij temporis sint in pretio tempore redemptionis computandi. Quæ difficultas suprà in secundo argumẽto principali tangebatur. Et video communem Doctorum sententiam pro maiori parte dicentium, tale pactum

Sententia L.

pactum apponi quidem posse; fructus tamen medij temporis non emptori, sed vendito- D
ri cedere debere, seu (quod idem est) in pretio debere computari. Id probant. Primò,
Argumētum I. quia talis emptio, etsi nomine emptio sit, re tamen est mutuatio, eò quòd datur pretium reuocabiliter, quod est conditio & natura mutui, vt sæpe tactum est; ac proinde quicquid vltra sortem fuerit lucratus, erit vsura. Et ideò tenebitur fructus medij temporis cum omnibus accessionibus & emolumentis perceptis restituere, seu in pretio computare, vt vult Panor. in cap. illo vos. de pignoribus.

II. SECVNDO demus emptionem census, seu rei, cum pacto redemptionis ex parte venditoris apposito, esse iustam, vti eam iustificari posse suprà ostensum est, quando vtrique licitum sit fructus medij temporis tam rei venditæ, quàm pretij accepti retinere, & cæteris eodem modo se habentibus, emptor velit habere facultatem rescindendi contractum; & talem facultatem redimendi apud venditorem non manere. Manifestum est si primus contractus erat iustus, hunc secundum esse iniquum: & quia venditor priuatur facultate redimendi, quam in primo contractu habebat: & quia emptor vult illam facultatem habere, quam priùs non habebat. Et ideò si cætera maneant eadem, apertum est hunc secundum contractum esse iniquum, præsupposita prioris iustificatione. Nam si prior erat iustus, in priori æqua erat vtriusq; conditio. In hoc autem venditoris conditio efficitur peior, quàm priùs, & emptoris melior, quàm priùs, vt constat: igitur.

III. TERTIO demus in casu, veram emptionem esse & non mutuationem, adhuc ex E
alia parte videtur iniqua emptio, quia melior est conditio emptoris, quàm venditoris: eò quòd venditor rem suam non vendidisset, nisi quia pretio indigebat, quod vtplurimum accidit: pretio autem non indigebat, nisi ad res alias emendas, seu ad satisfaciendum aliis creditoribus; denique ad pecunias distribuendas. Et ita si illis distractis emptori placeret contractum priorem rescindere, suum pretium repetendo, quando venditor pecunias iam distraxerit, non dubium, magnum esse venditoris grauamen; qui fortè compelletur res alias viliùs vendere, vel pecunias ad vsuram accipere, vt habeat vnde pretium emptori præfato reddat. Tale autem grauamen non ita fit emptori, quādo facultas redimendi est apud venditorem, cùm emptor in promptu habeat censum, vel fundum (quem emerat) ad reuendendum. Et si periit, antequàm venditor illud redimat, nullum fit venditori præiudicium: tali enim lege rem in emptorem transtulerat, vt illa pereunte vtrique periret, ex quo vterque suum ius qualecunque in rem illam habebat.

Resolutio affirmatiua. *Eiusmodi cōtractū per se licitū esse, modò iustū interueniat pretium, & absit scandalum.*

QVIBVS NON obstantibus, videtur, præfatum contractum de se illicitum non esse, modò iustum interueniat pretium; & scandalum, infamia, & mens deprauata cessent. Nam per hæc non dubium, omnem contractum & humanum opus vitiari posse. Si enim illicitus esset præfatus contractus, aut esset, quia vsurarius, aut quia iniquus, & iniustus. Sed neutrum est dicendum: patet. Quòd enim vsurarius non sit, apertum est, quia illic est vera emptio, & non mutuum, nam interuenit pretium, & merx quæ est F
Probatur I. *Ille contractus non est vsurarius.* census, seu res cum tali pacto empta. Et si res illa, vel census ante redemptionem pereat, perit emptori, & nulla ei relinquitur actio, ad pretium quod dederat; non igitur est mutuum. Nec impignoratio; alioqui pignore, seu re illa pereunte, maneret actio emptori, contra venditorem ad pretium, quod illi dederat, quod est falsum. Non igitur est mutuum, & per consequens, nec illic locum vsura vera potest habere. Quod iniquus
Neque item iniustus. & iniustus non sit, de se patet, quia maximè ob id quòd melior esset emptoris conditio, quàm venditoris, vt suprà arguebatur. Sed hoc de se non vitiat contractum, si illa melioritas per aliquid aliud, venditori vtile, compensetur. Nam nec pactum redemptionis ex parte venditoris appositum (quod eius conditionem meliorem facit de se) contractum reddit iniquum, si aliqua emptori recompensatio fiat, vt patet ex dictis. Ac proinde si in casu proposito similis venditori fiat recompensatio, quæ proportionetur melioritati conditionis ipsius emptoris, erit contractus iustus, quia ad æqualitatem redactus. Potest autem illa recompensatio fieri, ascendendo in pretio, quemadmodùm fiebat in pretio descendendo, quando facultas redimendi erat apud venditorem, vt ex supradictis constat.

II. PRAETEREA hic contractus de se non est illicitus, scilicet, si vis vt emam à te hanc domum, quam mihi vendis, faciam: hac tamē lege, vt aliam domum æqualem huic

(quam

A (quam alibi habeo) tu, quando mihi placuerit, emas pretio iusto hinc inde seruato. Igitur nec iste alius erit de se illicitus, scilicet: si vis, emam à te hanc domum (quam mihi vendis) faciam, hac tamen lege, vt quãdo mihi placuerit, tenearis hanc eandem domum reemere, pretio iusto hinc inde seruato. Nam hi casus, sunt, quoad substantiam, omnino similes, dempta domus venditæ, & vendendæ diuersitate; quæ tamen diuersitas ad iustitiam, vel iniustitiam contractus nil penitus facit: Maximè cùm ponam in priori casu, domos illas esse penitus eiusdem valoris.

PRAETEREA licitus est hic contractus, quo vineam meam pro horto tuo permuto, supposita eorum æqualitate, hoc pacto apposito, quòd quando mihi placuerit, rescindatur contractus, etiam fructus medij temporis in pretio non computando. Ergo pari forma hic noster casus erit licitus, quo emo à te domum pro tanto pretio, hac lege, vt quando mihi contractus displicuerit, rescindatur, & tu reddas pretium, ego autem domum. Et sequela inde apparet; quia loco rei permutatæ, seu permutandæ, successit pecunia rei ipsi æquiualens, vt suppono. III.

ADDE QVOD tale pactum de contractu rescindendo, tam appositum in fauorem emptoris, quàm etiam venditoris, est secundùm iura approbatum, vt patet. Et refert Panormitanus in cap. illo vos. suprà citato: & gloss. ibidem. Et habetur in. l. quòd si nolit. §. si quid ita. ff. de ædi. edic. & in. l. si ita res. C. de contrahenda emptione. Et si nil de tempore B redemptionis seu resolutionis contractus conuentum fuerit, non tenetur venditor ad instantiam emptoris, contractum resoluere, nisi infra sexaginta dies, vt habet glossa, in præfato cap. illo vos. possunt tamen conuenire, vt quandocunque emptor velit, resoluatur contractus. IIII.

ITAQVE loquendo de contractu in se, & de rigore iustitiæ, videtur præfatum contractum posse iustificari, pretio iusto seruato. Hoc autem seruabitur, si emptor (in cuius fauorem pactum illud appositum est) in pretio iuxta exigentiam pacti, seu oneris (quo ex tali pacto venditor grauatur) ascendat. Demus enim emptionem vnius census, non adiecto pacto redemptionis iustam esse, qua pro centum res illa seu census emptus est. Si cum hoc vult emptor habere facultatem, quando sibi placuerit, pretium repetendi, & censum priori possessori reddendi, poterit alter hoc acceptare, etiamsi sibi graue sit, hac lege, vt scilicet emptor recompensam illi pro præfato onere faciat, vel in pretio vltra centum ascendendo, vel aliud quid extra pretium illi reddendo, quod præfato oneri sit proportionatum. Habere enim emptores, qui res, quando mercatores velint, emant, aliquid est pretio commensurabile. Ideò suprà conclusum fuit, vsuram esse mutuare cum pacto, quod mutuatarius ad emendum, vel ad molendum in domum mutuantis veniat, Ideò præfata recompensatione facta, nullam in contractu iniustitiam video. *Quatenus in prædicto contractu pretium seruari possit.*

SEQVITVR ex hoc, maioris valoris seu pretij esse censum, seu rem venditam, cum pacto reuenditionis in fauorem solius emptoris apposito, quàm sit census simpliciter C irredimibilis, supposito quòd præfata recompensa fiat per augmentum pretij. Patet hoc, quia dempto illo pacto manet census irredimibilis: igitur apposito pacto illo in fauorem emptoris, & in grauamen venditoris, maius pretium debet dari, vt constat. *Corollarium* I.

SEQVITVR inde, tempore redemptionis non esse iustum, venditorem tantum pretium in casu reddere, quantum ab initio accepit: sed quantum valebat purus census irredimibilis. Patet hoc: quia residuum quod vltrà accepit, non pro censu aut fundo vendito accepit, sed pro onere quod in se suscepit, quod tamen ex natura contractus, suscipere non tenebatur. Quòd si conuentum est, vt tantum pretium teneatur venditor reddere, quantum integrè ab emptore accepit, tunc maius fuit grauamen venditori impositum; quia cogitur reddere pretium rei simul, & pretium oneris quod suscepit. Et ideò debuit emptor aliquantulum plus in pretio ascendere. Itaque in taxando pretium, debet haberi respectus, non solùm ad hoc quòd venditor pro voto emptoris censum, aut rem venditam redimere teneatur, sed ad pretium pro quo debet censum redimere. An scilicet sit illum redempturus pro pretio currente, tempore redemptionis: an pro pretio currente, tempore emptionis: an pro pretio eodem integro quod accepit, secundùm quod paulò antè discutiebamus, quando agebamus de pacto redemptionis in fauorem venditoris apposito. *Corollarium* II.

Discrimen inter pacta pro emptore ac vendi- tore apposita. *Ratio discriminis.*

EST TAMEN differentia inter pactum pro emptore, & pactum pro venditore appositum: quia quando in fauorem venditoris apponitur, facit rem oneri subiectam, & per consequens minoris esse valoris: quando verò apponitur in fauorem emptoris, non facit rem propriè meliorem, aut maioris valoris esse. Huius discriminis ratio est aperta; quia in priori casu venditor habet actionem non solùm ad personam, sed ad rem venditam, quam iure conuentionis potest reddito pretio ad se retrahere, in cuiuscunque potestate sit: nam ad quemcunque transeat, cum suo onere transit. In secundo verò casu, res est libera, & in plena potestate ipsius emptoris existens: & actio quam emptor ex tali pacto acquirit, est personalis, quia potest venditorem compellere, ad rem illam reemendam. Et illa est ratio, quare longè plus descendatur in pretio rei emptæ cum pacto redemptionis pro venditore apposito, quàm ascendatur in pretio eius ob pactum pro emptore appositum. Nam actio realis in huiusmodi præstat actioni personali: imò propriè loquendo, ratione pacti pro emptore appositi, nil in pretio ascendendum est, quamuis aliquid vltrà sit addendum, ratione oneris personalis venditori impositi. Id patet: quia census leuandi annuè vnum ducatum sine pacto redemptionis, valet secundùm communem cursum nunc currentem triginta ducatos. Et si apponatur pactum pro venditore, descenditur ad quatuordecim vel quindecim, aut etiam infrà: vt etiam experientia monstrat. Et tamen si apponeretur illud pactum in fauorem emptoris, parum vltra triginta dari solet.

Corollariũ III.

INDE ITERVM fit, illa duo pacta esto sint pretio æstimabilia, non tamen sunt in æstimatione æqualia; alioqui tantum deberet ob vnum eorum pretium augeri, quantum ob aliud diminui; & per consequens apposito pacto in fauorem emptoris, deberet pretium in duplum augeri, sicut in subduplum minuitur, pacto pro venditore apposito, idque si sit proportio geometrica seruanda. Vel si arithmetica, tantum deberet emptor vltra pretium iustum dare pacto pro se apposito, quantum defalcatur à pretio iusto, pacto pro venditore apposito. Et ita si emit censum vnius ducati, apposito pro se pacto reuenditionis, deberet pro illo dare vel sexaginta ducatos geometricè, vel quadraginta quinque arithmeticè, vt patet intuenti. Hoc autem nemo iustificaret, vt puto.

Corollariũ IIII.

INDE ITERVM fit, illum contractum iniquum esse, cæteris paribus, quo census seu fundus emitur, apposito vtrinque pacto redemptionis, id est, quòd emptor habeat facultatem, quando velit, ad contractum rescindendum, similiter & venditor eandem habeat facultatem. Quod dicitur in vsu esse inter nobiles, in nonnullis locis, quasi pactum pacto æquale esset, cùm tamen non sit: nam per alterum acquiritur actio realis, per alterum verò personalis, quæ longè inferior est, quàm realis. Et Corollarium iterum patet, quia ex opposito sequitur, hunc contractum iustum esse, quo quis pro censu valente triginta, si sine pacto redemptionis emeretur, illum pro eisdem triginta emat, pacto insuper in vtriusque fauorem apposito. Eò quòd illic datur pretium iustum ipsius census in se; & si pactũ pro vno apponitur, aliud simile pro altero apponitur. Quæ pacta si æqualis ęstimationis essent, totus contractus esset ęquus, & iustus. Sed consequens est falsum: quia in hominum æstimatione longè plus valet census simpliciter irredimibilis, in quo plenum dominium ipse emptor habeat, nulla facultate in venditore remanente, quàm census idem, in quo tam diminutum acquiritur dominium, vt in potestate venditoris sit, possessorem illo priuare, quantamcunque emptor habeat facultatem compellendi venditorem, ad rescindendum contractum.

Limitatio quarti corollarij.

IDEO AD iustificationem talis contractus necessarium est, vel gratia, & liberalitas contrahentium interueniat, qua gratìs velint onus reuendendi, pro onere emendi subire, non obstante eorum inæqualitate: vel pretium minuere, iuxta exigentiam maioris grauaminis vnius pacti, quàm alterius. Et ita pretium iustum in tali contractu, debet mediare inter pretium illius census irredimibilis, & pretium eiusdem, pro voto venditoris redimibilis, ita vt nec sit triginta nec quindecim, sed aliquid supra quindecim, quantum valet pactum in fauorem emptoris appositum: quæ omnia patent intuenti.

Respondetur ad argumenta contraria.

Ad I.

AD MOTIVA pro priori sententia adducta, respondetur. Ad primum, patet in casu non esse mutuationem, quanquam habeat similitudinem cum illa. Quamuis enim emptor possit pretium, quod dederat, reuocare, vt rescindatur contractus, seu vt reuenditio fiat: non tamen ob id est mutuum. Quod inde apertè apparet; quia in mutuo manet

A manet actio directè ad rem mutuatam, non habito respectu ad aliarum rerum interitum, vel permanentiam, nec ad contractum alium: ideò quæcunq; in aliis rebus mutuatio fiat, semper mutuatarius manet debitor mutuanti. In nostro autem casu, non manet directè, & per se in emptore actio ad pretium, quod pro re dederat absolutè, sed ad rescindendum contractum priùs celebratum, seu ad reuendendum rem priùs emptam. Quæ quidem actio longè diuersa est ab actione, quam mutuator habet. Vnde si res priùs empta non sit, cessat actio emptoris, quæ erat ad rescindendum contractum, eò quòd talis rescisio ampliùs locum habere non potest.

Ad secvndvm dicendum, quòd ratio probat huiusmodi contractum in casu esse iniquum & iniustum, si pretium non sit mutuatum, seu auctum: quod concedimus: si tamen detur pretium correspondens valori census in se, dempto pacto redemptionis ex parte venditoris, & vltrà aliquid superaddatur, ob pactum reuenditionis, in fauorem emptoris appositum, omnia erunt ad æqualitatem redacta. *Ad II.*

Ad tertivm etiam responsio patet ex dictis, quia non obstante illo grauamine venditoris, potuit tamen in pretij taxatione compensatio, pro illo grauamine, & reliquis (si quę sint) fieri, ita vt ęqua maneat vtriusque conditio: ex quo enim illa grauamina, & onera sunt pretio æstimabilia, omnia possunt per pecuniam compensari. *Ad III.*

B Haec dicta sunt, considerando contractum & naturam eius in se; qui etsi (vt præfertur) iustificari posit, est tamen talis contractus dissuadendus: Tum, quia videtur habere speciem mali, ob nõnullam similitudinem, quam cum mutuo habet: Tum etiam, quia daretur ansa vsurariis suas vsuras palliatè exercendi. Dicerent enim his qui mutuo petunt, non mutuabo, sed emam à vobis rem vel censum, seruata mihi facultate contractum rescindendi. Et ita quando aliquid essent lucrati, contractum rescinderent, in quo idem aut plus, quàm per apertam vsuram lucrarentur. Et ita contractus huiusmodi meritò præsumitur vsurarius. Et hoc maximè de illis præsumendum est, qui vsuras exercere solent, specialiter, si pretium diminutum pro re sic empta dederint. Quòd si integrum pretium dederint, & pro onere venditori imposito compensationem iustam fecerint, & vsuras exercere non soleant, quamuis eorum contractus vsurarius non præsumatur, & post factum posit tolerari: nihilominùs ante factum dissuadeatur, ne inde vsurarij occasionem sumant, ad suam pessimam intentionem opere, quamuis palliatè, complendum. *Contractus de censu redimibili ex parte emptoris, dissuadendus est.* *Ratio.*

Redevndo igitur ad contractum, de quo quæstio principalis mota fuit, & ad pacta cum quibus solet communiter census redimibilis emi: Esset dubium de illo alio pacto, quo scilicet venditor obligatur, possesiones (in quibus census est institutus) benè cultas & reparatas tenere, nec posit eas, sine consensu censualistæ, vendere, & de venditis decimam censualistæ soluere. Secundò de pacto commissi, scilicet quòd si per duos C annos pensionem non soluerit, eo ipso integrum dominium prędictarum possesionum in censualistam transferatur. Tertiò de pacto postremo, quo aliquando venditor obligatur ad pensionis solutionem, etiamsi ob temporis sterilitatem possesiones fructificare desinant, aut etiamsi omnino pereant. Quæ breuiter veniunt absque disputatione absoluenda. *De aliis pactis [illegible] dubia tria.* I. II. III.

Ad primvm, videtur illud pactum tenere naturam emphyteusis & non puri census, eò quòd per illud pactum fit, vt censualista habeat dominium directũ possesionum, in quibus census institutus est. Huius signum est, quòd censuarius possesiones illas sine consensu censualistæ vendere non posit: similiter quòd de vendentis decima censualistæ soluatur; quod fit in signum dominij, quod in illis possesionibus ipse censualista habet; hoc tamen magis proprium est emphyteusi, vt patet, quàm censui. Ideò census, qui modò sunt in vsu, non videntur puri, sed mixti, Differunt tamen ab emphyteusi, propriè loquendo, quia in emphyteusi (vt suprà dicebam) dominus possesionis, seruato sibi dominio directo, illam possesionem in emphyteutam quo ad vtile, transfert, vt inde annuè certam ab illo pensionem percipiat. In censu autem, qui nunc est in vsu, ipse censuarius (qui dominus possesionis est) seruato sibi vtili, directum dominium in censualistam transfert, obligatus eidem certam pensionẽ annuè soluere: Contractu tamen celebrato, emphyteusis & census conueniunt, quo ad directum, & vtile, & pensionem, & obligationem *De I. & III. pacto.* *Quomodo differat census ab emphyteusi.* *In quo etiam conueniant.*

Vtrunq; pactũ licitè apponi potest cõtractui cẽsuali

tionem decimam soluendi, & in possessionis venditione consensum censualistę exigendi. Quo supposito, dicendum quòd hæc omnia licitè fieri possunt, nec de se malitiam aliquam inuoluunt. Vnde potest, qui possessiones proprias habet, alteri eas donare in toto, & in parte; & ita potest in alterum directum dominium transferre, vtili sibi seruato. Potest se obligare etiam pro voluntate, ad alteri pensionem annuam soluendum, & illa alia omnia poterit pro voluntate & gratìs subire. Et sicut hæc omnia dominus possessionum pro voluntate & gratìs subire potest; ita & eadem onera in se suscipere potest, pretio interueniente: quandoquidem omnia illa pretio sunt æstimabilia, vt de se constat. Et per consequens tale, & tantum pretium potest pro illis omnibus oneribus dari, vt seruetur æqualitas, & iustitia. Ac proinde non est dubitandum, in pacto illo priori, quin licitè possit apponi, modò iustum seruetur pretiũ. Hoc autem non semper est idem aut æquale; nam census præfatus, leuandi annuè vnum ducatum, maioris valoris est, quantò in pluribus & melioribus possessionibus est institutus: non solùm propter maiorem securitatem pensionis soluendæ, sed etiam propter dominium directum, & ius percipiendi decimam, si possessiones illæ vendantur: nam ex pluribus & maioribus possessionibus, si vendantur, maior decima speratur, cæteris paribus. Sicut etiam, cæteris paribus, census maioris valoris est, quantò res, in qua est institutus, est magis venalis, aut frequentiùs vendi solet, eò quòd frequentiùs decima soluenda speratur. Est itaque in emptione huiusmodi censuum, pro pretij iusti taxatione, ad hæc (quæ dicta sunt) & multa alia respectus habendus. Quantum tamen, pro singulis censibus pretium dari debeat, non potest sub regula certa comprehendi, sed recurrẽdum est ad communem & approbatam consuetudinem, simul & ad iudicium virorum prudentum, vt sciatur, quando, & quantum, vltra communem consuetudinem sit in pretio ascendẽdum, aut econtra descẽdendum.

Quatenus iustũ pretium in proposito seruari possit ac debeat.

Quale debeat esse pretium censuum singulorũ.

De IIII. pacto. Quid de eo sentiendum.

Quantum ad secundum, scilicet, de pœna commissi, si censuarius pensionem per biennium non soluerit: Dicendum, illam pœnam non esse longe à iure remotam; nam emphyteuta & colonus si per biennium pensionem nõ soluerint, iure re ipsa priuantur. Vt habetur, de iureiurãdo in c. querelam. & idem habetur 10. q. 2. cap. hoc ius. quanquam illic dicat glossa, hoc ius tantùm Ecclesiæ conuenire. Quod etsi verum sit de iure, nil tamen inconuenit, hoc idem priuatis personis, ex conuentione priuata, similiter competere, vt in emphyteusi & in locato fit. Non tamen dubium est, posse pœnam conuentionalem contra censuarium, pensionem suo tempore non soluentem, imponi. Ad hoc tamen quòd huiusmodi pœna executioni iustæ tradatur, id videtur attendendum: an scilicet censuarius per biennium non soluendo, sit in culpa, an non. Nam si in culpa non sit, ita vt per eum non stet, quo minùs pensionem soluerit, iniquum & iniustum videtur,

In huiusmodi pœnæ executione quid obseruãdum.

I. præfatam pœnam executioni mandare: quandoquidem vbi non est culpa, iniustè infligitur pœna, vt si paupertate pressus non soluit: nam tunc non solùm impium est, pœnam contra illum inopem exequi, cùm sit afflicto afflictionem adiungere, sed & illum ad pensionis solutionem compellere, cùm ex charitate ipse cẽsualista teneatur illi vel pensionem pro tunc remittere, vel ad soluendum eidem dilationem seu tempus concedere, etiamsi opùs sit de suis propriis bonis illi subuenire. (Quod vtinam aduerterent censualistæ, & alij creditores, quibus debitores in termino assignato paupertate pressi,

II. soluere non possunt.) Secùs si non necessitate seu aliquo legitimo obstaculo impediti, sed voluntate, & negligentia soluere pretermittant: tunc enim ob moram digni sunt, qui pœnam stabilitam soluant, quemadmodum suprà, quando de vsura agebamus, diximus.

Et procedit hoc de pœna per contrahentes imposita, moderata quidem, non excessiua: Ita vt nec tam parua sit, quòd metu eius debitor ad soluendum in termino assignato non moueatur; nec tam magna sit, vt impium sit eam exequutioni mandare, cùm sit culpæ, seu moræ debitoris disproportionata. De pœna autem commissi (quæ cõtractui solet apponi) videtur quod excessiua sit, & immoderata. Quamuis in emphyteusi, colonatu, & locato, & aliis huiusmodi, excessiua non sit, sed iusta. Cuius discriminis ratio est aperta: nam in emphyteusi, si emphyteuta ob non solutionem per biennium, re ipsa totaliter priuatur, nulla illi iniuria aut damnum fit, eò quòd hac lege fundum illum à suo domino suscepit, vt si per biennium pensionem non solueret, redeat fundus ad dominum suum, qui illum emphyteutæ tradiderat. Et ita redeunt res ad statum in quo erant ante contractum emphyteuticum. In contractu autem cẽsuali (vti nunc in vsu est), si fun-

Cur pœna commissi cõtractui censuali apposita, sit excessiua, non etiam in emphyteusi.

A si fundus, in quo census est constitutus, ob non solutionem pensionis, efficeretur totaliter censualistæ, res non ita ad priorem statum redirent, sed censuarius maneret suo fundo priuatus, quem ante contractum tanquam proprium plenariè possidebat. Et censualista eundem fundum plenariè sibi acquireret, quem ante contractum minimè habebat. Vnde censualista manet notabiliter cum lucro, & censuarius notabiliter cum damno, & tantò cum maiori damno, quò maioris pretij & valoris erat fundus, in quo census fuit constitutus. Vnde stat, fundum censualem valere quatuor millia ducatorum: & censum ibidem constitutum esse paruum, puta leuandi annuè vnum ducatum pro triginta aut viginti ducatis emptum. Et fieret vt per non solutionem pensionis, censualista totum fundum illum sibi acquireret, loco viginti ducatorum, quæ pro censu tradiderat, quod est exorbitantissimum.

Alia ratio ad probandum pœnam commissi, in contractu censuali non habere locum.

PRAETEREA si pœna legis commissoriæ, in censuali contractu locum haberet, similiter locum haberet in pignoribus, Vt licitum sit mutuare vel emere aut vendere aliquid accepto pignore, hac lege, vt si in termino præfixo debitor non soluerit, ipsum pignus efficiatur creditoris, loco eius quod illi erat soluẽdum. Hoc autem est reprobatum in cap. significante. de pignoribus. & meritò: eò quod obligatio pignoris communiter solet fieri pro longè minori quantitate, quàm valeat pignus, vt constat. Et ideò si tale pactum valeret, multum defraudaretur debitor. Quæ quidem ratio, longè maiorem vim
B habet in contractu censuali, cùm semper possessiones seu bona, in quibus fundatur census, longè maioris valoris sunt, quàm pretium pro censu datum.

Neq; item executioni tradenda est.

Quatenus contractus censuales emphyteusi assimilentur.

ET ITA videtur talis pœna commissi, emptioni census contra venditorem apposita, esse iniqua & iniusta, nec executioni tradenda, etiamsi censuarius per biennium ex negligentia aut alia culpa pensionis solutionem omittat. Nec obstat dicere, contractus censuales (qui in vsu sunt) emphyteusi assimilari, vt suprà tangebatur. Quia illa assimilatio consistit in aliis conditionibus suprà positis, non tamen æquiparantur, quo ad pœnam legis commissoriæ. In qua si vellet censualista alteri æquari, oporteret censualistam tempore contractus, non tam diminutum pretium censuario dare, sed tantum, quantum fundus, in quo censum constituit, valet, & seruato sibi directo, vtile dominium in censuarium pro pensione certa transferre. Tunc enim iustè posset pœnam commissi contractui apponere, & eam executioni mandare, sicut in emphyteusi iustè fieri potest. Alioqui post pœnæ executionem, non manerent æquales, vti ante contractum censualem erant, sed longè melior maneret conditio censualistæ, quàm censuarij. Manerent autem æquales post pœnam executioni mandatam, sicut in emphyteusi manent, si censualista tantum pretium pro fundo dedisset, quantum valebat ipse fundus. Et tunc ęquipararetur per omnia eius contractus emphyteusi: & haberet locum pœna legis commissoriæ: & posset iustè executioni mandari; quia tunc perinde est, ac si fundum in emphyteusi daret, dando pretium quod fundo æquiualeat.

Quatenus hoc pactum de pœna commissi, possit a censualista apponi, & exequutioni tradi.

C QVOD si censualista (qui non nisi pretium communiter currens, dedit) vult pœnam similem apponere, qualis in emphyteusi apponitur, poterit quidem, si rem ipsam attendat. In executione enim pœna contra emphyteutam, pensionem suo tempore non soluentem, fit in re ipsa, scilicet, quòd emphyteuta priuatur eo, quod dominus emphyteusis illi tradiderat: tradiderat autem ei solùm vtile dominium, & illud per pœnam redit ad dominum, quod in re nil aliud est, quàm contractum emphyteuticum rescindere. Et certè hoc ipsum poterit censualista facere, vel tempore contractus talem pœnam, seu pactum apponere; vt si per biennium pensio illi soluatur, ipse censuarius priuetur eo, quod dominus census illi tradiderat: tradiderat autem non fundum, in quo erat census institutus, sed pretium certum; quod perinde est, ac si apponeret pactum de rescindendo contractum, ob non solutionem pensionis per biennium. Et in hoc assimilabitur hęc pœna per censualistam apposita, pœnæ commissi per dominum emphyteusis appositæ, vt patet intuenti. Et poterit licitè talem pœnam contra censuarium pensiones non soluentem, exequi, sed non fundum, quem nunquam habuit, sibi vendicare. Quòd autem pœna legis commissoriæ, sit per resolutionem contractus, apparet ex dictis, & etiam ex glossa capitul. significante. de pignoribus. vbi ait, legem commissoriam sic fieri: Vendo tibi fundum pro decem, hac lege, quòd nisi intra certum terminum pretium solueris, res sit inempta. In quo inuenitur, quod dictum est, scilicet, per executionem legis

legis commissoriæ, res ad priorem statum redire, qualiter non redirent, si pœna commissi, contractibus censualibus (vt fiunt) apposita, executioni tradatur. Et sicut dixi de præfata pœna ob non solutionem pensionis apposita, ita videtur dicendum de eadem commissi pœna, contra censuarium fundum sine licentia censualistæ distrahentem apposita, quòd scilicet non est licitum huiusmodi pœnam apponere, cum animo eam exequendi, sicut nec licitum est eam exequi. Hæc dixerim in foro conscientiæ, quicquid sit de foro exteriori. D

De vltimo pacto.

QVANTVM ad tertium pactum, quo scilicet emptor census venditorem obligat, vt pensionem quolibet anno soluat (non obstante quocunque casu fortuito, etiamsi res, in qua census est institutus, omnino pereat) multis visum est, hoc pactum iniquum esse: Tum quia tale pactum est contra naturam contractus censualis, quæ est, quòd pereunte re, in qua est institutus census, pereat & census: pereunte autem censu, non ampliùs manet ius in censualista ad percipiendam pensionem: & ita velle pensionem percipere, sine iure percipiendi, esset non iure, sed iniuria aliena percipere.

Videtur esse iniquum. Ratio I.

II. TVM ETIAM, quia tales pensiones post rei interitum perceptæ, aut debentur censualistæ ratione pretij, quod ab initio dedit, vel tanquam fructus census, quem emit. Neutrum dicendum videtur. Non primum: quia huiusmodi pensiones annuè leuatæ, non sunt merx, quam pro illo pretio censualista emit, vt ex dictis est manifestum: nam per pretium illud non pensiones, sed census fuit emptus. Nec videtur secundum dicendum, quia ex quo pereunte re periit census, ex tunc non possunt pensiones illæ dici fructus census. Sicut nec rei in qua erat institutus, ex quo iam periisse ponitur. E

III. TVM TERTIO hic contractus est iniustus, quo emo à te agrum, seu fundum pro iusto pretio, qui solet annuè deductis laboribus & expensis, possessori fructificare centum mensuras tritici: vt exempli gratia loquamur, apposito hoc pacto, quòd si casu aliquo, quantumuis fortuito & inopinato, fundus pereat, aut omninò fructificare desinat, ipse venditor teneatur mihi ex tunc quolibet anno centum mensuras tritici soluere: igitur similiter erit iniustus casus, de quo loquimur, ex quo sunt omninò similes. Et tamen videmus hanc legem seu pactum, passim in emptione census etiam redimibilis apponi.

Resolutio. Quomodo prædictum pactum per se non deprauet cõtractum. Probatur I.

RESPONDETVR, his non obstantibus videtur pactum illud de se non deprauare contractum, si loco talis oneris, quod venditori iniungitur, emptor proportionaliter in pretio ascendat. Id patet, quia omnia huiusmodi onera (vt iam sæpe tactum est) sunt pretio æstimabilia, ac proinde poterit præfato oneri aliqua pecuniæ quantitas proportionari, qua pro huiusmodi onere soluta, erit æqua vtriusque conditio. Non igitur de se deprauat contractum præfati pacti appositio, sed pretij diminutio.

II. SECVNDO, ille contractus cum tali pacto celebratus, videtur posse in duos de se licitos resolui, puta, in contractum emptionis, qua census emitur: & in contractum assecurationis, quo venditor in se periculum census præfati in omni euentu suscipit. Si igitur in vtroque iustum pretium seruetur (attenta qualitate fundi, seu possessionis in qua est census institutus, si est periculis paucis, aut multis exposita) totus contractus manebit licitus, & iustus, vt patet. F

III. TERTIO, iste contractus non est de se illicitus, quo emo à te censum super vinea tua institutum, hac lege, quòd & si aliquo anno (ob casum aliquem etiam fortuitum) nõ fructificet, soluas tunc pensionem, ac si fructificaret: Nam aliàs vtplurimum damnarentur census fructuarij, aut etiam pecuniarij, in terris triticum fructificantibus instituti, de quibus quolibet anno soluatur pensio, cùm tamen non quolibet anno fructificent, sed alternatiuè, vno anno semina suscipiunt & fructificant, alio verò quiescunt; & tamen pensionis solutio non quiescit. Sicut igitur contractus de se non est illicitus, si pactum apponatur de pensione soluenda, esto vno anno fundus desinat fructificare: igitur pari forma poterit licitè pactum apponi, quòd pensio soluatur, etiamsi duobus annis desinat fructificare: & ita si tribus, & ita si quatuor: & per consequens, si semper. Ac proinde si semper fructificare desinat, perinde est ac si fundus perierit, sequitur posse pactum apponi, quòd etiamsi fundus pereat, pensionis solutio non cesset.

IIII. QVARTO iste contractus non est de se illicitus, quo censum emo in fundo tuo specialiter institutum; sed non solùm, sed etiam in reliquis bonis tuis habitis, & habendis, & in per-

A in perſona tua. Quandoquidem cenſus perſonalis eſt inſtitutibilis, ſicut & realis, vt ex dictis conſtat. Sed talis eſt cenſus, cui apponitur pactum de ſemper ſoluenda penſione, etiamſi fundus ille omnino pereat, cùm maneant alia bona venditoris, vnde ſolui poſſit, & illis adhuc pereuntibus, manet perſona ipſius debitoris. Sed hac & illis pereuntibus, perit tunc ſimiliter cenſus, & ex tunc percipi penſio non poterit vſque tunc: tamen ſemper manet in emptore ius ad penſionem exigendam, quamdiu venditor potens eſt eam ſoluere. Et ita patet reſponſio data, quòd ſcilicet illud grauamen ſeu onus, quo pereunte fundo manet venditor ad ſemper penſionem ſoluendam obligatus, ſi per iuſtum pretium debita compenſatio fiat, contractus non eſt damnandus; eſt tamen damnandus tanquam iniquus & iniuſtus, ſi pro tali cenſu ita aſſecurato, ſeu qualificato, non detur maius pretium, quàm ſoleat ſine tali aſſecuratione dari. Debet autem emptor in tantum pretium augere, quãtum valet præfati cenſus aſſecuratio, ad arbitrium boni & prudentis viri.

NOTA TAMEN, quòd clauſula, quæ in contractibus huiuſmodi ſolet communiter apponi, non eſt quòd venditor ſe obliget ad ſolutionem penſionis, etiam caſu quo res, in qua fundatus eſt cenſus, perierit, ſed obligat ſe, manente re illa, ad præfatam penſionis ſolutionem, quicunque caſus fortuitus accidat, quo ſcilicet fundus deſinat fructificare. Nec talis clauſula eſt interpretanda, ita vt ad caſum, quo fundus, vel res o- *NOTA.*
B mnino pereat, extendatur; niſi de hoc expreſſa in contractu mentio fieret, maximè cùm pretium communiter currens pro huiuſmodi cenſibus redimibilibus ſatis tenue ſit.

AD RATIONES ante oppoſitum factas reſpondetur. Ad primam dicendum, non ſequi, pactum apponitur contra naturam contractus, igitur deprauat ipſum: quia abſq; deprauatione poteſt apponi, alium contractum inducendo, vt ſuprà ſatis oſtenſum eſt. Et ita illud pactum quodammodò inducit cõtractum aſſecurationis. Et ſecundum hoc, eſto perierit cenſus, re ipſa pereunte, adhuc ratione aſſecurationis tenetur vẽditor penſionem ſoluere, ac ſi cenſus extaret. *Reſpondetur ad rationes oppoſitas.* *Ad I.*

AD SECVNDAM dicendum, quòd in caſu quodammodò eſt cenſus in omnibus bonis & perſona venditoris inſtitutus, & ita quamuis aliquis fundus ſignatus pereat, non ideò perit conſenſus, & per conſequens, penſiones illas tanquam fructus ſui cenſus poterit percipere. Et per hoc patet ad primam & ſecundam rationem. *Ad II.*

AD TERTIAM dicendum, contractum, de quo ſonat argumentum, non eſſe de ſe illicitum, cùm ſit mixtus ex emptione agri, & aſſecuratione fructificationis. Et ideò ſi pro vtroque ſuum iuſtum pretium detur, non video in eo iniquitatem, ſicut nec in emptione cenſus eodem adiecto pacto. Adde quòd ſi hæ rationes probarent intentum, ſcilicet, illicitum eſſe pactum, de ſemper ſoluendo penſionem, etiam probarent, pactum eſſe illicitum de ſoluendo penſionem, illis annis, quibus fundus non fructificauerit, ex *Ad III.* *Alia communis ſolutio rationũ prædictarum.*
C quo rationes illæ æquè poſſunt ad hunc caſum applicari, ſicut ad alium, vt patet intuenti: ſed conſequens eſt falſum, igitur. De his hactenus. Et quoniam ex his, quæ hic tractata ſunt, & deciſa, arbitror notum eſſe, quid ad rationes, quas in initio huius quæſtionis propoſuimus, ſit reſpondendum: ideò in his non opùs eſt ampliùs inſiſtere. *NOTA.*

FINIS SECVNDI TOMI.

ERRATORVM *Typographicorum loco (quorum vt non multorum, ita nec magnorum lectoribus haud erit difficilis ratio corrigendi) hanc potiùs admonitionem adiicere viſum eſt; Opus hoc ab Authore ante ſacroſancti Oecumenici & generalis Concilij Tridentini celebrationem eſſe conſcriptum; ideoq; minus mirandum, ſi vir alioquin ſacrorum Conciliorum & omnis authoritatis Eccleſiaſticæ obſeruantiſſimus alicubi aliter (abſq; omni tamen pertinacia) ſentire deprehendatur, quàm poſteà fuit à Concilio illo grauiſſimo, maturiori & accuratiori præmiſſa examinatione, definitum. Quæ verò cenſuram huiuſmodi merentur, hæc ferè ſunt. In fine quæſt. 23. de Confeſſione dicit excommunicatum particulariter non poſſe morientem abſoluere. Item q. 28. membro 2. ſolum baptiſmum ex omnib. Sacramentis à Sacerdote hæretico aut excõmunicato conferri poſſe, non pœnitentiam. Quorum oppoſitum definitum eſſe videtur ſeſſ. 14. cap. 7. &c. Item in eod. Tract. q. 5. in fine dubij 2. inſinuare videtur, dici poſſe venialia non eſſe materiam confeſſionis ne congruam quidem. Oppoſitum habetur ſeſſ. 14. cap. 5. & Can. 7. In eodẽ Tract. q. 14. caſu 4. dicit non eſſe improbabilem opinionem eorum, qui dicunt, cõfeſſionem non neceſſariò ſumptioni Euchariſtiæ præmittendam, etiam habita copia confeſſarij, & loquitur etiã, ſi quis ſit in peccato mortali: Oppoſitum habetur ſeſſ 13. cap. 7. & Can. 11. vbi ſub pœna excommunicationis prohibetur, ne poſthac vllus hoc prædicare, docere, vel pertinaciter aſſerere, ſeu etiam publicè diſputando defendere audeat &c.*

INDEX
RERVM PRÆCIPVARVM,
QVÆ IN SECVNDO HVIVS OPERIS TOMO CONTINENTVR: SECVNDVM ORDINEM ALPHABETICVM DIGESTVS.

A.

B.

C.

In cam-

D.

Gabel-

O.

P.

R.

Rei

MEDINA
DE POENIT.
ET CONTRA

TOM. I. II.


calibrite
colorchecker CLASSIC
mm